





ANNALIUM PADER-BORNENSIUM,

PARS I.

COMPLECTENS
INPRIMIS FUSIOREM
EPISCOPORUM
PADERBORNENSIUM.
DEINDE SUCCINCTIOREM HISTORIAM
RELIQUORUM PER WESTFALIAM
ANTISTITUM,
TUM
RES GESTAS ALIORUM IN EADEM
HAC REGIONE CLARORUM
VIRORUM,
POSTREMO
Pontificum, Imperatorum, Principum &c.
Gesta, maximè ea, quæ Westfaliam contingunt.

OPUS POSTHUMUM
AUCTORE
R.P. NICOLAO SCHATEN
SOCIETATIS JESU.

NEUHUSII,
Sumptibus
CHRISTOPHORI NAGELII, JESNITZ-ANHALTINI:
Typographi Aulici Suæ Celsitudinis Paderbornensis,
CUM PRIVILEGIO CÆSAREÆ MAJESTATIS:
ANNO M.DC.XCIII.


K.K. HOFBIBLIOTHEK
WIEN

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
CHRISTIANO,
EPISCOPO
MONASTERIENSI,
BURGGRAVIO
STROMBERGENSI,
S.R.I. PRINCIPI,
AC
DOMINO IN BORCKELOHE.
Libero Baroni
DE PLETTENBERG.

REVERENDISSIME AC CELSISSIME
PRINCEPS.

PRodijt nuperrimè prior Historiæ Westphalicæ decas sub umbra Reverendissimorum, Perillustrium ac Generosorum Dominorum liberorum Baronum de Furstenberg, neque facilior illi defensio sperari poterat, quam ab ijs Mœcenatibus, quos magni fratris ac Patrui FERDINANDI Episcopi ac Principis Paderbornensis & Monasteriensis, utpote auctoris, gloriosissima memoria exstimulabat. Nunc ea, quæ sequitur annalium pars, tuam tutelam, Rever.me ac Cels.me Princeps, humillime respicit, nec minus præsidij à tuâ protectione, quàm illa prior à suis Mœcenatibus sibi appromittit. Etenim post illos Furstenbergicæ familiæ, magnorum ac Perillustrium Virorum

rorum

rorum fæcundissimæ stirpis, proximus es, tam ex sorore Nepos, quàm ex antiquissima apud Westphalos familia Plettenbergica ad ardua & magnam boni publici utilitatem feliciter procreatus, qui post varias laboriosas legationes ad primarios Germaniæ exterósque principes, post suprema Cathedralis & patriæ Monasteriensis officia administrata, tot ubivis specimina excelsæ Virtutis, sapientiæ, & in rebus gerendis dexteritatis signa reliquisti, ut ex Consiliario intimo, Cameræ & judicij aulici Præside in Decanum & Vicarium generalem, ac tandem etiam in Episcopum ac Principem Monasteriensem omnium votis, communi lætitia, & applausu Patriæ electus sis; patere proinde, Reverme Præsul, Princeps Celsme, ut opus hoc continens præclara in prioribus sæculis Westphalorum

phalorum gesta illi consecrem dedicémq;, cujus sacram personam hâc nostrâ ætate ejusmodi eximia opera & virtutes ad celeberrimam in Westphalia mytram evexerunt, cujus perillustrem & jam ante 600 annos Equestribus Germaniæ ludis celebrem familiam tam numerosa majorum gloriosa decora tantopere illustrant. Ex quibus cæteros prætereundo (ne rem infinitam faciam) pace ut spero tuâ, vel unum referam, heroica inclytum virtute, raráque memorandum à felicitate Heroëm WALTERUM à PLETTENBERG, ordinis Teutonici Magistrum & primum Livoniæ Principem, totius Westphalicæ, imo veriùs universæ Germanicæ nobilitatis & nobilissimi ordinis insigne decus, qui post multa & magna cum Rigensibus prælia, iisque ad obedientiam redactis, fugatis-

que

que ex Livonia Russis, aliisque feliciter gestis bellis, tandem anno 1502 (a) cum 7000 equitum Germanorum, 5000 Livonum & exiguo peditum numero, sed magna in Deum & beatissimam Virginem fiducia, prævia ad suos magnanimâ & piâ exhortatione, pro patriæ & Religionis libertate, centum & triginta Moscovitarum & Tartarorum millia uno prælio stupendæ internecioni dedit, dispersis ad duo milliaria germanica 100000 cæsorum cadaveribus; post hanc ab omnibus retro sæculis vix auditam victoriam magno Moscorum Duci pacem 50 annorum, qua voluit, lege dedit. Demumq; strenuissim9 hic illius temporis Ecclesiæ & Religionis propugnator ob bellicam fortitudinem & singularia in

Christi-

(a) *vid. Bredenb. de bello Livon. Russovv. fol. 56. Bozius lib. 8. de signis Eccl. et de rebus belli contra mach. c. 3. Herberstain tom. 1. sub fin. Levenc. tom 3. Hist. Polon. Stangefol. lib. 3. annal. circuli Westph. Chytræus. Venator in histor. ordin. Teuton, c. 13.*

DEDICATIO.

Christianam Rempublicam & religionem merita ex Magistris Livoniæ jure primus Imperii Princeps anno 1515 creatus, eam dignitatem gloriosis suis factis nobilissimo suo Equestri ordini acquisitam ad successores in magisterio transmisit, postquam ordini & patriæ quadraginta & uno anno piè, paternè & laudabiliter, raro fortitudinis & pietatis exemplo, semper victoriosus præfuisset ac profuisset: hæc & similia, Cels. Princeps, tua tuorumq; majorum toga sagoq; præclara gesta traxerunt me, ad hanc historiam de præclaris Westphalorum gestis tutelæ tuæ devotissimè subjiciendam, sub quâ facilem firmam & diuturnam eidem spero & opto defensionem, qui sum & maneo

CELSITUDINIS TUÆ

humillimus servus

Christoph. Nagel, Typographus.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.



Abes hîc, benevole Lector, quam dudum et nos promisimus, et tu desideraſti, Hiſtoriæ Weſtfalicæ à p. m. P. Nicolao Schaten S. J. ante hac conſcriptæ, et anno M.DC.LXXXX. publico bono editæ continuationem; tametſi enim alter hic tomus inſcribatur Annalium Paderbornenſium Pars prima, non tamen in hac parte aliud proponitur, quàm quod à Caroli M. obitu, in Paderbornenſi Diœceſi et reliqua Weſtfaliæ provincia geſtum eſt, dignumq; occurrit, quod literis poſteritati commendaretur. Licet etiam pars hæc Paderbornenſis hiſtoria nominetur, noluit tamen auctor iiſdem, quibus Paderbornenſis Diœceſis finibus circumſcribitur, Annales ſuos terminis incingere; ſed cùm præcipuè Antiſtitum Paderanorum genus, electionem, adminiſtrationem, obitum, aliaque præclarè ab iis acta latiùs, ut datum fuit, proſecutus eſt; tum non leviter plerumque attigit res geſtas ceterorum Weſtfaliæ Præſulum, aliorumq; Virorum vel egregiæ virtutis famâ, vel bellicâ fortitudine, vel religioſâ munificentiâ, vel denique aliorum eximiè factorum gloriâ celebrium, dignorumque, qui poſteris in exemplum proponerentur. Nec hoc ſolùm, latiùs ſubinde excurrendo, quid Moguntini præſertim Antiſtites, ſuis quilibet temporibus egerint, hiſtoriæ ſuæ modicè inſpergit, ratus, cùm Carolus M. hanc ad Paderam Diœceſin Moguntinæ ſedi ſubjecerit, non incongruum fore, ſi, datâ commodâ occaſione, inter ſubjectorum commemorationem Antiſtitum, Metropolitanorum etiam Præſulum memoria celebraretur. Denique frequens in hac hiſtoria mentio eſt Pontificum, Imperatorum, Ducum et Principum, quam ut faceret auctor, motus fuiſſe videtur, quòd jejuna nimis et multis locis abrupta hiſtoria prodiiſſet, ſi ea tantùm in lucem fuiſſent data, quæ hanc ſolummodo patriam concernunt. Adde quod et minus accepta fuiſſet, ſi non egreſſa è finibus ſuis, et plures Germaniæ partes complexa, latiorem nomine ſuo materiam rerumq; geſtarum narrationem curioſo hoc ævo lectori ſubminiſtraſſet. Nec tamen ita hac in re evagatur auctor, ut abſque delectu arripiat proferatq;, quæ extra Weſtfaliam geſta comperit, ſed prudenti ea judicio ſelegit, quæ connecti aliquâ ratione videbantur cum his, quæ proprio ad Weſtfaliam et diœceſin Paderbornenſem jure ſpectabant. Ita quos ſibi præſcripſerat limites videri non poteſt fuiſſe transgreſſus. Unum tandem, antequam ad annalium horum lectionem te dimittam, monere te debeo, deprehenſurum te in libro eorundem primo annos aliquot admodum ſteriles, maximè ab anno 801, à quo tranſilitur ſtatim ad annum 813; cujus rei cauſa non eſt, quòd nulla pro his ſuppeditata fuerit materia; ſed quòd in præcedenti tomo diffusè ſatis ea explicata fuerint, operæ pretium non fuit, illa hic repetere; quo enim anno 814 Carolus M. ad ſuperos abiit, prioris tomi narrata concluduntur; ac licet initio hujus tomi aliqua ex præcedentibus recolantur, eaque referantur, quæ aliàs fuerant omiſſa; diffuſior tamen rerum ſubſequentibus temporibus geſtarum narratio non incipit, niſi ab anno 814, à quo propriè prioris tomi acta continuantur. Vale et fruere.

COPIA



COPIA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cùm ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, ac alijs quibuscunque librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos, intra Sacri Romani Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, aliòve Charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte, excudere, recudere, vel alio excudendos, seu recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere clam, seu palam, citra supradictorum Patrum consensum, ac testimonium audeat, vel præsumat.

Ego Henricus Weisweiler Societatis Jesu per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, concedo Christophoro Nagel R^mi ac Cels^mi Principis Paderbornensis Typographo Aulico facultatem excudendi Librum, cui titulus: Annalium Paderbornensium, Pars I. à P. Nicolao Schaten Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum. In quorum fidem hoc ei testimonium subscriptum & consueto officij Sigillo munitum dedi Paderbornæ 27 Septembris 1692.

Henricus Weisvveiler.

(L.S.)

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

Ego infra scriptus Societatis Jesu per Rheni inferioris Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à Patre N. P. Thyrso Gonzalez Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto Librum à deputatis ad id censoribus ejusdem Societatis lectum & approbatum, cui titulus: Annalium Paderbornensium Pars I. à P. Nicolao Schaten Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum. In cujus rei fidem has literas manu propriâ, consuetoque officij Sigillo munitas dedi Paderbornæ 27 Septembris Anno 1692.

Henricus Weisvveiler.

(L.S.)

ANNALIUM PADERBORNENSIUM

LIBER I.



RES gestas Episcoporum Paderbornensium, historiamque Dioecesis scripturis à primordijs suis, haud aliunde nobis ordiri fas erit, quàm ab ipso Carolo M. primo per Saxoniam Episcopatuum conditore; quem constat, debellatis harum regionum populis, Episcopos primùm ac Sacerdotes introduxisse; quorum deinde doctrinâ, studio, ac labore barbari homines ab inanium deorum cultu ad veri Numinis cognitionem, & à fœdâ gentium superstitione, longisq; errorum tenebris, quibus cœci ac dementati tot sæculis, à primâ gentium in has oras transmigratione, tenebantur, in admirabile illud Christianæ religionis lumen tandem perducti sunt; quemadmodum nos superioribus libris, quibus res Caroli M. præclarè gestas complexi sumus, satis superque exposuimus. Ex quibus hîc pauca etiam repetere necesse habemus; dum ex communi totius Saxoniæ Westfaliæq; scriptione, tanquam velis in arctum contractis, ad particularem hujus Dioecesis narrationem progredimur, ex flumine magno delati in rivum. Quo in cœpto operis eò etiam securiùs faciliusq; procedere licebit, quòd horum Episcoporum res gestæ à FERDINANDO Principe & Episcopo primùm, dum Romæ per novennium versaretur, magnam partem ex bibliothecæ vaticanæ monumentis collectæ, deinde post Episcopatum adeptum singulari studio in annos & ordinem sint digestæ. Hic enim ex tatno Episcoporum numero unus tandem, qui hanc curam cum animo suo seriò complexus est, ut ceterorum, qui ante ipsum hanc Carolinam Sacrorum Antistitum sedem tenuerunt, famâ & nominis gloriâ ex situ & tenebris in novam quandam vitæ lucem reduceret; quando omnis mortalium vita ab excessu in vivorum memoriâ posita, & memoria sine literarum monumentis obscura & caduca est. Voluitq; sapientissimus Antistes à Carolo M. & Hathu-

Historia Episcoporum Paderbornensium

A Ferdinando Episc. magnam partem collecta

Initium ducit à Carolo M.

Hathumaro, primo Paderbornensium Episcopo, ad nostra usque tempora scriptionem deduci; qua in re prima gloria Carolo M. debetur. Multa ille per omnem vitam bella gessit adversus Longobardos, Saracenos, Hunnos, aliasque seu barbaras seu rebelles gentes; at verò uti nullum ab illo gestum diuturnius atque atrocius, ita nullum ab illo sumptum est constantius atq; alacrius quàm Saxonicum; propterea quòd Saxoniam omnem non tam regno Francico, quàm Christianæ religioni aggregandam suscepisset; ut gentem natalis Francorum soli à servitute dæmonum in libertatem Christianæ legis, & viam salutis assereret. Inde quoties Romam profectus est, Saxoniam Christo & Divo Petro ad altare ex conceptis votis obtulit; ut sacrum hoc bellum potius votivumq; quàm profanum dixeris. Inde cetera fere bella filijs ac ducibus commissa; Saxonicum ipse suis auspicijs suaque præsentiâ administravit. Ac toties per triginta tres annos, ac supra etiam, ad senectutem usque armatus Saxoniam ingressus est, donec bellicosam gentem, toties perfidam ac rebellem, Francico imperio victor submitteret. Voti exinde compos, nihil sollicitiùs ac sanctiùs habuit, quàm ut *omnem terram eorum, antiquo Romanorum more, in provincias redigeret, et certo limite descriptam disterminatamque inter Episcopos divideret*; quemadmodum id Carolus in diplomate Bremensis & Verdensis Ecclesiæ iterato profitetur. Quod sane omnium, quæ per Saxoniam gessit, pulcherrimum operum ejus fuit, & immortali annalium memoriâ dignum. Præclarè nimirum intelligebat Rex, quod cum D. Hieronymo profitentur omnes sanæ mentis Christiani, *Ecclesiam esse non posse, quæ Sacerdotes non habeat*: & Sacerdotes creari non posse, ubi Episcopi non sint, *Patrum ac Sacerdotum generatores*. Qua veritatis voce libere olim prolocutus Cyprianus, Ecclesiam dixit esse in Episcopo, & Episcopum in Ecclesia, omnemq; religionis structuram in sacerdotio tanquam fundamento consistere. Quamobrem sapientissimo Regi prima & salutaris cura fuit, universam Saxoniam in Episcoporum diœceses partiri, & cuique de Episcopis prospicere. Id verò cùm totum sui juris non esse probè sciret, & grex recens ad ovile Christi attractus pastores exposceret; aut Hadriani summi Pontificis, aut legati Apostolici (qui plerumque Carolo aderat) aut Metropolitani auctoritatem sacram implorabat, quorum operâ idoneis quæque diœceses Episcopis distributæ sunt. Visaq; est non minus Saxonia, quàm Regnum Franciæ, & omnes orbis Christiani provinciæ ac Regna, jurisdictione sacrâ inter Episcopos divisâ, in florentissimam quoq; Ecclesiæ formam consurgere. Ac ne Hierarchiam, quæ in Ecclesia ordinatissimâ semper fuit, desideres, Episcopos Saxoniæ partim Moguntino, partim Coloniensi Archiepiscopis subjecit. Quo veteri instituto atq; ordine etiamnum ad suos hosce Metropolitanos Carolini sese Episcopi referunt.

Primo Episcopatuum in Saxonia conditore.

Hieron. lib. contra Lucif. Epiphan.

Descriptis

Descriptis accuratè terminis ac finibus singularum diœcesium, ne in vacuam domum sponsos Ecclesiæ introduxisse videri posset, dotavit decimis Episcopos ac Sacerdotes, auxit prædijs & amplis bonorum possessionibus, exornavit privilegijs & regalium etiam jure, supra quàm vel in Regno Franciæ, vel ullâ orbis Christiani parte regia unquam liberalitas fecerat; tanquam Episcopos sacrorum Reges, & Saxoniam Sacerdotalem terram esse voluerit. Quod cùm ex ceteris donationum tabulis, tum vel maximè ex utroque Caroli diplomate, Verdensis & Bremensis Ecclesiæ, constare potest, quo in hæc verba, omni posteritatis memoriâ digna, effatur Imperator. *Noverint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos à primogenitoribus nostris ob suæ pertinaciam perfidiæ semper indomabiles, ipsiq; Deo et nobis tam diu rebelles experti sumus, quousq; illius, non nostrâ virtute, ipsos et bellis vicimus, et ad Baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristinæ libertati donatos, et omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios et subjugales devotè addiximus, videlicet, ut qui nostræ potestatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam (Deo gratias) et armis et fide, Domino Salvatori nostro Jesu Christo et Sacerdotibus ejus omnium suorum jumentorum et fructuum, totiusque culturæ decimas ac nutrituræ divites ac pauperes legaliter constricti persolvant.* — Qui amplis eos juribus ac bonis dotavit.

Magnæ vel his decimis opes Sacerdotum, si integræ, ut à Carolo præscriptæ sunt, permansissent apud posteros.

Episcopatus, quos Carolus M. primùm in Saxonia condidit, octo fuere, Osnabrugensis, Halberstadiensis, Paderbornensis, Mindensis, Verdensis, Bremensis, Mimigardevordensis seu Monasteriensis, & Hildesiensis. Ita fasti singulorum, & scriptores passim uno consensu tradunt. Hos dum vixit Rex & Imperator, suis finibus descripsit & absolvit; quibus additos præterea duos imperfectos reliquit, Schidrensem & Hamburgensem. Atque hunc in modum decem passim Episcopatus Carolini numerantur. Hamburgensem Ludovicus Pius Imperator, Caroli filius, explevit: Schidrensem, cujus prima sedes apud nos Schidroburgi in montibus Teutonicis intra Angrivarios designata fuit, alij Principes ac Cæsares aliò atque aliò transtulêre, donec Otto M. Magdenburgi in stabili & Archiepiscopali sede collocavit. Singulis à Carolo sui Episcopi & pastores dati: Osnabrugensi Wiho, Halberstadiensi Hildegrimus D. Ludgeri frater, Paderbornensi Burchardus Herbipolensis Episcopus vicario opere commissus, dum Hathumarum posteà à Carolo proprium Episcopum acciperet: Mindensi Herimbertus, aut, ut alij vocant, Hercumbertus impositus; Verdensi Suitbertus, Bremensi Willehadus, Monasteriensi Bernardus primùm religiosus Abbas, ac deinde Ludgerus: Hildesimensi Guntherus; atque hi vivo Carolo Episcopi consecrati. Hamburgensi Heridagus Presbyter; ex quo gradu Albertus etiam Sacer- — Episcopatus à Carolo M. conditi. — Primi singulorum Antistites.

Omnes doctrinâ & sanctitate clari.

dos Schidrensi præstitutus traditur. Omnes illi primi Saxoniæ pastores magno delectu à Carolo conquisiti, virique Apostolico munere clari; quos aut vitæ innocentiâ fervoreq; proferendæ religionis, aut doctrinæ præstantiâ, aut famâ sanctimoniæ, aut miraculorum etiam dono aurea illa ætas ex primo religionis flore illustres sortita est; ut cum D. Augustino dicere liceat: *Ecce illi viri graves, docti ac sancti, et famâ totius Ecclesiæ contestante, Catholici, quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt, hoc docuerunt, quòd à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Ab his deinde primis Saxoniæ nostræ Episcopis perpetua illa ac continens aliorum Episcoporum successio, ad quam fasti singulorum per tot à Carolo M. secula se revocant. Quanquam duo tantummodo ex his Catholicæ religioni Episcopatus integri, Paderbornensis & Monasteriensis: ceteri aut toti, aut ex parte in alienam cum hæresi potestatem concessêre, ipso etiam sacratissimo Episcopatûs nomine abolito. Ita adversis seculi fatis factisque sensim ad deteriora devolvimur. Auditus aliquando Carolus homini Ecclesiæ bona petenti respondere: *Satius est nobis non habere regnum terrenum, quàm æternum perdere; plus enim confido Deum posse per Sanctorum suorum merita et preces nos adjuvare, quàm per omnem militiam secularem. Quid enim,* inquit, *bona Ecclesiæ? nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, quæ non solùm habita conservare, verùm etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus.* Et quæ in hanc rem etiam per execrationem, & provocationem ad supremum Numinis tribunal, sancita à Carolo. Sed hæ querelæ, undecunq; tandem suas origines causasque habeant, hic ingratæ atque importunæ, ab initio certè scriptionis absint; exordia potiùs Christianæ religionis, claramque Paderbornam cum belli initijs reddamus.

Duo tantùm ex his Episcopatus Catholicis supersunt.

Lib. 1. Capitul. tit. 83.

Annus Christi 772.

Hadriani Pontif. I.
Caroli M. Franc. Reg. 5.

Carolus M. Bellum Saxonicum inchoat.

Ann. Franc. Eginard. in vita Caroli. Ægilin vita Sturm.

Bellum Saxonicum, quod Carol⁹ Martellus Caroli avus, ac Pipinus Pater, ceterique ante ipsum Francorum Reges affectum reliquerant, cœptum est à Carolo M. Francorum Monarchâ anno Christi septingentesimo septuagesimo secundo: postquam Wormatiæ in comitio Episcoporum ac procerum Franciæ decretum est, gentem toties Carolo Martello & Pipino Regi perfidam, Christianisq; ad Isalam ac Rhenum & per Hassiam incolentibus infestam, omnibus regni Francici viribus aggredi, ac subigere in obsequium. Evocatus hanc in rem Sturmio primus Fuldensium Abbas, vir Pipino Regi percarus, & Carolo à consilijs. Is quia ex D. Bonifacij disciplinâ Hassiam prope omnem Christi sacris à Bonifacio imbutam excolebat, & sæpius è vicinis Hassiæ regionibus per Westfaliam Evangelij doctrinam proferre

Auctore præter ceteros D. Sturmione.

re in cassum tentârat, gentis pertinaciâ omnes conatus eludente, magnopere quoque Carolo belli inferendi, ulciscendique perfidos, auctor ac ductor fuit. De his belli initijs ita Ægil Fuldensium Abbas, Sturmionis per xx. annos discipulus, qui hæc ejusdem Sturmionis comes coram spectare potuit. *Regnante feliciter Domino Rege Karolo annos quatuor, Saxonum gens sæva et infestissima cunctis fuit, et paganis ritibus nimis dedita. Rex verò Carolus Domino semper devotus, cùm ipse Christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc Christo acquirere quivisset. Inito servorum Dei consilio* (inter quos Sturmio) *poposcit, ut precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congregato tam grandi exercitu, invocato Christi nomine, in Saxoniam profectus est, assumptis universis Christi Sacerdotibus, Abbatibus, presbyteris, et omnibus orthodoxis ac fidei cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite et suave Christi jugum credendo subire fecissent.* Præclaro Principum documento, bella nonnisi Sacerdotum precibus & comitatu esse ingredienda. Igitur traducto ad Moguntiam per Rhenum exercitu, inde per Weteraviam Hassiamque digressus, intra fines Saxoniæ Eresburgum, apud nos in prærupto monte castrum, celebre gentis fano & simulacro Jrmensul, expugnat, ejectoque Saxonum præsidio, Jdolum & fanum subvertit; ac primam istic Christianæ religionis sedem collocat, ubi gentis superstitio impietatis conventus, cultumque inanium Deorum habebat celeberrimum. Prætereo hîc quæ scriptores nostri de Jdolo Jrmensul, quæ de fano gentis, aut quæ annales Francorum de miraculo fontis, & aquis sitienti per castra militi cœlitùs præbitis, tam copiosè perhibent. Expugnato Eresburgo, Carolus ad Visurgim movet, & quæ istic castra præsidiaque Saxonum, occupat; inter quæ & Heristallum ad Visurgim in edito monte castrum repures, quod primam Episcopi Paderbornensis sedem postea esse voluit Carolus. Ac pôstquam exercitus latè per Westfaliam vagatus terrorem circumtulit, Saxones Carolo se supplices sistunt, pactique de salute & obsequio Regni Francici, XII. obsides dant. Quibus confisus Rex exercitum ad Rhenum reduxit. Et quia eâ expeditione Carolus multos Episcopos, Abbates & Sacerdotes secum duxerat, uti Ægil Abbas hæc memorat, consultum habuit Rex intra Luppiam & Dimolam munitioribus locis Sacerdotes relinquere, qui rudi populo Christianæ legis doctrinam, per vicos excurrendo, explicarent, & Baptismi Sacramentum traderent. Inde verisimile ex tanta hominum multitudine, quæ haud multò post circa fontes Luppiæ sese ad Baptismum obtulit, extitisse, qui rudimenta Christianæ legis didicerint, quæ per Sacerdotes á Carolo relictos, vel commercia cum Hassiæ incolis edocti habere poterant. Hoc salutare, primæ Christianæ religionis initia per Westfaliam in hac diœcesi, hac prima Caroli expeditione invaluisse, quæ exinde planiùs cognoscentur.

Eresburgum expugnat.

Relinquit in Westfalia Sacerdotes fidem Christ. propagaturos.

Annus

Annus Christi 773. 774.

Hadriani Pont. 2. 3.
Caroli M. Franc. Reg. 6. 7.

Carolo in Italiam profecto, Saxones rebellant. *Ann. Franc.*

Sed rerum status adhuc fluctuans abruptusque; quando à tam prosperis initijs Carolus altero mox anno bello Italico avocatus, quod adversus Longobardos, eorumque Regem Desiderium vexatorem Romanæ Ecclesiæ, rogatu Hadriani Pontificis, suscepit. Per hunc Caroli discessum Saxones, factâ procerum conspiratione, Eresburgo Francos ejiciunt. Inde in Hassiam progressi, fines regionis ferro flammáque devastant. Tum Frislariam delati, Basilicam, quam D. Bonifacius construxerat & dedicârat, subjectis ignibus incendere aggrediuntur; tanquam fani sui Eresburgi ruinas ulturi, fontemque Evangelij obstructuri. Verùm injectâ divinitus trepidatione, incendiarij ceterique aversi, cœptumque hoc facinus intermittere compulsi, post conquisitos ad necem Sacerdotes, turbatosque Christianorum cœtus, cum præda intra suos fines regressi sunt. Quæ ubi Carolo nunciata, jussit exercitum tripartitò ire in Saxoniam. Atque is incendijs & direptionibus vicinas regiones depopulatus, complures etiam Saxonum, qui se in armis obtulerant, cecidit, & cum ingenti præda paulò post trans Rhenum redijt.

Annus Christi 775.

Hadriani Pont. 4.
Caroli M. Franc. Reg. 8.

Sed à Carolo reduce ad fidem & obsequium reducuntur. *Ann. Franc. Vetus Poëta.*

At Rex ex Italia reversus in Germaniam, iráque justâ plenus ulciscendi perfidiam Saxonum, statuit bello gentem persequi, dum aut victam Christianæ religioni submitteret, aut captam sedibusque suis avulsam (quod Tiberius & Constantinus M. fecerat) per alias regiones dispergeret. Quam in rem Duriæ conventum Episcoporum ac procerum totius Franciæ Germaniæque indixit; ex eoque, quòd bellum omnes approbassent, cum exercitu Rhenum transgressus primùm Sigeburgum ad Ruram castrum expugnat; ejectoque istic præsidio Saxonum, Eresburgum accelerat. Id quia à Saxonibus destructum erat, reparat munimentis, & præsidio Francorum firmat. Inde ad Visurgim movens Brunsbergam obsidet, castrum videlicet ex edito monte Huxariæ imminens. Ibi cùm in adversa Visurgis ripâ Ostfali Saxones starent armati, Carolo transitum prohibituri; Rex hostes aggressus in fugam abjicit, magnáque cæsorum clade obterit. Inde ad Ocram fluvium ducto exercitu, Hesso dux cum primoribus & Ostfalorum multitudine supplex occurrit Regi; cui postquam obsides

des dederunt, fideiq; Sacramentum jurârunt, recepti sunt in gratiam. Mox reflexo ad Visurgim exercitu, in pagum Buchi (quem locum Bokam ad Luppiam intra diœcesis hujus fines haud procul Delbruggiâ nonnulli designant) Angrivarij convenire jussi: & hi territi Regis potentia, haud secus quàm Ostfali, fidem Carolo jurant, obsidesq; dant. Inter hæc pars exercitûs ad inferiorem Visurgim ire jussa; positisque ad Ludbeki vicum castris (quem Lubbeke hodiedum esse volunt infra Mindam) dolo Saxonum castra ingressorum haud levi clade affecti Franci. Quò postquam è vestigio advolârat Carolus, fugientes Westfalos consecutus, ingenti hostium strage ultus est suorum jacturam. His fracti Westfali, haud secus quàm Ostfali & Angrivarij fecerant, paciscuntur, datisq; obsidibus & juratâ fide Regi se submittunt.

Annus Christi 776.

Hadriani Pontif. 5.
Caroli M. Franc. Reg. 9.

Jam totam Saxoniam Rex in suam potestatem venisse existimabat, in quam securè Christi religionem introduceret; cùm subitò in Italiam ad Rodgaudum Longobardorum ducem rebellantem, regnumq; affectantem avocatur. Vix dum Alpes transcenderat Rex, cùm Saxones nunciantur per ejus discessum Eresburgum arcem expugnasse, ejecto Francorum præsidio; Sigeburgum oppugnatum quidem, sed militum fortitudine & cœlesti ope defensum; ac longè atrociora machinari, nisi subsidia adsint. Quapropter Rex compositis in Italia turbis, eâ quâ venerat celeritate, ex Italia in Germaniam properavit; indictoque Wormatiæ conventu procerum, ac bello ab omnibus comprobato, exercitum per Rhenum transmisit; famamq; præveniens, stetit Carolus cum exercitu in visceribus Westfaliæ, atq; ad fontes Luppiæ castra metatus est: ubi ingentem hominum multitudinem, miserabili supplicum aspectu, virorum, mulierum, senum, juvenum & puerorum occurrentium habuit, ultra ad Christianam religionem ac Baptismum sese offerentium; quos miseratus Rex in gratiam recepit; confisusque gentis promissionibus ac lacrymis supplicum, cùm id syncerè eos petere crederet, & per Sacerdotes, quantum fas erat, instrui jussisset, fonte Baptismatis ablui permisit. Quanquam multi ex his simulato fictoque animo id fecerint, qui tam Regi postea, quàm Deo datam fidem fefellerunt. Et verò per id tempus primores quoq; gentis Westfaliæ & Angrivariæ convenisse, & fidem denuo in publico conventu jurasse Regi, satis Francorum annales perhibent; quando imperatos quoque obsides pro ritu fœderum pactorumque post rebellionem dare jussi sunt. Versabat in omnem modum Carolus Saxonum animos, quò ad Christianam religionem

Ann. Franc.

Carolus iterum rebellantes Saxones bello domitos in gratiam recipit.

religionem amplectendam induceret. Atq; ut Ægil Abbas de hisce expeditionibus scribit, Carolus *partim muneribus, partim promissis et persuasionibus, magnâ ex parte Saxonum gentem ad Christi fidem perducere* contendit. Et consilia conatusque processissent, si ut populi, ita proceres religionem ante gentis libertatem æstimâssent.

Per id tempus jussit Carol⁹ Eresburgum castrum, quod Saxones denuo subverterant, instaurari. Aliud deinde castrum ad Luppiam flumen exstruxit. Et utrumque non modico Francorum præsidio firmavit. At quo loco postremum hoc positum fuerit, dissentiunt Auctores: alij collocant, ubi Glena Luppiæ miscetur; quidam Lipstadij, quæ urbs istinc nomen Lippiæ servavit. Verisimilius alij ad confluentes Almæ & Luppiæ ac Paderæ, atque in veteri Alisonis castelli loco, intra Luppiæ ac Paderæ fontes, situ, quem natura præmunit, ubi nunc arx ac sedes Paderbornensis Episcopi visitur. Non alius in Westfalia Saxoniave universa locus, in quo Carolus frequentiùs versatus, aut castra posuerit, aut synodos conventusque populi celebrârit, aut legatos audierit; quàm hîc vel ad Luppiæ, Paderæque fontes, vel horum trium amnium Luppiæ, Paderæ atque Almæ confluentes. Quare dum annales Francorum scriptoresque veteres Luppiæ fontes aut Paderbornam memorant, totum illum complexum locorum designari ac plerumque permisceri reputes, quo intra unum leucæ spatium fontes horum amnium & confluentes tanquam in triangulo aspicis. Quanquam Paderæ fontes ob naturæ beneficium ac miraculum, quibus Saxonia Germaniaque nihil propemodum habet jucundius aspectabiliusque, oppido primùm, deinde urbe ac metropoli diœcesis hujus nobilitati sint. Desenbergam præterea arcem in edito coronatoq; monte hac expeditione, ejectis Saxonibus, expugnatam tradit Regino; quemadmodum álias quoque arces & castra aut erepta Saxonibus, aut præsidijs firmata perhibent Francorum annales. Sed neque situm horum locorum, fontesq; amnium, neq; castra arcesque, quales Eresburgum, Brunsberga, Boka, Desenberga, supra memoratæ, hîc describere necesse; quod id eruditè explicatèque à FERDINANDO Principe in monumentis Paderbornensibus sit præstitum. Res gestæ horum locorum nudâ narratione proponendæ.

Castrum ad confluentes Almæ, Luppiæ & Paderæ fontes erigit.

Annus Christi 777.

Hadriani Pont. 6.
Caroli M. Franc. Reg. 10.

Ann. Franc.

Anno igitur abhinc proximo, ut ea, quæ superiori anno prosperè cœpta erant, confirmaret, Saxonumque animos ad obsequium Francorum, & Christianam religionem componeret; Carolus Noviomago,

viomago, ubi Pascha egerat, cum valido exercitu Saxoniam ingressus, Paderbornæ totius populi Saxonici conventum indixit. Quò cùm venisset in comitatu sacrorum Præsulum ac procerum Franciæ, reperit quoque totum gentis senatum populumq; Westfaliæ, Angariæ & Ostfaliæ convenisse, præter Widekindum, unum ex primoribus Westfalorum, eorumque Ducem; quòd is multorum sibi facinorum conscius ad Sigifridum Danorum Regem profugerat, quippe omnis, qua hactenus fatigatus Carolus, rebellionis turbarumque concitor. Ceteri qui venerant Saxones, summi infimique, se Regis potestati submisêre, eóque recepti in gratiam; sed ea lege, iterum si pactam juratamque fidem violarent, omni libertate exciderent, bonisque exuti, avitis suis sedibus ejicerentur. Tum libertas Christianæ religionis facta per Saxoniam, atque ingens rursus hominum multitudo Baptismatis fonte abluta. Tum constructæ varijs in locis Ecclesiæ; & has inter una erecta Paderbornæ, honorique Salvatoris dedicata; ut præter binos Annalium Francorum pervetustos codices, hisce memorat antiquum Monasterij S. Galli Chronicon: *Anno 777. fuit Domnus Rex Karlus in Saxonia ad Patrisbrunna, et ibi ædificavit Ecclesiam in honore Salvatoris.* Et Monachus Divionensis in Cœnobij sui Chronico apud Lucam Dacherium tom. I. Spicilegij, ad annum DCCLXXVII: *Gloriosus*, inquit, *Rex Carolus venit Saxoniam, loco qui vocatur Patrisbrunna; et ibi habuit placitum magnum: et ibi convenerunt Saxones ad baptismum Catholicum; ædificaveruntque ibi Ecclesiam Franci, multaque millia populorum ibi baptizata sunt, ea conditione à Rege proposita, et ab illis suscepta, ut abjecto dæmonum cultu, et relictis patriis cæremoniis, Christianæ fidei Sacramenta susciperent, et Francis adunati unus cum eis populus efficerentur.* Tum denique revocati Sacerdotes, qui rudem populum in suscepta religione excolerent. Quos inter D. Sturmio per id tempus à Carolo evocatus adfuit; de quo Ægil Abbas, æqualis illorum temporum scriptor inspectorque, hæc memorat. *Suscepto igitur prædicationis officio, curam modis omnibus impendit, qualiter non parvum Domino populum acquireret. Sed temporibus instabat opportunis, sacris eos sermonibus docens, ut Idola et simulacra derelinquerent, Christi fidem susciperent, Deorum suorum templa destruerent, Lucos succiderent, sanctas quoque Basilicas ædificarent. Quo cùm multum temporis prædicando et baptizando cum suis presbyteris peregisset, et per regiones quasque singulas Ecclesias construxisset; iterum postea Saxonum gens prava et perversa, à fide Christi devians, vanis se erroribus implicavit; congregatoque exercitu ultra fines suos egressa est, et usque ad Rhenum vastando et depopulando cuncta pervenit. Cumque inde reversi essent, infesta cæde, quoscunque invenire potuerunt, trucidârunt.* Atque hæc illa funesta Saxonum rebellio & irruptio, de qua proximo anno referemus. Interim confisus Carolus præsentibus, quæ cum Saxonum gente transegerat, auditisque, qui

Carolus Comitia Paderbornæ habet

Postquæ religio Christiana florere incipit.

Prima Paderbornæ Ecclesia erigitur.

qui Paderbornam ad illum venerant, Saracenorum legatis, traductoque per Rhenum exercitu, rediit in Franciam, eò tum etiam securior, quòd Eresburgum, ceteraque quædam castra intra Saxonum fines præsidijs Francorum firmata reliquisset; nullâ parte Westfaliæ tum magis excoli cœptâ, quàm quæ à Luppia ad Hassiæ jam Christianæ fines se porrigebat.

Annus Christi 778.

Hadriani Pont. 7.
Caroli M. Franc, Reg. 11.

Carolus adversus Saracenos in Hispaniam movet.

Ann Franc. Ægil in vita Sturm.

Rebellant Saxones auctore Widekindo.

Bellum exinde Hispanicum suscepit Carolus adversus Saracenos, sollicitatum Paderbornæ à legatis. Prosperum id quidem, siquidem superatis Pyrenæis montibus, Pampelonam, multasque Hispaniæ civitates, ejectis Saracenis, expugnavit: at in reditu haud levi clade affectus est intra saltuum angustias à Vasconum gente; quemadmodum hanc cladem Rulandi & tot clarorum militum præfectorumque multis exaggerant annales Francorum. Per hunc Caroli discessum ex Germania, Widekindus è Daniæ latebris erupit, & quas collegerat in Dania & Frisia copias, cum Saxonibus conjunxit, cum quibus deinde ad Rhenum inferiorem furentis in modum, omnia vastando, proruit: si non ad Isalam etiam prius turbata Christianorum sacra, ut scriptor vitæ Ludgeri insinuat. Certè D. Ludgerus de hac furiosa irruptione scribit, Saxones in Cæsaris Insula, ubi sepulchrum D. Suiberti colebatur, barbarum in modum exussisse templum, trucidasse Sacerdotes & Christianos; quos inter tres Westfalorum Satrapas memorat, ob sacrilegium ultricem mox Numinis manum sensisse, ac nullum ex his miserabilius quàm Ogellum Paderbornensem. Interemptis in Cæsaris Insulâ Sacerdotibus, & cæsis prope ad internecionem incolis Christianis, Saxones ripam Rheni ascendunt, tentantque Coloniæ Rhenum transire, & in ipsam Franciam proruere. Id cùm Franci armati non ferrent, movit Duitio prædatorius ille exercitus ad confluentes Mosellæ; quo in transitu totus ille tractus Rheni barbarum in modum vastatus; exustæ Ecclesiæ, eversa cœnobia, constupratæ sacræ Virgines, trucidati Christiani, nullo ætatis sexusque discrimine, ut Francorum etiam annales perhibent: ut liquidè satis constiterit, eos non tam prædandi quàm ulciscendi causa terminos Francorum, qui tum in alteram Rheni ripam cum Christi religione prolati erant, intrasse. Ab Rheno deinde flexo itinere in Hassiam se vertunt, eo furore grassati in Ecclesias, cœnobia, Sacerdotes, ac Monachos, ut omnia istic incendijs & cædibus sint funestata. Ad quam irruptionem Sturmio Abbas, qui à Visurgi se Fuldam receperat, cùm didicisset eos extrema suo cœnobio intentare, con-

re, consultum habuit, corpus D. Bonifacij, quod jam per viginti quatuor annos istic quieverat, Hameleburgum ad tutiorem locum transportari. Quæ Chronotaxis ijs favet, qui Bonifacium anno Christi 754. obijsse tradunt, alijs passim ad sequentem annum referentibus martyrium ejus. Ipse Sturmio in Weteraviam profugus discessit. Ad hunc sævum processum rursum prospera Christianæ religionis initia per diœcesin Paderbornensem conturbata sunt.

Annus Christi 779.

Hadriani Pont. 8.
Caroli M. Franc. Reg. 12.

At postquam hæc Carolo renunciata sunt, succensus ira, ob gentis jam toties perfidæ sacrilega facinora, repente Francos orientales & Alemannos pro imperio mittit, qui Saxones insequantur. Aliam deinde ex Francis suis turmam expedit, quæ, ceteris aberrantibus, è vestigio hostem consecuta ad Adranam flumen, adortaque in ipso vado tanta clade sternit mactatq; sacrilegos, vix ut pauci cum præda ad suos redierint. Carolus exinde celebratis Natalitijs Christi & Paschate Heristalli ad Mosam, Duriam contendit, & synodum Episcoporum ac procerum convocat. Multæ in hac (quæ extant) salutares leges sancitæ; simulq; de summa rei, ulciscendâ nimirum Saxonum perfidiâ, ferventibus omnium animis actum. Ad quorum cohortationes ac preces Carolus cum exercitu Rhenum transmittit, adlectisque in comitatum Episcopis & Sacerdotibus, ad Luppiam pervenit; quem transgressus, ad Bocholdiam armatos Westfalos sibi occurrentes habuit. His ad primum congressum fœdè pulsis fugatisq; victor Westfaliam ingreditur, circumspectoque Mimigardevordiæ, uti opinari fas erit, opportuno loco, ubi Episcopi sedem collocaret, proceres gentis advocat; exprobratáque perfidia, cùm supplices ad clementiam appellarent, obsides dare jussit, & juramentum dicere; ita in deditionem & gratiam recepti. Inde cum exercitu ad Visurgim progressus, Angrivariorum & Ostfalorum primores obviam missos habuit, qui obsides darent, & Sacramentum fidei pro tota gente jurarent. Quibus Rex placatus, militem à vindictis prioris injuriæ inhibuit, eò cumprimis, quòd libertatem Christianæ religionis reciperent. Aderat hac expeditione à Carolo evocatus Sturmio Abbas cum suis presbyteris & religiosis viris, qui priorem Evangelij culturam per australem hujus diœcesis partem repetere aggressus, colligere dispersos populi cœtus, ordinare Ecclesias, & Baptismo abluere cœpit, nihilq; aliud per se & suos contentiùs egit, quàm ut abjecto idolorum cultu, miseri ac cæci ad Christi & veri Numinis sacra transirent. Quo in opere cùm jam senio etiam præfractus esset, cœpit gravi morbo

Saxones cæduntur à Francis. *Ann. Franc.*

Recipiuntur in gratiam à Carolo Rege.

S. Sturmio post felices plurium annorum labores obit. *Ægil in vita.*

tentari; quod ubi compertum Carolo, jussit Eresburgi quiescere, addito etiam Wintero medico suo, qui valetudinis curam haberet. Tam carus Regi erat Præsul, in quo D. Bonifacij, cujus tot annis discipulus fuerat, spirabat fervor in conversione barbararum gentium; ob quam relictâ etiam Fuldensis cœnobij præfecturâ ultro se Carolo adjunxerat, non dedignatus, etsi è primaria Noricæ gentis nobilitate oriundus esset, circuire vicos, docere rudem populum, & baptismo neophytos abluere. Increscente morbo Fuldam delatus hoc anno finem innocentis vitæ & laboris habuit, famâ sanctitatis apud posteros relictâ, quem Fuldenses primum Abbatem sortiti, & cum Bonifacio primum cœnobij conditorem venerantur. Dignus etiam quem Paderbornenses inter Apostolicos hujus diœcesis viros & doctores gentium colant; perinde ut à scriptoribus etiam olim Apostolus Saxoniæ est appellatus.

Annus Christi 780.

Hadriani Pont. 9.
Caroli M. Franc. Reg. 13.

Annal. Francorum.

Hoc felici rerum successu provocatus Carolus, tanquam modò Saxoniam terrore armorum victam, ultroq; se religioni Christianæ dedentem possideret, proximo abhinc anno octogesimo supra septingentesimum, sub initium veris, in Saxoniam cum exercitu accceleravit. Nihilque in primo accessu intra fines Westfaliæ antiquiùs habuit, quàm ut Eresburgum arcem inviseret, in qua primam religionis sedem posuerat, sub tutelà Francici præsidij. Eresburgo ad fontes Luppiæ movit, ubi castra metatus stativa habuit. Sunt, qui ingentem rursus hominum turbam se ad Baptismum obtulisse scribant. Quanquam Paderborna ex eo anno multò celebrior synodo Episcoporum ac procerum, quam Lippiensem appellant scriptores, in qua de Episcopatibus quibusdam ordinatum, & de Catholica religione firmandâ actum. Sanè Mindensis, Halberstadiensis, aliæque Ecclesiæ ad hunc annum exordia suorum Episcopatuum referunt; quemadmodum Gobelinus, celebris inter nostros scriptor, primordia Paderbornensis Ecclesiæ nostræ eodem revocat. *Erexit Carolus*, inquit, *quandam Ecclesiam in Paderborna, quam commisit Episcopo Wirtzeburgensi respiciendam, donec de Episcopo posset eidem loco tutò providere. Et hæc Ecclesia incepta est anno Domini septingentesimo octogesimo.* Et quid verisimilius? quàm ei parti Saxonicæ prospexisse primùm de Pastore, quæ prima inter ceteras D. Sturmionis operâ, baptizatis tot hominum millibus, Christi fidem amplecti cœpit; & in quam ex vicina Christianâque jam Hassiâ Sacerdotum & Monachorum operæ submitti

Synodus Lippiensis, seu Paderbornensis II. *Acta Concil. general. Regino. Crantzius Gobelinus.* Initia quorundam Episcopatuum Saxonicorum ad hunc annum à nonnullis revocantur.

mitti poterant; quæq; præsidijs castrorum Francicorum inter Luppiam, Visurgim & Dimolam ante alias tuta ac præmunita erat. Quanquam prima Episcopi sedes non Paderbornæ, sed Heristalli in castro ad Visurgim collocata sit. Unde Episcopi Paderbornenses primùm Heristallenses dicti feruntur à nomine, quod postea loco à statione & hibernis Caroli inhæserit; haud secus quàm Sturmioni Eresburgum intra fines hujus diœcesis sedes data fuit. Cetera hujus Lippiensis Synodi acta, ut aliorum complurium, temporum injuriâ interciderunt. Sacris civilibusq; per Westfaliam constitutis, Rex trans Visurgim duxit exercitum, pari sollicitudine cum Orientali Saxonum gente transacturus. Quam in rem ad * Ocram fluvium eorum proceres populumq; convenire imperavit: ubi inter cetera ita de Christiana religione actum, ut magna gentis turba sese in Horheim ad Baptismum obtulerit, quam & salutari fonte ablui permisit.

Prima Episcopi Paderborn. Sedes Heristalli fuit.

*al. Obacrum.

Annus Christi 781. 782.

Hadriani Pontif. 10. 11.
Caroli M. Franc. Reg. 14. 15.

Rem Christianam simul & publicam bene jam in Saxonia ordinatam ratus Carolus, alteram hoc anno Romam profectionem suscepit, ut inter cetera regni sui negotia cum Hadriano Pontifice de Episcopatibus à se institutis, & de Episcopis imponendis conferret, offerretq; jam omnem Saxoniam Christo, ac D. Petro devotam. Paschate cum Pontifice celebrato, inunctisque duobus filijs Pipino & Ludovico in Reges, Carolus in Franciam redijt; atque inde nihil impensius habuit, quàm in Saxoniam se conferre, ad ordinandas res sacras cum Pontifice pertractatas.

Carolus M. Romam ad Pontificem proficiscitur.

Ann. Franc. Auctor vitæ Caroli. Poëta anonymus. Regino.

Vix dum annus 782. per vernum tempus se aperuerat, cùm trajecto ad Coloniam Rheno, omnem Francorum exercitum ad fontes Luppiæ ducit; ubi castris positis, conventum indixit, quem nonnulli Francorum scriptores generalem appellant; tanquam universi Saxoniæ proceres ex Westfalia, Angariâ & Ostfaliâ, convenerint, quibuscum extremum Carolus pertractârit. Et adfuisse scribuntur Carolo Episcopi cum Sacerdotibus, referturque ille plenus majestate regia Rempublicam ordinasse: licet acta Synodi (quæ tertia Paderbornensis haberi potest) aut temporum injurijs, aut scriptorum incuriâ ad nos non pervenerint. Certè dum ad fontes Luppiæ Carolus magnam æstatis partem agit, accessêre Sigefridi Danorum Regis Hunnorumque legati, quos Caganus & * Jugurrus gentis Principes ad Carolum miserant. Ita rursum celebris Paderborna Regis frequentiâ; vidissesque Francos haud secùs quàm Romanos ad Alisonem & hos

Conventus ac Synodus Paderbornensis III.

al. Vigurrus.

hos Luppiæ Paderæq; fontes de summa rei tractare; atque ut Cæsares Romani bella, ita Carolum Regem Christianæ religionis salutaria consilia conventusque populi agitare. Capiebatur Rex loci amœnitate, agrorum fertilitate, & fontium salubritate. Et poterant Carolum non dissimilia Paderbornæ, quæ Aquisgrani oblectamenta invitare; quòd in tota Saxonia Germaniaq; non repertus locus, quem natura fontium è terra prosilientium multitudine, & aquarum salubritate amœniorem dederit. Cœpit à frequentia hac accessuq; Caroli Regis vicus circa Paderam excoli in oppidum, in quod Carolus Episcopi sedem transferret.

His jam pacatè prosperéque ad fontes Luppiæ transactis, relictisque Sacerdotibus & Pastoribus, qui rudem populum Christianam legem docerent, Carolus cum aula & exercitu in Franciam se retulit; tanquam securus de Saxonia regno Franciæ partâ; nescius interim, quæ tempestas superioribus multò sævior immineret. Vix dum enim transmisso Rheno è Westfalia excesserat Rex, cùm Widekindus è Dania Nortmannorum copijs instructus in Saxoniam advolat, concitatosq; procerum & populi animos ad defectionem compellit. Fortunâ etiam adjutus, majores Spiritus gerit: nam quas Carolus Adalgiso, Geilone & Wolrado ducibus miserat copias adversus Sorabos Sclavosque, Saxonum fines transgressos ac depopulatos, eæ ducum temeritate Visurgim transgressæ in Widekindum movent, quem haud procul Mindâ rebellium suorum castra posuisse didicerant. Conserto præcipitantius quàm cautiùs prælio, cæduntur fœda clade Franci; interempti legatorum duo Adalgisus & Geilo; Comites quatuor: ex nobilitate proceres xx. ceterorum haud levior jactura cædesque. Quæ ubi ad Carolum relata sunt, exacerbatus exercitum per omnem festinationem contrahit, Rhenumque ac Visurgim transmittit, castris ad Aleram fluvium positis; ubi accitis ad se primoribus Saxonum, in auctores defectionis inquirit. Et hi cùm Widekindum auctorem concitoremque proclamarent, ad Nortmannos rursus profugum; non acquievit Rex; & quatuor millia quingentosque rebellium Saxonum, qui Widekindo se junxerant, uno in in loco super Aleram flumen unáque die capite plecti jussit. Locus supplicij Ferde consignatus in annalibus Francorum, quem haud multò post sedem Episcopi Verdensis esse voluit. Durum & inexspectatum à miti Rege judicium, quod perfidia gentis toties perjuræ expressit, ceteris in exemplum, ne clementiam toties expertam impunè ludificarent. Quibus in præsens peractis, quòd annus in hyemem processerat, Rex Theonis villam cum milite concessit ad hiberna, ubi & Natalem Christi & Pascha ritu Christiano coluit.

Francorum passam à Saxonibus cladem

Multorum rebellium supplicio Carolus ulciscitur.

Annus

Annus Christi 783.

Hadriani Pont. 12.

Caroli M. Franc. Reg. 16.

Exercita à Carolo in rebelles severitas, non tam pacavit, quàm exacerbavit Saxones; totamque rursus gentem concivit ad arma, extrema jam velut ex desperato tentaturam. Ac nemo furiosior Widekindo. Is per inferiorem Saxoniam ac Frisiam effusus, Willehadum Wigmodiâ, Ludgerum è Frisia ejecit: Ceteri Sacerdotes per Trentiam aut trucidati, aut conquisiti ad necem, aut depulsi in exilium; quâ procellâ multorum Christianorum sanguine litatum. Et hic barbaræ gentis terror Sacerdotes quoque harum regionum perculit; cœptaque messis sacra rursum turbata est.

Widekindum in Saxones sævientem

Ann. Franc.

Vita S. Willehadi à Phil. Cæsare edita.

Ad hanc rebellionis famam sævitiamque Saxonum excitus Carolus, abrupto properè luctu Hildegardis conjugis, quam pridie Calend. Maji amiserat, Rhenum cum exercitu transgreditur, atque in Westfaliam properat. Jam Widekindus, Visurgi trajecto, in Teutonicis montibus cum Saxonum exercitu stabat, certus prælio decertare, si Carolus ausurus esset. Adeo superiori ad Mindam victoriâ inflatus confidebat, vinci à se Francos posse. Nec segnior Carolus exercitum in montes Teutonicos educit; eâdemque in planitie, quâ Arminius Varum, ipse Widekindum ad Dehtmoldiam assequitur; prælioque acerrimo congressus prope ad internecionem delet; quando ex innumera Saxonum multitudine, ut Francorum annales perhibent, paucos admodum fuga cum Widekindo servavit.

Carolus memorabili victoriâ comprimit.

Quæ tam illustris victoria primos eorum temporum Christianos eò impulit, ut haud procul à loco prælij, gratâ in Deum memoriâ, ædem sacram in monte construxerint, quæ capella divini auxilij appellata est: Vulgus *Montem sancti adjutorij* dixit, ob cœleste beneficium, ut Crantzius memorat, quo Deus pugnanti Carolo in ancipiti prælio adstitit. Monumentum sanè omni tropæo illustrius, quod ad Crantzij ætatem cultu religionis, & vicinorum populorum accessu, multisque cœlestibus beneficijs, ac miraculis conspicuum perstitit; & quò, ut fasti perhibent, ex urbe Tremoniensi frequens quotannis populi supplicatio ducta, atque ab omni retro memoriâ ad annum Christi 1548. continuata est. Post quæ deinde tempora, quia hæresis ea Comitatûs Lippiensis loca Majorumque religionem corrupit, & peregrè eò venientes ludibrijs divexavit, intermissa majorum pietas. Ipsa deinde ædes sacra, quæ in monte S. Antonij, inter Dehtmoldiam & Osterholtium, monstratur, collapsa, nil nisi rudera exhibet. Adeo hæresis non modò sacrorum monumenta, sed ipsa etiam Caroli M. tropæa è conspectu posterorum sustulit, antiquitatis non minùs quàm religionis perturbatrix.

A primis Saxoniæ Christianis, erecto *Sancti adjutorij* Sacello, celebratâ.

Sed

Carolus Paderbornæ exercitum reficit.

Sed ad Carolum redeamus. Is à prælij loco Paderbornam regressus, castrisque circa fontes Luppiæ & Paderæ explicatis, fessum attritumque reficiebat militem; dum ex Francia altera pars exercitûs, quam iteratis nuncijs præstolabatur, accederet. Inter hæc Widekindus ex Saxonum, Frisonum, & Septentrionalium populis recentem exercitum contraxerat, castris haud procul Osnabrugo ad Hasam flumen firmatis. Id postquam renunciatum est Carolo, motis Paderbornâ castris, festinavit in hostem, eóque citior, quòd jam copijs ex Francia exspectatis confirmatus esset. Ac postquam ad Hasam in mutuum conspectum venêre, & Carolus Francos, Widekindus Saxones in aciem composuit, uterque ducis & militis fortissimi munere functus est. Decertatum acri prælio. Victi fugatique ad extremum Saxones. Cæsa innumera barbarorum corpora, direpta spolia, magna captivorum turba abducta. In utroq; prælio Carolus ante aciem stetit, victorq; pugnavit, uti Eginardus scribit. Utrumq; ad omnem posteritatem memorabile prælium, quorum alterum *juxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Theotmelli nominato: alterum apud Hasam fluvium, et hoc uno mense, paucis quoque interpositis diebus* commissum est. *His duobus præliis hostes adeo profligati ac devicti sunt, ut ulterius Regem neque provocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi auderent.* Ita debellatis per Westfaliam hostibus, Carolus ab Hasa flumine ad Visurgim cum exercitu castra promovit; transitoq; Visurgi, ad Albim usque flumen progressus, victoriam terroremque circumtulit. Inde trans Rhenum Heristallum se ad hyberna recepit; ubi Natalis Christi dies, & Pascha peractum. Annus, si quis alius, Saxoniæ felicissimus; quo, debellatâ superstitione, Christi religio triumphare cœpit; quantumque hactenus perfida & perjura gens pro libertate depugnavit, tantum libertas Christianæ religionis se extulit. Nam ab his prælijs, quæ cœlesti magis auxilio & beneficio, quàm humanis viribus adscribuntur, cœpit Carolus fana demoliri, aras impiorum sacrificiorum subvertere, Idola comminuere, omnemque superstitionis cultum eliminare: & qui Saxoniam jure belli sibi vindicabat, cœpit jura populo præscribere, & regno Francico regionem accensere; ut jam *unus populus*, quemadmodum Eginardus perhibet, Saxones & Franci censerentur.

Altera vice cum Widekindo victoriose congreditur, *Eginard. in vita Caroli.*

Et pacem Westfaliæ adfert stabilitque.

D. Meinulphi vitæ initia.

Ad hæc tempora, quibus Carolus M. frequenter Paderbornam invisit, referre visum est, quæ Auctores de ortu D. Meinulphi & matre tradiderunt. Natus est is inter bella Caroli cum Saxonibus, novum postea sanctimoniæ sidus inter Westfalos conspiciendus; quamvis nonnemo ortum ejus supra ad annum 777. retulerit. Verùm cùm anno 847. è vita abijsse dicturi simus, ne vitam longiùs quàm verisimile sit, extrahamus, natalis & vitæ ejus exordia hisce temporibus assignare placuit, quæ Caroli quoque in hunc puerum benefi-

beneficentia illustria fecit. Nam cùm per necessitatem mortis amisisset patrem, virum è primâ Westfaliæ nobilitate opulentum & clarum; mater, quæ Christianis sacris jam imbuta erat, vidua mansit, vitæ illud genus certo pioque animo complexa: ad quam dum defuncti conjugis frater accederet, homo superstitione paganus, specie quidem honestatis & solatij, re autem libidinis explendæ causâ, per vim stupro comprimit. Quod facinus aversata mulier, ut primùm corruptoris manus evasit, è vestigio Carolum Regem adit, & quæ dolor inter lacrymas dictabat, libera voce proloquitur, tutelam simul & vindictam à Rege petendo. Utq; Regis animum inflecteret, Meinulphum puerum, quem triennem, aut quadriennem liberali vultu alebat, in conspectum Regis secum adducit. Annuit Rex postulatis, multumque injuriæ condolens, Meinulphum in tutelam suscipit; idque sollicitè statim agit, ùt puer sacro nondum lavacro regeneratus fonte baptismatis abluatur. Prona ad hoc mater filium offert, quem Carolus ipse sponsor è fonte baptismatis sustulit, & impensè Sacerdotibus educandum commendavit; qui exinde per ætatem maturior, ab Hathumaro Episcopo literis excultus, & in Clerum adscriptus, præclaræ indolis & sanctimoniæ specimem dare cœpit.

Annus Christi 784.

Hadriani Pont. 13.
Caroli M. Franc. Reg. 17.

Anno hoc Christi octogesimo quarto supra septingentesimum, ut primùm veris opportunitas adfuit, festinavit Carolus in Saxoniam, ad belli reliquias comprimendas, totamque gentem, quantum trans Visurgim ad Albim usque ripas incolit, armis subigendam. Quare exercitu ad Lippenheim, seu ad ostia Luppiæ influentis in Rhenum traducto per flumen, primorum latè Westfalorum pagos peragrat vastatque; explorando simul, an uspiam rebellium receptacula, & factionum capita reperirentur. Purgatàque Westfaliâ, ad Visurgim inferiorem castra movet, transiturus ad Albim, & Aquilonares Saxoniæ Regiones, quibus in Transalbianos, Holsatiam & Daniam se porrigit; quòd ex ijs oris Widekindus se infestus effunderet, profugusq; ex proximis prœlijs crederetur in Transalbianos & Nortmannos latitare, ad novas turbas conflandas: Verùm ab hoc consilio prohibitus est, fœda pluvijs anni parte, & aquarum inundationibus. Igitur reflexo in Orientem expeditionis consilio, in Thuringiam movet; filio interim Carolo cum parte exercitûs in Westfalia subsistere jusso. Prospera per æstatem utriusque expeditio. Nam Rex progressus in campestria Saxoniæ, ubi hæc Albi & Salæ fluminibus adjacet.

Ann. Franc. Carolus rursum Saxoniam ingreditur.

Ex eaque excedens filium Westfaliæ præfectum relinquit.

jacet, Sclavos compressit, & Saxones Orientales in fidem arctiùs astrinxit. Inde reducto ad Rhenum exercitu, Wormatiæ consedit. Caroli filius cùm inter Luppiam & Ruram ageret, & in pagum Draigin, quem Dreni alij vocant, iter ad Luppiam intenderet, rebellium Westfalorum copias occurrentes habuit, quibuscum equestri prælio commissus, felici eas dimicatione magnáq; clade obtrivit, exteris, qui se junxerant, in fugam actis dispersisq;. Inde Victor se Wormatiam ad patrem contulit.

Regressus deinde hyberna in Diœcesi Paderborn. habet.

Nec Carolus diu Wormatiæ quietus: nam cùm didicisset Westfaliam adhuc ex rebellionis incendio fumare, Widekindumque inter Transalbianos oberrare, non sine metu novæ concitationis, anno licet in hyemem prolabente, cum exercitu in Westfaliam properavit, certus hyberna inter Saxones agere, ne quid Widekindus Saxonesq; turbare auderent. Quam in rem montes Teutonicos ingressus, castra ad Ambram, in pago Huettagoe, ac juxta castrum Saxonum, quod Schidroburgum dixêre, posuit, ac Natalem Christi, in vico Luidi, quod Lude oppidum est, celebravit. Omnia hæc loca intra diœcesin Paderbornensem: conspiciunturque adhuc vestigia castrorum ad Schidram, quæ videre mihi licuit; ut vel inde Schiræ vel Schidræ in tutiori Saxonum munimento sedem Episcopi designasse Carolus videri possit inter Angrivarios. Quæ pars diœcesis vicis & incolis antiquitùs cultior fuit; monstraturque haud procul ab Ambrâ, quæ nunc Emmera dicitur, in edito monte aliud castrum Saxonum Harmesburgum, quod Arminij Cheruscorum ducis & Vari debellatoris tradunt. Rudera, vallorumque ruinas, & ad latus montis oppidi vestigia videas, utrimque istic claustra montium, Ambrâ per valles & agrorum planitiem interlabente. Ad Ludam etiam Pyrmontani fontes & acidulæ, naturæ beneficio & medicorum arte celebres, cujusmodi loca Carolus ad cultum urbium incolarumq; amare visus.

Annus Christi 785.

Hadriani Pontif. 14.
Caroli M. Franc. Reg. 18.

Atque hic dum Carolus ad Ambram castra habuit, populabundus Remam ad confluentes VVernæ & Visurgis accessit; tantò etiam cupidiùs, quòd Remam Pipini Regis Patrisque castris ac memoriâ celebrem didicerat, certus istic per Visurgim transportare exercitum ad Albim inferiorem. Obstitit consilio temporis asperitas, & hyems pluvijs aquisque fœda. Quare reflexo itinere per diœcesin Eresburgum movit; quâ in arce, cui Ægil urbem adjicit, hyberna delegit, evocatis uxore Fastrada & liberis, annonâque ex Francia per

Ann. Franc.

Rhenum

Rhenum advectâ. Ibi per hyemem Carolus substitit, & Pascha celebravit, quantùmque Ludam Natali Christi, tantum Eresburgum Paschate decoravit: utrumque verò locum Carolus intra diœcesin Paderbornensem descripsit; quæ vel inde illustrior etiam, quòd prima per Saxoniam hyberna Rex apud nos delegerit. Sed hoc ipso anno, qui Saxoniæ tandem optatissimus illuxit, multo illustrior Paderborna ex synodo, quam Carolus indixit. Nam postquam per hyemem cum exercitu omnem prope Westfaliæ regionem vastando peragrasset, terrore per rebellem maximè gentem circumlato; nec ulla Saxoniæ pars superesset, quæ imperium dominantis Regis detrectare auderet: Carolus Paderbornæ tam Episcopos & Franciæ proceres, quàm Saxonicæ gentis primores (qui ex Satrapis de nobilitate censebantur) omnemque populi senatum Paderbornæ convenire jussit; quò & ipse regiâ majestate & fulgore exercitûs conspicuus accessit. Hac in Synodo juratâ fide, gens omnis imperio Francico se submisit, & libertatem Christianæ religionis constanter recepit. Tum Carolus, quos evocârat Episcopos, suis sedibus cum potestate regiâ imponere, alias diœceses circumscribere, & Pastores evocare. Atque hoc anno ab hac synodo post longam discussam belli tempestatem Osnabrugensis Episcopatus Wihonem, Bremensis Willehadum (qui jam ab exilio redux Carolum Eresburgi convenerat) Mindensis Herimbertum, Verdensis Suitbertum, Halberstadiensis Hildegrimum, Mimigardevordensis Bernardum religiosum Abbatem, aliæ alios Pastores aut accepêre, aut recepêre. Tum & Paderbornensis Ecclesiæ vicaria cura Herbipolensi Episcopo est commissa, dum de certo Episcopo provideret Carolus. Atque inde jam Episcoporum Paderbornensium res gestas cum Vicario Episcopo ordiemur. Eòque certius etiam religionis Christianæ progressus trademus, quòd bellum Saxonicum intra Rhenum, Visurgim & Albim hoc anno post decimum tertium annum finitum sit. Nam etsi scriptores in trigesimum tertium annum illud extrahant; id exinde de ijs bellis accipias, quæ gessit contra Transalbianos, ac ceteras trans Albim gentes, Danos, Sorabos, Wilsos, & quotquot Sclavorum nomine censebantur barbari, infesti semper Saxonibus, qui aut Francico imperio, aut Christianæ religioni se submiserant, quibuscum adeo ad extremos vitæ dies Carolo bellum fuit. Ceterum pax Saxoniæ & libertas Christianæ religionis magis confirmata stabilitaque Widekindi ad sacra transitu. Quam in rem Carolus hoc ipso anno, post solutam Paderbornensem synodum, transmisso per Visurgim exercitu, ad pagum Bardegau, urbemque tum nobilem in agro Lunenburgensi (quam ceteri Bardewicum dixêre) profectus, ut cum Widekindo, quem inter Transalbianos apud Albionem ejus gentis ducem versari didicit, transigeret. Ibi igitur, ut Francorum annales perhibent,

Synodus Paderborn. IV. à Carolo celebrata.

Widekindus Dux Saxonum fit Christianus.

Annal. Eginardi. perhibent, *audiens Widekindum et Albionem esse in Transalbinâ Saxonum regione, primò eis per Saxones, ut omissâ perfidiâ ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cùmque ipsi facinorum suorum sibi conscii, Regis fidei se committere dubitarent, tandem acceptâ ab eo, quam optabant, impunitatis sponsione, atque impetratis, quos sibi dari præcabantur suæ salutis obsidibus, quos eis Amalvvinus unus Aulicorum à Rege missus adduxerat, cum eodem ad ejus præsentiam in Attiniaco villâ venerunt, atque ibi baptizati sunt,* incredibili totius Franciæ & Christianorum per Saxoniam gaudio. Tum verò, ut auctor vitæ Caroli memorat, Saxonia tandem subacta; quam exinde idem Carolus more Romanorum in provincias redegit, & inter Episcopos certo limite disterminavit, singulis suas diœceses certis limitibus circumscribendo, largéq; dotando, ut supra ex diplomate Verdensi vidimus. Post Episcopos & Sacerdotes introductos, singulis provincijs duces militares, Comites juris dicendi causâ, Marchiones limitum custodes, ceterique præfecti ac ministri impositi. cœpitque religio Christiana tanquam cum aureo pacis & felicitatis seculo florere, populis undique ad Baptismi fontem & Christianorum sacra confluentibus; qui exutâ sensim barbarie, Christianisq; legibus mansuefacti, miti Christi jugo præfracta collâ submisêre. Visaq; Saxonia non minus, quàm Francia & Anglia olim ex eâdem gente barbarâ, perfidiam, impietatem & pertinaciam superstitionis in constantiam fervoremque religionis commutare. Inde nunc diœcesis Paderbornensis, haud secus quàm ceteræ Carolinæ, Sacerdotum operâ liberè exculta, certa etiam & illustriora præsulum suorum exordia percenset.

Carolus Saxoniam in Diœceses & provincias distinguit.

VICARIVS
ANTE HATHUMARUM PADERBORNENSIS EPISCOPVS.

PRiusquam Hathumarus primus certusque Episcopus Paderbornensi Ecclesiæ imponeretur, cura administratioque descriptæ diœcesis, populorumque eam incolentium, commissa fuit Herbipolensis Ecclesiæ Episcopis, qui eam Vicario munere ad Hathumari ingressum administrârunt. Id cùm certâ majorum fide accepimus, tum Jdo presbyter, libro de translatione S. Liborij, quem rogatu Bisonis quarti Episcopi Paderbornensis conscripsit, ex viva eorum temporum memoriâ luculentè testatur. *Inter omnia enim,* inquit, *loca constituendis principalibus Ecclesiis in hac, de qua loquimur, provincia designata, Paderbornensis sedes speciali quadam dignitate præcellit;* eóque Carolus M. inter

Cura Diœcesis Paderb. Episcopo Herbipolensi committitur.

M. inter primas diœceses à se descriptas constitutasque Paderbornæ Episcopi sedem collocavit: seu loci amœnitate & celebritate captus, in quo tot synodos & conventus Principum habuit: seu vicinitatis opportunitate adductus; quòd Hassiæ jam antè Christianis legibus imbutæ, & Monasteriis cœtibusq; Sacerdotum florenti, Paderborna conjuncta esset, atque ex Hassia & Thuringia Sturmionem cęterosq; Sacerdotes & Monachos sæpius introduxisset in Paderbornensem regionem. Pergit deinde Ido presbyter. *In hoc igitur loco Paderbornensis Ecclesiæ sedes Episcopalis, tam Imperatoria sanctione, quàm Apostolicæ benedictionis auctoritate, primitùs constituta fuit, et aliquamdiu tuitioni Præsulum cujusdam castelli Orientalis Franciæ, quod sermone barbaro Wirtziburg appellatur, commendata permansit.* Eadem retulit auctor vitæ Meinwerci, idemque vetustus scriptor: Carolus, inquit, delectatus regionis situ, fontibus, agris, omnique, quam cum cultu humano desideres ubertate, pro publicis disponendis negotijs inibi sæpius est moratus: *positisque regali magnificentiâ principalis Ecclesiæ fundamentis, magno erga Deum dilectionis suæ indicio talem locum jure belli acquisitum magis Ecclesiastico, quàm proprio deputavit servitio. Cùm autem noviter factæ conversionis messis multa, novellæ verò plantationis operarii essent pauci, locum eundem tuitioni Præsulum Wirciburgensis Ecclesiæ commisit.* Post illos idem de vicario hoc munere, Episcopis Herbipolensibus imposito, scribit Gobelinus noster, Crantzius, & complures alij. Acciditque Ecclesiæ Paderbornensi, quod Monasteriensi. Nam cùm Carolus M. eâ tempestate non haberet statim idoneos viros, quos singulis locis Episcopos imponeret, Monasteriensi Ecclesiæ præfecit Bernardum quendam religiosum Abbatem; donec D. Ludgerus primus ejus loci fixusque Episcopus imponeretur: quod idem Hamburgi & Schidræ factum. *Vita D. Ludgeri.*

At nunc magna nobis controversia movetur, quis in Paderbornensi Ecclesiâ vicarium Episcopi munus ad Hathumarum primum Episcopum nostrum egerit. Nam cùm Ido Presbyter, Auctorq; vitæ Meinwerci, & * Gobelinus diœcesis administrationem attribuant Herbipolensibus Episcopis, nullo certo Herbipolensium Episcopo nominato; ceteri post illos scriptores Burchardo primo Herbipolensium Episcopo id vicarium munus tribuunt, ducti auctoritate scriptorum, qui Burchardum anno 791. 4. Nonas Februarij obijsse tradunt. Hi verò Auctores sunt Egilwardus, scriptor vitæ Burchardi, Vrspergensis, Albertus Stadensis, Bruschius, Baronius in Annalibus & Martyrologio, Bollandus, alijque; secundum quam scriptorum sententiam nihil vetat, quo minus etiam Hathumarus & Baduradus à Carolo M. obsides accepti, D. Burchardo Herbipolensium Episcopo in disciplinam dari potuerint, à quo deinde in religione Christianâ exculti, & in Clerum adscripti sint; id quod à nostris scriptoribus assertum est; cùm bellum

Controvertitur, quis Episcoporum Herbipol. Vicarium Diœcesis Paderb. munus gesserit.

* *ætat. 6. c. 31.*

bellum illud Saxonicum jam anno 772. cœperit, ab eoque tempore multi nobilium filij obsides in Germaniam & Franciam adducti sint.

Verùm hanc sententiam, quam nos hactenus probavimus, magnopere controversam faciunt Mabillonius & Carolus Cointius, clari in Gallia scriptores, [a] alter in actis sanctorum sui ordinis, [b] alter in Annalibus Ecclesiasticis Francorum; multisque contendunt, D. Burchardum ante D. Bonifacium excessisse è vitâ. Et cum Bonifacium constet anno 754. aut certè 755. martyrio vitam absolvisse, Burchardi vita ad annum 791. extendi non poterit, & quod inde consequitur, neque vicario unquam munere Paderbornensem Ecclesiam administrare, neque Baduradum & Hathumarum obsides à Carolo M. accipere Burchardus potuit, quippe qui jam dudum ante bellum Saxonicum è vita secundum hos auctores excessit.

a. *ad Secul. III. in not. ad vitam S. Burchardi.*
b. *tom. 5. ad an. Christi 754.*

Multa in hanc rem adferunt scriptores illi, quibus sententiam suam probabilem reddunt. Palmare eorum argumentum est ex auctoritate D. Ludgeri, quod is scribat in vita Gregorij Trajectensium Antistitis, post recensitos aliquot D. Bonifacij discipulos: *Duo autem ex illis electis Dei, Wigbertus et Burghardus, ante Magistrum suum migrârunt è seculo.* Et hunc illum Burchardum volunt Herbipolensem Episcopum, qui tamen Episcopi nomine non consignatur à S. Ludgero. Quare incertum an hunc Burchardum Episcopum, an alium ex Bonifacij discipulis designet D. Ludgerus; cùm nihil vetet duos ejusdem nominis fuisse D. Burchardos, quales duo Suitberti, duo Ewaldi, & duo Egberti. Ac mirum sanè, Burchardum Episcopum ante D. Bonifacium excessisse; cùm de tam celebris Episcopi morte & mortis anno nihil memoret Regino, nihil Hermannus Contractus, nihil Lambertus Schafnaburgensis, nihil Sigebertus, nihil alij, præter unum D. Ludgerum. Contrà sunt à nobis supra relati, qui ad annum 791. ejus mortem referant. Quòd verò Marianus Scotus scribat Burchardum anno DCCL. consecratum Episcopum, & novem inde annos præsedisse, prorsus evertit sententiam è S. Ludgero deductam, eò quòd ex his conficiatur Burchardum quatuor annis superstitem vixisse D. Bonifacio, quem anno DCCLV. obijsse constat.

In Westf. Christiana.

Alterum in hanc rem argumentum deducunt ex Megingozo sive Megingaudo, Burchardi in Herbipolensi sede successore; ad hunc enim venit Winibaldus Heidenheimensis Abbas tertio ante mortem anno, quam in annum DCCLXXI. conjiciunt. Nam de his vita Winibaldi habet: Venit ad urbem Wirtzburg, ibique allocutus est Megingozum Episcopum. Sed hæc sanctimonialis fœmina postea scripsit in Winibaldi vitâ, cùm jam Megingaudus seu Megingozus Episcopus esset, ideoque id nomen ex suo tempore illi attribuerit; præterquam quod incertum sit, quo anno Winibaldus excesserit è vita. At Willibaldus Eistadensis Episcopus, inquiunt, ante annum

DCCLXXXVI. librum à se in ceratis tabulis conscriptum de vitâ S. Bonifacij nuncupavit Lullo & Megingaudo Episcopo. Sed permittamus Megingaudum jam ab anno 780. vel 781. Episcopum fuisse, nihil hoc impedit, quo minus Burchardus ad hos annos pervenerit, & ab anno 772. belli Saxonici Hathumarum & Baduradum obsides acceperit in disciplinam, vixeritque per aliquot etiam annos sub Carolo M. post bellum Saxonicum; eò quòd Egilwardus scribat à Burchardo missum esse Landfridum Comitem, & è Clero viros ad Carolum M. qui sollicitarent pro Megingaudo sibi jam seni subrogando. Addunt præterea hi auctores Wandelbertum Prumiensem Diaconum, quòd is referat Lullum Moguntinum, Basilium seu Basenum Nemetensem, & Megingozum Wirtzeburgensem Episcopos convenisse rogatu Caroli M. ad elevationem S. Goaris, & dedicationem Basilicæ, quam Assuerus Prumiensis Abbas absolverat. At quo anno hæc dedicatio facta sit, incertum; quando alij ad annum 768. alij cum Browero ad annum 770. ante bellum Saxonicum referunt. Posset alius ad posteriorem annum aliquem referre, præsertim cum celebritas à Carolo M. jam regnante impetrata, nec à Wandelberto certus ejus dedicationis annus consignatus sit.

Wandelb. lib. 2. de S. Goare

Surius in vita ad 6. Jul.

Postremùm adjici posset, nullum Burchardi tam celebris Episcopi vestigium, nullamque mentionem vel in publicis conventibus & actis, vel in scriptorum monumentis constare à morte Bonifacij; ut vel eo probabile sit, Burchardum ante Bonifacium excessisse è vita, quod Ludgerum dixisse volunt. Sed illud à silentio scriptorum fragile argumentum. Imo Egilwardus scriptor vitæ S. Burchardi, ut supra retulimus, inter cetera ejus acta refert, missum esse à Burchardo Landfridum ad Carolum M. rursumque alios è Clero suo ad Lullum Metropolitanum Archiepiscopum, Bonifacij successorem, qui tam verbis quàm literis agerent, quo Megingaudus jam seni sibi & deficienti in cathedra Wirtzeburgensi subrogaretur. Ex quibus conficitur Burchardum ad Caroli M. regnum & bellum adeo Saxonicum vitam prorogasse, ut & Hathumarus & Baduradus primi postea Episcopi nostri à Carolo M. obsides accipi, & in disciplinam dari potuerint. Sed nunc rem omnem, quæ hîc agitur, ab Egilwardo, qui ex instituto vitam Burchardi descripsit accipiamus. *Quadraginta*, inquit, *annos laboravit Burchardus in vinea Ecclesiæ suæ.* Ac mox explicatiùs subjungit. *Obiit autem quarto nonas Februarij, anno Incarnationis Domini septingentesimo, nonagesimo primo; post acceptum verò Episcopatum quadragesimo.* Atque hi illi quadraginta Episcopatûs anni sunt, ab anno 751. ad 791. deducti. Quam in rem eruditè Serrarius: Burchardus, inquit, jam anno etiam 742. à S. Bonifacio designatus fuit Episcopus; & priusquam Herbipolensis Episcopus consecraretur, Episcopi munus docendo egit; sicut & ipse Bonifacius diu ante, & alij fecerant; donec

Lib. 3. hist. Mogunt.

donec Burchardus demum à Zacharià Pontifice, vel ab ipso Bonifacio anno 751. consecratus Episcopus solenni ritu introduceretur in urbem Herbipolensem. Quare idem Egilwardus: *Acta est hæc nova institutio novi Pontificatûs apud urbem VVirceburg anno Dominicæ Incarnationis 751.* Quæ cùm tam accuratè ab Egilwardo consignata sunt, conficitur Burchardum, tam à consecratione quàm institutione numerando annos, ad 791. superstitem fuisse; ideoque ab anno 772. quo bellum Saxonicum cœpit, potuisse ei Hathumarum & Baduradum nostrum acceptos obsides dari in disciplinam, & Paderbornensem Ecclesiam ab anno 785. ad 790. vicaria administrationis cura committi; viro cumprimis, qui per tot annos cum D. Bonifacio, in Apostolico munere versatus, famâ sanctitatis inclaruerat. Quare nec chronologia, uti à Gallis hisce scriptoribus de Megingaudo Burchardi successore constituitur, satisfaciet. Fatentur enim Megingaudum sive Megingozum, quod Egilwardus simul scripsit, à morte Burchardi Herbipolensem Episcopatum annis xv. administrasse; cui Bernwelfus subrogatus Episcopatum Herbipolensem gesserit annos VII. Jam verò si Burchardus ante Bonifacium excessit è vita, ante annum videlicet 754. aut 755. ab eoque anno Megingaudi Episcopatus per xv annos protrahendus sit, neque Megingaudus regnum Caroli M. & bellum Saxonicum, quod anno 772. cœpit, attingere, neque ipse etiam Hathumarum & Baduradum primos Episcopos Paderbornenses accipere in disciplinam potuit; maximè quòd Cointius scribat, Megingaudum anno 769. Wirceburgensi se Episcopatu abdicasse, & in Bernwulfum, à quo multùm vexatus erat, transtulisse, eoq; anno in Monasterium Neustad, quod erexerat, secessisse: cùm tamen constet ex veteri chronico Franconiæ, quod nobiscum P. Joannes Gamansius communicavit, Bernwulfum, successorem Megingaudi, ac tertium Herbipolensem Episcopum, missum ante Episcopatum suum in Saxoniam, & per aliquot annos Paderbornensem Ecclesiam vicario Episcopi munere administrasse. Quod certè tempore Caroli M. post subactam Saxoniam hoc, de quo egimus, anno 785. fieri oportuit. Quare non modo Burchardi, sed & Megingaudi successoris, ut ab his statuitur, chronologia vacillat; quam non facilè compones, nisi utriusque Episcopatus extendatur, & per Megingaudum ad multos etiam Caroli M. annos pervenias; quem tamen illi anno 769. ante Caroli M. regnum & bellum Saxonicum, Episcopatu se abdicasse scribunt; ac Berwulfum subinde subrogatum, per VII annos Episcopatum Herbipolensem administrasse. Admittunt præterea Galli scriptores Megingaudum per xv annos Herbipolensem Episcopatum gessisse, quòd Egilwardus id scribat; & tamen Egilwardo fidem abrogant, qui Burchardum 791. obijsse scribit. Contra Bruschius Megingaudo tantùm tres annos gesti Episcopatus

ſcopatûs tribuit, ac deceſſiſſe 795. cui per id tempus ſucceſſerit Bernwulfus. Id veriſimilius reputo, quòd eo anno Hathumarus Paderbornenſi Eccleſiæ demum certus fixuſque Epiſcopus impoſitus ſit, ut mox oſtendemus. Itaque eo anno Bernwulfus ex diœceſi Paderbornenſi,atq; ex vicario Epiſcopi munere Herbipolim revocatus fuerit, cùm illi ſuccederet Hathumarus. Sed hæc multò exactiùs ex chronologia Herbipolenſium Epiſcoporum ab ipſis Herbipolenſibus exſpectamus. Ac dum certiora proferantur, Egilwardo potiùs inhærendum arbitror,quod idem Serrarius vir longè eruditiſſimus fecit; tum illis etiam,qui mortem Burchardi ad annum 791. retulêre.

Interim quoquo modo ſe iſtæ diſcrepantes de Burchardo & Megingaudo habeant ſententiæ, nihil derogant veritati Paderbornenſis hiſtoriæ; eò quòd Jdo presbyter, Auctor vitæ S.Meinwerci, Gobelinus, atque alij tantummodo memorent procurationem Epiſcopatûs Paderbornenſis vicario opere à Carolo M.commiſſam Herbipolenſibus Epiſcopis ; ſive jam inter illos Epiſcopos cenſendus Burchardus,quod alij ſupra relati tradunt; ſive Megingaudo,ſive alij etiam adſcribendum ſit,qui id vicarij Epiſcopi munus ad annum 795. geſſerit,quo Hathumarum certum fixumque Epiſcopum Paderbornenſi Eccleſiæ impoſitum dicemus.

Igitur Bernwulfus, qui ab alijs Bernwelfus ſcribitur,ſive hoc anno 785. ſive ſequenti aliquo, primus poſt Sturmionem Abbatem,ut ſuprà diximus, miſſus Herbipoli in Saxoniam ſtabili labore vineam Paderbornenſis Eccleſiæ excolere cœpit; adductiſque ſecum Sacerdotibus ex Clero,diœceſin in Parochias dividere,ſingulis ſuos Paſtores imponere, templa & ſacella erigere,populi cœtus colligere,eundemque pro concione liberè docere,Clerum Paderbornæ formare, & honorificentiori in loco ſedem Epiſcopi, quæ priùs Heriſtalli memoratur fuiſſe,collocare,omnia demum pro vicario Epiſcopi munere adminiſtrare; quemadmodum hæc ex vetuſto Franconiæ chronico accepimus. Vir enim memoratur cordatus,fervidus, magnuſque religionis & Cleri propugnator: qui & Monachos Herbipoli ex cathedrali Eccleſiâ ejecit, quos Burchardus & Megingaudus Epiſcopi introduxerant. Quo inſtituto primum quoque Paderbornæ collegium Sacerdotum congregare cœpit; ut magnoperè fallantur,qui per Saxoniam Collegia Cathedralia ex Monachis componunt; quando Oſnabrugi,Halberſtadij,Mindæ,Monaſterij,Verdæ,Hildeſij, Bremæ à primis eorum Epiſcopis, juxta prima religionis per Franciam & Germaniam inſtituta, nonniſi Canonicorum & Clericorum in primarijs Eccleſijs congregationes introductæ. Hinc cùm Bremæ D. Willehadus Sacerdotum ac clericorum cœtum primò inſtituiſſet,ac poſtea ab Anſgario reliquiſque Archiepiſcopis ex Corbejenſi Monaſterio electi Monachi ſimul introducti eſſent in majorem Eccleſiam;

Bernwulfus Eccleſiæ Paderborn. adminiſtrationem ſuſcipit.

Vnwanus Bremensis Archiepiscopus, è choro Paderbornensi assumptus (uti id Adamus Bremensis scribit) primus omnium congregationes ad canonicam traxit regulam, quæ antea quidem mixtâ ex Monachis & canonicis conversatione degebant.

Annus Christi 786.

Hadriani Pont. 15.
Caroli M. Franc. Reg. 19.

Widekindus jam Christianus in Saxoniam reversus magno adjumento est religioni Christianæ.
Ann. Franc.

Ad hæc prospera & læta religionis exordia, Paderbornensi Ecclesiæ nostræ à Bernwulfo facta, accessit altero pòst anno magnum adjumentum præsidiumque Widekindus M. Nam postquam is cum Albione primario Saxonum Transalbianorum Duce, ceterisque proceribus Attiniaci fonte baptismatis ablutus esset, Paschaque cum Carolo M. incredibili totius Franciæ & Germaniæ gaudio celebrasset, jam in longè alium virum commutatus rediјt in Westfaliam, & quam Christi religionem tot annis acerrimè oppugnârat, ipse & Albio ac ceteri Westfaliæ proceres, Christianis sacris ac legibus imbuti, ferventissimè propugnare ac dotare aggressi sunt. Nihilque antiquius exinde habuit Widekindus, quàm ut intra sacros diœcesis nostræ limites in vico Engern ad paternam arcem Basilicam cum Collegio Canonicorum D. Dionysio consecratam conderet, largèque dotaret. Hæc illa Basilica, in qua hodiedum magnificum ejus sepulchrum & Mausoleum conspicitur. Idem postea Mindæ, in quâ amplissimas bonorum possessiones arcemque habuit, fecisse memorant eorum annales; ut jam libera tandem Christi religio, post longas illas bellorum tempestates, ubique per Westfaliam & Saxoniam doceretur, templa consurgerent, populi ad fontem Baptismi & cœtus convenirent, proscriptoque Idolorum cultu sacra Christi triumpharent.

Annus Christi 787. &c.

Hadriani Pont. 16. &c.
Caroli M. Franc. Reg. 20. &c.

Carolus Pascha Romæ cum Pontifice celebrat.
Ann. Franc.
Anast. in vita Hadriani.

Carolus interim profectus Romam Pascha cum magna celebritate peregit cum Adriano Pontifice, præterq; cetera tractavit cum eodem de firmandis per Saxoniam Episcoporum sedibus, cultuque religionis proferendo; quod jam Widekindi, Albionis, ceterorumq; procerum (quorum Baptisma & transitum ad Christi sacra magno cum gaudio Pontifici exposuit) securus esset; ut non sine causa scripserit Anastasius de hac tertiâ profectione congressuque cum Pontifice, Carolum Pascha magna cum hilaritate cum Adriano Pontifice celebrasse

brasse. Inde Rex, ut Francorum annales memorant, adoratis sanctorum liminibus, votisq; solutis, & Apostolicâ benedictione perceptâ, in Franciam est reversus. Et quæ lætiora vota esse poterant Carolo, quàm post tot cruenta & atrocia bella Saxoniam in quiete possidere? & quam toties Christo & S. Petro voverat, nunc victam debellatamque, & in religione Christianâ quiescentem licuisse offerre?

Postquam in Germaniam est reversus, Wormatiæ celeberrimum omnium ordinum populorumque conventum habuit, in quo Principibus exposuit, quæ Romæ transegerat. Atque ut primum illic Saxonicum bellum anno 772. ex Principum sententiâ decretum cœptumque est; ita confecti hujus belli, conditorumq; Episcopatuum ex approbatione Pontificis ratio est reddita, applaudentibus omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & Principibus Regni Francici. Wormatiæ comitia Principum habet.

Quieta exinde Westfalia Saxoniaque omnis ad annum 794. mirificèque Christi religio per omnes Episcopatus & regiones propagata confirmataque floruit; quòd jam singulis locis sui Episcopi impositi diœceses in Parochias divisissent, populum ab inanium Deorum cultu ad fontem Baptismi & Christianorum sacra traduxissent; subversisque fanis & Idolis, ubique templa & sacramenta admirabili populi concursu & lætitia frequentarentur, ex quo Carolus M. victor, & Widekindus Christianus religionem firmaverant.

Annus Christi 794.

Hadriani Pont. 23.
Caroli M. Franc. Reg. 27.

At ingens hoc anno per Westfaliam tempestas coörta, quâ omnis prope Evangelij labor messisque in periculum venit. Nam per Caroli absentiam, ex quo ille Bavaricis Hunnicisque motibus atque Regni negotijs impeditus, Westfaliam cum exercitu intra aliquot annos non reviserat, ausa gens, ceteris semper pertinacior, procerum rebellione ad arma convolare. Et jam formidabilis populi multitudo confluxerat, turbatura omnia, ni Rex de periculo edoctus maturè occurrisset. Itaque Synodo, quæ Francofurti agebatur, finitâ, sepultâq; Moguntiæ ad S. Albanum Fastradâ Reginâ, *Carolus* (ut hæc Francorum annalium verbis referam) *bipartito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, ut ipse cum dimidiâ copiarum parte ab australi plagâ instaret; Carolus verò filius ejus cum alia medietate Rhenum apud Coloniam trajiceret, et in eandem regionem ab Occidente veniret. Quo facto, licet Saxones in campo, qui Sintfelt vocatur, quasi prælium cum Rege commissuri consedissent, ibique adventum ejus operirentur, amissâ victoriæ spe, quam sibi paulò antè falsò pollicebantur, ad deditionem omnes conversi sunt, victique* Annal. Francorum. Westfali rebelles à Carolo M. in campo Sintfelt domantur.

sine prælio victoris potestati se subdiderunt. Dati obsides, et fides jure jurando confirmata; captivorum pars domum remissa, pars ac tertius quisque Saxonum, ut Annales alij referunt, *per Franciam et alias regiones dispersi.* Tanta nimirum consternatio erat, ultro etiam ut sese ad Christianam religionem offerrent, veriti scilicet, ne quâ ad Aleram perduelles plexi essent severitate, & ipsi acciperentur. Postrema hæc rebellionis procella fuit, postremumq; cum Saxonum gente bellum; ex quo tempore Rex deinde Saxoniam quietam & in Christiana religione securam florentemque habuit. Campus Sintfeldt intra Dimolam & Almam fluvios hujus diœcesis, agerque frumentarius in vasta planitie etiamnum apud nos id nomen retinet, monstratque victoriæ trophæa: quæ ob id à *FERDINANDO* Principe & Episcopo inter Monumenta Paderbornensia celebrata. Haud procul inde Eresburgum ad Dimolam conspicitur, ubi belli pro Christiana religione initia; ubi & per eadem diœcesis loca in campo Sintfelt felicissimus belli Saxonici victoriæq exitus fuit. Pacatâ Westfaliâ, Carolus Aquisgranum discessit ad hyberna, ubi sacras Natalis Christi & Paschatis deinde ferias habuit. Nec dubium etiam fecero, quin Carolus ante discessum ex Westfalia, ex vicino diœcesis loco Paderbornam inviserit, ac de statu certoque Episcopo prospexerit.

Annal. Pithœi.

Annus Christi 795.

Hadriani Pont. 24.
Caroli M. Franc. Reg. 28.
Hathumari Ep. Pad. 1.

Carolus, Synodo Moguntiæ habitâ, in Saxoniam redit. *Annal. Fran.*

Enim verò anno insequente, qui Christi erat nonagesimus quintus supra septingentesimum, Carolus *convocato generali*, ut Francorum annales referunt, *conventu trans Rhenum in villa Cuffenstein, quæ ad Mœnum è regione Moguncíaci urbis sita est*, consilium habuit cum Episcopis & proceribus (ut in ejusmodi comitijs fieri moris est) de statu Saxoniæ; quòd gentis perfidiam ex superioris anni rebellione suspectam haberet. Quo haud dubiè Herbipolensis Episcopus Bernwelfus cum ceteris evocatus; agitatumque de Episcopo Paderbornensi Ecclesiæ imponendo, cùm jam Bernwelfus ex vicario Episcopi Paderbornensis munere Herbipolensis electus ac præstitutus esset. Igitur synodo apud Moguntiam expeditâ, Carolus transmisso per Rhenum exercitu, in Saxoniam properavit, quam hac expeditione *totam penè populando peragravit* (quemadmodum hæc Francorum annales perhibent) ad castigandam prioris anni perfidiam, reliquiasq; rebellium comprimendas; ne quid deinceps periculi aut turbamenti Christi religio ex suo flore fructuque subiret. Quæ cura ante Regni

negotia

negotia Carolo semper proposita fuit, ex quo Saxoniam Christo & B. Petro obtulit. Quam in rem per Ecclesias & dioeceses Westfaliæ ipse coram omnia cum Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, Alcuino, ceterisque Sacerdotibus diligenter ordinavit. Et verò cùm in hac Westfaliæ peragratione Rex verisimiliter Mimigardevordiam adierit, dispositis ijs, quæ ad res Ecclesiæ illius D. Ludgerus jam ab anno DCCLXXXVIII. impositus desiderabat; tum etiam Paderbornensi Ecclesiæ de Pastore suo provisum est, uti jam planiùs referemus.

B. HATHUMARUS, I. Episcopus Paderbornensis.

HAthumarum, quem alij cum Cratepolio Hadumarum, alij vitiosè cum Crantio Harimarium dixêre, primum fuisse statum certumq; Paderbornensem Episcopum, tam indubitatâ Majorum fastorumque fide accepimus, quàm alij primos suos Carolinos Episcopos nobis exhibent; quod & Crantzius agnoscit in [a] Metropoli; tametsi immemor sui in libro de [b] Saxoniâ scribat, D. Liborium à Carolo M. præstitutum esse Paderbornæ Antistitem; quem tamen constat tot retro annis, Gratiano & Theodosio Augustis, Cenomannis in Gallia sedisse Episcopum. Sacrum Liborij corpus magnâ celebritate cultuq; posterorum, Badurado II. Paderbornensi Episcopo, Paderbornam translatum referemus. Nemo Liborium unquam hujus loci Episcopum agnoscit.

a. lib. 1. c. 11
b. lib. 2. c. 16

Ceterum Hathumari in Episcopatu exordia ad hunc annum nonagesimum quintum hujus seculi certis scriptorum testimonijs reducimus. Nam vetus chronicon Franconiæ editum à Paulo Bolando, *Anno*, inquit, *795. regio omnis, quæ Paderbornam circumjacet, quæque Wirtzeburgensi Episcopatui addicta erat, in peculiarem Episcopatum est divisa, eique Hathumarus ex clero Wirtzeburgensi primus Episcopus præfectus, idque post victoriam Caroli adversus Saxones, quorum magna pars in Franciam est abducta.* Conveniunt in hunc annum aditi Episcopatûs Gobelinus, Crantzius, Bruschius, Browerus, Kersenbrochius, alijq; quos inter Serrarius in historia Moguntinensi, cùm, inquit, circa Domini annum DCCXCIV Paderbornensis Episcopatus erectus est, Buriburgensis à D. Bonifacio institutus desijt, nimirum ob vicinitatem loci. Unde post omnia hæc Hassiæ loca jurisdictioni Episcopi Paderbornensis comprehensa fuêre. Causam præterea annumque hujus ingressûs in Episcopatum multò explicatiùs certiùsq; retulit Auctor vitæ Meinwerci Episcopi nostri. *Cùm noviter*, scribit ille, *facta conversionis*

Primus Ecclesiæ Paderbornensi Anno 795. Episcopus impositus B. Hathumarus.

versionis messis multa, novellæ verò plantationis operarii essent pauci; Paderbornensem Ecclesiam commisit Carolus tuitioni Præsulum VVirciebergensis Ecclesiæ; sub quorum regimine status ipsius nec profecit, nec longa via intercapedine, publicâque variorum negotiorum necessitate proficere potuit. Unde Rex, cum suis habito et inito consilio, eundem locum proprij Pastoris vigilantiâ tuendum et gubernandum adjudicavit; præposuitque ei anno Salvatoris mundi septingentesimo nonagesimo quinto præfatæ VVirciburgensis Ecclesiæ Canonicum, rus rudis in fide adhuc populi exculturum Hathumarum. Jam ante hunc scriptorem longè vetustior Jdo Paderbornensis Presbyter, qui Bisone quarto Episcopo translationem D. Liborij conscripsit, hæc tradidit; nam postquam has easdem causas instituti Hathumari in Episcopum retulisset, *quocirca*, inquit, *meritò utilius visum est, hanc sedem suum per se habere Antistitem, qui non alibi occupatus, hîc tantùm agendis rebus præsens insudaret. Erat tum temporis in Clero VVirtziburgensi vir magnæ humilitatis atque modestiæ, Hathumarus nomine, de gente nostrâ, hoc est, Saxonicâ oriundus: qui cùm adhuc puer esset, belli tempore Carolo Imperatori obses datus, illic servari jussus est; ubi postea tonsuratus, ac studiis literarum traditus, in virum perfectum moribus et eruditione profecit. Hic ex præcepto Principis primus est Paderbornensis Ecclesiæ ordinatus Episcopus. Post cujus ordinationem paucis annis transactis, idem gloriosissimus Princeps ab hac luce migravit.* Neque hæc derogant Chronologiæ, ex qua Hathumarum hoc anno Christi nonagesimo quinto institutum Episcopum dicimus; quando hic auctor de anno ordinationis & consecrationis in Episcopum agit, quam ante obitum Caroli, qui anno 814. excessit è vita, hîc factam refert. Nihil enim infrequens per hæc tempora, Episcopi munus ex Sacerdotis ordine & jurisdictione sacrâ agere: quemadmodum D. Willehadus septem; D. verò Ludgerus duodecim annos id munus ex presbyteri gradu administrârunt, priusquam Episcopi consecrarentur. Et verò si Hathumarus inter primos obsides belli, quod anno 772. cœptum, adhuc puer aut adolescens, non ultra viginti annos in Clerum cooptatus censeri potest, cùm anno nonagesimo quinto Episcopatum adiret; potuitque tam ab ætate, quàm ex submissione prorogationem consecrationis obtinere, eò etiam, quòd tum multi per Saxoniam consecrati Episcopi adessent.

Vita D. Willehadi. Vita D. Ludgeri.

Gente Saxo, nobili familia oriundus, & virtute insignis.

Igitur Hathumarus ex prima Saxonum nobilitate, quales obsidum adolescentes aut juvenes erant Carolo dati, primus etiam è Saxonum gente inter Carolinos Saxoniæque Christianæ Episcopos conspectus fuit. Crediturque id Carolus dedisse gentis honori ac bono, quo Saxonum animos sibi conciliaret, dum viderent ex sua gente summum inter eos Sacerdotem creari, imponiq; popularibus suis regendis. Et vir maturè probatæque virtutis erat Hathumarus, ex quo à primis innocentiæ annis D. Burchardo inter Obsides adolescentes

lescentes in disciplinam est transmissus, excultusq; Herbipoli in Collegio Clericorum, quod florentissimum erat. Hausit in eo sanctissimi sui Magistri doctrinam vitæque institutum, uti Burchardus ipse à D. Bonifacio atque in Anglia à religiosissimis Regni illius viris didicerat. Quocirca non alio instituto religio & disciplina Cleri Paderbornam introducta, quàm à Burchardo Hathumarus acceperat, Præsul integritate vitæ, morum gravitate, eruditione rerum sacrarum, concionandi facundiâ, fervore proferendæ religionis, prudentiâ in tractandis animis, & quod ante omnia commendant scriptores, modestiâ ac submissione animi jamtum in Clero Herbipolensi conspicuus. Quem uti Burchardus in hanc spem educârat, ita Bernwelfus, ex quo Vicariam Paderbornensis Ecclesiæ administrationem, susceptâ per hæc tempora Episcopatûs Herbipolensis præfecturâ, dimisit, ut familiarem suum Carolo imprimis Regi commendavit. Et Carolus quam superiori anno debellatis in campo Sintfeldico Westphalis, Paderbornam accessit, rursumque hoc ipso anno Moguntiæ ad Rhenum conventum Episcoporum, moderantibus Richolpho Moguntino & Hildebaldo Coloniensium Archiepiscopis, habuit, atque inde Westfaliam est ingressus ad disponendas res sacras, quæ in Synodo decretæ erant; Hathumarum simul Paderbornensi Ecclesiæ præfecit Antistitem, auctoritate Richolphi Moguntini Archiepiscopi, cujus Metropolitanæ sedi Episcopatus hic addictus subjectusque. Atque ut Lullus ante ipsum, quod Baronius agnoscit; ita Richolphus, aut certè Hildebaldus, in hac causa legati Apostolici munere perfunctus est; quando Principum est nominare Episcopos, sacræ verò altiorisq; potestatis est dare. Et Carolum, ut proprium statumq; Paderbornæ Episcopum acceleraret, multa urgebant, Cleri imprimis sollicitantis populique preces; longa deinde & molesta Herbipolim facienda itinera, priusquam aut responsa aut auxilia adessent, aut Episcopus inviseret; demum exempla aliarum circa diœcesium, quæ suos singulæ Pastores haberent, eòque magnis incrementis Religio in illis proferebatur. Raro enim videas tam impensè sincereque vicario Pastoris oculo, quàm proprij, gregem pasci. Quo factum, ut cùm in alijs diœcesibus res sacræ felici ordinatoque cursu procederent, hîc, ut ab Idone Presbytero & Autore vitæ Meinwerci relatum, sisterent. Quæ omnia accessu Hathumari, ut ijdem scriptores perhibent, magno cum fructu progressuque religionis immutata sunt. Nam postquam cum auctoritate Episcopi munus adijt, nihil impensius habuit, quàm descriptam à Carolo diœcesin circuire: lustrare cœptas parœcias, alias ad cœtus populi ordinare: populum pro concione docere, Baptismi fonte abluere, advocare aliunde Pastores in partem laboris: Collegium Canonicorum Paderbornæ condere, implereque Clericis, ex quo tanquam ex seminario religionis Sacerdotes doctoresque incultæ

B. Hathumari sacri labores.

cultæ plebis produceret; scholas ubique per diœcesin instituere, quibus juventus cum elementis literarum Christianæ legis rudimenta simul disceret: sacrilegos in lucis conventus interdicere, Idola confringere, sacrificia impia ritusque superstitionis proscribere, fana subvertere, & in horum locum Christianorum templa construere.

Exstruitur Paderbornæ Ecclesia Cathedralis,

Inter has sacrarum ædium structuras, immortalis memoriæ, Basilicæ Paderbornensis & cathedralis Ecclesiæ opus, quod ad Carolum M. & Hathumarum se refert: sive jam illa fuerit Basilica, ut Gobelinus & ex eo Crantzius refert, quam Carolus M. primùm Paderbornæ exstruxit, postea inter sævientia adhuc bella à Saxonibus injecto igne combustam: sive etiam super posita à Carolo fundamenta novam aliamq; magnificentiùs Basilicam Hathumarus educere cœperit; quod Auctor vitæ Meinwerci visus est indicare, probatque Christophorus Browerus; eò quòd fabricâ quarto Hathumari anno nondum ad culmen perductâ, Leo Pontifex in crypta hujus Basilicæ reputetur altare S. Stephani consecrasse. Acta Liboriana in Ecclesia recens constructâ tantùm altare à Leone consecratum memorant, quæ Ecclesia dici potuit, etsi nondum ad fastigium ascenderit. *Fuit et alia ædes sacra à Geroldo Caroli M. Imperatoris consanguineo et signifero exstructa, ac B. Virgini dicata, quæ juxta principale Monasterium*, seu Collegium Canonicorum, uti tum collegia illa ex communis vitæ cultu vocabantur, *constitit. Huic contiguam postea Capellam per Græcos operarios adstruxit Meinvvercus, eamque in honorem S. Bartholomæi Apostoli dedicavit*: Quemadmodum hæc Auctor vitæ Meinwerci retulit. Ædes illa D. Bartholomæi hodiedum superst ad descensum Basilicæ turrisque, elegans, ut tum opere Græcanico per Meinwercum constructa fuit. Visitur quoque Geroldinæ ædicula adhuc, quantum æstimes, cryptæ in modum & fornici substructa, inhæretque ædi D. Bartholomæi ex adverso ad ingressum procensa, opere rudi & pervetusto, ut tum impolitum fabricæ seculum obscura fana sua struebat. Meinwercus Episcopus ut Geroldinam ædiculam illustraret, alteram hanc illi Græcanico opere adjecit, unoque structuræ tecto utramque complexus est. Antiquissimum hoc monumentum est, quod cum altari S. Stephani ex crypta Basilicæ monstrat Paderborna; quamvis utrumque ex situ & neglectu antiquitatis magis, quàm ex prisca majorum pietate aspicias. Ad Geroldinam ædiculam Carolus M. magnificentius templum erexit, quod haud multò post Saxonum rebellione exustum est; donec victo Widekindo, belloque confecto, Basilicam opere multo solidiore molitur; quam Hathumarus Caroli magnificentia eduxit ad tectum, & Baduradus successor demum perfecit & dedicavit; dum interea Geroldina ædes, quæ tempore Meinwerci superstes fuit, sacris operandis deserviret. Utraque ædes, tam Geroldina, quàm Carolina, B. Virgini dicata,

In Not. ad vitam Meinvverci.

Et alia Geroldina dicta, cui postea ædem S. Bartholomæi adjecit B. Meinwercus.

Vita Meinvverci n. 48. apud Brovv.

Auctor. vitæ Meinvverci.

dicata, quam patrocinij Divam à Caroli ævo ad hunc diem colit Cathedralis Ecclesia; cui postea Kilianus ex Ecclesia Herbipolensi, & Liborius deinde ex transvecto illatoque corpore tutelares patroni accessêre. Utraque etiam ædes supra nativam petram fontesque Paderæ constructa, quos per abditos meatus canalesq; centum ostijs ac rivis in duos demum alveos confluentibus effundi conspicis. Ibi cùm Carolus toties consederit, conventusque populi habuerit, iteratóque hominum multitudo ad Baptismum se obtulerit, idem Carolus ac Geroldus ædes hasce sacras, & in his salutaris undæ fontes erexêre. Sanè verò Geroldus Comes Saxoniam non minùs cum animo complexus, quàm Carolus, ut gentem Christianam faceret. Erat is Hildegardis, quæ prima Caroli conjux fuit, frater ac militiæ præfectus; vir tam præclarâ in Deum religione, ac pietate in B. Virginem, quàm belli gloriâ inter Francos præstans, Caroloque ob navatam in bello Saxonico operam percarus; quem ob id toties Boiariæ præfectum dixit, atque anno ab hoc quarto, Christi videlicet 799. ex prælio belli Hunnici, quo fortiter pugnando heros occubuit, magno luctu prosecutus est. Nec desunt qui inter Divos connumerent; quippe qui sacro adversus Barbaros bello vitam cum sanguine fuderit, uti de hac ejus laureâ cœlitus quidam edoctus perhibetur. Multis hunc præter Reginonem celebrant Boici scriptores, & genere Suevum fastis suis adscribunt. Saxonum semper amantissimus, fidem eorundem erga se mutuam amoremque expertus est, cùm Saxones milites è prœlio cæsum humeris suis exportârunt. Diversus hic Geroldus (secus quàm Browero fortè visum) ab illo, cujus sepulchrum Corbejæ ad Visurgim visitur. Alter in Augiæ cœnobio miles humatus, alter apud nos sub Ludovico Pio ex milite Monachus ac Diaconus, de quo tempori memorandum.

Geroldi genus, virtus, obitus.

Annal. Franc. ad an. 799.

Annus Christi 796.

Leonis III Pont. 1.
Caroli M. Franc. Reg. 29.
Hathumari Ep. Pad. 2.

Basilicæ, de quâ diximus, Hathumarus deinde eâdem Caroli M. beneficentiâ adjunxit Collegium Canonicorum, quod Auctor vitæ Meinwerci vocat *nobile principalis Ecclesiæ Monasterium, præcipui operis et decoris, à Carolo M. fundatum, quòd à Badurado Episcopo consummatum est.* Cœpitque Hathumarus ædificium in eam habitationis formam erigere, qualis per Franciam & Germaniam ad communem in clero vitam tum florentem apta erat, claustris & Monachorum cœnobijs haud multum dissimilis, temploque continenti structurâ inhærens,

Hathumarus Collegium Canonicorum Paderbornæ condit.

inhærens, ex qua ad chorum & communem triclinij mensam descendebatur. Quamobrem passim à scriptoribus Monasteria, haud secus quàm Monachorum, appellantur: uti Auctor vitæ Meinwerci, vocat Monasterium Principale, distinctum à Monasterio Abdinchoviano Monachorum ordinis D. Benedicti; atq; Jdo presbyter Clerum Paderbornensem sub disciplina Monasteriensi vixisse scribit tempore Baduradi II Episcopi nostri. Ita Collegium Canonicorum Ultrajectense à Willebrordo institutum, quod sæpè in diplomatis Cæsaris Monasterium legas. Nihil apud scriptores frequentius, ut supervacaneum hoc velle commonstrare. Ex quo vocis usu urbs & diœcesis Monasteriensis à celebri rum apud illos Monasterio, quod Canonicorum erat Collegium, etiamnum nomen suum retinet. Extat hodiedum magnificum in quadro ædificium choro Basilicæ circumpositum, seu illud ab Hathumaro & Badurado, seu ad primam Collegij formam splendidius ab incendio à Rhotario & Meinwerco exstructum sit. Circum in inferiore parte peristylia, in medio cœmeterium Clericorum, supra dormientium & literis studijsque vacantium cubicula, singula suis habitaculis discreta. Ac nescio an ullibi Clericorum in communi olim viventium illustriora magis certioraque vestigia. Quemadmodum tota vitæ institutique Clericorum ratio in concilio Moguntino sub Carolo M. explicatè satis descripta est, ut vel ex Canone IX. satis cognoscas, quo in hunc modum sancitur à Patribus. *In omnibus, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam, et documenta sanctorum Patrum, et nihil sine licentia Episcopi sui vel Magistri eorum agere compositè præsumant in unoquoque Episcopatu: et ut simul manducent et dormiant, uti his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, et in suo claustro maneant, et singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, et audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, et obedientiam secundum Canones suis Magistris exhibeant.* Et quæ in hunc modum multis præscribuntur. Huic Concilio, quod anno Christi DCCCXIII. celebratum est, Hathumarum quoque Episcopum cum Ricolpho suo Metropolitano interfuisse non ambigo. Quantum nunc falli videas eos, qui Collegia Cathedralium ædium, à Carolo M. per Saxoniam condita, Monasteria cœnobiaque fuisse, ex claustris vitæque communis similitudine, opinantur; cum longè aliud sit institutum Clericorum, aliud Monachorum. Quod etiam multò confirmatius recognoscas ex hujus Concilij ordine atque consessu, qui in tres classes & turmas distributus memoratur. In quarum primâ consederint Episcopi cum Sacerdotibus, præscripserintque legem Clericis. In altera consederint Abbates cum Monachis, & tractârint institutum D. Benedicti. In tertia consederint Comites & Judices, rerum civilium causas sanctionesque

ctionesque disquirentes. Quid nunc Clericis cum instituto Monachorum, ut in hunc ordinem istos Caroli ætate velis compingere? aut primas Cathedralium Ecclesiarum origines per Saxoniam ex Monachorum cœnobijs arcessere? tametsi primas illas sedes alibi quandoque obtinuerint. Sanè in Paderbornensi nulla ejus indicia aut vestigia. Nam primus qui hîc Clerum collegerit, ut diximus, Bernwelfus fuit vice-Episcopus. Atque is ut primùm Episcopus delectus, præfecturam adijt, Monachos ex Principe Herbipolensi templo ejecit, Cleri acerrimus propugnator; quemadmodum id à Bruschio traditur. Hathumarus deinde Canonicus Herbipolensis Ecclesiæ scribitur ab Auctore vitæ Meinwerci, ex eoque vitæ genere electus primus Episcopus noster non alios quàm Clericos & Canonicos introduxisse videri potest. Et si Carolina monumenta, scriptoresque rerum nostrarum consulas, non facilè reperies vel ullum Monachorum Cœnobium à Carolo in Saxonia conditum, præterquam quod Eresburgum religiosis D. Benedicti domicilium esse voluerit. Ac tametsi Carolus Abbates transvexerit in Episcopos; Cathedrales tamen Ecclesias Clero reliquit, in ijsque Collegia Canonicorum abs se dotata adjecit, omnia nimirum ad institutum formamque Romanæ Ecclesiæ, in qua principes ædes collegiaque à Canonicis possideri viderat; intelligebatque Clero gubernationem Ecclesiarum esse datam à Christo & Apostolis.

Quod non fuit Monachorum, sed Clericorum in communi viventium.

Quocirca Hathumarus inter primas sui muneris curas habuit, construere domicilia Sacerdotum & Canonicorum, colligere in communem vitam Clericos, instituere seminarium, ex quo Pastores & rudis populi magistros formaret. Quam in rem singulis in Saxonia Cathedralibus Ecclesijs decimæ atque amplæ bonorum possessiones à Carolo erant regia liberalitate donatæ, quarum prima pars Episcopo, secunda Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus erat attributa. Cœptæ in hoc Collegio etiam ab Hathumaro scholæ sub magistri disciplina. Nam dum Jdo presbyter scribit hæc omnia à Badurado II Episcopo esse aucta, satis indicat ab Hathumaro I Episcopo jam esse inchoata. Enimverò diœcesin provinciamque hanc tanquam horridam intractabilium ferarum sylvam est ingressus; hominesque adhuc semibarbari ægrè etiam à Badurado Episcopo, ut acta Liboriana perhibent, à prisca majorum suorum superstitione avelli poterant, & in Christi legem mansuefacti transire; dum sensim institutione juventutis instillata pastorum doctrina, præfectorum Christianorum cohortatione, consuetudine ac commercijs Christi sacra addiscerent, barbarosq; mores exuerent. Ad quæ summum momentum erat Episcopi præsentia & doctrina; ut tum re poscente moris erat, Episcopos circuire diœceses, docere per pagos & vicos, Sacramenta populo administrare; quod D. Ludgeri, Wille-

hadi, aliorumque per Saxoniam Episcoporum exemplo haud minus impigrè præstabat Hathumarus: quemadmodum omnes primos hosce Episcopos Apostolico spiritu plenos accepimus.

Annus Christi 797.

Leonis III Pont. 2.
Caroli M. Franc. Reg. 30.
Hathumari Ep. Pad. 3.

Ann. Franc. *Auctor vitæ Caroli.* *Regino.* *Adelmus.*

Inter hæc Episcopatûs initia Hathumarus Caroli Regis præsentiâ recreatus animatusque. Westfaliâ jam subactâ Christo, ac pacatâ, Ostfalia inter Albim & Visurgim adhuc turbabatur. quocirca Aquisgrano ex hybernis movens, *Saxoniam cum exercitu est ingressus, ad contundendam perfidæ gentis contumaciam. Nec priùs destitit, quàm omnes terminos ejus peragrasset. Nam usque ad ultimos fines ejus, quà inter Albim et Wisiram oceano alluitur, accessit.* Inde Aquisgranum se recepit, & legatos Saracenorum ac Constantinopolitani Imperatoris audivit. Quibus expeditis. *Consilium iniit, ut ad conficiendum Saxonicum bellum in ipsa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu suo, Saxoniam petiit, castrisque super Wisiram positis consedit, et locum castrorum Heristalli vocari jussit. Qui locus ab incolis usque ad præsens nominatur. Exercitum verò, quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hyberna divisit, in eáq; residens Heristalli Natalem Domini et Pascha celebravit.* Eò igitur ad se evocavit Pipinum filium ex Italia, & Ludovicum ex Hispania, transacturus cum illis de Regni negotijs. Ibi præterea legatos Hunnorum cum magnis muneribus ad se missos; ibi legatum Adelfonsi Asturiæ & Galletiæ Regis, papilionem miræ pulchritudinis dono ferentem audivit, remisitque cum Ludovico filio in Aquitaniam Abdellum Saracenorum legatum. Tam celebris rursùm Paderborna (intra cujus diœcesin Heristallum) non tam filiorum legatorumq; accessu, quàm hybernis & festis Natalitiorum & Paschatis apud nos celebratis; perinde ut primis in Saxonia hybernis ante duodenos annos Christi Natalitia Ludæ ad Ambram fluvium, & Pascha Eresburgi intra fines hujus Episcopatûs peracta. Nec alibi unquam inter Saxones hæc Caroli hyberna, & celebrationes solemnium festorum peractæ. Nec dubium feceris, quin Hathumarum Carolus per hyberna intra diœcesin hanc ad se evocârit, ac de statu nascentis Ecclesiæ suæ coram cum eo disposuerit, magno simul hortamento ad laboris sacri constantiam.

Carolus Heristalli in Diœcesi Paderborn. hybernat.

Heristalli descriptio.

Ceterùm Heristellum, seu ut Adelmus scripsit, Heristallum, in editi abruptique, quà Visurgi imminet, montis vertice Saxonum castrum est haud secus quàm Eresbergum, à Carolo per initia belli expugnatum, intra Saxonum antiquorum fines, quibus Hassia,

quæ

quæ jam tum Christiana, conjungebatur; eoque opportunior etiam tutiorque locus ad recipiendos Sacerdotes ex Hassia submissos ad culturam doctrinæ Christianæ. Nostrâ etiam memoriâ eruta istic arcis rudera, quæ olim Carolum & Sacerdotes intra præsidium Francorum receperit. Reperias scriptores, qui ex hoc loco primùm Heristallenses Episcopos nostros dixêre; quòd istic Sturmio, Burchardus & Bernwelfus consederint; quemadmodum Carolus cùm urbes in Saxonia non reperiret, in ejusmodi castris atque arcibus Episcopos cum Sacerdotibus collocare solebat. Hathumarum verò Heristalli Episcopi sedem aliquando fixisse non mihi persuaserim; quòd ab ingressu ejus in Episcopatum Westfalia à bellis quieta, & Paderborna satis tuta fuerit. Manet interim loci nomen non modò post tempora Caroli M. quod Francorum annales docent; sed & ad nostram usque ætatem patrio vocabulo Herstell ab his Caroli hybernis & statione castrorum appellatur; celebreq; non minus Heristallum Saxonicum, quàm Francicum ad Mosam ab his Caroli hybernis ad posteritatis memoriam. Castrum deinde totusque circum locus Episcopi Paderbornensis possessio, seu Caroli aliorumve Cæsarum donatione (quòd istic prima Sacrorum præsulum sedes fuerit) seu alio jure cessit. Sanè vetusta in monte Ecclesia, ad quàm subjecta ad pedem montis parochia convenit; ut totus hic profanus locus, haud secus quàm Eresburgum, in sacrum commutatus videri possit. Ab Hassis primùm anno 1465. festo D. Christinæ urbs Heristalli cùm villa vastata & concremata. Nostra deinde memoriâ anno 1632. bello Suecico arx finibus illorum insidens ab Hassis incendio & vastatione subversa haud secus quàm Eresburgum; templumque in eo vetustissimum & celeberrimum cum domicilio religiosorum hominum, eâdem belli tempestate, in cineres consedit. Vidimusq; duo illa Carolina sacrorum monumenta, omni antiquitatis & religionis veneratione digna, in unam simul ruinam incubuisse; dispari sanè Majorum posterorumq; studio. Olim ex Hassia primùm Christi religio, ut commonstravimus, in hanc dioecesin introducta est; quæ nostrâ ætate dictæ religionis, & sacrorum mutationem intulit; tanquam quod barbari olim Saxones perpetrârunt in vastatione Frislariensis Basilicæ, sacrarumq; per Hassiam ædium & coenobiorum, idem Christianis in Christianos liceret.

Henr. de Hervordia. Chron. Mindense à Meibomio editum.

Annus Christi 798.

Leonis III Pont. 3.
Caroli M. Franc. Reg. 31.
Hathumari Pad. Ep. 4.

Exactis Heristalli hybernis, Carolus evocato (quem per Saxoniam diviserat) hybernante exercitu, secundo Visurgi per dioecesin Pader-

Carolus Mindâ in Transalbianos movet.

Ann. Franc. Adelmus. Auctor vitæ Caroli. Regino.

Paderbornensem iter instituens, Mindam descendit, castraque ad flumen ejus loci collocavit. Adeo tum Minda erat in hac Visurgis ripâ, ut Auctor vitæ Caroli M. & Regino vocat; tametsi ab alijs Munde scribatur: quæ certè ea non fuit, quæ ad confluentes Fuldæ & Werræ visitur, ubi ne nomen quidem Visurgis obtinet, nisi postquam infra misceri cœperint hi amnes; & res ipsa, quam narrabimus, Mindam nobis monstrabit. Nam istic transmisso per Visurgim exercitu, ad Albim in Transalbianos Saxones movit, ulturus perfidiam gentis, à quâ per ferias Paschales legati Caroli, quos ad causas ejus regionis tractandas miserat, trucidati erant; inter quos Godeschaldus ad Sifridum Danorum Regem missus, barbarè contra jus gentium interemptus. Igitur regionem ingressus, omnia inter Visurgim & Albim ferro atque igne vastavit. Cæsi etiam ope Traficonis Abotritorum Ducis, quotquot Abotritorum Carolo confœderatorum regionem palabundi intraverant. Subactâ in hunc modum Ostfalia, ad imperium regni Francici, & Christianam religionem confirmandam Carolus per Visurgim reduxit militem; compositisque per Westfaliam sacris profanisque, Aquisgranum discessit, ad Legatos Irenes Imperatricis audiendos; ubi hyemando Natalem Christi & Pascha solemni ritu coluit.

Annus Christi 799.

Leonis III Pont. 4.
Caroli M. Franc. Reg. 32.
Hathumari Ep. Pad. 5.

Leo Pontifex Carolum Paderbornæ convenit.

At nihil hactenus Paderborna magnificentius sanctiusq; spectavit, quàm hoc anno nonagesimo nono supra septingentesimum, quo duo suprema Ecclesiæ capita Leo Pontifex & Carolus Francorum Rex Paderbornæ convenêre. Funestum Leonis Pontificis casum causamque adventûs cùm Anastasius alijque multis exponunt, tum paucis Annales Francorum. *Romæ*, scribunt illi, *Leo Papa cum Litaniâ processurus de Laterano ad Ecclesiam B. Laurentii, quæ ad craticulam vocatur, equo sedens pergeret, in insidias à Romanis positas juxta eandem Basilicam incidit. Ubi equo dejectus, et erutis oculis, ut aliquibus visum est, lingua quoque amputata, nudus et semivivus in platea relictus est. Deinde jussu eorum, qui hujus facti autores fuêre, in Monasterium S. Erasmi Martyris velut ad curandum missus, Albini cujusdam cubicularii sui curâ noctu per murum dimissus, à Winigiso Duce Spoletano, qui audito hujusmodi facinore Romam festinus advenerat, susceptus, ac Spoletum deductus est. Cujus rei nuncium cum Rex accepisset, ipsum quidem ut vicarium S. Petri, et Romanum Pontificem, cum summo honore ad se præcepit adduci. Iter tamen suum, quod in*

Saxoniam

Saxoniam facere constituerat, non omisit. Jam & Carolus intellexerat, quo cœlesti beneficio Leo visum oculorum linguamque recepisset, & in somno à Deo monitus fuerat, qua ope Pontificem restitueret; quemadmodum id Poëta eorum temporum scripsit.

Portentum Rex triste videt monstrumque nefandum,
In somnis summum Romanæ adstare Leonem
Urbis Pontificem, mœstosque effundere fletus,
Squalentes oculos, maculatum sanguine vultum,
Truncatam linguam, horrendaque multa gerentem
Vulnera, sollicitos gelidus pavor occupat artus
Augusti.

Igitur Aquisgrano cum exercitu ad Rhenum progressus, *habitoque generali conventu super Rhenum, in loco, qui Lippenheim vocatur, ibi eodem amne transmisso cum toto exercitu suo ad Padrabrunnam accessit; ibiq; in castris considens, Pontificis ad se properantis adventum præstolatus est.* Et Pontifex postquam festinatis itineribus Norimbergâ Coloniam advenerat, salutato istic D. Severini sepulchro, Carolus ei Hildebaldum Coloniensem Archiepiscopum, quem sibi supremum aulæ Præsulem semper adjunctum habebat, cum Aschario Comite obviam misit, qui venientem exciperent, & per Westfaliam honorificè ad se Paderbornam deducerent. Non Eresburgi, non Heristalli, non alibi in Saxonia, quàm Paderbornæ Carolus Pontificem excipere voluit; quòd locum in his regionibus nec amœnitate admirabilium fontium agrorumque ubertate, nec cultu surgentis oppidi civiumque urbanitate, nec hospitiorum populique jam Christiani frequentiâ uspiam haberet commodiorem, aut magis adspectabilem; ex quo simul Pontifici ostenderet Saxoniæ ad Christi fidem abs se perductæ, tantorumque bellorum suorum fructus; hoc præsertim ad fontes Luppiæ & Paderæ loco, ubi tanta hominum multitudo se primùm ad fontes Baptismi obtulit, & tam felicia Deus Christianæ religionis auspicia esse voluit. Et Carolus ubi propiùs Pontificem adesse cognovit, omnia, quæ ad Christi vicarium & Petri successorem quàm honorificentissimè suscipiendum facerent, in castris ad Paderbornam disponit. Ejus rei gratiâ præmissus primùm ex castris Pontifici obviam Pipinus filius, Italiæ Rex, cum legionibus aliquot; nam Carolus filius per id tempus cum parte exercitûs ad Albim missus ierat, transacturus Regni negotia cum Wilsis, Abotritis, Nortluidis, Transalbianisque. Interea Pontifex in campis Paderbornensibus aderat; susceptusque à Pipino & legionibus in ordinem compositis, sublatâ manu ter benedictionem impertit; ad quam miles tertium se humi prosternit. Inde à Pipino ad castra Caroli deductus. Jamq; omnis regius miles in legiones & signa utrimque distributus stabat, quem inter Pontifex procedebat, protensâ rursum manu precationem singulis impertiens,

Anastas. Biblioth. in vita Leonis.

Ubi insigni pompa ab eodem Rege excipitur.

impertiens, singulisque ad venerationem Pontificis procumbentibus. Tum verò ubi Pontifex in conspectum propius venit, Carolus ex regio throno descendens, magnáque ducum, Comitum ac procerum coronâ circumfusus, in amplexum Pontificis occurrit; factâq; invicem salutatione, è castris ad oppidum procedunt. Haud procul à throno stabant castrenses Episcopi, Sacerdotes ac Clerici in choros utrimque divisi, sacro singuli amictu suo induti, signisque, crucibus ac vexillis supplicantium ritu compositi; quibuscum Pontifex hymnum Angelicum, *Gloria in Excelsis Deo* exorsus, choro Sacerdotum cantum excipiente. Ita processum ad Ecclesiam, quam à Carolo & Hathumaro prope absolutam diximus; ubi ab Episcopo & Clero denuo exceptus introductusq; Leo & Carolus. Peracto solenni Missæ sacrificio divinisque, Rex Pontificem ad hospitium & convivium ducit. Lætus dies mutuâ gratulatione & colloquijs consumptus. Non alius hunc magnificum Pontificis ingressum honoremque, à Carolo Christi Vicario Paderbornæ delatum, exactiùs nobis descripsit, quàm vetus quidam Poëta à Canisio ex antiquitatum latebris productus, quem ipsum Alcuinum Caroli M. præceptorem censet; uti is hujus rei coram spectator esse potuit, ex quo à Concilio Francofurtensi unâ cum Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo Regi adjunctus fuit. Quisquis tandem auctor ille, juvat certè hunc non tam Poëtico ingenio, quàm historicâ fide narrantem audire:

Canisius l. 6. Antiq.

Est locus insignis, quo Patra et Lippa fluentant,
Altus et in nudo campo jacet, undique largo
Vestitus spacio, celso de colle videri
Namque potest legio omnis, et hinc exercitus omnis,
Castra Ducum et Comitum, radiantiaque arma virorum.
Hic Carolus multis stipatus millibus heros
Advenit, et tandem juvat hîc succedere tectis:
Missus Apostolici regalem tendit ad aulam.
Interea et summum manifestat quippe venire
Pontificem expulsum Romana à sede Leonem
Civibus à propriis, et tot tolerasse recenset
Verbera, commemorans extinctum lumine vultum;
Narrat et abscissam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo sanatum et ab omnibus istis
Esse malis, animis stupet ipse exercitus omnis
Audita, et Carolus recolendo somnia retrò
Præteriti indicio agnoscens vestigia visûs;
Hoc fore non dubitat, quod tristes fundere fletus
Pontificem in somnis jam dudum vidit eundem.
Hinc jubet extemplo Pipinum occurrere magno
Pastori, pacem et placidam portare salutem.

Obvius

Ovius ire parat genitoris jussa facessens.
Pipinus centum lætus cum millibus ibat.
Ipse sedet solio Carolus Rex justus in alto,
Dans leges patriis, et regni fœdera firmat.
Utque videt patulo adversum se tendere campo
Pastor Apostolicus centum cum millibus altum
Pipinum, geminas extendit ad æthera palmas,
Pro populoque preces effundens pectore largas.
Ante Sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur, et supplex vulgus ter fusus adorat.
Mox Leo Papa solo Pipinum more benigno
Excipit, et sacris circumdans colla lacertis
Hæret in amplexuque diu placida oscula libans.
It comes, et supra se confert vertice toto
Pipinus, varias miscent sermone loquelas,
Inque vicem diversa levant problemata verbo.
Rex pius interea solium conscendit, et omnem
Alloquitur populum Carolus venerabilis Heros.
Ergo agite ò proceres, inquit, quibus induite arma
Ire estis soliti ad bellum, Martemque severum
Temptare, et crudo vosmet confidere pugno,
Pontifici celeri cursu occurremus opimo.
Vix hæc dixit Heros, fremit undique turba tumultu,
Tela manu glomerat, mox loricasque trilices
Et latos clypeos galeasque et spicula peltæ
Æratæ resonant; acies hinc inde videntur
Ire equitum, sparso nigrescunt pulvere nubes,
Et tuba lugubri medio strepit aggere voce.
Classica signa sonant, campi densantur aperti,
Agmine cristatus fulgetque exercitus omnis.
Tela micant pariter, vexilla levata coruscant,
Armati incedunt juvenes et freta juventus
Gaudet equis, siccus fervescit in ossibus ardor
Audendi, ac Carolus medio micat agmine lætus.
Aurea crista tegit frontem, et conspectus in armis
Fulget, equo ingenti portatur ductor opimus.
Ante Sacerdotum porro castra agmina ternis
Stant divisa choris, in longis vestibus almæ
Sacra crucis vexilla levant, et Præsulis omnis
Adventum expectat Clerusque et candida plebes.
Jam pater in campo Carolus videt agmina aperto
Pipinum et summum Pastorem tendere contrà,
Constat et inque modum populum expectare coronæ

Præcipit,

Præcipit, atque aciem hinc dividit urbis ad instar.
Ipse autem medio consistere in orbe beatus
Præsulis adventum expectans, et vertice toto
Altior est sociis, populum supereminet omnem.
Jam Leo Papa subitque externo se agmine miscet.
Quàm varias habitu linguas, tam vestis et armis
Miratur gentes diversis partibus orbis.
Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, et placida oscula libat,
Inque vicem dextras jungunt, pariterque feruntur
Gressibus, et multo miscentes verba favore.
Ante Sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur, et supplex vulgus ter fusus adorat,
Pro populoque preces ter fundit pectore Præsul.
Rex pater Europæ, et summus Leo Pastor in orbe
Congressi, inque vicem vario sermone fruuntur.
Exquirit Carolus casus, auditque laborum
Diversos, sceleris populi impia facta stupescit.
Miratur geminas jam dudum luce fenestras
Extinctas, et nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus,
Et parili sedis tendunt ad culmina gressu.
Ante Sacerdotes sacri stant ostia templi,
Alternis vicibus modulantes carmina laudum,
Atque Creatori grates laudesque frequentant,
Qui nova Pontifici reddebat lumina summo,
Et desperatam condebat in ore loquelam.
Exoritur clamor, vox ardua pulsat olympum.
Intrat Apostolicus, Carolo ducente beato,
Templa Creatoris, solito solemnia more
Concelebrare pio, Missarum sacra favore.
Ex hinc officiis divinis rite peractis,
Invitat Carolus celsa inter tecta Leonem.
Clara intus pictis conlucet vestibus aula,
Auro ostro ornantur hinc inde sedilia multo.
Ad mensas resident læti, variisque fruuntur
Deliciis, medio celebrant convivia tecto;
Aurea namque tument per mensas vasa falerno.
Rex Carolus simul et summus Leo Præsul in orbe
Vescitur, atque bibunt pateris spumantia vina.
Post latas epulas et dulcia pocula Bacchi,
Multa pius magno Carolus dat dona Leoni.

Hinc

Hinc lætus repetens aulæ secreta revisit
Rex, et Apostolicus repetit quoque castra suorum.
Cum tali à Carolo Leo sit susceptus honore,
Romanos fugiens propriisque repulsus ab oris.

Celebravit & hunc Pontificis ac Regis congressum ingressumq; Saxo Poëta noster, tempore Arnulphi Cæsaris Paderbornæ, ut creditur, presbyter.

Namque propinquantem cùm primum noverat, illi
Obvius ipse loco de castrorum memorato
Stipatus multis populorum millibus ibat;
Pontificemque vicem Petri, cui claudere cœlos
Et reserare licet verbo, sedemque tenentem,
Suscepit cum magnifico reverenter honore.

Mansère per aliquot dies Leo Pontifex & Carolus Paderbornæ; interque cetera pietatis monumenta tria cum primis illustria. Enimvero Episcopatum Paderbornensem recens à Carolo institutum descriptumque Leo Pontifex coram Apostolicâ auctoritate confirmavit; quod acta Liboriana ab Idone presbytero nostro conscripta docent. *Religiosum*, inquit ille, *Caroli et salutare Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum Leo Pontifex Apostolicâ autoritate firmavit.* Quo felicilior nobiliorque ceteris Carolinis Episcopatibus est Paderbornensis: nihilq; magis cum ceteris conquerendum, quàm temporum injuriâ utrumque Regis & Pontificis diploma intercidisse. Deinde Pontifex, ut idem Auctor refert, *in Ecclesia tum ibidem noviter constructâ quoddam altare consecrans, adorandas in eo reliquias Protomartyris Stephani, quas secum Româ detulerat, collocavit, fiducialiter id Principi promittens, quod oratorium illud tanti Martyris patrocinio munitum, non ulterius passurum foret injuriam, quàm ipse referente priùs ei contigisse cognovit: ut videlicet ob incolarum loci perfidiam et odium in religionem Christianam aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè causam easdem reliquias ibi rogatu Imperatoris condidit, non sine effectu congruo fiduciæ sponsionisque suæ, cùm nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit.* Verum ac suâ fide constans vaticinium. Nam etsi postea, Rothario Episcopo, Basilica cum maxima parte urbis, iterumq; anno MCXXXI. conflagrârit; id fortuito igne accidit, non Barbarorum injuriâ: quod hic Pontifex tantummodo pronunciavit; ut rectè à Bollando in animadversionibus in acta Liboriana observatum est. Ceterum quæ hic de consecrato à Pontifice altari ac Lipsanis D. Stephani repositis memorat Ido presbyter, eadem scriptor vitæ Meinwerci, Gobelinus, Crantzius, Browerus clari scriptores retulêre. Perstat hodiedum altare in crypta chori Leonis monumentum. Quanquam non probet Browerus, quod à Leone ipsum templum dedicatum scribat consecratumque D. Virgini; cùm templo demum integro absoluto ea dedicatio

Leo Pont. altare S. Stephani Paderbornæ consecrat.

dedicatio Badurado Episcopo Hathumari successori tribuatur. Cryptam forte, quæ choro substructa hodiedum amplo spatio conspicitur sacelli instar, aliamve ædiculam dedicaverit. Et falli Gobelinum ac Crantzium, qui à Leone Pontifice Basilicam Paderbornensem VIII. Jdus Decembris dedicatam scribunt, satis ex eo constat, quòd eo tempore Leo Pontifex Romæ fuerit; quippe qui in pervigilio D. Andreæ ad urbem redijt, exceptus incredibili gaudio à Romanis; ut hæc Anastasius Bibliothecarius inter acta Leonis Pontificis retulit. Leonis præterea liberalitatem sacram commendat Gobelinus à condonationibus noxarum, quas recepto vocabulo indulgentias diximus, quarum Pontifex largè participes fecerit, quotquot ædem hanc ritè precando salutarent; cujusmodi indulgentias alia quoq; loca, à Leone per id tempus consecrata, ad eundem Pontificem referunt, de quibus in annalibus nostris uberiùs relatum est.

Carolus Castrum Driburgum Ecclesiæ Paderbornensi adjicit.

At Carolinæ liberalitatis monumentum, quod tertium est ex hac Regis & Pontificis præsentiâ, haud minus illustre dignumque posteritatis memoriâ. Nam licet Carolus jam amplis bonorum possessionibus proventibusque dotasset Ecclesiam; adjecit tamen regiâ munificentiâ, idque rogatu Pontificis, castrum Jburgum (quod posterior ætas Driburgum dixit) cum subjectis agris & circumpositis vicis ac prædijs colonorum domui Episcopi Hathumari. Testes hujus donationis Gobelinus, Crantzius, Bruschius, Hamelmannus, Kersenbrochius, Hobelius ex tradita certâque Majorum fide: licet tabulæ donationum, quas primi viderint, à nobis desiderentur; quemadmodum hæc pluribus asserta à FERDINANDO Episcopo in Monumentis Paderbornensibus; ut ceteris, quæ hîc desideres, facilè supersedeam. Quo regio Caroli dono alterum etiam Jburgum castrum, quod idem nomen obtendit, Wihoni Osnabrugensi Episcopo cesserit. Nec insolens videri debet, ejusmodi castra arcesque Saxonum Episcopis à Carolo esse datas; quando, ut mox referam, celebre Eresburgum castrum cum circumjacentibus prædijs, agris & incolis à Carolo donatum est Monachis familiæ D. Benedicti, ob egregia in prima gentium conversione merita. Quam in rem Leonis Pontificis consilium fuit, ut ex Eresburgi diplomate liquet, ejusmodi castra consecrare religioni & domicilijs sacrorum Præsulum. Nimirum ut ijs in locis, in quibus Barbari habuerant sua fana, Jdola, & conventus superstitionis, in ijs Christiana religio haberet cultum veri Numinis. Ultraque etiam Carolus porrexerit consilia; quibus ejusmodi arcibus Episcopos præmunitos esse voluit, vel ad receptum, vel ad tutelam suorum. Certè nec eum Saxoniam ita inter Episcopos divisisse scribitur, ut solis decimis agrorumque prædijs, sed amplis bonorum possessionibus atque arcibus honori splendorique supremi Sacerdotij consultum voluerit; haud secus quàm

in

in Francia & Germania Cisrhenana Regum Francorum & progenitorum Caroli liberalitate conspiciebantur Episcopi. Driburgum certè Jburgumve castrum primis Caroli bellis expugnatum ereptumq; Saxonibus, quà Austrum respicit, ex abrupti montis crepidine inexpugnabile, ex adverso montium Teutonicorum jugo altis fossis vallisque præmunitum, ut vestigia hodiedum monstrant: circum nemora & luci; quibus persuasus nonnemo, illic Jdolum Jrmenseul cultum à Barbaris. Sed cùm illud Eresburgi â nobis monstratum sit, aliud gentis Jdolum, quæ ejusmodi in locis crebra fuêre, constitisse dixeris; quæ ob id Carolus in sacrorum loca haud secus, quàm Eresburgum converterit. Arx, quam Episcopi tenuêre, ad annum 1309. constitit: modò rudera tantùm visuntur & collapsa turris. Ad pedem montis Driburgum oppidum, quod idem nomen servat. In subjecta planitie magnâ vi aquarum prorumpentes acidulæ, quibus non aliæ per diœcesin, aut alibi facile præstantiores vel celebriores; cujusmodi loca aquis nobilitata, quæ ex naturæ apud nos beneficio, ita probavit Carolus, ut suo etiam beneficio duo ex his Paderbornam & Driburgum, Ecclesiæ donârit.

Leo Pont. Detmoldiam ac Mindam cum Carolo invisit.

Mansit Carolus, ubi hæc agebantur, Paderbornæ per aliquot dies cum Pontifice; & cum multa coram pertractata essent (sicuti Francorum annales tradunt) Rex Pontificem, quód multa non obscurè indicant monumenta, per diœcesin circumduxit. Monstratus primum in vicinis Teutonicis montibus locus prælij, quo acie decertârat cum Saxonibus; nam istic à Caroli ævo, quia à Carolo condita, sacra ædes hujus cælestis victoriæ grata in Deum memoria constitit. De qua inter ceteros Crantzius, & nos supra ad annum Christi 783. Dethmoldiam inde progressi; ubi Leo Pontifex aram consecravit, cœtu primorum Christianorum jam ijs locis congregato per Sacerdotes. Hujus rei sat evidens testimonium apud Auctorem vetustum in vita Meinwerci: *lapidem*, inquit ille, *quendam altaris spectabilis magnitudinis, à B. Leone Papâ consecratum, de Ecclesia Thietmelle allatum, collocavit in crypta novi Monasterii à se constructi, in quâ et reliquias Protomartyris Stephani cum multorum aliis sanctorum reposuit.* Thiatmelle verò seu Dethmoldia arx est & oppidum infra fines diœcesis Paderbornensis; sicuti totus ille montium tractus. Mindam quoque deductum Pontificem ad Visurgim duæ sacræ ædes monstrant; quarum alteram Remæ ad confluentes Wernæ & Visurgis, alteram in monte haud procul Mindâ D. Nicolao à Leone Pontifice consecratam perhibent vetusta eorum locorum monumenta & tradita Majorum fides. Et si conjecturis uti fas erit, quod ex illa antiquitate per hæc vestigia liberius est, prorsus existimo, Carolum M. ostendisse Leoni Pontifici, non solùm Mindæ, sed & in ceteris per Westfaliam locis primas Episcoporum sedes à se institutas conditasque; ut haud secus,

Vita Meinvverci n. LXXX.

Henr. de Hervord. Gobelinus. Herm. Mindensis. Joan. de Essendia. Rolevingus. Withius.

secus, quàm Paderbornæ fecerat, Apostolicâ auctoritate probaren tur: ac Pontifex coram oculis suis delibaret fructum Saxoniæ, à se ad Christi religionem traductæ; quo à Pontifice nihil jucundius, & à Carolo nihil honorificentius spectari poterat. Hunc in modum Hameliæ ad Visurgim, & Sidinckusij in dynastia Burana apud nos, ex tradita Majorum fide, monstrantur ædes sacræ à Leone Pontifice dedicatæ. Sanè verò Leonem Pontificem Eresburgum accessisse, ibique non modò consecrasse capellam, sed & totum illum montem, in quo prima Christianæ religionis auspicia fuêre, convertisse in domicilium possessionemque Ordinis D. Benedicti, ut exinde religiosi Sacerdotes incolerent in subsidium excolendæ Saxoniæ, ex tabulis ipsius Pontificis certum accepimus, quas hîc adscribere necesse habemus.

Montem Eresburgum à Carolo M. D. Benedicti religiosis donatum comprobat.

*Leo servus servorum Dei, Karolo M. Francorum Regi. Piæ tuæ intentioni per omnia congaudentes, quod jubes, annuere non tardamus. Igitur hunc montem Eresburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtulisti, et per nos B. Petro consecrasti, liberum ab omni humanâ potestate esse, et fratrum inibi ad Christi servitium adunatorum ditioni tantummodo parêre censemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur, neve regni vestri invasoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur: Sub anathemate, B. Petri auctoritate, interdicimus, ne quis unquam bellica ipso in monte præsidia collacare, aut per te collata prædia, aut decimas circa montem per duas Saxonicas rastas, quas illuc delegasti, audeat diripere. Hæc conservantibus sit pax à Deo Patre, infringentibus excommunicatio et à Beatorum collegio sit separatio in æternum. Datum Eresburg per manum Jannis Bibliothecarii et Cancellarii Ecclesiæ Romanæ VIII. Kal. Jan. Anno Domini ··· Leonis tertii quarto. Indictione * septima die dedicationis Capellæ in Eresburg.*

* Octavâ.

Meibomius. Wittius Cleinsorg. Strungefol.

Celebre apud Baronium, & in conciliorum actis apud Binium & Sirmondum, perinde uti apud nostros scriptores, diploma, in quo vetustatis ex scriptorumque vitio unus alterve error irrepsit; inscriptio enim Carolum Imperatorem præfert, qui altero demum anno Imperator à Leone coronatus est; quocirca nomen Romanorum Imperatoris, in Francorum Regis commutavimus: si non tota inscriptio imperiti manu accesserit. Alter error est in mense, qui VIII. Kal. Januarij consignatur, cùm Leo Pontifex nonnisi post Litanias Romæ habitas verno ejus anni tempore ex Italia profectus ad Carolum venerit, quem deinde Carolus per totam æstatem in serum usque Autumnum in Saxonia & ad Rhenum apud se in comitatu habuit; quocirca pro Januario reponendus est Junius aut Julius; quæ mensium nomina cùm per primas abruptasque literas in diplomate scripta fuerint, facili errore pro Junio aut Julio Januarius obtrudi potuit. Quibus animadversis facile est componere ac statuere ea, quæ de templis & altaribus aut Sigeburgi ad Ruram, aut Coloniæ, aut Aquisgrani, aut Tungris à Leone consecratis memorant eorum locorum scriptores;

Chapeavillé. Brovverus l. 7. ann. Becanus in Aquisg. Fisen lib. 5. ad an. 799.

ſcriptores; quando Leo Pontifex, uti ex Anaſtaſio relatum eſt, pridie D. Andreæ ſub exitum Novembris Romam tandem reverſus eſt. Interque Romanos ordines, qui Pontificem incredibili gaudio redeuntem excepere, memorantur apud Milvium proceſſiſſe Pontifici obviam Scholæ Francorum, Friſonum & Saxonum. Adeo ſemper Carolo cura fuit de Saxonia, ut jam Hadriano Pontifice Saxonum adoleſcentes tranſmitteret Romam, literis & Chriſtianâ religione informandos; quos ex obſidum aut captivorum numero, aut ingenuorum delectu, ad illud ſeminarium pietatis tranſmiſit. Quemadmodum ceteros obſides adoleſcentes aut Herbipolim, aut Ultrajectum, aut Rhemos, aut ad alia Franciæ Germaniæque florentia Clericorum collegia tranſportari juſſit; quo ex illis haberet probatæ virtutis & doctrinæ Sacerdotes, quos incultis per Saxoniam populis imponeret Paſtores doctoreſque Evangelij. Et ſi quis hæc conferat cum ijs, quæ à Leone Pontifice acta ſunt per Saxoniam, inſanire prorſus dixeris eos, qui aliam quàm Romanam religionem à Carolo in Saxoniam noſtram introductam comminiſci, & ſuæ hæreſis plebi perſuadere, palamque editis libris per ſummam fallaciam ſpargere audent.

Annus Chriſti 800.

Leonis III Pont. 5.
Caroli M. Franc. Reg. 33.
Hathumari Ep. Pad. 6.

Pontifice honorificentiſſimè à ſe dimiſſo Romam Carolus Aquiſgrani hyemavit inter feſtos Natalis Chriſti & Paſchatis dies; altero mox anno per Autumni tempus Leonem Pontificem Romam conſecutus. Ubi ſacratiſſimâ Natalis Chriſti die, inter Miſſarum ſolemnia, in Baſilica B. Petri Apoſtoli Imperator à Leone coronatus eſt; acclamante populo KAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO, IMPERATORI ROMANORUM VITA ET VICTORIA. *Poſt quas laudes*, ut Francorum annales addunt, *à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt, ac deinde omiſſo Patricii nomine* IMPERATOR & AUGUSTUS *appellatus*; cùm ob rerum magnitudinem pro Eccleſia Chriſti geſtarum, tum etiam ob Saxoniam ſubactam, Chriſtoque partam. Jam enim quàm latè ab Rheno ad Albim, ab Iſala & Friſiæ finibus ad Salam & Thuringiam ingenti terrarum populorumque ſpatio protendebatur, cum imperio Francico Chriſti legem ac religionem ſuſceperat: jam omnis illa regio vaſti inſtar regni in Epiſcoporum ſedes à Carolo deſcripta erat: jam Epiſcopatus octo conditi abſolutique erant, duobus præterea inchoatis: jam & Epiſcopi in ſingulas ſuas diœceſes ac ſedes

Carolus M. Romæ à Leone Imperator coronatur. *Ann. Franc.*

sedes introducti erant; & quiescente à bellis gente, florebat ubique Christiana religio, eversis inanium deorum fanis ac Idolis. Postremò quod divinâ prorsus ordinatione factum dixeris, Romanus Pontifex Leo III in Saxoniam delatus, & à Carolo M per Episcopatus circumductus; ut vice S. Petri, cui Carolus toties Saxoniam Romæ devoverat, possessionum Saxoniæ adiret; tanquam non priùs Deus Carolum Imperatorem coronari voluerit, quàm ex integro belli merito Christiana religio per successorem S. Petri confirmata esset. Quapropter per hunc S. Petri successorem in Basilica ejusdem Natali Christi die, corona Imperij ad Francos translata, quorum natales & origines gens Francica in his Westfaliæ Saxoniæque regionibus primum habuerat; lætoque ac præsago non minus auspicio eadem Imperij Corona à Francis deinde ad Saxones, utramque Germanam & bellicosam pro Christo gentem transijt; donec hanc nominis Majorumque suorum gloriam fœdâ hæresi corrumperet, immemor quo Romani Pontificis & successoris Petri beneficio Imperij majestas ad Germanos primum pervenerit.

Annus Christi 801. &c.

Leonis III Pont. 6. &c.
Caroli M. Imper. I. &c. Reg. 34. &c.
Hathumari Ep. Pad. 7. &c.

Finito bello Saxonico, Christiana religio florere incipit.

Ceterum Carolus, ex quo Imperator Româ in Germaniam redijt, & sedem Imperatoris Aquisgrani medios inter Germanos collocavit, & bella, quæ exinde gessit in his regionibus, trans Albim adversus Trans-albianos suscepit; dum anno DCCCIV. debellatis quoque ijs gentibus, Saxones Transalbianos identidem rebelles cum mulieribus & infantibus transferret in Franciam, Abotritis (populo Francico fœderatis mitioribusque ad Christi sacra accipienda) in vacuas Saxonum sedes repositis. Quo bello Eginardus ceteriq; scriptores trigesimum tertium belli Saxonici annum in Carolo absolvunt. Ita religio Christiana ad Danorum fines atque Ederam fluvium, quo Saxones à Danis dirempti, quàm latissimè propagata, antiquissimam quoque Saxoniam & primas Saxonum sedes imperio suo inclusit. Rariùs exinde Saxoniam ingressus est Carolus; nec caussa urgebat, cùm gens omnis pacata quiesceret, & exuta barbarie Christianæ legis mores imbueret; ultroq; se ad Baptismum & Christi sacra tam prona & fervida offerret post infusum religionis lumen, quàm obstinata priùs ex superstitionis cœcitate fuerat. Hunc verò laborum suorum fructum cùm ceteri per Saxoniam Episcopi & Sacerdotes experirentur, tum Hathumarus cumprimis; cujus diœcesis populus,

populus, statim ab initijs belli excoli cœperat; uti Caroli etiam totiusq; aulæ frequentiâ toties excitatus erat; præterquam quod Paderborna jam ex vico in oppidi speciem templis, Collegio Cleri, ædibus, incolis, scholis, & frequentiâ civium præ ceteris Westfaliæ locis exculta esset.

Per hæc tempora, anno, ut quidam volunt, 805. vel ut alij 807. mortalium numero ereptus est Widekindus Mag. Westfaliæ & Angariæ Dux (quem Regis quidam titulo honorârunt) multis pro conservanda gentis suæ libertate bellis contra Carolum M. gestis memorabilis, de quibus suis superiùs locis egimus: at multò celebrior syncerâ ad Christianam fidem conversione, quam semel susceptam adeo deinceps constanter tenuit, ferventerque propugnavit; ut non vulgarem modò pietatis laudem vivus, sed & Divorum post mortem honores consecutus sit. Defuncti corpus conditum in vico Engeren prope Hervordiam, & tumulus crebris illustratus prodigijs, de quibus cùm alio fusiùs loco actum, nihil hic repetendum ducimus. Widekindus Dux, Westfaliæ obit.

Ijsdem hisce temporibus, urgente Carolo & Metropolitano, inter Apostolicos labores Hathumarus consecratus est Episcopus; quòd increscente per diœcesis amplitudinem Christianâ religione postularentur Sacerdotes parœcijs imponendi: & satis jam instructus esset hujus loci Clerus, è quo præficiendi popularibus suis Pastores desumi possent. In quem verò annum hæc consecratio inciderit, nullus scriptorum prodidit: tantum Ido presbyter in actis Liborianis, *Hathumarus*, inquit, *ex præcepto Principis primus est Paderbornensis Ecclesiæ ordinatus Episcopus. Post cujus ordinationem paucis annis transactis, idem gloriosissimus Princeps ab hac luce migravit.* Constat verò Carolum M. excessisse è vivis anno Christi 814. quocirca aliquot ante ejus obitum annis consecratus Episcopus, & Carolo etiam, ut mox confirmabimus, superstes vixit. Hathumarus consecratur Episcopus.

Annus Christi 813.

Leonis III Pont. 18.
Caroli M. Imp. 13. Reg. 46.
Hathumari Ep. Pad. 19.

Celebris interea Moguntina Synodus anno Christi DCCCXIII convocata, ad quam tres Archiepiscopi Metropolitani, Hildebaldus Coloniensis, Ricolphus Moguntinus, & Arno seu Bernharius Salisburgensis cum suis provincialibus Episcopis, Abbatibus & Clero convenêre Moguntiam, in claustro S. Albani, die nono Junij; quemad- Synodus Moguntina.

quemadmodum id præfatio Patrum ad Concilij hujus acta testatur. Episcopi qui interfuere, numerantur xxx. Abbates xxv. Ac licet nullius Episcopi nomen adnotatum reperiam, quod hinc multi nobiscum ex illa antiquitate desiderant; haud tamen ambigam, quin Hathumarus Paderbornensis, & Gerfridus Mimigarnevordensis, ceterique Saxoniæ Episcopi evocati convenerint; maximè cùm rogatu & auctoritate Caroli Synodus hæc congregata sit: in qua postremo ante mortem anno omnia constitui voluit, quæ vel ad religionem Christianam, ac Cleri disciplinam, vel ad regnorum tranquillitatem à religiosissimo Imperatore desiderari poterant, ut Imperium optimis sanctissimisque legibus ordinatum Ludovico filio moriturus relinqueret. Eam quoq; ob causam cetera per Franciæ Regnum Concilia, Arelatense, Rhemense, Turonense & Cabilonense ab Archiepiscopis eorum locorum per id tempus anni celebrata sunt. Tanquam sapientissimus Imperator, qui jam anno Christi DCCCXI. testamentum solemni ritu fecerat, ab Archiepiscopis & Episcopis consignatum, per hæc postrema Concilia supremas quoque tabulas conderet, quibus Ecclesiæ & Imperio quàm saluberrimè consultum esset. Multa igitur in Synodo Moguntinâ, uti & in alijs, utiliter, piè & sanctè LVI. Canonum legibus ac decretis constituta sunt, quibus Cleri, Monachorum, & populi mores formarentur; quæ Hathumarus, siquidem præsens hic fuerit, certè haud secus quàm ceteri Saxoniæ Episcopi per diœcesin sancita observavit.

Annus Christi 814. 815.

Leonis III Pont. 19. 20.
Ludovici Pij Imp. 1. 2.
Hathumari Ep. Pad. 20.

Moritur Carolus M. succedit Ludovic⁹ Pius, *Ann. Franc. Auctor vitæ Ludov. Theganus. Ann. Pithæi.* qui generalem Paderbornæ conventum habet, & variorum Legatos excipit.

Nihil exinde memorabile de Hathumaro ex Caroli ætate, quem altero mox anno Aquisgrani incredibili cum totius Germaniæ & Europæ luctu mors sustulit. Successit Carolo in Imperium Ludovicus filius, cognomento Pius, omnium regnorum & Imperij heres à patre scriptus. Is verò postquam Aquisgrani omnia maturè disposuerat; in Saxoniam cum exercitu movit, ac patris instituto Paderbornæ generalem conventum habuit. Tam celebris excultaq; Paderborna, quæ præ ceteris Saxoniæ locis Ludovicum etiam Imperatorem invitavit, ut iste de totius gentis negotijs cum legatis undique ad se missis transigeret, Saxoniamque ut à patre acceperat, in religione Christiana & imperio Francico pacatam contineret. Convenêre etiam præter Herioldum profugum è Dania Regem, legati

Sclavorum

Sclavorum Paderbornæ; quibuscum de gentis illius securitate, ne quid in Saxonia turbaret, actum est. Interim exercitus, duce Balderico supremo militiæ legato ad fines Daniæ per Albim transmissus. Nam ex quo Herioldus & Reginfridus Daniæ Reges à Godefridi filijs ante biennium victi erant Regnoque ejecti, reparatis viribus bellum denuò intulerunt. In quo conflictu Reginfridus alterque ex Godefridi filijs cecidit. Herioldus, cùm rebus suis diffideret, Daniâ in factiones scissâ, ad Ludovicum Imperatorem confugit; quem Imperator benignè excepit, & in Saxonia sui adventum præstolari jussit, dum post vernum tempus ipse in Saxoniam veniret: opportunum ratus si æmulæ & dissidenti genti Daniæ Regem imponeret, quem ex officio sibi obligatum haberet, ad Christianam religionem in remotissimas illas Septentrionis oras introducendam. Et spem dare visus Herioldus, qui postea Moguntiæ cum uxore & magnâ Danorum multitudine Baptismum suscepit. Igitur omnes Saxonici Comites jussi contrahere militem, junctisque Abotritis Baldericus trans Egidoram flumen in interiora Daniæ penetravit, septimisque castris ad littus oceani pervenit. Ibi cùm castra figeret, & Godefridi Regis filij cum magnis copijs & classe ducentarum navium in Insula triginta millibus passuum à continente abruptâ hærerent, nec copiam pugnæ facerent; Baldericus Herioldum in Regnum reposuit, acceptisque XL populorum obsidibus cum exercitu ad Ludovicum redijt, qui per id tempus Paderbornæ, ut Auctor vitæ Ludovici perhibet, in Comitijs versabatur. Præclarè tum Cæsar de Herioldo meritus, nec minùs de Saxonibus. Nam Transalbianis, quos Pater, ut supra diximus, ob rebellionem in Franciam transportârat, cum uxoribus & liberis remigrandi potestatem fecit, solvitque onera quæ Pater injunxerat. Filijs quoque jus paternæ hereditatis, quod sub Patre ob perfidiam amiserant, Imperatoriâ clementiâ restituit: ratus vi & timore coërcitos hactenus, amore & beneficijs, ut cognomento verè pius erat Imperator, provocandos in melius; quòd latè tota Saxonia ultro in Christi legem & sacra transiret. Nec ea spe delusus Imperator, fidâ in posterum gente ex vinculo religionis, quo nullo arctius mortalium mentes tenentur.

Herioldum Regem sibi Ludovicus devincit ad fidem Christianam Daniæ inferendam.

Nihil hac Ludovici præsentiâ per æstatem ad fontes Paderæ Hathumaro aut honorificentius aut jucundius evenire poterat, per quam in intimam Imperatoris gratiam receptus est. Neque Imperatori quicquam jucundius fuit, quàm videre Christi religionem per Saxoniam efflorere, operâ sanctissimorum Præsulum & Sacerdotum. Adeo quippe sacrarum rerum amans, & Ecclesiæ proferendæ studio incensus erat, ut passim milites, dum in Aquitania ageret, non modò Regem sed & Sacerdotem compellârint; quemadmodum

dum & Clerum omnem in Aquitania per longa bella dissolutum tanquam instaurator aliquis Episcopusque ad veterem disciplinam reduxit; quem longè meliori formâ per Saxoniam efflorescente religione conspexit, ideoque patris liberalitate complexus est; quanquam Hathumaro quid præstiterit vetustate temporis subtractum sit. Vixisse autem per id tempus Hathumarum Episcopum nostrum, cùm Jmperator Kalendis Julij Paderbornæ conventum ageret, satis compertum habemus ex vetusto auctore, qui nova ad Visurgim Corbejæ exordia & translationem S. Viti conscripsit. Alterum, quia ad hunc annum & jurisdictionem sacram Hathumari Episcopi spectat, cujus voluntas ad hanc rem ab Jmperatore postulata fuit, operæ pretium erit hoc loco referre.

Corbejæ ad Visurgim origo & prima institutio.

Postquam Saxonia integrè debellata, ut hic auctor attestatur, ac jam etiam Episcopi introducti; Sacerdotes & Pastores populo dati, & disciplina Ecclesiastica per collegia Clericorum satis formata erat; sæpe agitatum in comitijs Caroli de cœnobijs Monachorum per Saxoniam instituendis; quod haud dubiè secum Carolus pervolverit, quanto nimirum Christianæ religionis emolumento progressuque Monachorum cœnobia per Hassiam instituta essent. Verùm ad eum diem nullus hactenus sese commodus locus obtulerat; in quo monasticum vitæ institutum collocaret. Hæc interim Caroli salutaria consilia cùm ad aures Adelhardi Corbejensis in Gallia Abbatis pervenissent; quòd is non modò Caroli consanguineus ac consobrinus, seu ut alij, patruelis ex Bernardo Caroli Martelli filio genitus, sed & inter primores palatij Consiliarios intimus, magnopere sibi hanc rem curæ sumpsit, eò vel inprimis, quòd Carolus ejus quoque rei obsides & captivos Saxonum per Monasteria Francorum distribuerat, multosque ex his in Corbeja Galliæ collocârat; quo ex eorum numero haberet, per quos monasticum vitæ institutum per Saxoniam transportaret. Erat tum temporis Corbejæ inter illos Theodradus ex nobili Saxonum familiâ, quem Adelhardus consuluit, utrumne in parentis possessionibus locus monasterio condendo accommodus esset. Quo indicante, misit Theodradum in Saxoniam, qui locum exploraret, & parentum ac consanguineorum voluntatem referret. Dum verò in eo itinere versatur, ac parentes etiam omnesque consanguineos ad id promptissimos est nactus, accidit interea, dum hæc agebantur, Adelhardum Abbatem mitti in Jtaliam, ut Bernardi nepotis ex Pipino filio geniti pueritiam, & loco ejus Regnum Longobardorum administraret; quando Pipinus jam anno DCCCX è vivis excesserat, relicto impubere filio Bernardo, cui Carolus Jtaliæ Regnum promiserat. Ita Adelhardo ex Gallijs & aulâ Caroli

Pasch. Radbertus in vita Adelhardi. Bollandus in Vita Caroli M.

evocato

evocato in Jtaliam, quæ cœpta erant consilia instituendi in Saxonia cœnobij per aliquot annos sunt intermissa. Post ubi Carolum M. anno Christi DCCCXIV obijsse intellexit Adelhardus, ac Bernardo Regi interim de conjuge prospexerat, in Gallias redijt, Ludovico jam pro Carolo regnante. Sed ecce novum consulti operis impedimentum: vix dum Adelhardus Abbas Corbeiam suam repetierat, cùm æmulorum falsorumque hominum criminationibus traductus apud Ludovicum Jmperatorem, innocens in exilium mandato Jmperatoris projicitur, imperatumque ut Monachi alium sibi Abbatem deligerent. Jgitur in Adelhardi locum subrogatus alius nomine Adelhardus, quem juniorem compellârunt, vir ut nomine ita religione & virtutibus seniori non dissimilis; à quo cœpti operis cura non minùs suscepta, Walone cumprimis hortante. Erat enim Walo frater germanus Adelhardi senioris idemque Monachus in Corbeia Gallicâ, qui eò etiam impensiùs hoc negotium sollicitavit, quòd antequam Monachum indueret, inter primores aulæ sub Carolo præfecturam gesserat in Saxonia. Hujus ergò consilio, hortatuque ceterorum Monachorum, Adelhardus junior Abbas profectus est ad Ludovicum, *factumque est id eodem tempore*, ut hæc prisci ejusdem scriptoris referam verbis, *quo Serenissimus Imperator Ludovicus habebat placitum in Saxonia, in loco, qui dicitur Patherbrunna, in secundo anno regni sui, Incarnationis verò Domini octingentesimo decimo quinto. Tunc accessit præfatus Abbas* ad eum, et locutus est ei, cum consilio suadens, ut ad profectum Christianæ religionis in eâdem Provinciâ monasterium Monachorum construere juberet: quod cùm piissimus Princeps benignè suscepisset;* PLACUIT ACCERSERE EPISCOPUM NOMINE HATHUMARUM, AD CUJUS DIOECESIN PERTINEBAT LOCUS, *ubi construendum erat Monasterium, ut cum ejus fieret imperio et voluntate. Sicque factum est, ut ab ea die et deinceps religio Monachorum etiam in regione Saxonicâ succresceret atque proficeret.* Eodem die remisit Dominus Jmperator omne servitium quod ad se pertinebat, ut liberius sanctum opus implere possent. Cœpit autem ædificare in loco, qui dicitur HETHIS; ubi cùm per sex, & eo ampliùs annos laborassent, nihil proficere potuerunt, nisi quod religio sancta in loco deserto tradebatur. Nam locus iste aridus erat, ut nec victum nec vestimentum ibidem invenire possent, nisi quantum præfatus Abbas e Monasterio proprio deferre faciebat; augebatur tamen quotidie numerus Monachorum ex nobilissimo Saxonum genere; pueri quoque bonæ indolis instruebantur optimè, & licet opibus essent pauperes, religione tamen sanctâ pollebant.

* Adelhardus.

Hæc

Hæc celeberrimi ad Visurgim cœnobij Corbeiensis initia, atq; ut omnium fere ejusmodi esse solent, aspera satis. Monstrantur adhuc ejusdem loci vestigia trans Visurgim in vasto Sollingano nemore, quem Theodradi parentes nobiles & consanguinei ultro obtulêre excolendum, in eoque nobiles Saxoniæ alij filios suos in disciplinas scholarum atque ad litteras addiscendas, alij & ad ipsum institutum Monachorum amplectendum obtulerunt. Locus porro HECHI, quem alij Hethi vocant, quique prima cœnobij Corbeiensis fundamenta dedit, trans Visurgim situs est; quod argumento est jurisdictionem sacram Episcopi Paderbornensis latè per eas oras, ut Carolus M. descripserat, sese porrexisse. Nec minùs præclara Ludovici Pij Jmperatoris religio, noluisse citra voluntatem Hathumari Episcopi locum dare Monachis: quo discerent posteri politicique Principes, nihil sibi juris esse in ijs, quæ sacræ jurisdictionis sunt, & Ecclesia Episcoporum potestati subjecit. Neque in hac narratione nos turbare debet, quod Gerhardus sylvæ majoris Abbas, idemque olim Corbeiensis in Gallia Monachus referat; scriptorem translationis S. Viti authenticum non esse, eò quòd in Chronicis Principum & successoribus Adelhardi erret; at qualecunque id scriptum sit, utrumne hoc ipsum, quod Corbeja ad Visurgim pro authentico asservavit, an aliud, certo constare non potest. Nos certè in ijs, quæ adduximus, nullum errorem chronologiæ agnoscimus, præterquam quod Gerhardus Abbas valdè involutè scribat, ut ægrè admodum mentem ejus divinare liceat.

Obitus B. Hathumari primi Paderborn. Episcopi.

Ceterùm Hathumarus Episcopus ab his Paderbornensibus comitijs congressuque cum Ludovico Jmperatore, haud multùm superstes fuit; nam ad hunc annum vixisse testantur ea, quæ retulimus: tum quòd in actis Liborianis memoretur, *defuncto Carolo M. Hathumarum quoque Episcopum non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem*, ut credimus, *vitam assumptum esse*, cui Baduradus successit. Dies obitûs in necrologio Abdinghovensis Monasterij consignatus apud nos in hæc verba, *V. Jdus Augusti obiit Hathumarus Episcopus*, quem diem anni hujus decimi quinti ac secundi Ludovici Jmperatoris statuimus. Et si ab anno Christi 795. exordia Episcopatûs, ut commemoravimus, ducantur ad hunc annum 815. anni universi, quos in Episcopatu exegit Hathumarus, viceni erunt. Quapropter falluntur Gobelinus, Crantzius, Bruschius, Cratepolius, Kersenbrochius, qui nono Episcopatûs anno excessisse scribunt, abducti in errorem ab Auctore vitæ Meinwerci Episcopi, à quo hic idem annus malè primùm consignatus est.

Corpus

Corpus sanctissimi Præsulis, ut Harius refert, antiquitus in crypta Basilicæ humatum fuit, tumulo etiam è terra altius erecto; cujus tamen nulla vestigia monstrata. Neque alius mos tùm erat, quàm humili & angusto sepulchro claudere Episcopos; qualis D. Ludgeri & tot Episcoporum in cœnobio Werthinensi conspiciuntur hodiedum. Jmadus tandem XII. Episcopus ossa primorum Episcoporum anno Christi MLXVIII collegit in unum tumulum & urnam, collocavitque honoratiore simul loco in crypta antè aram à Leone Pontifice olim consecratam, ac muro sepulchra inclusit, cippo contecta. Dies hujus translationis VII idus Septembris Divûm etiam honoribus celebris est habitus. Locus ipse cryptæ extructis altaribus, constitutis sacrificijs, piorum oblationibus, ac votivis supplicum precibus cultus, non sine beneficijs cœlitus etiam impetratis. Deinde cùm ab ingressa hæresi in urbem, ac per longa superiorum temporum bella, Hathumari ceterorumque Episcoporum memoria rursùm prope obruta jacuisset, cippo etiam tumuli ablato, ut parum de communi sepulchro constaret; *FERDINANDUS* Episcopus demum monumentum instauravit, ossaque, inter quæ adhuc quinque capita reperta sunt integra, mundioribus integumentis involuta, quàm honorificentissimè condidit. Atque ut posteritatis memoriæ ac pietati certiùs consuleret, tumulum altius & magnificentius erexit è terra, è cujus impositi lapidis planitie hæc elegans *FERDINANDI* Episcopi nostri inscriptio legitur.

Cujus ossa elevata ab Jmado Episcopo ann. 1068.

Deinde pristinæ venerationi restituta à Ferdinando II. Episcopo anno 1666.

SEPUL-

SEPULCRUM

PRIMORUM EPISCOPORUM PADERBORNENSIUM RESTAURATUM IN CRYPTA ÆDIS CATHEDRALIS.

FERDINANDUS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS PADERBORNENSIS S.R.I. PRINCEPS ET COMES PYRMONTANUS.

PRIMORUM HUJUS ECCLESIÆ EPISCOPORUM CORPORA AN. DOM. INCARNAT. MLXVIII. INDICT. VI HENRICI IV. IMP. AN. XIII. ORDINATIONIS VERO. IMMADI. EPISCOPI. PADERBORNENSIS AN. XVI. INVENTA. ET. COLLECTA TRANSLATA. AUTEM. ET. SEPULTA. VII. ID SEPTEMB. NE. RECLUSO. SUPERIORIBUS TEMPORIBUS. SEPULCRO. NEGLECTA. DIUTIUS JACERENT. INSTAURATO. PRISTINO. MONUMENTO. COMPOSUIT. ET. ANTIQUÆ VENERATIONIS. MEMORIAM. RENOVAVIT AN. MDCLXVI.

ANNA-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER II.

B. BADURADUS, II9 EPISCOPUS PADERBORNENSIS.

Annus Christi 815.

Leonis III. Papæ 20.
Ludovici Pij Imp. 2.
Baduradi Ep. Pad. I.



Ost excessum Hathumari Episcopi, subrogatus est Baduradus, Anno Christi 815. Ludovici Pij Imperatoris secundo; quem altero dehinc anno semper est consecutus, gesto Episcopatu in quadragesimum tertium annum. Nomen hujus Præsulis pro scriptorum varietate varium; alij Baderatum & Baduratum, alij Badaradum & Baduranum vocant. Teganus priscus ex eadem ætate scriptor Baradadum appellavit. Nostri (quod certius ei in diplomate Ludovici Pij nomen est) Baderadum & Baduradum scribunt. Præclarus & dignus eo sæculo Episcopus; quem ab integritate vitæ, fervore religionis, magnitudine animi, atque ab omni virtutum ornatu scripta factaque mirificè commendant. Paucis hæc Ido Presbyter complexus in actis Liborianis. *Hathumaro*, inquit, *successit Baduradus, qui et ipse ex hac regione, nobili ortus prosapia, ex ejusdem Ecclesiæ, Herbipolensis videlicet, Clero electus est. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis et industriæ merito familiaritatem regiam intimè consecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, ut ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, provehendæ, atque adornandæ Ecclesiæ sibi commissæ suppetere videretur.* Genus igitur Baduradi (quod & Auctor vitæ Meinwerci Episcopi retulit) ex nobili Saxonum familia, atque, ut Gelenius perhibet, ex Adelingis Padbergicis; quorum per illa tempora ingentes

Baduradus ex nobilitate Saxonica, & Clero Herbipolensi secundus Paderb. Episcopus.

Ido Presbyter.
Auctor vitæ Meinwerci.
Gelen. lib. 4. Sacra.

 opes,

opes & Episcopis semper formidanda potentia fuit. Certè Baduradus (quod omnes prisci Auctores memorant) puer Carolo M. à Saxonum gente obses inter ceteros nobilium adolescentes datus, quem Carolus Herbipolim D. Burchardo educandum formandumque Christianis moribus transmisit. Inde eâdem, quâ Hathumarus sorte (quam divinam potiùs dixeris providentiam) non modò à primis adolescentiæ annis Christi religione imbutus; sed, quod ad felicitatem accessit, in clerum etiam cooptatus, à D. Burchardo ejusq; successore Megingaudo Episcopo, ceterisque Magistris in collegio clericorum, quod Herbipoli florentissimum erat, excultus est; hausitque cum scientia sacrarum literarum disciplinam religiosæ vitæ, quam Magistri ejus à sancto Bonifacio ac reliquis Apostolicis viris didicerant. Fuitque Badurado primus imitandi ardor tam generis nobilitas, quàm Magistrorum sanctissimorum & collegarum exemplum; tum vel maximè, cùm socialem in communi vitam clerici haud secus quàm Monachi colerent.

Auctor vitæ Ludovici Pii.

Ob præclaras virtutes acceptus Imperatori.

Quapropter ob egregias, quæ in illo conspiciebantur, virtutes, è clero Herbipolensi in Episcopum electus est. Inde commendatus Ludovico pio, à primo congressu in intimam Jmperatoris familiaritatem pervenit. Quod cùm acta Liboriana rectè testantur factum Ludovico Pio Jmperatore, perperam Auctor vitæ Meinwerci adscribit Carolo M. qui jam anno superiori è vivis abierat, ut Baduradum Episcopum videre non licuerit. Res deinde præclarè ab eo gestæ in Episcopatu, mirificè eum commendârunt Jmperatori, æstimavitq; is virum præ ceteris Saxoniæ Episcopis. *Et Baduradus*, ut acta Liboriana proloquuntur, *tanquam ad hoc sibi datam divinitus excellentiam animadverteret, nihil sui laboris studiique subtraxit ab acquirendis et procurandis omnibus, quæ ibidem ad divinæ laudis augmentum, ad utilitatem Christiani populi noverat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, Ecclesias per omnem parochiam suam sub celeritate construere: Principalem verò Basilicam ingenti decore et grandi opere extollere: res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare: augmentare clerum: disciplinam monasterialem instituere: pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis in scholam congregatos in divinæ legis eruditione nutrire. Quod ejus laudabile studium ita felix comitabatur profectus, ut verè illum ad hoc à Deo præsignatum, et rudimentis ejus loci cœlitus concessum dicere valeamus.* Hæc priscus certusq; scriptor ex recenti hujus Episcopi memoria in actis Liborianis, quæ & Auctor vitæ Meinwerci ex eo retulit. Multa his paucis Baduradi elogia, præclaraque non minus pietatis monumenta recognoscis. Nam & Basilicam, quam Hathumarus unà cum collegio canonicorum eduxerat, Baduradus absolvit. Et cleri numerum disciplinamque intra communis vitæ societatem in uno claustro, mensa & choro impensè auxit. Uti id Hathumarus cœperat, & in concilio

Parochias & gymnasium Paderbornæ instituit.

concilio Moguntino, & Aquisgranensi præscriptum erat. Scholas præterea collectâ juventute florentissimas habuit; quæ prima illi cura quoque fuit, ut in ijs, tanquam in seminario Cleri, formaret Sacerdotes Pastoresque, quos rudi genti imponeret Magistros ac Doctores populorum; tum ut Christianæ legis præcepta moresq; una cum literis infunderet in teneros popularium animos. Inde Paderbornenses scholæ non solùm ab Imado XII Episcopo, quod Panegyricus Paderbornensis, Theodoro Episcopo dictus, commendat; sed ab Hathumaro & Badurado primis Episcopis nostris statim per westphaliam celebres florentesque fuerunt. Tanquam ad amœnos Paderæ fontes ipsa Christi religio Musarum camœnas collocare voluerit. Invitabatque locus, quòd per id tempus nullus aut oppidi surgentis aspectu, aut ædium populiq frequentiâ, aut incolarum urbanitate per Saxoniam magis excultus conspiceretur. Quemadmodum hæc inter ceteros Saxo Poëta (quem Paderbornensem fuisse censent Presbyterum) in rebus gestis Caroli M. commendat, vetus sub Arnulpho Imperatore scriptor. Et Baduradus Episcopus postquam domi omnia rite composuerat, nihil pro munere suo sollicitiùs habuit, quàm Diœcesin in comitatu clericorum obire: docere pro concione populum, eumque in parœcias dividere: templa ædesque sacras, ad quas cœtus rusticanæ plebis convenirent, exstruere; eaque, quæ Hathumarus præclarè cœperat, explere. Inter quæ nihil illi impensiùs fuit, quàm Carolinam Paderbornæ Basilicam, ab Hathumaro ad fastigium deductam, absolvere, quam sub initio Episcopatus, opere jam perfecto, XIV Kalendas Decemb. solemni etiam ritu dedicavit. Quanquam quo anno hæc celebritas peracta sit, nec Auctor vitæ D. Meinwerci, qui id retulit, nec fasti nostri meminerint. Nunc per consequentes annos eundo, quantum fas erit, res ab eo gestas, & in Episcopatu ejus memorabiles referamus; Saxonica interim, ac publica modicè ad rerum seriem, ordinemque temporum inspergendo.

Obit & ordinat Diœcesin.

Cathedralem Ecclesiam absolvit ac dedicat.

Annus Christi 816.

Stephani V. Pont. I.
Ludovici Imp. 3.
Baduradi Ep. Pad. 2.

Annus Christi jam processerat DCCCXVI. ex quo Ludovicus pius imperij tertium, Baduradus secundum auspicatus est. Felix Baduradus, quòd pijssimum Imperatorem nactus, cui unicum studium fuit, religionem Christianam per Saxoniæ provincias, patris exemplo, stabilire, fovendo Episcoporum labores, ditando Ecclesias, introducendo Monachos, condendo Monasteria, disciplinam cleri populique formando; ut vel inde cognomento Pius sit appellatus. Nec minus felix Imperator, quòd Saxoniam in Christi religione quiescentem,

Ann. Francor. *Auctor vitæ Ludov.*

Ludovici Pij studium promovendæ Christianæ religionis.

escentem, ac nullis unquam rebellionis motibus concussam, administrare licuerit; bella enim, quæ gessit trans Albim, fuêre adversus Sclavos & Barbaros earum regionum, ipsis jam Saxonibus Christianis contra Barbaros ultro pugnantibus. Et hoc anno Saxones nostri & Franci orientales, facta trans Albim expeditione, Sorabos cum ingenti clade represserunt. Multum Ludovicus Saxonum virtuti confisus, gentem magnopere probavit, quam in Christiana religione constantem, & in bellis sibi fidam experiebatur. Quapropter sub initia Jmperij, uti ab Auctore ejus vitæ relatum est, *Saxonibus atque Frisonibus jus paternæ hæreditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoria clementia restituit. Quod alii liberalitati, alii improvidentiæ assignabant; eò quòd hæ gentes naturali feritati assuefactæ, talibus habenis deberent coërceri, ne scilicet effrænes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eò sibi arctius eos vinciri ratus, quò eis beneficia* potiora *largiretur, non est spe sua deceptus. Nam post hæc easdem gentes semper sibi devotissimas habuit.* At multò celebrior hic annus ex concilio Aquisgranensi, quod jussu Ludovici Jmperatoris convocatum, celeberrimumque fuit, convenientibus Episcopis è nobilissimo Ecclesiæ clero, ut Francorum annales memorant. Reperio Auctorem, qui CCCLXIII Episcopos & Abbates convenisse scribat, quos inter ab aliis numerantur, Hildebaldus Coloniensis, & Haystulphus Moguntinus Archiepiscopi: Walcandus Leodiensis, Meingardus Osnabrugensis, Thiatgrimus Halberstadiensis, Wolfgerus Herbipolensis Episcopi. Nec dubium fecero, quin Gerfridus Monasteriensis, cetérique Saxoniæ Episcopi, ad consalutandum Jmperatorem accesserint. Et Baduradum Episcopum nostrum interfuisse concilio, satis æstimes ex D. Meinulpho Baduradi Diacono, atque intimo clericorum suorum, de quo Gobelinus, aut quisquis est Auctor vitæ ejus. *In hoc provinciali concilio præterea, quæ habent acta synodalia, S. Meinulphus Paderbornensis Ecclesiæ Diaconus, egregia sanctitate clarissimus, accepit licentiam monasterium pro virginibus canonicis regularibus instituendi,* ut prorsus existimem, eum in comitatu sui Episcopi accessisse, cujus auctoritate negotium in concilio & apud Jmperatorem expedierit. Actum in hac celeberrima Episcoporum synodo primùm de canonicorum ac clericorum, tum de sanctimonialium canonicè viventium instituto disciplinaq; quàm exactissimè formanda. Id cùm præsens Jmperator sollicitaret, Patres sublatis in cœlum manibus Deo gratias egêre, eum sibi Principem datum, qui Patris exemplo non minus Ecclesiæ, quàm Jmperij sollicitudinem sumeret. Igitur Episcopi, qui convenerant, discussis diligenter ijs collatisque, quæ aut Pontificum auctoritate, aut SS. Patrum institutis, aut majorum sanctionibus in hanc rem præscripta erant, Canonicorum vivendi rationem CXLV legibus, sanctimonialium verò & Canonicarum Virginum XXVIII statutis

[Margin notes: Ejusdem amor erga Saxones. — Concilium Aquisgranense. — *Vita S. Meinulphi.*]

statutis ordinârunt: quemadmodum hæc acta Synodi, tomis conciliorum comprehensa, exhibent. Transmissa exinde utriusque instituti exemplaria ad omnes Galliæ Germaniæque Metropolitanos; tantæque venerationis apud omnes fuerunt, ut quotidie ex præscripto Episcoporum versarentur in manibus cleri. Ac tota ferè Canonicorum vivendi ratio, uti & Moguntino in concilio jam antè sub Carolo M. præscriptum erat, ad communem vitam arctius redacta; quibus in uno collegio & claustro una bonorum participatio, una mensa, unus chorus, unus dormiendi locus, una bibliotheca, unumque sacrarum literarum sub Magistris studium esset. Post Episcopum, cui omnes obedire par erat, summa rerum administratio penes Decanum & Præpositum; illi sacrarum cura, huic bonorum administratio & œconomiæ procuratio commissa. Ab his proximi in suis quisque munijs diversis, Scholarcha, Cantor, Cellarius, Thesaurarius, Curator hospitum, primarij Collegij (quæ tum Monasteria dicebantur) ministri. Unde hodiedum dignitatis ordo manet. Canonicis adhæc præscriptum, quotidie lectionem sacram à Magistro interprete audire, Claustro sine facultate non exire, non extra illud cibum sumere, nec potum facere; ac ne, qui clerici erant, Monachi reputarentur, vetitum cucullas gestare.

Sirmondus in Concil. Parisien. Concilia Colon. à Binio edita. Baronius ad an. 817.

In quo ordinata Canonicorum vivendi ratio.

Ad hanc formam Hathumarus & Baduradus, primi apud nos Episcopi, primarium collegij clerum Paderbornæ instituerunt; ac ceteri deinde Episcopi in eadem disciplina aliquot sæculis conservârunt. Perstant hodiedum domiciliorum structuræ ac peristillia, mirifica horum omnium monumenta. Diu etiam per Germaniam & Saxoniam hoc communis vitæ institutum viguit in clero, multosque ex suo adhuc ævo florentes testes habet cum Bartholdo, Petro Cluniacensi, Ottone Frisingensi. Quibus exinde causis laxari cœperit, tempori memorabitur.

Ad Canonicorum institutum præscripta sanctimonialibus, seu Canonicis Virginibus ratio vivendi, quibus sub Abbatissæ imperio intra collegij claustrum una bonorum communicatio, una habitatio, una mensa & psallendi chorus. Celebre tum vitæ institutum in Francia, Germania, & Saxonia erat in sequiori sexu; passimq; vocantur Monasteria sanctimonialium, puellarum, sororum, ac canonicarum Virginum, diversa ab instituto Monialium, quibus ad normam D. Benedicti professa vitæ ratio fuit; tantumque ab his discrepabant hæ canonicæ virgines, quantum Canonici à Monachis. Neque monasterij nomen eis derogat, quando tam Canonicorum Collegia, quàm harum olim monasteria sunt dicta. Neque de hac diversitate, & hoc Virginum instituto magnopere dubitare potest, qui concilium Aquisgranense, aut Moguntinum, aut Cabilonense, aut Capitulare Caroli M. Cæsarumque diplomata legerit. Et si prima

Uti & Canonicarum, quarum institutum diversum semper fuit à norma vivendi Monialium religiosarum.

escentem, ac nullis unquam rebellionis motibus concussam, administrare licuerit; bella enim, quæ gessit trans Albim, fuêre adversus Sclavos & Barbaros earum regionum, ipsis jam Saxonibus Christianis contra Barbaros ultro pugnantibus. Et hoc anno Saxones nostri & Franci orientales, facta trans Albim expeditione, Sorabos cum ingenti clade represserunt. Multum Ludovicus Saxonum virtuti confisus, gentem magnopere probavit, quam in Christiana religione constantem, & in bellis sibi fidam experiebatur. Quapropter sub initia Jmperij, uti ab Auctore ejus vitæ relatum est, *Saxonibus atque Frisonibus jus paternæ hereditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, Imperatoria clementia restituit. Quod alii liberalitati, alii improvidentiæ assignabant; eò quòd hæ gentes naturali feritati assuefactæ, talibus habenis deberent coërceri, ne scilicet effrenes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eò sibi arctius eos vinciri ratus, quò eis beneficia* potiora *largiretur, non est spe sua deceptus. Nam post hæc easdem gentes semper sibi devotissimas habuit.* At multò celebrior hic annus ex concilio Aquisgranensi, quod jussu Ludovici Jmperatoris convocatum, celeberrimumque fuit, convenientibus Episcopis è nobilissimo Ecclesiæ clero, ut Francorum annales memorant. Reperio Auctorem, qui CCCLXIII Episcopos & Abbates convenisse scribat, quos inter ab aliis numerantur, Hildebaldus Coloniensis, & Haystulphus Moguntinus Archiepiscopi: Walcandus Leodiensis, Meingardus Osnabrugensis, Thiatgrimus Halberstadiensis, Wolfgerus Herbipolensis Episcopi. Nec dubium fecero, quin Gerfridus Monasteriensis, ceterique Saxoniæ Episcopi, ad consalutandum Jmperatorem accesserint; Et Baduradum Episcopum nostrum interfuisse concilio, satis æstimes ex D. Meinulpho Baduradi Diacono, atque intimo clericorum suorum, de quo Gobelinus, aut quisquis est Auctor vitæ ejus. *In hoc provinciali concilio præterea, quæ habent acta synodalia, S. Meinulphus Paderbornensis Ecclesiæ Diaconus, egregia sanctitate clarissimus, accepit licentiam monasterium pro virginibus canonicis regularibus instituendi,* ut prorsus existimem, eum in comitatu sui Episcopi accessisse, cujus auctoritate negotium in concilio & apud Jmperatorem expedierit. Actum in hac celeberrima Episcoporum synodo primùm de canonicorum ac clericorum, tum de sanctimonialium canonicè viventium instituto disciplinaq; quàm exactissimè formanda. Id cùm præsens Jmperator sollicitaret, Patres sublatis in cœlum manibus Deo gratias egêre, eum sibi Principem datum, qui Patris exemplo non minus Ecclesiæ, quàm Jmperij sollicitudinem sumeret. Igitur Episcopi, qui convenerant, discussis diligenter ijs collatisque, quæ aut Pontificum auctoritate, aut SS. Patrum institutis, aut majorum sanctionibus in hanc rem præscripta erant, Canonicorum vivendi rationem CXLV legibus, sanctimonialium verò & Canonicarum Virginum XXVIII statutis

Ejusdem amor erga Saxones.

Concilium Aquisgranense.

Vita S. Meinulphi.

statutis ordinarunt: quemadmodum hæc acta Synodi, tomis conciliorum comprehensa, exhibent. Transmissa exinde utriusque instituti exemplaria ad omnes Galliæ Germaniæque Metropolitanos; tantæque venerationis apud omnes fuerunt, ut quotidie ex præscripto Episcoporum versarentur in manibus cleri. Ac tota ferè Canonicorum vivendi ratio, uti & Moguntino in concilio jam antè sub Carolo M. præscriptum erat, ad communem vitam arctius redacta; quibus in uno collegio & claustro una bonorum participatio, una mensa, unus chorus, unus dormiendi locus, una bibliotheca, unumque sacrarum literarum sub Magistris studium esset. Post Episcopum, cui omnes obedire par erat, summa rerum administratio penes Decanum & Præpositum; illi sacrarum cura, huic bonorum administratio & œconomiæ procuratio commissa. Ab his proximi in suis quisque munijs diversis, Scholarcha, Cantor, Cellarius, Thesaurarius, Curator hospitum, primarij Collegij (quæ tum Monasteria dicebantur) ministri. Unde hodiedum dignitatis ordo manet. Canonicis adhæc præscriptum, quotidie lectionem sacram à Magistro interprete audire, Claustro sine facultate non exire, non extra illud cibum sumere, nec potum facere; ac ne, qui clerici erant, Monachi reputarentur, vetitum cucullas gestare.

Sirmondus in Concil. Parisien. Concilia Colon. à Binio edita. Baronius ad an. 817.

In quo ordinata Canonicorum vivendi ratio.

Ad hanc formam Hathumarus & Baduradus, primi apud nos Episcopi, primarium collegij clerum Paderbornæ instituerunt; ac ceteri deinde Episcopi in eadem disciplina aliquot sæculis conservârunt. Perstant hodiedum domiciliorum structuræ ac peristilia, mirifica horum omnium monumenta. Diu etiam per Germaniam & Saxoniam hoc communis vitæ institutum viguit in clero, multosque ex suo adhuc ævo florentes testes habet cum Bartholdo, Petro Cluniacensi, Ottone Frisingensi. Quibus exinde causis laxari cœperit, tempori memorabitur.

Ad Canonicorum institutum præscripta sanctimonialibus, seu Canonicis Virginibus ratio vivendi, quibus sub Abbatissæ imperio intra collegij claustrum una bonorum communicatio, una habitatio, una mensa & psallendi chorus. Celebre tum vitæ institutum in Francia, Germania, & Saxonia erat in sequiori sexu; passimq; vocantur Monasteria sanctimonialium, puellarum, sororum, ac canonicarum Virginum, diversa ab instituto Monialium, quibus ad normam D. Benedicti professa vitæ ratio fuit; tantumque ab his discrepabant hæ canonicæ virgines, quantum Canonici à Monachis. Neque monasterij nomen eis derogat, quando tam Canonicorum Collegia, quàm harum olim monasteria sunt dicta. Neque de hac diversitate, & hoc Virginum instituto magnopere dubitare potest, qui concilium Aquisgranense, aut Moguntinum, aut Cabilonense, aut Capitulare Caroli M. Cæsarumque diplomata legerit. Et si prima

Uti & Canonicarum, quarum institutum diversum semper fuit à norma vivendi Monialium religiosarum.

prima dehinc Monasteria per Saxoniam instituta inspiciantur, reperies pleraque sanctimonialium fuisse canonicè viventium; quale Herivordense à Ludovico pio Jmp. instauratum: Bodecense à D. Meinulpho, & Herisiense à Luthardo III Episcopo nostro in hac Diœcesi instituta. Falliturque ipse scriptor vitæ Ludovici, qui concilio finito memorat, Benedictum Abbatem ab Jmperatore constitutum, qui omnia monasteria Monachorum & sanctimonialium obiret, & ad regulam D. Benedicti conformaret; quando in hujus anni concilio nihil peractum de Monachorum instituto; id enim statutum anno proximo in alio conventu Abbatum, qui sexto Jdus Julij Aquisgrani in domo palatij, quæ Lateranis dicebatur, congregatus est; ex eaque synodo jussus Benedictus Abbas utriusque sexûs Monasteria sui ordinis ad meliorem vitæ formam redigere, quos conventus hic Auctor vitæ Ludovici Jmperatoris narrando permiscet. Sed nec hic locus hanc rem disquirendi.

Sirmondus in concil. Gallic. Binius tom. 3 concil. Labbei & Cossartius tom. 7. Concil. General.

Id potius asseramus, post synodum Aquisgranensem in palatio Jmperatoris editum esse capitulare ex Episcoporum sententijs ab Jmperatore, quo tam clericorum libertati, quàm populi moribus præclarè consultum; interque has leges de electione Episcoporum in hæc verba sancitum. *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant*: quam legem & in capitularium libris reperias. Non jam mirabitur quispiam, si exinde audiat etiam per Saxoniam Episcopos cleri suffragijs delectos, quod heterodoxi soli Cæsarum & Principum potestati tribuunt. Leges, quæ in hoc capitulari præscribuntur, viginti novem recitantur à Sirmondo. Nec tulisse satis habuit religiosissimus Jmperator: continuò etiam Missos suos cum suprema potestate nominavit, Episcopum videlicet & comitem, per singulas provincias, qui capita legum per Ecclesias promulgarent præstarentque, ut servarentur. Quo Jmperatoris studio & auctoritate mirificè per Germaniam & Saxoniam effloruit Christiana religio. Ac verisimile habeo Badurado hanc Missi legationem per Saxoniam impositam esse, quando id munus viro ob zelum & magnitudinem animi etiam aliàs commissum, infra memorabimus.

Tom. xx. Concil. Parisien. Sirmondus in notis.

Electio Episcopi in eodem concilio permissa Clero & populo.

Lib. 1. cap. 84.

Annus Christi 817.

Paschalis Papæ I.
Ludovici Pij Jmp. 4.
Baduradi Ep. Pad. 3.

Hyemabat

Hyemabat inter hæc Jmperator Aquisgrani (quam urbem sibi exinde constanter delegit in Germania sedem Jmperij) ubi auditi legati diversarum gentium, Saracenorum ex Hispania, Leonis Armeni è Constantinopolitana urbe, Godefridi Regis è Dania filiorum. Pontifices ex Jtalia præsentes aderant, spectabaturque Caroli Patris majestas in filio. Quanquam in illo fastigio honorum humano casu dejectus penè interijsset; dum enim Feria V. Cœna Domini è Basilica ad palatium redit, lignea porticus, per quam incedebat, putredinis vitio collabens Jmperatorem in imam aream cum xx aulicis præcipitem traxit. Læsa capulo gladij pars sinistra pectoris,& dexterum femur collisum, nullo tamen letali vulnere. Ideo medicorum industria intra vigesimum diem restitutus, Neomagum proficiscitur. Post Aquisgranum reversus publicum conventum procerum indicit; & tanquam mortalitatis admonitus, in eo Lotharium natu maximum Jmperij consortem adlegit. Ceteri filij Reges dicti; ac Pipinus Aquitaniæ, Ludovicus Bojariæ præfectus. Subinde Abotritorum defectio nunciatur.(Megapolitani nunc eam regionem incolunt trans Albim) Gens hactenus, etsi Christianis sacris nondum imbuta, Carolo tamen M. fœderata fidaque adversus Francorum & Christianorum hostes; Thrasicone cumprimis gentis principe id agente, & pro Carolo pugnante, uti id Francorum annales retulerunt. Moriens dehinc Thrasico filium reliquit Ceadragum hæredem, sed impuberem; eò principatus administratio popularium gratiâ data est Sclaomiro tutori. Post, ubi Ludovico Jmperatore, Ceadragus ex ephæbis egressus principatum repetijt,& Sclaomirus Regni cupiditate captus reddere detrectat, Ceadragus Ludovicum appellat. Jmperator, ut litem componeret, principatum partitur inter utrumque. Sed nec illo judicio contentus Sclaomirus, jurat se nec Albim transiturum, neque ad obsequium Jmperatoris venturum; & mox hostilia intentans, Godefridi Regis Danorum filios implorat. Illi, ut jam antè exacerbati erant ob Harioldum à Ludovico parti Regni Daniæ impositum, cum classe & terrestri exercitu Sclaomiro in auxilium adsunt,& in Transalbianos Saxones, per quos jam latè Christi religio disseminata erat, perinfensi movent, castrumque Essesfeldium, quod Francorum & Saxonum præsidio tenebatur, oppugnant. Jmperator, ut malo huic occurreret, Comitibus Saxoniæ mandat exercitum contrahere. Sed priusquam hi adventarent, Barbari ultro obsidionem solvunt, præsidiariorum fortitudine delusi.

Ann. Francorum. Auctor vitæ Ludovici. Nithardus. Ludovicus Aquisgrani hybernans

Lotharium filium Imperij consortem adlegit:

Et contra deficientes Abotritos movet.

Sub id tempus Jmperator tristiori nuncio perculsus, intelligit Bernardum, Pipini fratris ex concubina filium, cui Jtaliæ administrationem commiserat, per vim & tyrannidem Regnum occupare. Offensus juvenis, quòd, se præterito, Lotharius consors Jmperij

adscitus

Annales Francorum. Vita Ludovici Auctor. Theganus.

Bernardi Italiæ Regis conspiratio adversus Imperatorem.

adscitus à patre Italiæ Regno destinaretur. Præter Regni proceres Anselmus Mediolanensis, Wolfoldus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis Episcopi conspirationis rei. Ad hos motus comprimendos Imperator ex tota Gallia & Germania delectus facit, magnáque celeritate in Italiam contendit. quibus perculsus juvenis, cùm à suis se deseri videret, ultrò supplex occurrit, & humi prostratus flagitium deprecatur; quem Imperator in custodiam abripi jubet, unáque Ægidium florentissimum gratia Ludovici Reginerium palatij comitem, Reginaldum cubiculi præpositum, pluresq; alios.

Annus Christi 818.

Paschalis 2.
Ludovici Pij Imp. 5.
Baduradi Ep. Pad. 4.

Ann. Francorum. Auctor vitæ Ludovici. Nithard. Theganus. Sigon. lib. 4. de Regno Italiæ.

Oculis orbantur Bernardus & qui cum eo conspirârant.

Inde Imperator Aquisgranum regressus, transactoque quadragesimali jejunio, istic paucis post Pascha diebus comitia magno procerum conventu habuit. Deliberatum in ijs de Bernardo Italiæ Rege ceterisque conspirationis auctoribus, quâ pœnâ scelus plectendum. Ac veteri Francorum lege, rei læsæ Majestatis judicati, damnatique sunt capitis. At cùm Imperator pro insita clementia carcerem mallet pro supplicio, frementibus contrà primoribus, passus est optimus Princeps Bernardum, & qui proximè obnoxij sceleris, oculis orbari. Ex quo supplicij dolore Bernardus & Reginerius tertio die interierunt. Episcopi, decreto Synodali, aut dignitate dejecti, aut in cœnobia detrusi: Ceteri, ut magis minusuè rei, aut attonsi in monachos, aut in exilium deportati. Tractus in hanc pœnam, calumniantum invidia, Adelbertus Corbeiensis Abbas, Caroli M. Consobrinus, vir sanctitatis nota percelebris; quem haud multò post novæ ad Visurgim Corbeiæ conditorem introducemus. Multis viri hujus innocentiam testatur S. Paschasius Ratbertus in vita ejus. His in reos peractis, Italiáque rursum ad Imperium ex integro reductâ, Imperator cum exercitu in Britanniam movit; quam dum subigit, morte subtrahitur Andegavis Irmingardis conjux, ex qua Lotharium, Pipinum, & Ludovicum Germaniæ Reges sustulerat.

Annus Christi 819.

Paschalis Pont. 3.
Ludovici Pij Imp. 6.
Baduradi Ep. Pad. 5.

Dolore amissæ conjugis, & mortalitatis cogitatione plenus Ludovicus Aquisgranum redijt ad hyberna; ubi secum meditari cœpit abdicato Imperio cœnobium ingredi, quod jam ante Imperium

um sumptum versârat cum animo: id cùm haud fallacibus conjecturis innotuit proceribus, magnæque Imperij conturbationi futurum timeretur, expugnârunt animum Imperatoris; qui ex adductis subinde pulcherrimis Comitum liberis selegit Juditham, Welponis Comitis filiam, cui mater scribitur à Thegano fuisse nobilissimi Saxonici generis. Verùm, ut Caroli patris cum Fastrada, ita Ludovici cum Juditha connubium multis fuit obnoxium malis, quæ novercas inter & privignos oriri solita. Incensa hæc odia, postquam Ludovicus ex Juditha suscepit Carolum filium, cognomento Calvum, quem primò Franciæ Regem, deinde Imperatorem conspexit. Ceterùm hoc anno in conventu Episcoporum & Abbatum, Aquisgrani post natalem Christi habito, multa de statu Ecclesiæ & monasteriorum pertractata sunt: decretis etiam conscriptis, additisque ad ea, quæ in superiori synodo statuta erant. Nihil interim à curis bellicis remissum ab Imperatore (& quia Sclaomirus Abotritorum Rex, contemptor mandati Imperatoris, non destitit turbare Transalbianos ac populares suos, Ludovicus exercitum Saxonum & orientalium Francorum Albim transire imperat. Ducesque nominati, præfecti Saxonici limitis & legati; quorum auspicijs Sclaomirus obtritus, captusque Aquisgranum perducitur; quem cùm primores gentis suæ, qui simul jussi adesse, de multis criminibus accusarent, neque ille purgare se posset, exilio mulctatus est, Regnumque Ceadrago Thrasiconis filio ex integro est redditum.

Ann. Francor. *Auctor vita Ludov.* *Theganus.* Ludovici cum Juditha matrimonium, sed parum felix.

Sclaomirum Imperator subigit, & in exilium mittit.

Justitiæ enim, si quisquam à Carolo M. Imperatore, amans fuit Ludovicus pius. Nam postquam ad eum est relatum, ut Theganus asserit, multos per Imperium esse, comitum & ministrorum iniquitate, aut libertate contra fas exutos, aut patrimonij bonis spoliatos, aut injuria oppressos; ordinatis per provincias legatis Missisque, ut vocant, fidissimis, in singula jussit inquiri, quæque sub patre iniquè erant acta, rescindi; & postquam omnibus ex æquo sua essent reddita, singulorum tabulis manu sua subscripsit: cujus rei hîc præclarum damus specimen ex diplomate ejus, quod hactenus in tabulario Corbeiensi compressum delituit.

Justitiam eximiè colit.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam præsentibus et futuris, quia quidam homines ex pago Stormuse, Ethingh videlicet et HRuotmar, nec non Thancmar, questi sunt Missis nostris Ertangario Comiti et Erlegaldo Misso nostro, eò quòd, quando infidelium Wigmodorum ad partem dominicam revocatæ fuerunt, res eorum, qui tunc fideles Francis erant, pariter cum ipsis injustè sociatæ fuissent. Quæ res dum ab eisdem Missis et cæteris fidelibus nostris juxta veritatis et æquitatis ordinem diligenter perscrutata, et per homines bonæ fidei veraciter inquisita esset, inventum est illos res eorum injustè amisisse, eò quod illas forfactas non

habuerunt, nec infideles fuerunt. Proinde placuit nobis prædictis hominibus res, quas eo tempore justè et rationabiliter habebant, reddi. Ob firmitatis tamen gratiam placuit serenitati nostræ, ut pro mercedis nostræ augmento et æternæ retributionis fructu hoc præceptum nostrum eis fieret, per quod jubemus atque decernimus, ut nostris futurisque temporibus res, quas eo tempore justè et legaliter possidebant, et eis injustè ablatæ fuerant, teneant atque possideant, et nullam deinceps commotionem, aut calumniam, aut aliquod impedimentum à quoquam nec ipsi, aut filii, aut posteritas eorum ab hodierno die et tempore pro hac causa se habituros penitus pertimescant; sed ut dictum est, absque alicujus contrarietate et præjudicio res in sui suorumque hæredum dominio perpetim legaliter et firmiter possideant, suisque posteris habendas relinquant, vel quidquid exinde elegerint, faciant, et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari. Data IX Kalend. ··· Anno Christro propitio. VI Imperii Domni HLudovici serenissimi Augusti. Indictione XII. Actum Ingelinheim Palatio publico in Dei nomine feliciter amen.

Annus Christi 820.

Paschalis Pont. 4.
Ludovici Pij Jmp. 7.
Baduradi Ep. Pad. 6.

Ann. Francorum. Bellum suscipit adversus Lindewitum Pannoniæ Principem.

Anno dehinc vigesimo supra octingentesimum celebris procerum totius Imperij conventus est habitus Aquisgrani mense Januario, quo omnium sententijs bellum Pannonicum decretum adversus Lindewitum, inquietum & turbulentum gentis Principem. Magno per hyemem apparatu id susceptum, & verno tempore tres exercitus, ut convenerat, producti in campum ex Saxonia, Francia orientali, Alemannia, Bojaria & Italia. Ac magnis quidem cladibus attritus Lindevitus, non tamen domitus; quòd in ardui montis castellum se suosque receperat, & miles Imperatorius multum absumptus fuerat locorum & aquarum insalubritate. quo malo Saxonum & orientalium Francorum exercitus ad Dravum amnem profluvio ventris magnam partem interijt. Interim Saxonia trans Albim quieta à Danorum incursationibus; ausa tamen Nortmannorum gens XIII navibus piraticis infestare Flandrense littus. Nihil per Saxoniam omnem felicius, quàm ubique florescentem Christianam rem aspicere, messis multa, in quâ tantùm operarij desiderati.

Annus Christi 821.

Paschalis Pont. 5.
Ludovici Pij Imp. 8.
Baduradi Ep. Pad. 7.

Rursum

Rursum anno consequenti frequens procerum conventus Aquisgrani mense Februario indictus, quo triplici exercitu in Pannoniam adversus Lindewitum eundum decernitur; eò omnis vis Imperij contracta: nec alio exitu gestum bellum, quàm vastatione agrorum. Ac ne quid in Frisia turbaretur, Imperator Noviomagum digressus est ad conventum procerum, in quo divisionem Regni inter Lotharium, Pipinum, & Ludovicum filios à se factam comprobare voluit, tanquam ex specula præviderit tempestatem filiorum æmulatione imminentem. Inde Aquisgranum reversus inter sacra Ecclesiæ negotia præclaro liberalitatis diplomate consuluit religiosis è D. Benedicti familia viris per Westphaliam laborantibus: seu illi partim à Gerfrido Monasteriensium Episcopo ex Werthinensi cœnobio expetiti in hanc vineam: seu partim à Mindensi Episcopo ad Visurgim in Visbeke ex congregatione Solingani saltus cœptâ evocati (jam enim ante Monachi, ob penuriam in tres partes divisi erant, alibi meliorem locum quæsituri) tabulas certè hoc anno consignatas reperio. Religiosis Benedictinis succurrit.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si Sacerdotum et servorum Dei petitiones, quas pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solùm imperialem exercemus mansuetudinem, verùm etiam ad beatæ retributionis mercedem talia nobis facta profutura confidimus: Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum solertiæ, præsentium et futurorum, quia vir Venerabilis Castus Abba Ecclesiæ, quæ vocatur Fischbechi, cum subjectis Ecclesiis in eodem pago Leriga, et cum decima de silva Ammeri et Ponteburg, et cæteris Ecclesiis in Hesiga et Fenkiga, excepta una Ecclesia in Saxlinga, quam concessimus ad parochiam sancti Pauli reverti, ad locum, qui vocatur Mimigernaford, ubi Gerfridus Episcopus præesse videtur, veniens ad nos, petiit celsitudinem, ut ipsum sanctum locum pro mercedis nostræ augmento sub nostra defensione et emunitatis tuitione reciperemus. Cujus petitioni pro divino amore adsensimus, et ita in omnibus, quia justè et rationabiliter petiit, per hanc nostram auctoritatem confirmare studuimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostris, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore justè et rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet pagis et territoriis sitas, vel quidquid etiam deinceps propter divinum amorem conlatum fuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones et paratas faciendas, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm et servos injustè distringendos, aut ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat; quicquid autem de rebus præfatæ Ecclesiæ fiscus sperare poterat, totum nos pro divino amore concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum, et stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium

proficiat in augmentum. Quatenus ipsis Servis Dei, qui ibi Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge prolequе nostra et stabilitate ipsius Imperii nostri à Deo nobis concessi atq; conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Prædictam verò Abbatiam illius, circumquaque per diversos pagos sitam, nemo fidelium nostrorum exinde aliquid abstrahere, aut prohibere præsumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum prædicationis, Domino auxiliante, exercere et ministerium suum pleniter peragere. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum [monogram] *HLudovici serenissimi Imperatoris.*
Durandus Diaconus ad Vicem Helisachar recognovi et ss.

Data V Nonas Septembr. anni Imperii nostri VIII. Indictione XIV. Actum Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

Brovverus lib. 1. Antiq. Fuld c. 7. Vita S. Willehadi c. 9. Vita Ansg. c. 11.

Quam hîc Abbatiam Visbeck legis (sive ea ad Visurgim in diœcesi Mindensi, sive in Embslandia in Episcopatu Monasteriensi, ut verius reputes, alicubi fuerit) ea in tabulis Ludovici Germaniæ Regis Cellula vocatur, quæ ejusdem Regis donatione Corbeiensibus postea cessit. Ab alijs Abbatiola dicitur; quibus nominibus stationes, & missionum domicilia appellata: qualia loca Eresburgum & Meppia fuere, Corbeiensi Monasterio conjuncta. Cellæ præterea à Browero vocantur prædia & fundi Monachorum, in quibus Curatores Monachi versabantur, quæ postea in præposituras auctæ. Quem in modum Cella Justina Willehado Episcopo Bremensi donata in Francia à Carolo M. refertur. Hac providentia à Ludovico Imperatore data est Ansgario Cella Thurholtia in Gallijs, quò se reciperent viri illi Apostolici à Barbaris ejecti. Et quæ hîc alia Saxlinga in his tabulis Episcopo Mimigarnefordensi asserta, quàm Linga ad Amesis amnem intra veterem Saxoniam, quæ in oppidum post exexculta? ut vel inde antiqua sibi jura in Lingam Ecclesia D. Pauli vendicet.

Aquisgrano Ludovicus Theonisvillam concessit, ad celebrem Francorum conventum mense Octobri indictum, in quo Lothario filio Irmingardis, Hugonis Comitis filia, in matrimonium data: & qui conspirationis superioris vel rei, vel suspecti fuerant, in gratiam recepti. Tum & inter ceteros Adelhardus Gallicæ Corbejæ Abbas unà cum Bernario fratre ab exilio revocatus, redditusq; magna omnium gratulatione cœnobio suo, haud multò pòst novæ ad Visurgim Corbejæ conditor à nobis introducendus.

Pacatissima

Pacatissima inter hæc Saxonia; nisi quòd Ceadragus Abotritorum Princeps immemor beneficij, aspernatusque Francorum tutelam, Danorum auxilia sollicitârit. Quare Sclaomirus Imperatoris mandato revocatur, Abotritis præficiendus; qui dum in Saxoniam properâret, fatali morbo corripitur; prius tamen, quàm obiret, baptismi aquis abluitur, exilio quàm Regno felicior. Contra Herioldus Saxonum Francorumque ope adjutus, adegit Godefridi Regis filios, ut in partem ac societatem Regni admitteretur.

Annus Christi 822.

Paschalis 6.
Ludovici Pij Imp. 9.
Baduradi Ep. Pad. 8.

Anno proximo, qui Christi aderat octingentesimus vigesimus secundus, Saxones, in quibus omne Imperatoris præsidium erat contra Barbaros, ducto per Albim exercitu, Sorabos & occidentales Sclavos agressi, castrum Delbende, in quo trans Albim se incluserant, expugnant, ejectisque Sorabis, præsidio suo adversus Barbarorum incursiones firmant.

Duos inter hæc Ludovicus Jmperator amplissimos Episcoporum ac procerum conventus habuit; alterum Attiniaci, in quo Princeps summus publicam & Canonicam pœnitentium pœnam suscepit, Theodosij magni exemplo persuasus; palamque fassus, quòd Bernardum Jtaliæ Regem ceterosque conjurationis reos passus esset acerbius puniri; tum quòd Adelhardum Corbeiæ Abbatem, cum walone & Bernario innocentiæ compertum relegasset: eò viros illos consanguineos multò exindè arctius recepit in amicitiam, atque omni beneficentia prosecutus est, ut mox exponam, in novæ Corbeiæ donationibus. Agitatum quoque in hoc congressu Attiniaci de scholis per Saxoniam & Germaniam instituendis, pollicitique sunt Episcopi se, ubi nondum erectæ essent, curaturos. Alterum Jmperator conventum habuit Francofurti, quò hybernatum concesserat; actumque in eo de ordinanda Saxonia, & præstruendis Barbarorum incursibus. Quam in rem evocati Orientalium & Septentrionalium, Sclavorum, Soraborum, Wilsorum, Abotritorum, Bohemorum, Maruanorum, Nortmannorum, Pannonumque Legati adfuere. Integra adhuc majestas Jmperij, cùm omnes hæ gentes Jmperatoris dicto audientes fuere. Quanquam in Ludovico Carolus M. pater non aspiceretur, qui suo ductu præsens bella gereret, & fines Jmperij proferret victorijs. Domum potius videri poterat exornare, quàm pater construxerat, non ampliare, totus in concilijs more Francorum convocandis, in condendis legibus sacris & civilibus, in dotandis Ecclesijs, & cœnobijs Monachorum condendis pijssimus Jmperator occupatus.

Publicam in concilio Attiniacensi pœnitentiam agit Ludovicus.

Baron. ad hunc annum.

E quorum

Auctor Translat. S. Viti. Dat facultatem condendi cœnobium Corbeiense ad Visurgim.

E quorum numero nova ad Visurgim Corbeiensis Monasterij exordia ad hunc annum referimus certo ex auctore, qui translationem S. Viti conscripsit; is enim anno octingentesimo vicesimo secundo Dominicæ Incarnationis, die octavo Idus Augusti prima hujus cœnobij fundamenta jacta docet; errat verò dum id anno Ludovici undecimo factum asserit, quod Gerardo silvæ majoris Abbati in auctore translationis S. Viti ejusque chronologia carpere licuit. Baronius etsi hunc auctorem non adducat, ad hunc tamen annum retulit; perinde ut veteres versus designant, Corbeiensium monumentis inscripti:

Octingentesimus dum vicenusque secundus
Annus erat Christi, Claustro fundum dedit isti,
Filius ille pius Magni Carolus Ludovicus.

Falluntur que alij, qui ad alios annos primordia collocant. Et res ipsa hunc annum exponit; nam postquam in septimum annum hæserant Monachi in Solingano nemore trans Visurgim, nec locum, in quo primò Monasterium condere aggressi sunt, ulla cultura subigi posse viderent, vitamque in summa rerum penuria traherent, ut jam in tres partes divisi sæpius de migratione consilia agitarent: accidit opportunè Adelhardum superiori anno ab exilio revocari ad Corbeiam Franciæ, atque istic edoceri de inopia quacum conflictarentur in Saxonia fratres, Coloniæque ab eo traductæ. Quare continuo submisit pecuniam & annonam; ipse deinde Imperatorem adijt, petijtquè sibi dari facultatem deligendi alium in Saxonia locum, condendo Cœnobio idoneum. Hoc impetrato, cum Walone fratre in Saxoniam profectus est. Quò cùm venisset, didicit à fratribus esse locum ad Visurgim in Auguensi pago propè villam regiam Huxeræ; eóque deductus à suis lustravit diligenter omnia probavitque: mox inito cum Episcopis, comitibus, & nobilissimis ejusdem gentis Viris consilio, expositáque Imperatoris voluntate, facilè singulorum consensum impetravit. Igitur VIII Idus Augusti circumspecta loci opportunitate, prostrati in terram decantaverunt psalmos & litanias, Deum multis precati, vellet initia possessionis esse prospera. Inde ductis lineis, defixisque in terram paxillis dimensi sunt locum, ubi templum, & cœnobij habitacula construerentur. Rursùm octavo Kalendas Septemb. evocatus Baduradus Paderbornensis Episcopus sacratioribus auspicijs locum Deo consecravit, solemnique Ecclesiæ ritu signum Crucis defixit in terra, ubi ara templi parabatur: nomen adeo à Badurado Episcopo dari loco voluerunt, & Corbejam novam appellari. Cœpta mox ædificia extemporanea, tabernaculi in modum, erigi. Tandem mense Octobri ex Hetha Solingani saltus cum omni supellectile demigrárunt Corbeiam Sacri incolæ, Sacerdotes senes, pueri; alteroque die solemne Missæ sacrificium celebratum,

A Badurado Ep. Pad. consecratum,

bratum,& tenuibus inter paupertatem initijs celebre totius Saxoniæ Monasterium Ordinis D. Benedicti exsurgere cœpit. Omnis post illa labor religiosus Virorum conversus in novam templi & cœnobij structuram: quo in opere dum effossa humo fundamenta quærun-tur,reperta est politi operis & punicei coloris columna marmorea, quam eandem fuisse tradunt, quæ patrio vocabulo *Irmensuel* dicta fuit,cui celeberrimum gentis Idolum in monte Martis superimposi-tum stetit. Sive ea à Carolo M. eò deportari defodique in terram jussa à primo anno belli Saxonici,ne qua Idololatriæ memoria superesset: sive alia alterius Idoli columna fuerit,quod in monte Brunonis Hux-ariæ incumbente coluerit superstitio. Inde certe Hildesium trans-vecta,expiataque sacris ceremonijs in Basilica D. Virginis ante cho-rum hodiedum collocata aspicitur, ubi meliori etiam cultu religio-nis statua B. Virginis, quòd jam caput stygij serpentis per Saxoniam obtriverat,ei imposita est.

In cujus fundamentis reperta columna *Irmensul.*

At non minus hoc ipso anno Ludovicus Imperator munificus in Paderbornensem Ecclesiam,Badurado Episcopo omnia privilegia à Carolo M.patre donata confirmavit, & sua etiam, quâ erat bene-volentia in Episcopum,cumulavit. Quam in rem ipsum Imperato-ris diploma ex autographo hactenus reconditum,& Ferdinandi Epi-scopi nostri industria è tabulario productum hîc sistimus.

Ludovicus privilegia Ecclesiæ Paderborn. confirmat & auget.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus: si erga loca divinis culti-bus mancipata,propter amorem Dei ejusq; in eis locis sibi famulantes,beneficia potiora largiamur,præmium apud Dominum æternæ retributionis nobis repen-di non diffidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris,præsenti-bus scilicet et futuris,quia venerabilis vir Baderadus Episcopus Ecclesiæ, quæ est constructa in honore S. Mariæ semper Virginis et sancti Kiliani,in loco, qui dicitur Paderbrunna, missa petitione deprecatus est, ut prædictam sedem cum omnibus ad se justè et legaliter moderno tempore pertinentibus vel aspicienti-bus sub nostra tuitione,et immunitatis defensione cum rebus et mancipiis con-stitueremus,quod ita et fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, aut quislibet ex judicia-ria potestate in Ecclesias,aut loca,vel agros,seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ,quas moderno tempore infra ditionem imperii nostris legibus possidet, aut quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri,ad causas ju-diciario modo audiendas,vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas fa-ciendas, aut fidei jussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendos, nec ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas,ullo unquam tem-pore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt,penitus exigere præ-sumat. Sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus res prædictæ Ec-clesiæ cum omnibus, quas possidet, quieto ordine possidere,et nostro fideliter parere imperio. Quidquid verò fiscus exinde sperare potuerit, totum nos

pro

pro æterna renumeratione prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus; qualiter melius delectet Clericos in eadem sede degentes pro Nobis, Conjuge, et prole nostra Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas per futura tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLVDOVICVS *HLudovici serenissimi Imperatoris. Hirminmaris Diaconus ad vicem Fridugisi Abbatis recognovi.*

Data quarto Non. April. Anno VIIII Imperii Domni HLudovici piissimi Augusti. Indictione XV. Actum Aquisgrani palatio regio. In Dei nomine feliciter, Amen.

Dignum posteritatis memoria diploma, ex quo primorum Imperatorum liberalitatem & pietatem, fiduciamque, quam ex bonorum operum merito profitentur, recognoscas; tum etiam Ecclesiæ Paderbornensis immunitatem, Cleri florem, & cumprimis Episcoporum jurisdictionem in subjectos sibi homines & possessiones perspicuè videas. Qua forma concessæ jurisdictionis civilis diplomata Ecclesiæ Osnabrugensis, jam multò illustrius à Carolo M. consignata, producta sunt in Monumentis Paderbornensibus, ceteris exinde Imperatorum tabulis ijsdem privilegijs subsecuturis; quâ certè religione nullum facilè Hetorodoxorum Principum sacras donationes consignare deprehendes.

Annus Christi 823. 824.

Paschalis 7.
Eugenij II. Pont. 1.
Ludovici Pij Imp. 10. 11.
Baduradi Ep. Pad. 9. 10.

Conventus variorum Legatorum Francofurti.

Versabatur, ut supra diximus, per hujus anni hyemem Imperator Francofurti, novis in hanc rem ædificijs constructis, quo in loco alterum Mense Majo celebrem procerum conventum habuit: jussiq; adesse ex Francia Orientali, Bojaria, Alemannia, Burgundia, & Rheni provincijs Optimates, auditique sunt Barbarorum legati. Quos inter duo fratres Wilsorum Principum de Regno disceptantium ad judicium Imperatoris appellaverunt. Ac postquam Imperator Francofurto Compendium profectus, insecutus Ceadragus Abotritorum Princeps. Is cùm se utcunque purgasset, ob merita Thrasiconis patris restitutus est in provinciam, Sclaomiro fatis prærepto. Eodemque accessit Heraldus Danorum Rex, auxilia petens adversus Godefridi Regis filios, ne, quod illi minabantur, Regno exueretur. Quam in

in rem missi ab Imperatore in Daniam Theothanus & Rotmundus Comites, Regni statum exploraturi; quibuscum Ebbo Remorum Archiepiscopus redijt in Franciam, gente transrhenanus ac Saxo, ut ex Thegano colligas, unus ex eorum numero, qui ex barbaris nationibus ad fastigium Episcopatus perducti, & in conspiratione filiorum ante alios ingrati ac molesti fuerunt Imperatori. Hujus viri ob præclaras animi dotes præclara initia fuêre. Nam ex consilio Imperatoris, Romani Pontificis auctoritate, Evangelij inter Barbaros dissemi-nandi causa, ad terminos Danorum missus fuit; ubi Holsatiam ac transalbianam regionem peragrans, æstate præterita multos ad Christi fidem & baptismum docendo perduxit. Quemadmodum hæc annales Francorum exponunt, & ad hunc annum referunt ejus ex apostolico munere reditum.

Per hanc temporum opportunitatem, & lætos ad Visurgim superioris anni successus, Adelhardus Franciciæ Corbejæ Abbas cum novis Monachorum Colonijs venit in Westphaliam; convocatoq; religiosorum cœtu, qui in nova Corbeja se collegerant, præclara vitæ religiosæ institutique sui documenta singulis dedit. Ac postquam coram omnia sapientissimè ordinasset, redijt in Franciam, retenta sibi, quoad superstes fuit, suprema simul administratione; quò surgenti Monasterio ob auctoritatem, quâ pollebat apud consanguineum Jmperatorem, opportunius consuleret. Quam in rem Walonem fratrem, quem in Francica Corbeia sibi Successorem habuit, ad Jmperatorem misit, rogatum, ut ad tam prospera rerum initia velit Jmperator locum in tutelam suscipere, eamque Corbejæ novæ dare libertatem & privilegia, quæ cetera per Franciam sublimia Monasteria obtinerent. Urgebatur jam senio Adelhardus ad supremam vitæ lineam (quippè qui cum Carolo M. prope adoleverat) eòque sollicitius etiam de Abbate cogitare cœpit, quem novæ ad Visurgim Corbeiæ imponeret. Delegitque ad hoc munus Warenum monachum, ex nobilissimo Francorum & Saxonum genere, quem & Ludovicus Jmperator propinquum suum appellat in diplomate; fortè ob Juditham Saxonici generis conjugem suam. Nam, ut Auctor vitæ Pusinnæ virginis, fuit Warenus genitus Echberto clarissimo Comite ac Duce, Matre Jda splendidissimis natalibus fœmina: fratres habuit Palatinis honoribus & publicis dignitatibus claros; quorum ex sorore neptis Haduvina Herivordensium Abbatissa post delecta, ut in Luthardo memorabitur. Ac juvenis quidem Warenus erat ætate, sed fervore instituti sui, judicij maturitate ac sapientiæ inter ceteros Corbeiæ Francicæ religiosos viros longè præstantissimus; quem vel ex eo æstimârat semper, quòd, cùm in palatio Jmperatorum omnibus percarus, ipse relicta pulcherrima, quam sibi pari nobilitate desponsam habebat, virgine, per summam rerum humanarum contemptionem

S. Adelhardo in administratione novæ Corbeiæ succedit Warenus Imperatoris consanguineus.

Monachi vitam elegisset in Corbeia Francica. Hunc deinde, ut commendârat, post excessum Adelhardi primum sibi Corbeienses ad Visurgim Monachi delegerunt Abbatem. Et Ludovicus Imperator, qui se fundatorem Corbeiæ novæ ferebat, hoc anno statim regia liberalitate Cœnobij fundum, Villam regiam Huxeri, quæ nunc Hoxaria est, & omnes circum agros, prata & possessionem regionis donavit; quod satis diploma, quas ipsas potius fundationis tabulas dixeris, testabitur. Id quidem diploma recitat Cleinsorgius, sed abruptum & germanico idiomate, ideo malè consuluit posteris & torsit alios, qui latina lingua reddere conati sunt, nos hic integrum synceкrumque damus.

Villa regia Huxeri donatur Corbeiensibus ab Imp. Ludovico.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovvicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Neminem fidelium nostrorum dubitare credimus, quàm magnum quondam Domnus et genitor noster Karolus Christianissimus Imperator cum Saxonibus subiit laborem, ut eos ad cognitionem veræ fidei adduceret, quod et divina gratia cooperante, sicut optavit, effecit. Nos verò in ejus solio, superni Numinis dono, sublimati, cuidam venerabili viro Adelhardo seni Abbati ex monasterio, cui vocabulum est Corbeia, in eadem provincia Saxoniæ ob mercedis nostræ augmentum monasterium construere jussimus, et ad idem cœnobium dedicandum ex sacro palatio à Capella nostra misimus venerabiles et sacrosanctas reliquias B. Stephani protomartyris, quod est constructum super Wisera in villa regia, in loco nuncupante dudum Huxeri; ut quia auctore Deo prædictus divæ memoriæ Domnus et genitor noster in eadem gente primum Christianæ religionis fidem confirmavit, ita et nos ad augmentandum solidandumque eiusdem fidei vigorem primùm Monachicæ religionis ordinem illic servandum tenendumq; constituimus, quod ita opitulante omnipotentis gratia ad effectum rei pervenit. Et prædicto monasterio ideo Corbeiæ nomen impositum est, eò quod de antiquo quodam monasterio Corbeia prædicto Adelhardo Abbati seni, cui hanc curam commisimus, assumpto secum germano suo Walone cum cæteris quantis et quibus oportebat Monachis intra eandem provinciam locum aptum et congruum eligerent, atque ibi, pro ut opportunum esse potuisset, præfatum monasterium stabilirent atque construerent. Idcirco placuit excellentiæ nostræ, ut prædictam villam, quæ dicitur Huxeri, cum omnibus finibus et terminis suis, et cum terris, silvis, aquis aquarumque decursibus, cum omnibus adiacentiis et appendiciis suis ad idem monasterium per hanc auctoritatem jure perpetuo conferre, et de nostro jure in jus et dominationem prædicti monasterii præsentialiter tradere, nec non et res, seu possessiones, quæ à Deum timentibus Saxonibus infra ipsam Saxoniam ad hoc opus inchoandum, vel adjutorium præstandum conlatæ sunt, per hanc auctoritatem confirmare, etiam res, quæ ad antiquiorem Corbeiam traditæ fuerunt, infra ipsos supradictæ Saxoniæ fines in terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus propriis vel communibus, domibus ac ædificiis vel prius habitis vel postea constructis,

mancipiis

mancipiis quoque diversi generis vel conditionis, mobilibus vel immobilibus, datum vel traditum fuit, cum omni integritate ad prædictum monasterium unà cum consensu præfati Abbatis, vel congregatione ejus, celebri donatione contulimus, et perpetuò Monachis ibidem Deo militantibus ad possidendum tuendumque concessimus atque confirmavimus. Ideo autem ita fieri debere rationabile judicavimus, ut quia constabat prædictum locum ex monasterii prioris Corbeiæ monachis constructum esse, et quia in omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur, dignum erat, ut possessiones illæ eorundem Monachorum obsequiis deputarentur, qui infra ipsam provinciam ejusdem monasterii primi ædificatores et perpetuò habitatores in omnipotentis Dei servitio sub sancta regula deputati fuisse noscuntur; nam si forte talis esset caussa, ut idem locus ex propriis in eadem provincia sibi conlatis nequivisset subsistere rebus, dignum erat, ut de prioris monasterii rebus, benignitatis seu largitatis caussa, pro ut ex utraque parte rationabile esse potuisset, larga manus porrigi debuisset, quanto magis de his, quæ infra eandem provinciam conlata, ut dictum est, prius fuisse cognoscuntur, cum omni benignitate ardentissimo caritatis affectu largiri. Statuentes etiam decernimus, atque per hos imperiales apices sancimus, ut quandoquidem divina vocatione Abbas prædicti monasterii de hac luce migravit, quamdiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi Abbatem, quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo militant, pro nobis, conjuge, proleque nostra, et stabilitate totius imperii nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet; sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant Rectores hujusce monasterii cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare, quidquid justè et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum [monogram] HLudovvici serenissimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi recognovi, et ss.

Data VI Cal. Augusti. Anno Christo propitio. X Imperij Domni HLudovvici piissimi Augusti. Indictione Ima. Actum Ingelinheim palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

Plenæ regiæ liberalitatis & Christianæ religionis, ad exornandam Saxoniam tabulæ; quibus eodem loco, eodemque tempore alias addit; quamque per Walonem fratrem cœnobij Corbeiensis tutelam ac privilegia sollicitârat Adelhardus, prono non minus animo delargitur Imperator: eò in hac re lætior, quòd monachorum institutum inspirante Deo primum abs se in Saxoniam introductum glorietur, ad sublevandum Episcoporum, & aliorum Sacerdotum labores.

In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, HLudovicus divina ordinante clementia Imperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum largiri non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm et futurorum, sagacitas, quia adiens serenitatem Culminis nostri vir Reverendissimus Adelhardus Abba ex monasterio Corbeiæ, quod ei dudum in provincia Saxonica ad augmentum mercedis nostræ ex novo construere jussimus super fluvium Wisera, in villa regia, in loco nuncupante dudum Huxeri, dicatum in honore S. Stephani protomartyris, suggessit mansuetudini nostræ, ut idem monasterium et monachos ibidem per tempora degentes cum rebus et hominibus non solum sub nostra tuitione et defensione constitueremus; verùm etiam et talem immunitatem fieri juberemus, qualem omnes Ecclesiæ in Francia habent. Cujus petitioni dignam et proficuam judicantes, hanc auctoritatem immunitatis erga prædictum monasterium Corbeiæ, ejusq; Rectores fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas præsenti tempore in quibuslibet pagis, et territoriis habet, vel deinceps ibidem conlatæ fuerint, ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fide jussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quàm et leutos distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato Abbati suisque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine vivere et residere; et quidquid exinde jus Fisci exigere poterat, totum et ad integrum nos pro æterna retributione ad pauperes alendos et luminaria eidem monasterio concinnanda concedimus; qualiter Monachi ibidem degentes pro nobis proleque nostra, atque statu totius nostri Imperii, nobis ad regendum commissi, Domini misericordiam attentius exorare delectet. Sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant Rectores hujusce monasterii cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare: videlicet, ut quidquid justè et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas immuni-

immunitatis atque confirmationis nostræ per futura tempora inviolatam obtineat firmitatem manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLVDOVVICVS *HLudovici Serenissimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Frdugisi recognovi et ss.*

Data VI Kalendas Augusti. Anno Christo propitio. X. Imperii Domni HLudovici piissimi Augusti. Indictione prima. Actum Ingilinheim palatio regio. In Dei nomine feliciter amen.

Quæ postquam D. Adelhardus primus Corbeiæ ad Visurgim auctor conditorque perfecit, haud multum inde in vita superstes fuit, uti & Baronius observavit; quamvis nec à Paschasio, nec ab Abbate silvæ majoris, à quibus multis paralogismis vita scribitur, mortis annus (quod historiæ intererat) consignatus sit. Hæc interim hujus celeberrimi & opulentissimi quondam per Saxoniam monasterij primordia, in quo exinde tot sanctitate illustres Monachi vixêre, ut perpetuo psallentium chorus diu noctuque fuisse memoretur. Hoc illud Christianæ religionis seminarium, ex quo tot Sacerdotes & Apostolici viri, tot Episcopi ac præsules prodierunt; quorum doctrina & labore magna pars Saxoniæ & septentrionalium populorum ad Christi fidem perducta. Quàm exoptatum olim & salutare vitæ institutum primis Saxonibus, tam invisum modò heterodoxis, postquam à desertore Monacho Martino Luthero longè sanè disparem, & ante id tempus inauditam majoribus doctrinam intra Saxoniam primo admisêre. Quantum verò Fuldensi monasterio ejusdem clarissimæ familiæ D. Benedicti Hassia & Thuringia, tantum Saxonia in conversione barbararum gentium Corbeiensi debet. Sanè cùm Ludovicus Imperator jam ævo suo florentem monasterii disciplinam fructumque in disseminando Evangelio aspiceret, non modò Eresburgum & Meppiam conjunxit Corbeiensi seminario, sed alijs super alias, de quibus referam, idem donationibus cumulavit. Ac brevi Corbeia ad Visurgim Saxonica, Francica ad Somonam flumen Corbeiæ, unde hæc Colonia traducta est, æmula spectabatur. Auxêre deinde ceteri Reges ac Imperatores opibus ac privilegiis; quibus Abbates, uti inter Principes Imperij adsciti, ita se Episcopis splendore & potentia sæpe pares tulêre. Sed de his tempori memorandi locus erit.

Laus Monasterij Corbeiensis.

Nectamen Corbeiensium initia tam prospera fuêre, quin & suos invidos æmulosque experti sint, qui immunitatem, & illorum privilegia interturbare sunt ausi. Qua super re cum Warenus primus Corbeiensium Abbas cum Imperatore questus esset, Ludovicus, Badurado

Ad defendendos Corbeienses designatur Baduradus Imperatoris Legatus.

Badurado Paderbornensi Episcopo scripsit, atq; in mandatis dedit, ut immunitatis tabulas à se Corbeiensibus concessas & suam voluntatem infestis Comitibus exponeret: literæ ad Baduradum sic habent.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus Badurado Episcopo et Misso nostro. Nosse te non dubitamus, qualiter nostra jussione Adelhardus quondam Abbas quoddam monasterium in Saxonia à novo opere construxit, quod nos et aliqui boni homines de quibusdam rebus solemni donatione dotavimus; de quibus omnibus rebus nostræ auctoritatis præceptum circa idem monasterium fieri jussimus, ut perpetua salvatione in jure ejusdem monasterii eædem res consisterent. Sed ut relatione Warini venerabilis, ejusdem monasterii Abbatis cognovimus, quidam Comites memoratum præceptum nostrum infringere et convellere velint, in eo videlicet, quod homines tam liberos, quàm et lutos, qui super terram ejusdem monasterij consistunt, in hostem ire compellant, et distringere judiciario modo velint; quod nolumus, ut faciant, et ideo per has literas nostras tibi præcipimus, ut tu illud præceptum, quod sicut diximus, eidem monasterio fecimus, adsumas, et in præsentia eorundem Comitum, in quorum ministeriis res prædicti monasterii esse noscuntur, relegi facias, et ex nostra auctoritate eis præcipias, ut ulterius nostræ auctoritatis præceptum violare non præsumant, sed potius, sicut in eodem præcepto continetur, illud conservare studeant, si gratiam nostram habere velint.

Nullum his literis annum, quo datæ sunt, adscriptum reperio, retuli tamen ad hæc tempora proximè consecuta; quòd Adelhardus, postquam per xxx annos præclara cum laude & fama sanctitatis Corbeiam Francicam Abbas administrasset, & Corbeiam novam ad Visurgim condidisset, haud multò post fatis, ut diximus, concesserit, & Warinus ei subrogatus referatur. Id potius ex his Imperatorijs literis afferamus, Baduradum magnæ auctoritatis fuisse apud Jmperatorem Ludovicum, quem hic Missum suum compellat; quod munus sive extraordinarium, sive ordinarium Badurado fuerit, magnificum certè reputes; quando illud vel Archiepiscopi, vel eminentiores Episcopi, vel illustres viri adjuncto comite gesserunt; erantque legatorum instar, & cum plena Jmperatoris potestate designati provincias obibant; atque ea, quæ vel in publicis conventibus ac synodis, vel ab Jmperatore constituta erant judiciaria auctoritate exequebantur: controversiasque, quæ intervenerant, cognoscebant ac decidebant, aut certè ad Jmperatoris tribunal referebant. Hinc passim in diversarum gentium legibus appellantur Missi Dominici, Missi Dominicales, Missi transcurrentes, Legati Jmperatorum, ac supremi Judices, tam in Ecclesiasticis, quàm in politicis controversijs ac causis publicis; ut vel inde jurisdictionem politicam cum Episcopis ab Jmperatoribus communicatam ex ævo etiam illo traducant scriptores, secus quàm Hetorodoxis nostris & Episcoporum

Missi Dominici quales.

porum obtrectatoribus persuaderi possit. Hi, si Francorum Regum annales moremque Regni Franciæ, si Capitularia Caroli M. & Ludovici Imperatoris, si deinde Synodos eorum temporum, & quàm ordinarium id munus fuerit Archiepiscoporum, & præstantium Episcoporum, syncerè legissent, intelligerent eam, quæ à Theodosio M. data est Episcopis judicandi potestas, etiam à Francorum Regibus & Imperatoribus cum Episcopis Franciæ, Germaniæ, & Saxoniæ communicatam esse. Quapropter dum hoc publico munere obeundi provincias defungerentur, publica quoq; annona, & sumptus, quem Missaticum dixêre, illis lege sancitus. Ac verisimile habeo Badurado, quem Ludovicus Imperator sibi ob sapientiam & fidem semper conjunctissimum habuit, id munus per Saxoniam multos annos ordinarium & honorificentissimum fuisse, cui hac Ludovici Imperatoris legatione, etiam in ipsos Comites, & supremos justitiæ ministros & vicarios Imperatoris exequendi potestas data est.

Annus Christi 825.

Eugenij II. Pont. 2.
Ludovici Pij Imp. 12.
Badurадi Ep. Pad. 11.

Corbeiensi Monasterio hîc subjungimus illustre Herivordiense sanctimonialium Virginum Collegium, intra eosdem fines diœcesis Paderbornensis; quòd hoc anno octingentesimo vigesimo quinto, Ludovici Jmperatoris duodecimo, Waltgerus primus ejus conditor è vita excessisse tradatur à scriptoribus. Et quemadmodum Corbeiense ex Corbeia Gallica per Colonias Monachorum institutum; ita Herivordiense ex Suessionensi sanctimonialium virginum Collegio à Ludovico pio Imperatore instauratum, & ad formam earum Gallicarum Virginum, traductis inde Colonijs, formatum esse, referent diplomata Principum à nobis infra recitanda. Sed altius nobis prima ab origine hujus initia repetenda. Inter Westphaliæ nobiles, qui à Divo Bonifacio Christi fidem edocti, & baptismatis aqua abluti sunt, traditur quoque constante majorum & scriptorum fide Adolphus Waltgeri avus. Ab hoc deinde Adolpho Waldericus filius Christi sacris imbutus, una cum Eva conjuge inter turbulenta bellorum Saxonicorum tempora constanter Christi quoque religionem coluit, transfuditque in Waltgerum filium cum acceptis bonorum possessionibus; quæ causa ut ab alijs Comes Herivordiæ memoretur. Is quia meliora tempora fortitus sub Carolo M. (quibus & Saxones perdomiti, & Widekindus ipse, cui haud procul Herivordia paterna sedes erat, subactus) se Christianum professus est. Conjunctissimè vixêre Widekindus & Waltgerus, unoque studio & fervore proferendæ religionis Widekindus in vico Engeren nobile Collegium Canonicorum

Chron. Mindense. Henricus de Herivordia. Diplomata Herivord. Collegij.

nicorum ac Basilicam D. Dionysio consecratam condidit, in quo hodiedum sepulchrum ejus, Mausolei in modum erectum, conspicitur: Waltgerus verò in vicino Herivordiæ loco ac fundo hereditario Ecclesiam construxit. Superest etiamnum ædes illa sacra, solido opere constructa, & legitur in arcu fornicis hæc inscriptio. *Princeps hujus terræ Waltgerus fundator Ecclesiæ Herivordiensis*. Ut mihi in comitatu Ferdinandi Episcopi, hæc monumenta antiquitatis lustrantis, videre concessum. Præter hanc ædem sacram, quæ, priusquam Basilica collegij construeretur, populi sacris deservijt, Waltgerus Virginum quoque monasterium condidit in villa Mudenhorst, quod deinde Herivordiam ad commodiorem securioremque locum translatum. Prima hujus monasterij exordia referunt ad annum Christi 789. Inde seu belli tempestate, seu alijs temporum injurijs honestus Virginum cœtus in magna tenuitate vixit; quarum misertus Ludovicus pius Imperator, cùm fortè locum ipse coram inspiceret, dum Paderbornæ prima Saxoniæ comitia ageret, multis exinde ac regijs donationibus cumulavit. Ad quæ referas illorum opinionem, qui Collegium hoc virginum anno Christi 819 à Ludovico fundatum scribunt. Cùm Ludovicus instaurator verius, quàm conditor censeri debeat; cujusmodi puellarum monasteria ab ipso in Aquitania quamplurima instaurata refert Auctor vitæ Ludovici Jmperatoris; quemadmodum hæc ex diplomate Jmperatoris, ad annum ejus Jmperij xxv recitando, constare poterunt, in quo prima Abbatissa Herivordiensis memoratur Tetta, seu Dedda, secunda in alijs tabulis Adda, tertia in alijs Hadewie.

Herivordiense Virginum Collegium fundatum à Waltgero Herivordiæ Comite.

Meibomius in notis ad Widekindi annal. lib. 1.

Auctor vitæ Lud. c. 8.

Institutum harum Virginum non aliud reperio, quàm Sanctimonialium in communi viventium, sicuti in literis Ludovici Regis, Arnulphi, & Henrici Jmperatorum vocantur. Planè in diplomate Conradi Jmperatoris scribuntur, ex ordine & possessione Canonicarum virginum. Nec aliter Hadrianus Pontifex in diplomate compellat; tametsi Joannes Pontifex prolapsa jam & dissoluta claustri disciplinâ, privilegia approbet; institutum verò, ut tum reperit, tolerare magis, quàm confirmare profiteatur. Sed nos jam supra satis ex concilio Aquisgranensi institutum harum Canonicarum Virginum asseruimus, quo per Franciam, Germaniam, & Saxoniam illo Cæsarum ævo nihil receptius & florentius fuit. Quin & ipsum Suessionense monasterium, ex quo formatum est Herivordiense, sanctimonialium Virginum memoratur; tametsi postea in D. Benedicti institutum transierit. Ludovici Pij Jmperatoris munificentiam consecuti sunt ceteri Jmperatores ac Reges; eòque privilegijs & donationibus auxêre, ut Suesionensi monasterio par fuerit; quare ut in Suesionensi, ita in Herivordiensi monasterio ex illustribus familijs Antistites delectæ honoratæque Jmperij principum dignitate.

A prima origine Canonicarum Virginum fuit.

Increvit

Increvit cum ipso Collegio Virginum Herivordia ex vico in oppidum, ex oppido in Urbem, haud secus, quàm Episcoporum sedes. Inde Urbs in veterem & novam divisa, cui tertia pars Radevicum accessit. Singulæ Werna & Hardna amnibus discretæ. Utque Episcoporum urbes, ita se Antistitis quoque Jmperio multum, quòd opinari pronum, postea exuit. Quanquam hîc mirari magis subit, in his Teutonicorum montium locis, in quibus dominatu Widekindi gentilis superstitio & idololatria principatum tenebat, ibi Christi religionem duobus hisce Collegijs, multisque Ecclesijs caput extulisse sub administratione sacra Episcoporum Paderbornensium; donec sub annm Christi 1533, ejectis ubique Catholicis, primùm Lutherani, postea his permixti Calvinistæ majorum sacra & pijssimorum Regum instituta donationesque interverterent. Nunc ad Ludovicum Jmperatorem me referam.

Annus Christi 826.

Eugenij II. Pont 3.
Ludovici Pij Imp. 13.
Baduradi Ep. Pad. 12.

Agebatur annus Christiano nomine vigesimus sextus supra octingentesimum, cùm Jmperator hybernis Aquisgrani transactis, Calendis Junij Ingelheimium est profectus. Celebrem istic Episcoporum & procerum conventum habuit, in quo Legati filiorum Godefridi Regis, Sclavorum, Abotritorum multarumque gentium, præter legatos Eugenij Romani Pontificis, auditi expeditique. Accessit & per id tempus Moguntiam cinctus Danorum multitudine Haraldus Danorum Rex: nihilq; tum in congressu tot procerum & legatorum aspectu Regis jucundius, nam & Rex ipse unà cum conjuge multisque aulæ suæ primoribus in Basilica S. Albani baptismi undis ablutus, palam Christi sacra professus est. Regem è baptismo suscepit Jmperator, Reginam Juditha Jmperatrix, ut Theganus scribit; quæ res incredibili lætitia Episcopos & spectatores Christianos affecit. Quapropter Jmperator ingentibus etiam à se Haraldum Regem donatum muneribus honorificè deduci per Frisiam in Regnum jussit. Ac si qua procella eum jam Christianum ejiceret è Regno, donavit comitatu Rhiustri in Frisia, quò se in propriam sedem inter Christianos sub tutela Jmperij recipere posset. Sed priusquam iter ingrederetur Rex, petijt sibi redeunti in Daniam addi præcones Evangelij, qui gentem barbaram Christianis legibus ac moribus excolerent. Lætus ad hæc Jmperator sollicitusque, cùm per Walonem Abbatem Corbeiæ Francicæ inquireret in ejusmodi viros, obtulit se ultro in hanc sacram expeditionem D. Ansgarius novæ ad Visurgim Corbeiæ monachus. Is ante triennium è Gallica

Annal. Francorum. Vita Ludovici pij.

Haraldus Danorum Rex cum conjuge Moguntiæ baptizatur.

Vita S. Ansgarij à Philippo Cæsare edita c. 5. & 6. Crantzius l. 1. Metrop.

Cum quibus religionem Christ. Propagaturus in Daniam navigat S. Ansgarius Corbeiensis Monachus.

Corbeia ad Visurgim cum alijs transmissus erat, ut scholis præesset, doceretque monachos sacras literas; quo in munere cùm ob ingenij & doctrinæ præstantiam emineret, simul functus est officio concionatoris; tanto jam magis idoneus ad hoc Apostolicum munus, vitam sanctitate, quàm fervore promovendæ religionis conspicuus. Ansgario ultro se comitem obtulit Autbertus ex eadem Cobeia monachus, genere nobilis, religione multò nobilior. Hi duo egregij Sacerdotes ab Jmperatore adjuncti Haraldo Regi navim conscenderunt, impositáque sacrâ supellectile ad sacrificium missæ subministratâ, secundo Rheno Coloniam descendunt: Ubi perbenignè ab Hadeboldo Coloniensium Archiepiscopo sunt excepti. Addita dono ejus altera navis, duobus habitaculis adornata, in quam transgressus Rex, ut colloquio sacerdotum frueretur. Inde in Frisiam provecti, incolumes Daniam intrârunt. Ibi Ansgarius cœpit scholas puerorum colligere, docere palam Evangelij legem, trahere suâ eloquentiâ barbaras gentes ad Christi sacra: tanto inter eas fructu, ut magno numero se ad baptismum offerrent, ac Regis sui exemplo nomen Christo darent. Biennium fuerat versatus in Dania Ansgarius, quando Corbeiam redijt, reducto secum Autberto ob debiles corporis vires. Nec multò post Autbertus felici morte, quam à Deo monitus acceperat, vitam clausit. Mirum verò quantum exhilarârit excitâritq; Ansgarius Corbeienses Monachos, postquam felicem in Dania successum Evangelij, & res à se gestas denarrasset. Cùm per id tempus legati quoque Suecorum, quos Sueones Auctor scribit, ad Ludovicum Imperatorem venissent, asserentes multos quoque esse in sua gente, qui Christianæ religionis cultum expeterent; Jmperator denuo sollicitus, Walonem Abbatem ad se evocat consilij causa, si vel ex suis monachis ad id munus voluntarios haberet, vel Ansgario id demandare posset: alijs tantisper in locum Ansgarij subrogatis, qui Haraldo adessent. Quapropter Ansgarius è Dania evocatur ad palatium; & cùm se Jmperatori promptum offerret ad expeditionem in Sueciam, additus est illi Witmarus monachus, insigni religione & fervore Sacerdos: præterea Gislemarus, qui locum ejus apud Haroldum sustineret; & quotquot ultro se ex Corbeiensibus monachis in eam expeditionem obtulêre. His socijs redijt Ansgarius in Daniam, ex quâ cum Witmaro in Sueciam profectus, haud sine magnis ærumnis, quibus virum sanctissimum Deus probare voluit; nam & in mari navis, qua vehebatur, cum mercatoribus à piratis intercepta, & spoliatus est Ansgarius libris & muneribus, quæ Suecorum Regi offerenda erant. His tamen malis invictus cùm in terram emersisset, modò pedestri itinere, modò navigij opportunitate Bircam ad portum pervenit; ac benignè à Bernio Suecorum Rege exceptus, causam legationis exposuit. Hanc cùm non aliam audivisset Rex,

D. Rembertus in vita Ansgarij c. 8. & 9. Adamus Bremensis. Albertus Stadens.

Qui deinde in Sueciam concedit.

Rex, quàm ut libertatem sibi daret docendi Evangelium Christi; pronus ad ea postulata, potestatem illi fecit, ubi vellet Christi legem liberè annunciandi. Quo obtento, Ansgarius tractare Christiana sacra, docere rudes Suecorum populos, & baptismi aquis abluere; quos inter Herigarius Regis præfectus & consiliarius, suscepto baptismo, palam Christi religionem professus, Ecclesiam suis sumptibus exstruxit, & cœtus Christianorum mirificè auxit. Læti etiam Christiani, qui captivi ex gente illa tenebantur, sibi copiam fieri sacrorum suorum. Prosperè hæc hactenus successerant, cùm, ut in ejusmodi Ecclesiarum initijs Deus suorum constantiam excercet, Nortmannorum ingentibus procellis aliquamdiu sunt turbata; donec Ansgarius Ludovici Imperatoris auctoritate, Hamburgi Episcopi sedem auspicatus, Corbeiâ alios atque alios monachos & Apostolicos viros in subsidium evocavit; quorum doctrinâ & labore illi Aquilonares populi magnam partem ad Christi fidem deducti sunt, ac demum proculcatâ Idololatriâ, ijs in regnis haud secus, quàm in Saxonia triumphatum est. Quid futurum opinamur? si nunc in vitam rediret Ansgarius, magnus ille Aquilonarium populorum Apostolus cum monachis suis, per quos Dania, Suecia, Rugiaque primò verbum Dei & Christi religionem accepit? Utrumnè tam benignè accipiendus audiendusq; ab hæreticis, quàm olim à barbaris? quando lege etiam capitali agitur in monachos & Sacerdotes, quotquot Catholica sacra publicè privatimque apud illos peragunt. Jam & D. Adelhardus excesserat è vita, & Warinus in Corbeia Saxonica, Walo in Francica illi subrogati erant; quando prima Ansgarij missio in Daniam hoc anno ex consilio Walonis, ut supra diximus, instituta est. Quo erroris comperti sunt, qui ad sequentem annum Adelhardi obitum rejiciunt. Id quod etiam satis ex diplomate Ludovici, quod mox recitabitur, cognosci poterit.

Quam Christianis sacris imbuit.

Cæterum Ludovicus Imperator, cùm Corbeiæ ad Visurgim & disciplinam indies efflorere, & numerum religiosorum virorum augeri, Saxoniamque ac Septentrionis regiones tanto fructu per eos excoli videret, Eresburgum, in quo Carolus M. pater collocârat monachos ex eadem D. Benedicti familia, cum omnibus possessionibus donatum conjunxit Corbeiæ novæ. Quam in rem ipsum Ludovici Imperatoris diploma, & hoc ipso anno simul à Lothario filio subscriptum, nec hactenus vulgatum producimus.

Ludovicus Imp. Corbeiæ donat Eresburgum.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus et HLotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit, quia nos pro divini cultus amore, et animæ nostræ remedio quoddam monasterium, quod Corbeia vocatur, in honorem B. Stephani Protomartyris infra Saxoniam supra fluvium Wisera in loco, qui dicitur

Huxeri, construi jussimus, quod et viro venerabili Adalhardo construendum regendumq; commisimus, qui erat Abbas in altero antiquiori monasterio, quod æquè Corbeia vocatur, à quo et novum supradictum monasterium nomen constat esse sortitum. Itaque nos divina inspiratione compuncti, et cælestis patriæ amore succensi, ob animæ nostræ salutem, concessimus eidem monasterio capellam, quam dudum Dominus ac genitor noster Carolus Imperator in castello, quod dicitur Heresburg, construi jussit, cum omnibus rebus et mancipiis, ac decimis ad eam pertinentibus, quantumcunque Dominus ac genitor noster eidem capellæ pia devotione contulisse dinoscitur, cum omni integritate sui, prædicto monasterio ad subsidia monachorum, ibidem Deo famulantium, per hanc nostræ auctoritatis donationem à die præsenti perpetuo habendum atque possidendum concessimus, et in ditionem ejus transtulimus, eo videlicet modo, ut quidquid ab hodierna die de prædicta capella, vel de his, quæ ad eam pertinent, rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare pro utilitate ejusdem monasterii vel fratrum in eo degentium voluerint, absque ullius injusta contradictione ordinent atq; disponant, et faciant, quidquid utilitatibus prædicti monasterii congruere et convenire perspexerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, et à fidelibus nostris tam præsentibus quàm futuris, seu etiam successoribus nostris verius certiusq; credatur, eam manibus propriis subter signavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLUDOVICUS *HLudovici Serenissimi Imperatoris.*

Signum LOTHARIUS *Lotharii Gloriosissimi Augusti.*

Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subs. Data XII Calendas Julii. Anno Christo propitio. XIII. Imperii Domni Ludovici piissimi Augusti. Indictione IV. Actum Ingilinheim palatio regio In Dei nomine feliciter amen.

Annus Christi 827.

Valentini Pont. I.
Ludovici Pij Imp. 14.
Baduradi Ep. Pad. 13.

Jam felicibus auspicijs procedebat sub Christiano Rege in Dania religio, laborque Ansgarij; cùm altero mox anno hostis humani generis Regis æmulos concitare cœpit, gentis invidiâ conflatâ in

in Harioldum, quòd Christianorum sacra palam induceret in Regnum. Imperator, ut his malis præverteret, Noviomagum profectus est ad publicum Jmperij conventum, quo Horichus Godefridi Danorum Regis filius promiseratse venturum, diluturus accusationes adversus se fratremque factas. Interim illi majus crimen ausi, Haroldum è consortio Regni ac Nortmannorum finibus excedere compellunt; persistente tamen Ansgario, fretoque Jmperatoris auctoritate.

Francorum Annal. Auctor vita Lud.

Turbantur res sacræ in Suecia.

Sustulit hic annus è numero Saxonicorum præsulum Hildegrimum Halberstadiensem Episcopum, D. Ludgeri germanum fratrem. Prius ille Catalauni, quæ civitas est in campania Belgicæ II ad Matronam fluvium ob egregias virtutes delectus Episcopus; inde verò sub Carolo M. traductus in Saxoniam, primusque Halberstadiensium Episcopus constitutus erat; quem exinde Episcopatum, uti Dithmarus Episcopus in chronico memorat, per XLVII annos administravit, tam præclara sanctitatis fama, quàm merito laboris; quippè qui diœcesis suæ incolas omnemque circa regionem ab idololatriæ cultu ad Christi sacra perduxit, unoque fratris Ludgeri studio Helmenstadium seminarium monachorum, & Werthinam cœnobium condidit. Subrogatus in ejus locum Thiatgrimus secundus Halberstadiensium Episcopus, ejusdem D. Ludgeri & Hildegrimi consanguineus, à quibus in clero educatus formatusque, ita, ut pari, quà Hildegrimus virtutum æstimatione & sanctitatis fama Episcopatum administrârit. Abbatem fuisse Thiatgrimum refert Crantzius, quod haud aliter accipias, quàm quòd Werthinense cœnobium, perinde ut Ludgerus, Gerfridus, Altfridus cæterique consanguinei Episcopi, Abbatis loco, & rectoris munere administrârit, dum anno demum 853 post Hildegrimum juniorem, ad Episcopatum Halberstadiensem provectum, Werthinensibus Monachis in Synodo Moguntina libera facta est potestas Abbatem, quem vellent eligendi.

Dithmarus in Chron. Brovverus in notis ad vitam D. Ludgeri.

Mors Hildegrimi primi Halberstadiensium Episcopi.

Crantzius in Metrop. lib. 1. c. 26.

Annus Christi 828.

Gregorij IV. Pont. 1.
Ludovici Imp. 15.
Baduradi Ep. Pad. 14.

Imperator proximo dehinc anno Aquisgrano Ingelhemium ad congressum optimatum; inde Francofurtum, Wormatiam, ac Theonis villam concessit: actumque consilijs magis quàm armis de fœdere inter Nortmannos & Francos stabiliendo; tum de Haroldo Rege restituendo. Quam in rem totius Saxoniæ Comites & Marchiones jussi ab Jmperatore convenire ad fines Danorum, pertractatum cum Danis. Quo in opere dum versatur, Haroldus Rex rerum gerendarum cupidior, facta irruptione, aliquod Danorum villas diripit incenditque. Quo provocati filij Godefridi Danorum Regis contrahunt copias, ac Comites Saxoniæ non opinantes Francorumque

Francorum Annal. Auctor vita Lud.

Saxones à Danis cæduntur.

que exercitum ad ripam Egidoræ fluminis confidentes obruunt, castrisque exutos in fugam compellunt. Magnus pudor inustus hac clade Saxonum Francorumque nomini. Excusârunt quidem tam audax facinus, missâ ad Imperatorem legatione, Dani, etiam satisfactionem pollicendo, dummodo pacis fœdera manerent; sed nulla irrogata pœna. Carolum M. hîc desiderabant Franci in filio, qui ultionem ejusmodi facinorum ab armis reposceret; quanquam similes clades Ducum inertia, & nimia Imperatoris tolerantiâ, hoc anno imperij acceptæ à Vasconibus. Inter hæc summa tranquillitas & felicitas per Saxoniam, in qua omne sanctissimorum Episcoporum opus contentè fervebat in construendis Ecclesijs, in formanda Cleri populique disciplina, in excolendis rudium hominum animis. Et jam Saxonia, omni propè exuta barbarie, flore sensim religionis, certare videbatur cum Francia & Britannia.

Annus Christi 829.

Gregorij IV. Pont. 2.
Ludovici Imp. 16.
Baduradi Ep. Pad. 15.

Tom. 21. concil. Paris. Sirmondus in notis. Tom. 3. concil. Colon. Binius in notis. Eginardus lib. 3. c. 13. De translatione SS. Marcellini & Petri. Ludovicus Imp. Epist. Synodica.

Varia placando Numini concilia indicuntur.

In hac tamen summa temporum tranquillitate, cùm multa simul vitia, quæ ex pacis otio prona sunt nasci, liberius alerentur, Deus Franciam Germanicam fame, peste, lue animalium, sterilitate frugum, multisq; malis afflixit. quare Ludovic⁹ Imperator ad placandum Numen per quatuor Imperij partes, Moguntiæ, Parisijs, Lugduni, & Tolosæ concilia provincialia indici jussit. Et Moguntiam convenêre quatuor Archiepiscopi cum suis Suffraganeis, Otgarius Moguntinus, Hadebaldus Coloniensis, Hetto Trevirensis, & Berwinus. Celebris synodus, ad quam non ambigas convenisse complures Saxoniæ Episcopos, interq; hos Baduradum Episcopum nostrum. Decreta synodi etsi interciderint; indicta tamen habemus publica jejunia, preces & supplicationes ad irati numinis pœnas mitigandas; ad eum modum, quo hæc Parisijs, & per totum Imperium indicta sunt. Fama per hæc allata, Nortmannos (quo nomine Danos, & qui trans Daniam incolunt, notari scribit Adamus Bremensis) collectis undiq; Barbarorum copiis in Transalbianorum Christianorum regionem irrupturos. Quo nuncio perculsus Imperator, jubet ex omni Francia collectum exercitum maturare in Saxoniam, quem ipse Novesij per Rhenum traducturus esset in hostes. Quæ fama postquam vanitatis comperta est, Imperator Aquisgrano Wormatiam ad conventum procerum se contulit. Sed his malis longè funestiora Imperium conturbavêre, suis etiam prodigijs prænunciatis, quando paucis ante pascha diebus terræ motus ventusque ingens Aquisgranense palatium domumq; concussit, ipsamque Basilicam plumbo tectam nudavit.

Annus

Annus Christi 830.

Gregorij IV. Pont. 3.
Ludovici Pij Imp. 17.
Baduradi Ep. Pad. 16.

Funestus, qui consequitur, annus octingentesimus trigesimus, quo conjuratio in pijssimum Imperatorem detecta arsit in civilia dissidia & arma; quæ ut multis Theganus, Auctor vitæ Ludovici, & Nithardus Caroli M. ex filia nepos quatuor libris descripsêre: ita causæ à varijs scriptoribus afferuntur variæ. Imperator ob bella ante biennium in Ungaria & Hispania Ducum socordia improspere gesta, plerosque eorum in ordinem redegerat. Adhæc Bernardum Septimancæ ducem, gente Hispanum, adsciverat in aulam, & Supremum cubiculo ministrum præfecerat, per quem summa administrabantur. His primùm offensi proceres quidam Regni, plures in societatem trahunt summos infimosque, atque inter hos Pipinum filium, juvenem audacia promptum. Sparsus exinde rumor Juditham Imperatricem adulterinis amoribus misceri Bernardo Duci, quo haud leviter Pipini & aliorum filiorum animus exulceratus in Patrem & novercam, odiumque illud incensum, quòd dicerent Carolum & Rudolphum novercæ artibus præferri & regnis destinari. Castigabat præterea Imperator Episcoporum & optimatum luxum multis à se legibus latis, quo stimulo maximè præsulum animi incitati credebantur; tractique in conspirationem Jesse Ambianorum Episcopus, Hildvinus Archicapellanus aulæ, & Walo Corbeiæ Abbas Hilduini causâ. Horum auctoritate aliorumque potentia fretus Pipinus exercitum contraxit; sævitumque primò in aulæ Imperatoriæ proceres. Heribertus Bernardi Ducis filius oculis orbatus: Rudolphus & Conradus Judithæ fratres in monachos attonsi: Juditha, quam Imperator Lauduni in monasterio S. Medardi collocârat, per custodes appositos ad Imperatorem rapitur, mortemque intentant, ni Imperatori persuadeat, ut abrogato imperio monachum induat, atque ipsa deinde sumpto velo idem vitæ genus amplectatur. Promittit hæc Imperatrix; post quæ Compendium ducitur, ubi Imperator morabatur. Hic verò auditis de amplectenda vita monastica conspirantium consilijs spatium deliberandi poscit. At Imperatrix inde reddita conjuratis retruditur in cœnobium S. Radegundis, & vi ad sumendum velum adigitur. Inter hæc Lotharius filius Collega Imperij ex Italia ad patrem accessit; & ea quidem, quæ facta erant, probavit: nihil tamen in patrem severius agi est passus, sed ad publicum conventum omnia deduci consensit; quem Imperator, cùm Germanis magis fideret, quàm Francis, Neomagi indixit, quo omnis propè Germania Saxoniaque in Autumno confluxit in auxilium

Seditio in Ludovicum Imp. à filijs mota.

Composita fideli nonnullorum operâ.

um Jmperatoris. Ibi Lotharium pater leniter objurgatum abstraxit à conjuratis; tantaque populi seditio coorta est, ut, nisi cum filio prodijsset è palatio Jmperator in conspectum furentis populi, nihil prius fuerit, quàm ut uno in omnes impetu facto, conjurati trucidarentur. Igitur publico Optimatum judicio instituto, læsæ majestatis rei capitali supplicio damnantur; quæ tamen sententiæ severitas lenitate Jmperatoris mitigata. Jesse Ambianensis Episcopus loco motus: Clerici in monasteria detrusi: Laici in Monachos attonsi: Hilduinus Abbas ad S. Dionysium aulæque Archicapellanus Paderbornam relegatus, jussusque primùm in militari tabernaculo hybernare, deinde Corbeiam ad Visurgim in exilium deportatus; quo cum Hincmarus ejusdem cœnobij monachus in comitatu fuit, quem postea celebrem Rhemorum Episcopum habuit Belgica: Walo Abbas Corbeiam Francicam missus ad arctiorem custodiam. Hac procellâ per Germanos & Saxones discussâ, Jmperator Aquisgranum cum Lothario filio digressus est ad hyberna. Præclara Germanorum atque insita in Principes suos fides. Celebrant quidem inter illos Corbeienses Warinum Abbatem suum, Tecklenburgici Cobbonem comitem, Clivenses Balduinum; verùm Francorum scriptorum testimonio nullius fides testatior, conspectiorq;, quam Baduradi Paderbornensis Episcopi. Hunc enim virum, ceteris in tanta multitudine Episcoporum præteritis, nominatim commendant; qui & libera voce, & publica, ut referemus, legatione Jmperatoris causam suscepit. Haud interim nescius sum Juditham à Reginone adulterij obnoxiam; ab alijs verò connubium, ob vetitam inter Ludovicum & Juditham consanguinitatem, damnari; qua specie criminum abducti fuerint Episcopi & Abbates conjurationis rei, sed hi auctores partium studiosi scripserunt; quando ceteri omnes Jmperaroris & Jmperatricis innocentiam contentè propugnant. Nec Theganus aliud in Ludovico reprehendit, quàm quòd Consiliarijs suis nimium fiderit, & maximam vitæ occupationem impensius in psalmis Ecclesiæ decantandis, in legendis libris, precandi studio posuerit, quàm publica Jmperij administratio pateretur.

Cumprimis Baduradi Paderb. Episcopi.

Regino in chron. Beka in Friderico Ultrajectensi Episcopo. Bucherius in notis.

Annus Christi 831.

Gregorij IV. Pont. 4.
Ludovici Pij Imp. 18.
Baduradi Ep. Pad. 17.

Imperat. Ludovici lenitas in conjuratos.

Anno Christi 831 hyemem Jmperator Aquisgrani transegit: quo tempore, missis in Aquitaniam Legatis, Juditham conjugem Aquisgranum revocavit, unaque cum conjuge fratres illius Rudolphum & Conradum; illam tamen honore conjugis non ante dignatus est, quàm rite per leges se purgasset. Alijs deinde capitali supplicio

supplicio damnatis vitam donavit; qua lenitate filij quoque pacati. Quare Pipinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bojariam, & deinde etiam Lotharium in Italiam remisit, tanquam omnium securus quietum recepisset Imperium.

D. Rembertus in vita Ansgarij c. 11.

Per id tempus Ludovicus Imperator salutari providentia complexus Aquilonares trans Albim populos, Ansgarium, cui jam ostium Evangelij per Daniam & Sueciam apertum erat, Hamburgensem Episcopum designavit. Hactenus eorum trans Albim populorum curam, defuncto Heridago presbytero, quem Carolus Hamburgi Episcopum constituere cogitârat, Ludovicus Imp. Willerico Bremensi, & Helingaudo Verdensi Episcopo commiserat. Igitur ut patris cœptum opus, votumque in ordinandis Episcopatibus expleret, Ansgarium Hamburgensem Episcopum Gregorij IV Pontificis auctoritate constituit, eóque etiam à Drogone Metensi Episcopo, Germano Imperatoris fratre, assistentibus Ebbone Remensi, Hettone Trevirensi, Otgario Moguntino Archiepiscopis, ceterisque ad id evocatis Provincialibus Episcopis, solemni ritu Wormatiæ in Synodo Episcoporum consecrari voluit; atque id cùm XVIII Imperij Ludovici anno factum Adamus Bremensis tradat, ad hunc Christi quoque annum 831 referri par erit.

Adamus Bremensis lib. 1. c. 17. Crantzius lib. 1. Metrop. c. 20. Bollandus comment. in vitam Ansg. §. 1. Serrarius in Otgario. Brovverus in hist. Treve. in Hettone.

Ansgarius Hamburgensis Episcopus consecratur.

Et jam tanto fructu & tanta spe processerat res Christiana in Dania & Suecia, ut post ordinationem Ansgarij necesse fuerit auctoritate Apostolica Gaudbertum Sacerdotem adjutoremque S. Ansgarij consecrari Episcopum, qui mutato nomine Simon compellatus est. Is in eas Sueciæ provincias reversus honorificè tam à Rege Berno quàm populo susceptus, cœpit non sine multorum accessu ad Baptismum & Ecclesiam Evangelium Christi circa annum 834 liberè docere. Quanquam post annos aliquot populari tumultu citra Regis voluntatem sit ejectus. Quo plebis furore interemptus Nithardus Gaudberti Episcopi nepos ac Sacerdos, primus Sueciæ Martyr, quod Adamus Bremensis postremis Ludovici Imperatoris annis factum opinatur. Non his abjectus Ansgarius submisit in Sueciam Artgarium anachoretam, rem omnem sustinente Herigario Birnæ præfecto, constantissimo & ferventissimo Christiano, quem Deus etiam miraculis illustrem fecit. Gaudbertum exin Osnabrugenses quartum suum Episcopum numerant, qui à Cobbone Comite, Warini Abbatis Corbeiensis fratre, in locum Goswini Fuldæ delitescentis substitutus est, eumque Gosbertum vocant. Fallitur certè Ertwinus, dum eum gente Sueonem censet, eò quòd cum Ansgario in Sueciam missus ierit. Sed ut hæc multum obscura sunt, ita non immerito Adamus Bremensis desiderat meliorem chronologiæ rationem in actis Ansgarij.

Rembertus in vita Ansg. c. 12. 13. & 15. Crantz. l. 1. Metrop. c. 32. 33. & 37. Albertus Stadens. in chron. Joan. Magn. in Metrop. Upsalens. lib. 1.

Episcopus etiam consecratur Gaudbertus, in Sueciam missus.

Adamus Bremensis lib. 1. c. 17. Vita S. Ansgarij.

Annus Christi 832.

Gregorij IV. Pont. 5.
Ludovici Pij Imp. 19.
Baduradi Ep. Pad. 18.

Pipinus rebellis è custodia elapsus turbat omnia.

Annales Pithœi. Auctor vitæ Ludovici. Aimoinus lib. 5. c. 13.

Anno abhinc proximo, postquam Imperator pascha celebrârat Aquisgrani, in Bojariam maturavit; quòd relatum esset, Ludovicum Lotharij filium res novas moliri. Postquam verò Augustæ vindelicorum Bojariam pacavit, in Aquitaniam profectus est ad conventum publicum, quem Aureliæ indixerat. Jussus eò venire Pipinus filius; & quia malignorum hominum consilijs à se aversum Imperator expertus, Trevirim in custodiam deduci mandavit. Verùm è custodia, incuria & suorum artibus, elapsus, rursum omnia turbare cœpit; eò Pater ex Aquitania discedens Treviris conventum indixit, quò & Pipinus filius evocatus, ut sanis procerum consilijs Regnum in quiete collocaret; at Pipinus ex prava conscientia veritus conspectum patris, venire destitit. Quare conventu dissoluto, Imperator Pipinum Regno Aquitaniæ spoliavit, divisitque inter Lotharium, & Carolum filium ex Juditha susceptum. Hac Regni jactura & ignominia multò exacerbatior Pipinus, fratres in novum adversus patrem odium concitavit; & tam pronos pertraxit, quàm invidis animis accepêre Carolum ex noverca genitum admitti in Regni partitionem, sibique præferri; fœdum inde atque exitiale bellum conflatum inter patrem & filios.

Ludovicus Imp. Corbeiensibus donat jus piscandi in Visurgi.

Has inter turbas Ludovicus Imperator insigni beneficentia exornavit cœnobium Corbeiense ad Visurgim, quod cumprimis largiri visus est Warino Abbati, quem propinquitate sibi conjunctum appellat, memor fidei sibi in adversis præstitæ, quòd nulli Saxonum præsides innocentiæ ejus causam constantius susceperint, quàm Baduradus Paderbornensis Episcopus, & Warinus Corbeiæ Abbas. Diploma, quo piscationem liberam ad Visurgim donat, sic habet.

Lego in alio exemplari, in honore S. Stephani & Viti; sed D. viti reliquiæ post quadriennium primùm illatæ; unde Viti nomen aliena manu irrepserit: neq; Ludovicus Imperator Corbeiam

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si Ecclesias et loca divino cultui dicata nostris largitionibus providere satagimus, atque ibidem assiduè Deo famulantibus solatia clementer impendimus, non solùm honorificam regalis munificentiæ consuetudinem excercemus, sed et temporalium erogatione donorum perpetuæ nos mercedis præmia promereri posse confidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quòd pro amore divino, atque animæ nostræ remedio, ad monasterium, quod vocatur nova Corbeia, quod construximus in Saxonia in honore S. Stephani Protomartyris, cui modò præest fidelis et propinquus noster Warinus, primus substitutus Abbas, concessimus piscationem quandam in fluvio Wisera, in pago Wimodia nuncupato, cui confinis est villa Liusci vocata, in

in comitatu Abbonis, quæ quia in similitudinem palorum, quos incolæ Hocas vocant, construitur, gentilitio nomine ab indigenis Hocwar nuncupatur, quæ ad jus nostrum pertinebat, quamque idem Abbo Comes hactenus in beneficio habebat; sed quoniam eadem piscatio absque familiis, quæ ad ejus provisionem deputatæ fuerunt, fratribus prædicti cœnobij non admodum utilis esse poterat, idcirco triginta duas familias, et quidquid ad eam piscationem pertinens sæpe dictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem jam dicti monasterii concedimus, quatenus ibidem servientes Monachos sine cessatione divinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut hæc cessionis nostræ auctoritas firmius habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius observetur, manu nostra subter eam firmantes annuli nostri impressione jussimus sigillari. *in honorem S. Viti construxit.*

Signum [monogram] *HLudovici Serenissimi Imperatoris.*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data XVI. Calendas Julii. Anno Christo propitio. XVIIII Imperii HLudovici Serenissimi Augusti. Indictione X. Actum Franconovort palatio regio, in nomine Domini feliciter amen.

Annus Christi 833.

Gregorij IV. Pont. 6.
Ludovici Pij Imp. 20.
Baduradi Ep. Pad. 19.

Aderat jam annus trigesimus tertius supra octingentesimum, quo miserabili tragœdia agitatus Imperator à filijs; Cùm Pipinus Lotharium & Ludovicum fratres in arma conscivit, eóque adduxit, ut junctis viribus in patrem moverent. Quo cognito Imperator post pascha Aquisgrano progressus, cum instructo excercitu, comitanteq; Juditha Conjuge & Carolo filio Wormatiam ascendit, turbatis, si posset, hisce rebus occursurus. Interea dum hîc versatur Imperator, duplici munificentiæ diplomate Corbeiense ad Visurgim Cœnobium dotat, quorum altero jus publici mercatus & monetæ, altero salinas attribuit; provocatus nimirum Warini Abbatis studio, & religiosorum virorum pietate, ac quotidie increscentium multitudine, quorum labore tantos per Saxoniam & Aquilonares regiones edi fructus intelligebat. Prius sic habet. *Vita Ludovici pij.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudowvicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quomodo Corbeiense monasterium in Saxonia, propitiante Domino, Jus item publici mercatûs & monetæ.

Annus Christi 832.

Gregorij IV. Pont. 5.
Ludovici Pij Jmp. 19.
Baduradi Ep. Pad. 18.

Pipinus rebellis è custodia elapsus turbat omnia.

Annales Pithæi. Auctor vitæ Ludovici. Aimoinus lib. 5. c. 13.

Anno abhinc proximo, postquam Imperator pascha celebrârat Aquisgrani, in Bojariam maturavit; quòd relatum esset, Ludovicum Lotharij filium res novas moliri. Postquam verò Augustæ vindelicorum Bojariam pacavit, in Aquitaniam profectus est ad conventum publicum, quem Aureliæ indixerat. Jussus eò venire Pipinus filius; & quia malignorum hominum consilijs à se aversum Imperator expertus, Trevirim in custodiam deduci mandavit. Verùm è custodia, incuria & suorum artibus, elapsus, rursum omnia turbare cœpit; eò Pater ex Aquitania discedens Treviris conventum indixit, quò & Pipinus filius evocatus, ut sanis procerum consilijs Regnum in quiete collocaret; at Pipinus ex prava conscientia veritus conspectum patris, venire destitit. Quare conventu dissoluto, Imperator Pipinum Regno Aquitaniæ spoliavit, divisitque inter Lotharium, & Carolum filium ex Juditha susceptum. Hac Regni jactura & ignominia multò exacerbatior Pipinus, fratres in novum adversus patrem odium concitavit; & tam pronos pertraxit, quàm invidis animis accepêre Carolum ex noverca genitum admitti in Regni partitionem, sibique præferri; fœdum inde atque exitiale bellum conflatum inter patrem & filios.

Ludovicus Imp. Corbeiensibus donat jus piscandi in Visurgi.

Has inter turbas Ludovicus Imperator insigni beneficentia exornavit cœnobium Corbeiense ad Visurgim, quod cumprimis largiri visus est Warino Abbati, quem propinquitate sibi conjunctum appellat, memor fidei sibi in adversis præstitæ, quòd nulli Saxonum præsides innocentiæ ejus causam constantius susceperint, quàm Baduradus Paderbornensis Episcopus, & Warinus Corbeiæ Abbas. Diploma, quo piscationem liberam ad Visurgim donat, sic habet.

Lego in alio exemplari, in honore S. Stephani & Viti; sed D. viti reliquiæ post quadriennium primùm illatæ; unde Viti nomen aliena manu irrepserit: neq; Ludovicus Imperator Corbeiam

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si Ecclesias et loca divino cultui dicata nostris largitionibus providere satagimus, atque ibidem assiduè Deo famulantibus solatia clementer impendimus, non solùm honorificam regalis munificentiæ consuetudinem excercemus, sed et temporalium erogatione donorum perpetuæ nos mercedis præmia promereri posse confidimus. Quapropter noverit omnium fidelum nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quòd pro amore divino, atque animæ nostræ remedio, ad monasterium, quod vocatur nova Corbeia, quod construximus in Saxonia in honore S. Stephani Protomartyris, cui modò præest fidelis et propinquus noster Warinus, primus substitutus Abbas, concessimus piscationem quandam in fluvio Wisera, in pago Wimodia nuncupato, cui confinis est villa Liusci vocata,

in

in comitatu Abbonis, quæ quia in similitudinem palorum, quos incolæ Hocas vocant, construitur, gentilitio nomine ab indigenis Hocwar nuncupatur, quæ ad jus nostrum pertinebat, quamque idem Abbo Comes hactenus in beneficio habebat; sed quoniam eadem piscatio absque familiis, quæ ad ejus provisionem deputatæ fuerunt, fratribus prædicti cœnobij non admodum utilis esse poterat, idcirco triginta duas familias, et quidquid ad eam piscationem pertinens sæpe dictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem jam dicti monasterii concedimus, quatenus ibidem servientes Monachos sine cessatione divinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut hæc cessionis nostræ auctoritas firmius habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius observetur, manu nostra subter eam firmantes annuli nostri impressione jussimus sigillari. in honorem S. Viti construxit.

Signum HLVDOVICVS *HLudovici Serenissimi Imperatoris.*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data XVI. Calendas Julii. Anno Christo propitio. XVIIII Imperii HLudovici Serenissimi Augusti. Indictione X. Actum Franconovort palatio regio, in nomine Domini feliciter amen.

Annus Christi 833.

Gregorij IV. Pont. 6.
Ludovici Pij Imp. 20.
Baduradi Ep. Pad. 19.

Aderat jam annus trigesimus tertius supra octingentesimum, quo miserabili tragœdia agitatus Imperator à filijs; Cùm Pipinus Lotharium & Ludovicum fratres in arma conscivit, eóque adduxit, ut junctis viribus in patrem moverent. Quo cognito Imperator post pascha Aquisgrano progressus, cum instructo excercitu, comitanteq; Juditha Conjuge & Carolo filio Wormatiam ascendit, turbatis, si posset, hisce rebus occursurus. Interea dum hîc versatur Imperator, duplici munificentiæ diplomate Corbeiense ad Visurgim Cœnobium dotat, quorum altero jus publici mercatus & monetæ, altero salinas attribuit; provocatus nimirum Warini Abbatis studio, & religiosorum virorum pietate, ac quotidie increscentium multitudine, quorum labore tantos per Saxoniam & Aquilonares regiones edi fructus intelligebat. Prius sic habet. *Vita Ludovici pij.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudowicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quomodo Corbeiense monasterium in Saxonia, propitiante Domino, Jus item publici mercatus & monetæ.

Annus Christi 832.

Gregorij IV. Pont. 5.
Ludovici Pij Imp. 19.
Baduradi Ep. Pad. 18.

Pipinus rebellis è custodia elapsus turbat omnia.

Annales Pithoei.
Auctor vitæ Ludovici.
Aimoinus lib. 5. c. 13.

Anno abhinc proximo, postquam Imperator pascha celebrârat Aquisgrani, in Bojariam maturavit; quòd relatum esset, Ludovicum Lotharij filium res novas moliri. Postquam verò Augustæ vindelicorum Bojariam pacavit, in Aquitaniam profectus est ad conventum publicum, quem Aureliæ indixerat. Jussus eò venire Pipinus filius; & quia malignorum hominum consilijs à se aversum Imperator expertus, Trevirim in custodiam deduci mandavit. Verùm è custodia, incuria & suorum artibus, elapsus, rursum omnia turbare cœpit; eò Pater ex Aquitania discedens Treviris conventum indixit, quò & Pipinus filius evocatus, ut sanis procerum consilijs Regnum in quiete collocaret; at Pipinus ex prava conscientia veritus conspectum patris, venire destitit. Quare conventu dissoluto, Imperator Pipinum Regno Aquitaniæ spoliavit, divisitque inter Lotharium, & Carolum filium ex Juditha susceptum. Hac Regni jactura & ignominia multò exacerbatior Pipinus, fratres in novum adversus patrem odium concitavit; & tam pronos pertraxit, quàm invidis animis accepêre Carolum ex noverca genitum admitti in Regni partitionem, sibique præferri; fœdum inde atque exitiale bellum conflatum inter patrem & filios.

Ludovicus Imp. Corbeiensibus donat jus piscandi in Visurgi.

Has inter turbas Ludovicus Imperator insigni beneficentia exornavit cœnobium Corbeiense ad Visurgim, quod cumprimis largiri visus est Warino Abbati, quem propinquitate sibi conjunctum appellat, memor fidei sibi in adversis præstitæ, quòd nulli Saxonum præsides innocentiæ ejus causam constantius susceperint, quàm Baduradus Paderbornensis Episcopus, & Warinus Corbeiæ Abbas. Diploma, quo piscationem liberam ad Visurgim donat, sic habet.

Lego in alio exemplari, in honore S. Stephani & Viti; sed D. Viti reliquiæ post quadriennium primùm illatæ; unde Viti nomen aliena manu irrepserit: neq; Ludovicus Imperator Corbeiam

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si Ecclesias et loca divino cultui dicata nostris largitionibus providere satagimus, atque ibidem assiduè Deo famulantibus solatia clementer impendimus, non solùm honorificam regalis munificentiæ consuetudinem excercemus, sed et temporalium erogatione donorum perpetuæ nos mercedis præmia promereri posse confidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quòd pro amore divino, atque animæ nostræ remedio, ad monasterium, quod vocatur nova Corbeia, quod construximus in Saxonia in honore S. Stephani Protomartyris, cui modò præest fidelis et propinquus noster Warinus, primus substitutus Abbas, concessimus piscationem quandam in fluvio Wisera, in pago Wimodia nuncupato, cui confinis est villa Liusci vocata,

in

in comitatu Abbonis, quæ quia in similitudinem palorum, quos incolæ Hocas vocant, construitur, gentilitio nomine ab indigenis Hocvvar nuncupatur, quæ ad jus nostrum pertinebat, quamque idem Abbo Comes hactenus in beneficio habebat; sed quoniam eadem piscatio absque familiis, quæ ad ejus provisionem deputatæ fuerunt, fratribus prædicti cœnobij non admodum utilis esse poterat, idcirco triginta duas familias, et quidquid ad eam piscationem pertinens sæpe dictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem jam dicti monasterii concedimus, quatenus ibidem servientes Monachos sine cessatione divinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut hæc cessionis nostræ auctoritas firmius habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius observetur, manu nostra subter eam firmantes annuli nostri impressione jussimus sigillari. in honorem S. Viti construxit.

Signum [monogram] *HLudovici Serenissimi Imperatoris.*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data XVI. Calendas Julii. Anno Christo propitio. XVIIII Imperii HLudovici Serenissimi Augusti. Indictione X. Actum Franconovort palatio regio, in nomine Domini feliciter amen.

Annus Christi 833.

Gregorij IV. Pont. 6.
Ludovici Pij Imp. 20.
Baduradi Ep. Pad. 19.

Aderat jam annus trigesimus tertius supra octingentesimum, quo miserabili tragœdia agitatus Imperator à filijs; Cùm Pipinus Lotharium & Ludovicum fratres in arma conscivit, eóque adduxit, ut junctis viribus in patrem moverent. Quo cognito Imperator post pascha Aquisgrano progressus, cum instructo excercitu, comitanteq; Juditha Conjuge & Carolo filio Wormatiam ascendit, turbatis, si posset, hisce rebus occursurus. Interea dum hìc versatur Imperator, duplici munificentiæ diplomate Corbeiense ad Visurgim Cœnobium dotat, quorum altero jus publici mercatus & monetæ, altero salinas attribuit; provocatus nimirum Warini Abbatis studio, & religiosorum virorum pietate, ac quotidie increscentium multitudine, quorum labore tantos per Saxoniam & Aquilonares regiones edi fructus intelligebat. Prius sic habet. *Vita Ludovici pij.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovvicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quomodo Corbeiense monasterium in Saxonia, propitiante Domino, Jus item publici mercatus & monetæ.

Annus Christi 832.

Gregorij IV. Pont. 5.
Ludovici Pij Jmp. 19.
Baduradi Ep. Pad. 18.

Pipinus rebellis è custodia elapsus turbat omnia.

Annales Pithoei.

Auctor vitæ Ludovici.

Aimoinus lib. 5. c. 13.

Anno abhinc proximo, postquam Imperator pascha celebrârat Aquisgrani, in Bojariam maturavit; quòd relatum esset, Ludovicum Lotharij filium res novas moliri. Postquam verò Augustæ vindelicorum Bojariam pacavit, in Aquitaniam profectus est ad conventum publicum, quem Aureliæ indixerat. Jussus eò venire Pipinus filius; & quia malignorum hominum consilijs à se aversum Imperator expertus, Trevirim in custodiam deduci mandavit. Verùm è custodia, incuria & suorum artibus, elapsus, rursum omnia turbare cœpit; eò Pater ex Aquitania discedens Treviris conventum indixit, quò & Pipinus filius evocatus, ut sanis procerum consilijs Regnum in quiete collocaret; at Pipinus ex prava conscientia veritus conspectum patris, venire destitit. Quare conventu dissoluto, Imperator Pipinum Regno Aquitaniæ spoliavit, divisitque inter Lotharium, & Carolum filium ex Juditha susceptum. Hac Regni jactura & ignominia multò exacerbatior Pipinus, fratres in novum adversus patrem odium concitavit; & tam pronos pertraxit, quàm invidis animis accepêre Carolum ex noverca genitum admitti in Regni partitionem, sibique præferri; fœdum inde atque exitiale bellum conflatum inter patrem & filios.

Ludovicus Imp. Corbeiensibus donat jus piscandi in Visurgi.

Has inter turbas Ludovicus Imperator insigni beneficentia exornavit cœnobium Corbeiense ad Visurgim, quod cumprimis largiri visus est Warino Abbati, quem propinquitate sibi conjunctum appellat, memor fidei sibi in adversis præstitæ, quòd nulli Saxonum præsides innocentiæ ejus causam constantius susceperint, quàm Baduradus Paderbornensis Episcopus, & Warinus Corbeiæ Abbas. Diploma, quo piscationem liberam ad Visurgim donat, sic habet.

Lego in alio exemplari, in honore S. Stephani & Viti; sed D. Viti reliquiæ post quadriennium primùm illatæ; unde Viti nomen aliena manu irrepserit: neq; Ludovicus Imperator Corbeiam

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si Ecclesias et loca divino cultui dicata nostris largitionibus providere satagimus, atque ibidem assiduè Deo famulantibus solatia clementer impendimus, non solùm honorificam regalis munificentiæ consuetudinem excercemus, sed et temporalium erogatione donorum perpetuæ nos mercedis præmia promereri posse confidimus. Quapropter noverit omnium fidelum nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quòd pro amore divino, atque animæ nostræ remedio, ad monasterium, quod vocatur nova Corbeia, quod construximus in Saxonia in honore S. Stephani Protomartyris, cui modò præest fidelis et propinquus noster Warinus, primus substitutus Abbas, concessimus piscationem quandam in fluvio Wisera, in pago Wimodia nuncupato, cui confinis est villa Liusci vocata,

in

in comitatu Abbonis, quæ quia in similitudinem palorum, quos incolæ Hocas vocant, construitur, gentilitio nomine ab indigenis Hocvvar nuncupatur, quæ ad jus nostrum pertinebat, quamque idem Abbo Comes hactenus in beneficio habebat; sed quoniam eadem piscatio absque familiis, quæ ad ejus provisionem deputatæ fuerunt, fratribus prædicti cœnobij non admodum utilis esse poterat, idcirco triginta duas familias, et quidquid ad eam piscationem pertinens sæpe dictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem jam dicti monasterii concedimus, quatenus ibidem servientes Monachos sine cessatione divinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut hæc cessionis nostræ auctoritas firmius habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius observetur, manu nostra subter eam firmantes annuli nostri impressione jussimus sigillari. *in honorem S. Viti construxit.*

Signum HLVDOVICVS *HLudovici Serenissimi Imperatoris.*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data XVI. Calendas Julii. Anno Christo propitio. XVIIII Imperii HLudovici Serenissimi Augusti. Indictione X. Actum Franconovort palatio regio, in nomine Domini feliciter amen.

Annus Christi 833.

Gregorij IV. Pont. 6.
Ludovici Pij Imp. 20.
Baduradi Ep. Pad. 19.

Aderat jam annus trigesimus tertius supra octingentesimum, quo miserabili tragœdia agitatus Imperator à filijs; Cùm Pipinus Lotharium & Ludovicum fratres in arma conscivit, eóque adduxit, ut junctis viribus in patrem moverent. Quo cognito Imperator post pascha Aquisgrano progressus, cum instructo excercitu, comitanteq; Juditha Conjuge & Carolo filio Wormatiam ascendit, turbatis, si posset, hisce rebus occursurus. Interea dum hîc versatur Imperator, duplici munificentiæ diplomate Corbeiense ad Visurgim Cœnobium dotat, quorum altero jus publici mercatus & monetæ, altero salinas attribuit; provocatus nimirum Warini Abbatis studio, & religiosorum virorum pietate, ac quotidie increscentium multitudine, quorum labore tantos per Saxoniam & Aquilonares regiones edi fructus intelligebat. Prius sic habet. *Vita Ludovici pij.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovvicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quomodo Corbeiense monasterium in Saxonia, propitiante Domino, Jus item publici mercatus & monetæ.

Annus Christi 832.

Gregorij IV. Pont. 5.
Ludovici Pij Imp. 19.
Baduradi Ep. Pad. 18.

Pipinus rebellis è custodia elapsus turbat omnia.

Annales Pithoei.
Auctor vitæ Ludovici.
Aimoinus lib. 5. c. 13.

Anno abhinc proximo, postquam Imperator pascha celebrârat Aquisgrani, in Bojariam maturavit; quòd relatum esset, Ludovicum Lotharij filium res novas moliri. Postquam verò Augustæ vindelicorum Bojariam pacavit, in Aquitaniam profectus est ad conventum publicum, quem Aureliæ indixerat. Jussus eò venire Pipinus filius; & quia malignorum hominum consilijs à se aversum Imperator expertus, Trevirim in custodiam deduci mandavit. Verùm è custodia, incuria & suorum artibus, elapsus, rursum omnia turbare cœpit; eò Pater ex Aquitania discedens Treviris conventum indixit, quò & Pipinus filius evocatus, ut sanis procerum consilijs Regnum in quiete collocaret; at Pipinus ex prava conscientia veritus conspectum patris, venire destitit. Quare conventu dissoluto, Imperator Pipinum Regno Aquitaniæ spoliavit, divisitque inter Lotharium, & Carolum filium ex Juditha susceptum. Hac Regni jactura & ignominia multò exacerbatior Pipinus, fratres in novum adversus patrem odium concitavit; & tam pronos pertraxit, quàm invidis animis accepère Carolum ex noverca genitum admitti in Regni partitionem, sibique præferri; fœdum inde atque exitiale bellum conflatum inter patrem & filios.

Ludovicus Imp. Corbeiensibus donat jus piscandi in Visurgi.

Has inter turbas Ludovicus Imperator insigni beneficentia exornavit cœnobium Corbeiense ad Visurgim, quod cumprimis largiri visus est Warino Abbati, quem propinquitate sibi conjunctum appellat, memor fidei sibi in adversis præstitæ, quòd nulli Saxonum præsides innocentiæ ejus causam constantius susceperint, quàm Baduradus Paderbornensis Episcopus, & Warinus Corbeiæ Abbas. Diploma, quo piscationem liberam ad Visurgim donat, sic habet.

Lego in alio exemplari, in honore S. Stephani & Viti; sed D. Viti reliquiæ post quadriennium primum illatæ; unde Viti nomen aliena manu irrepserit: neque Ludovicus Imperator Corbeiam

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. H Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si Ecclesias et loca divino cultui dicata nostris largitionibus providere satagimus, atque ibidem assiduè Deo famulantibus solatia clementer impendimus, non solùm honorificam regalis munificentiæ consuetudinem excercemus, sed et temporalium erogatione donorum perpetuæ nos mercedis præmia promereri posse confidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quòd pro amore divino, atque animæ nostræ remedio, ad monasterium, quod vocatur nova Corbeia, quod construximus in Saxonia in honore S. Stephani Protomartyris, cui modò præest fidelis et propinquus noster Warinus, primus substitutus Abbas, concessimus piscationem quandam in fluvio Wisera, in pago Wimodia nuncupato, cui confinis est villa Liusci vocata, in

in comitatu Abbonis, quæ quia in similitudinem palorum, quos incolæ Hocas vocant, construitur, gentilitio nomine ab indigenis Hocvvar nuncupatur, quæ ad jus nostrum pertinebat, quamque idem Abbo Comes hactenus in beneficio habebat; sed quoniam eadem piscatio absque familiis, quæ ad ejus provisionem deputatæ fuerunt, fratribus prædicti cœnobij non admodum utilis esse poterat, idcirco triginta duas familias, et quidquid ad eam piscationem pertinens sæpe dictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem jam dicti monasterii concedimus, quatenus ibidem servientes Monachos sine cessatione divinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut hæc cessionis nostræ auctoritas firmius habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, ac diligentius observetur, manu nostra subter eam firmantes annuli nostri impressione jussimus sigillari. *in honorem S. Viti construxit.*

Signum HLVDS *HLudovici Serenissimi Imperatoris.*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data XVI. Calendas Julii. Anno Christo propitio. XVIIII Jmperii HLudovici Serenissimi Augusti. Jndictione X. Actum Franconovort palatio regio, in nomine Domini feliciter amen.

Annus Christi 833.

Gregorij IV. Pont. 6.
Ludovici Pij Imp. 20.
Baduradi Ep. Pad. 19.

Aderat jam annus trigesimus tertius supra octingentesimum, quo miserabili tragœdia agitatus Jmperator à filijs; Cùm Pipinus Lotharium & Ludovicum fratres in arma conscivit, eóque adduxit, ut junctis viribus in patrem moverent. Quo cognito Jmperator post pascha Aquisgrano progressus, cum instructo excercitu, comitanteq; Juditha Conjuge & Carolo filio Wormatiam ascendit, turbatis, si posset, hisce rebus occursurus. Interea dum hîc versatur Jmperator, duplici munificentiæ diplomate Corbeiense ad Visurgim Cœnobium dotat, quorum altero jus publici mercatus & monetæ, altero salinas attribuit; provocatus nimirum Warini Abbatis studio, & religiosorum virorum pietate, ac quotidie increscentium multitudine, quorum labore tantos per Saxoniam & Aquilonares regiones edi fructus intelligebat. Prius sic habet. *Vita Ludovici pij.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovvicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quomodo Corbeiense monasterium in Saxonia, propitiante Domino, Jus item publici mercatus & monetæ.

cum consensu fidelium nostrorum, in honore S. Stephani Protomartyris Christi devotissima intentione fundavimus, et ibi competentia subsidia, quaeque prae manibus invenimus, debita largitate praedicto sanctificationis loco nostra in elemosina contulimus: insuper etiam, quia locum mercationis ipsa regio indigebat, monetam nostrae auctoritatis publicam ultra ibi semper inesse Christo militantibus proficuam statuimus, quatenus cum omni integritate, absque ullius contradictione vel impedimenti occasione, locus ipse sanctitatis omnem inde reditum nostrae auctoritatis publicum possideat, et utilitatibus monasterii perpetuis temporibus multiplicatum nostrum hoc largitionis donum proficiat. Et ut fiduciali perpetuitate haec omnia auctoritatis nostrae dona sibi potiatur et teneat, annuli nostri impressione subter roborando firmare decrevimus.

Signum HLDOVICS *HLudovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi et ss.*

Data Calend. Junii. Anno Christo propitio. XX Imperii Domni HLudovici piissimi Augusti. Indicti: XI. Actum Wormatiae Civitate, in Dei nomine feliciter Amen.

Alterum diploma, quo salinae fontes donat, etsi locum non memoret, in quo datum sit, hoc tamen eodem mense atq; anno consignatum reperio.

Et Salinarios fontes.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si liberalitatis nostrae munere de beneficiis à Deo nobis collatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad nostram mortalem vitam feliciter transigendam, et ad aeternam perpetualiter obtinendam, profuturum liquidò credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, tam et praesentium quàm et futurorum sollertiae, quia cùm nos monasterium in Saxonia propitiante Domino cum consensu fidelium nostrorum in honore S. Stephani Protomartyris Christi devotissima intentione fundatum habuissemus, nomenque novae Corbeiae aptassemus, atque ibi competentia subsidia quaeque prae manibus inveneramus debita largitate praedicto sanctificationis loco in nostra elemosina contulissemus, Warinus quem in eodem monasterio Abbatem praefecimus, suggerendo petiit celsitudini nostrae, ut in memorato Ducatu Saxoniae locum provideremus, ubi sal fieri ad cibos Monachorum in eodem monasterio per tempora degentium saliendos atque condiendos potuisset; quod et per hoc nostrae auctoritatis praeceptum in Ducatu Budinisvelt, quantumcunque juris nostri * *in illo sale, quod est super fluvium Wisera, erat in pago Logi. Per quod statuentes decernimus, ut sub jure istius monasterii, quantumcunque in eodem sale habere visi sumus, perpetuò consistat, sicut diximus ad necessitates Servorum*

** al. M.S. vetus. nostri in illo & fonte qui est super flavium.*

rum Dei in memorato monasterio degentium fulciendas. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmior habeatur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

*Miginarius Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data * VI Idus Junii. Anno Christo propitio XX Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris. Indict. XI. in Dei nomine Amen.* *al. M. S. vetus. VI Kal. Junij.

Prorsus verisimile habeo, cùm hanc expeditionem Ludovicus adversus filios Wormatiam & in superiorem Germaniam suscepit, Baduradum & Warinum Abbatem in comitatu habuisse. Igitur cùm Imperator Wormatiæ cum exercitu consideret, & castris utrimque oppositis multum deliberaret, confligendumnè esset cum rebellibus filijs, an prius animi per legatos ad pacem & concordiam pertentandi; consultum habuit Imperator mittere Bernardum Episcopum cum alijs quibusdam honoratis viris ad filios hortatum paternè, ut secum in gratiam redirent. Hunc ego Bernardum Episcopum haud alium intelligo, quàm Baduradum nostrum, qui Imperatoris castra secutus, fidus illi semper adhæsit. Nec præter Bernardum Viennensem Episcopum ejus nominis alium reperio: at is, teste Adone Viennensi, per id tempus cum Agobardo Lugdunensi Episcopo reus conspirationis profugerat primus ante alios. Igitur Baduradus, fidus semper comes Ludovico, suscepta legatione, quamvis in omnem partem versasset animos filiorum, reique indignitatem exposuisset, nihil æqui ab exacerbatis filijs impetrare potuit. Imploratus & Pontifex (erat Gregorius eo nomine IV.) Ac tardius quidem ille Roma accessit, non sine indignatione Imperatoris; ubi tamen advenit, auxit Imperatoris offensionem, quòd prius ad castra filiorum, quàm ad se accessisset. Jamque frontes exercitûs gemini stabant sibi obversæ inter Argentoratum & Basileam (in Campo, qui mendacij dictus est, ob delusum Imperatorem) cùm Pontifex singulos filiorum adit, modò precibus, modò hortationibus ad concordiam & pacem emolliens. Ac postquam nihil ab efferatis animis impetratum, petijt sibi permitti ad patrem transire, & de conditionibus pacis agere; id concessum. Inter hæc è castris Imperatoris plerique dilabuntur ad castra filiorum, transfugæ & perfidi. Imperator, ubi se desertum propè vidit à suis, nec quos secum habebat, prœlio committi vellet, dura necessitate circumventus, legat ad filios, qui dicerent se in eorum potestate fore, caveant duntaxat ab injuria Conjugis, filij, & domesticorum. Nec mora, rebellia filiorum castra ingreditur; cùm subito Juditha conjunx à latere avulsa in Italiam abripitur: Augustus cum Carolo filio in tabernaculum includitur; inde soluto ad impiam prædam exercitu, divisoque inter se Imperio, Pipinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bojariam abeunt, captivus pater apud Lotharium filiorum iniquissimum relictus. Et quò non ambitio hominem abripuit? ut

Baduradus frustra tentat cum Ludovico Imp. filios conciliare.

Ludovicus filiorum se potestati dedit;

cx

ex collega Imperij, abrogato patri Imperio, se Imperatorem ferret, eò omnes artes & concilia vertit. Ac postquam patrem tota æstate per urbes Franciæ tragico spectaculo circumduxisset, Carolumque filium à patre abstractum in Prumiense monasterium reclusisset, Compendium festinavit, ubi conventum indixerat, ut in eo publico procerum judicio Imperium patri abrogaretur; quantum verò hoc urgebat Lotharius, tantum veriti proceres, cumprimisq; auctores conspirationis, ne tantum flagitium excitâ Germaniâ omnia retro in ipsorum capita verteret. Igitur callido consilio, quo facinus velent, Franciæ quosdam Episcopos, alios minis territos, alios dolo persuasos, alios etiam ingenio pronos in conventum consensumque trahunt; quos inter Ebbo Remensis Archiepiscopus concitor & architectus malorum accessit. *Quanquam omnes illi Episcopi*, ut Theganus perhibet, *Imperatori molesti fuerint, maximè hi, quos ex servili conditione honoratos habebat, cum his, qui ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti erant.* His deinde cum proceribus conjurationis in concilium congregatis, Imperator absens & per summum nefas inauditus damnatur: & mox, ut pronunciatum erat, eorum sententijs Imperator Compendij in Basilica Deiparæ Virginis ante aram & corpus S. Medardi & Sebastiani sistitur. Ibi regia indumenta & arma ponere cogitur, pullaque veste indutus in monasterium sub tectum quoddam detruditur; & ne elabi possit, arcta custodia additur: oblato dein Missæ sacrificio, populus dimittitur inter gemitus & lacrymas. Inter Episcopos hujus facinoris reos producit Crantzius atque Ertwinus, Egilmari testimonio, Goswinum tertium Osnabrugensem Episcopum, à quo Imperatorem gladio discinctum perhibet: atque is fortè est, quem Theganus comprehendit inter barbaræ nationis præsules, qui deinde restituto Imperatore ultro Episcopatu cesserit & conscientia sceleris se in monasterium Fuldense abdiderit. Ceterum nullum ego reperio ex Saxonicis Episcopis hujus conspirationis reum: eò Baduradi nostri gloria illustrior, qui Imperatori in omnibus hiscè ærumnis fidus adstitit, vir magnanimus, & ad omnes casus intrepidus.

Imperio ejusque insignibus exuitur.

Ertwinus in Chron. Osnab.

His mense Octobri per summum scelus gestis, Lotharius Compendio patrem secum eadem pulla veste, quam monachalem volunt, deduxit Aquisgranum ad hyberna, arctaque inclusit custodia impius filius. Lotharium Aquisgranum comitatus Otgarius Episcopus, quem Theganus inter conspirantes atque æmulos Imperatoris nominat; atque hunc Otgarium Moguntinum Archiepiscopum dixeris silente etiam Serrario.

Annus Christi 834.

Gregorij IV. Pont. 7.
Ludovici Pij Imp. 21.
Baduradi Ep. Pad. 20.

Post-

Postquam propudiosi hujus facinoris fama per hyemem increbuit, tota prope Germania, Francia, & Burgundia concita, ad arma convolare cœpit. Ac nemo patris causam sollicitius vehementiusq; suscepit, quàm Ludovicus filius Bojariæ Germaniæque Rex, qui ceteris semper fratribus æquior fuit in patrem. Quarè à Drogone patruo & Metensi Episcopo facilè permotus, alios super alios legatos misit ad Lotharium fratrem; ut benignius haberet patrem. Cùmq; in colloquio apud Moguntiam coram nihil etiam impetrasset, collectis Germanorum & Saxonum trans Rhenum copijs, Lotharium vi aggredi statuit. Jamque in Burgundia, ceterisque Franciæ provincijs arma pro Jmperatore restituendo sumpserant proceres, quibus & ipse Pipinus filius se junxit. Hoc animadverso, Lotharius sub vernum tempus, pullatum secum trahens patrem, Aquisgrano Parisios maturavit. Ibi cùm se tot undique copijs in caput suum confluentibus imparem cerneret Lotharius, patrem in cœnobio S. Dionysij deponit, ipse contenta fuga in Burgundiam properat, eáque decursa, Viennæ subsistit, exploratum, quò res vergeret. Tum verò proceres, commutatâ fortunæ scenâ certatim ad Jmperatorem adcurrere, & omnem fidem & opem addicere, hortari ut insignia & potestatem Jmperij resumeret. Quorum præsidio confisus Jmperator in Basilica D. Dionysij, ingenti populi gaudio plausuque, Episcoporum manibus pullata veste exutus, purpura, baltheo, & ferro se accinxit, cohortantibus subinde armatis procerum turbis, Lotharium filium insequeretur, & à perduelle vindictam sumeret. Aversatus consilia civilis belli, sanguini parcendum suasit. Mox Carisiacum profectus Pipinum & Ludovicum filios, immemor præteritorum, paterno affectu excepit; & hunc in Bojariam, illum, in Aquitaniam remisit, ipse Aquisgranum redijt, ubi, recepta ex Italia Juditha conjuge, & Carolo filio ex Francia, hyemem exegit.

Restituitur imperio, agente maximè Ludovico Germaniæ Rege.

Has inter turbas, etiam dum Aquisgrani in potestate filij teneretur Imperator, duplex hoc anno in mense Majo diploma dedit, quorum altero beneficentiam in Corbeienses explicuit, nova largitione donando prædia religiosis ejus cœnobij monachis.

Villas nonnullas Corbeiensibus transcribit Ludovicus.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina repropitiante clementia Jmperator Augustus. Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis à Deo nobis conlatis locis Deo dicatis quiddam conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquidò credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm et futurorum, sollertiæ, quia complacuit serenitati nostræ, quasdam villas juris nostri sitas in Angariis, in Logni, quarum vocabula sunt Sulbichi et Hemlion, monasterio, quod dicitur nova Corbeia, ubi præsenti tempore Warinus venerabilis Abbas pastor et rector esse dinoscitur, sub integritate per hanc nostram auctoritatem delegare,

delegare, ut nostris et successorum nostrorum temporibus in ditione ejusdem monasterii perpetualiter consistant, ad stipendia monachorum inibi constitutorum, et necessitates ejusdem monasterii procurandas atque sublevandas; Has ut diximus villas cum omnibus rebus, appendiciis, et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus, id est, domibus, ceterisque ædificiis, terris, pratis, silvis, campis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus, ac se ipsas moventibus, mancipiis diversi sexus ac ætatis, prædicto monasterio concedimus, atque confirmamus, ut ab hac die in futurum, sicuti dictum est, in jure et potestate ipsius perpetuò permaneant, absq; cujuslibet Comitis, vel publici Judicis, aut cujuslibet personæ contradictione vel refragatione. Et ut hæc nostræ donationis atq; concessionis auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLVDOVICVS *HLudovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi et ss.*

Data Idus Maij. Anno Christo propitio. XXI Imperii Domni Ludovici piissimi Augusti. Indictione XII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

Altero diplomate rem longè salubriorem majorisq; momenti complexus Imperator, Hamburgi sedem Episcopalem instituit, in eáque D. Ansgarium Episcopum, ex sua & Pontificis Gregorij IV auctoritate, ut profitetur, collocavit: permotus primùm Caroli patris instituto, à quo refert Hamburgi Ecclesiam constructam, dicatamque ab Amalhario Episcopo, cui deinde loco Heridagum presbyterum imposuerit, provehendum in Episcopum, ut in cetera Saxonia fecerat, nisi virum egregium præmatura mors sustulisset. Ab ejus excessu Hamburgensis Ecclesiæ, & Transalbianorum populorum cura, Bremensi & Verdensi Episcopo, ut diximus, ad hunc diem commissa fuit. Post ubi D. Ansgarius, prolatâ etiam Evangelij semente extra Transalbianam Saxoniamq; gentem etiam Danorum & Sueonum Evangelij luce collustravit, ostiumque magnum aperuit Christianæ religionis (quod his tabulis dilaudatur) incensus Imperator tanto fructu, & spe tot barbararum gentium Ecclesiæ aggregandarum, Ansgarium septentrionalium Ecclesiarum Episcopum designavit; quem haud multò post Gregorius IV Pontifex Romæ Archiepiscopum, & Legatum circumiacentium populorum, Danorum videlicet, Sueonum, & Sclavorum fecit, pallijque honore decoravit, & amplâ ad id munus potestate donavit, docendi mittendiq; Sacerdotes, quocunq; in Septentrionem Christi religio exporrigi posset. Ut vel indè recognoscas à Pontifice Romano harum gentium conversionem auspicia sua cœpisse, ut hæc planius

D. Ansgarius designatur Episcopus populorum septentrionalium.

Vita S. Anscharii c. 12. Diploma Gregorii IV in Append. à Cæsare editum.

nius in diplomate Pontificis enarrantur. Hisce nova largitione addidit Imperator Cellam Turholtiam cum prædijs & bonis, quò se reciperet, si à Barbaris ejici casus ferret. Igitur Anscharius novum illic Sacerdotum seminarium erigit, è quo postea D. Rembertus traductus; & simul Corbeiâ evocat monachos, quorum opera septentrionales populi Christi fidem tanto exinde fructu edocti sunt. Ipsum Ludovici Imperatoris diploma Aquisgrani consignatum Idibus Maij, anno Imperij Ludovici 21, Indiction. 12 hîc non recito, quòd jam à tot Scriptoribus vulgatum extet. Memoratur eodem quidem diplomate Anscharius consecratus Episcopus à Drogone Metensi Episcopo, assistentibus Ebbone Remensi & Otgario, inter ceteros, Archiepiscopis; Verùm cùm duo Archiepiscopi hoc ipso tempore conspirationis rei tenerentur, consecratio hæc Anscharij in annum 831, ut fecimus, rejicienda est. Quanto exinde labore, quo successu Anscharius per Daniæ & Sueciæ regna Christi fidem propagârit, quibus miraculis doctrinam illustrârit Deus, multis enarrat D. Rembertus in rebus ab eo præclarè gestis. Jam quantum Saxonia Carolo M., tantum Transalbiana regio, Dania & Suecia, in Christianæ maximè religionis initijs, debet Ludovico verè Imperatori pio. Et quantum non Corbeiæ ad Visurgim simul debet seminario Christianæ religionis? Sanè quod Fulda in Saxonibus Christo partis, id Corbeia in Aquilonaribus populis Ecclesiæ aggregandis conspicitur; dummodo nunc populi earum regionum recognoscerent, à quibus doctoribus sanctisque viris primò verbum Dei acceperint, & majores eorum tot sæculis ad Lutheri tempora intaminatum servârint. Tanta per hujus errores invecta mutatio, ut quæ Catholicorum sacra olim Barbari libera fecêre, ea nunc hæresis carceribus & supplicijs persequatur.

Apud Philip. Cæsar. in tribus Apost. Bollandum in vita S. Anscharij. Pontanum in hist. Danica.

Fine hujus anni dum ex Gallia in Germaniam Imperator iter repetit, novâ rursum liberalitate Meppiam, ad confluentes Amasis & Hasæ, Corbeiensibus ad Visurgim monachis donat; eòque consilio, quo Eresburgum, Cellam quoque hanc Corbeiæ conjungit, ut ab ejus Cœnobij Abbate ceteri tanquam capite regerentur; id quod Warinus Abbas, aut per se, aut Baduradum, qui tum Imperatori aderat, impetrârit: tabulæ donationis hæ sunt.

Meppena à Ludovico Imp. donatur Corbeiensibus.

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina repropitiante Clementia Imperator Augustus. Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis à Deo nobis collatis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum speramus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum sagacitati, quia petente Warino venerabili Abbate, qui monasterium, quod dicitur nova Corbeia, nostra concessione in regimine habere dinoscitur, complacuit Celsitudini

nostræ quandam Cellam juris nostri vocatam Meppiam, quæ est constructa in pago Agredingo memorato monasterio per hanc nostram auctoritatem tradere, ut perpetuo sub ejus ditione cum omnibus ad se pertinentibus consistat. Hanc, ut diximus, Cellulam sub integritate cum omnibus rebus ad se pertinentibus et aspicientibus, id est, Basilicis, domibus, ceterisq; ædificiis, terris, pratis, silvis, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, mancipiis diversi sexus et ætatis, memorato monasterio subditam esse facimus, atque per hanc nostram auctoritatem ita condonamus et tradimus, ut in jure ejusdem ac monachorum ibidem per tempora Deo servientium in diversis necessitatibus ad divinum cultum propensius exequendum absque cujuslibet diminutione ac retractatione permaneat, et nullus fidelium nostrorum ab eorum dominatione et potestate eam quoquo modo auferre, aut in aliam quamlibet partem quacunque occasione transferre præsumat, sed liceat memorato Abbati, ejusque Successoribus, ac monachis in memorato monasterio per tempora degentibus jam dicta Cella cum omnibus ad eam pertinentibus ad Dei ac Domini nostri Jesu Christi famulatum diligentius peragendum uti absque cujusquam contrarietate, et quæcunque ad suos in Domini nostri Jesu Christi militia usus et necessitates pertinent adornare, disponere, justeque efficere, quatenus pro nobis, conjuge, prolequé nostra, et pace, ac stabilitate totius imperii à Deo nobis commissi, alacrius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria adscripsimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLDOVICS *HLudovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi et ss.*

Data VII Idus Decembr. Anno Christo propitio XXI Imperii Domni HLudovvici piissimi Augusti. Indictione XII. Actum Blanciaco in nomine Domini feliciter Amen.

Meppia, quod nunc præmunitum est oppidum diœcesis Monasteriensis ad prædictorum amnium confluentes, vetustate celebris locus, ut vitâ S. Ludgeri proditum est, & Ludovici Jmperatoris domicilium, ac sedes Monachorum, per quos vicini Embslandiæ Incolæ Christiana religione exculti; ideo Cella his tabulis vocatur, uti & Visbeki iisdem in finibus; quas & Abbatiolas dixêre, à primaria Monachorum statione, ad quam ceteri se per parœcias dispersi reciperent. Unde hodiedum jure patronatus multæ istic parochiæ Abbatem Corbeiensem respiciunt. Intelligebatq; tunc Jmperator quanto lucro Sacerdotes ordinis S. Benedicti in ea rudium hominum cultura versarentur. Ideo tam amplis bonis dotavit cœnobium, Abbatemque Corbeiensem eorum moderatorem esse voluit.

Accessit

Accessit per hæc florentia Corbeiensis cœnobij initia Geroldus ex prima Francica nobilitate, vir cùm palatinis honoribus, militiæ præfectura, & doctrinarum scientijs clarus; tum multò illustrior, postquam abdicatis omnibus bonis & honoribus Corbeiam ingressus, sumptoque habitu pauperem & sanctissimam inter Monachos vitam exegit, cui hodiedum eleganti & Romano charactere hoc Epitaphium inscriptum legitur.

Geroldus monasticam in Corbeia Saxonica vitam inchoat.

Inclytus est istic positus Levita Geroldus,
Quondam regali clarus in obsequio.
Sed servire Deo malens, hic quidquid habebat,
Secum præsenti contulit Ecclesiæ.
Cujus doctrinis gaudet, donisque refulget,
Pro quo Christe jugem confer ei requiem.

Multa ille, ut erat opulentus, prædia bonaque donavit, interq; cetera argenteam crucem XII librarum, & instructam omni supellectile librorum bibliothecam; quanquam, quo Ludovici Jmperatoris anno id factum, in annalibus præteritum sit.

Annus Christi 835.

Gregorij IV. Pont. 8.
Ludovici Pij Imp. 22.
Baduradi Ep. Pad. 21.

At nondum omni civili filiorum bello exsolutus Jmperator. Quæ res impedijt, quo minus animum in Saxoniam, & harum gentium curam intendere licuerit. Hærebat nimirum Lotharius adhuc armatus ac rebellis patri in Francia; prælioque inter utriusque duces commisso victor, Cabilonem expugnat, sævitque in victos capitali supplicio; quos inter Gotberga Wilhelmi Comitis filia è cœnobio extracta, dolioque vinacio inclusa viva projicitur in Ararim. Eadem intentata alijs, qui aut fidi Jmperatori, aut Lothario suspecti erant. Adeò difficiliùs reconciliatus filius patri, quàm pater filio, qui jam ceteros in gratiam susceperat, idem facturus Lothario, si modò supplicem se, ut alij, stitisset. Igitur adversus obfirmatum armatus Aquisgrano movit in Franciam Jmperator, quem Ludovicus filius cum Germanorum Saxonumque copijs secutus: his se junxit Pipinus cum Aquitanico milite. Jamque Imperatorius exercitus Aureliam promoverat, ubi haud procul Lotharius cum exercitu consistebat, viribus longè impar, eòque retro abijt. Nec pater insecutus filium, quem oblatâ concordiâ & pace; quàm armis sibi reconciliari voluit. Quam in rem missi legati, qui contumacem filij animum lenirent; quos ille durè exceptos cum minis etiam remisit ad patrem. Castris utrimque in conspectu positis, cùm militum animi cruentum prælium spirarent, Imperator nihil magis, quàm ejusdem sanguinem

Annales Francorum. Vita Ludovici.

Lotharius Patri rebellis

guinem aversatus, mittit Baduradum Episcopum Paderbornensem ad Lotharij filij castra, virum cùm ætate gravem, tum auctoritate spectabilem, qui jam in vigesimum annum multis legationibus clarus episcopatum gesserat; ille verò, qua pollebat facundia, perorando aggressus Lotharium ex lege divina exposuit indignitatem rei; tum Pontificali auctoritate ostensa, additaque comminatione, quam ex ultrici numinis manu tot contumaces in patrem filij experti essent, obduratum Lotharij animum ad reconciliationem inflexit, magno Imperij tum laborantis bono. Libet hæc ipsius Thegani apud Treviros tum Chorepiscopi & Spectatoris referre verbis; *Tunc*, inquit ille, *Imperator misit legatos suos post eum, Baradadum Episcopum Saxonicum* (Baduradum videlicet) *et cum eo Gebehardum nobilissimum ducem, et Berengarium sapientem propinquum suum. Qui venientes ad eum statim jam dictus Episcopus præcepit ei sub edicto Omnipotentis Dei et Sanctorum ejus, uti se à societate impiorum seductorum alienaret*; ac cùm Episcopus primum intromissus multa perorasset, ad quæ attonitus hærebat Lotharius, *post ejus legationem duces protulerunt, quod eis imperatum fuerat. Quos statim rogavit ad modicum tempus egredi foras, et statim revocavit, deprecans eos, ut ei consilium darent de omnibus actibus suis; at illi instruxerunt eum, ut veniret ad præsentiam patris cum ceteris Seductoribus, certò promittentes pacem* & gratiam patris; quibus Lotharius addixit venturum se. Nec mora secutus Lotharius, venit ad castra, ubi Imperator pater sub magnifico papilione considebat, & juxta patrem filij Pipinus & Ludovicus spectante universo, qui circumfusus erat exercitu. Postquam introgressus tabernaculum Lotharius, è vestigio supplex se abjecit ad pedes Imperatoris, veniam omnium præteritorum deprecatus; quem pater paucis objurgatum amplexus excepit facta omnium noxarum condonatione. Pari clementia Hugo, Mathfridus, ceterique rebellium accepti. Is finis hujus fœdi & propudiosi belli: hæc salutaris tandem pax inter Imperatorem & filios conciliata, Baduradi potissimum studio & auctoritate, quem inter Germaniæ Saxoniæque præsules Imperator & aula post Drogonem Metensem Episcopum cumprimis venerabatur.

Agente Badurado Episc. Paderb.

Ingratiam cum ceteris recipitur.

His peractis, jussus est Lotharius petere Italiam, nec ab ea injussu patris redire, collocato etiam in Alpium claustris milite, ne transitus illi in Franciam pateret. Imperator exinde Aquisgranum reversus ea, quæ ad præsentem statum Germaniæ Saxoniæque poscebantur, disposuit. Nec multò post publicum in Theonis villa conventum indixit, ad quem VIII Archiepiscopi, & XXXV Episcopi, ac pleriq; procerum Dominica ineuntis quadragesimæ præsente Imperatore convenerunt. Actum in eo maximè de flagitio Episcoporum, à quibus Imperator Compendij augustalibus ornamentis exutus fuerat. At cùm ceteri Episcopi hujus criminis rei in Italiam profugissent, solus

Ann. Francorum. Concil. Parisiens. tom 21. Flodoardus lib 2. c. 20. Synod. Suession. & Tricassina. Hincmarus lib. adversus Godeschalcum c. 30.

solus Ebbo Remensium Archiepiscopus ex fuga retractus, ut Theganus scribit, sese stitit. In hunc igitur accusatio tanquam totius mali artificem instituta fuit. Atque is postquam in Ecclesia S. Stephani in Mediomatricum urbe cathedram conscendens coram Episcopis, Clero & populo confessus est, iniquè à se Ludovicum Imperiali sede amotum, traductus inde Theonis villam ad concilium Episcoporum accusatusque, secundum Africanos Canones, Judices petijt, delegitque sibi Aiulfum Archiepiscopum, Baduradum & Modoinum Episcopos. Coram his ille & se reum fassus, & ultro se dignum pronunciavit, qui munere suo exueretur. Mox omnium sententijs Archiepiscopatu dejectus in exilium abijt, atque inde, ut ad decretum Lotharij adscribitur, in Cisalpinis regionibus usque ad obitum Ludovici Imperatoris delituit: anno demum D.CCCXL post excessum Ludovici à Lothario in Imperium successore sedi pristinæ restitutus. Vir ex transrhenano & Saxonico verisimiliter genere, qui puer à Carolo M. inter obsides acceptus, translatusque in Franciam, multisque naturæ dotibus insignis, major etiam ex Apostolico munere, quo præclare functum diximus ad fines Danorum; at ubi publicis Aulæ negotijs se miscere cupidius cœpit, neque se in fastigio honoris moderari potuit, fœdo casu in præceps datus est. Idem Episcoporum calculis in absentes sancitum est, observatumque, quo tempore Ludovicus Imperator captivus à filio circumductus, hyemem procellis fœdam & ventorum turbinibus horridam, terras superfusis fluminum aquis ubique immersas fuisse, tanquam elementa omnia filiorum scelus in patrem detestarentur. Et quo vindicem Deum planè cognoscas, omnes propè hujus rebellionis concitores auctoresque intra proximos annos exstincti periêre; quos inter Jesse Ambianensis, Elias Tricassensis Episcopi, Walo Corbeiæ Francicæ Abbas, Adelhardi conditoris Corbeiæ ad Visurgim frater, alijque quamplures ex nobilitate Francica proceres; tanquam factiosis capitibus sublatis Deus Imperatori pacatius exinde imperium parârit.

Conventus Theonis Villanus, in quo Ebbo Rhemensis Archiepisc. cœterique Majestatis læsæ rei sedibus suis dejecti.

Tom. 21. concil. Parif. in decreto Lotharij Imp.

Annales Francorum. Auctor vitæ Ludov.

Annus Christi 836.

Gregorij IV. Pont. 9.
Ludovici Pij Imp. 23.
Baduradi Ep. Pad. 22.

Illuxit tandem annus trigesimus sextus supra octingentesimum, tam Imperatori post sævam tempestatem serenus, quàm diœcesi Paderbornensi duorum Sanctorum pignore Liborij & Viti ex Gallijs illato salutaris, admirandusq; cœlestibus beneficijs. Enim vero Imperator, postquam assertus in libertatem & majestatem Imperij, nihil impensius habuit, quàm collapsa disjectaque belli turbine revocare in pristinum statum. Quam in rem mense Februario Imperatoris jussu

Francor. Ann. Auctor vitæ Ludovici.

Concilium Aquisgranense, ejusque acta.

jussu convocata est celebris illa Synodus Aquisgranensis, de qua Francorum annales, atque auctor vitæ Ludovici pij ad hunc annum hæc memorant. Ipsis diebus, in quibus purificatio beatitissimæ semper Virginis Mariæ celebratur, Conventus quidem magnus, sed præcipuè Episcoporum Aquisgrani convenit. Nomina præsentium Episcoporum etsi exciderint, Baduradum Episcopum Paderbornensem interfuisse, nemini dubitare fas erit, quando per id tempus in palatio Jmperatoris adhuc versabatur, etiam tum, cùm corpus Liborij Paderbornam deportaretur. Et facilè mihi persuaserim, Baduradum præcipuum hujus concilij Jmperatori auctorem fuisse. Pertractatum in hoc conventu primò de munere & moribus Episcoporum; Deindè de officio Abbatum, aliorumque inferiorum ordinum instituto. Tertiò de Jmperatoris filijs ac ministris rectè componendis. Quemadmodum hæc acta canonesque tribus libris comprehensa tenemus. Questi etiam cumprimis patres de bonis Ecclesiæ per civilia hæc bella ereptis; tanquam intestinorum bellorum non aliæ causæ, quàm laxata cleri populique disciplina, & spolia bonorum Ecclesiasticorum. Quarè publico Jmperatoris & Episcoporum decreto missi legati ad Pipinum filium Aquitaniæ Regem; idemque Ludovico & Lothario Jmperatum, ut rapta Ecclesijs & Monasterijs redderentur, Ejus quoque rei gratia alter post pascha Wormatiæ conventus procerum indicitur, in quo coram Jmperatore diligens inquisitio & severa animadversio facta in ministros justitiæ. Quarè & Missi Dominici, seu Legati in provincias ire jussi; ac ne oneri, aut incommodo essent in hoc legationis munere, commeatum illis hac lege præscripsit; *Episcopo panes XL. Frissingæ tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii tres præbentur*; quo denuo satis liquet hoc legationis munus Episcopis, quibus comes adjungi solitus, tanquam fidissimis & æquissimis Jmperij ministris commissum fuisse. Hoc nimirum illud Adonis Viennensis de Ludovico elogium: *inter mirifica et honoranda opera per totum imperium dedit tum in Gallia, Germania et Italia legatos, qui pauperum et oppressorum justitias diligenter perquirerent, et singulorum necessitates ad plenum audirent*. Quæ laus non parum contingit afficitque Baduradum nostrum, quem per id tempus vel aulæ moderatorem, vel legatum habuit Jmperator, virum religione, æquitate, prudentia sibi probatissimum. Quanquam ex nullo regno Jmperij graviores querelæ, quàm ex Italia delatæ; nam ita Annales Francorum, auctorque vitæ Ludovici. *Nunciatum est Imperatori, quòd* Lotharius *conditiones Sacramentorum dudum promissas rumperet, maximeque Ecclesiam S. Petri, quam tam avus ejus Pipinus, quàm pater ejus Carolus, nec non et Imperator ipse in tutelam susceperat, homines ejus crudelissimè vexarent. Quæ res adeo animum ejus exasperavit*, ut in continenti extra ordinem legatos mitteret,

Concil. Parisiens. tom. 21. Concil. Colon.

Conventus Wormatiensis.

Lib. 2. Legum Francici.

Ado Viennen. in chron.

Ludovici Imp. cura pro Ecclesia Romana, à Lothario afflicta.

ret, monendo Lotharium, ut memor esset, quòd quando ei Regnum Italiæ donavit, etiam simul curam Ecclesiæ Romanæ commiserit, ut quam ab adversarijs defendendam susceperat, eam à suis ipse diripi non sineret, & divinitatem offenderet, neque enim hoc ei impune futurum comminabatur. Hanc adeò Romanæ Ecclesiæ & Pontificis curam sibi sumpsit Imperator, ut iter in Italiam exemplo Caroli patris ad limina Apostolorum appararet, certus per præsentiam omnia restituere in integum, & Pontificis honori consulere. Jamque ad iter Romanum accinctus stabat Jmperator, cùm certis nuncijs adfertur Nortmannos in Frisiam irrupisse. Et haud levis ea clades erat; nam Dorestadium vastatum, Antwerpia & Wittha, celebre ad ostium Mosæ emporium, incensa, Frisones ad tributum adacti. quibus cognitis, Imperator copias contrahit, atque ipse suscepta expeditione in Frisiam properat; nec desideratus diu fuit felix belli successus, quo Nortmanni oppressi, ejectique è Frisia. Nihil quippè Imperator sollicitius habebat, quàm eas regiones, in quibus Christiana religio florebat, à Barbaris intactas servare. Sed hæc præludia fuerunt fatalium malorum, quæ gens illa post intulit. His gestis, Imperator Francofurtum profectus omnia in quiete & religionis flore continuit.

Annales Pithœi. *Auctor vitæ Ludov.* *Sigebertus,* *Annal. Franc. Fuldens.*

Frisios contra Nortmannos defendit.

Lætiora etiam per id tempus ex advecto Paderbornam S. Liborij Cenomannensis quondam Episcopi corpore. Magnus Divi illius pignore thesaurus, & innumeris exinde miraculis & cœlestibus beneficijs apud nos in hodiernum diem clarus. Donum id Baduradi Episcopi nostri religioni & studio debetur, à quo ab Albrico, Saxonici generis, tum Cenomannis Episcopo ac populari suo impetratum, illatumq; in hanc Ecclesiam. Historia primum ab Jdone Presbytero hujus Ecclesiæ, qui coram omnia spectavit, relata in literas; quædam etiam viva voce tradita: ex illo alius religiosus hujus loci Sacerdos rogatu Bisonis IV Episcopi Paderbornensis conscripsit; ex quibus deinde Gobelinus & Crantzius sua transcripsêre. Præter hos vetustus Cenomannensis Ecclesiæ scriptor translationem hanc contexuit, ac fortè Erconradus ejus Ecclesiæ Diaconus, à quo Gobelinus miracula hujus translationis exarata memorat. Postremùm Bollandus acta omnia singulari libro complexus edidit, & singula erudito commentario illustravit, petente id Fabio Chisio Legato Apostolico in conventu pacis, cùm calculo affligeretur, huic patrono supplex; quem postea Roma Pontificem habuit eo nomine Alexandrum VII. Ut jam nihil ad fidem publicamque notitiam desideres; ego tamen, quia ordo narrationis postulat, quàm paucissimis dicam.

Translatio S. Liborij Paderbornam quibus auctoribus tradita sit.

Baduradus religiosissimus Paderbornensium Episcopus, postquam vidit plerasque Saxoniæ Ecclesias non modò suis patronis consecratas, sed & Sanctorum corporibus, Divorumque reliquijs

ad majus cœleste præsidium esse præmunitas: Osnabrügensem videlicet Crispini & Crispiniani, Bremensem D. Willehadi sui Episcopi, Mindensem Gorgonij Martyris, Wildeshusanam S. Alexandri Martyris pignoribus, aliasq; alijs Sanctorum Lipsanis esse provisas, nullum verò Divi pignus Paderbornæ adhuc illatum, incensus hoc sacro studio provisusque suæ Ecclesiæ (ut tum magnum hoc pietatis certamen fervebat) publicum jejunium & supplicationem indixit, dignaretur Deus etiam suæ Ecclesiæ dare tutelarem cum pignore Divi alicujus patronum. Nec vanæ hæ preces fuêre; cœlitus enim mox Baduradus accepit, mitteret Cenomannorum ad Urbem in Gallijs, fore ut ibi votorum copia fieret. Quam in rem Baduradus etiam Ludovici Imperatoris voluntatem, & literas commendatitias petijt ad Episcopum & Clerum ejus Urbis. Missi ergo cum Folodago Advocato, quem Sualenbergensem Comitem fuisse volunt, Menulphus Archidiaconus, Adelbertus unàque Jdo presbyteri, Aldricus Diaconus, & Dradivinus Subdiaconus, petitum Divi, quod placeret dare, corpus, quorum in ea urbe magnus thesaurus erat. Hi postquam v Kalendas Maij Urbem Cenomannorum ingressi, literas Baduradi Episcopi & Ludovici Imperatoris exhibent Albrico ejus tum Urbis Episcopo. Atque is licet pronus esset, ultroque corpus D. Liborij, offerret (seu quòd idem gente Saxo popularibus suis id facile largiretur, seu quòd jam antè id Badurado, cùm in Gallijs versaretur, addixerat) obstabat tamen clerus & populus ab Episcopo convocatus, quòd dicerent, nolle se sacris illis & Divorum suorum patrociniis spoliari. Quæ responsio nullum magis inter legatos anxium habuit, quàm D. Menulphum; quare ad Deum conversus, ut hæc impetraret, vovit in Ecclesia S. Vincentij se Sanctimonialium cœnobium Budecæ in fundo sui patrimonij ex paternis bonis erecturum. Multum hæ D. Menulphi conceptæ preces valuêre, quibus pro sancto exoravit sanctus cleri ac populi animos; nam ubi altero die Albricus clerum ac populum convocavit, omnes mutata mente prompti ad postulata Legatorum corpus D. Liborij offerunt. Igitur Albricus Episcopus, indicto prius jejunio, cum clero & legatis extra Urbem progressus ad proximam in suburbio Ecclesiam, honori SS. Apostolorum consecratam, in qua corpus D. Liborij cum alijs Divorum Lipsanis conditum quiescebat, venerabundus sepulchrum aperit, populoque integrum corpus spectandum exhibet, quando suavissimus & supra humanum usum odor omnes afflavit. Aderat & cœca mulier attracta, dum corpus feretro imponitur quæ ubi in conspectu omnium visum recipit, tantus populi plausus junctusque gaudio fletus auditus, ut cleri psallentis voces interturbatæ, abruptæque fuerint. Mox & spiritus malignus ex obsessi corpore ejectus, in quo hactenus toties frustra alij laborârant. Quibus tam mirificè patratis,

Baduradus cœlitus edocetur à Cenomannis sacra Lipsana esse petenda.

Eò cum pluribus missus S. Meinolphus,

Ut corpus D. Liborij obtineat, vovet monasterium Bodecense.

Miracula complura translationem S. Liborij subsecuta.

tis, Albricus Episcopus ipse humeros sacro feretro subjicit, unáque illud cum Sacerdotibus ad Basilicam Urbis deportat; ubi alijs super alijs prodigijs illustratus Liborius. Nam & claudo gressus, & muto linguæ usus, & contracto membrorum integritas, & cœco visus, & energumeno ab infesto hospite reddita libertas. Quæ signa quo illustriora in oculis populi, eò hic in dimittendo D. Liborio alienior. Verùm Albricus, ne legatos Baduradi sustineret longius, corpus Liborij solemni ritu è Basilica in ædem D. Vincentij portæ vicinam deportat; quod cùm populus cerneret ad exportandum pignus in exteras regiones parari, haud leviter tumultuari cœpit, questus auferri sibi tutelares Divos, quorùm Patrocinio hactenus incolumes fuissent, vereri se idcirco ne & divi tutelaris, & Dei vindicem manum pro benefica, quàm hactenus experti sunt, in urbem provocent. Commotus his aliquantum Antistes, cumprimisque tantis turbæ vocibus. Ad quæ tamen, impetrato silentio, non auferri, inquit, tutelarem patronum, qui ubivis tandem locorum corpore quiescat, in cœlo tamen viveret, ex quo non minus à Cenomannis, quàm à Saxonibus imploratus ope cœlesti adesse possit: tantùm Divi corpus, non animam cœlestem transferri, cogitent, ad gentem, quæ recens ad Christi fidem vocata sit, ut ab alijs quoque cultus, suum eis patrocinium impertiat. Et quorsum Deus tot miraculis in præsens editis, supra quàm unquam hactenus compertum, D. Liborium illustret? nisi ut hoc translationis consilium sub oculis vestris comprobet, & vos doceat, velle se ab alio quoque populo hunc sanctum coli, ejusque ad plures patrocinium derivari. Quæ ergo hæc temeritas vestra velle Deo refragari, aut quæ Christiana caritas velle cœleste beneficium subtrahere fratribus suis, ad quos Deus hoc pignus destinat? nisi fortè neglectus apud nos cultus, ut hæc mereamur. Quanquam, si Divorum patrocinia solicitatis, tot apud nos Sanctorum pignora remanent, quot nulla propè Urbs Galliæ colit. Quibus demum accedit Imperatoris voluntas, qui id hisce per legatos allatis literis à vobis petit. His dictis, alijsque in hanc rem copiosè expositis, clerus ac populus, nullo adversante, consensit. Tum Albricus præsul jussit omnes intra biduum cœlesti D. Liborij ope sanatos produci; ad quorum conspectum ingens omnium exultatio & acclamatio, sineret Divi corpus transferri, quò Deus monstrasset. Inde Albricus præsul conversus ad legatos Baduradi Episcopi, gravi eos obtestatione cohortatur, ut quem tot signis sibi dari viderent, nullo unquam cultu honoreque apud se Paderbornæ desererent. Simul per hæc inter clerum Cenomanensem & Paderbornensem perpetuum societatis fœdus vinculo fraterni nominis ictum. Ita demum legati cum corpore D. Liborij, acceptis quoque particulis aliquot ex ossibus D. Panacij, Turibij, Gundanisoli & Valeriani Episcoporum Cenomanensium,

Ob quæ populus recusat dimittere tam pretiosum pignus.

Sed Albrici oratione movetur ad annuendum denuo petitis.

nomanensium Calendis Maij dimissi sunt, quos Albricus Episcopus ex urbe inter psallentium choros aliquamdiu comitatus in viam deduxit. Iter Cenomannis, quæ urbs est Galliæ Celticæ in Turonensi Archiepiscopatu, ad Sartham fluvium institutum Carnotum versus, & Parisios: inde per Belgium ad Rhenum discessum. Ac longum foret transcribere ex auctoribus à nobis adductis miracula, quæ toto hoc itinere ad venerationem hujus transvecti corporis sunt patrata. Perhibet Cenomanensis auctor, brevi spatio itineris supra 70 homines divinitus persanatos. Certè miracula hæc tot, & tanta fuêre, ut prævolante fama totam Saxoniam impleverint. Quapropter longè latèque excita ingens Westphalorum multitudo ex adverso Rheni constitit; & dum 7 Cal. Junij Rhenum cum feretro transmitterent, omnes in terram provoluti sacrum pignus excepêre; tantum ex barbaris mutati Saxones Christianorum sacra celebrabant. Ab Rheno bidui itinere pervenêre ad Hedraham fluvium (Hedera nunc dicitur, ortus ex fonte ad Upsprungam vicum, haud procul à Saltzcotteno oppido Salinis celebri, quod & perlabitur: Cenomannensis auctor Serenum vocat fluvium; sed idem hic fluvius, qui à Saltzcotteno oppido ad pagum Verna delatus in Luppiam se exonerat.) Eo igitur in loco tribus Paderborna leucis dissito subsistunt, indies ex fama adventus immensa hominum multitudine se congregante in occursum.

Westfali complures ad Lipsana D. Liborij accurrunt, miraculis in via patratis exciti

Missarum inde solemnia in aperto campo celebrata; quæ priusquam finirentur, quinque homines diversis miraculis persanantur. Quæ ut beneficum Liborij adventum in Diœcesin præsignificaverunt; ita admiratione, & incredibili lætitia affecêre spectantes. Eadem hora Paderbornæ puer ab ortu surdus & mutus utroque sensu sibi repentè in Basilica Collegij redditus palam eloqui cœpit; tanquam & hoc prænuncio brevi adventurus Liborius significaretur. Jamque in conspectum Paderbornæ advenerant cum sacro feretro, ipso Pentecostes die, quæ tum 28 Maij agebatur celebritas, cùm clerus omnis sacris ornamentis indutus cum civibus & populo, qui confluxerat, progressus obviam, Divi corpus in Basilicam introduxit, & honorificentissimo loco collocatum publicæ venerationi exposuit. Aberat per id tempus Baduradus Episcopus, quòd, ut auctor hujus translationis memorat, in palatio Imperatoris adhuc versaretur. Quo illa confirmantur, quæ supra toties retulimus, Baduradum per has civiles turbas & calamitates Ludovico Imperatori inter præcipuos aulæ proceres, interque fidelissimos amicos & moderatores consiliorum adhæsisse constantem. Jam qua gloria miraculorum Liborius egressus Cenomannis totam Galliam, eâdem Paderbornam illustravit; quæ etsi auctor translationis scripturum se promittit, ad nos tamen hactenus non pervenêre; sive id non præstiterit: sive incendio, quo Rothario Episcopo Urbs & Basilica conflagravit, aliave tempo-

S. Liborij reliquiæ Paderbornam adferuntur.

temporum injuria interciderint; sane quæ publica Liturgiæ oratio ad patrocinium Liborij implorandum apud nos habetur, innumeris testatur miraculis decoratum. Calculo cumprimis laborantium singularis apud Deum patronus adjutorque est; Quâ pervulgatâ famâ evocatus anno Christi 1277 Wernerus Moguntinus Archiepiscopus Paderbornam supplex venit, ac D. Liborij implorata ope à calculi malo se liberatum palam testatus est. Neque tum primùm cœpisse hujus mali cœlestem medicum implorari argumento est, quòd jam in Gallia etiam ante adventum in Saxoniam referatur Calculi medicus imploratus.

Gobelinus cap. 67. ad hanc ætatem.

Bollandus comment. ad vitam Liborij. §. 5.

Brevis Synopsis vitæ S. Liborij.

Cæterum ut hæc ab ipsius Divi ætate repetamus, vixit D. Liborius Cenomannorum quintus, seu ut alij quartus, Episcopus, Valentiniano, Gratiano, & Theodosio Augustis, ut Baronius censuit, æqualis D. Martino Turonensi Episcopo, quocum illi intima familiaritas fuit, ut à sanctissimo viro prima illi sanctitas adhæserit. Qua enim innocentia primam ætatem exegit, ea vitæ sanctimonia per 49 novem annos Episcopatum administravit, omnibus Episcopi virtutibus, rebusque præclarè pro Ecclesia sua gestis conspicuus. Quem ob id extremo morbo decumbentem S. Martinus Angeli monitu invisit, & in sepulchrum intulit, prædicto ante Successore, quem Victurium habuit. Excessit è vita circa annum Christi 383. 5. Idus Junij, seu ut alij 23 Julij, quo die Paderbornenses annuo, ac solemni ritu Liborium colunt. Quibus post obitum miraculis cognitus, ijs dum viveret, clarum perhibent. Sanctitatis tot testes habet, quot vitæ suæ scriptores fastosque Sanctorum, ut supervacaneum hîc referre. Nec minus Albricus Cenomannensium Episcopus, à quo Baduradus Liborij corpus impetravit, eximiæ sanctitatis præsul tum temporis conspicuus, quem in Divorum quoque numerum retulêre fasti Ecclesiæ suæ; ut quæ inter D. Martinum, & Liborium olim familiaritas; eadem inter Albricum & Baduradum utrumque gente Saxonem conspiciatur. Habet hoc Christiana vita per commercia virtutum, ut sanctos sibi viros in familiaritatem & amorem consociet; haud secus quàm impiorum consortia à vitijs trahuntur. Ex eo nunc tempore Liborius ad B. Virginem & Kilianum Urbis & Diœcesis patronus adoptatus. Quoniam verò sacrilegio sanctissimum hoc corporis pignus ætate nostra per Christianum Ducem Brunswicensem & Halberstadiensium Episcopum, captâ ab eo urbe, vi militari abstractum sit aliquamdiu, redditumque post Urbi nostræ, tempori memorandum est. Antiquitus, ne quis hoc in Cenomannis miretur, adeo difficiles erant Christiani in movendis Divorum corporibus, ut ne fragmina ossium dari sinerent, sed vela tantum, quibus corpora Martyrum involuta servabantur, quæ sanctuaria & Brandea dixêre. Quemadmodum hæc ex epistola Gregorij M. ad Constantiam Augustam,

Baronius in Martyrologio.

gustam, ijsq;,quæ S.Germanus ac Legati ad Hormisdam Pontificem Constantinopoli scripserunt,explanat Baronius.Post tamen Regibus Francorum ob merita in EcclesiamRomanam compressamque Longobardorum insolentiam multa pignora concessa, inter quæ D. Viti Martyris corpus,de quo referam. Post importatum corpus D.Liborij, D. Menulphus ex Gallijs redijt, ut in vetustis tabulis lego,& omnem hæreditatem monasterio Bodecensi transscripsit.

Translatio S. Viti M. è Gallia Corbeiam Saxonicam. *Martyrol. Roman. Surius in vita.*

Hoc ipso anno,ac sub idem ferè tempus translatum est ex Gallijs corpus S.Viti Martyris Corbeiam novam Dioecesis nostræ, quo non minus tota Saxonia cultu religionis & Divi patrocinio decorata est. Inclytus Martyr S.Vitus,qui Diocletiano Imperatore unà cum Modesto & Crescentio post ferventis plumbi ollam, post bestias & catastas divina virtute superatas, cursum gloriosi Martyrij peregit. Ea cùm Fulradus Abbas admiratus legisset in Italia sepulchrum notavit, & Pipino Rege, corpus ejus in Gallias ad monasterium suum apud S. Dionysium transtulit. Hoc eodem pietatis studio incensus Warinus Abbas idem corpus S. Viti unà cum Luciani Martyris Lipsanis expetijt & impetravit. Vidissesque tum Warinum & Baduradum inter se concertantes de Sanctorum thesauris, illum pro Vito, hunc pro Liborio in Saxoniam transportando; idque favore & auctoritate Ludovici Imperatoris, apud quem uterque simul præsul magno erat loco inter Palatinos. Et jam Warinus Abbas multum egerat cum Hilduino ad S. Dionysium haud procul Parisijs Abbate, quando exul,ut supra diximus, apud Corbeienses ad Visurgim versabatur; petieratque quidem primùm S. Victorium ex Ambianensi Urbe transferri in Saxoniam. Id verò cùm cives atque incolæ eorum locorum non paterentur, Hilduinum sollicitavit vehementius Warinus, permitteret ex tot Divorum corporibus, quorum tanta apud eos esset copia,unum alterumvè transferri in Saxoniam,tum ad Corbeiæ suæ novæ decus ac præsidium,tum ad gentis quæ recens Christi fidem susceperat cultum accendendum. Id uti Hilduinus exul promiserat, ita restitutus præstitit; impetrato tamen ad hoc prius Episcopi Parisiensis ceterorumque nobilium,quorum intererat,consensu. Neque Parisienses tam difficiles fuêre, quàm Cenomanni in Liborio corpore dimittendo; tametsi ægre à se abstrahi sinerent. Nam ex quo S.Viti adolescentis ac Martyris sanctissimi corpus Pipino Rege delatum Roma in Gallias,& ad S. Dionysium magnæ venerationi fuerat,præter alia cœlestia beneficia compertum erat,nunquam fulgura ac tempestates vicinis circum agris, hominibus, ac pecoribus damnum intulisse. At jam Deus hujus Martyris gloriam & patrocinium cum Saxonibus etiam communicare volebat. Igitur Warinus,qui cum lecto Monachorum Clientumque agmine advenerat in Gallias,ab Hilduino Abbate, præsente innumera hominum multitudine,

titudine, donatum pignus post missarum solemnia 14 Calendas Aprilis cum summa veneratione suscipit; quem è templo sacrum efferentem pignus Hilduinus festo monachorum cantu deducit: Inde ad Rasbacense cœnobium, quod Ludovicus Imperator Warino non ita pridem dederat, institutum iter, Deo quotidie miraculis illustrante S. Vitum; nam & Ermergardis matrona ad contactum feretri visum, quo duodecim annis orbata fuerat, & Framildis membrorum integritatem recepit. Substitit in Rasbacensi monasterio Warinus cum suis ad XII diem Calendas Julij: quo ex loco recto itinere in Saxoniam profecti Aquisgranum venêre: nullaque dies profectionis sine cœlesti beneficio fuit. Juvat nunc cetera ab ipso scriptore eorum temporum audire. *Aquisgrano* Rhenum transgressi, *in Regnum Saxonum venêre, ac post dies aliquot in Villam, quæ dicitur Sosēt, sive Sosatum, ubi multam phalangem Saxonum obviam habuerunt, adeo ut incredibilis videretur exercitus utriusque sexus. Ab ea villa moventes ad aliam venerunt nomine Brechat (oppidum nunc est Bracelia diœcesis Paderbornensis) In his mansionibus singulariter dierum viginti spatio, Domino per beatum Vitum operante virtutes plurimas in utroque sexu, præter eos, quos supra memoravimus, duo viri cœci, unus mutus, unus claudus, adolescens unus habens manum aridum curati sunt. Sed et mulieres quinque cæcæ, quinque debiles, parvula contracta, alia gibbosa et incurva, alia brachium contractum, alia manum habens aridam, omnes sanatæ sunt. Tandem igitur Christo propitio finito cœpto itinere, monasterium, quod Corbeia nova dicitur, multitudine populi utriusque sexus de nobilissimo Saxonum genere nobiscum comitante pervenimus pridie ante vigiliam S. Viti, quod est Idus Junias, ubi ipsum sanctissimum corpus in loco congruo, ut dignum erat, collocatum, et positum est. Ibi* Deus *ad confirmandam, et corroborandam fidem gentis ipsius multas virtutes et sanitates operari dignatus est. Fit ipso in loco conventus magnus, magna cum devotione et alacritate, adeo ut per milliarium et eo amplius in circuitu monasterii tabernaculis nobilium virorum ac mulierum replerentur campi atque agri, qui ex omni regno Saxonum propter religionem et reverentiam beatissimi Martyris Viti, aliorumque Sanctorum Martyrum reliquias, quæ in loco illo habentur, convenerant.* Addit scriptor, quod mirificè ad primorum Saxonum pietatem ac religionem commendandam facit, *in tanta hominum multitudine istic concurrentium nullum obscœnum dictum, nullum illiberalem jocum, nullum Scurrile verbum audiri,* sed noctu diuque agros & campos Dei laudibus personare. Eademque demum miraculorum perpetuitate diu celebrem stetisse Corbeiam, ob venerationem Viti Martyris, quâ ad ingressum inclaruerat; quemadmodum per id tempus & religione disciplinaque & Sanctorum virorum multitudine, & piorum hominum donationibus ceteris Saxoniæ monasterijs longè præstabat. Multosque annos tenuit hæc pietas, cultusque D. Viti Martyris, dum refri-

refrigescentibus sæculis hæc multum imminui cœpta. Nec levis hujus prolapsæ interversæque pietatis causa ex nundinis publicoque mercatu, quem Ludovicus pius Imperator bono quidem loci liberum istuc fecit, sed malo suo corrupit posteritas; visaque post plura mercatorum, quàm supplicum peregrè venientium tentoria, & quæ his, lucri cupido, luxus, vana hominum studia, pravique sæculi mores permisceri solent, quibus prisca majorum pietas in vanitatem degenerat.

Widekind. l. 1. anna. Sigebertus in chron. Saxo Gram. hist. l. 14. Polonus in chron. Surius tom. 7. Meibomius in transl. edita.

Scripsère permulti hanc admirabilem S. Viti translationem, Widekindus Corbeiensis monachus, Saxo Grammaticus, Sigebertus, Martinus Polonus, Surius, alijque complures: nemo explicatius, quàm antiquus scriptor Saxo, & à Meibomio relatus, qui transvectioni interfuit, & hæc omnia coram spectavit; ideo ex eo tanquam ex fonte certaq; fide referri placuit, ut legentium oculis subjicerem, quibus miraculis ad Divi Liborij & Viti Martyris ingressum venerationemq; Deus Saxoniæ populos in suscepta recens Christiana fide confirmare voluerit; tum ut recognoscant posteri, quanto cultu majores nostri Divos prosecuti sint, secus quàm hæc longè degener ætas consecuta ex Lutheri doctrina Saxonibus persuasit, quibus Divorum cultum inter superstitionem, & miracula vel inter ludibria Dæmonum, vel figmenta scriptorum reponere libet, quæ tamen eorum scriptores ex annalium memoria pari, qua nos fide referunt.

Cum S. Viti ossibus felicitas Galliæ commigrat in Saxoniam.

Meibomius in transl. viti edita.

Sed & aliud in gentem Saxonum à S. Vito beneficium tradit Widekindus Corbeiensis, vetus apud nos scriptor, alijque. Observatum enim memorant, ex quo corpus hujus Martyris ex Gallijs demigravit in Saxoniam, res Saxonum mirificè increvisse: contra Francorum semper in peius inclinasse; tanquam sacro pignore & Martyris patrocinio felicitas ab una gente demigrârit in aliam. Quod ipsum etiam Carolus simplex Francorum Rex misso ad Henricum Regem gente Saxonem legato professus, *postquam*, inquit, *nos deseruit insignis Martyr Vitus ad nostram perniciem, retro omnia fluxère; pax verò, et concordia regnandi ad Saxoniam transiit. Quæ tecum communicare placuit; neque enim ex illo tempore civilia apud nos externaq; bella unquam cessavère.* Quo etiam referas priscos hosce incultosque versus, quos translationi S. Viti subscriptos lego.

Felix Saxonia, gaudè per pignora cara
Viti ditata, quæ dat tibi Francia grata.
Abbas Warinus regali semine primus,
Francorum natus, Viti venerabile corpus
Transtulit è Francis Corbeiam, ceu patet istis.
Romano fretus pius imperio Ludovvicus
Hoc Hildwvine donat te patre favente,
Quando Dionysii texisti limina claustri.
Quo tam præclaro gaudebas ante patrono.

Ex

Ex tunc translatum fuit à te Francia sacrum
Imperium, divi quo nunc gaudent Alemanni.

Quanta dehinc Corbeiensis Cœnobij felicitas omniumque rerum abundantia ex S. Viti veneratione ac patrocinio apud Deum, tantùm religiosi & Apostolici viri per Saxoniam cultum ejusdem Martyris propagârunt. Inde tot templa & aras ejus honori dicatas reperies. Cultus ejus in ipsam postea Rugiam Insulam cum religione Christiana per monachos invectus, cùm barbaros ejus Insulæ homines Christi primùm legem docerent; eò gens illa, cum postea ad Jdololatriam delaberetur, S. Vitum inter Deos coluit, tam impia superstitione, quàm cæca gens sibi finxit ex mortalibus, Divisque Deos. Nostra demum memoria S. Viti ossa bello Suecico à Cæsareo milite furtim subducta transvectaque sunt in Bohemiam; tanquam ita sensim ex neglecto cultu cesserit S. Vitus, invitis Monachis in sacrum spolium. Vidimusque hac hæresis tempestate ita opulentissimè illius cœnobij bona refluere, quantum per exordia felicitatis adfluxerant.

Per hoc etiam tempus Baduradus Episcopus noster ossa S. Landelini impetrata ex Cameracensi diœcesi transvexit Paderbornam. Vixit Landelinus circa annum 660, ortus ex illustri Francorum genere, & Apostolico munere, quod à Martino Pontifice & Martyre illi commissum fuit, & sanctitatis fama celebris, cultuque inter Divos eodem, quo S. Vitus, decimo quinto Junij die honoratus; tanquam se Liborio & Vito comitem dederit in Saxoniam. Ossa deinde Paderbornâ Bocam ad vicinam Luppiæ Ecclesiam transtulit Baduradus, ubi magna populi religione culta quievêre. Aspicitur hodiedum Bocæ vetustissimum templum structura solida & elegante, Baduradi opus; quo celebri etiam Francorum historia loco postea Erpo Comes de Patberg, consilio atque ope Henrici Paderbornensis Episcopi, ad celebriorem Landelini venerationem monasterium ordinis D. Benedicti imposito Abbate condere cœpit. Id quo consilio in Flectorpiense cœnobium sit conversum, ad annum Christi MCIV memorabitur.

S. Landelini Lipsana Baduradus transfert in Bocensem Ecclesiam abs se structam. *Baronius in Martyr. Rom. ad 15 Junij Surius Molanus ad Usuard. & in Belgii Sanct. Trith. de viris illust. Ferdinandus in Monument.* Bocæ. *Tabula Erponis.*

Annus Christi 837.

Gregorij IV. Pont. 10.
Ludovici Pij Imp. 24.
Baduradi Ep. Pad. 23.

Nunc ad annum Christi 837 digredimur, quo Ludovicus quidem naves classemque adversus Nortmannos parari jussit, gentis injurias, & clades superioribus annis illatas vindicaturus. Verùm Imperij curis & domesticis præpeditus salutare illud belli consilium intermittere necesse habuit; totusq; in eo Imperator occupatus fuit, ut bona per civilia bella Ecclesijs erepta restituerentur, cujus rei gratia Aquisgrani Episcoporum conventus est institutus, multaque in eo salubriter constituta. Hoc

Annales Francor. à Pithœo edit. Ann. rerum gest. à Ludovico.

Gobelinus in Cosmod. ætat 6. c. 41. Vita Menulphi ex M.S. Bodec: Vita Menulphi apud Brovv. in Siderib. illustr. Surius ad V Octob.

Hoc præterea anno, cùm felicissimè res Christiana procederet in Saxonia Episcoporum contento studio & fervore, D. Menulphus Bodecense, opere & subsidio Corbeiensium nostrorum Monachorum, monasterium condere agressus est, voto cumprimis urgente, quod superiori anno in translatione D. Liborij Cenomannis in æde D. Vincentij conceperat. Joannes Probus Canonicus Bodecensis auctorque vitæ primordia hujus monasterij ad annum Christi 817 revocat; id licet verisimile, quòd priori anno in concilio Aquisgrani Menulphus facultatem construendi monasterij ab Imperatore, ut diximus, impetrasse memoretur; quia tamen Sigewardus, qui vitam D. Menulphi post alios, ut fatetur, conscripsit, & Albino Doctori suo dedicavit, id non nisi post reditum ex Gallia factum perhibet, libuit hæc ad hunc annum referre. Certus nobis præ alijs hic auctor est, cujus archetypum vitæ S. Menolphi ex bibliotheca Abdinghoviana accepimus. Nam quæ Gobelino tribuitur scriptori, aut quæ Browerus habet, ex hoc auctore contracta sunt. Illo igitur usi, hæc integra fide damus. Quis verò ille Albinus sit, cui hanc scriptionem dedicat, adhuc dum nobis incompertum est. Ac volverat jam ante quidem hoc consilium de condendo cœnobio à multis annis cum animo suo D. Menulphus, quòd inter nobiles suæ gentis multum paternis bonis abundaret, incensus etiam non obscurè à Badurado Episcopo suo; is enim cùm divino instinctu quæstionem circumstantibus proponeret, quid nimirum mysterij sermo ille Evangelicus contineret, *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, & positam quæstionem, mox quidam, sicut res habet, solveret, verbum hoc ultra quàm alter dixerat, in pectus Menulphi descendit; cœpitque versari cum animo, quo Christi etiam consilio ex paternis bonis hospitium egenis, & Deo religiosè viventibus pararet; sed, incertum obscurumque qua mora retardatus, optimum præpositum exequi distulit, donec Galliam conspexisset tot cœnobijs utriusque sexus florentem, simulque Herivordiense collegium traductum ad nos ex Suessionensi Sanctimonialium Monasterio in oculis esset, eâdem, qua in Gallijs virginum disciplina conspicuum. Ac post conceptum jam votum certus quidem Menulphus de condendo Sanctimonialium Monasterio, sed incertus adhuc hærebat, quo illud loco collocaret. Ex ea quoque mentis perplexitate Deus expedijt Menulphum. Pastor, quem habebat pecorum in patrimonij agris, dum sub nocte gregi invigilat, videt locum, in quo monasterium est, miræ lucis splendore illustratum; & dum curiosius explorandæ rei causa accedit, conspicit cervarum gregem modò chori instar sacri stare, modó circuire locum. Quo insolito spectaculo perculsus ad Menulphum properat, & quæ viderat, enarrat. Ille his auditis statim, ut erat, in cogitationem venit, divinitus

S. Menolphus Monasterium Virginum condit.

Et quidem Bodecæ, impulsus miraculo cervarum Chorum sacrum ibi repræsentantium.

divinitus sibi monstrari locum, in quo monasterium collocet; lætusq; Baduradum Episcopum accedit; cui dum hæc exponit: Non nobis, inquit ille, vana hæc sunt, quando & per pastores Deus augustiora etiam denunciavit in nascente filio. Verùm cùm in hujusmodi sæpè compertus sit Dæmon Angelum lucis induere ad ludificandos homines, consultum habuit certius explorare indicium. Quam in rem Menulphus deductus à pastore ad locum, quum noctem istic humi stratus precando transigit, locum rursus & splendore lucis, & cervarum grege, & quo pastor ante ritu circumfusum, videt. Hic jam multò lætior Menulphus ad Pontificem redit & quæ ipse viderat, ex integro denarrat. Nec tamen his confisus Episcopus, jubet terno rei veritatem signo explorari. Obsequutus ad hæc Menulphus noctem iterum ex propinquo inter preces agit: iterumque eadem, quæ ante, species Cervarum cum fulgore lucis objecta. Quæ ubi ad Episcopum retulit, nihil, ille inquit, Menulphe ambigas, locus tibi cœlestibus signis satis monstratus est, quarè opus aggredere. Placuit Antistitis responsum; jamque demenso structuræ spatio, & resectis stirpibus parabantur omnia ad ædificandum, cùm D. Menulphus ad Vallis marginem novo signo recreatus videt eo loco, ubi post ara intima erecta, cervum ingentis magnitudinis accumbentem; quem dum propius accedendo intuetur, erigit ille se in pedes, & mox humi se prosternit, præsentem Dominum suum veneratus. Sed ecce res longè major: simul inter cervi hujus cornua signum crucis omni auro fulgidius se aspiciendum offert; tanquam præsago loci indicio acciperet Menulphus, fore ut istic in altari incruentum crucis sacrificium exinde à Sacerdotibus litaretur; quemadmodum hæc omnia ex suis monumentis, ut tum gesta sunt, hodiedum aspiciuntur. Post illa cœlitus ostensa omnis D. Menulphi labor versus in fabricam monasterij & Basilicæ, quæ contentis operis & impensis magnifica, & hodiedum spectabilis assurrexit, quam Deo & Genitrici Virgini IV Idus Novemb. dedicari fecit. Opere Basilicæ & Monasterij absoluto, quas collegerat Virgines Sanctimoniales, introductæ. Angelicam hæ vitam, ut vetus auctor refert, agentes, vitæ instituto canonicæ dicuntur; quod præsente Menulpho in concilio Aquisgranensi præscriptum, ac tum vigore disciplinæ per Franciam & Germaniam celebre erat. Fundi dein circum agrorum & bona, ex paterno patrimonio, larga donatione addita. Nomen monasterio Bodica adhæsit à vicina & Decumana villa, quàm primam monasterij dotem esse voluit Conditor. Omnium verò pulcherrimum operum, quod in D. Menulpho intuearis, innocentia & vitæ sanctitas, qua à primis annis Paderbornæ in clero præluxit, eóque filij loco ab Hathumaro & Badurado Episcopis semper habitus; & à Badurado ob sapientiam etiam legationibus admotus administrandæq; Ecclesiæ, Archidiaconi munus gessit, cui per absentiam

Cervus Crucifixi effigiem inter cornua sustinens D. Menolpho se spectandum offert.

D. Menolphi munia & innocens vita.

sentiam suam Baduradus vices suas in regendo clero commiserit. Quanquam nihil à Menulpho ferventius per omnem vitam actum, quàm ut Christi religionem inter populares proferret, hominesque rudes, quos ex barbaris Christianos ætas illa formabat, Christi legibus & disciplina excoleret. Quo in opere magnum virtutis & laboris campum sortitus, ita se probavit, ut illum inter primos Evangelij Doctores, & sanctissimos Paderbornensis cleri viros posteritas venerata sit. Qua in re, ut in alijs, nihil ex ætate illa magis desideramus, quàm scriptorum, qui præclara ejus sacra enucleatius ad nos transmisisset.

Annus Christi 838.

Gregorij IV. Pont. 11.
Ludovici Pij Imp. 25.
Baduradi Ep. Pad. 24.

Badurad⁹ interest Comitijs Neomagi.

Annales Francor. Pith.
Auctor Vitæ Ludov.
Antiq. Fuld. lib. 1. apud Pistorium tom. 1. p. 474.

Nunc præsentia exequar ex hoc anno 838, quo intestina filiorum bella adversus patrem recrudescere cœperunt. Nam ut Francorum annales à Pithœo editi memorant, convenêre per Quadragesimam Lotharius & Ludovicus in Valle Tridentina, consilia agitantes de Regni inter se partitione. Quæ postquam animadversa ab Imperatore, ille contra Neomagi mense Junio celebrem conventum Episcoporum ac procerum indixit. Ac magna frequentia, præter Comites & innumeram Vasallorum multitudinem, convenisse Episcopos, interque hos etiam Baduradum Paderbornensem Episcopum, docet nos tabula antiquitatum Fuldensium, quæ sic habet: *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXXVIII, *Indictione prima, mense Junio*, XVIII *Calendas Julii, facta est contentio Gozboldi et Hrabani Abbatis coram Imperatore Ludovico et filiis eius Ludovico et Carolo, nec non et Principibus ejus in palatio apud Neomagum oppidum constituto, de captura piscium* D. Bonifacio olim donata, & per fraudem injustè ablata, quam convicti iniqui possessores D. Bonifacio & Cœnobio Fuldensi, cui tum præerat Rabanus Abbas, jussu Imperatoris reddere coacti sunt: tabulæ his testibus consignatæ, *Trugone Archiepiscopo, Otgario Archiepiscopo, Radolto Episcopo, Helmgaudo Episcopo, Gerfredo Episcopo, Theotgrimo Episcopo et Badurato Episcopo.*

Ludovicus Imp. in Herivordienses Virgines beneficus.

Ex hoc quoq; conventu Episcoporum producimus Ludovici Imperatoris diploma plenum liberalitate in Herivordienses Virgines. Enimverò cùm per id tempus Herivordiense Monasterium Sanctimonialium & Canonicarum Virginum, & religiosa instituti disciplina, & confluentibus ad id nobilium & ingenuorum Liberis mirificè floreret, liberali illud donatione Ludovicus pius Imperator hoc anno locupletavit. Ac facilè mihi persuadeo, id cumprimis Judithæ Imperatricis, quæ ex matre, ut diximus, Saxonici generis erat, benevolentia, & gratia impetratum esse; si non etiam Abbatissa, quæ

quæ hic Tetta nominatur, aliæve in eo monasterio illustres Virgines propinquitate Juditham sibi conjunctam habuerint. Eoque etiam pronior fuit Imperator ad liberalitatem, quòd in eo Collegio Virginum Christianis moribus sequiorem sexum excoli conspiceret, magno Christianæ religionis inter Saxones nostros decore & fructu, quando per contemptionem humanarum rerum multæ Comitum, nobilium, & ingenuarum Virgines haud secus, quàm in Francia sese Deo consecrarent. Quapropter diploma hactenus reconditum, in quo simul diœcesis Monasteriensis loca consignantur, hîc recitare congruum duximus.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina clementia propitiante Imperator Augustus, si illius amore, cujus munere cæteris mortalibus prelati sumus, loca divino cultui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum ulterius exequendum sustollimus, digno retributionis præmio nos à Domino fideliter remunerari credimus. Quapropter notum esse volumus cunctis fidelibus S. Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet et futuris, quia complacuit nobis ad quoddam monasterium vocabulo Herivarth, quod in Ducatu Saxoniæ in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ semper Virginis constat esse dicatum, quod præsenti tempore venerabilis Tetta Abbatissa regere dinoscitur, quasdam res et mancipia nostræ proprietatis sitas in memorato Ducatu pro mercedis nostræ augmento delegare, ut inde uberius ancillis Christi inibi per tempora degentibus stipendia necessaria ministrentur, et necessitates ejusdem monasterii procurentur, id est, in pago, qui dicitur Bursibant, in villa vocata Remi, Ecclesiam ibi constructam cum decimis, et omnibus rebus ac mancipiis ad se justè et legaliter pertinentibus, et in pago, qui dicitur Schoppingus, in villa nuncupata Wattringas, Ecclesiam inibi fundatam cum decimis, et omnibus rebus ac mancipiis ad se juste et legaliter pertinentibus, et in eodem pago, qui dicitur Schoppingus, in villa, quæ dicitur Stocheim Ecclesiam inibi fabricatam cum decimis et omnibus rebus et mancipiis ad se juste et legaliter pertinentibus et aspicientibus. Verum ut eadem nostræ majestatis largitio futuris temporibus inviolabilis permaneret, hanc nostræ auctoritatis conscriptionem circa memoratum monasterium fieri decrevimus, per quam decernimus atque jubemus, ut memoratæ Ecclesiæ cum decimis et omnibus rebus ac mancipiis ad se justè et legaliter pertinentibus in jus ejusdem monasterii Herivarth nomine perpetuò consistant, et nullus ex Successoribus, aut etiam ex fidelibus nostris ullo unquam tempore easdem Ecclesias subripere, aut inde aliquid minuere, aut eas de jure ejusdem monasterii abstrahere præsumat, sed liceat Rectricibus et ministris sæpè dicti monasterii easdem Ecclesias cum rebus et mancipiis ad eas jure pertinentibus Ecclesiastico ordine disponere, atque gubernare. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione adsignari jussimus.

 Signum

Signum  *HLudovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi.*

Data VII Idus Junii. Anno Christo propitio, XXV Imperii Domni HLudovvici piissimi Augusti. Indictione prima. Actum Neomagi palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.*

**al. Noviomago.*

At non illa tantùm acta in conventu Neomagensi, sed & consilijs primorum Franciæ, Ludovico filio Regnum orientalium Francorum, quod prius favore patris obtinuerat, abrogavit. Id verò cùm Ludovicus Consiliariorum invidia, & corruptis à Juditha Imperatrice procerum animis agitari intelligeret, arma provincialium indicit, concitatis etiam trans Rhenum populis. Quos motus ut in fomite comprimeret Imperator, Moguntiacum cum exercitu advolat; transitoque Rheno, obvios habet armatos Saxones; quorum pars minis, alij persuasionibus Adalberti Comitis abducti, tractique erant in Societatem Ludovici filij. At Saxones seu territi obrutiq; Imperatorio exercitu, seu pacati ab Imperatore, in suas quilibet sedes rediêre; & Ludovicus filius his cognitis, tempori cedendum ratus, in Bojariam se recepit. Imperator, ne quid per discessum suum à Rheno turbaretur, Francofurti Quadragesimam & hymem exegit, indicto in mensem Majum Wormatiæ conventu procerum; quò & post ferias paschales concessit cum aula. Eò Lotharius quoque filius ex Italia evocatus haud gravatè accessit, quòd Imperator Aquitaniæ Regno per mortem Pipini filij vacuo, universam Franciam inter reliquos filios divisurum se edixerat. Ibi cùm partitionem pater Lothario filio offerret, & is ignorationem finium obtenderet, Imperator Regnum Franciæ in geminas partes divisit. Lothario, qui jam Collega Imperij nominatus erat, præter Italiam, quidquid à Mosa in Austrum vergit attributum. Carolo Neustria, Aquitania, & quidquid occidentem aspicit; adeo mariti animum blandimentis emollierat Juditha Imperatrix, anxia pro Carolo filio. Ludovicus verò, quem ex priori toro sustulerat, solâ Bojariâ jussus se continere. Quæ divisio, ut vehementer accendit animum Ludovici; ita non defuerunt proceres, cumprimis Saxones & Thuringi, sapientesque per Franciam viri, qui improbarent, Ludovicum indole ceteris præstantiorem æquioremque semper in patrem tam angustæ provinciæ & hæreditatis parte incingi, tanquam concubina aliqua genitus esset. Quare quod jure suo non obtineret, id armis sibi vindicandum sumpsit. Saxonum cumprimis & Thuringorum & Alemannorum studijs confisus; quibus post obitum demum patris optimus Rex Germaniæ obtigit. Imperator inde tanquam omnium securus Wormatia in Aquitaniam iter constituit, ut Carolum filium ense præcinctum Regno illi imponeret.

Ludovicus Ludovici Imp. filius nova ob Regnum Francorum sibi bi ereptum moliens profligatur.

Auctor vitæ Ludov.

Ludovicus Imp. Regna inter filios partitur.

Ac

Ac dum mense Novembri adhuc Imperator in Germania versatur, Jngelhemij Warino Corbeiensium Abbati largas harum donationum tabulas consignat. Benefacit Corbeiensibus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si unius fidelis nostri iustam et rationabilem petitionem libenter implemus, procul dubio reliquorum fidelium nostrorum devotionem erga nos promptiorem efficimus. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium et futurorum noverit universitas, quoniam propinquus noster Warinus Abbas novæ Corbeiæ, quod super Wiseram fluvium in honore beati Protomartyris Stephani sanctique Viti construximus in pago Augensi cum matrona quadam addita, nos adiit, nostram cum ea deprecatus pietatem, ut res, quæ prædicta matrona pro se, et remedio animæ mariti sui Bunichonis, ac filiorum suorum defunctorum Folcmari, Bunichonis, Hemmæ, et Berthildis præfato monasterio contulit, videlicet Dominicale in Osthoven, vel quidquid ibidem, vel in oppidis his Oppenheim et Wachenheim possidere videbatur cum manso Regali Tyheyle, per nostræ mansuetudinis auctoritatem ibidem confirmaremus. Secundum petitionem ergo ipsorum eidem monasterio ea, quæ tradidit ab hodierna die et deinceps in nomine Domini per hoc nostræ auctoritatis scriptum confirmamus, ut nullo inquietante, sed Deo auxiliante, et nostro imperiali decreto prospiciente perpetuis temporibus ab ulla contradictione ibi permaneant. Quatenus Deo ibi servientes pro traditorum salute, et regni nostri stabilitate divinam Clementiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur, et per futura tempora à fidelibus verius credatur, et diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

HRotmundus Notarius ad vicem Hilduini recognovi.

Signum Domni HLUDOVICI *Serenissimi Imperatoris Augusti. Actum Ingelheim XVIII Calend. Decembr. Anno XXV Imperii Domni Ludovici Imperatoris Augusti.*

Annus Christi 839.

Gregorij IV. Pont. 12.
Ludovici Pij Jmp. 26.
Baduradi Ep. Pad. 25.

Et jam inter hæc annus trigesimus nonus supra octingentesimum ærumnosis cum filio bellis, duplicique cometæ aspectu Imperatori fatalis imminere cœpit. Alter anno superiori post pascha visus in signo virginis multum conturbavit Imperatorem, quòd dicerent ejusmodi sidera regnorum mutationem & Principum funera denunciare. Quapropter Astronomus Aulæque domesticus, (qui *Annales Pithœi. Auctor vitæ Ludov. Nithardus lib. 1. Ado in chron.*

&

Cometa visus Ludovicum Imp. conturbat.

& has Ludovici Imperatoris res gestas se scribere fatetur, auctorque Francorum Annalium creditur) advocatus, jussusque sidus prodigiosum diligenter observare. Ille licet ad Imperatorem reversus, solatusque vatis sacri dicto monuerit à signis cœli nihil esse timendum; Imperator tamen noctem illam prope totam inter preces exegit, multisque largitionibus in pauperes & monachos factis alijsque pietatis studijs Deo impensius vacare cœpit. Alter Cometes hoc ipso anno Calendis Januarij igneo, ac terrifico radiorum aspectu in signo Scorpij post solis occasum circumagi observatus in occidentem. Ad triste hoc signum exarsit civile bellum flagrantius, non sine magno Episcoporum per Saxoniam dolore, qui inviti experiebantur arma, quæ in Barbaros trans Albim hostes sumenda erant, converti in ipsa Imperij viscera, quippe Ludovicus, cùm in divisione Franciæ sibi malè consultum videret, Alemanniæ, Germaniæq; Regnum tanquam jure sibi debitum occupare cœpit; quam in rem Francofurtum advolavit, atque, ut annales Francorum memorant, *orientales Francos, Alemannos, Saxones, et Thuringos sibi fidelitatis jure confirmavit, regemq; se orientalis Franciæ, Germaniæq; ferre cœpit*, tantâ constantia inter omnia bella civilia, ut ab hoc anno, aut certè sequenti post obitum Patris initia Regni sui in orientali Francia numerari voluerit, quod diplomata, quæ referemus, ostendent. Quæ ubi pater comperit, relicta Aquitania, Aquisgranum pergit, festisque paschalibus peractis exercitum trans Rhenum ducit, filiumque insecutus in Thuringiam, ac Regni finibus exclusum compulit per Sclavorum regiones sese in Bojariam recipere. Compositis per Thuringiam (Nithardus Toringam vocat) & Saxoniam rebus, ad Salam fluvium, ac palatium à patre frequentatum pergit. Peractis supplicationum ac litaniarum diebus in pervigilio Ascensionis tanta solis defectio est consecuta, ut stellarum ordo per diem in cœlo conspiceretur. Inde Wormatiam digressus ad comitia, quæ indixerat ad pacandas Imperij turbas, per id tempus VIII. Idus Julii Cruciniaci Imperator Gerulfo fideli suo clienti possessiones bonorum in ducatu Frisiæ, quas fiscus attraxerat, reddi jussit, quam in rem tabulas hactenus latentes producimus.

Imperator Ludovicum filium rebellantem ex Germania occupata fugat.

Imperator Gerulfo possessiones bonorum in Frisia restituit.

In nomine Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudovicus divina repropitiante Clementia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia ante annos aliquot concessimus cuidam fideli nostro vocabulo Gerulpho quasdam res proprietatis nostræ, quæ sunt in ducatu Frisiæ in pago Westracha, in villa Cumminge et Hunderi, et in aliis villis circumquaque sepositis, sed quia intervenientibus quibusdam turbinibus per ipsius Gerulfi negligentiam ab ejus potestate et dominatione eadem res abstractæ fisco regio sociatæ sunt, tandem divinæ misericordiæ intuitu placuit nobis easdem res illi restituere, et quemadmodum pridem fuerant, in ejus potestatem et dominationem transfundere.

Quas

Quas ut certius firmiusque nostris futurisque temporibus possidere valeret, has auctoritatis nostræ literas ei fieri jussimus, per quas memoratas res cum his, quæ ad eas jure et legaliter pertinent, deinceps jure proprietario valeat possidere, et quidquid de eis agere voluerit liberam habeat potestatem, neque aliquam ob memoratam occasionem de eisdem rebus ullo unquam tempore calumniari patiatur, sed quidquid sicut diximus de eis ordinare atque disponere voluerit, liberrimo in omnibus potiatur arbitrio. Et ut hæc nostræ restitutionis auctoritas, et nostris, et futuris temporibus inviolabilem valeat obtinere firmitatem de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.



Glorius Notarius ad vicem Hugonis recognovi ss.

(L.S.)

Christe protege HLudovicum Imperatorem.

Data VIII Idus Julii anno Christo propitio XXVI Imperii Domni HLudovici Serenissimi Imperatoris. Indictione secunda. Actum Crucianiaco palatio Regio in Dei nomine feliciter amen.

Ex hoc Ludovici diplomate satis æstimes non hoc anno, quod quidam volunt, obijsse Imperatorem, quippe qui mense Julio adhuc superstes subscripsit.

Obitus Gerfridi secundi Monasteriensium Episcopi.

Referunt ad hunc annum fasti Monasterienses obitum Gerfridi II Episcopi sui, quem Baduradus sibi conjunctissimum habuit. Is quemadmodum D. Ludgeri nepos, ab eoque formatus erat; ita vestigijs ejus inhærens, in XXX annum Ecclesiam suam administravit, omni virtutum studio, fama sanctitatis, & miraculis etiam clarus, quæ conscripta olim, & apud Werthinenses servata intercidere, ob quæ Crantzius Divorum illum numero adscribendum censuit. Corpus deportatum Werthinam, ubi inter quinque consanguineos Episcopos conquiescit. Ejus ille cœnobij, antequam Episcopatum adiret, rector à D. Ludgero impositus; tametsi, ut D. Ludgerus, nunquam monachum professus sit, secus, quàm Wittius scripsit. Datum id D. Ludgeri consanguineis Episcopis, ut cœnobij à se conditi curam & œconomiam gererent, quorum posterior Hildegrimus junior Halberstadiensis IV Episcopus; post cujus obitum Abbates electi. Gerfrido in Episcopatu successit Altfridus consanguineus, à Ludowico pio nominatus, vir paris sanctimoniæ; à quo & vitam Ludgeri præclare conscriptam possidemus, uti se ab Hildegrimo fratre ejus Gerfrido nepote, & Herburga Sanctimoniali Ludgerique sorore accepisse memorat.

Catalog. Episcopor. Monasteri. Crantzius lib. 1. Met. c. 25. Ciacinnus in vita S. Ludgeri. Kersenbrochius in MS. Episc. Wittius in chron. MS. Brouverus in Side. illust. ad vitam S. Ludgeri. Bollandus in vita S. Ludgeri. Altfridus in præf. ad vitam S. Ludgeri.

Annus

Annus Christi 840.

Gregorij IV. Pont. 13.
Ludovici Pij Imp. 27. & ult.
Baduradi Ep. Pad. 26.

Ludovici Imp. pia ad mortem comparatio. *Auctor vitæ Ludov. Annales Pith. Nithardus. Ado. Regino. Aimoinus in Contin. Astron.*

Tandem inter civilia cum filijs bella annus insecutus Ludovico fatalis, & ultimus adfuit, qui, etsi natura ipsa & invaletudine conciderit; mors tamen ex filiorum vulnere & tædio vitæ accelerata credita fuit. Qua cùm se urgeri ad extrema videret, jussit se in Insulam Rheni Moguntino & Ingelhemensi palatio vicinam deportari. Ibi cùm pius senex in æstivo domicilio decumberet, accessêre Hettus Trevirensis & Otgarius Moguntinus Archiepiscopi, præterque alios Drogo Metensis Episcopus & frater, præses aulicorum Sacerdotum, illi assiduo aderat, cui & quotidie peccata confessus, ab eoque ferè quotidiè sibi Eucharistiam dari voluit; nam per quadraginta dies non alium ferè cibum sumpsit, quàm Corpus Dominicum, identidem ingeminans: *justus es Domine, et quia tempus Quadragesimæ non ita exegi, ut debui, et volui, nunc coactus exsolvam.* Inde distributis thesauris in Ecclesias, pauperes & filios, absenti etiam Ludovico filio ignovit. Inter ipsa demum mortis vitæque confinia accersijt Drogonem, & communionem sacram sibi postremùm præberi petijt, præstarique cetera, quæ ad egressum animæ rite ordinata sunt; postquam signo crucis se signasset, læto vultu & hilari aspectu efflavit animam XII Calendas Julij, ætatis anno LXIV, Jmperij XXVII. Corpus defuncti Drogo secum deportavit Metas honorifico procerum comitatu, condiditq; apud Matris Hildegardis ossa in Basilica D. Arnulphi Progenitoris Carolinæ stirpis. Annum obitus tametsi, qui Astronomi scripta partitus est, post biennium rejiciat; Ado tamen & Regino anno ab Incarnatione Christi DCCCXL consignant: quanquam si auctorem annalium Francorum à Pithœo editorum consulas, mors Imperatoris ad annum Christi DCCCXXXIX referenda erit.

Ado in Chron. Regino. Aimoinus. Brovverus in vita Ludgeri.

Obitus Thiatgrimi II Halberstad. Episcopi.

Inter hæc 6 Jdus Februarij obijt Thiatgrimus secundus post D. Hildegrimum Halberstadiensis Episcopus, S. Ludgeri itidem nepos, & quartus Werthinensis cœnobij rector, Successorem nactus Haymonem, virum doctissimum, ut scriptorum ab eo monumenta testantur.

Filij Ludovici Imp. defuncti de paternis regnis inter se digladiantur.

Morte Ludovici Imperatoris compertâ, Lotharius quàm maximis poterat itineribus ex Jtalia in Franciam properat, præmissis etiam, qui procerum animos partim minis, partim promissis sibi adjungerent; nec enim aliud secum volvebat, quam ut obtento patris testamento, acceptisque ab eo Jmperij insignibus Monarchiam Franciam capesseret, Ludovico fratre intra Bojariam, Carolo verò intra Aquitaniam restricto. Quod cùm illi adverterent, qua insita Lotharius

rius fraude & ambitione ageretur, consiliis atque armis conspirant in Lotharium. Inde civile bellum atrocius, quàm ante sub patre exarsit; vidissesque veteri Franciæ malo filios de hæreditate paterna digladiantes, regnumque nobilissimum lacerari, dissidiis & fraterno sanguine misceri Imperium. Quod bellum Nithardus nobilissimus Francorum, & Caroli M. ex Bertha filia nepos tribus exinde libris conscripsit, ut de se testatur. Ado bellum hoc civile & lamentabile vocat. Nec minus deploravere Episcopi & Sacerdotes, omnesque sapientes per Germaniam viri. Et Lotharius postquam in Germaniam venit, confisus Otgarii Moguntini Archiepiscopi & Adelberti Austrasiæ Comitis studio, primò in Ludovicum arma vertit (ne si geminos simul aggrederetur, concordes faceret) ostensâ Carolo amicitiâ; cui Ludovicus in suburbanis Moguntiæ cum exercitu Orientalium Francorum occurrit. At veritus Lotharius rem prælio committere, ne principia regni in periculum præcipitaret, pacto transigit cum Ludovico. Inde ad Carolum opprimendum interiorem Franciam petit. Inter hæc Ludovicus Orientales Francos, Alemannos, Saxones & Thuringos arctius sibi in societatem belli devincit. Quæ ubi Lotharius didicit, omisso Carolo, arma reflectit in Ludovicum, transitoque haud procul Wormatia Rheno, Ludovicum à suis quibusdam proditum ac propè desertum, circumventumque in Boiariam rejicit; ac ne quid istic ad Rhenum turbaret Ludovicus, limitem fluminis Adelberto Austrasiæ duci custodiendum tradit, reliquo deinde exercitu in Carolum converso, quem ad Mosam considere didicerat.

Per id tempus Lotharius 8 Calendas Julii celebrem Episcoporum & Optimatum conventum habuit Ingelheimii in palatio regio, cui & Baduradus Paderbornensis Episcopus cum suo Metropolitano interfuit. Eo in concilio Ebbo Rhemensis Episcopus, quem supra conspirationis in Ludovicum Imperatorem reum diximus, Lotharij studio, & Episcoporum consensu sedi suæ restitutus est, quemadmodum hæc Flodoardus in Rhemensi historia scripsit. Convenêre Episcopi xx. Drogo Metensis Episcopus, Otgarius, Hettius, Amalvvinus, Audax Archiepiscopi; præterea Joseph, Adalulphus, David, Rodingus, Giselbertus, Flotarius, Badaradus, Hagano, Hartgarius, Ado, Samuel, Rambertus, Haiminus, Ratoldus, Amalricus Episcopi. Restitutionem Ebbonis Lotharius publico per Imperium edicto confirmavit; quo ille armatus sedem suam repetiit, atque integro ferè anno tenuit; post ubi audiit, Carolum resumptis viribus in Belgicam adventare, relicta iterum sede Rhemensi ad Lotharium profugit, quem uti post illa Hildesiensium Episcopum tradant, haud video; quando tam Ludovicum, quàm Carolum sibi infensum habuit, & Sergius Pontifex, qui triennio post hæc Pontificatum adiit, rogatur,

Flodoardus lib. 2. c. 20. Histor. Rhemens. Tom. 21. concil. Paris.

Ebbo Rhemensis Episcopus sedi suæ restituitur.

ut sedi suæ exulem redderet Ebbonem, reconciliaretque, indignum pronunciavit, qui communionem inter clericos obtineret, quemadmodum hæc in vita Sergii traduntur. Sed hîc alia difficultas obnascitur ex ipso Episcoporum conventu, quem VIII Calendas Julii Wormatiæ à Lothario habitum scribit Flodoardus, & ex eo Sirmondus aliique probant, cùm Ludovicus Imperator XII Calendas Julii hujus anni mortuus referatur, quo comperto Lotharius primùm ex Italia discesserit: itane igitur Lotharius Imp. intra eundem mensem, iisdem diebus in Italia & Wormatiæ præsens esse potuit? ut Pithoeanis annalibus verisimiliter accesserim, qui Ludovicum Imperatorem anno 839. obiisse tradunt, atque synodum hanc mense Junio præsentis anni celebratam esse, cum Indictio III à Flodoardo adscribitur, quæ annum 840. designat.

Barbarorum in Regnum Francicum irruptio.

Adamus Bremen. c. 17. D. Rembertus in vita Ansgarii c. 14. Sigonius lib. 5. de regno Italiæ. Helmoldus lib. 1. c. 5. Albertus Stad. in chron. ad hunc annum. Crantzius lib 2. Sax. c. 27. l. 1 Metrop. c. 35. Isaacus Pontanus lib. 1. Danic. rerum.

Ceterum hac regni Francorum fratrumque dissensione comperta, quo & Saxonia conturbata, abreptaque in partium studia, multæ barbaræ gentes, opportunitate sibi ad rebellandum data, in Francicum regnum consurrexêre; quas inter Nortmanni, postquam Frisios ad tributa adegerant, per Albim piratica classe invecti, Hamburgum occupant, & spoliis exhaustum incendunt. Quo miserabili busto consumpta recentis operis Ecclesia, unàque Collegium Sacerdotum: direpta omnis sacra supellex: Incolæ Christiani pars cæsi, pars capti, plerique in fugam compulsi: Sacerdotes ac clerici dispersi, vacuum reliquêre locum, ipse Ansgarius ægre nudus elapsus. Inde Nortalbingorum provincia, & quidquid flumini contiguum, direptionibus Barbarorum cessit. Qua clade tota Saxonia terrore concussa, & qui per eas oras versabantur Evangelii præcones ejecti in exilium. Tradunt eadem tempestate piratarum classem Rheno quoque illatam penetrasse Coloniam, urbique obsidionis formidinem attulisse.

Annus Christi 841.

Gregorij IV. Pont. 14.
Lotharii Imp. 1.
Ludovici German Regis 1.
Baduradi Ep. Pad. 27.

Annales Franc. Fuldenses.

Et quæ non Barbari auderent, bello civili multò exitialius inter hæc protracto? Lotharius ubi didicit Ludovicum Francorum Orientalium copiis invaluisse, omisso Carolo, omnes vires in opprimendum Ludovicum reflexit, quem transmisso juxta Wormatiam Rheno, ineunte Aprili à suis desertum ac propè circumventum in Bojariam rejecit; relictoque ad tutelam Rheni Adelberto duce, cum exercitu in Carolum Ludovico opem ferentem se convertit. Inter hæc Ludovicus Rex magna celeritate vires reparat, cæsoque III Idus Maji

Maji Adelberto belli omnis incentore, Rhenum transit, & Carolo se jungit. Igitur castris in aperto positis adversus Lotharium, extremis viribus inter se connexis 7. Calend. Julii atrocissima pugna ad Fontiniacum conserta est. Sex horis, quibus depugnatum est, centum hominum millia cecidêre. Ea strage, qua flos nobilitatis periit, ita enervata Francia, ut neque fines regni proferre, neque Nortmannos deinceps, aliosque barbaros hostes repellere licuerit. Victus eo prælio Lotharius Imperator Aquisgranum fugit: neque fratres sunt insecuti, victoriam clementia mitigantes. Ille interim collectis Austrasiis, adscitisque Saxonibus vires instaurat, quibus Moguntiam occupat, transitoque Rheno Ludovicum, qui in Thuringiam discesserat ad Salæ palatium, incasso opere insequitur. Inde celebratis Wormatiæ filiæ nuptiis, Carolum oppressurus in Galliam se vertit. Sed nec istic re aliqua memorabili patrata Aquisgranum regreditur. Anxij per hæc Episcopi incertique cui se Regum in illo fluctuante rerum statu permitterent. Multi enim Episcoporum seu tædio intestinorum bellorum, seu mortis necessitate per hæc tempora excessêre è vivis: quos inter Willenius secundus * Bremensis, Hatuardus secundus Mindensis, & Albricus Ultrajectensis antistes, omnes religione & sanctitate vitæ præstantes, & Badurado conjunctissimi.

Ingens Gallorum cædes in bello civili.

* *Annales Francorum Fuldenses hujus obitum ponunt ad annum 853. Cleinsorgius in chron. MS.*

Annus Christi 842.

Gregorij IV. Pont. 15.
Lotharij Imp. 2.
Ludovici German. R. 2.
Baduradi Ep. Pad. 28.

Ceterum labor unus erat in reconciliandis Regum animis. Sæpè Lotharius sollicitatus à fratribus & Episcopis ac proceribus ad regni divisionem & concordiam, atque ab ipsis etiam fratribus provocatus ad supremum Dei judicium, ne tot bellis intestinis & bellorum malis Franciæ Regnum pessundari sineret; at ille affectatione Monarchiæ, quo ceteros fratres excluderet regnis, omnia pro ingenio & dolis elusit. Quare Ludovicus & Carolus consociatas copias in Lotharium contrahunt, unoque consilio ac fidis sibi animis conspirant. Et Carolus cùm audisset Otgarium Moguntinæ sedis Episcopum unà cum ceteris Ludovico fratri transitum Rheni prohibere, Tullos usque in eum movet. Quo cognito, Otgarius Rheni littus, quod obsederat, deserit, ceteris ad latebras profugientibus. Ergo Ludovicus & Carolus, ut á Regni inter se divisione arctissimam firmarent societatem belli, Argentorati conveniunt. Jbi postquam multa coram proceribus & populo questi essent Reges contra perfidiam Lotharii, Ludovicus quia Carolo senior, Romana lingua,

Nithardus lib. 2. Annales Francorum.

nimirum Gallica ex Romana lingua corrupta (quæ rustica Romana in concilio Cabilonensi & Moguntino dicitur) fidem Carolo juravit; Carolus verò Theotisca, sive Theutisca lingua, quæ Francorum antiquorum, ac Germanorum, cumprimisque Saxonum erat, juravit; ut concepta utriusque sacramenti verba à Nithardo recitantur. Sacramenta Regum populus utraq; lingua excepit, & utriq; fidem juravit. Quibus peractis, Ludovicus secundum Rheni ripas Spiram, Carolus Wormatiam cum exercitu movit, quos Carolomann⁹ cum ingentibus Bojariorum & Alemannorum copiis Moguntiam consecutus. Quo ex loco missus à Regibus Bardo ad Saxones, qui gentes illas Lothario abstraxit, & in fidem Regum accepit. Moguntiæ uterque Rex armatus Confluentiam descendit, auditoque Missæ sacrificio in æde D. Castoris Mosellam trajicit, pulsis inde Otgario Moguntino Episcopo, Hettone Comite, & Herioldo, quos Lotharius ad tutelam Rheni reliquerat. His Aquisgranum perlatis, Lotharius Viennam Allobrogum profugit. Eò Reges Aquisgranum cum exercitu digressi, sedem Imperii occupant, Synodumque sacrorum præsulum convocant; ad quam cùm maxima pars Episcoporum, interque eos haud dubiè Baduradus, spectatæ virtutis & ætatis, convenissent, palam confessi sunt Reges, Episcoporum auctoritate consilioque, veluti numine quodam divino, magnarum rerum exordia capi, & hi postquam Lotharii perfidiam in patrem, frustrata toties promissa, violata toties fœdera cum fratribus pacta, exitialia Ecclesiæ bella, populorum ruinas, ac cetera ejus flagitia expendissent; censerentque præterea gubernandi prudentiâ, & conscientia syncerae mentis destitutum, uno omnes Judicio Franciæ Regnum illi abrogandum pronunciarunt. Digna hominis pœna, ut qui per Ebbonem & ceteros Episcopos Ludovicum patrem imperio exuerat, Episcoporum sententia & fratrum armis universa Francia exturbaretur. Quo judicio subnixi Reges deligunt ex utraque parte duodecim proceres & sapientes viros, qui ex æquo Franciæ Regnum dividant. Ab his inter fratres tripartito divisum Regnum. Ludovico Germania tota ultra Rhenum cessit, Bavari, Francones, Thuringi, Saxones, Frisij, ceteræque fœderatæ gentes: Carolo occidentalis Francia à Mosa amne ad oceanum Aquitanicum: Lothario præter Italiam mediæ inter Rhenum & Mosam provinciæ. Sed nec Episcopi Ludovicum & Carolum regna prius capessere voluerunt, quàm rogati contestarentur, promitterentque se regna secundum voluntatem Dei ex æquo & bono administrare velle: tanta vel in ipsos Reges Episcoporum auctoritas erat.

Ludovicus & Carolus in Lotharium feliciter movent.

Dividitur inter fratres Francicum Regnum.

Quæ dum Aquisgrani aguntur, nunciatur tota Saxonia plena tumultibus. Miserat enim Lotharius ad Saxones suæ factionis homines, qui populum concitarent. Gens quippe Saxonum, ut Nithardus

thardus hic præter ceteros tradit, in tria hominum genera divisa erat; in nobiles videlicet, ingenuos, & serviles, quos patria voce dixerunt Edhilingos, Frilingos & Lazzos. Nobilitas magnam partem pro Regibus fida stabat, ceteri à Lothario ad rebellionem concitati erant; hos ut sibi devinciret, promisit eandem legem & libertatem se Imperatore habituros, quam majores eorum, dum Idolorum cultores essent, habuerant. Impia & scelerata promissa! Et quò non regnandi cupiditas per politicorum artes deducit Christianos? Ea spe libertatis excita ingens hominum libertorum multitudo per Saxoniam conglobatur (quæ Stellingorum sibi nomen sumpsit) depulsisque è provincia Dominis & rectoribus, qua cuique lubitum, lege & libertate vivit. Itaque ut 30. fere annorum bellis, & multo Francorum sanguine Carolus M. Saxoniam domuerat, quo christianæ eam legi subjiceret; sic impius nepos ad Idolorum cultum viam reditumque laxavit. Addidit præterea scelus sceleri, & cum Nortmannis pactus, partem Christianarum provinciarum barbaris illis gentibus obtulit, siquidem in bello sibi adversus fratres auxilia præstarent. Quibus Barbari provocati, prædis & latrociniis grassabantur per Christianos. Quò non cœca ambitio præcipites agit? aut quo non vulnere Baduradi, & integerrimorum Episcoporum animos sauciavit? Verùm cùm hæc Ludovicus tàm perfidè agi intelligeret, veritus ne ex confinio provinciarum Nortmanni ac Sclavi sese Saxonibus Stellingis conjungerent, & Christianam religionem iis in oris pessundarent, Coloniam cum exercitu properavit, eoque per Rhenum transmisso Stellingos aggressus conserto prælio superavit, totamque illam factionem disjecit. Inde ad Salam fluvium palatiumque Salæ digressus, habito procerum conventu, conspirationis auctores capitali supplicio damnavit; quanquam integra hujus seditionis extinctio anno demum proximo referatur à Nithardo; tum enim Stellingi, qui adversus Dominos suos rebellàrunt ad internecionem deleti, & qui sine auctoritate surrexerant, ense justæ auctoritatis interierunt.

Lotharius Saxones oblata religionis libertate in fratres concitat.

Quos Ludovicus domat.

Annus Christi 843.

Gregorij IV. Pont. 16.
Lotharij Imp. 3.
Ludovici German. Regis 3.
Baduradi Ep. Pad. 29.

Tandem Lotharius, postquam vidit, frustra armis & dolis à se consumptis, omnia vergere in potestatem fratrum, & jam Episcoporum & procerum judicio Franciæ Regnum divisum esse, ad preces versus, mittit ad fratres legatos Josippum, Eberhardum, Egbertum, aliosque, qui dicerent se in Deum & fratres peccasse, nolle sua culpa amplius lacerari Imperium, & Christianum populum affligi: desiderare se, ut in stabilem concordiam aliquando conveniatur: unum

Nithardus lib. 4. Annal. Francorum.

Lothario mutato ac supplice, arbitri regno-

rum divisores statuuntur. unum duntaxat rogare, ut supra tertiam partem, quam in divisione Regni illi attribuissent, adjiciant; quò & nomen Imperatoris, majestatemque Imperij dignè sustineat, & patris voluntati satisfiat, à quo & Imperii Collega Successorque nominatus, & longè ampliore Regni Francici parte donatus sit. Ad quæ fratres, se nihil aliud ab exordio dissensionis expetiisse; ac ne quis existimet, se regnandi cupiditate ferri, velle se rem totam Episcoporum & Sacerdotum studio committere, quorum in his divina quædam auctoritas præluceat. Inde toto hoc anno pertractatum, primùm in Insula Anxilla, mense Junio propè Mantisconem Burgundiæ Oppidum; deinde Wormatiæ Calend. Octob. indictus publicus congressus; post 14. Calend. Novembr. Confluentiæ convenêre trium fratrum legati. Sed cùm arduum hoc opus, tantoque sanguine hactenus frustra tentatum confici non posset, in sequentem annum omnia sunt rejecta. Interim, dum singuli ab armis quiescunt, Lotharius Aquisgranum, Carolus in Franciam, Ludovicus in Bojariam concessit. Nec tamen hic annus Ludovico vacuus à bellis contra Barbaros; nam ut Francorum annales à Pithœo editi memorant, Abotritis defectionem cœptantibus, Ludovicus in eos, transito Albi, exercitum duxit, commissoque acri prælio Regem eorum Gozzomvil interemit. Quam victoriam cum divinitus sibi obtigisse recognosceret, terram populumque sibi, & Christianæ religioni subjecit, ordinatis ducibus & rectoribus, qui in officio continerent.

Ludovicus ope S. Viti Abotritos rebelles vincit.

Hæc nimirum illa Ludovici Regis expeditio est adversus Sclavos, de quo Lotharius in diplomate Corbejensibus dato, quod anno proximo recitabimus. Nam cùm pugna, quæ mense Junio in ipso pervigilio S. Viti est conserta, diu ancipiti eventu agitata fluctuaret Christianos inter & Barbaros, Christiani opem S. Viti implorârunt, ad cujus cœlestem opem hostium acies conversa in fugam, & memorabilis victoria reportata est. Cæsus Gestimulus eorum Rex, uti Lotharij tabulæ eum appellant: expugnata Insula Rugia, & pro concepto Ludovici Regis voto Monachis Corbejensibus ad cultutam Christianæ religionis oblata, quam deinde Lotharius Imperator Corbejæ totam dedit. Adeo fratrum semper integerrimus Ludovicus Rex, quod & Scriptores ceteri agnoscunt, qui patris & magni avi Caroli exemplo, Christi religionem inter Barbaros proferendam sumpsit, dignus, quem Germania Saxoniaque suum Regem sortiretur. Expeditionem hanc in Sclavos, expugnatamque cœlesti victoria Rugiam Insulam, etsi annales Francorum Corbejensium ad sequentem annum adscribant, ex diplomate tamen Lotharij Imperatoris constabit ad hunc annum referendam esse, quo & dedicatio templi Corbejensis, Warino Abbate, peracta; eamque celebrem omninò fuisse, Episcoporum & Præsulum sacrorum conventu, & à

Badu-

Badurado Episcopo nostro peractam, intra cujus diœcesin Corbeja est, nemo facilè ambiget, etsi à Scriptoribus neglectum sit.

Annus Christi 844.

Sergij II. Pont. 1.
Lotharij Imp. 4.
Ludovici Germ. Regis 4.
Baduradi Ep. Pad. 30.

Advenerat jam annus 844. toti Jmperio salutaris, quo Virduni Regnorum partitione facta, in firmam pacem & fratrum concordiam convenit. Missi à singulis legati XL, quorum collatis in unum consiliis judiciisque, Lothario præter Jtaliam attributa Burgundia & Gallia Belgica; nimirum quicquid terrarum supra inter Mosam & Rhenum, infraque inter Rhenum & Scaldim interjacet. Ea exinde Regio, quia Lotharij Regnum erat, Lotharingia, ut volunt, primùm dici cœpta, abolito tum sensim celebri Austrasiæ nomine; ex qua tamen parte Ludovico ob vini, quam prætendebat inopiam, cessit Wormatia, Moguntia ac Spira. Ad hæc Ludovico attributa, omnis Germania transrhenana, Thuringia, Hassia, Saxonia, Frisia, & quidquid trans Albim ad Barbarorum fines protenditur. Carolo verò Occidentalis Francia, vetus scilicet Neustria, data, quantum videlicet, ab Oceano ad Mosam & Scaldim, atque inde ad Rhodanum & Ararim porrigitur. Pipino filio Pipini Aquitania concessa: ita Monarchia Franciæ, quæ uni Carolo M. & Ludovico Jmperatori paruerat hactenus, quadripartito divisa. Auspicata quidem partitio, siquidem iisdem terminis regnantium animi circumscribi potuissent, neque ea, quæ in partes dividuntur, sponte sua in debilitatem simul & ruinam incumberent. Jnde jam novos quisque titulos usurpare, & Carolus cognomento Calvus Rex Franciæ, Pipinus Aquitaniæ Rex, Ludovicus Rex Germaniæ salutatus, videasque ab hoc anno divisionis, passim diplomata Ludovici consignari; in quibus tamen nonnulli variant, eò quòd à superiorum annorum divisione regni auspicia ducant.

Æqua tandem Regnorum inter fratres divisione pax stabilitur.

Florebat per id tempus Warino Abbate mirificè Corbeja ad Visurgim, multique in ea non modò Apostolici Sacerdotes, qui impensè operam navabant in excolendis per Saxoniam Barbarorum animis; sed quamplurimi illustrium familiarum adolescentes ac viri ex Francia & Germania se Warino in disciplinam religiosæ vitæ dabant. Certè Lotharius Imperator cùm didicisset, quanto laboris fructu versarentur Corbejenses monachi per Saxoniam, quantoq; trans Albim progressu religionis barbaras gentes ad Christi religionem deducerent, unà cum Ansgario Hamburgensium Episcopo, ce-

Insula Rugia Corbejensibus datur.

ceterorum duce & antesignano, cœlesti D. Viti beneficio provocatus, quo tam insignis victoria impetrata erat, omnem Rugiæ Insulam à Ludovico Rege debellatam, ac D. Vito oblatam Corbejensibus monachis ex integro donat. Diploma Imperatorium ex ipso Corbejensium tabulario autographo hîc producimus, quod ut anno M.CCCXXVI testimonio ac tabulis Consulum ac Magistratus, Montis Martis, Huxtariensium & Volckmersensium hac super re confectis adhuc integrum fuit, ita ad nostra usque tempora asservatur, etsi læsum lacerumque in quibusdam aspiciatur.

In nomine Domini Salvatoris nostri JESU CHristi. Lotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si liberalitatis nostræ munere loca Deo dicata provexerimus, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit interea sagacitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam etiam futurorum, quod Ecclesiæ, quæ vocatur nova Corbeia, in pago Augen, super fluvium Wisera, et est quodammodo nova à Domino Patre nostro ante annos paucos condita in honorem Dei Salvatoris nostri, sanctique Protomartyris Stephani, ubi et Beatissimus Martyr Vitus requiescit, cui nunc præest dilectus, et propinquus noster Abbas Warinus, in proprietatem tradidimus Rugacen Insulæ slavos cum tota terra ejusdem Insulæ, quomodo inibi positi devotione astricti sumus, quia Deo Salvatore nostro JESU CHristo, sanctoque Vito id patrocinante in deditionem accepimus, nam ut aliquamdiu aliquotiensq; bellum utrimque durum satis committeretur, et anceps victoria et illis et nobis videretur, post aliquantorum quorum suffragia Sanctorum petebamus, beatum Virum exorandum consultè confisi sumus, quod et fecimus. Insuper et si nobis auxiliari dignaretur, ei votum in hoc fecimus, quod et victoriam ipsi ascriberemus, et quæcunque nobis illo auxiliante provenire possent, ipsi dedicaremus. Fiducia igitur continuo potiori accincti in Vigilia ipsius S. Viti bello renascente sumus congressi, et ipsorum Rege nomine Gestimulo cum nonnullis majoribus, et aliis quàm plurimis illius gentis perempto, cum omnibus suis; Reliqui, et terra ditioni nostræ cedentes, Castella, munitiones, et cætera sua omnia nobis tradiderunt. Nos itaque prout ratio exigit, liberatis, firmatis, ac possessis omnibus, jam nunc de reliquo succedentium temporum volumus ac decrevimus, proprietatis dispositionisque fore hujus novæ Corbejæ. Tradimus itaque totam eidem Ecclesiæ Rugacensem Insulam in jus proprietarium, ita videlicet, quod si quid in ipsa sit in munitionibus, in villis, in vicis, in domibus, vel ædificiis, terris cultis et incultis, silvis, pratis, campis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, tàm in terris, quam in aquis, et in pensionibus portuum, et navium inibi supervenientium, sive etiam pertranseuntium, homines utriusque sexus, majores ac minores, senes ac juvenes, Incolas ejusdem Insulæ. Si quæ præter hæc lucra de ipsa Insula, vel in ea habitantibus provenire possunt, vel postmodum poterunt, memorato monasterio

subdita

subdita esse instituimus, atque per hanc nostram auctoritatem sic donamus et tradimus, ut in jure ipsius Abbatis et Successorum ejus, nec non et monachorum inibi per tempora servientium in diversis necessitatibus ad divinum cultum propensius exequendum, absq; cujuslibet diminutione vel retractione permaneant, quatenus et devotiores nobis ac Conjugi ac liberis nostris, omnique stirpi nostræ omni tempore quodam debito supplicandi Deo memorentur. Quod autem hæc auctoritas nostra inviolabilem et inconvulsam firmitatem obtineat, manu propria subter eam subscripsimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Lotharij  *Serenissimi Imperatoris.*

Remigius Notarius ad vicem Agilmari recognovi. Datum XIII Calend. Aprilis, anno Christo propitio Imperii Domni Lotharij Imperatoris in Italia XXII. Indictione VII, Actum Aquisgrani palatio Regio in Dei nomine Amen.

Recolant hoc diploma, qui liberalitatem Cæsarum in dotandis exornandisque Episcopis aut carpunt, aut suspectam faciunt; cùm legant hîc Warinum Abbatem Corbeiensium ac Monachos donari Insula Rugia cum Castellis, Vicis, prædijs & Incolis, & omni jurisdictione Principum. Aut potius revolvant cum animis, quò à Majorum religione reciderint Saxones nostri, quando barbaras illas gentes primùm per Monachos ad Christi fidem perductas legunt, in qua usque ad Lutheri tempora una cum Regibus & Principibus perstitêre. Verùm, ut patrimonia illa religiosorum hominum donaque Cæsarum, ita ipsam religionem jam dudum sustulit hæresis, sacra humanaque profanando.

Annus Christi 845.

Sergij II. Pont. 2.
Lotharii Imp. 5.
Ludovici German. Regis 5.
Baduradi Ep. Pad. 31.

Pacata quidem Germania Imperiumque erat, ex quo concordia inter regnantes fratres finem civilium bellorum dedit. Sed non perindè quievêre Barbari, postquam lacessiti dulcedine spoliorum arma sumpserant; ausique sunt per intestina bella Imperij fines depopulari. Ac nulla gens infestior quàm Nortmanni, quorum pars Duce Ragenario & Roricho classe perfecta per mare, Gallias Carolique Regnum invasit, & Turones Parisiosque usque progressa, omnia latè spolijs & cædibus replevit (quemadmodum hæc Galliæ scriptores deplorarunt) Carolo bellis domesticis se implicante, eoque redacto, ut excessum Nortmannorum è Gallia auro redimere coactus fuerit.

Annales Francorum. Aimoinus. Annales Fuldenses. Annales Metenses. Annales Bertiniani & gesta Nortm.

Normanni in Gallia victores Caroli Regis.

fuerit. Pars in Frisiam illata tribus prælijs conflixit cum Christianis; ac primò quidem superiores Christiani, sed altero tertioque Barbari ingentem cladem rei Christianæ per Frisiam intulêre; qua simul procella Hamburgum denuo in Saxonia direptum vastatumq; memorant Annales Francorum. Fuldenses ad hunc annum, *Nortmanni*, inquiunt, *in Frisia tribus præliis conflixerunt, in primo victi, in secundo victores magnam hominum multitudinem prostraverunt, Castellum etiam in Saxonia Hamaburg populati, nec inulti sunt reversi.* Iteratò verò Hamburgum vastatum per id tempus, dum Ansgarius præsideret, testatur D. Rembertus in vita Ansgarij. Nec inulti tamen id fecêre, quandò his ipsis Nortmannis se Ludovicus Germaniæ Rex fortius quàm Carolus objecit, Orientalium Francorum, & Saxonum cumprimis alacritate & viribus adjutus. Læti illi obvenisse sibi tempus, quo arma civilia in barbaros convertere liceret; eò per Ludovicum suis cladibus denuo Nortmanni obtriti. Clarus cumprimis inter Saxones his Ludovici bellis Ludolphus Henrici Germaniæ Regis avus, & Ottonis Magni proavus, vir religione non minus, quàm bellica fortitudine eminens, ut præter Roswidam Gandersheimensis Collegii Virginem & poëtriam fasti Saxonum, & monumenta patria tradiderunt; quemadmodum & prisco Germanorum more nomen ejus, resque præclarè gestæ tum vulgò, tum patriæ linguæ carminibus decantabantur.

A Ludolpho Ludovici Reg. Duce, proavo Ottonis Magni vincuntur.

Quapropter ab ipsa Roswida hac candido carminis elogio celebratur.

Hic prænobilium natus de stirpe parentum,
Ortus quique suæ respondet nobilitati
Moribus egregiis, usque suæ pietatis
Inter Saxones crevit laudabilis omnes.
Namque fuit strenuus, forma nimiumque decorus,
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis
Atque sui generis solus spes et decus omnis.
Hinc nam Francorum magni Regis Ludovici
Militiæ primis adscriptus penè sub annis.
Ex ipso dignè summo sublatus honore,
Gentis Saxonum mox suscepit comitatum.
Ac citò majori donatus munere, cunctis
Principibus fit par, Ducibus sed nec fuit impar,
Quique suos omnes vicit pietate parentes,
Cui conjux ergo fuerat prænobilis Oda
Edita Francorum clara de stirpe potentum,
Filia Bilingi cujusdam Principis almi.

At

At religione in Deum non minus insignis, Gandersheimensium Sanctimonialium Virginum monasterium, loco divinitus sibi monstrato ad Gundam fluvium condidit; quam in rem acceptis à Ludovico Germaniæ Rege literis, Romam ad Sergium Pontificem, construendi monasterij potestatem cum sacris Lipsanis Anastasij & Innocentij impetravit; & filiam, quam habebat Hathumodam, indole & pietate egregiam, traduxit ad Collegium Virginum Hervordiensium apud nos à primis annis excolendam, quæ deinde prima Gandersheimensium Antistes delecta est. Celebre illud non minus in Ostphalia, quàm Herivordiense in Westphalia fuit; certè Gandersheimense collegium Colonia Herivordiensis dici poterat.

Qui fundat Gandersheimense Gynæceum.

Auctor vitæ S. Godehardi c. 4.

Sed magnum certamen inter scriptores nostros, quibus parentibus Ludolphus Augustæ Ottonum familiæ Conditor sit genitus. Albertus Stadensis, cùm enumerasset ortum ex Widekindo Wigbertum, atque ex illo Walbertum, *ex eadem*, inquit, *Saxonicæ gentis stirpe vir nobilis procreatus est Ludolphus*. Hinc alij ex Walberto Widekindi M. nepote, alij ex Brunone Walberti fratre; quidam ex Brunone Widekindi M. fratre genitum volunt. Verùm cùm Widekindus monachus Corbeiensis vetustissimus Saxonum Scriptor Ottonum stemma per maternam lineam deducat ex widekindo M, his derogare videri poterit, non prætermissurus paternum genus, si à Widekindo M. deducere licuisset. Incertum deindè Ducatumne Saxoniæ ex paterna Widekindi hereditate, an Ludovici Germaniæ Regis beneficio ob res præclarè gestas sortitus. Et quid hæc tantopere contendimus, cùm satis esse debeat gente nobilem Saxonem fuisse, ejusque familiæ conditorem, in quam extinctâ Carolina stirpe, Regia primùm per Henricum Aucupem, ac deindè Imperatoria dignitas per Ottonem M. translata est; cui tantum debet Saxonia, quantum postea decus fuit, Imperatoriam Augustamque majestatem à Francis transiisse ad Saxones.

Lesnerus, alijque Georg. Fabric. lib. 2. de orig. Sax. Crantz. l. 2. Sax. c. 29. Hamelm. in Chron. Oldenb. Peucerus.

Ludolphus ex Widekindi stirpe.

Rebus per æstatem contra Nortmannos in Frisia, & trans Albim contra Sclavos fortiter gestis, Ludovicus celebrem Paderbornæ Episcoporum & procerum in Autumno conventum habuit, Avi M. Patrisq; exemplo, à quibus Paderborna ob amœnitatem celebritatemq; loci per Saxoniam ad ejusmodi comitia est delecta. Nec minus tum inter præsules Saxoniæ Baduradus Paderbornensis Episcopus venerandus aderat, vir nobilitate gentis, ætatis canitie, religione & sapientia spectabilis; quippè qui sub Carolo M. Regis Ludovici avo inter prima christianæ religionis initia per Saxoniam inclaruerat, & in Ludovici patris aula inter Consiliarios intimos & legatos rem publicam tractârat; cui Ludovicus tantum venerationis detulit, quantum de pijssimo patre ac christiana per Saxoniam religione promeritus erat, quem ob hæc omnium consiliorum suorum arbitrum esse voluit. Auditi in hoc conventu legati Lotharij & Caroli fratrum; tum

Ludovicus Comitia celebrat Paderbornæ.

Annal. Fuldenses apud Freherum.

Nortmannorum, Sclavorum, & Bulgarorum legationes acceptæ expeditæque: adeo tum celebrata Paderborna; tanquam cum Carolo M. & Ludovico Imperatore auspicia rerum per Saxoniam & Septentrionem gerendarum ex hoc loco capere lætum ac solemne fuerit. Et verò quia Carolus Rex Franciæ occidentalis per legatos sollicitârat opem Ludovici adversus Nortmannos, Rex Cobbonem Comitem ad Rorichum in Gallias Nortmannorum Ducem mittit legatum, qui Barbari animum mitigaret contineretque à fœdis Galliarum depopulationibus. Is, ut ex Gallijs ad Ludovicum Regem est reversus, quas viderat calamitates, effrenisq; populi spolia & sacrilegia retulit, quæ non sine indignatione Ludovici ac Saxonum audita sunt. Nihil interim horum Dani Nortmannive in Saxonia, & Ludovici regno perpetrare ausi sunt, quod, dum vixit, à Barbara hac gente intactum servavit, Lothario, qui Imperatoris nomen gerebat, aut venationi dedito, aut per inertiam desidente, aut cum Burgundis per intestinos motus conflictante. Cobbo, quem diximus, Comes haud secus, quàm Ludolphus ea tempestate inter Saxones consilio & manu promptus, magna apud Regem gratia & auctoritate pollebat; creditur que hic idem esse, quem Teclenburgenses primum suum comitem celebrant. Cetera, quæ in his Paderbornensibus comitijs pro statu Ecclesiæ per Saxoniam formando reparandoque his bellis sunt gesta, temporum injuria periêre, Francis Scriptoribus in res civiles tantummodo intentis. Nec enim dubitare fas erit, Ludovicum postquam Germaniæ trans Rhenum Saxoniæque Regnum ex divisione Franciæ adijt, hanc sibi curam, avi patrisque exemplo, inter primas sumpsisse. Reperio interim hoc anno duo præclara Ludovici Regis diplomata Paderbornæ consignata, quorum altero Corbeiensibus Huxtariam & fundum cœnobij confirmat, liberamque eligendi Abbates potestatem facit. Id hoc loco ex Originum literis adscribere visum est.

Aimoinus lib. de transl. S. Germani Episcopi apud Surium 25 Jul. — *Ervvinus.* — Confirmat donationes Corbeiensibus factas.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. HLudovicus divina favente gratia Rex. Cum in nomine unicæ et perpetuæ Trinitatis pro Regimine S. Matris et universalis Ecclesiæ, etiam et pro statu regni nobis divinitus et paterno jure commissi Patherbrunnen pervenimus, aderant inter cæteros fideles nostros quidam Monachi cum venerabili eorum Præposito Uvalanae, ex monasterio, quæ nova Corbeia nuncupatur, coramque familiaribus Consiliariis nostris in præsentiam culminis nostri adducti attulerunt Domni ac genitoris nostri HLudovici excellentissimi Imperatoris quoddam præceptum, in quo continebatur, qualiter idem Christianissimus Imperator præfatum monasterium in honorem S. Stephani Protomartyris Christi super fluvium Wiseram in villa regia, in loco dudum nuncupante Hucxeri Adalhardo cuidam seni Abbati germanoque suo Uvalanae construi ac fabricari præcepisset, obsecrantes clementiam Serenitatis nostræ, ut pro majori firmitate ac certiori studio securitatis,

V. MS. Walone. — *V. MS. Walone.*

curitatis, nostræ mansuetudinis super hoc præceptum paterno ac regali affectu confirmari deberet. Quorum petitioni justæ, et rationabili aurem libenter accomodavimus, ac præscriptam villam Hucxeri, quam Serenissimus Augustus ad præfatum monasterium tradiderat, cum omnibus finibus vel terminis suis, terrisque, silvis, aquis, aquarumve decursibus, seu cunctis adjacentiis, nec non apendiciis suis, sive res et possessiones, quæ à Deum timentibus, vel gratiam divinam diligentibus ibi conlatæ sunt, etiam et res quæ ad Corbegiam antiquiorem, ex cujus vocabulo illud monasterium nomen usurpat, traditæ fuerunt, infra fines regni Saxoniæ terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, propriis vel communibus ædificiis, prius habitis vel postea constructis, mancipiis quoque diversi generis vel conditionis, mobilibus et immobilibus datum, vel traditum erat cum omni integritate præfato monasterio, et Monachis ibidem Deo soli militantibus ad possidendum fruendumque per hanc nostram auctoritatem in eleemosinam præfati piissimi genitoris nostri ac nostram confirmare atq; stabilire decrevimus. Libuit etiam nostræ Celsitudinis pietatem erga Divæ memoriæ Genitoris nostri Nobilissimi Augusti institutionem, quando divina vocatione Abbas prædicti monasterii vitam finierit mortalem, quamdiu ipsi monachi inter se talem invenire hujusce vitæ quiverint, qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti, primi instructoris illius normæ, regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbatem, quatenus ipsos servos Dei, qui illic uni Deo diu noctuque serviunt, pro nobis proleque nostra, et stabilitate regni à Deo nobis conlati jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Illud verò inserere hoc præcepto nostræ placuit regiæ auctoritati, ut licentiam habeant Rectores et ministri ejusdem monasterii, cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare, videlicet ut quidquid pars justè, et rationabiliter alteri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere voluerint, libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostræ per diuturna tempora inviolabilem, atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

V. MS. Hoxeri.

V. MS. fuerant.

V. MS. aberat soli.

V. MS. Alba.

Signum  *HLudovvici Gloriosissimi Regis.*

Dominicus Notarius ad vicem Radleici recognovi. Data IIII Idus Decembris Anno Christo propitio septimo regni Domni HLudovvici Regis in orientali Francia. Indict. VIII Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter Amen.

Alterum Ludovici Regis diploma Paderbornæ eodem anno ac die consignatum novæ liberalitatis monumentum extulit, quo Corbejensibus agros & prædia dilargitur.

In

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. HLudovvicus divina favente gratia Rex. Si de rebus terrenis, quibus divina sumus largitate gravati, Laicorum, propter amorem Dei eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, hoc nobis procul dubio ad æterna remunerationis præmia capescenda profuturum liquido credimus. Idcirco noverit omnium fidelium S. Dei Ecclesiæ, nostrique præsentium et futurorum sollertia, quia nos pro mercedis nostræ augmento concessimus ad monasterium, quod nova Corbeia nuncupatur, quod est constructum in honorem S. Stephani Protomartyris Christi, super fluvium Wisera, in villa regia, in loco nuncupante dudum Hucxeri, mansa undecim, quæ sunt in pago Langneæ, in villa, quæ dicitur Hemli, cum omnibus appendiciis, vel ad se pertinentibus, in terris videlicet cultis et incultis, silvis, aquis aquarumque decursibus, adiacentiis, perviis, exitibus et regressibus, quæsitum et ad inquirendum, vel quantumcunque infra præscripta villa, vel quæ ad ipsam undecim mansa pertinere videntur; ut nostri juris atque possessionis in re proprietatis est, totum et integrum præscripto monasterio Corbeiæ et monachis ibidem Deo soli militantibus perpetualiter ad possidendum fruendumque concessimus, atque de nostro jure in jus et dominationem præfati monasterii liberalitatis nostræ munere contulimus; ita videlicet ut quidquid exinde ab hodierna die vel tempore Rectores, et ministri ejusdem monasterii facere, ordinare, atque disponere voluerint, per hanc nostram auctoritatem liberam in omnibus habeant potestatem faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum [monogram: HLVDOVICVS] *HLudovici Gloriosissimi Regis.*

Dominicus Notarius ad Vicem Radleici recognovi. Data IIII Idus Decembris anno Christo propitio VII regni Domini HLudovici Regis in Orientali Francia. Indict. VIII Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter Amen.

Accedit tertium donum, quo hoc ipso anno, ejusdem Regis munificentia, pro singulari in Warinum Abbatem affectu Corbeja cumulata est.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis. HLudovicus divina favente gratia Rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna impendimus, atque de rebus terrenis divina miseratione nobis collatis largitionis nostræ munere quidquam conferimus, hoc nobis procul dubio non solum ad stabilitatem regni pertinere, verùm etiam ad æternæ beatitudinis præmia capescenda profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus

omni-

omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum sagacitati, qualiter nos ob amorem Dei et emolumentum animæ nostræ quasdam proprietatis nostræ res concessimus ad monasterium, quod dicitur nova Corbeja, quod est situm super fluvium Wisera, constructum in honore sancti ac beatissimi Stephani Prothomartyris, ubi præsenti tempore Venerabilis Vir Warinus auctore Deo Abba præesse videtur, sunt enim prædictæ res in pago Guottinga, in villa quæ dicitur Amplidi, hoc est mansum Dominicatum cum casis et reliquis ædificiis, cum aliis mansis viginti ibidem aspicientibus ac deservientibus. Has itaque res, sicut diximus, cum domibus, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, salinariis, terris cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis, exitibus et regressibus, quæsitis et inquirendis, quemadmodum Banzleibs Comes in beneficium hactenus habuit, et nostri juris atque possessionis in re proprietatis est totum et ad integrum prædicto monasterio concessimus, et de jure in jus, et dominationem ejus liberalitatis nostræ munere contulimus, ita ut de eisdem rebus et mancipiis Rectores et ministri prædicti monasterii ob utilitatem et necessitatem ipsius facere, ordinare, atque disponere voluerint, per nostræ auctoritatis largitionem libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Hanc itaque auctoritatem largitionis nostræ ut per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, et à fidelibus S. Dei Ecclesiæ nostrisque verius credatur, et diligentius conservetur, manus nostræ signaculis subter eam decrevimus corroborare, et annuli nostri impressione assignare jussimus.

Signum [monogram] *HLudovici gloriosissimi Regis.*

Adalleodus ad vicem Rathleici recognovi, et ss. Data VIII Calend. Januarii anno Christo propitio VII. regni Domni HLudovici Regis in Orientali Francia. Indict. VIII. Actum Rosbath Villa in Dei nomine feliciter Amen.

Annus regni Franciæ Orientalis, qui in hisce tabulis consignatus se exhibet, ab anno 839 ducitur, quo à Saxonibus & Thuringis adjutus Alemanniam & Franciam Orientalem sibi vendicavit.

Sed longè Majori pietate ac miseratione Ludovicus complexus est D. Anscharium. Profugerat is ab excidio Hamburgensi Bremam ad Leudericum III ejus loci Episcopum, ibique ex suo exilio administrabat septentrionales Ecclesias sibi commissas. Post ubi Leudericus priori anno IX Calend. Septemb. discessit è vivis, uti Stadensis refert, Ludovic⁹ Rex Bremensem Ecclesiam Anschario dare & utramque

D. Rembertus in vita Ansch. c. 19. Adamus Bremens. lib. 1. Albertus Stad. in chron. ad hunc ann. Crantzius lib. 1. Metrop. c. 42.

Bollandus in comm. ad vitam S. Ansch. §. 2. Hamburgensis Bremensi Ecclesiæ unita S. Ansgario committitur.

que conjungere in unam consultum habuit. Id verò cùm sine canonica auctoritate fieri non posse agnosceret Rex & Anscharius, res in Episcoporum consilio, aut Paderbornæ in hoc conventu Episcoporum, aut post in Synodo Moguntina; quæ biennio ab hinc est habita à Rabano Archiepiscopo, ut Bollandus opinatur, discussa est, donec plena Nicolai Pontificis auctoritas accederet, utriusq; Episcopatum in unum contrahentis. Utrique verò Synodo Baduradus Episcopus noster interfuit, non minus de salute Septentrionalium populorum, quàm de sua diœcesi sollicitus. Quàm admiranda exinde gesserit Anscharius Daniæ & Sueciæ Apostolus in utriusque Regni ad Christi fidem traductione, narrat D. Rembertus, & rerum earumque gentium Scriptores.

Annus Christi 846.

Sergij II. Pont. 3.
Lotharij Imp. 6.
Ludovici Germ. Regis 6.
Baduradi Ep. Pad. 32.

Annales Francor. Annales Fuldens.

Ludovici Regis hoc anno gesta.

At Ludovicus Germaniæ Saxoniæque Rex, postquam Nortmannos, gentem hactenus infestissimam Christianis, primùm armis, post fœdere in conventu Paderbornensi ad quietem adegisset, profectus est in Franciam ad dissidentes inter se Lotharium & Carolum fratres componendos, ob raptam à Caroli Vasallo Lotharij Imp. filiam; id cùm frustra ageret, redijt in Germaniam, menseque Augusto exercitum duxit in Sclavos Margenses defectionem molientes, itàq; eos obtrivit, ut Rasticem illis ducem imposuerit. Ea expeditione Moravia & Pannonia domita, haud alijs, quàm Francorum Orientalium, Thuringorum, & Saxonum armis, in quibus robur exercitus erat. Inde exercitus per Bohemiam reductus. Quo in regno XIV sibi Bohemorum Duces occurrentes habuit, cum ingenti subditorum hominum multitudine, Christi religionem flagitantes, quos festo Epiphaniæ die ad lavacrum baptismi lætus deduxit; quanquam alij id superiori anno factum referunt. Unicus regiorum filiorum Ludovicus, qui majestatem Imperij sustineret, & religionem inter barbaros, Caroli M. avi vestigijs insistens, proferret.

Annus Christi 847.

Leonis IV. Pont. 1.
Lotharij Imp. 7.
Ludovici German. R. 7.
Baduradi Ep. Pad. 33.

An-

Annus tandem insequens 847 ab omni bello vacuus, quem Ludovicus & Lotharius, alter alterum invitando ad palatia sua, conviviis, ludis, venationibus consumpsêre. Sed tanto celebrior Synodus Moguntina, quam Rabanus vir doctrina, religione, & vitæ integritate præstantissimus, ex Abbate Fuldensi à Ludovico Rege 15 Calend. Julij post obitum Otgarij nominatus impositusq; Archiepiscopus mox in septembri convocavit. Convenêre ad eam omnes provinciales ejus Metropolis Episcopi, quos inter Baduradus Paderbornensis Episcopus tertio loco nominatus, habita nimirum ætatis ratione. Scribunt patres in Epistola, quæ synodo huic præmittitur, ad Ludovicum Regem, convenisse Rabanum Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopum, unà cum * Samuele, Egorbaldo, Baturato, Hebone, Gerbratho, Hemmone, Waltgario, Anschario, Otgario, Lantone, Salamone, Gebehardo ac reliquis Episcopis, Abbatibus, Monachis, & presbyteris, ceterisque Ecclesiasticis ordinibus. Et verò quia Ebbo & Anscharius huic synodo interfuisse memorantur, confici volunt Ebbonem per id tempus Hildesiensem Episcopum egisse, & Anscharium Bremensi Ecclesiæ præpositum fuisse. Consessus Episcoporum in S. Albani Basilica fuit, & in duas turmas distributus, quorum alter Episcoporum cum Sacerdotibus, alter Abbatum cum monachis, tertia jam classe, quam in mixtis Francorum synodis Comites & profani homines faciebant intermissa. Convocata potissimum hæc synodus ad libertatem Ecclesiæ asserendam in integrum, quando laici homines per licentiam civilium bellorum sibi potestatem non modò in bona & jura Ecclesiæ, sed in ipsos sacros homines sumere sunt ausi. Multa præterea unâ & triginta legibus sancita, ad disciplinam cleri, Monachorum, & populi instaurandam.

Synodus provincialis Moguntina à Rabano Archiep. celebrata.

Sub id tempus, dum synodus ageretur Moguntina, venit ex Alemanniæ partibus, ut Francorum Annales referunt, mulier, quæ se novam prophetidem jactabat, interq; falsa vaticinia asserebat docebatque pro concione, imminere hoc anno extremum fatalemque orbis diem; multaque ejusmodi arcana venditabat, de quibus à Deo esset edocta. His adeo perculsi utriusque sexus homines, ut & larga munera offerrent, & se fatidicæ precibus commendarent; quia tanta facundia id agebat, ut & sacri ordinis homines decepti, relicto docendi munere ad eam tanquam sapientiæ Magistram convenirent. Hæc ad Episcopos in S. Albano congregatos deducta convictaque imposturæ, haud aliud obtendit, quàm à Sacerdote sibi hanc fallendi artem esse suggestam. Quapropter Episcoporum judicio publicè flagellis cæsa, docendi munus, fallendique artes intermisit.

Cujus jussu Pseudo prophetis flagris cæsa & correcta.

* Samuel Wormatiensis Episcopus. Egorbaldus Herbipolensis. Baduradus Paderbornensis. Hebo sive Ebbo Hildesiensis. Gerbrachus Curiæ. Hemmo sive Haymo Halberstad. Waltgarius Verdensis. Lando Augustanus. Salamon Constantiensis. Gebehardus Spirensis. Otgarius Aichstadiensis.

Obitus S. Menulphi & signa mortem consecuta.

Mortuum hoc anno, cœloque illatum statuimus D. Menulphum Archidiaconum Paderbornensem, & Monasterij Bodecensis Conditorem, virum sanctissimum ac sidus Westphaliæ; & quantum æstimes per id tempus, dum Baduradus Episcopus Moguntiæ in synodo versaretur. Ac licet annus mortis à scriptoribus tam planè consignatus non sit, ad hunc tamen per indicia referre visum est, quod à morte ejus usque ad annum 897, quo Corpus ejus solemni ritu humo levatum est, anni quinquaginta effluxisse referantur, idque Arnulpho Rege, & Bisone Episcopo factum memoratur, ut jam retro legendo annos, hunc ei annum supremum vitæ fuisse opinari liceat. Fuit verò D. Menulphus, ut per omnem vitam sanctitate conspicuus in clero Paderbornensi, ita mortuus pluribus signis illustris; inter quæ illud memorabile, quòd, dum corpus mortui ad tumulum deferretur, ac funebribus sacris peractis humo integendum esset, resupinum idem corpus è feretro se erigeret, attonitis omnibus, qui aderant, ad tam insolitum spectaculum. Quos sanctus benignè affatus, ite, inquit ad Episcopum, & dicite, quæcunque à congregatione hac virginum electa fuerit Abbatissa, eam non impediat adire munus, etsi conditione ancilla fuerit; nam qua sollicitudine & labore hoc ego monasterium construxerim scitis. Quid, verò ab illis fieri oporteat, qui Pastorum in Ecclesia munus gerunt, ego exutus corpore mortali didici. Quibus dictis clausit rursum oculos, & in feretro se reposuit, humarique jussit.

Quæ fama prodigij, postquam vulgata, cœpit non modò à virginibus ejus cœnobij, sed ab incolis longè lateque confluentibus sepulcrum veneratione frequentari. Exinde ad nostram ætatem cœlestibus beneficijs ad ejus opem imploratis innumeri mortales adjuti. Nam & claudi & cœci, & paralytici, atque omni membrorum genere afflicti ad sepulcrum ejus cœlestem opem experti; quæ miracula scriptores justo satis libro sunt complexi, magnamque partem apud Laurentium Surium leguntur. Qua verò rerum mutatione Monasterium hoc sanctimonialium virginum ad Canonicos ordinis D. Augustini pervenerit, anno 1409 memorandum erit.

Annus Christi 848.

Leonis IV. Pont. 2.
Lotharij Imp. 8.
Ludovici German. Regis 8.
Baduradi Ep. Pad. 34.

Gothescalcus monachus similes Lutheri hæreses spargit.

Altero ab hinc anno rursum Rabanus Moguntinus Archiepiscopus celebrem synodum habuit adversus Gothescalcum presbyterum ac Monachum. Multa is prava hæresis dogmata profugus è monasterio Galliæ palam docebat per Ludovici Regis provincias in Germania, de prædestinatione & libero hominis arbitrio, de Christo

sto, quod nec omnes salvos fieri velit, sed eos duntaxat, qui salvantur, ideoque nec pro omnibus mortuus sit, & quæ ejusmodi referuntur ab Hincmaro & Rabano Archiepiscopis. Quin ad laxandam viam impietatis ad omnia scelera & flagitia ausus est docere nihil opera bona conferre posse ad salutem; nam si quis, inquiebat, ad vitam cœlestem destinatus, nihil mala opera, nihil omnia flagitia impedient: si quis verò æternæ morti adjudicatus est à Deo, nihil opera bona juvabunt, eò quod inevitabili Dei decreto omnes vel ad suum exitium, vel salutem ituri. Uti multis queritur Rabanus in epistolis ad Hincmarum. Verùm, ut ipse Hincmarus Archiepiscopus, ex cujus diœcesis cœnobio profugerat, ad Nicolaum Pontificem scribit, *Gothescalcus monachus, Orbacis cœnobii desertor, homo elatus animo, quietis impatiens, novorum verborum cupidus, insatiabili ambitione honoris incensus, protervus et tumultuosus, ut inani animi ostentatione, et falsa quadam novitate sui nominis famam adipisceretur, certos falsorum dogmatum articulos collegit, et per provincias, quas pervagatus, spargere cœpit.* Ad hunc pestilentem hæreticum hominem, ejusque insanas hæreses condemnandas, convenêre mense Octobri, ut Hincmarus testatur, Galliæ, Belgicæ, & aliarum Provinciarum Episcopi, Germaniæ videlicet & Saxoniæ, quos inter à Trithemio referuntur Hetto Trevirensis, Hildeboldus Coloniensis, Atfridus Hildesiensis, Haymo Halberstadiensis, Ludericus Bremensis Episcopus; quem postremum tamen jam anno 844 obijsse scribit Albertus Stadensis, cùm in superiori Moguntina Synodo in ejus loco S. Anscharius prodatur, ut non abs re dubium fecerit Browerus Trithemij recensionem: quando & alius error observatus in Trithemio, quòd hanc Synodum jussu Lotharij convocatam scribit, cui in regno Ludovici nulla constituendi potestas erat. Si Bollandum, aliosque consulas, Episcoporum nomina hæc ex ingenio suo Trithemius posuisse videri poterit. Ut cunque tamen se ista habeant, id exploratum satis, convenisse magno numero zeloque Episcopos Germaniæ & Saxoniæ, non aliter ad Godeschalcum, quàm ad Elipandum condemnandum; interque hos Baduradum Paderbornensem Episcopum virum ætate, doctrina & sapientia probatissimum adfuisse. Igitur Godeschalcus primùm in hac Moguntina Synodo Germaniæ Episcopis palam juravit, se nunquam in Germaniam & Ludovici regnum rediturum; tum Carisiaci in concilio à Galliæ Episcopis è presbyterij gradu dejectus, virgisque cæsus, atque in ergastulum est detrusus, præclaro sanè ad posteros documento, hæreses in ipso fomite extinguendas. Nec sanè aliis argumentis telisque Patres confixêre Gotdeschalci hæreses, quàm quibus nostra ætate Lutheri & Calvini, aut Jansenij errores expugnati. Quemadmodum id acta conciliorum, scriptaque cæterorum testabuntur, ut non incongruè erudito libro Godeschalcus redivivus in Gallijs sit redditus.

Francorum Annales. Rabanus Epist. ad Hinc. Hincm. in Epist. ad Laudan. Episc. Trithemius in chron. Hirsa. Concil. gene. Par. tom. 21. Concil. gen. Binij. Serrarius lib 1. Hist. Mogunt. c. 33. Baronius ad hunc annum. Bollandus in vita Rabani ad IV. febr.

In Moguntina Synodo damnatur.

Annus Christi 849 &c.

Leonis IV. Pontificis 3. &c.
Lotharij Imp. 9. &c.
Ludovici Germ. Reg. 9. &c.
Baduradi Ep. 35. &c.

Per id tempus Ludovicus Germaniæ Rex Moguntiæ procerum conventum habuit, in quo primum Lotharij & Caroli fratrum, tum Nortmannorum & Sclavorum legati auditi, jussæque gentes in fœdere conquiescere, aut fore ut arma Francorum Orientalium Saxonumque in eas converteret. Sed eò perfidi magis Bohemi. Ij superiori anno, cùm irruptionem in Germaniam tentârunt, prælio victi à Ludovico filio, & ad pacem fœdusque adacti altero pòst anno rebellant: ad quos refrenandos ulciscendosque missus à Ludovico Rege validi roboris exercitus Hernusto duce, cui multi comites & Abbates adjuncti. Horum adventu territi Bohemi pacem & obsides offerunt; quæ cùm Reges aspernarentur, mallentque hæc armis victores imperare, temerè congressi, fœda clade cæduntur, jussique sunt hosti obsides dare; quos accipere poterant.

Annales Francorum & Fuldenses.

Quieta interim Saxonia à Nortmannis cultum religionis ubique florentissimum habuit per egregios Episcopos & Sacerdotes; è quorum numero hoc anno 22 Aprilis obiisse traditur Altfridus Monasteriensis Episcopus post D. Ludgerum, & Gerfridum consanguineos Episcopos. Corpus Werthinam delatum, ibique inter ceteros consanguineos Episcopos ad caput Hildegrimi Halberstadiensis Episcopi humo intectum. Scripsit vitam D. Ludgeri eleganti stylo magnoque judicio, quam tamen imitatione virtutum multo pulchrius expressit, dignus etiam, cujus res gestæ, quod cum Gerfrido Episcopo neglectum, scriberentur. Vir enim à primis adolescentiæ annis in clero educatus, vitam exinde per innocentiæ mores, litterarum studia, cultum religionis, & docendi labores exegit; quibus meritus, ut Gerfridus Episcopus eum cœnobio werthinensi regendo præfecerit, ac suum Successorem designarit. Episcopus omnium virtutum exemplo fuit conspicuus, qualis tum aurea Episcoporum ætas per Saxoniam ferebat, Badurado etiam tam vicinitate diœcesis, quam familiaritate conjunctissimus. Cetera quæ habentur de Wilhelmo hæretico per eum ad sanam fidem reducto, & filia ejus cœlesti pane pasta, quæ exindè sine omni cibo triennium vixit, Fasti Monasterienses recensent: ita post D. Ludgerum Gerfridus & Altfridus consanguinei ex eadem nobilitate Frisiâ fuêre Episcopi, Sidera Monasteriensis Ecclesiæ, primique Conditores, quos ob san-

Fasti Monast. Cincinnius in vita Lugd. c. 52. Crantzius lib. 3. Metrop. c. 25. Wittius in chron. MS. Kersenbrok. in MS. Episcop. Monast. fastis.

Obitus Altfridi III. Monster. Episcopi.

ſanctitatem vitæ poſteritas quoque in magna veneratione habuit. Succeſſorem nactus eſt Altfridus Lubertum virum præſtantis doctrinæ & religionis.

Annus Chriſti 852.

Leonis VI. Pont. 6.
Lotharij Imp. 12.
Ludovici Reg. Germ. 12.
Baduradi Ep. Pad. 38.

Anno dehinc quinquageſimo ſecundo ſupra octingenteſimum Rabanus Moguntinus Archiepiſcopus rurſum celebrem Epiſcoporum Synodum indixit, de qua Annales Francorum. *Habita eſt*, inquiunt, *Synodus ex voluntate et praecepto ejusdem ſereniſſimi Principis*, Ludovici videlicet Germaniæ Regis, *in Civitate Moguntia Metropoli Germaniæ, præſidente Rabano venerabili ejusdem Urbis Archiepiſcopo, cum omnibus Epiſcopis, et Abbatibus Orientalis Franciæ, Bojariæ, et Saxoniæ.* Celeberrima ſynodus, ad quam tot Provinciarum Epiſcopi convenerunt; interque Saxoniæ Epiſcopos Baduradum interfuiſſe dixerim; quanquam nomina præſentium nuſquam repererim, quando ne acta quidem conſilii ſuperſunt. Cauſam convocati tanti concilij paucis Francorum Annales memorant; nempe ut quæſtiones vel in ſuperiore Moguntina ſynodo, vel hac ipſa propoſitæ Epiſcoporum judicio abſolverentur. Ludovicus enim Rex Germaniæ, in quo Caroli M. religio & bellica virtus ſpirabat, Eccleſiam poſt bella civilia optima cleri, populique diſciplina, & Rempublicam ſuis legibus juſtitiaque formatam voluit. Quam in rem ipſe quoq; per id tempus Moguntiæ diverſum ſeparatumq; Optimatum conventum habuit: *Rex enim*, addunt Francorum Annales, *cum Principibus et Præfectis provinciarum publicis cauſis litibusque componendis inſiſtens, poſtquam ſynodalia eorum decreta ſuo judicio comprobavit, et legationes Bulgarorum Sclavorumque audivit et abſolvit, Bojaariam reverſus eſt. Ubi ordinatis et diſpoſitis, quæ videbantur neceſſaria, ſine mora rediens per alveum Rheni fluminis navigio venit Coloniam. Ubi cum quibusdam ex Lotharii fratris principibus habita locutione, in Saxoniam profectus eſt, ob eorum vel maximè cauſas judicandas, qui à pravis et ſubdolis judicibus neglecti, et multimodis, ut dicunt, legis ſuæ dilationibus decepti graves patiebantur injurias. Suberant et aliæ cauſæ, quæ ipſum regem attingebant, poſſeſſiones videlicet ab avita vel paterna proprietate jure hereditario ſibi derelictæ, quas oportuit ab iniquis pervaſoribus juſta repetitione Domino ſuo reſtitui. Igitur in loco, qui appellatur Nimia, ſuper amnem, quem Cornelius Tacitus ſcriptor rerum à Romanis in eâ gente geſtarum, Viſurgim, moderni* *verò*

Annales Francorum Fuldenſ. Serrarius lib. I. Mogunt. hiſtor. c. 33. Concil. general. Pariſ. tom. 21. Baronius & alij.

Iteratur Synodus Moguntiæ à Rabano.

Et comitia habentur à Ludovico.

verò Wisuracha vocant, habito generali conventu, tam causas populi ad se perlatas justo absolvit examine, quàm ad se pertinentes possessiones Juridicorum gentis decreto recepit. Quem hîc locum Mimiam appellant Annales, cum alii Niemium oppidum in diœcesi Paderbornensi, alij Mindam, alij Remam pagum ad confluentes Warnæ & Visurgis designant, quod in Ripâ Visurgis nullibi Nimia reperiatur. Verùm qui fundationem Cœnobii Bursfeldensis ad Visurgis ripam inspexerit, (de qua nos ad an. Christi 1093. agemus) reperiet is Villam Mimende, in qua Cœnobium illud conditum sit. Igitur ut locus iste pòst Mimide, Mimida, Mimete & Mitida; ita olim Nimia & Nimida, hâc Nemide appellatus fuerit; requirendusque potius ad superiorem Visurgis ripam infra confluentes Werræ & Fuldæ in Ducatu Brunswicensi, atque ipsum celebris Bursfeldensis Cœnobii fundum. At Ludovicus, postquam in Westphalia in publicis conventibus, Caroli M. patrisque exemplo, pro tribunali jus dixerat, ipsaque etiam præfectorum judicia aut convertisset in melius, aut castigasset; per Angros, Harudos, Suabos, ut Francorum Annales perhibent, perque omnes Saxoniæ provincias & Thuringiam conventus juridicundo habuit. Ita verò Ludovicus postquam per tot Synodos Ecclesiasticas disciplinas instaurasset, duabus præterea rebus, quæ optimorum Regum sunt, fortitudine videlicet bellicâ & justitiâ, Germaniæ Saxoniæque Regnum non modò domi quietum ac florens, sed ab hostibus exteris intactum conservavit.

Annus Christi 853. &c.

Leonis IV. Pont. 7.
Lotharij Imp. 13.
Ludovici Germ. Reg. 13.
Baduradi Ep. Pad. 39.

Nortmanni Galliam populati mutuis armis conciduntur. *Ann. Francorum. Regino.*

Hoc anno Christi 853, Nortmanni infestissimi Christianorum hostes arma convertêre in Franciam occidentalem ac Caroli Calvi Regnum, & classe per mare invectâ in Ligerim, urbes Nanetem, Andegavos, Turones occupârunt, & celeberrimam D. Martini Basilicam flammis absumpserunt, tam latè exinde quam impunè prædiis, incendiis, & cædibus grassando. Frisiam verò non sunt ausi attingere, quod eam Roricus Haraldi Danorum Regis frater, religione Christianus, acriter terra marique tueretur, & classe pyratica ipsos etiam Danos infestaret, prohiberetque à Saxonum & Frisonum finibus: dum haud multò pòst Nortmannorum Regnum bello civili scissum, revocatisque ex Gallia Nortmannis, *Ericus & Gutorinus internecino gentis prælio decertant, unico tantummodo pue-

* al. Horich & Guduyn.

puero regiæ stirpis superstite. Vidisses tam barbaram gentem, quæ per 20 annos miserè Galliam, Angliam & Frisiam vastârat, Saxoniamque afflixerat, suis se armis confecisse.

Interim Ludovicus Germaniæ Rex, inter cetera munificentiæ & disciplinæ sacræ procurandæ argumenta, insigni diplomate Corbeienses decoravit, eaque, quæ à Ludovico patre Imp. Corbejensi & Herivordiensi monasterio donata erant, rogatu Warini Abbatis, confirmavit. Id diploma licet à Cleinsorgio germanico idiomate vulgatum sit, multique ejus meminerint; nemo tamen hactenus ex latino autographo, quod ad fidem integram poscebatur, publici juris fecit. Quare uti cum Ferdinando Episcopo è tabulario Herivordiensium communicatum est, ita hîc integrum reddimus.

Ludovicus confirmat donationes factas Corbejensibus & Herivordiensibus.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. HLudovicus divina favente gratia Rex. Si petitiones Servorum Dei justas et rationabiles ad effectum perduxerimus, et ad humanam vitam feliciter transigendam, et perpetuam felicius promerendam, procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus quomodo Venerabilis Abbas Warinus adiit Excellentiam nostram suppliciter orans, ut nostra munificentia prospiceremus monasteriis illi commissis, quorum unum est monachorum nova Corbeia nominatum, ubi et ille primum regulari electione Abbas extitit, et alterum est Sanctimonialium Herifordi dictum, et propriæ Abbatissæ, cujus nomen Addila, subjectum, sed juxta consuetudinem, quod ancillarum Dei congregationibus procurari solent præpositi ex Ecclesiastico ordine, jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in disciplina Abbatissam juvare, quam in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Is ergo petiit Celsitudinem nostram recordari, quod pia memoria genitor noster HLudovicus Imperator ambo hæc monasteria exstrui jussit, ad normam videlicet præcipuorum in Gallia monasteriorum, Novam utique Corbeiam ad similitudinem antiquæ Corbeiæ, Herifordense verò cœnobium ad exemplum monasterii Sanctimonialium in Suessionis Civitate existentium, et ut in elemosinam suam hac totius generis sui institutionem earundem perfectio expleretur, cellam juris sui, quæ vocatur Meppia, cum decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus, et ecclesiam Eresburg, quam avus noster Carolus primo exstruens in Saxonia decimis dotavit, circumquaque habitantium per duas Saxonicas rastas præfatus noster genitor ad novam Corbeiam tradidit, ad herfordiensis autem monasterii adjumentum dedit, in episcopatu quidem Osnabrugensi ecclesiam bugimthi cum subjectis sibi ecclesiis, in parochia vero mimigerfordensi ecclesiam hreni cum his, quæ ad eam pertinent, ecclesiis. Ita sane ut decimarum aliorumque redituum proventiones præfatis cederent monasteriis, et ab ipsis vicissim procurentur subjectæ plebes in baptismate, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda. Et presbyteri, qui principales

cipales ex his ecclesias tenerent, archipresbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quæ solent fieri ab Archipresbyteris Episcoporum. Cum autem ipsi Episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionaticadaretur, quod in capitularibus antecessorum nostrorum præscriptum habetur. Nos igitur rata esse volentes cetera omnia, tantum expensas ad ministerium episcopi propter ægritudinem et senectutem ei, qua nunc est gozberti augere debemus. Id iuxta petitionem sæpe dicti Abbatis Warini ita moderari placuit, ut descripto, quantum satis sit ad servitium episcopi, hoc nullo modo subtrahatur, et episcopus vicissim ampliora non requirat, nec cum pluribus veniat, quam ut eis sufficere possint. In quibus satis esse consensit præfatus Episcopus coram nobis, et archiepiscopo nostro HRabano ceterisque cum eo in synodo agentibus. Item ut dentur ad singulas Ecclesias porci quatuor valentes singuli denariis duodecim, et octo arietes, qui eadem pene summa, quod quatuor porci æstimarentur, tres porcelli, quatuor aucæ, octo pulli, viginti situlæ de medone, XX de mellita cerevisia, XL de non mellita, CXX panes, C. modii de avena, manipuli DCti, sitque in potestate Episcopi utrum hæc per singulas Ecclesias ad unam mansionaticam, an ad duas velit habere. Ne autem in summa debiti his plus aut minus complectatur, hoc auctoritatis nostræ præcepto cum consensu sinodali decernimus atque jubemus. His etiam adjungere placuit liberam utrique loco concessionem eligendæ de propria congregatione in regimen suis per futura semper tempora congruæ personæ. Et ut omnis hinc dubietas tollatur, manu propria hæc roborantes annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum [monogram] *HLudovici Serenissimi Regis.*

Hadelbertus Subdiaconus ad vicem Baldrici abbatis recognovi, Data XI Calend. Junii Anno Xmo regni gloriosissimi Regis hludovici in orientali Francia regnantis Indict. I. Actum in palatio regio Franconofordt in Dei nomine feliciter Amen.

Qui in hoc diplomate annus regni orientalis Franciæ adscribitur, is ab anno 844 ducitur, quo ex divisione regnorum inter fratres Virduni facta regnum suum confirmatius adiit, secus quàm in aliis passim diplomatibus, in quibus exordia regni Ludovici ab anno 840 ducuntur, quo Ludovicus ipse sibi regnum Franciæ Orientale vendicavit. Herivordiense quoque Sanctimonialium virginum monasterium Warino Abbati commendatur, quantum ad disciplinam sacram attinet, quamvis locus intra jurisdictionem sacram Episcopi Paderbornensis assertus, & hæc ipsa administratio ad Ecclesiastici ordinis præpositos, ut Ludovicus agnoscit, spectaret. Sed hoc

hoc datum Warino Abbati, dissimulante Badurado Episcopo. Legas quoque in hoc diplomate Gosbertum Osnabrugensem Episcopum successorem Goswini debilitate & senio prægravem, cui tamen Ertwinus in Chronico suo Goswinum antecessorem ad annum 866 superstitem scribit, sive jam ille exauctoratus vixerit hactenus Fuldæ inter monachos, sive jam ante etiam extinctus fuerit. Quærit Cleinsorgius cur inter annonam, & portiones Episcopi visitantis Ecclesias nulla vini portio assignata, cùm cetera tam large præbeantur; nec aliam causam reperit, quàm quòd vini usus tum nondum per Saxoniam invaluerit. Ceterum annales Francorum hoc anno duorum Episcoporum Saxonicorum obitum tradunt, Hemmonis seu Haymonis Halberstadiensis Episcopi v Calend. Aprilis extincti, cui Hildegrimus junior subrogatus; tum Hartuardi Mindensis Episcopi XIII Calend. Octob. sublati, cui Theodoricus successit. Viri omnes integritate vitæ & Apostolica virtute commendati. Memorabile, quod de Ruthardo monacho, Rabani & Strabi auditore, scribit Meginfridus in Chron. Fuldensi, cui cum post obitum Haymonis Episcopi Ludovicus Germaniæ Rex ob præclaram doctrinam & virtutum famam Episcopatum Halberstadiensem obtulisset, ut videlicet Haymoni monacho succederet & ipse monachus, liberè respondit, da Episcopatum alteri, qui idoneus sit, ego religiosæ vitæ quietem, & studium scripturarum omnibus mundi honoribus antefero; digna sapiente vox.

Obitus Episc. Haymonis Halberst. & Hartuardi Mindens.

Ruthardus Monasticam vitam præfert Episcopatui Halberstadiensi.

Annus Christi 855.

Benedicti III. Pont. 1.
Lothariji Imp. 15.
Ludovici Germ. Regis. 15.
Baduradi Ep. Pad. 41.

Subinde Lotharius Imperator tædio rerum humanarum ultro se exuit imperio, & in Prumiense monasterium secedens, è manibus Egilonis Abbatis sacrum religionis habitum sumpsit; positaque capitis coma, in Monachum attonsus est, abdicato principatu nobilior, quàm administrato. Paterna hereditas in tres filios divisa; Imperium cum Italia penes Ludovicum natu maximum mansit. Carolo cum parte provinciæ Burgundia: Lothario denique Lotharingia; vetus videlicet Austrasia cessit, unaque Frisia hactenus Austrasiæ Regno inclusa. Ægre tulêre Principes & Optimates imperium cum Ludovico in Italiam transferri; eò Lotharium Francofurtum deduxere ad Ludovicum Germaniæ Regem, sollicitantes, liceret sibi ejus consensu Lotharium Imperatorem deligere. At Ludovicus Rex cum ex eo novum civilium bellorum fomitem vereretur, & pacem bello ante haberet, abnuit; quanquam & Lotharius nuptijs adulterinis cum Walrada pollutus, nihil Imperatore dignum ostenderit.

Lotharius Imperium cum Monastica vita commutat.

Annales Francor. Regino. Ado.

T Dignior

Ludovicus nova donatione auget Corbeiensium res.

Dignior Imperio ipse Ludovicus Germaniæ Rex, qui per id tempus bella gerebat adversus Sclavos & Bohemos, unusque sustinebat majorum gloriam, nec minus erat religione in Deum, munificentiaque in Ecclesiam illustris. Ex quo fonte liberalitatis nova rursum Corbeiensibus facta donatio, quam hîc adscribimus.

*In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis HLudovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis à Deo nobis conlatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam et futurorum sagacitati, quia petente atq; suggerente Warino venerabili Abbate, qui monasterium, quod dicitur nova Corbeia, nostra concessione in regimine habere dinoscitur, quod piæ memoriæ genitor noster construi jussit in honorem Dei, et sancti protomartyris Stephani, ubi et S. Viti Martyris pretiosa pignora servari noscuntur, complacuit Celsitudini nostræ quandam cellulam juris nostri vocatam Fischbæki, quæ est constructa in pago Leri, memorato monasterio adjungere, atque per hanc nostram auctoritatem ei tradere, ut perpetuò sub ejus ditione, cum omnibus ad se pertinentibus et aspicientibus consistat. Hanc ut diximus cellulam sub integritate, cum omnibus rebus, appendiciis et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus, id est, Basilicis, domibus, cæterisque ædificiis Decimis, silvis, campis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus, et immobilibus, mancipiis diversi sexus et ætatis memorato monasterio subditam esse facimus, atq; per hanc nostram auctoritatem ita condonamus atque tradimus, ut in jure ejusdem, ac Monachorum inibi per tempora Deo deservientium in diversis necessitatibus ad divinum cultum propensius exequendum absq; cujuslibet diminoratione, aut retractione permaneat. Et nullus fidelium nostrorum ab eorum dominatione vel potestate eam quoquo modo auferre, aut in aliam quamlibet partem quacunque occasione transferre præsumat; neque ullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ Cellulæ, quas præsenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis habet, ac deinceps ibidem conlatæ fuerint, ad causas judiciario more audiendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius cellulæ, tam ingenuos, quàm et * Latos distringendos, aut ullas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Abbati sub immunitatis nostræ auctoritate successoribusque ejus, et Monachis in memorato monasterio per tempora degentibus, jam dictam cellam cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, ad Dei et Domini nostri J E S U Christi famulatum diligentius peragendum absque cujusquam contrarietate uti, et quæcunque ad suos in Domini nostri J E S U Christi militia usus et necessitates pertinent, ordinare, disponere, justeque efficere. Quatenus pro pii genitoris nostri animæ salvatione, et pro Nobis et conjuge proleq; nostra, et pace nostra ac stabilitate*

* Lutos, sive Litos Luidos.

litate

stitute totius imperii à Deo nobis commissi alacrius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Hanc quoque commonitionem subjungere curavimus, ut præfatus Abbas, ejusque per tempora Successores provideant de præfata cellula, ne aliquando negligatur in divino cultu, neque cuilibet personæ in beneficium tribuatur, sed potius procuretur, ut ibi in perpetuum Dei cultus perseveret, et ad præfati monasterii monachorumque ibidem Deo servientium usus et necessitates perpetuum prospiciat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLVDOVICVS *HLudovici Serenissimi Regis.*



Hadebertus Subdiaconus ad vicem Baldrici Abbatis recognovi. Data XIII Calend. Aprilis. Anno XXIII Serenissimi Regis HLudovici in Orientali Francia regnantis. Indictio. III. Actum in Villa Lipilingas in Dei nomine feliciter Amen.

...ntegrum diploma, nisi quòd in anno regni Orientalis error intervenerit ex scriptorum vitio, nam quòd Cleinsorgius retulit, annum Ludovici Regis XII exhibet, id verò, quod ex Corbeiensibus tabularijs accepimus, annum Ludovici Regis XXIII præfert; ex Indictione tamen tertiâ in Corbeiensi ad scriptâ, ad hunc annum referre visum, qui Regni Orientalis Franciæ passim XV notatur.

Annus Christi 856.

Benedicti III. Pont. 2.
Ludovici II Imp. 1.
Ludovici Germ. Reg. 16.
Baduradi Ep. Pad. 42.

Quoquo tandem anno, quod modò adduximus, diploma datum sit; certè Corbeia ad Visurgim sub Warino Abbate per hoc tempus florentissima fuit, quæ præter tot apostolicos Viros, Anscharium Hamburgensem, & Bremensem Archiepiscopum, Altfridum anno 845 Hildesiensem Episcopum, & hoc etiam anno, nisi Leznerus nos fallat, Carolum, Pipini Aquitaniæ Regis filium, Moguntinum Antistitem submisit, qui Rabano ejusdem Sedis Archiepiscopo, die IV Februarij è vivis sublato, succederet.

Obitus Warini Corbej. Abbatis. *Chron. Corb. Meib. Chron. Corbej. Memb. vet.*

Demum & ipse Warinus, primus Corbeiensium Abbas, alterque post Adelhardum conditor, postquam triginta annis & quatuor mensibus monasterium administrasset, VI Cal. Octob. ad immortalem vitam transijt. Vir ex illustri Francorum comitum familiâ ortus, doctrinâ, sapientiâ, disciplinâ monasticâ, fervore religionis, & vitæ integritate inter sanctissimos ejus sæculi Præsides numerandus; quibus cùm sibi Ludovicum Pium Imperatorem, Ludovicum Regem Germaniæ, ceterosque regios fratres intimè demereret, Corbeiam horum donationibus bonisque ita auxit, ut ex inope cœnobio Episcopi patrimonium reliquerit.

Annal. Franc. Fuld.

Non cessabant inter hæc à vastationibus finitimi superioris Germaniæ populi. Quare Ludovicus, collecto Augusto mense exercitu, in hostes movet; adjunctisque sibi Soraborum Ducibus, dum per eorum terras iter facit, Dalmatas aggreditur; quos & felici successu superat, & post acceptos ab eis obsides, ad tributa deinceps pendenda cogit. Inde Bohemorum Regnum transit, eodemque prospero eventu, præter complures ad obsequium adactos, nonnullos ex illorum ducibus in deditionem accipit. Nec tamen adeo fortunatæ hæ Ludovici expeditiones fuêre; ut non plures quà Comites, quà inferioris sortis milites sint desiderati, de quibus pluribus Annales Francorum ad hosce annos.

Annus Christi 857.

Benedicti III. Pont. 3.
Ludovici II Imp. 2.
Ludovici Germ. Reg. 17.
Baduradi Ep. Pad. 43.

Exin Carolus Moguntinus Archiepiscopus, Rabani successor, altero statim auspicati muneris anno, in Octobri frequentem Episcoporum Synodum habuit, in qua præter Alfridum Hildesiensem Episcopum, qui præsentes fuerint, nihil ex annalium memoria accepimus; ut nec de Baduradi accessu quidquam certi asserere liceat. Multa in ea synodo ventilata sunt de jure & libertate Ecclesiæ. Allata quoque à Gunthario Coloniensium Antistite epistola ad Alfridum scripta, lectaque coram; qua referebatur ingens & terribilis tempestas, quæ XVII Calend. Octobr. Coloniensem urbem concusserit, populo ob horrorem ad Basilicam confugiente, tanquam istic tutior futurus esset; cum repentè fulmen ignei Draconis instar illapsum in Basilicam, tectum & fornices scidit, unoque ictu tres homines,

mines, presbyterum juxta S. Petri, Diaconum ad altare S. Dionysii, & civem ad altare B. Virginis prostravit; sex præterea exanimes elati. Crebra super hæc prodigia memorantur in Francorum Annalibus.

Annus Christi 858. &c.

Nicolai Pont. I. &c.
Ludovici II. Imp. 3. &c.
Ludovici Germ. Reg. 18. &c.
Baduradi Ep. Pad. 44. &c.

Annales Francor. Ludovicus quadruplici exercitu hostes domat.

Prosperè interim pugnabat Ludovicus Rex Germaniæ adversus Sclavos, Moravos, Bohemos, Dalmatas; cœptumque antea bellum multò acrius hoc anno resumptum & quadruplici exercitu itum in hostes: Barbarique hi vel ad pacem, vel ad obsequium redacti. Ad singulos populos cohibendos præfecti limitum, quos Marchiones dicimus, impositi. Carolomannus filius in Carinthia Pannonicos limites custodire jussus; Ludovicus filius trans Albim adversus Abotritos cum exercitu missus, gentem illam rebellantem compressit; quo ex bello dum victor redijt, divertitque ad Ludolphum Saxoniæ Ducem, filiam ejus Ludgardam solemni pompa sibi in matrimonium jungit. Ipse Rex in Germania mansit, pacis studiis cum Carolo fratre Galliæ, & Lothario nepote Lotharingiæ Rege intentus. Quam in rem festis paschalibus Francofurti celebratis, Confluentiam descendit, quò cùm Lotharius ad colloquium non veniret, mense Junio Francofurtum redijt.

Bremensis & Hamburgensis Episcopatus Conjunctio Pontificis autoritate stabilitur. *Adamus Bremen. Baronius. Vita Anscharii c. 20.*

Hoc demum anno Nicolaus Pontifex pro summa auctoritate Bremensem Episcopatum Hamburgensi conjunxit, id quod toties hactenus agitatum, obnitente Coloniensi Archiepiscopo; simulque S. Anscharius, ac Successores Bremenses Archiepiscopi, & Legati Apostolici per Regna Danorum, Sueonum, & Sclavorum nominati, urgente id demum Ludovico Germaniæ Rege ob necessitates Septentrionalium Regionum, & spem magno fructu dilatandi Evangelij, quodque longius abessent Colonienses Archiepiscopi, quàm ut oculos & curas in hoc opus intendere possent. Et quò nunc Regna hæc per hæresin reciderunt, quæ tanto Ludovici pij Imperatoris, Ludovici Germaniæ Regis, Anscharij Archiepiscopi, & tot Apostolicorum virorum labore parta sunt?

Sub id tempus Baduradus Episcopus Francofurtum ad Ludovicum Germaniæ Regem, Procerumque conventum inter Regni primores, & Consiliarios evocatus accessit: ibi cùm publici boni causâ versatur, simul diœcesis suæ causas egit; & quia jam senio ur-

gebatur

gebatur, ex quadragesimo tertio Episcopatus anno, sollicitus cumprimis fuit de privilegijs sui Episcopatus, quæ partim à Carolo M. partim à Ludovico Imperatore data erant, à Ludovico quoque Germaniæ Rege confirmandis; atque id cùm Regi exponeret, magnificum sanè confirmationis diploma hic dedit, permotus cumprimis ut ipse Rex fatetur, reverentia Episcopi, quem à Carolo M. avo suo inter obsides primùm acceptum, enutritumque in Christiana fide, ac deinde à patre Ludovico Imperatore Episcopatui impositum, fidum sibi haud minus, quàm Patri noverat: diploma à Ferdinando Episcopo primum erutum è latebris sic habet.

Ludovicus Rex, petente Badurado, privilegia Ecclesiæ Paderborn. confirmat.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere loca Deo dicata, et necessitates Ecclesiasticas per petitiones Pontificum atque Sacerdotum nostro relevamus munimine atque tuemur juvamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque tam præsentium quam futurorum qualiter venerabilis Episcopus, fidelisque noster Batheradus nomine veniens in procerum nostrorum præsentiam obtulit obtutibus nostris præceptum Domini ac genitoris nostri Ludovvici Serenissimi Imperatoris, quod ipse facere jussit per petitionem præfati venerabilis Episcopi ad locum, qui vocatur Paderbrunno, constructum in honore sanctæ Mariæ semper Virginis et sancti Kiliani, in quo præcepto continebatur immunitas atque defensio seu tuitio domini Imperatoris genitoris nostri supra prædictum locum, sed pro integra firmitate ac securitatis studio præfatus venerabilis Episcopus Bateradus deprecatus est mansuetudinem nostram, ut ipsam defensionem atque tuitionem per nostræ mansuetudinis præceptum renovare dignaremur, cujus petitioni ob amorem Domini mei J E S V Christi et reverentiam prænominati venerabilis Episcopi seu animæ nostræ remedium libenti animo assensum præbentes tale auctoritatis præceptum ad ipsum sanctum locum fieri decrevimus, quatenus sub quali defensione domini genitoris nostri fuit, ita deinceps sub nostra tuitione et immunitatis defensione cum omnibus ad se juste et legaliter pertinentibus permaneat. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri ad causas judiciario modo audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea omnia quæ supra numerata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus

bus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus, quæ possidet, quieto ordine possidere et nostro fideliter parere imperio: quidquid verò fiscus exinde sperare potuerit, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus, quatinus melius delectet Clericos in eadem sede degentes pro nobis Conjuge prôleque nostra Domini misericordiam exorare. Hæc quippè auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris verius credatur et diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus et annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum [monogram] *Domni Ludovvici Serenissimi Regis.*

Walto Subdiaconus ad vicem Witgarii Cancellarii recognovi. Data XI Calend. Junii. anno Christo propitio XVIIII regni Ludovvici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis Indict. VI. Actum Franconofurdt palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

Ex hisce tabulis Ludovici Germaniæ Regis, ut cetera prætermittam, planè conficitur, Baduradum adhuc anno 858 superstitem fuisse; errorisq; convincuntur Bruschius, Kersenbrochius, Cleinsorgius, ceteri omnes, qui Baduradum anno 852 obiisse scribunt. Vixit exinde Baduradus in sequentem annum 859, quo in Septembri excessit è vita; successitque Luthardus, qui cùm per XXVI annos referatur præfuisse ab Auctore vitæ Meinwerci, Gobelino, alijsque, à cujus statim obitu, cùm Biso Luthardi Successor corpus Baduradi elevârit, anno videlicet à morte Baduradi XXVII, ut in vita Menulphi scribit Sigewardus, conficitur hic annus mortis Baduradi. Vixitque in Episcopatu annos 45; secus quàm Auctor vitæ Meinwerci, & Gobelinus ad annum 48 extrahunt. Sed unde hic error illis obrepserit, exposuimus in Hathumaro. Certior dies mortis, XV Calendas Octob. consignatus in necrologio Herisiensi & Abdinghoviano.


Baduradi Ep. Pad. obitus & encomium.

Quoquo tandem post hæc anno obijsse dixerimus Baduradum; dignus certè omnium annalium & posterorum memoria Episcopus fuit. Inter primos ille delibatos Saxoniæ christianæ flores, è nobilitate obses à Carolo acceptus, excultusque in clero, ac secundus post Hathumarum Paderbornensis Episcopus, diœcesin ab Idolorum cultu integrè purgatam formatamque in christiana religione reliquit. Ab eo templa ubique & sacræ ædes exstructæ, inter-

interque prima hæc opera Basilica Paderbornensis Ecclesiæ perfecta est, & XIV Calend. Novemb. solemni ritu dedicata; collegium Canonicorum tam cleri disciplina, & numero, quàm Gymnasio studiorum & patrimonij sacri bonis florentissimum habuit. In quam rem plurimum contulit auctoritas, quâ pollebat apud Ludovicum Pium Imperatorem, cui ille non modo consilijs, sed & legationibus inter civilia filiorum bella, ut diximus, fidus adstitit; eratque tum illo inter Saxoniæ Episcopos, vix aliquis aut sapientia præstantior, aut gratia apud Ludovicum potentior. Eâdem post auctoritate valuit apud Lotharium Imper. & Ludovicum Germaniæ Regem, magno dioecesis bono & patrocinio; ut qui ita publicis sese palatinis negotijs permitteret, ut dioecesis, cleri, populique disciplinam ante omnia haberet. Illo Episcopo dioecesis tribus monasterijs decorata, Corbeiensi, Herivordiensi, & Budecensi; utque Divorum etiam patrocinijs eandem præmuniret, D. Liborij, & Landelini corpora ex Gallia in eam intulit. Multis præterea rebus præclarè ad senium gestis memorandus foret, si tum Scriptorem suum nactus fuisset: hæc ex Francorum annalibus, alijsque petenda fuerunt. Pulcherrima omnium ornamenta fuêre, vitæ integritas, indefessus labor, modestia, zelus christianæ religionis, liberalitas in egenos, caritas in omnes, quibus eâ sanctimoniæ famâ vivus illuxit, quam ab obitu comprobavit. Nam cùm post annos XXVII Biso Episcopus ejus tumulum aperiret, quibus corpus ejus indutum involutumque erat, adeo integræ sunt vestes repertæ, ut ne fimbria quidem putredinis notam contraxerit: quod scriptor vitæ D. Menulphi ejus sanctitati adscripsit. Sepultus autem erat in Basilica Paderbornensi, quam ipse absolverat, in qua multò post honorificentius ossa ejus ab Imado Episcopo cum ceteris elevata diximus.

Brovverus in fid. illus. vita D. Menulph.

ANNA-



ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER III.

B. LUTHARDUS III,
BISO IV,
THEODORICUS V,
UNWANUS VI,

EPISC. PADERBORN.

B. LUTHARDUS III9 EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 860. &c.

Nicolai Pont. 3.
Ludovici II Imp. 5. &c.
Ludovici German. Regis 20. &c.
Luthardi Ep. Pad. 1. &c.

Luthard9 ex nobili Saxone tertius Paderb. Episcopus.



Ublato è vita mortalium Badurado successit Luthardus Episcopus. Nomen scriptores aliquantulum variant: ab alijs enim Lindevard9, alijs Linewardus; in diplomatis Imperatorum passim Liuthardus, & Luitharius scribitur, tanquam in Lotharij nomen, quod multis cum Lothario Imperatore ac Rege commune erat, conveniret. Utrumnè à Ludovico Germaniæ Rege nominatus impositusque, an à clero Paderbornensi sit electus, inter incerta reliquit vetustas. Liberam quidem eligendi potestatem Luthardo dedit Carolus Crassus Imperator, uti postea referemus; sed & antè Carolus M. aut certè Ludovicus pius eandem libertatem dedit Clero; quemadmodum hac super re certa lex extat in libris Capitularium. Et jam Hathumarus ac Baduradus ita Collegium Sacerdotum Paderbornæ formarat, ut & idoneis ad Episcopatum viris abundaret, & numero etiam certare posset; neque aliunde petere necesse esset, maximè cùm multi per Saxoniam nobilium & dynastarum filij sese in hæc collegia sacerdotum offerrent, qui & optima in clero disciplina imbuti, & omni scientiarum doctrina exculti, & publicis etiam munijs exerciti, clarisq; dignitatum gradibus eminebant inter suos. Quo ex numero ipse Luthardus erat; nam genus illi ex illustri nobilitate Saxoniæ, quippe qui sororem habuit Walburgem primam Herisiensium Abbatissam, quacum, collatis in unum patrimonij bonis, sacrarum illud virginum monasterium condidit. Vixit in clero cum D. Menulpho ceterisque præstantibus viris in eodem Canonicorum cætu & claustro Collegij.

Magna

Magna simul sub id tempus per Westphaliam æmulatio religionis inter nobiles & antistites in fundandis Sanctimonialium monasterijs; accessit enim post Herivordiense & Bodecense, Collegium Freckenhorstense, conditum dotatumque ab Ewerwodo primæ & opulentæ nobilitatis viro in Episcopatu Monasteriensi haud procul Warendorpio atq; Amisi fluvio, pium hoc conditoris opus magnopere approbante Luberto Episcopo. Postquam Locus in formam monasterij apparatus provisusque fuit, in eoque Thiathildem adoptivam filiam primam Abbatissam conspexit cum florescente virginum cœtu, Ewerwodus abdicata omnium bonorum possessione Fuldam in cœnobium concessit. Geva uxor subinde se in eundem virginum cætum dedit, in quo sanctissimam cum nepte vitam clausit. Utraq; tumulis à posteritate honorata hodiedum visitur habitu Canonicarum Virginum spectabilis; Thiatildis etiam, cujus ossa Christophorus Bernardus Episcopus nostra memoria solemni ritu extulit, Divorum numero adscripta, eoque Bollandus, à quo singula hæc exactè perscripta sunt, suis Sanctorum operibus inclusit.

Fundatur Monasterium Freckenhorstense.

MS. Colleg. Frecken. Bollandus et Gamansius in Thiatild.

Alterum per id tempus monasterium Hersenbrocense à Walburge nobili matrona & filia ejus Duda ex paternis bonis constructum dotatumque post obitum Eccardi nobilissimi per Westphaliam viri. Collecto virginum cætu mater & filia idem sacræ vitæ institutum amplexæ sunt. Locum, ut donationum tabulæ præferunt, Egiberto Osnabrugensium Episcopo subjecerunt. Uterque Episcopus, Lubertus Mimigarnefordensis & Egibertus Osnabrugensis, æqualis tempore mox ex concilio Wormatiensi & Herisiensium Virginum tabulis producetur.

Et Hersenbrocense.

Ad hanc nobilium pietatem & munificentiam accessit ipse Ludovicus Germaniæ Rex, & illustre collegium Canonicorum condidit Tremoniæ, templumque à se magnificè constructum dedicavit Pantaleoni Martyri; id quod D. Anno Coloniensis Archiepiscopus ob bellorum injurias posteà Coloniam transtulit. Ædem præterea sacram in suburbio Tremoniæ erexit D. Benedicto, certus istic monasterium ejusdem Divi familiæ condere, ni iniquiora tempora consilium præpedijssent. At nihil illustrius hoc anno, quàm translatio D. Pusinnæ Virginis ex Gallia in Westphaliam & Herivordiense Collegium diœcesis nostræ, quàm & Deus multis miraculorum signis testatam fecit. Administrabat per id tempus celebre Herivordiense Collegium illustrium Sanctimonialium Virginum Hadwigis regij sanguinis Antistes, quæ cùm videret Paderbornam D. Liborij, & Corbeiam S. Viti corpore ex Gallijs in Saxoniam transvecto illustrari, tantoque Divorum patrocinio præmuniri; misso ad Carolum Calvum Franciæ Regem presbytero, ac fratre suo, petijt à consanguineo Rege corpus D. Pusinnæ Virginis; idque Regis gratia, incolis licet

Et Canonicorum collegium Tremoniæ.

Cleinsorg. in chron. Chron. & fasti Tremon. apud Dith. & Westhus.

Acta transl. S. Pusinnæ ex Herivord tabulario, & MS.

Translatio S. Pusinnæ ex Gallijs Herivordiam.

 mul-

multum reluctantibus, impetravit; quod mox solemni ritu & honorifico comitatu in Westphaliam transportatum est. Nec defuere cœlestium beneficiorum signa, incolis ad sacri pignoris transvectionem confluentibus; quos inter famulus Luberti Mimigardefordiensis Episcopi, cùm ad sacra lipsana venerabundus accederet, ope Virginis, qui ante cœcus, surdus, & claudus erat, repente omnium sensuum membrorumque integritati redditus est; quemadmodum hæc Henricus de Hervordia ordinis S. Dominici celebris olim scriptor retulit. Multa hujusmodi patrata, quæ aut temporum injuria, aut hominum incuria subtraxit. Ipsos virginis natales vitamque paucis hîc referre interest.

D. Pusinnæ natales & educatio.

Vixit D. Pusinna seculo Christi quinto, cum Barbari per Gallias grassarentur, & Alpinus Episcopus Catalaunensem Ecclesiam administraret, in Perticensi ejusdem diœcesis pago. Pater Virginis Sigmarus nobilis Francus, cui conjux erat Luttrudis paris nobilitatis atq; opum fœmina, ex qua septem filias hoc ordine suscepit, Jmmam, Othildem, Luttrudem, Pusinnam, Franculam, Liberam & Magenkildem. Filias hasce parentes, quâ insigni erant in Deum religione, à primis statim annis domi in omni pietatis cultu formârunt per Eugenium quendam Presbyterum, virum ea tempestate Sanctissimum; ac nihil magis teneris earum animis inspirârunt, quàm amare Deum, castitatem diligere, & per contemptionem rerum humanarum se domi tanquam in claustro aliquo continere. Una ergo omnium occupatio erat precibus, lectioni, meditationiq; rerum cœlestium vacare: quod reliquum erat temporis puellari manuum opere tractare. Quæ ubi ad maturiorem ætatem pervenêre, uno omnes divino spiritu afflatæ votum perpetuæ castitatis animis concipiunt. Id cùm parentibus exponerent, læti illi magnoperè institutum vitæ commendant laudantque; ac ne inconsultè id agerent, Alpino Catalaunensium Episcopo, dum pro more diœcesin docendo & Sacramentum confirmationis impertiendo obit, septem simul filias offerunt; quas ille, cognita earum voluntate & constantia, post emissum castitatis votum Deo consecravit. Indè in paternam domum regressas pater tanquam in Collegio Virginum habuit, ac moriens pôst hereditatem, quam habebat amplissimam, inter filias singulas ex æquo divisit. Castissimam exinde singulæ, ab omni vanitatis consortio disclusæ, sanctissimamq; vitam egêre; quas inter sanctitate conspectior Pusinna quarto genita: quemadmodum id ex omnium virtutum operibus, quas multis Auctor vitæ perscribit, constare poterit. Eò etiam miraculis post obitum ad sepulchrum ejus patratis inclarescere cœpit, novum devotarum Virginum sidus tanto illustrius, quanto etiam extra claustra monialium difficilius fuit mundi delicias non delibare. Quæ cùm probè sciret Hadwigis, vitamque Pusinnæ intelligeret quam maximè accom-

D. Pusinnacum reliquis sororibus Virginitatem Deo vovet, & in domo Paterna Sanctè vivit.

D. Hadwigis Abbatiss. Herivord. Sanctitas & translatio.

modam

modum imitationi & instituto Sanctimonialium Virginum, corpus ejus incenso desiderio efflagitavit; ad cujus exemplar se ipsam postea sanctitate conspicuam superaddidit; nimirum quæ ab obitu inter Divos à suis culta fuit. Cujus etiam ossa Divorum ritu excepta tumulo, & venerationi proposita fuere ad annum usque 1531, quo Hervordiæ hæresis Lutherana tumultuari, & sacra omnia profanare cœpit. Qua in perturbatione nobilis Catholica matrona D. Hadwigis ossa collegit, & postmodum Collegio Monasteriensi Patrum Societatis Jesu dono obtulit ubi in hunc diem asservantur coluntur que. Longe hæc diversa Hadwigis ab Hadwige Poloniæ ducissa, quæ anno demum 1243 obijt, & Cracoviæ ob vitæ sanctimoniam colitur. Ceterum non facilè locum sacrum reperias in Saxonia, in quem plura Sanctorum pignora cumulavit Regum liberalitas ac pietas, quàm Herivordiense Collegium Virginum, quorum multa in hunc diem asservantur etiam sub disparis religionis potestate; ut hæc coram monstrata Ferdinando Episcopo; ex quo thesauro illi dono Elisabethæ palatinæ Antistitis oblatum brachium D. Ambrosij M. & Cunigundæ Imperatricis ac Virginis, quod utrumque avitæ venerationi ab Episcopo redditum est.

Annus Christi 862, 63.

Nicolai Pont. 5. 6.
Ludovici II. Imp. 7. 8.
Ludovici Germ. Reg. 22. 23.
Luthardi Ep. Pad. 3. 4.

At quanta Ludovici Germaniæ Saxoniæque Regis pietate ac studio augebatur religio & Virginum decus, tam pravo fœdoque exemplo Lotharius Rex, repudiatâ Theutbergâ conjuge, Waldradam inconcesso sibi toro conjunxit. Hæc quia Guntharij Coloniensis Archiepiscopi soror, vel, ut alij verisimilius, neptis, Archiepiscopus in partes malæ causæ attractus à Rege. Is deinde Thietgaudum Trevirensem Archiepiscopum, virum leviter eruditum, ignarumque Sacrorum canonum circumvenit, & dissolvendi matrimonij patronum sibi adjunxit. Ab his Episcopi Regni Lotharingici primùm Aquisgranum, dein Metas convocati, Adventius Metensis, Atto Verdunensis, Arnulphus Tullensis, Franco Leodiensis, Hungarius Trajectensis, *Ratbodus Argentoratensis. Horum pravo corruptoque judicio Teutberga conjugio Regis soluta pronuntiatur; factaque est Regi Lothario potestas ducendi Waldradam. Quæ postquam delata sunt ad Nicolaum Pontificem, cognomento Magnum ob sapientiam & Christianam fortitudinem, jussit is Romæ causam recognosci, recissaque Metensis Synodi sententiâ, Theutbergam viro suo reddi. Magnas res illa turbas & offensionem dedit in Ecclesia, multisque exhinc annis acerrimo partium studio agitata

Secundæ Lotharij nuptiæ, dimissâ priori conjuge, ab aliquot Episcopis probatæ, à Pontifice damnantur.

Ann. Francorum Regino.

*al. Ratoldus

tata

tata est. Quamobrem Guntharius & Thietgaudus Archiepiscopi divortij auctores, altero post anno, Romam profecti, porrectoque supplici libello, justis ex causis divortium à Lothario factum probare contenderunt. Postquam omnia Romæ in concilio Episcoporum diligenter examinata, damnati non modò Archiepiscopi, sed & Episcopali munere sunt exuti, & à fidelium societate ejecti, ceteris Episcopis, si resipiscerent, venia & reconciliatio promissa. Quibus Guntharius & Thietgaudus in furorem acti, virulentissimam in Romanum Pontificem vulgârunt Epistolam, quâ nec à schismaticis, nec hæreticis, nec barbaris, ut rectè Baronius censuit, quicquam malevolentius scribi poterat. Recitant hanc epistolam Annnales Francorum à Pithoeo editi, quam passim ab hæreticis nostri sæculi, odio in Pontificem, tam avidè videas arripi, quàm malè suæ causæ patrocinium à schismaticis & projectis extra Ecclesiam rebellibus flagitiosisque hominibus emendicare necesse habent.

*863. Luthardus Ep. consecrat Ecclesiam S. Pauli propè Corbeiam.

Hoc interim * anno Luthardus Episcopus noster, Ecclesiam S. Pauli, quam Adelgarius Abbas haud procul ab ipso Corbejensi cœnobio ad Visurgim construxerat, solenni ritu consecravit; alteroque ab hinc * anno Adelgarius Abbas reliquias S. Luitrudis Virginis in eam intulit; Ecclesia verò clericis sub Præpositi administratione attributa est. Parochia simul hæc Ecclesia fuisse creditur in loco veteris Huxtariæ, uti cœmeterium & cetera monumenta monstrant. Post verò hæc ipsa Ecclesia seu ob Visurgis alluvionem, seu ob incendium vici, quo cœnobium illud afflatum, translatum est anno MCCXXX in oppidum Huxtariense, increvitque in collegium canonicorum, quod inde celebre fuit ad nostram ætatem.

* 864. *Vetus MS. Corbeiense.*

Annus Christi 864.

Nicolai Pont. 7.
Ludovici II. Imp. 9.
Ludovici Germ. Regis. 24.
Luthardi Ep. Pad. 5.

Rediêre interim ex Italia superius damnati Archiepiscopi, animis omnino diversi. Trevirensis conscientiâ facti admonitus, decreto Pontificis se submisit: perstitit pertinacior Coloniensis. Pòst ubi Lotharius Rex Pontifici scripsit, se in omnibus voluntati ejus accessurum, & Waldradam pellicem cum probro ex aula abjecit; tum tandem Guntharius se delusum vidit, eoque denuo Pontifici supplex Romam est profectus. Sed Pontifex hominem tam pertinacis ac turbulenti ingenij nec ad Episcopi sedem, nec ad sacerdotalia munia admittendum decrevit. Inde exutus habitu, solaque communione laica inter profanos ex decreto Pontificis vivere jussus, quo tandem exitu vitam clauserit, incertum reliquêre scriptores. Nihil Saxoniæ Episcopis cum hac causa commune unquam fuit, qui-

Lotharius Pontifici se submittit.

bus una cura sub optimo Rege suo erat, pacem colere & religionem firmare. Quin ipse Rex Ludovicus hoc anno ex integro cum Carolo fratre reconciliatus in conventu ad Dusicam villam, seu oppidum Thuisconis, vulgò Towentwist; in quo fœdus ictum; quod Ludovicus per Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem & Engilrammum Comitem, Carolus verò per Luitbertum Moguntinum Archiepiscopum & Altfridum Hildesiensem Episcopum tanquam sponsores inviolabile esse voluit. Magna per id tempus auctoritate & sanctitatis æstimatione inclaruerat Altfridus; & quod præsulum fidus Baduradus, inter Saxoniæ Episcopos Ludovico Pio Imperatore, id Altfridus Ludovico Germaniæ Rege spectabatur.

Ludovicus reconciliatur cum fratre suo Carolo. *Annal. Franc. Fuldens.*

Annus Christi 865.

Nicolai Pont. 8.
Ludovici II. Imp. 10.
Ludovici Germ. Reg. 25.
Luthardi Ep. Pad. 6.

Anno proximo confirmatum denuo fœdus inter Ludovicum Germaniæ & Carolum Franciæ Regem. Atque ut Nicolaus Pontifex Lotharium fratrem tertium Regem hoc fœdere includeret, totumque Imperium in uno concordiæ vinculo possideret, misit Arsenium legatum ad Ludovicum Germaniæ Regem; quem Rex mense Junio Francofurti honorificentissimè excepit; salutare hoc Pontificis consilium ac studium erat, quo Ecclesiam à barbaris undique imminentibus præmunitam haberet. Eo simul mense Rex, eodemque in loco Hadwigi Herifordiensium Abbatissæ consanguineæ largam donationem fecit, quam hîc pro instituto inserere necesse habui.

Ann. Francorum.

Certa à Ludovico Rege prædia collegio Herivord. donantur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, HLudovicus divina favente clementia Rex. Si enim liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quidquam conferimus, et necessitates Ecclesiasticas nostro sublevemus juvamine, atque regali tueamur munimine, id nobis ad æternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet et futurorum, qualiter nos ob amorem Dei, et remissionem peccatorum nostrorum, atque pro remedio animarum Antecessorum nostrorum, Augustissimorum Imperatorum, ad monasterium, quod dicitur Herivurt, quod est constructum in honore Sanctæ Mariæ semper Virginis, situm in Ducatu Saxonico, ubi præsentibus temporibus Hadevvic abbatissa et Rectrix esse videtur, quasdam res proprietatis nostræ in pagis Dreini et Boroctra cognominantibus, et in Comitatibus Burchardi et Warini conjacentes, id est, casas dominicatas duas cum territorio dominicali, unam scilicet in Seliheim, et alteram in Stockheim, nec non et mansos triginta pertinentes ad loca prænominata, et quidquid dici aut nominari

nari potest, quæ ad prædicta loca jure pertinere noscuntur, cum familiis sexaginta, quæ lingua eorum lazi dicuntur, totum, et integrum per hanc nostram auctoritatem ad memoratum monasterium perpetualiter in proprium tenendum concessimus, et de jure nostro in jus et dominationem ejusdem monasterii transfundimus et condonamus: ea scilicet ratione, ut perpetuo Sanctimonialibus ibidem Domino jugiter famulantibus in cibariis et victualibus reliquisque usibus earum per futura tempora Christo propitio consistant, et in beneficio res ipsæ nulli concedantur, sed solummodo absolute ad mensam earum jugiter deserviant, et nullus Successor noster hanc auctoritatem largitionis nostræ aliter immutare possit, neque ullus publicus Judex, aut aliqua judiciaria potestas aliquam molestiam, aut contrarietatem in his rebus illis facere præsumat; Sed liceat ipsis suas res liberè et absolute Domino adjuvante, et nostra munitione tuente possidere, omni judiciaria remota potestate. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per futura tempora firmior habeatur, et à fidelibus nostris melius conservetur veriusque credatur, subter eam manu propria nostra firmavimus, et annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLSDOVS *HLudovici Serenissimi Regis.*

Hadebertus Subdiaconus ad vicem Vuitgarii Cancellarii recognovi et ss.

*Data Idus Junias, anno Christo propitio * XXVI hLudovici Serenissimi regis in orientali Francia regnante. Indictione XIII. actum in Villa Franconovurt palatio regio in Dei nomine feliciter amen.*

**Desumitur hic initium annorum Ludov. ab anno 804, quo Ludov. Pius obiit.*

D. Rembertus S. Anscharij Successor, assistente Luthardo, à Mogunt. Archiep. consecratur Episcopus Bremensis.

At digna non minus ex hujus anni rebus gestis memoria Luthardi Episcopi nostri. Nam postea quam 3 februarii ad immortalem vitam evocatus D. Anscharius Bremensis Archiepiscopus, subrogatus est ex concordi electione cleri D. Rembertus. Prædixerat hoc Remberto D. Anscharius triduo ante quam mortuus; quòd à puero illum Thurholti in clero enutrierat, ac dein Bremam evocatum omnibus Apostolicis laboribus probatum socium habuerat. Nec dubium, quin à Deo id impetrarit. Verùm cum extremum deprecaretur Rembertus, ne id munus humeris suis imponeretur; respondit divinæ providentiæ & voluntatis esse, cui refragari non liceret. Admisso igitur post electionem Episcopatu, deducitur à Theodorico Mindensi Episcopo, & Adelhardo Corbeiensi ad Visurgim Abbate, ad Ludovicum Germaniæ Regem. Nimirum quia per Septentrionis regna nondum provinciales Episcopi erant Bremensis Metropolis, à quibus consecraretur, ad Regis consilia & dispositionem hæc detulerunt. Suscepit honorificè Rex Ludovicus Rembertum, ejusque auctoritate missus est ad Luitbertum Moguntinum Archiepisco-

episcopum consecrandus. Ac ne offensio interveniret, delectus est Luithardus Paderbornensis Episcopus ex Metropoli Moguntina, & Theodericus Episcopus Mindensis ex Metropoli Coloniensi, qui consecratori Moguntino Archiepiscopo assisterent. Ab his igitur Moguntiæ Rembertus solemni ritu consecratus inunctusq; est Episcopus, & per eosdem suffraganeos Episcopos Paderbornensem, Mindensem, simulque Adelbertum Abbatem reductus in diœcesin Bremensem. Ex itinere Rembertus divertere voluit ad Corbeiense cœnobium; voverat enim jam antè, si post obitum Anscharij superstes foret, se in claustro inter Corbeiæ Monachos religiosam vitam ducturum; id autem ut quantum fas esset expleret, communicato prius cum Episcopis consilio, Corbeiæ habitum monachi induit, promisitque, quantum & ratio & occupatio permitteret, se deinceps etiam ad leges à Divo Benedicto præscriptas vitæ rationes compositurum. Quam in rem sibi à Corbeiensibus monachis adjungi petijt, quem & magistrum religiosæ vitæ, ductoremque apud se quotidiè haberet. Additus ergo illi Adalgarius monachus, vir gravitate morum, pietate & doctrina præstans, gradu licet Diaconus, Adalgarij Abbatis germanus; quem & à morte successorem habuit in Episcopatu.

Prius tamen, quàm ad Ecclesiam suam se conferat, Corbeiæ habitum monasticum induit.

Ex hac consuetudine Luthardus sibi per omnem vitam conjunctissimum habuit D. Rembertum Apostolicum per Septentrionis regna virum & tot miraculorum operibus clarum. Felicia sanè per Saxoniæ Ecclesias tempora, cùm Episcopi non de potentia & luxu, sed virtutum & religiosæ vitæ æmulatione inter se certarent; & Reges haberent, qui hæc unicè quærerent in Episcopis, & tuerentur eorum labores patrocinio armorum.

Annus Christi 866.

Nicolai Pont. 9.
Ludovici II. Imp. 11.
Ludovici Germ. Regis. 26.
Luthardi Ep. Pad. 7.

Quanquam non is rerum status in Lotharij regno erat per Austrasiam. Adhuc pellicem Waldradam retinebat Lotharius Rex, Guntharij Archiepiscopi neptem, magna Austrasiæ familiæ labe, & conturbatione Ecclesiarum. Jam & Nicolaus Pontifex eo nomine Guntharium Coloniensem & Thietgaudum Trevirensem Archiepiscopos anathemate percusserat, ac cum ceteris Episcopis sacrorum munere exutis, adulterini hujus connubii patronis exauctorârat; ut hæc multis deplorant Francorum Annales, & Regino. Quam in rem Nicolaus Pontifex (quo Roma, Judice Reginone, post Gregorium M. non facilè habuit aut religione, aut constantia & magnitu-

Annales Franc. Regino in chron. Sigebertus in chron.

Nicolaus Pont. laborat in pellice à Lothario abstrahenda.

dine animi celebriorem) literas dedit ad Galliæ & Lotharingiæ Episcopos, quibus mandat, fœdum illud dissidij malum tollant ab Ecclesiis. Scripsit & Pontifex ad Ludovicum Germaniæ, & Carolum Franciæ Reges, omni ut studio enitantur, quo Lotharium fratrem ad saniorem mentem revocent, isque receptâ Theutberga conjuge, Waldradam pellicem abjiciat. Neque Luidberto Moguntino Archiepiscopo, neque Saxoniæ Episcopis, ceterisque in Regni Ludovici Regis præsulibus quicquam cum hoc mali contagio commune fuit; quando & Ludovicus Rex cum Saxoniæ Episcopis non in aliud magis intentus, quàm ut Regnum suum à Barbaris intactum servaret, religionem inter eos proferret, & religiosorum hominum precibus Deum sibi placaret. Ejus rei gratia, cùm in alios Episcopos, & collegia Clericorum ac Monachorum cœnobia largitate esset effusus; tum nova donatione hoc anno Herivordiense monasterium Sanctimonialium Virginum cumulavit, quam ex diplomate ejus hic reddimus.

Ludovicus Germ. Rex nova in Herivordienses beneficia confert.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, HLudovicus divina favente clementia Rex. Si enim locis Deo dicatis quidquam ex rebus, quas divino munere possidemus, largitatis gratia conferimus, hoc nobis procul dubio ad æternam vitam promerendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos ob amorem Dei, et pro absolutione peccatorum Antecessorum nostrorum Augustissimorum Imperatorum, atque pro remedio animæ nostræ quasdam res proprietatis nostræ, quas Folcberi fidelis noster hactenus in beneficium tenuit in Ducatu Westfalorum, conjacentes in pagis Graingaet Trecvviti, nec non in comitatibus Burchardi, Waltberti, et Albrici atque Letti. Id sunt mansi XIIII cum familiis viginti, qui lingua eorum Luti dicuntur, ad monasterium quod vocatur herivurt, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper Virginis, Ubi Haduvvic præsentibus temporibus Abbatissa et rectrix esse videtur, cum omnibus appendiciis totum et integrum ad præfatum monasterium in proprium perpetualiter tenendum tradimus, et de jure nostro in jus et dominationem ipsius monasterii solenniter condonamus. Ita videlicet, ut nullus Successor noster easdem res inde ulterius subtrahendi licentiam habeat, sed ab hodierno die Rectrices atq; sanctimoniales ipsius monasterii easdem res recipiant, atque deinceps per hoc nostrum præceptum data licentia Christo propitio habeant potestatem utendi pro communi utilitate eorum qualitercumque eis libuerit. Et ut hæc auctoritas nostra largitionis atque traditionis per futura tempora firmior habeatur, et à cunctis fidelibus nostris melius conservetur, veriùsque credatur, subter eam manu propria nostra firmavimus, et impressione annuli nostri roborari jussimus.

Signum

Signum  *hludovici Serenissimi Regis.*

Hadebertus Subdiaconus ad vicem Vuitgarii Cancellarii recognovi, et ss. Data VII Calend. Maji anno XXVII regni hludovici Serenissimi regis in orientali Francia regnantis Indictione XIIII. Actum in Francovurt palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

Annus Christi 867.

Nicolai Pont. 10.
Ludovici II. Imper. 12.
Ludovici Germ. Reg. 27.
Luthardi Ep. Pad. 8.

Hac celebri Ludovici Germaniæ Regis fama & gloria, qua per arma & viros Apostolicos Christi religionem proferebat, provocatus Michael Bulgarorum Rex, non modò ad Nicolaum Pontificem, sed & ad Ludovicum mittit Legatos, petitum Sacerdotes, qui populum regni sui christianam legem ritusque docerent. Ad cujus postulata mittit Rex Ermenricum Episcopum cum presbyteris & Diaconis; quanquam jam à Pontifice missi Episcopi & Sacerdotes essent, qui gentem illam cum suo Rege baptismi undis abluerent. Interim *Ludovicus*, ut Regino est auctor, *Christianissimus Rex, qui Germanis imperabat, non mediocre præbuit supplementum.* Tanto autem fervore Bulgarorum Rex post susceptum baptismum conspectus est, ut positis regiis ornamentis, noctu Ecclesiam intraret, & cilicio instratus totam noctem inter preces exigeret; confirmata per regnum christiana religione ultro se regno exuit, eoque in filium transportato, ipse monachi vitam professus est. Post ubi comperit filium sese comessationibus & libidinibus dedere, & periculum esset, ne populus ad Idolorum cultum rediret, exuto tantisper monachi habitu, regium diadema & arma resumit, filiumque aggressus capit, erutisque oculis in perpetuum carcerem detrudit, reposito in ejus locum juniore filio; tum & ille posito rursum militari cingulo monachi habitum resumpsit, sanctissimamq; exinde in claustro vitam exegit.

Annales Francor. Regino ad an. 868. Sigebertus.

Michael Bulgarorum Rex baptismum & religiosum habitum suscipit.

Inter hæc Ludovicus Germaniæ Rex in Saxoniam digressus, patris avique instituto de rebus sacris profanisque disposuit. Nihil sapientissimus Rex, ut supra ex Francorum annalibus relatum est, impensius habuit, quàm comitum judicia & præfectorum rationes examinare, & pro tribunali etiam populi causas ac querelas audire. Erant adhæc præclari per id tempus Saxoniæ Episcopi Rembertus Bremensis, Altfridus Hildesiensis, Luthardus Paderbornensis, Theodoricus Mindensis, Lubertus Mimigardefordiensis, Hildegrimus

Halberstadiensis fama sanctitatis plerique celebres. Invitârantque præterea in Westphaliam Ludovicum Regem duo monasteria Corbeiense & Herivordiense; quorum alterum præclarorum virorum, alterum illustrium Virginum numero & disciplina religiosa certabat; Ob quæ certè ad Herivordiense, si non ad Corbeiense etiam hoc anno divertit Rex, quod ex diplomate novæ largitionis eo in loco consignato, etsi hactenus nemo scriptorum prodidit, satis constare poterit.

Ludovicus Rex Collegio Herivordiensi, datis novis bonis, benefacit.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, HLudovicus divina favente gratia Rex. Si de rebus terrenis, quas divina simus largitate consecuti, locis sanctorum ob amorem Dei quiddam conferimus, hoc nobis procul dubio ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquidò credimus. Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos concessimus quasdam res proprietatis nostræ ad monasterium, quod dicitur Herifurt, sive ad reliquias sanctæ Mariæ semperque Virginis in eodem monasterio consecratas, in pago videlicet Grainga, in Villa, quæ vocatur Kelveri; id est mansum indominicatum cum domibus, ædificiis, et omnibus adjacentiis, terris cultis et incultis, silvis, pratis ac pascuis, de reliquo beneficio, quod Hrodradus Comes habuit, dimidiam partem cum familiis supermanentibus utriusque sexus numero viginti novem. In alio autem pago, quod dicitur Sutherbergi, in villa, quæ vocatur Lodre, octo familias et novem mansos. Et in eodem pago in villa, quæ vocatur Arpingi, unum mansum cum familia supermanente. Has itaque res, sicut superius diximus, cum domibus, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, et terris, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus totum et integrum prædicto monasterio ad proprium concessimus atque confirmavimus. Propterea hos apices serenitatis nostræ circa ipsum monasterium fieri decrevimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus in homines ipsius loci aspicientibus potestatem ullo unquam tempore habeat præter advocatum eorum, neque fidejussores illorum tollendo, nec in Wadiis, aut publicis placitis aliquam districtionem in eos faciendo, sed ob Dei amorem nostramque concessionem in futurum omnes res superius insertas ad jam dictum monasterium pleniter deserviant absque alicuius contrarietate, aut impedimento. Et ut hæc auctoritas donationis seu confirmationis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque verius credatur, atque diligentius conservetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum HLVDOVICVS (monogram) *Domni HLudovici Serenissimi Regis.*

Comea-

*Conradus Notarius ad vicem Radleici recognovi et sſ. Data VI Idus Decembris anno Christo propitio * XXIIII regni domni HLudovici gloriosissimi Regis in orientali Francia Indictione XV. actum in eodem monasterio Herifurd in Dei nomine feliciter amen.*

* *hic annus desumptus à divisione regnorum facta anno 844.*

Hac Ludovici Regis liberalitate Luthardus Episcopus noster provocatus, postquam cum Rege coram pertractârat, cœpit de Herisiensi Monasterio Virginum intra suam diœcesin condendo perficiendoque consilia maturare, urgente cumprimis Walburga sorore, qua cum plures è nobilitate Virgines (quas Domicellas vocant tabulæ nostræ antiquæ) exemplo Herivordiensium excitatæ se ultro obtulêre. Adeo jam sequior ille sexus, postquam tota Westphalia ac Saxonia Christo se dederat, pietate & religione æmulari visus.

Annus Christi 868.

Hadriani II. Pont. 1.
Ludovici II. Imp. 13.
Ludovici Germ. Reg. 28.
Luthardi Ep. Pad. 9.

Eam ob causam Luthardus anno insequenti, qui Christi numeratur 868 Wormatiam ad Episcoporum synodum profectus. Celebre illud Wormatiense concilium fuit, *quod studio amoris Christi*, Ut patres in præfatione testantur, *ac jussione* excellentissimi gloriosique Ludovici Regis, cujus tanta erga Deum devotio extat, ut non solum in rebus humanis, verùm etiam in causis divinis maximam semper sollicitudinem gerat, apud Wormatiam civitatem anno ab Incarnatione Domini nostri JESU Christi DCCCLXVIII. Indict. prima. XVII Calend. Junii convocatum est, ad causas Ecclesiasticas pertractandas; quod regnum suum submotis iis, quæ malè irrepserant, optimis moribus, & legibus florentissimum haberet. Quam in rem extant quadraginta quatuor Canones à Patribus sanciti; quos tamen inter decimus quintus de occultis furibus per Eucharistiæ perceptionem explorandis, ab Ecclesia improbatus est; ceteri qui afferuntur canones ab alia synodo reputantur sanciti. Ad hanc igitur synodum Wormatiensem, ad quam è regno Ludovici Regis convocati omnes Episcopi, præside Ludiberto, seu ut Serrarius vocat Lindberto, Moguntino Archiepiscopo, accessit Luthardus Episcopus noster, ac Patribus fundationem, quam meditabatur, Herisiensis monasterij exposuit, factoque omnium, qui aderant, Episcoporum consensu auctoritateque impetravit. Quam in rem ipsas Luidberti Archiepiscopi tabulas ab omnibus Episcopis consignatas hic sistimus.

Luthard9 Ep. in concilio Wormatiensi obtinet facultatem condendi monasterii Herisiensis.

S. Thom. 3. p. 98 art. 6. Bellarm. lib. 2 de conciliis c. 8. Possevinus in apparatu sacro. Philip. Labbe in notis.

Cum in nomine Domini nostri JESU Christi apud Wangionam civitatem, quæ vulgo Wormatia dicitur, in unum convenissemus, Ego Luidbertus humilis Moguntiacensis civitatis Archiepiscopus, cum Coëpiscopis et Chori-

Choriepiscopis atque Abbatibus simulque aliis plurimis sacerdotibus, et diversi ordinis clero ibidem congregatis, plura quæ ad christianæ religionis observantiam et profectum pertinere putavimus, conferre cœpimus. Indè inter cetera, quæ de Ecclesiarum statu, et Deo famulantium augmento tractabamus, Luithardus Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus synodali suggessit conventui, suam sororem nomine Walburg, et nonnullas alias Domicellas sub sanctimoniali habitu et professione divino servitio se mancipare decrevisse. Et quia locus, quem earum conversationi et proposito accommodatissimum et opportunissimum judicabant, ad sibi, ut prædiximus, commissam, id est, ad Paderbornensem Ecclesiam pertinebat, nostrum ad hoc consensum et corroborationem exposcebat, ut in memorato loco sororibus supra dictis, tam præsentibus quam futuro tempore superventuris, sine alicujus contradictione liceat servire: sed ne præfata Paderbornensis Ecclesia aliquod hoc facto dispendium vel sustineat, vel sustinere videretur, eidem Ecclesiæ tam ipse quàm soror ejus tradiderunt, quidquid vel sibi in Osdagighusen hæreditario jure provenire potuit, vel sororem in locis nuncupatis Lutzilandreni, et Bocchem atque Heringi possidere videbantur. Quod non solum post obitum suum, sed etiam ex præsenti statim tempore ad memoratam Ecclesiam contradidit, et in perpetuum traditum esse voluit, ut à præsenti die cum terris, silvis, aquis, ædificiis suis, mancipiis, animalibus, et cum omni integritate sua ad eam pertineat. Ordinatio quoque et dispositio loci, in quo eædem sanctimoniales Deo servire debent, ita ad Episcopum vel præsentem vel sibi succedentem pertinere, ut singulis annis ad principalem ejus sedem quatuor solidorum pretium persolvatur. Proinde quia hanc petitionem piam per omnia et justam et tam Episcopo dignam qàum Ecclesiæ salubrem fore perspeximus, dum non solum sine damno et detrimento Ecclesiæ, verum etiam suæ mercedis et meritorum augmento famulantium Deo numerus augetur, tam proficuæ devotioni nostrum assensum præbere, et tam pium inceptum luce nostrarum literarum confirmare decrevimus. Itaque synodali auctoritate, et communi sacri conventus decreto statuimus, ut locus, qui in territoriis villæ, quæ Heresi nuncupatur, conjacet, quem supra memorata Waldburg jure mutuario in propriam hæreditatem à Paderbornensi Ecclesia mutuata est cum omnibus, quæ ad eundem locum tam prædicti Episcopi, quam prædecessoris suo tempore pertinere videbantur, in terris videlicet, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cultis locis simulque incultis, domibus et ædificiis, litis et diversis servis, mancipiis, animalibus quoque, et cunctis mobilibus rebus, et immobilibus rebus, atque cum omni integritate sua ad usum Sanctimonialium, de quibus supra diximus, ita pertineat, et si quæ deinceps ad eandem Ecclesiam, vel in possessionibus, vel in aliis rebus tradita fuerint, possidere, mutuare, et secundum hoc quod sibi utile esse videtur facere permittantur. Eodem quoque modo eademque conditione mansos X in Villa nuncupata Haionbus, simulque et decimas villarum, quæ ita vocantur Herisi, Smachtum, Nortgardinum, et Suitgardinum cum appendiciis, seu

villulis supra dictarum Ancillarum Dei usibus a modo et deinceps delegare decrevimus. Et ut hoc nostræ immunitatis et synodalis conventus decretum perpetuam et inviolabilem obtineat firmitatem, Imperialem ad hoc confirmandum auctoritatem, et nostris subscriptionibus, et signis hanc traditionis et communicationis chartulam munire, et omnium unanimi consensu corroborari decrevimus. Datum in Wormatia anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII. Imperii vero gloriosissimi Regis Ludovici anno XXVIII. Indict. I.

Signum Luidberti Moguntiacensis Episcopi. Signum Adalvvini Saltzburgensis Episcopi. Signum Rymberti Hammaburgensis Episcopi. Signum Altfridi Hildenesheimensis Episcopi. Signum Guazonis Wormatiensis Episcopi. Signum Salamonis Constantiensis Episcopi. Signum Annonis Frisingensis Episcopi. Signum Landfridi Sabionensis Episcopi. Signum Ermenrici Pataviensis Episcopi. Signum Otgeri Rubelacensis Episcopi. Signum Luitgarii Augustburgensis Episcopi. Signum Luidberti Mimigarnifordiensis Episcopi. Signum Thiadrici Mimindensis Episcopi. Signum Hildegrimi Halverstadiensis Episcopi. Signum Luthardi Paderbornensis Episcopi. Signum Eralt Feridensis Episcopi. Signum Aegiberti Osnabrugensis Episcopi. Signum Bernardi Chorepiscopi. Signum Heionis Abbatis et presbyteri. Signum Adalgari Abbatis et presbyteri. Signum Thiatrici Abbatis et presbyteri. Signum Tiadorici Abbatis et presbyteri. Signum Branvvardi Abbatis. Signum Egilberti Abbatis.

Habes hic, quisquis hæc nostra legere dignaberis, celebris istius synodi Wormatiensis nomina præsentium Episcoporum, quæ in omnibus consilijs generalibus à Surio, Binio, Sirmondo & Cossartio vel Coloniæ, vel Parisijs editis, atque in Baronio desiderantur. Ferdinandi Episcopi nostri id studio debetur, qui hæc è vetustis apud nos tabularijs in lucem primò dedit, è quibus & ceteris Episcoporum fastis lux affundi poterit.

Luthardus ex quo & Ludovici Regis voluntatem & consilij Wormatiensis auctoritatem condendi Herisiensis monasterij obtinuit, nihil impensius habuit cum Walburge sorore, quàm inchoatum monasterij opus perficere, ad fontem Netæ Amnis fundamenta domiciliorum ponere, & nobiles Westphaliæ virgines honestæque familiæ puellas colligere, quibus primam Abbatissam præfecit Walburgem sororem suam. Celebre exindè & florentissimum hoc Virginum collegium, quales jam Herivordiæ & Bodecæ erant, ex eodem Sanctimonialium & Canonissarum, ut vocant, instituto Abbatissæ fere non aliæ quàm ex illustribus nobilium Comitum & Principum familijs ad hanc usque ætatem nostram, ut series earum, quæ apud nos extat, ordine descripta commonstrabit. Luthardum fratrem Episcopum, quem alterum fundatorem hujus Collegij cum sorore Herisienses tabulæ à Ludovico Rege consignatæ vocant, vi-

tæ

Walburgæ Herisiensis Antistitis primæ Sanctitas.
Vita D. Remb. c. 15.

tæ integritate imitata Walburgis, pulcherrimum sese sanctimoniæ exemplum dedit; cujus rei primò testimonium poterimus sumere ex auctore vitæ D. Remberti, tum ex ipsius D. Remberti epistola. Ac scriptor vitæ ita refert: *D. Rembertus epistolas nonnullas ædificationis plenas ad diversos composuit, quarum una est ad quandam Dei ancillam in monasterio, quod dicitur Herisi, constitutam, cæterasque sorores ibidem in Dei famulatu consistentes. Hæc autem famula Dei, de qua loquimur, neptis erat Venerabilis Episcopi Luithardi, cujus supra mentionem fecimus, qui se sancto viro cum omni devotionis affectu ita devinxerat, ut non solùm ipse sanctitatis ejus amator existeret, verùm etiam omnes ad se quoquo modo pertinentes illi commendare studuerit, præcipuè istam, de qua loquimur, ab infantia Deo oblatam, et in virginitate permanentem neptem suam, quæ et propriâ devotione meruit ut unicam dilectionis suæ filiam vir sanctus eam nominare solitus sit.* Quantum hic auctor & Luithardum, & neptem à sanctitate commendat? quæ tamen non neptis, sed ipsa soror Luithardi, & Virginum antistes erat reputanda; quemadmodum in diplomatis allatis Luithardi soror asseritur. Ipsam verò D. Remberti epistolam, ad Walburgam & Virgines ejus sanctæ congregationis, plenam divino Spiritu recitat auctor vitæ ejus. Alterum sanctimoniæ testimonium ex sepulchri inscriptione producimus, quod ejusmodi hodie legitur.

HIC VENERANDA JACET WALBURG, QVÆ MENTE VIRILI
STRUXIT ET * HOC REXIT PRIMA MONASTERIUM
SUBJECTIS VITÆ TRIBUENS EXEMPLA BEATÆ
ECCLESIÆ CUNCTAS AMPLIFICAVIT OPES.
NUNC TE CHRISTE PIUM VIDEAT, QVEM SEMPER AMAVIT
UT DEXTRIS ILLAM CONSOCIES OVIBUS.
IIII NON. MART. OBIJT.

*HOC ET

De anno obitus, quem adscriptum non invenio, parum, ut in alijs, solliciti veteres. Sepulchrum ceteris erectius è terra hodiedum aspicitur in adsito Ecclesiæ Sacello. Multis exinde Sanctorum lipsanis, seu regio dono, seu Episcoporum procuratione, exornatum Herisiense Collegium; inter quæ D. Saturninæ & Fortunatæ Virginum ossa duobus fastigiatis & inauratis tumulis inclusa, expositaque ad cultum populi, & patrocinium loci eminent. Id quod testantur apud nos monumenta Bustorffiana, in notis ad Bedæ Martyrologium adscriptis,

scriptis, quæ sic habent. 13 Calend. Junij in Sanctina civitate natalis S. Saturninæ V. & M. quæ translata sub Bisone Episcopo in Saxoniam in monasterio Herisiensi requiescit.

Ceterum cùm hic annus Lotharium Austrasiæ, seu novæ Lotharingiæ Regem sustulerit, novis rursum dissidijs, quæ in civilia prorsus bella exardere cœperunt, patrui Lotharij, Ludovicus videlicet Germaniæ, & Carolus calvus Franciæ Rex inter se commissi. Mortuo nimirum Nicolao Pontifice, Lotharius Rex questus apud Hadrianum II Successorem, se æmulorum calumnijs oppressum, eòque Romam venire, ut se coram purgaret. Quem Pontifex benignè accepit, rogavitque, an omnia, quæ à Nicolao Pontifice præscripta essent ritè præstitisset; quo affirmante, Pontifex ei finitis missarum solemnijs Eucharistiam præbet, hac contestatione: si te innoxium cognoscis, nec pellici Walradæ te in posterum miscere statuisti, accede; sin minus, vide ne indignè sumendo vindicem Deum experiaris. Eadem ad proceres prolocutus est Pontifex. Et ita quidem Rex ac proceres præmoniti; at cæci Eucharistiam de manu Pontificis sumpsêre. Vix Roma egressus Lotharius, cùm febri corripitur, & Placentiæ 6 Idus Augusti peste extinguitur. Eadem hac vindicta plerique proceres intra annum absumpti. Fœda deinde strage sævijt in comitatu pestis, quâ Regni nobilitas penè tota perijsse deplorabatur. Accesserant simul Romam Guntharius Coloniensis & Thietgaudus Trevirensis, Archiepiscopi; qui licet ad pœnitentiam recepti, sedibus tamen suis exulare jussi.

Lotharij Reg. Austrasiorum obitus.

Annus Christi 869.

Hadriani II Pont. 2.
Ludovici II. Imp. 14.
Ludovici Germ. Reg. 29.
Luthardi Ep. Pad. 10.

Comperta Lotharij morte, Carolus Franciæ Rex Metas advolat, ubi ab Hincmaro Remensium Archiepiscopo, dissimulante Adventio Metensi Antistite Lotharingiæ Rex coronatur. Inde asserto sibi Lotharij regno, Aquisgranum ad regni sedem advolat. Per id tempus Ludovicus Germaniæ Rex Ratisbonæ æger decumbebat, & filij, omnes bellicosi Principes, diversis contra Barbaros bellis occupati erant. Luvovicus cum Thuringis & Saxonibus in Sorabos & Bohemos ierat. Carolomannus cùm Bojarijs adversus Zwentiboldum: Carolus natu minor cum Francis & Alemannis adversus Rasticen Slavorum Tyrannum missus à patre; prospero omnes belli exitu, victorijsque clari, ut multis Francorum annales memorant. Quiescentibus interim Nortmannis Barbarisque trans Albim, ob metum Ludovici Regis, ne se in bellantes filios immitterent. Vidissesque tum

Carolus Franciæ Rex Lotharingiæ coronatur.
Annales Francorum. Aimonius.

Ludovicum Germaniæ Regem, Caroli M. nepotem, haud secus quàm Carolum M. pugnantem, triumphantemque cum tribus filijs adversus Barbaros.

Annus Christi 870.

Hadriani II Pont. 3.
Ludovici II Imp. 15.
Ludovici German. Regis 30.
Luthardi Ep. Pad. 11.

At mox ut Ludovicus præter spem ab extremo morbo convaluit, mittit legatos ad Carolum, præmonens, ne solus sibi Lotharingiæ Regnum vendicet, quod utrique ex æquo debeatur; eò Ratisbona Francofurtum contendit. Carolus cùm legatos Ludovici nullo certo responso remisisset; indignatus Ludovicus, mittit ad Carolum Luidbertum Moguntinum Archiepiscopum, & Altfridum Hildesiensium præsulem, viros ea tempestate gravitate morum & sapientia conspicuos, aliosque proceres, cum mandatis, ut Regno Lotharingiæ excederet, aut parata in se arma exspectaret. Quibus territus Carolus in Galliam se recepit; convenitque pridie Nonas Martij inter utrimque legatos post Aquisgranum missos, Lotharingiæ Regnum dividere, & pactione civile bellum antevertere. Discurrentibus dehinc legatis, placuit utrique Regi cum quatuor Episcopis & decem consultoribus ac triginta è nobilitate viris, Heristallum inter & *Marsenam vicum, secundo à Trajecto lapide, convenire, ad regni partitionem faciendam; quæ demum v Calend. Augusti in vico Marsena confecta. Qua divisione Regni Lotharingiæ Ludovico cessit Colonia, Treviris, Ultrajectum, Metæ, & quidquid Rheno & Mosa intercipitur; præterea comitatus Teisterbandiæ, Batavia, Frisiæ pars maxima, ceteraque his regionibus inclusa oppida & cœnobia. Carolus præter Lugdunum, Tungros, Tullos, Cameracum, Vienna aliæq; Burgundiæ urbes attributæ, quemadmodum hæc partitio à Pithœo, Aimoino, & Miræo est relata in tabulas, frustra ex Italia appellante adversus hæc Ludovico II Imperatore ad jus gentium per Pontificem & Pontificis Legatos, quod sibi ex hereditate paterna, & Lotharij patris testamento deberi contendebat. Tum simul Wilibertus Coloniensis Archiepiscopus, quem à clero eligi jusserat Ludovicus Rex, in Guntharij locum subrogatus est, non sine offensione Hadriani Pontificis, quòd inconsulta Apostolicæ sedis auctoritate id sibi vendicasset. Quarè & pallium & confirmationem non nisi à Successore Joanne consecutus est Willibertus; vir cetera egregius, & inter præstantissimos Episcopos numeratus à posteris. Hac potentia auctus Ludovicus Rex Danis ceterisq; Barbaris formidabilior fuit, ne quid in Saxonia nostra pertentare auderent, quæ cultu religionis florentissima pacatissimaq; manebat.

Regnum Lotharingiæ inter Ludovicum & Carolum dividitur.

*al. Marsanam.

Pithœus in frag. hist. Franc.

Aimoinus lib. 5. c. 25.

Wilibertus in sede Colon. succedit Gunthario.

Annus

Annus Christi 871.

Hadriani II Pont. 4.
Ludovici II. Imper. 16.
Ludovici Germ. Reg. 31.
Luthardi Ep. Pad. 12.

In hac rerum felicitate obturbatus Ludovicus Rex à filijs; tanquam ea, quæ ipse in patrem perpetrârat, ultor etiam serò Deus à suis filijs pati permitteret. Quippe Ludovicus & Carolus commoti in patrem, quòd Carolomanno filio natu majori partem Regni Francici sibi adscriptam dare meditaretur. Adhæc omnes simul exacerbati in patrem, eò quòd nobilem Heimrichi Comitis filium, virum genere & bello præstantem, excæcari permisisset. Ludovicus Rex, ut filiorum animos componeret, ex Bavaria Francofurtum accelerat, indictoq; Triburiæ conventu, filios sibi reconciliat. Erat verò Triburia villa regia ad Orientalem Rheni ripam inter Moguntiam & Oppenhemium, castro & monasterio, templis atque oppidi forma celebris, in qua & Triburiense concilium habitum. Modò præter rudera & paucas rusticorum ædes nihil istic aspectabile. In hujus loci Triburiensi conventu Luthardus Episcopus Paderbornensis, seu præsens, seu per legatos, à Ludovico Rege Herisiensis Collegij confirmationem, & tutelæ regiæ tabulas impetravit, quas adscribo.

Filij concitantur in Ludovicum Patrem eidemque reconciliantur. *Annales Franc. Pith. Trith. in chron. Hirs. Serrarius lib. 1. Prolog. Mogunt. c. 33.*

Luthardus Ep. impetrat à Ludovico R. confirmationem Collegij Herisiensis.

*In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia Rex. Notum sit omnibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque, præsentibus et futuris, qualiter Luithardus Venerabilis Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus suggessit Serenitati nostræ, ut ei liceat construere quoddam monasterium Sanctimonialium in loco, qui dicitur Herisi, una cum decreto Luidberti Archiepiscopi nostri, atque omnium Consynodalium suorum Episcoporum, simulque omnium Consacerdotum et Clericorum Paderbornensis Ecclesiæ, ea videlicet ratione, quod ipse et soror ejus nomine Walburg in sanctimoniali proposito permanens tradiderunt suam proprietatem ad præfatam sanctam Ecclesiam Paderbornensem, quæ est constructa in honore S. Dei genitricis Mariæ, qualiter eædem res perpetualiter in ejusdem monasterii potestate consisterent. Postea vero deprecatus est nostram Celsitudinem præfatus venerabilis Episcopus Luithardus, ut præfatum monasterium Herisi, et res ad illud pertinentes sub nostræ munitatis factione et defensione susciperemus. Cujus petitioni ad amorem Domini nostri Jesu Christi libenti animo assensum præbentes decrevimus atque jubemus, ut præscripta super * Luithardi Episcopi nomine Walburg præfatum monasterium, quod vocatur Herisi, omnibus diebus vitæ suæ securiter per hoc nostræ auctoritatis præceptum habeat. Post hujus verò obitum licentiam habeant inter se eligendi Abbatissam una cum consensu et conscientia præfatæ Paderbornensis Ecclesiæ præsulis, et mundiburdium et defensionem de Rectore præfatæ Paderbornensis Ecclesiæ habeat præfatum*

*Soror

monasterium Herisi, et per unumquemque annum quatuor solidos ad eandem Dei Ecclesiam persoluat, simulque mansi X in villa nuncupata Hayonhus, quæ illuc venerabilis Episcopus perpetualiter pertinenda concesserat, cum decimis villarum, quæ vocantur Herisi, Smachtum, Nortgardinum, et Suthgardinum cum appendiciis seu villulis supra dictarum ancillarum Dei tradidit, per hoc nostræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante perpetuis temporibus permaneant absq; aliquo contradicentis obstaculo. Volumus etiam atque præcipimus, ut sæpè jam dicti monasterii ancillarum Dei homines non alio modo à judiciariis potestatibus distinguantur, nisi eorum Advocato à nobis constituto, sicut Episcopo Paderbornensi præceptum concessimus. Episcoporum quoque synodale decretum cum scripto et signo subscriptionis super præfatum monasterium puellarum Dei Herisi nomine nostræ largitatis concessione firmatum permaneat. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, et diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus. Data Idus Junii, Anno Christo propitio, XXXII regni Domni Ludovici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indict. IV. actum Triburias in Dei nomine feliciter Amen.

Annus Christi 872.

Hadriani II Pont. 5.
Ludovici II. Imp. 17.
Ludovici Germ. Regis. 32.
Luthardi Ep. Pad. 13.

Annales Francorum. Ludovicus Rex partito inter filios regno in hostes feliciter movet.

Annus jam accesserat octingentesimus septuagesimus secundus, quo Ludovicus Germaniæ Rex post auditos Ratisbonæ Basilij Græcorum Imperatoris legatos ex Bojaria ad Rhenum descendit, indictoque per Quadragesimam ad oppidum Forcheim Optimatum conventu, regnum inter tres filios divisit; ne qua ab obitu dissensio, quæ jam antè, ut diximus, notata regnum conturbaret. Igitur Carolomanno Bojaria & Sclavorum provinciæ: Ludovico Lotharingia, Saxonia, Thuringia, & Frisia: Carolo natu minori Suevia est attributa; jussique filij coram toto exercitu fidem jurare, nihil se turbaturos ex præscripto testamento. Adeo Rex optimus paci & suorum saluti consultum voluit. Quanquam Monarchia illa Francica, quæ jam ab excessu Ludovici pij Imperatoris in tot partes divisa erat, nova divisione secaretur in partes. Inde mense Majo quatuor validi exercitus Regis ire jussi adversus rebelles Barbaros. Singulis veteri Francorum more Episcopi additi, Luidbertus Moguntinus, Embrico Ratisbonensis, Aran, seu Arno Herbipolensis, Sigehardus Fuldensis Abbas. Carolomannus cum Bojarijs progressus adversus Sclavos ad Istrum incolentes: Francones ad Austrum processêre:

Lotharingi ac Rheni accolæ duce Luidberto Moguntino Archiepiscopo adversus Bohemos pugnavêre, quinque Bohemorum ducibus captis. Omnes felici successu cum victoria regressi, præter Saxones & Thuringos; hic enim quartus exercitus conflatus erat adversus Sclavos Occidentales. Hi quòd ducem non haberent, per fœdam fugam rediêre, tanta etiam indignatione mulierum, ut reduces in provincias ex equis detraxerint viros, & fustibus mancipiorum in modum contusos mulctârint; tanquam ex bello Cymbrico aut Romano antiquas Germania virgines conspexisset resuscitatas, ac tanto potior his causa, quòd christianæ pro christiana religione tam turpiter pugnantes reciperent viros. *Plutarchus de bello Cymb. Tacitus de moribus German.*

Quam hactenus Ludovici Regis beneficentiam, eandem nunc Hadriani II Pontificis sollicitudinem erga Corbeienses commendamus; à quo hoc anno insigni diplomate Monasterij illius donationes & privilegia rogatu Adalgarij Abbatis confirmata; id quod ex antiquis Corbeiensium tabularijs erutum hîc exhibemus. Adrianus Pont. Corbeiam recipit in clientelam apostolicam, & confirmat donationes ei factas.

Adrianus Episcopus Servus Servorum Dei, Adalgario Religioso Abbati venerabilis monasterii SS. Martyrum Stephani atque Viti, quod nuncupatur nova Corbeia, et per te eidem venerabili monasterio in perpetuum. Convenit Apostolico moderamini, pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione congruum impertiri assensum; ex his enim lucri potissimum præmium à conditore omnium Domino promeremur. Dum venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem sive firmiorem fuerint sine dubio statum perducta; et ideo cum constet religionem tuam nostræ sollicitudinis pontificis satis humiliter suggessisse, quatenus præfatum monasterium sub perenni defensione S. Sedis Apostolicæ, cui licet indigni præesse dignoscimur, recipere dignaremur, decernentes scilicet, atque Apostolica auctoritate modis omnibus statuentes, ut et idem monasterium privilegii nostri decore finetenus vigeat, et monachi, qui illic Domino quotidianis laudibus famulantur, de propriæ congregationis Collegio post tuum discessum deinceps, quem divinitate summa annuente omnes concorditer elegerint, ordinandi habeant facultatem. Et quia asseris nomina, tum ipsum monasterium munificentia Principum in prædiorum facultatibus ditatum fuisse, petis et suggeris, ut tam hoc, quod nunc possidet, quam etiam, quod à fidelibus illic fortussis oblatum sive collatum fuerit, emissa præceptione confirmare nihilominus dignaremur, super quibus non solum in Domino gavisi sumus, verum etiam quia pia esse conspeximus, ut moris est Apostolici, ad tibi hæc impendenda amore Dei illecti, votis tuis favere decrevimus. Quapropter à præsenti sexta indictione jam dictum monasterium in Apostolicæ authoritatis defensionem immo perpetuam recepimus tuitionem, et omnia prædia illius tam ea, quæ à gloriosis Principibus, vel aliis Christi fidelibus ibi collata sunt et concessa, quam illa, quæ deinceps præstante Domino conferri poterunt et concedi ibidem, sive mobilia sive immobilia,

mobilia, confirmavimus, et ut à quolibet non usurpentur, invadantur, aut rapiantur, authoritate Apostolica promulgamus, jubemus ac definimus, nihilominus inviolabiliter Apostolicam censuram ad nostræ mercedis augmentum decernimus, ut omne fas atque omnem licentiam habeant monachi ejusdem monasterii talem de suis semper Abbatem deligere, qualem omnium vota concorditer postulaverint, et sibi præficiendum fore, uno animo gratia S. Spiritus suffragante illic Domino famulantes voluerint, nec quisquam præsumat alienum seu extraneum illic unquam Abbatem constituere aut introducere. Sed sicut diximus tales de ipsa congregatione, qui eidem monasterio regulariter præsint, cum vel tu de hac vita vocatus ad Dominum demigraveris, vel tempore succedenti ab unanimitate omnium eligantur, qui vitam et omnem monasterialem ordinem teneant, et cuncta cum timore Dei et reverentia regularis disciplinæ dispensare summopere faciant; statuentes Apostolica censura sub divini judicii attestatione, et Anathematis interdictu, ut nulli unquam parvo aut magno homini, cujuscunque sit dignitatis vel ordinis, liceat hanc nostræ authoritatis, quam pio intuitu promulgavimus, sanctionem infringere, aut floccipendere, vel in toto sive in parte, quoquo modo violare; et si, quod non credimus, temerario ausu quisquam vel nunc vel unquam transgredi, contemnere, violare, aut hanc nostram præceptionem infringere præsumpserit, et non in omnibus observaverit, sciat se Anathematis vinculis innodandum, et à regno Dei penitus sequestrandum. Qui autem verus custos hujus Apostolicæ præsanctionis studiosus observator extiterit, benedictionem et misericordiam vitamque æternam à Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii Cameræ sacræ Romanæ Ecclesiæ, Imperante Domino nostro piissimo perpetualiter Augusto Ludovvico à Deo coronato magno Imperatore, anno XVIII, et post consulatum ejus anno vigesimo quarto, mense Octobris, Indictione sexta, bene valete. Data Idus Octob. per manus Sergii primicerii defensorum sanctæ sedis Apostolicæ.

Petavius in Rat. temp. lib. 6. c. 1. Indictio sexta etsi annum sequentem designet; ea tamen, quia à Septembri etiam inchoari consuevit, nihil hic fidei derogat; tametsi Pontificia à Januario plerumque ducta: nec haud multò pòst eodem anno Calend. Novemb. excessit è vita Hadrianus, subrogato Joanne VIII, ut insequentem annum referri non possit.

Certabatur inter hæc altissima pacis tempora per Saxoniam passim in erigendis magnificis basilicis & sacrarum œdium fabricis. Ac postquam Corbeiense templum jam perfectum erat, Adalgarius Abbas hoc anno ingentium turrium fundamenta jecit, quæ anno demum 885 à Luthardo cum infima parte templi consecrata. Longum de Parochiarum templis memorare, quando idem pietatis certamen in populo erat. Passim quæ ligneæ & extemporaneæ erant *Lib. tradit. Paderb.* structuræ à primis religionis exordijs, ex solido lapide magnificentius surgebant. Inter quæ ad fontes Almæ seu Alisonis in pago Almango

go Sidagus nobilis, opibus non minus quàm religione præstans, dejecta lignea Ecclesia, aliam ex lapide reposuit, adjecta etiam tertia parte hereditatis in dotem. Hanc à Luthardo in vetustis monumentis consecratam reperio. Nihil Ethnicæ Saxoniæ saxa ad splendorem christianorum templorum, eorumque multitudinem, postquam populus in parœcias divisus & numero augeri, & loca cultu agrorum, resectis stirpibus & sylvis, replere cœperunt. At nobilis cumprimis Hildesiensis Basilica, quam Altfridus Episcopus B. Virgini Mariæ dicatam absolverat. Ad hujus consecrationem & solemnem dedicationem inter Episcopos adfuit Luthardus Paderbornensis Episcopus; ita enim chronicon Hildesiense. *Anno 872. Indict. V in Calendis Novembribus dedicata est Ecclesia S. Mariæ in Hildenesheim à Venerabilibus Episcopis Altfrido ejusdem Ecclesiæ Episcopo, et Remberto atq; Theodorico, sed et Luthardo cum interventione religiosi Abbatis Adalgarii, Monachorum et Canonicorum.* Luthardus interest consecrationi Ecclesiæ Hildesiensis.

Annus Christi 873.

Joannis VIII. Pont. 1.
Ludovici II. Imper. 18.
Ludovici German. Reg. 33.
Luthardi Ep. Pad. 14.

Multò hæc illustriora ex consequenti anno & dedicatione Basilicæ Coloniensis Ecclesiæ. Enimvero Ludovicus Germaniæ Rex, postquam primum Francofurti ac deinde Wormatiæ procerum comitia habuisset, in quibus de publicis negotijs salubriter constitutum est, Aquisgranum descendit, simulque Coloniæ celebrem Episcoporum conventum indixit, in quo sacrarum rerum causas, & quæ ad disciplinam cleri populique poscebantur, pertractari voluit: tum præterea Basilicam Coloniensem, quam Hildebaldus Archiepiscopus è ruderibus castelli Ubiorum educere cœperat, & Willibertus absolverat, solemni ritu dedicari. Convenêre igitur Episcopi V Calend. Octob. magna frequentia: Synodusque ob celebritatem Magna etiam Coloniensis appellata. Verùm licet acta ejus synodi interciderint, duo tamen ex ea possidemus ad posteros transmissa, tabulas videlicet de libertate clericorum, & proprijs, quibus his uti liceat, bonis. Quæ, uti Guntharius Archiepiscopus conceperat statueratque, ita Wilibertus Patribus congregatis approbanda obtulit, & qui præsentes fuêre Episcopi probavêre. Qua super re publicum instrumentum, quod Gobelinus, & acta Conciliorum generalia referunt, confectum est. Acta hæc memorantur Coloniæ V Calend. Octob. sub piissimo Rege Ludovico, anno Imperij illius XXXIII anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXIII Indict. 7. Subscripsêre Episcopi, Wilibertus Coloniensis, & Retholphus Trevirensis

Annales Francor. Aimoinus. Gelenius in suffrag. Colon. Tom. 9. Concil. gener. recent. edit. Parisiens. Synodus Colon. cui interest Luthardus.

virensis Archiepiscopi: Bernardus Virdunensis, Altfridus Hildelsheimensis, Theodoricus Mimindensis, Gerolphus Firdensis, Luithardus Paderbornensis, Hildegrimus Halberstadiensis, Hodolphus Mimigarnefurdensis, Lubertus Osnabrugenses Episcopi: Ad hæc quinque presbyteri. Quæ Adelwinus Diaconus ad vicem Adeloldi presbyteri atque Cancellarij subscripsit.

Scio equidem hanc synodum actaque ejus ab Annalibus Francorum referri ad annum 870, à Sigeberto verò ad annum 871. Verùm si quis hæc ipsa, quæ recitavimus, acta ex Gelenij Bibliotheca, & codice Hermanni de Wesalia Canonici ac viri eruditi, quem Fridericus Imperator lauto sacerdotio exornavit, producta expenderit, ad hunc annum revocanda sunt. Præterquam quòd Wilibertus Archiepiscopus hoc ipso anno primùm à Joanne VIII Pontifice pallio Archiepiscopali decoratus, quemadmodum à Baronio relatum est, ut jam synodo rite præsidere possit; opinorque ex anno Incarnationis rectè adscripto annum Ludovici Imperatoris in Francia orientali inchoatum. Indictio septima assignatur à Gelenio, quæ sexta esse debet, nisi jam à Septembri inchoata dicatur.

Essendiensis Parthenonis fundatio stabilitur. *Ex Archiv. Essend.*

Alterum quod ex hac synodo inter monumenta Westphaliæ accepimus, est fundatio illustris Parthenonis Assindiensis seu Essendiensis. Nam postquam ea ab Alfrido Hildesiensium Episcopo ac Conditore viroque sanctissimo congregatis in synodo Patribus est oblata, uno omnium consensu approbata & confirmata est. Tabulas fundationis, quando nec à Gelenio, nec in concilijs generalibus integrè recitantur, & posteritate digna exhibent, tam ad Conditoris pietatem, quàm Sanctimonialium institutum cognoscendum, hic recitare visum; quando & Luithardus Episcopus noster hoc institum Sanctimonialium Virginum ita rursum approbavit, quemadmodum ipse Herisiense cum sorore jam antè condiderat, ut pari religionis ardore hi duo integerrimi & conjunctissimi Episcopi ducti videri possint. Literæ sic habent.

Alfridus Dei disponente providentia Hildesiensis Ecclesiæ Antistes. Cùm inter immensas Dei Patris miserationes, quibus humanum genus gratuita pietate relevare dignatur, præcipuè eam, quâ constat consubstantialem coæternum ejus filium pro nobis incarnatum et crucifixum fuisse, ad memoriam reducerem, circa me verò specialiter divitias bonitatis ejus non sine admiratione perpenderem, qui me nullis exigentibus meritis de sordibus levatum inter Principes Ecclesiæ considere, et solium gloriæ tenere fecit, ne tantis ejus beneficiis ingratus apparerem, quid retribuerem Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, diu multumque mecum cogitare cœpi. Tandem itaque ex divina, ut credo, inspiratione occurrit animo, sanctissimam et semper Virginem Mariam unicum et singulare præsidium peccatorum post Deum esse, cui si quid venerationis impenderem, id et Deo fore gratum, et anima mea

ejus

ejus patrocinantibus me meritis arbitratus sum profuturum. Opitulante itaq; Dei gratia in prædiolo meo, quod Asnidè vocatur, in honore sanctæ et Individuæ Trinitatis consecratam, sanctæque semper Virgini Mariæ, et SS. Martyribus Cosmæ et Damiano dicatam Ecclesiam his, quæ Domino donante possidebam, construxi, in qua ad immaculatum sacrificium sanctimoniæ tam animæ, quam corporis Deo in cordis et Spiritus contritione offerendam Sanctimonialium congregationem coadunare, eique victus et vestitus necessaria providere; Spiritualem quoq; matrem, quæ regulariter præsideat, eidem ex eadem præficere curavi. Ne verò post mei excessum futuris seculis de electione Abbatissæ dissensio oriatur, ex decreto Sergii Papæ, et ejus Successoris Adriani sancitum est, et eorum privilegiis confirmatum, ut nec prece, nec pretio, nec ullo omnino unquam modo alterius congregationis sanctimonialis dictis sanctimonialibus præponatur, sed quæcunq; ex eisdem, et in Dei servitio potissimâ, ejusdem Ecclesiæ rebus justè disponendis aptissima reperiatur, hæc ex communi omnium ibidem Deo famulantium electione secundum Dei timorem suis Sororibus præficiatur. Quod tamen consuetudinarium jus tam ministrandis suis rebus imposuerim, et perpetualiter offerendum velim, paucis absolvam. Possessiones Ecclesiæ traditas vel tradendas, interiores vel exteriores, tam mobiles quam immobiles cum consilio Deum timentium summa cum diligentia Abbatissa procuret, reditusq; earum tam in sua, quam in Sororum æquabili distribuat utilitate, id summoperè cavens, utpote Deo rationem redditura, ut de communibus earum rebus ne vel unam minimam præbendam absq; earum consilio vel utilitate alicui tradat, ne, quòd absit, penuria familiaris rei urgente ruptis sanctimoniæ habenis liberius hac vel illac absque Dei timore vagentur. Si qua vero sanctimonialis ibidem habet propriam domum, aut aliud ædificium vel à se emptum, vel dono sibi datum, vel aliquas res undelibet justè acquisitas, nihilominus ex omnibus supradictis neq; Abbatissa neque aliquis alius ei auferat, neque ullo modo auferendum suadeat, sed eadem sanctimonialis libero arbitrio eandem domum, et cuncta, quæ inibi possidet, sorori suæ vel amico ad eandem Ecclesiam pertinenti, absque ullius contradictione, sivè morti sit proxima, sive vitæ, quocunq; modo voluerit tradat. Id ipsum vero et clericis ibidem servientibus constituimus, si quis antedictam earum aliquam Ecclesiæ possessionem Abbatissa largiente susceperit, tali suscipiat conditione, ut post ejus obitum eandem possessionem Ecclesia absque ullius contradictione suscipiat, restitutis prius omnibus tam mobilibus quam immobilibus rebus, quæ in illa esse videbantur ea die qua ipse eam suscepit, aut ipsa vivens, prout voluerit disponat, aut aliquis amicorum ejus post illius mortem pro salute animæ distribuat. Constituimus etiam ut nullus hominum vel advocatus aliquis aliquam jurisdictionem in civitate prænominata habeat, excepta Abbatissa Assindi, præter intruncationem manuum, vel armorum proclamationem. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII sub piissimo Rege Ludevvico anno imperii ejus XXXVI* apud Coloniam civitatem V Calend. Octobr. in ipso die dedicationis basilicæ S. Petri. Ego Alfridus Episcopus hoc privilegium*

* LXXIII
* XXXIV

coram Domino Wiliberto prædictæ civitatis Archiepiscopo recitavi, nec non coram Luitberto Moguntiacensi Archiepiscopo, et Bertolfo Treverensi Archiepiscopo, et Berhardo Virdunensi Episcopo, atque Tiederico Mimidonen. Episcopo, et Herolfo Ferdensi Episcopo, et Luithardo Paderbornensi Episcopo, atque Hildegrimo Halverstadiensi Episcopo, et Odolfo Mimigernafurdensi Episcopo, et Othiboldo Trajectensi Episcopo, et coram Luitberto Osnabrugensi Episcopo, nec non coram aliis quamplurimis sacri ordinis viris, qui ob supra dictæ Ecclesiæ dedicationem convenerant.

Hisce ex tabulis recognoscet quis facilè mecum, Essendienses Virgines à prima sua origine & instituto sanctimoniales fuisse, quales Herivordienses, Bodecenses, Herisienses, Gandersheimenses, & passim per Saxoniam ex concilij Aquisgranensis præscripto canonicas introduximus, à quibus diversum fuit monacharum institutum, ex rigidiori D. Benedicti disciplina. Quocirca Alfridus hisce tabulis facit potestatem testandi donandique res suas, quamvis non nisi sacratis Deo hominibus, ne in profanum usum aversæ cederent. Prima Antistes Gerswinda; crediturque Soror Alfridi fuisse, Onnone patre, & Rheinharde matre nobilibus nata, Et pari studio: quo Luithardus Episcopus sororem suam primam Herisiensem Antistitem, ille Gerswindam esse voluit. Ac tametsi Alfridus ex Corbeiensi monacho Episcopus creatus: hoc tamen institutum Virginum commendavit; quando pari adhuc disciplina vitæ ac rigore cantabant intra claustra Collegiorum Canonici, & cameræ virgines; donec posterioribus sæculis ab utrisque discessum in laxiorem vivendi rationem, primæ institutioni minus consentaneam, quod omnium penè religiosorum ordinum commune fuit malum.

Ceterum qui huic synodo Coloniensi interfuisse in utraque tabula memorantur, suis sibi nominibus ac fastis satis constant. Verùm quis ille Odolphus Mimigernafurdensis, & Lubertus Osnabrugensis Episcopus, nusquam in fastis eorum reperio. Quanquam hunc errorem, qui ex corrosis tabulis irrepsit facilè correxeris, si pro Odulpho Bertholfum Luberti in Monasteriensi Cathedra Successorem, & pro Luberto Osnabrugensi Episcopo Egibertum reponas; hunc enim ex Herisiensium tabulis jam anno Christi 868 Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopum supra introduximus.

In hoc ipso celebri Episcoporum congressu Basilicam Coloniensem à Wiliberto ceterisque Episcopis solemni ritu consecratam fuisse, cùm Annales Francorum, tum satis ipsæ Wiliberti Archiepiscopi consignatæ tabulæ commonstrant; in his ita Wilibertus. *Hujus itaq; ordinationis et concessæ electionis decretum conscriptum jussimus in conspectu totius synodalis conventus publicè recitari, quem simul nobiscum hodierno die collectum habuimus, ob nostræ Ecclesiæ dedicationem faciendam, et ob plurima divina tractanda negocia ——.* Utrumne Ludovicus Germaniæ Rex,

Rex, quem Aquisgrani per id tempus fuisse diximus, Coloniam accesserit, & sua præsentia, quod verisimile habeas, synodum & celebritatem dedicationis exornarit, nullus scriptorum prodidit. Biennio abhinc consecuta dedicatio Werthinensis Basilicæ. Cœpta quidem illa à D. Ludgero, sed à nepotibus Episcopis Hildegrimo seniore, Thiatgrimo, Gerfrido, Alfrido, & Hildegrimo absoluta; ac tandem à Wiliberto Coloniensi Archiepiscopo, atque ipso Hildegrimo consecrata. Quod ipsæ tabulæ à Wiliberto relatæ docent.

Per id tempus fundatum est in Westphalia nobile Gerresheimensium monasterium Virginum à Regenberga Gerrici militis filia ex paternis bonis, quod à Wiliberto Coloniensi Archiepiscopo consecratum Deo. Tabulas donationis præter alios consignavit Luthardus Archicancellarius; quem tamen diversum dixeris à Luthardo Episcopo nostro. *Initia Parthenonis Gerresheimensis.*

Inter hæc pietatis & liberalitatis studia, Ludovici quoque Germaniæ Regis singularis beneficentia in Corbeienses Monachos se hoc anno offert; tanquam Patri Ludovico pio conditori nihil concessurus filius. Quam in rem bina donationum diplomata suppetunt, quorum alterum mense Junio, alterum Septembri consignatum. Prius sic habet. *Ludovicus R. Corbeienses eximit à decimis Episcopo dandis.*

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis HLudovvicus divina favente gratia Rex. Convenit Regiæ dignitati semper studere, ne Ecclesiarum Christi status aliqua occasione labefactari incipiat. Ex hoc enim et præsens vita sub majori prosperitate transigitur, et æternæ beatitudinis merces maxima acquiritur. Quapropter expedit nobis sæpius retractare concessiones antecessorum nostrorum, simul et nostra præcepta de immunitate Ecclesiarum ab exactionibus publicis confirmare, ut et quæ prius concessa sunt nusquam infringi patiamur, et de his, quæ forte minus expresse annotata sunt, et ideo in antiquis præceptis non contineri contenditur, per novorum confectionem omnem in futurum dubietatem tollamus. Notum ergo esse volumus omnibus tam præsentis ævi quam succedentium temporum Christi fidelibus, quia novæ Corbeiæ monasterium jussu gloriosi Genitoris nostri constructum est in honorem sancti Stephani protomartyris Christi, atque per voluntatem ejusdem Imperatoris corpore est B. Viti Martyris insignitum. Sed et ex integro ab omnibus publicæ exactionis officiis et expeditione hostili tam de litis quam de ingenuis hominibus terram ejus incolentibus absolutionem promeruit, in quo et nos comprehensum existimavimus, et hactenus observatum comperimus, ut decimæ de dominicatis ejusdem monasterii mansis non darentur Episcopis. Sed ad portam monasterii darentur in eleemosinam præfati Genitoris nostri, et totius prosapiæ ejus, ut videlicet esset unde ministraretur peregrinis et hospitibus, qui nunquam desunt monasterio; nunc vero exorta quæstione per quosdam Episcopos, utrum nam hoc eidem monasterio Genitoris nostri nostroque præcepto concessum sit: quanquam, ut ipsi dicunt, nominatim non sit, expressum, sub ge-

nerali tamen confessione liberæ dispositionis rerum suarum etiam hoc comprehensum fatemur. Sicut et seniori Corbeiæ, ad cujus normam hæc nova instituta est, et præcipuis quibusque monachorum monasteriis antecessores nostros concessisse comperimus, et ne deinceps hinc aliqua dubietas fiat, rogatu venerabilis viri Adalgarii Abbatis ejusdem monasterii per hoc nostræ potestatis præceptum decernimus atque jubemus, ut et omnia, quæ prius habuit, immunitatis præcepta rata et inconvulsa habeantur, et per hanc conscriptionis nostræ Cartam specialiter ei concessum sciatur, ut de Dominicatis mansis vel nunc habitis, vel post acquirendis, à reddendis decimis plenam hoc monasterium habeat immunitatem, nisi sicut hactenus fuit, ut dentur ad portam monasterii in susceptionem hospitum et peregrinorum. His omnibus adstipulari recens Adriani Apostolici præfato Abbati collatum privilegium cognovimus, dum hujus apud nos controversiæ quæstio ventilaretur. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmior habeatur, atque per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, manu propria subter eam firmavimus, atque annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domini  *HLudovici Serenissimi Regis.*

Hebarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti archiCapellani recognovi et ss.

Data XVI Calend. Julii, anno ab Incarnatione Dominica DCCCLXXIII, Regni autem Domini HLudovvici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnante anno XXXIIII, Indict. VI, actum Aquisgrani palatii in Dei nomine feliciter amen.

Et villam Lizzicham iisdem donat.

Alterum verò ejusdem liberalitatis argumentum hisce tabulis consignatum est.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, HLudovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates Ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, atque Regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum sollertia, qualiter Nos ob nostræ mercedis augmentum, et pro remedio animæ Domini avi ac Genitoris nostri, nec non fratris nostri HLotharii suiq; filii et æquivoci concessimus quasdam res proprietatis nostræ ad monasterium situm in Saxonia, quod nuncupatur nova Corbeia, id est Villam, quæ vocatur Lizzicha, ubi sunt homines L. qui picturas faciunt et picturæ Vinearum, quinquaginta et septem particulæ Vinearum. Ubi duæ Carradæ colligi possunt, et sunt ibi 30 fœminæ, quæ dant censum, unaquaq; sex siclas vini, et de lino XII fusas III pullos, et XV ova, et de terra aratoria ad L modios, et de pratis ad Carradas X. Has itaque præscriptas res cum omni integritate totum et ad integrum ex jure et dominatione nostra in jus et domi-

dominationem præscripti monasterii tradimus atque transfundimus; Ea videlicet ratione, ut ab hodierna die et deinceps per hoc nostræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, sed Deo auxiliante, perpetuis temporibus ibi permaneant, absque ulla contradictione, vel eis pro nostra ac Conjugis carissimaque prole, salute Domini clementiam facilius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur et diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLVDOVVICVS *Domini HLudovvici Serenissimi Regis.*
Hebarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti Archicapellani recognovi et ss.

Data VII Calend. Octobris anno XXXIIII regni Domini HLudovici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis. Indict. VI Actum Aquisgrani palatii in Dei nomine feliciter Amen.

Annus Christi 874. 75.

Joannis VIII. Pont. 2. 3.
Ludov. II. Imp. 19. 20.
Ludov. Germ. Reg. 34. 35.
Luthardi Ep. Pad. 15. 16.

Ab hoc deinceps anno 874, qui sequitur, ad annum 885 & Carolum Crassum Imperatorem nulla se memoria Luthardi Episcopi nostri offert. Multi interim Regum obitus, & rerum vicissitudines, quas nosse juvat. Inter Carolinæ stirpis Reges nullus Ludovico Germaniæ Rege potentior, quem præ ipso etiam Ludovico II Imperatore, Italiæ propè Regno incincto, Monarcham tot per Germaniam regnorum appellare licebit, ad quem præ ceteris gentium legati confluxêre, aut pacem aut fœdera poscentes. Eam ob rem Saxonia nostra hactenus tam pacata: Verùm ut in humanis nihil diu stabile, ad arma rursus hæc concitari, ac intestino turbari bello cœpit, non sine fatali cometæ prænuncio, qui mense Julio crinalibus radijs spectatus. Inde enim mense Augusto Ludovicus II Imperator, Lotharij filius, ac Rex Italiæ, morte subtractus, novum dissidij civilisque belli incendium dedit, quòd nullum heredem filium reliquisset. Carolus Calvus Rex Galliarum, compertâ nepotis morte, festinatis itineribus, inconsulto Ludovico Germaniæ Rege ac fratre, in Italiam avolavit, Regnum illud & augustalia ornamenta prærepturus. Id cùm indignè ferret Ludovicus Rex, Carolomannum Regem & Carolum filios cum exercitu in Italiam festinare imperat, (alter enim Bojariæ, alter Sueviæ Rex cognomento Crassus jam nominatus

Annales Francorum à Pithœo editi. Regino.

An. 875. *Annales Francorum.* Ludovici Imp. obitu Germania turbatur.

minatus erat.) Ab his claustra Alpium penetrata, insessaque, ne Carolo reditus pateret. Quibus territus Carolus Rex Galliæ, qui lepore timidior, in juventute virum, in senio puerum egisse scribitur, ad callidas pro more artes conversus, Carolomanno præter auri & gemmarum dona, sancta omnia obtulit. Interim Romam profectus, & Joannem VIII Pontificem sibi demeritus, Jmperator coronatus. Simul per id tempus Ludovicus Germaniæ Rex cum Ludovico filio armatus Galliam ingressus. Ibi cùm Germanus miles à prædis & vastatione contineri non posset, Rex misertus populi calamitates, ultro Gallia excessit.

Annus Christi 876.

Joannis VIII Pont. 4.
Caroli Calvi Imper. 1.
Ludov. Germ. Reg. ultimus.
Ludov. II. filii Germ. Reg. 1.
Luthardi Ep. Pad. 17.

Francor. ann. Regino. Aimoinus. Sigebertus.

Ne tamen Carolo Calvo, homini callidi vafrique ingenij, omnia pro libidine regnandi relinqueret, Francofurti procerum conventum indicit; ex quo mense Julio Wilibert⁹ Coloniensis Archiepiscopus, Adelardus & Menigardus Comites missi ad Carolum, postulatum, ut Jtaliæ Regnum cum filio Ludovico divideret, & cum eo augustale nomen communicaret. Sprevit hoc primùm Carolus, & Græcorum Jmperatorum habitu tumidus, minari etiam ausus est, se tantum brevi armatorum multitudinem adducturum in Germaniam, quæ Rhenum exhaustura esset, daturaque per siccum fluminis alveum militi transitum. Ingentes sed vanæ minæ; postquam enim à Ludovico Rege ac filiis didicit exercitus contrahi, metu perculsus, legatos misit pacem petitum. Inter hæc Ludovicus Rex post amissam Ratisbonæ Emmam Reginam, insignem Corbeiensis & Herivordiensis monasterij benefactricem, & ipse Francofurti v Calend. Septem. mortalitatem implevit, justitia & pietate, civili prudentia & militari gloria clarus: fratrum certè integerrimus & gloriosissimus Rex, ut Regino compellat: longè etiam ceteris bellicosior, terrorque barbararum gentium. Cujus hoc etiam Helmoldi presbyteri elogium: *Noster*, inquit, *Ludovicus, Rex scilicet Germaniæ, Nortmannos fœderibus sive præliis hoc modo retinuit, ut cùm Franciam totam vastaverint, regno ejus vel minimè nocuerint. Post cujus mortem effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Boemi, Sorabi, Susi et Slavi, quos ipse tributis subjecerat, tunc servitutis jugum excusserunt.* Quas verò deinde clades intulerint Saxoniæ, haud multò pòst memorabitur.

Ludovici German. Regis obitus.

lib. 41. c. 7.

Igitur

Igitur ex morte Ludovici Regis orta novi belli flamma; ea siquidem cognitâ cœpit Carolus promissa retractare, & totam Lotharingiam, veterem videlicet Austrasiam, ad Rhenum usque sibi vendicare; eò quadraginta millium exercitu contracto Aquisgranum advolat, ac Regni sede istic occupatâ, Coloniam properat, castraque circa urbem explicat; quò & omnes Regni Optimates ad jurandam fidem evocati. Quæ dum perfide agit Carolus, aberat Ludovicus funere patris Francofurti occupatus, aberant & reliqui fratres. Carolomannus facta expeditione in Italiam ierat: Carolus in Suevia procul agebat. Nec segnis adhæc Ludovicus, nec abjectus, mittit primum legatos ad Carolum Calvum, rogatum, ne contra fidem patri juratam filio hereditatem tyranni in modum eripiat. Quibus Corolus respondit, se cum patre non cum filiis transegisse, sibi hæc omnia superstiti ac seniori Ludovici pi, Imper. filio jure deberi. Inter hæc Ludovicus exercitum colligit ex Francis Orientalibus, Thuringis, & Saxonibus, quocum ex adversa Coloniæ ripa consedit. Castris utrimque oppositis, Ludovicus etiam cum robore exercitus inter Confluentes & Andernacum Rhenum transit, castraque ad Andernacum firmat. Quo comperto, Carolus Calvus pro ingenio ad fraudes conversus, mittit legatos ad Ludovicum, per quos pacis tractationem offert, quo securum & incautum obrueret; cùm ipse interea promotis castris cum 80000 armatorum Rheni ripam ascenderet. Et obrutus fuisset Ludovicus, nisi Wilibertus Coloniensis Archiepiscopus, misso ad Ludowicum Hardivico presbytero, dolum & præsens periculum significasset. Ludovicus de insidiis certior factus, copias contrahit, arma arripit, aciem instruit, & quo sui se ab hoste dignoscerent, nondum orto die pugnaturos, indusio linteove candido humeris injecto, procedere jubet. Ita ventum ad pugnam 8 Idus Octob in pago Meghinensi haud procul Andernaco. Saxones in prima fronte collocati prælium ordiuntur, in quos cùm tota vis incumberet, coacti pedem referre. Laborantibus successêre Franci Orientales, tantoque ardore invecti sunt in Gallos, ut cæsis passim obvijs ad signa penetrarent. Inter primos trucidatus Reginarius Comes, raptaque è manu ejus Aquila, prætorio quod gestabat signo; tum verò disjecti ordines, & per cædes grassatum in fugientes: quos cùm in angusta viarum compulissent, aliis super alios ruentibus nova strage sævitum. Carolus Imperator ægrè cum paucis elapsus, reliquum exercitum à rusticis per agros obtruncatum agnovêre hostes divina vindicta premi, quando ad calcaria restitantes equi, loco moveri non poterant. Provocârat nimirum Ludovicus post publicas preces, jejunia, supplicationes ad superos testes & judicem causæ suæ Deum, cujus deinde ope tam insignem victoriam reportasse creditur. Quod & sero tandem agnovit Carolus Im-

Ex quo novæ in Germania turbæ.

Ludovicus R. Carolum Imp. fausto ad Andernacum prælio vincit.

Imperator in Galliam profugus. Ludovicus inde primum Aquisgranum, deinde Francofurtum triumphans ingressus. Ubi mense Novembri inter fratres denuo stabili regni paterni facta divisione, Carolomanno natu majori cessit Bojaria, Pannonia, Bohemia, Moravia, Carantanum: Ludovico Francia Orientalis, Thuringia, Saxonia, Frisia, & pars maxima Lotharingiæ: Carolo cognomento Crasso Suevia & superior Lotharingia.

Annus Christi 877.

Joannis VIII Pont. 5.
Caroli Calvi Imp. 2.
Ludovici II German. Regis 2.
Luthardi Ep. Pad. 18.

Francorum Annales. Regino. Moritur Carolus Calvus Imp.

Ab hac clade non multum superstes Carolus Calvus Imperator. Iteratis enim literis à Joanne Pontifice adversus Saracenos per Italiam grassantes imploratus, frigidè expeditionem suscepit. Et Italiam quidem ingressus est: at ubi nunciatum, Carolomannum cum exercitu Longobardiam jam intrasse, pavore solutus in Gallias se recepit, & vix Alpium juga ingressus, morte decessit; regno in Ludovicum filium, cognomento Balbum, (ita ob impedimentum linguæ appellatus) quem unicum reliquerat heredem, devoluto. Hæc jam tempora, cùm antè à virtutum præconio Magni, Pij, Bellicosi dicerentur, pòst à vitio corporis Calvi, Crassi, & Balbi appellati sunt. Tum verò Carolomannus multis Imperatorijs virtutibus exornatus, ut eum Regino commendat, Italiam occupat. Balbo satis fuit transigere cum Carolomanno ac ceteris ejus fratribus, quo Regnum Galliæ retineret. At Ludovicus Rex Germaniæ, excelsi animi Princeps, postquam Francofurti comitia procerum habuerat, captivos omnes ultro remisit in Gallias. Inde armis in Sclavos ceterosque trans Albim barbaros conversis, ad pacem & tributa adegit: simul patris majorumque exemplo, patrocinia religiosorum virorum suscepit; cujus rei argumentum esse potest diploma, quo Werthinensi cœnobio omnia jura & privilegia confirmat. Id tale est ex tabulario ejus cœnobij productum.

Ludovic9 R. Germ. confirmat privilegia Werthinensium.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia Rex. Si petitionibus fidelium præsulum sanctæ Dei Ecclesiæ justa et rationabilia petentium acquiescimus, hoc sine dubio ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum esse liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam futurorum industria, qualiter Hildegrimus Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopus quoddam monasterium Werthina nuncupatum competitione fratrum ibidem Deo servientium nostro commendarit patrocinio et nostræ defensionis tuitioni, rogans, id ipsum exposcentibus fratribus, ut jam dictum monasterium sub sua constet potestate

à tempore

à tempore vitæ suæ, et post discessum ipsius monasterii prædicti fratres deinceps potestatem habeant inter se eligendi Abbatem, qui eos regulariter procurare sciat. Nos etiam petitionibus jam fati Episcopi et prædictorum fratrum assensum præbuimus, et jussimus fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decernimus atque jubemus, ut præfata petitio firma stabilisque permaneat. Hominibus itaque prædictorum fratrum nulla judiciaria potestas vel judex publicus præsit: non ab iis freda sivè paratæ accipiendæ exigantur: præfati monasterii fratres hominesque ipsorum ab omni vectigalium exquisitione securi permaneant: eorum advocato, quem Abbas constituerit, si quid est ratiocinandum, vel corrigendum fiat, et immunitatis tuitione semper permaneant et ubique. Et ut hæc auctoritas assertionis nostræ firmior habeatur, et futuro tempore à fidelibus nostris melius credatur, et diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus et annuli nostri impressione sigillari jussimus

Signum Ludovvici Serenissimi Regis.

Waltherus Cancellarius ad vicem Luthberti Archicapellani recognovi.

Data XI *Calend. Junii, Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLXXVII *Anno primo regni Ludovici Regis in Orientali Francia regnantis, Actum Bisestadt in Dei nomine feliciter Amen.*

Huic alterum conjungas liberalitatis monumentum, qua Gandersheimense monasterium Virginum Diœcesis Hildesiensis cumulavit. Et benefacit Monasterio Gandersheimensi,

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus, et necessitates Ecclesiasticas nostro sublevamus juvamine, atque regali tuemur munitione, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, industria, qualiter pro remedio animarum piissimorum antecessorum Augustorum, et ob nostræ mercedis augmentum, nec non pro dilecta conjuge Lutgarda, ac carissima prole nostra, quasdam res proprietatis nostræ ad monasterium, quod dicitur Gandesheim, concessimus, quod est constructum in honore S. Stephani protomartyris, et in nostro constat patrimonio, hoc est in villa, quæ dicitur Tengstede, et in villa quæ dicitur Erike, in pago, qui vocatur Suthuringia, in Comitatu Ottonis, cum domibus, ædificiis, campis, agris, pratis, pascuis, sylvis, cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, accessibus cum adiacentibus finibus, exitibus cum regressibus, et quidquid ad præfatas Villas jure ac legitime pertinere videtur, Ita ut quidquid ab hodierna die deinceps Abbatissa et Sanctimoniales fœminæ præfati monasterii inde facere voluerint, liberam ab omnibus perpetualiter habeant potestatem. Si vero persona qualibet posterorum nostrorum, quod minimè credimus, hoc nostræ concessionis præceptum irrumpere tentaverit, et immunitatis et electionis à nobis concesso scripto continetur, violandum decreverit, omnipotentis Dei iram incurrere se nullo modo dubitet, et coram justo judice in tremendo examinis die

se rationem inde redditurum minimè ignoret. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris melius observetur, veriusque credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. Datum V Idus Febru. Indict. 10. Anno incarnat. Domini nostri Jesu Christi 877 Anno primo Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Actum Francofurti in Dei nomine feliciter Amen.

Obitus & præclara facta Altfridi Hildesiensis Episcopi.

Sustulit hic annus è numero Saxonicorum præsulum Altfridum Hildesiensem Episcopum, quem Luthardus Episcopus noster sibi conjunctissimum semper habuit, ob viri religionem, sapientiam, & vitæ sanctimoniam. Nam & primaria Westphaliæ nobilitate ortus, vitam primò apud nos inter Corbeienses Monachos elegit; ex quo sacro cœtu ob virtutum eminentiam Hildesiensium Episcopus delectus, præclare annis 30 sedi illi præfuit. Ab eo etiam Basilica Hildesiensis opere magnifico constructa dedicataque fuit. Ac præterquam quod diœcesin multis prædijs & bonis locupletârit, condita sunt ab eo duo illustria Virginum sacrarum collegia, Essendiense & Salingenstadense; dotatumque præterea ab eo multis bonis Gandersheimense monasterium, ut fasti Hildesiensium celebrant. Quanquam longè pulchrius opus, Clerum sanctissimis institutis à se formatum Successori reliquisse. Hæc enim per id tempus omnium integerrimorum Episcoporum prima cura erat. Quare si unquam, Collegia Sacerdotum & Canonicorum tum florentissima spectabantur. Ob hæc virtutum studia & opera Alfridus ipse magno apud Ludovicum Regem in honore erat, multis legationibus publicis pro Rege functus. Quam vivus sanctitatis famam meruerat, ea etiam post obitum illustrata miraculis proditur. Subrogatus Alfrido ex eodem cœnobio Corbeiensi Ludolphus, vir eximiæ virtutis & exspectationis; quem tamen mors, priusquam Episcopus consecraretur, subtraxit. Inde ex eodem cœnobio & seminario Episcoporum sublectus Marquardus, quem haud multò post clades Ebbersdorfiana sustulit.

Obitus & genus Ludolphi Ducis Saxoniæ.

Widekind. lib. 1. Ann.

Crantzius ad hunc quoque annum retulit funus Ludolphi clarissimi Ducis Saxoniæ & bellatoris pro christiana religione adversus barbaros, de quo supra relatum. Hujus filij Bruno, Tancquardus & Otto Dux magnus, ex quo genitus Henricus Rex Ottonis M. parens. Multis Ludolphi præclara facinora celebrant Saxonum Scriptores. Nobis vel ex eo commemorandus, quòd Westphaliæ & Angariæ magnam partem Ducis imperio complexus, Luithardo Episcopo nostro hasce regiones ab hostibus intactas servarit. Cùm Reges civilibus inter se bellis decertarent, jam Ludolphi filia Luitgardis Ludovico II Germaniæ Regi in Matrimonium data erat. Adeo & ipsa Ludolphi familia clara erat, & connubio in regiam familiam penetrârat.

Annus

Annus Christi 878 & 79.

Joannis VIII. Pont. 6. 7.
Ludov. Balbi Imp. 1. 2.
Ludov. II Germ. Reg. 3 & 4.
Luthardi Ep. Pad. 19. 20.

Prospera adhuc per hæc tempora Germania Saxoniaque, Ludovici II Regis provisu, quem modò Aquisgrani, modò Francofurti, modò in palatio Thuringiæ ad Salam fluvium proceres in comitijs præsentem habuêre, nec alio negotio magis occupatum, quàm ut Reipublicæ & religionis incolumitati consuleret. Ac ne per civilia bella quicquam turbaretur, convenêre ad Marsanam vicum inter Mosam & Heristallum Ludovicus Germaniæ, & Ludovicus Balbus Galliæ Rex, confirmatis amicè ijs, quæ inter utrumque parentem de partitione Regnorum convenerant. Quanquam altero ab hoc anno Ludovicus Balbus morte subtractus, Galliæ Regnum in turbas conjecit, quòd Ludovicus & Carolomannus filij ex Ansgarda pellice suscepti divisêre; nam Adelheidis conjux, quæ heredem filium datura esset, gravida relicta, Carolum cognomento simplicem post edidit.

Annus Christi 880.

Joannis VIII Pont. 8.
Ludovici II Germ. Regis 5.
Luthardi Ep. Pad. 21.

At multò calamitosior annus insequens 880 Germaniæ Saxoniæque, & furore Regum, & clade à Nortmannis accepta. Quippe Ludovicus Rex, dum Galliæ occupandæ ambitiosius inhiat, præter duos filios, amisit Carolomannum fratrem Bojariæ & Italiæ Regem. Is quia sterilem conjugem sortitus, nonnisi Arnulphum ex concubina reliquit, cui Ludovicus Carentanum Ducatum attribuit, nescius, quàm brevi hic, exstinctâ Carolina per Germaniam stirpe, Imperator futurus esset. Carolus inter hæc alter fratrum cognomento Crassus, Sueviæ Rex, Italiam occupat, & à Joanne Pontifice Imperator salutatur. Inter hæc dum Ludovicus Lotharingicis & Gallicis rebus detinetur, Nortmanni, gens ex Danis, Norwegis & Suecis conflata, altero exercitu Belgium vastant, altero Albim transgressi in Saxoniam se effundunt. Qui in Belgium irruperant Nortmanni, ad Scaldim delati. Adversus hos Ludovicus Rex progressus cum exercitu; commissoque prælio, quinque Barbarorum millia prostravit. Qua in pugna Hugo Regis filius desideratus. At his, qui Saxoniam irruperant Nortmanni, Bruno, Ludolphi Saxoniæ ducis filius ac Ludgardæ Reginæ frater, ex Imperio Ludovici Regis se objecit: vir ingentis animi,

Francorum Annales à Pithoeo edit. Aimoinus. Crantzius lib. 2. Saxo. c. 31. & lib. 2. Metrop. c. 3. & 9. Widekindus lib. 1. Helmoldus lib. 1. c. 7. Adamus Bremen. lib. 1. c. 34. Albertus Stadensis. Meibomius in notis ad lib. 1. Widekindi.

Clades Saxonum prope Ebbeckes.

dorff à Nortmannis illata.

mi, sed infelicis successûs. Contraxerat ille exercitum, ad quem præcipui Saxoniæ Comites et proceres ac tota propè nobilitas confluxit. Bellum ab omnibus eò flagrantius susceptum quòd contra barbaros et juratos christianæ religionis hostes gerendum. Quapropter & Episcopi aliquot se conjunxêre, non tam bellatores, quàm Sacerdotes sacrarumque præsides, more jam à Francis recepto; quemadmodum & supra bello contra Sclavos Episcopos produximus in castris Ludovici Germaniæ Regis. Igitur secundo die Februarij, qui B. Virgini sacer adscribitur, Nortmanni & Saxones congressi in vico Ebbecksdorfio Ducatûs Luneburgensis, acri inter se prælio decertârunt. Anceps diu pugna, quâ postremùm Saxones circumventi, compulsique in in paludes glacie constrictas: quæ ubi pondere armatorum pressæ considerunt, hæsit soluta glacie immersus abruptusque à se miles, cui nec emergendi nec pugnandi facultas erat; uti hæc Widekindus & Dithmarus Scriptores nostri tradunt. Quo conspecto, Barbari incurrunt, & miserabili strage alios post alios impune contrucidant. Non alia funesta clades magis accepta à Saxonibus, ex quo Christi religionem susceperunt. Cæsus Dux Bruno: duo Episcopi, Theodoricus Mindensis & Marquardus Hildesiensis: Comites præterea duodecim; quos inter tres Bardones, Thiodericus, Gerricus, Ludolphus, Folcwardus, Avanus, Thiotricus, Liutharius occubuêre: Satellites, quos ab alijs præfectos nominari leges, haud minus quàm octodecim desiderati, uti Francorum Annales hæc memorant, & post eos complures alij Scriptores retulerunt. Corpora cæsorum Episcoporum, Comitum & nobilium in unum cumulum protracta sunt, exutaque vestibus & armis aliquamdiu insepulta jacuêre, & cùm nemo ob metum hostilem ad tumulum peteret, nec jam amplius ab incolis ejus loci dignosci possent, in eodem vico promiscuè consepulta sunt. Majores inde, quòd bello sacro occubuissent, cultu Divorum inter Martyres habuêre. Ejus quoque rei gratia monasterium Virginum ordinis D. Benedicti eodem in loco conditum. Sanè Bollandus secutus ceteros, Divorum fastis adscripsit. Atque hæc ut certa habeamus scriptorum majorumque fide; ita Crantzius plerosque Saxoniæ Episcopos ad classicum hujus belli confluxisse, simulque in hoc prælio occubuisse narrat. Quemadmodum & alii septem Episcopos eum in numerum referunt: alii pauciores, interque hos etiam Paderbornensem Episcopum recensent; quem tamen non alium proferre illis licebit quàm Luithardum: constabit autem ex diplomate Caroli Crassi infra à nobis recitando, Luithardum anno adhuc 885 superstitem fuisse. Haud dissimiles fabulæ, quas de Verdensi, Monasteriensi, Halberstadiensi, Osnabrugensi, Bremensi Episcopis in prælio cæsis narrant. Nam si illi scriptores legissent Francorum Annales, Dithmarum, Helmoldum, Adamum Bremensem, Albertum

Bolland. tom. 1. Feb. die 2.

Acta Paderborn. MS. chron. Minden. Kersenbroch. in Episcop. Paderb.

tum Stadensem, reperissent duos tantum Episcopos ex eo prælio desideratos, Theodoricum Mindensem & Marquardum Hildesiensem; nec plures probati Auctores permittunt.

Nortmannorum victoria provocati Sclavi, magnis Barbarorum copiis conglobati in Thuringiam proruunt, cædibus & prædis grassando; jamque ad Salam fluvium atque ipsum regium palatium pervenerant. Quibus Poppo Comes insigni fortitudine & religione miles implorata numinis ope occurrit, & ad internecionem prope delevit, ne tota barbaries se in hasce Christianorum regiones effunderet.

Annus Christi 881.

Joannis VIII Pont. 9.
Caroli Crassi Imper. 1.
Ludov. II Reg. Germ. 6.
Luthardi Ep. Pad. 22.

Omne Saxoniæ præsidium per hæc temporum mala erat in Ludovico Germaniæ Saxoniæque Rege. Sed ille Gallicis turbis implicatus, magisque intentus erat, ut Nortmannis per Galliam dominantibus obsisteret, quàm ut Saxoniam tueretur. Opportune interim Otto Dux Saxoniæ in locum cæsi fratris obtigit, Vir, ut Widekindus scribit, fratre Brunone prudentior, fortitudine bellica, & omni virtute longè præstantior. (Widekindus lib. 1.) Hunc idcirco Ludovicus toti Saxoniæ, Westphaliæ videlicet, Angariæ, & Ostphaliæ ducem ac moderatorem præfecit; eòque plus confisus Ottoni, quòd Sororem ejus Luitgardem in matrimonio haberet, ac veluti proregis dignitate exornatum vellet: Sed Deo hæc arcanis consilijs longiùs porrigente, qui deficiente Carolina stirpe, filium ejus Henricum primum Saxoniæ Regem, & nepotem ejus Ottonem M. primum ex Saxonum gente Imperatorem esse voluit. Nec in præsens fefellit Ludovicum Regem in Ottone fiducia; quippe qui à clade Ebbekesdorfiana Saxones collegit in arma, eodemque adhuc anno ultus fratris Brunonis necem, Nortmannos prælio victos prostravit, ultraque Albim in sedes suas rejecit; itaque contigit, ut dum illi per totam Galliam, & Germaniam, ut jam referam, desævirent, Saxoniam tamen intactam relinquere sint coacti. (Otto Dux Saxoniæ ulciscitur cladem à Nortmannis illatam.) Ludovicus interim Rex Germaniæ, compositis per Galliam rebus, in Bojariam profectus, æstatem istic transegit. Ineunte hyeme Francofurtum concessit; ubi morbo, quo altero anno est extinctus, decumbere cœpit. Carolus verò cognomento Crassus, cùm Italiam sui juris faceret, hoc anno Romæ ipso natali Christi die Imperator à Joanne Pontifice coronatus,

Fine

Annal. Franc. Regino. Sigebertus. Nortmanni Galliam & Belgium devastant.

Fine anni sæva illa, & ad omnem posteritatem memorabilis Nortmannorum in Belgium & Germaniam irruptio facta, quam Scriptores tradidêre. Nam etsi ejecti cum clade Nortmanni è Gallia, Neomago se includerent; reparatis tamen viribus, Godefridus & Sigefridus Reges mense Novembri cum innumerabili gentis suæ multitudine invecti per ostia Rheni in adversum Mosam Hasalon Oppidum in Mosæ ripa occupant, & locum castrorum vallo fossaque præmuniunt. Quo tanquam ad receptum firmato, longè lateque in prædas effunduntur, omnia simul ferro flammaque vastando. Qua procella Leodium, Trajectum castrum, Urbs Tungrensis, Prumia, Inda, Stabuletum, atque obvia quæque cœnobia ignibus absumpta. Inde in certiorem Mosæ ripam conversi per Ripuariam eodem barbaro furore sæviunt: tum Coloniam Agrippinam & Bonnam civitates, ut Francorum Annales addunt, cum Ecclesijs & ædificiis incendunt. Quotquot autem evadere potuerunt tàm Canonici quàm Sanctimoniales Moguntiam profugêre, thesauros Ecclesiarum & corpora Sanctorum secum portando. Tum præterea Tulpiacum, Novesium, ac cetera loca injecto à Barbaris igne conflagrârunt: tum captum Aquisgranum, & regium palatium, capellaque regia, ac nobilis illa Caroli M. Basilica in stabulum equorum conversa. Ac ne cetera commemorem, eodem excidio Aimoinus Cameracum, Ambianum, ceterasque Belgicæ secundæ Urbes eversas, & Parisios Urbem à Sigefrido Nortmannorum Rege quadraginta millibus Barbarorum obsessum refert. Nihil ante eum diem aut Gothorum, aut Vandalorum, aut Hunnorum furor in Christianos ediderat truculentius. Adeo quidquid inter Scaldim, Mosam, ac Rhenum patuit, evastatum est, Saxoniâ quod mireris, intactâ. Ita verò Barbarorum irruptione premuntur regna, dum aut christianorum vitia adoleverint, aut Reges ad ignaviam prolabuntur, aut Principes dissident intestinis bellis.

Annus Christi 882.

Joannis VIII Pont. 10.
Caroli Crassi Imp. 2.
Ludov. II. Germ. Reg. 7.
Luthardi Ep. Pad. 23.

Francorum annal. Regino. Herm. contract. Ann. Fuld. Brunnerus ex antiq. autog. Ludovici II. Germ. Reg. obitus.

Subinde Ludovicus Germaniæ Rex, quem Francofurti lecto depressum diximus, hoc insequenti hujus sæculi anno octingentesimo secundo Francofurti 3 Calend. Februarij moritur. Quanquam Francorum annales XIII Calend. Decemb. obijsse referant; cujus mortem cometes XV Calend. Februarij radiantibus comis spectatus denunciavit; Regino XIII Calend. Septemb. excessisse refert. Corpus

pus ad Laurescheimense cœnobium ac patris sepulchrum delatum. Filium quidem is susceperat ex Luitgarde, quem Ludovicum suo nomine dixerat; Sed is puer Ratisbonæ ex fenestra prolapsus præmatura morte excesserat. Ita nullo herede filio relicto, omnia ad Carolum Crassum Imperatorem, qui ex Ludovici pii filiis superstes erat, devoluta. Quocirca proceres nihil sollicitius habuerunt, quam ut Carolum ex Italia in Germaniam evocarent. Vulgatâ Ludovici morte, duplici malo conflictatum; nam & exercitus qui adversus Nortmannos erat à Rege missus, diffluxit; & Nortmanni fugientium vestigiis inhærentes, & munitione sua ad Mosam effusi, Confluentiam usque populando progressi. Moguntini ne in prædam venirent, urbem suam muris instaurant. Ac Nortmanni Treviros versi urbem occupant, incolis partim interemptis, partim fugatis, & templa ædesque uno busto involvunt. Idem Metis excidium intentabant, cùm interea Carolus Crassus Imperator multis cum legionibus ex Italia advolat. Quo cognito, Nortmanni intra suam munitionem ad Mosam se recipiunt. At Imperator, ut gentem tam infestam ex Imperio ejiceret, Wormatiæ conventum procerum indixit; decretoque bello, copias ex Alemannia, Francia Orientali, Bojaria contrahit. Saxones nostri jussi duce Ottone Albim custodire; Thuringi duce Poppone in Sclavos, Bohemos & Sorabos excubare. Inde Imperator præmisso Arnulpho Principe, quem postea Germania Imperatorem sortita, cum Bojarijs, & Heinrico cum Francis Orientalibus, jussit Nortmannos palantes intercipere; ipse cum robore exercitus consecutus, intra munimentum Haslam ad Mosam inclusit, quo Nortmannorum Reges Sigefridus & Godefridus cum prædatorio exercitu se receperant: ibi in XII diem sunt obsessi. Cùm verò obsidentes & obsessi XII Calend. Augusti inaudita aëris tempestate, quæ, tonitru, fulmine, grandine & imbribus è cœlo effusis, castra & urbem disjecit, attoniti fractique concidissent, bellum pace conficitur; ac datis utrimque obsidibus, jussus Godefridus Rex venire in castra & jurare, nunquam se Carolo vivo regnum ejus hostiliter ingressurum. Atq; is cùm se christianam religionem suscepturum promitteret, si Frisia illi, & Gisla Lotharij filia in conjugem daretur, illis impetratis, fonte baptismatis abluitur, Imperatore partes susceptoris obeunte. Sigefrido & ceteris Nortmannis ingens auri argentiq; summa data. Fœdum & indignum Germaniæ nomine pactum, auro redimere, quod ferro solvendum erat. Haud multum dissimilis labes, qua nostra memoria Sueci, Nortmannorum gens, post triennale bellum auro redempti ex Imperio. Post illa Carolus Confluentiam profectus, exauctorato milite, singulos domum remisit. Confluentiâ Imperator Carolus Wormatiam profectus, ad conventus Imperij agendos; ubi insigni diplomate


Nortmanni Germaniæ infesti, à Carolo Crasso domantur.

Jura Corbeiensium à Carolo Imp. confirmantur.

mate Corbeiensibus omnia jura & privilegia confirmat, locumque sacrum in tutelam Jmperatorum suscipit; Diploma etsi ad veterem Jmperatorum ac Regum formam sit compositum, hîc tamen repræsentare placuit.

Jn nomine sanctæ et Jndividuæ Trinitatis, Karolus divina favente Clementia Jmperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum largiri non diffidimus. Jdcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum sagacitas, quia adiens Serenitatem culminis nostri vir reverentissimus Puppo Abba ex monasterio Corbeia, quod est super fluvium Wisera in villa regia in loco dudum nuncupante Huxeri dicatum in honorem S. Stephani protomartyris, suggessit mansuetudini nostræ, ut idem monasterium et monachos ibidem per tempora degentes cum rebus et hominibus, non solum sub nostra tuitione et defensione constitueremus, verum etiam et talem immunitatem fieri juberemus, qualem omnes Ecclesiæ in Francia habent: cujus petitionem dignam et perspicuam judicantes, hanc auctoritatem immunitatis erga prædictum monasterium Corbeiæ ejusque Rectores fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas præsenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis habet, vel deinceps ibidem conlatæ fuerint, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussoret tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et lutos distringendos, aut ullas redibitiones aut inclitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; Sed liceat memorato Abbati suisque Successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine vivere ac residere, et quidquid exinde jus fisci exigere poterit, totum et ad integrum nos pro æterna retributione ad pauperes alendos, et luminaria eidem monasterio concinnanda concedimus; qualiter Monachi ibidem degentes pro Nobis, proleque nostra, atque stabilitate totius imperii Nobis ad regendum commissi Domini misericordiam attentius exorare delectet. Sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant Rectores hujusce monasterii cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare, videlicet, ut quidquid justè et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas immunitatis atque confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum



Signum Domini Karoli *Serenissimi Imperatoris Augusti,*

Waldo Cancellarius ad vicem Luitvvardi ArchiCancellarii recognovi et ss. Data VIII Id. Novemb. anno Incarnat. Domini DCCCLXXXII Indict. XV, anno verò Imperii piissimi Imperatoris Karoli II. Actum Wormatia Civitate in Dei nomine feliciter amen.

Inter hæc civile bellum inter Saxones & Thuringos exortum. *Francorum*
Ejus concitatores Poppo & Egino comites, Thuringiæ præfecti. *Annales*
Verùm ut in auctores iniqui belli plerumque pœna recidit, Thuringi à Saxonibus magna clade protriti sunt. Nec tamen per hæc aut Nortmanni Saxones, nec Sclavi Thuringos lacessere ausi; quòd armati starent, Ottone cumprimis Duce per Saxoniam obvolitante.

Annus Christi 883.

Marini Pont. 1.
Caroli Crassi Imper. 3.
Luthardi Ep. Pad. 24.

Jam is per Saxoniam status erat, ut suis se auspicijs imperijsq; *Regino.*
regeret, deserta sensim à Regum suorum ac cæsarum procuratione. Nam & Carolus Crassus Imperator, præterquam quòd Boicis, Alemannicis, & totius Imperij negotijs, in depellendis Nortmannis è Belgio, arcendisque ex Germania distinebatur, hoc anno expeditionem in Italiam suscepit; quæ à Saracenis haud secus quàm Gallia à Nortmannis vexabatur, Vidonis cumprimis Thusciæ ducis conspiratione cum Saracenis ac rebellione.

Annus Christi 884.

Hadriani III Pont. 1.
Caroli Crassi Imp. 4.
Luthardi Ep. Pad. 25.

Vix dum hoc composita erant, cùm Imperator ex Italia evo- *Regino.*
catus in Germaniam redijt, Wormatiæque conventu procerum *Sigebertus*
habito, alium exercitum in Pannoniam, alium in Moraviam misit, Nort-
& Ducum auspicijs rebelles compressit. At majus periculum immi- manni infesti Gal-
nebat à Nortmannis, quòd hi mortuis intra annum Ludovico & liæ.

Carolomanno Francorum Regibus, irruptionem in Gallias minitarentur, nisi eâdem, qua defuncti Reges, pecuniæ summa secum paciscerentur. His Galli angustijs circumventi Caroli Imperatoris opem implorant, regnumque offerunt, quod in quartum annum tenuit, Monarcha exinde totius regni Francici, per Italiam Gallias, & Germaniam. Carolus igitur pro auctoritate Nortmannos Gallia excedere jubet. Quibus illi offensi Lovanij in visceribus Belgij se præmuniunt castraque, ex quibus prædas agant. Qua ex sede belli, immisso licet alio post alium exercitu, frustra eos Galli tentârunt expellere. Adeo frigidè tum bella gerebantur.

Expelluntur è Duisburgo, duce Henrico Saxone.

Simul per id tempus aliæ Nortmannorum copiæ per ostium Rheni invectæ Duisburgum, (Regino Dinckburgum vocat) occupant, in eoque se Oppido includunt, dissimulante Godefrido Rege, cui Frisiam datam diximus cum Gisla Lotharij filia. Fortissimus ea tempestate Ducum erat in castris Imperatoris Henricus Popponis frater. Is per hyemem ita pressit, ut oppido tandem relicto, oceanum repetere coacti sint Nortmanni. Spectabant hæc vicini Saxones; & quo minus ejusmodi in Saxonia molirentur Nortmanni, præstabat Ottonis, Saxoniæ Ducis militaris virtus, armataque Saxonia. Sensim belli gloria à Francis ad Saxones transire visa. Celebris quoque ea tempestate per Westphaliam Reginbernus, Theodorico comite Ringelheimio & Oldenburgico natus, Widekindi M. abnepos, à quo varijs prælijs obtriti Dani.

Annus Christi 885.

Stephani VI Pont. 1.
Caroli Crassi Imp. 5.
Luthardi Ep. Pad. 27.

Regino. Sigebertus. Godefridus Rex Nortmannorum Germaniam turbaturus occiditur.

Accesserat annus Christi 885 quo, licet Imperator totam Germaniam in quiete possideret, obturbare tamen hanc ausus Godefridus Nortmannorum Rex. Quòd Frisia, qua donatus erat, minimè contentus, missis ad Imperatorem legatis, peteret Confluentiam, Andernacum, aliaque ad Rhenum loca vini feracia, quod id Frisia non ferret. Specie hæc obtendebantur, quando re ipsâ ab Hugone Lotharij filio sollicitatus ad rebellionem, promissa Lotharingiæ parte, si cum Nortmannis irruptionem faceret. Quæ cùm Imperatorem non laterent, legatos ejus benignè habitos remittit ad Regem cum responso brevi, ab Imperatore mittendos ad Regem Oratores, qui coram omnia pertractarent. Inde in consilium vocatus Henric⁹ supremus militiæ præfectus, statuit Godefridum dolo tollendum, quando cum exercitu per Frisiæ paludes penetrare non liceret.

ceret. Missi igitur ad Regem Wilibertus Coloniensis Archiepiscopus, & Dux Henricus cum proceribus in Bataviam. Ibi cum Eberhardus comes suas possessiones, quas iniquè detinebat Godefridus, repeteret; orto inter Regem & Comitem litigio, comes educto ense letalem plagam capiti Regis infligit, quem mox accurrentes Henrici Satellites confodiunt. Inde in Nortmannos versi, omnes per Bataviam Insulam contrucidant. Hugo subindè auctor rebellionis erutis oculis in cœnobium detrusus. Ad hunc modum Imperator præsenti periculo defunctus Germaniam quietam habuit.

Mense verò Septembri inter ceteros legatos ab Imperatore auditus est benignè orator à Luithardo Paderbornensi Episcopo missus, qui Antistitis sui nomine liberam Episcopi sui electionem petebat, Collegij cathedralis Sacerdotibus & Clericis, qui hîc fratres vocantur. Imperator postulatis egregio diplomate eligendi Episcopi sui potestatem fecit. Id quia inter cetera Ecclesiæ hujus monumenta à Ferdinando Episcopo primum è tabularijs nostris est productum, hîc adscribo.

Carolus Imp. liberam Clericis Paderb. facultatem dat eligendi Episcopum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industria, qualiter quidem venerabilis vir Luthardus Paterbrunnensis Ecclesiæ Episcopus sua missa legatione nostræ suggessit Celsitudini, quatenus in eligendis Episcopis prædictæ Ecclesiæ fratres inter se firma stabilique per futura tempora electione juxta pristinum morem frui mererentur. Cujus petitioni assensum præbentes ob remedium venerandæ memoriæ videlicet avi et Genitoris nostri, ac nostræ salutis prosperitatem, ratam firmamque ei perhenniter hujusmodi electionem concessimus, licet talem inter se moribus scientiaque probatum invenerint, qui eidem officio aptus dignusque, quantum humana adhoc competit fragilitas, dinoscatur. Proinde hoc nostræ auctoritatis præceptum ei conscribi jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut deinceps, sicut supra diximus, ipse Paterbrunnensis Ecclesiæ clerus potestatem habeat inter se eligendi Pontificem, donec inter ipsos talis inveniri poterit, qui ad illud officium dignus reperiatur. Et ut hæc nostræ auctoritatis concessio apud posteros obtineat vigorem, annulo nostro subter jussimus sigillari.

Salomon Notarius ad vicem Luitvvardi archicancellarii recognovit.

Data VI Jdus Septemb. Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXXV. Indictione III, anno verò regni Domini Karoli piissimi Regis VIIII imperii ejus V. Actum in Franckenefurt in Dei nomine feliciter Amen.

Utrumne verò Carolus Crassus primò hanc liberam potestatem eligendi Episcopum Paderbornensi Ecclesiæ dederit; an quòd in electione Baduradi & Luthardi hæc jam ante obtenta, confirmarit, incertum habeo. Luthardus certè, quòd jam aut senio gravis, aut invalitudine pressus ad extremum vitæ urgeretur, Ecclesiæ suæ consultum voluit. Hoc ipsum privilegium liberæ electionis confirmatum ab Ottone II. Ut in Folmaro Episcopo referemus. Neque id privilegium novum videri debet, quando jam antè Carolus M. aut certè Ludovicus pius Imperator, ut Sirmondo visum, lege in Capitularium libris sancitâ, Clero per Germaniam & Franciæ Regnum liberam & communem omnibus Collegijs eligendi Episcopi potestatem dedit, idque antiquorum patrum, institutis & Ecclesiæ libertati; atque receptæ consuetudini consentaneum profitetur; Ut in hoc non tam privilegium, quàm antiquum Ecclesiæ jus recognoscas. Etenim quòd Imperatores ac Reges jus vendicent nominandi Episcopos, eam à Pontificis indulto potestatem habuêre à Pipino & Carolo M. ceteri Francorum Reges & Imperatores; ita verò reddidêre Ecclesiæ, quod ab Ecclesia acceperant.

Annus Christi 886.

Stephani VI Pont. 2.
Caroli Crassi Imp. 6.
Luthardi Ep. Pad. ultimus.

Quantum exinde Luthardus ab hoc anno superstes vixerit, nemo satis in tabulas retulit. Verùm cùm diploma hoc Cæsareum mense Septemb. hujus anni consignatum sit Luthardo, atque is VI Nonas Maji (quod in Herisiensium necrologio annotatum est) obierit, consequens est anno 886 obijsse; nam Biso ejus Successor anno proximo 887 Episcopus introducitur; quippe qui hoc anno, ut referemus, simile diploma à Carolo Crasso imperatore obtinuit. Et si Luthardi initia Episcopatûs ab anno 859 deducere lubeat, jam annos XXVI Episcopatus, quos Auctor vitæ Menwerci adscribit, integros reperies. Quanquam Crantzius ex Annalibus Paderbornensibus annos XXIII illi consignet. Bruschius Luthardum innocentissimæ atque optimæ vitæ fuisse scribit. Neque dubium quin integerrimis & sanctissimis Saxoniæ Episcopis accenseretur; quales tum prima christianæ religionis per Saxoniam ætas ferebat; Ut vel inde Unwanus Episcopus, cùm adhuc posthuma ac recens ejus fama odorque Sanctitatis spiraret, Luthardi ossa cum reliquis è tumulo levârit.

Luthardus Ep. verisimiliter hoc anno obijt.
Crantzius libro 2. Metrop. c. 15. Brusch. in cat. Pader. Episc.

Haud

Haud multò post Luthardum, * mense Julio, sublatus est è numero mortalium Wulfarius, quartus Mindensium Episcopus; quem virum á doctrinâ, prudentiâ, & fervore religionis proferendæ haud dissimiliter commendant ejus Ecclesiæ fasti. Et Wulfarius Ep. Mind. *al. 15. Sept.

Hoc ipso mense Majo; quo Luthardus excessit, priusquam ad Bisonem transeamus, non intermittendum duximus diploma Stephani Pontificis eo nomine sexti, quo privilegia ac jura Hildesiensis Ecclesiæ, & Corbeiensis ad Visurgim Monasterij, Apostolica auctoritate confirmat. *Crantzius lib. 2. Metrop. c. 27. Chron. Mind.* Stephanus Papa confirmat privilegia Ecclesiæ Hildesiensis & Monasterij Corbeiensis.

Stephanus Episcopus Servus servorum Dei, Reverendissimo et sanctissimo Wicberto Episcopo sanctæ Ecclesiæ, quæ vocatur Hildesheim, patrocinio sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ dedicatæ, seu Bovoni Abbati venerabilis monasterii, quod vocatur nova Corbeia, ex dedicatione et nomine Beati Christi protomartyris sancti Stephani, ubi in sacris requiescit membris B. Christi Martyr Vitus in perpetuum. Convenit Apostolico moderamini pia religione succurrere pollentibus pia compassione, et poscentium animis alacri devotione impartiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimi præmium à Conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur omnes sanctæ Ecclesiæ Dei fideles atque devotos præsentes scilicet atque futuros scire volumus. Utrasque supra nominatas Ecclesias cum omnibus earum familiis seu plebibus, ac rebus immobilibus, juste ad eas ubique pertinentibus, quarum una sedes vocatur ex patrocinio sanctæ et superexaltatæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, altera verò Monachorum contuberniis instituta, et dedicatione B. protomarytris Stephani, ubi et B. Martyr Vitus corpore requiescit, sub B. Petri Apostolorum Principis tuitione et sedis Apostolicæ speciali defensione per hoc nostræ Apostolicæ confirmationis privilegium omnibus modis submissas perenni jure consistere. Hujus rei gratia decrevimus, et prærogativa atque auctoritate Dei omnipotentis, et ejusdem Apostolorum Principis, cui ligandi atque solvendi in Cœlo et in terra data est potestas, cujusq; nos vice divino munere fungimur, injungimus, ut à nullo hominum aliqua vis aut oppressio, vel contrarietatis, seu occupationis molestia quocunque modo inferatur in rebus vel possessionibus Ecclesiarum earundem, neque illarum possesiones aut decimæ ipsis collatæ ubique Ecclesiis à quolibet usurpentur, aut more tyrannica diripiantur. Sed in arbitrio et jure Episcopi vel Abbatis utriusque Ecclesiæ cuncta consistant, sub diligentissima Canonicæ Institutionis censura. Potius autem eædem Ecclesiæ utriusque ordinis cum omnibus earum possessionibus per hujus Apostolici statuti privilegium indiminutè ac illibatè ab omnibus, qui christiano nomine censentur, sub defensione sanctæ sedis Apostolicæ habeantur et observentur, ad laudem Dei omnipotentis, et Sedis Apostolicæ reverentiam, et stabilem

stabilem etiam vigorem, et statum augmentandum profuturum Ecclesiæ. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostræ authoritatis et Apostolicæ Confirmationis privilegium piè à nobis concessum ire agereque præsumpserit, et in toto vel ex parte transgredi conatus fuerit, et omnem reverentiam sanctæ Sedis Apostolicæ non observarit, sciat se à Deo Patre omnipotente et filio et S. Spiritu excommunicatum, et nisi resipuerit, perpetuo anathemate condemnatum. Qui verò custos et observator exstiterit, et benedictionem et gratiam à Deo et Domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Gregorii Scrineatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Majo Indictione quinta, valete. Datum 3. Calend. Junii per manum Leonis Sacellani Sanctæ Sedis Apostolicæ Imper. Domino piissimo patre Carolo Augusto coronato magno Imper. anno sexto, et post consulatum ejus anno sexto, Indictione quinta.

Wigbertus, quem Pontifex tam honorificis titulis exornat Marquardi, qui in Ecbekesdorfiano prælio à Danis cæsus occubuit, Successor fuit, & quintus Hildesii Episcopus; uterque ex Corbeiensibus Monachis ad eam dignitatem delectus. Ac miror cur Crantzius aliique hunc vix annum in Episcopatu explesse scribant; cùm his literis in sextum annum superstes memoretur; & post etiam anno 888 in synodo Moguntina subscripserit decreto Episcoporum. Bovo similiter post Warinum quintus Corbeiensium Abbas, vir doctrina, vitæ integritate & religione præstans. Et jam Corbeiensis cœnobij fama Romæ Pontificis aures animosque impleverat, non tam quòd Hildesiensis Ecclesiæ tres ordine præstantes Episcopos, Alfridum, Marquardum & Wicbertum dederat, quàm quòd indies tot Apostolicos viros in Septentrionem mitteret, quorum operâ ad barbaras gentes fidei christianæ lumen tanto cum fructu importabatur.

BISO

BISO
IV,
EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 887.

Stephani VI Pont. 3.
Caroli Crassi ult.
Arnulphi Reg. Germ. 1.
Bisonis Ep. Pad. 1.

POst Luthardum quartus Paderbornensis Episcopus Biso, hoc ipso, vel fine præcedentis anni secundum Caroli Crassi privilegium à clero suo in locum Luthardi electus; vir cùm vitæ integritate, doctrinâ & prudentiâ: tùm religione & pietate egregius, magnaque apud Imperatores auctoritate. Quanquam ex qua familia sit ortus, & per quos gradus in clero subvectus, aut à quibus consecratus sit Episcopus, è vetustatis memoria, ut multa ejusmodi, nobis subtracta sunt. Episcopatûs initia à cultu pietatis est auspicatus. Nam, ut in vita Menulphi refert auctor relatus, sepulchrum Baduradi Episcopi aperuit, anno ab obitu ejus XXVII (qui juxta calculum à nobis positum hic annus 887 est) seu ut ossa honoratiori loco collocaret, ob cœlestia beneficia ad ejus patrocinium impetrata; seu alia hujus rei causa fuerit. Sanè postquam Baduradi corpus inspectum in tumulo fuit, repertæ sunt vestes omnes, quibus corpus involutum jacebat, prorsus integræ, nulloque aut vetustatis aut prutredinis vitio obnoxiæ. Quod uti Bisoni cleroque, qui aderat, argumentum fuit sanctitatis; ita omnes accepêre hortamentum imitandæ virtutis. *Biso elevat ossa B. Baduradi.*

Mense Aprili hujus anni Coloniæ Metropolis suarum Provincialium Episcoporum conventum habuit, ad quem & Saxoniæ Episcopi convenêre, Wulfelinus seu Wulthelinus Mimigarnefordensis, & Drogo Mimidonensis Episcopus. Ea in synodo legibus & pœnis actum in raptores bonorum Ecclesiasticorum. *Synodus provincialis Coloniensis. Binius.*

At Biso inter hæc vix biennium vixit sub Carolo Crasso Imperatore. Is, quia superiori anno imploratus à Gallis erat, misit hoc anno

stabilem etiam vigorem, et statum augmentandum profuturum Ecclesiæ. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostræ authoritatis et Apostolicæ Confirmationis privilegium piè à nobis concessum ire agereque præsumpserit, et in toto vel ex parte transgredi conatus fuerit, et omnem reverentiam sanctæ Sedis Apostolicæ non observarit, sciat se à Deo Patre omnipotente et filio et S. Spiritu excommunicatum, et nisi resipuerit, perpetuo anathemate condemnatum. Qui verò custos et observator exstiterit, et benedictionem et gratiam à Deo et Domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Gregorii Scrineatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Majo Indictione quinta, valete. Datum 3. Calend. Junii per manum Leonis Sacellani Sanctæ Sedis Apostolicæ Imper. Domino piissimo patre Carolo Augusto coronato magno Imper. anno sexto, et post consulatum ejus anno sexto, Indictione quinta.

Wigbertus, quem Pontifex tam honorificis titulis exornat Marquardi, qui in Ecbekesdorfiano prælio à Danis cæsus occubuit, Successor fuit, & quintus Hildesii Episcopus; uterque ex Corbeiensibus Monachis ad eam dignitatem delectus. Ac miror cur Crantzius aliique hunc vix annum in Episcopatu explesse scribant; cùm his literis in sextum annum superstes memoretur; & post etiam anno 888 in synodo Moguntina subscripserit decreto Episcoporum. Bovo similiter post Warinum quintus Corbeiensium Abbas, vir doctrina, vitæ integritate & religione præstans. Et jam Corbeiensis cœnobij fama Romæ Pontificis aures animosque impleverat, non tam quòd Hildesiensis Ecclesiæ tres ordine præstantes Episcopos, Alfridum, Marquardum & Wicbertum dederat, quàm quòd indies tot Apostolicos viros in Septentrionem mitteret, quorum operâ ad barbaras gentes fidei christianæ lumen tanto cum fructu importabatur.

BISO

BISO IV.

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 887.

Stephani VI Pont. 3.
Caroli Crassi ult.
Arnulphi Reg. Germ. 1.
Bisonis Ep. Pad. 1.

POst Luthardum quartus Paderbornensis Episcopus Biso, hoc ipso, vel fine præcedentis anni secundum Caroli Crassi privilegium à clero suo in locum Luthardi electus; vir cùm vitæ integritate, doctrinâ & prudentiâ: tùm religione & pietate egregius, magnaque apud Imperatores auctoritate. Quanquam ex qua familia sit ortus, & per quos gradus in clero subvectus, aut à quibus consecratus sit Episcopus, è vetustatis memoria, ut multa ejusmodi, nobis subtracta sunt. Episcopatûs initia à cultu pietatis est auspicatus. Nam, ut in vita Menulphi refert auctor relatus, sepulchrum Baduradi Episcopi aperuit, anno ab obitu ejus XXVII (qui juxta calculum à nobis positum hic annus 887 est) seu ut ossa honoratiori loco collocaret, ob cœlestia beneficia ad ejus patrocinium impetrata; seu alia hujus rei causa fuerit. Sanè postquam Baduradi corpus inspectum in tumulo fuit, repertæ sunt vestes omnes, quibus corpus involutum jacebat, prorsus integræ, nulloque aut vetustatis aut prutredinis vitio obnoxiæ. Quod uti Bisoni cleroque, qui aderat, argumentum fuit sanctitatis; ita omnes accepêre hortamentum imitandæ virtutis. Biso elevat ossa B. Baduradi.

Mense Aprili hujus anni Coloniæ Metropolis suarum Provincialium Episcoporum conventum habuit, ad quem & Saxoniæ Episcopi convenêre, Wulfelinus seu Wulthelinus Mimigarnefordensis, & Drogo Mimidonensis Episcopus. Ea in synodo legibus & pœnis actum in raptores bonorum Ecclesiasticorum. Synodus provincialis Coloniensis. *Binius.*

At Biso inter hæc vix biennium vixit sub Carolo Crasso Imperatore. Is, quia superiori anno imploratus à Gallis erat, misit hoc anno

anno Henricum Ducem, fortissimum eâ tempestate Francici & Germanici sanguinis bellatorem, & Popponis Thuringiæ ducis fratrem, adversus Nortmannos; ea enim barbara gens, ex quo semel pedem fixit in Belgio, exercitu triginta millium selectorum virorum Parisios obsidere ausa, urbem fortiter propugnante Cossino Episcopo, & Odone Roberti Comitis filio, generis Saxonici. At postquam Henricus hostium castra exploraturus cum equo prolapsus est in fossam, atque ab ipsis Nortmannis in conspectu militum confossus interiit, exercitus sublato capite diffluxit. Quare Imperator cum reparato exercitu in Galliam festinavit; ac castra licet hostium castris opposuerit, hostem tamen ab obsidione dimovere non licuit; donec fœda pactione Nortmannis regio Sequanæ permissa, quæ deinceps Nortmannica appellata est. Ita prædatricem gentem illam primò in visceribus Galliæ, haud secus quàm Gothos olim, & ipsos Francos permittere necesse fuit. Hæsit inde hæc labes Imperatorio nomini & Galliæ.

Nortmanni sedem in Gallia figunt.

Domesticis inde malis conflictatus Imperator. Nam postquam ex Gallijs in Germaniam redijt, Vercellensem Episcopum, quem Archicancellarium apud se habebat, virum sapientissimum, & moderatorem omnium rerum, ex aula abjecit, ex levi & inani suspicione consuetudinis cum Richarde Augusta. Et mox ipsi Augustæ libellum repudii misit, frustra de injuria contestanti, jurantique non modò decennio illo, quo Carolo in uxorem data, sed ab ipsis etiam incunabilis intactam se virginem permansisse; paratamque supra fidem & juramentum, candentis ferri examine pudicitiam suam confirmare. Quæ omnia frustra fuère. Tantum vel suspicio tenacius animo concepta, vel audacia delatorumque invidia & malevolentiam valuit. Richardis, ut hæc ipsa multò generosius contemneret, in monasterium à se conditum recessit, ubi sponsum magis sibi fidum invenit.


Richardis Augusta à Carolo Imp. repudiatur.

In hoc tamen Aulæ rerumque statu Biso Paderbornensis Episcopus Carolum Imperatorem adijt, benignum in se atque æquum Principem expertus. Nam cùm ab ipso Imperatore confirmationem omnium privilegiorum bonorumque sacrorum sui Episcopatus, ac deinde idem pro Herisiensi Collegio Virginum suæ dioecesis peteret, exhibitis in hanc rem, quæ à Carolo M. & Ludovico pio Imperatore Paderbornensis Ecclesia haberet, utrumque impetravit. Paderbornensis Ecclesiæ diploma ex ipsis originum literis adscriptum est ejusmodi.

Biso Ep. à Carolo Imp. obtinet confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Paderb. & Collegij Herisiensis.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Karolus divina favente gratia Serenissimus Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis nostræ imperialis potestatis benevolentiam impendamus, hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum fore liquido credimus. Quapropter

pter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum cognoscat industria, qualiter vir venerabilis nomine Biso, Episcopus scilicet Ecclesiæ constructæ in honore sanctæ Mariæ semper Virginis, et sancti Chiliani, in loco, qui dicitur Paderbrunna, attulit in præsentiam nostram beatissimorum avorum nostrorum augustorum, piique Genitoris nostri conscripta, in quibus continebatur, qualiter ipsi antecessores nostri jus præfatæ Ecclesiæ cum hominibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperint mundeburdo, precatusque est mansuetudinem, ut hoc ipsum à nostræ imperialis potestatis consensu fieri non recusaremus. Nos autem ob amorem Domini, et ob remedium animæ pii Genitoris nostri, cæterorumque Antecessorum, nec non et pro nostræ mercedis augmento, paternos mores sequentes, et benignitati ejus consentientes ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel quæ deinceps in jura ipsius loci divina pietas voluerit augeri, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones, vel injustas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Hominibus quoque famulatum ejusdem monasterii facientibus in hurstemorarca, qui Saxonicè malman dicuntur, prædicatum mundeburdum et tuitionem nostram constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, vel advocato, quem ejusdem loci Episcopus elegerit. Quidquid vero fiscus exinde sperare potuerit, prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria concedimus, et ipse Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio, et sub nostra consistat defensione, quatenus ipsum fratresque ejusdem loci pro nobis Dominum melius jugiterque exorare delectet. Et ut hæc nostræ consensionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam confirmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domini Karoli  Serenissimi Imperatoris Augusti.


Amalbertus Cancellarius ad vicem Luitberti Archicappellani recognovi.

Data XI Calend. Octobr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII Indictione V Anno vero regni Karoli Serenissimi Imperatoris Augusti in Italia VII, in Francia V. in Gallia III. Actum ad Justinavva curte Regali in Christi nomine feliciter amen.

Satis hoc magnificum diploma ostendit, quæ privilegia juris ac bona Ecclesia Paderbornensis non modò à Ludovico Imperatore, sed & Carolo M. consignata habeat, licet utriusque tabulæ modo desiderentur. Prorsus ad illam formam Carolinam, qua Osnabrugensis Ecclesiæ diploma superest, & à Ferdinando Episcopo primùm ex autographo integrè productum est in monumentis Paderbornensibus; ne quis judex publicus, aut regius minister quidquam in bona & possessiones, vel subjectos homines potestatis habeat; sed tota jurisdictio publica sit penes Episcopum, uti principem Imperij; qui aut ipse per se, aut per advocatum vicariæ potestatis ea administret. In hunc denique modum, postquam singulæ dioeceses suis terminis fuêre circumscriptæ, ceteris quoque bona sua, privilegia, ac jura à Carolo M. esse data, nulli controversum esse debet. Alterum Herisiense diploma, quod eodem die ac loco consignatum est ab Imperatore, pari hîc fide sistimus.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Karolus divina favente gratia Serenissimus Imperator Augustus. Si loca divino cultui mancipata nostro levamus juvamine, hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessanda profuturum fore liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum cognoscat industria, qualiter Biso Venerabilis Padrabrunnensis Ecclesiæ Episcopus attulit nostræ Serenitati quoddam conscriptum, in quo continebatur, qualiter quoddam monasterium sacrarum monialium in loco, qui dicitur Herisi, una cum licentia piissimi Genitoris nostri à Liuthardo Episcopo, una cum decreto Liutberti Archiepiscopi, atque omnium Consynodalium suorum Coëpiscoporum, simulque omnium consacerdotum et Clericorum à fundamentis fuerat constructum, ea videlicet ratione, quia ipse Luithardus Episcopus et soror ejus nomine Waldburc in Sanctimoniali proposito permanens, tradiderunt suam proprietatem ad præfatam suam Ecclesiam Padrabrunnensem, quæ est constructa in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quatenus ejusdem res perpetualiter in ejusdem monasterii potestate consistant. Et deprecatus est nos idem venerabilis Episcopus Biso, ut ipsum monasterium et res ad illud pertinentes sub nostræ immunitatis tuitione et defensione susciperemus, et tales casas, sicut ipse in beneficium habuit, in villa Nadri, pro remedio animæ nostræ illuc ad Dei servitium ipsis monialibus concederemus. Nos vero ejus petitioni libenti animo satisfacientes ita fieri decrevimus. Concessimus igitur illuc in ipsa Villa Nadri hobas X cum casa et curte, vel cum omnibus juste ad ipsas hobas pertinentibus, vel respicientibus; et jussimus eis fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decernimus atque jubemus; ut memorata Waldburc præfatum monasterium Herisi diebus vitæ suæ securiter per hoc nostræ auctoritatis præceptum habeat atque possideat. Post suum vero discessum licentiam ipsæ sorores habeant inter se eligendi Abbatissam una cum consensu illius Padrabrunnensis Ecclesiæ Præsulis. Et mundeburdum de eadem

dem Ecclesia habeat præfatum monasterium Herisi, et per unumquemque annum IIII solidos ad eandem Ecclesiam persolvant. Simulque mansa X in villa nuncupata hajonhus, quæ Liuthardus venerabilis Episcopus illuc perpetualiter permanenda concesserat, cum decimis villarum, quæ vocantur Herisi, Mahtiun, Nortgardinum et Suthgardinum cum appenditiis sibi villulis in usibus ancillarum Dei tradita per hoc nostræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante perpetuis temporibus consistant, absque alicujus contradicentis obstaculo. Volumus etiam atque præcipimus, ut sæpè jam dicti monasterii ancillarum Dei homines non alio modo à judiciariis personis constringantur, nisi sicut Padrabronnensis Ecclesiæ præceptis concessimus. Episcoporum quoque synodale decretum conscripto et signo subscriptionis roboratum super memoratum monasterium Dei, nomine herisi, nostræ quoque largitionis concessione firmatum permaneat. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus nostris veriùs credatur, et diligentius conservetur, manu propria nostra subter eam confirmavimus, et sigillo nostro assignari jussimus.



Amalbertus Cancellarius ad vicem Liutberti Archicappellani recognovi. Data XI Calend. Octob. anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII *Indictione V. Anno verò regni Domni Karoli Serenissimi Imperatoris Augusti in Italia VII in Francia V in Gallia III Actum ad Lustinavua curte regali in Christi nomine feliciter Amen.*

Ad Imperatoris diploma accedit Stephani VI Pontificis, Herisiensi Virginum monasterio per hæc tempora datum, quod hodiedum Virgines servant in cortice seu ægyptiaca papyro Longobardorum literis conscriptum; id quia ob implexos characterum ductus ex integro legere non licuit, ejus exemplar hîc intermittimus. Ex adversa diplomatis pagina adscriptum, id diploma à Bisone Episcopo impetratum esse; à quo præterea reliquiæ S. Saturninæ Virginis, & caput S. Agathæ, & costa S. Laurentij importata sunt; ut jam satis constet, cujus beneficio hæc sacra pignora Herisiensibus obvenerint.

Ceterum Carolus haud multum inde superstes Imperator; tanquam hæc ultima ejus munificentiæ dona fuerint, post quæ Imperator ipso codro pauperior è fortunæ scena spectatus. Nam cum mense Novembri Triburiæ, aut, ut quidam, Francofurti, conventum procerum

Regino in Chronico. Sigebertus. Hermannus Contractus Otto Frisingensis l. 6. c. 9.

cerum convocasset, omnes uno impetu concitati, Franci cumprimis, Saxones & Thuringi, desciscunt. Tracti mox in societatem Boji, Suevi, ceterique Germaniæ Optimates; quòd palam cognoscerent, Imperatorem viribus corporis & mente destitui, ac non nisi simulacrum Imperatoris agere. Quare conspirantium sententiis exauctoratur, imperiumque Arnulpho defertur. Erat is Carolomanni fratris filius, ex concubina genitus, juvenis præcelsæ indolis & virtutis. Tanta verò animorum conversio fuit, ut è tanto aulicorum & procerum numero ne unus quidem persiterit, qui Carolo ad obsequium maneret: cunctis ad novum Imperatorem transeuntibus. Ita omnibus regnis & bonis exutus Imperator mittit supplex Bernardum filium ex pellice genitum, qui vitæ alimenta ab Arnulpho sibi assignari peteret. Triduum Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus pauperis instar aluit; donec Arnulphus Rex Neudringam illi pagum, Sueviæ domicilium, & ex fisco regio tenues census attribueret, ex quibus vitam traheret. Triste spectaculum ex fortunæ ludibrio videre Imperatorem, qui Ludovico gloriosissimo Germaniæ Rege natus, avum habuerat Ludovicum pium, proavum Carolum M. nec minor ipse Monarcha fuerat, eò recidisse miseriæ, ut regiam dignitatem cum mendicitate conjungeret; uno tantummodo felix, quòd & mente imminutus, & senio præmortuus calamitatem nesciret; qui tertio post mense in Januario vitam clausit, funere ad Augiæ cœnobium deducto. Ita vel ad extremum usque Fortuna Principem destituit, quem certè Regino eorum temporum scriptor & spectator magnis laudibus extollit; utpote qui per omnem vitam regijs & christianis virtutibus exornatus, nihil pro viribus ingenij impensius habuit, quàm Ecclesiam armis tueri, legibus firmare, assiduis precibus vacare, stare in choro Sacerdotum inter cantores, pauperes & religiosos omni liberalitate fovere. Quemadmodum & tabulæ à nobis ex Saxonia adductæ hanc in rem testes venire possunt.

Exauctoratur Carolus Imp. Succedit Arnulfus R. Germ.

Quanquam & alius rerum humanarum casus in Carolo Crasso. Ultimus enim ille erat per Germaniam, post tot Reges & Principes ex stirpe Carolina, præter Arnulphum à Carolomanno ex concubina genitum; neque in Gallia alius superstes ex hac stirpe, præter Carolum cognomento simplicem, à quo tamen productior stirps per Ludovicum Transmarinum, Lotharium, & Carolum Reges; sed nomina potius, quàm Reges, in quibus eandem scenam deficientium Francorum spectare licuit, quam ultimæ istæ umbræ Merovingianæ stirpis Reges dederant.

lib. 2. ad an. 880.

Sapienter vereq; Regino, Francorum, inquit, Regnum à Carolo M. ad fastigium pervenit. *Post cujus decessum, variante fortuna, rerum gloria, quæ supra vota fluxerat, eodem quo accesserat modo, cœpit paulatim* *difflu-*

diffluere, donec deficientibus non modo regnis, sed etiam ipsa regia stirpe, partim immatura ætate pereunte, partim sterilitate conjugum marcescente, hi soli de tam numerosa stirpe superstites essent. Et nondum hoc sæculum exierat, ex quo Carolus M. excesserat. Tam cito Regum & Principum familiæ, tot armis & studiis in immensum auctæ, fatis suis occidunt.

At una spes per Germaniam in Arnulpho. Et hunc tanquam alterum Carolum Martellum ut quondam Francia, ita nunc Germania est sortita, qui collapsa restitueret, sustineretque Imperij molem; & quantum illi natalium sorte, tantum ingenio militari, procerum gratia, magnitudine animi ac prudentia propè similis. Imperium auspicatus est Arnulphus à pietate & religionis studio; ejus rei argumentum inter cetera liberalitas in Ecclesias & religiosorum hominum cœtus: satisque testabitur diploma, quo altero statim mense, postquam delectus Rex Germaniæ, Corbeiense Monachorum, & Herivordiense Sanctimonialium Virginum monasterium in tutelam suscepit, privilegia confirmavit, & Regni incolumitatem sacrorum hominum precibus ac meritis apud Deum commendavit.

Arnulphus R. confirmat privilegia Corbeiens. & Herivordiensium.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnulphus divina favente gratia Rex. Si servorum Dei petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibimet commissarum utilitatibus nobis suggerunt, clementer annuere ac piè prospicere volumus, et ad præsentis vitæ cursum prosperè peragendum, et ad futuræ beatitudinis præmia promerenda id nobis profuturum liquido credimus. Unde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisq; fidelibus notum esse volumus, quod fidelis noster Bovo monasterii, quod vocatur nova Corbeia, insinuavit Celsitudini nostræ, qualiter ipsum Monachorum Cœnobium sibi commissum, nec non et monasterium puellarum constitutum in loco Herford nuncupato, cui præest Abbatissa nomine Hathuvic, à venerandæ memoriæ antecessore nostro, HLudovico pro æterna ipsius omnisq; gloriosissimi generis sui memoria primum constructa, ac deinde tam illius quam filii sui Serenissimi Regis HLudovici, et Successorum ejus largitionibus illustrata, et defensione ac tuitione hactenus fuerint conservata. Quamobrem nostram imploravit Clementiam, ut eadem monasteria sub nostra tuitione suscipientes omnes donationes atque concessiones à progenitoribus ac prædecessoribus nostris eis collatas nostræ auctoritatis præcepto firmare et stabilire vellemus. Cujus rationabili ac justæ petitioni assensum præbentes, decernimus atque jubemus; Inprimis ut utrumque Cœnobium cum omnibus ad ea pertinentibus plenissimæ immunitatis securitate fruatur, sicut ab Antecessoribus nostris eis concessum fuerat, et in eorum præceptis continetur, neque publicis exactionibus, vel quibuscunque modis illorum homines à qualibet judiciaria potestate distringantur; sed nec præfatus Abbas ejusque successores aliquando in hostem ire cogantur, sed sicut antea eis à prædecessoribus nostris concessum fuit, omnes suos Vasallos Nobiles secum in patria ab expeditionibus vacantes habeant; inferioris verò

con-

conditionis, quantis opus habuerint ad legationem nostram et ad monasterii utilitatem, pro ut necessitas flagitat, peragendam. Deinde supradicta monasteria cum universis rebus suis ita in nostram tuitionem ac defensionem suscipimus, ut eorum decimas vel possessiones sive regia donatione, seu aliorum fidelium traditione attributas, vel proprio labore acquisitas, nulla cujuscunque ordinis aut dignitatis persona quolibet modo eis auferre præsumat. Sed Episcopi, qui Ecclesias ad ea pertinentes officii sui causa debent adire, non exigant majores sumptus ad sua mansionatica, quàm primùm statutum fuerat, et in capitulari libro scriptum habetur. Præterea, quod ab exordio constructionis eorundem monasterium à nostris antecessoribus constitutum est, nos quoque firmiter servari volumus, videlicet, ut ubicunque casas vel cortes habuerint ex rebus, quas ibidem suis laboribus adquirunt, decimas dent ad portam monasterii, nec alibi eas dare cogantur, quatenus in nostram ac totius generis nostri perennem mercedem supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur, sicut in regio Capitulari et in decreto synodali permissum est, Xenodochia et reliqua fidelium pauperumque construi hospitalia, et mos fuit semper in sacris concedi cœnobiis. Proinde utrique congregationi regularis electionis potestatem concedimus, ut et Monachis inter se Abbatem, et sanctimonialibus Abbatissam similiter, dum ita res exigit, eligere liceat. Ad extremum, quoniam superius nominatus Cæsar HLudvvicus gentem, quam pater Serenissimus Imperator Karolus ferro edomitam ad christianitatis fidem convertit, ad memoriam paternæ virtutis et religionis monasteriorum constructionibus illustrare disponens, hæc duo ad perpetuam tam ipsius, quam universæ, ut supradictum est, gloriosissimæ prosapiæ suæ eleemosinam secundum antiquam monasticæ disciplinæ rectitudinem construi et ordinari præcepit; Idcirco nos eam cunctorum fidelium nostrorum, præcipuè Episcoporum, in quorum Parochiis vel eorum res sunt positæ, tuitioni et benignitati commendamus, ut eis, ubi illorum ope indiguerint, providentiam et auxilium magis exhibeant, quàm molestiam ingerant; nec in ipsorum Ecclesiis à suis presbyteris missarum celebrationes fieri interdicant, sed si quid sui juris sibi inde negari putent, ad nostram præsentiam et synodalis examinis judicium deferant; justum est enim, ut eis prosit, quod semper sub Imperiali et Regia prædecessorum nostrorum tuitione fuerunt; et quod defensionem et confirmationem rerum suarum à potestate Petri per præcepta sedis Apostolicæ consequi meruerunt. Ut autem omnibus innotescat, nos nihil ex his, quæ antecessores nostri ad eadem loca donaverant, velle minuere, etiam ex nostro addere aliquid decrevimus, concedentes ad subsidia fratrum in præfata nova Corbeia Domino servientium piscationem in methriki, et in vicinis locis, quæ ad nostrum jus pertinebant, atque universum beneficium, quod Norbertus provisor, una cum omnibus mansis et familijs, quæ ad ipsam piscationem providendam, et ad prædicti Nortberti beneficium pertinebant. Hæc vero auctoritatis nostræ concessio ut pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem manu propria subter eam confirmavimus et annulo nostro assignari jussimus.

Signum

Signum Domni Arnolfi R NF—◇—S L *Gloriosissimi Regis.*

Engilberc Notarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi et ss. Data III Idus Decembr. anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVII *anno primo regni Domni Arnolphi piissimi Regis, Actum in Forchheim palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.*

Annus Christi 888.

Stephani VI Pont. 4.
Arnulphi R. Germ. 2.
Bisonis Ep. Pad. 2.

Succedit nunc annus Christi 888, quo Germania novo & potentissimo Rege suo Arnulpho, viro acri & bellicoso exultabat. Nam teutonico suo regno, uti Otto Frisingensis scribit, complexus est Franciam Orientalem, Bojariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam. Episcopi verò, penes quos summa post Regem auctoritas erat, ut hoc concesso rerum statu communi Imperij bono consulerent, celebrem Moguntiæ Synodum convocârunt; ad quam non modò Luitbertus Moguntinus, Wilibertus Coloniensis, Radbertus Trevirensis Archiepiscopi cum suis provincialibus Episcopis, sed & Thiatmarus Salisburgensis, & Joannes Rotomagensis, Adalgarius Bremensis Archiepiscopi convenerunt. Quemadmodum horum nomina hactenus nec à Binio, nec Sirmondo, nec à Labbeo & Cossartio in conciliorum generalium tomis prodita, nec à Serrario, alijsque reperta ex Corbeiensium tabulis producimus. Neque dubium, quin Biso Episcopus noster, alijque complures Saxoniæ Episcopi, quorum nomina nondum integrè comperimus, præsentes fuerint. Celebris, si quæ ad eum diem synodus nationalis, ut conturbatus per Franciam & Germaniam status poscebat, in quo reponendo Episcopi semper præsidium & columen Ecclesiæ fuère.

Concil. gener. Binii tom. 3. Sirmondi. Labbei & Cossart.

Moguntina nationalis Synodus, bono Imperij celebrata.

Igitur patres congregati primo statim congressu calamitosum Imperij statum sibi ante oculos proponunt, multisque deplorant vastitatem à Nortmannis illatam: quis enim, inquiunt, sine lachrimis aspiciat mala gentis nostræ, & Sanctorum exusta tot templa, eversa, tot cœnobia & collegia sacrorum hominum, diruta tot altaria, direpta tot Ecclesiarum ornamenta, trucidatos tot Episcopos & Sacerdo-

cerdotes, tot homines nullo ætatis discrimine gladio peremptos, extremamque illam ruinam, quam Barbari per Gallias & Belgij provincias intulerunt, quæ adhuc in visceribus Imperij hæret? Hactenus cùm Francorum Regum gloria prævaleret, Barbari armis nostris victi in servitutem venêre Christianorum; nunc Christiani in servitutem Barbarorum venimus: nec alia horum malorum causa, quàm languor Principum, dissidia, &, quæ omnium origo, peccata cleri & populi, vindicem in nos irati numinis manum provocantia. His ut per salutaria remedia occurrerent Patres, primùm ex munere Regi Arnulpho præscripsêre monita ac leges, quibus illi defensionem Ecclesiæ, justitiæ severitatem, pacis & concordiæ studia, causas pauperum, viduarum, orphanorum, & iniquè oppressorum commendant; ac leges hasce, uti sanctè præscripserant, ad Arnulphum deferri jusserunt. Inde ad disciplinam cleri populique formandam universim XXVI decreta adversus flagitia & vitia, quæ in Ecclesiam irrepsisse compererant, sanxêre, quemadmodum hæc acta concilij docent.

Controversiæ Episcoporum Osnabrug. & Paderborn. cum Corbeiens. & Herivordiens. de immunitate ad Synodum referuntur.

Hac in Synodo cùm aliorum, tum duorum Saxonicorum Episcoporum, Osnabrugensis & Paderbornensis, querelæ sunt auditæ: Osnabrugensis querela erat, de subtractis Ecclesiæ suæ decimis, quas Cobbo ob debitum Goswini Episcopi averterat ad Corbeiense, & Herivordiense cœnobia, uti supra relatum est à nobis. Statuêre quidem Patres Canone XIII, *ne Ecclesiæ antiquitus constitutæ decimis aut aliis possessionibus priventur, et novis oratoriis attribuantur*; ea tamen controversia etsi multum agitata, in hac synodo decisa non fuit. Stabat pro Osnabrugensi Episcopo Metropolitanus ejus Wilibertus Coloniensis Archiepiscopus; productæ in hanc rem literæ Caroli M. & Hadriani Pontificis, quibus prima ejus Ecclesiæ dos ac fundatio in decimis monstrabatur facta; additæ quatuor aliorum Pontificum tabulæ, quibus idem asserebatur confirmatum. Contra hanc Cobbonis abalienationem propugnabant Antistites horum monasteriorum, multi dynastæ & Comites; quos inter Allo & Hermannus referuntur, filii, ut conjectura est, Cobbonis Teclenburgici Comitis. Hi cùm acerrimè se opponerent, res affecta magis, quàm confecta fuit; donec tandem Arnulfus anno 895 in Wormatiensibus comitiis, abrupta lite, Osnabrugensibus decimas reddi juberet. Ita verò non omnia ex æquo bonoque in hac synodo statim decisa sunt, quod & Paderbornenses experiri necesse fuit.

Altera igitur controversia Bisonis Episcopi erat adversus eosdem Corbejenses & Herivordienses ob jurisdictionem sacram, à qua Bovo Abbas ita hæc Monasteria exempta absolutaque contendebat, ut nihil relinqueret potestati Episcopali vel in ordinatione horum Monasteriorum, vel in Ecclesias Monasterijs subjectas, vel Sacerdotes

tes

tes ac Clericos earundem Ecclesiarum: tantum quæ potestatis sunt ordinis in consecrandis Sacerdotibus, templis & altaribus, in conficiendo chrismate, in sacramento confirmationis impertiendo, & quæ ex potestate ordinis inhærent, sibi Episcopum Paderbornensem retinere vellet. Contra hæc eadem causa obtendebatur ab Episcopo Paderbornensi, quæ ab Osnabrugensi, quod hæ Ecclesiæ ac loca omnia cum Sacerdotibus ac Clericis jam antè à Carolo M. in descriptione singularum per Saxoniam Diœcesium Episcopo Paderbornensi antiquitus essent subjectæ, priusquam hæc Monasteria à Ludovico pio conderentur, aut Ecclesias illas cum Sacerdotibus & Clericis sibi vendicare possent Monasteriorum Antistites. Unicum in hac causa obstare poterat, quo Patres hujus synodi subnixi videntur, indulgentia videlicet & libertas à Ludovico Pio Imperatore, & Ludovico Germaniæ Rege facta, qua ejusmodi Ecclesiæ parœciæque Monasterijs donatæ, Abbatumque & Abbatissarum imperio & jurisdictioni submissæ; quale privilegium Ludovici Germaniæ Regis supra adduximus, ad annum Christi 853, donantis Herivordiensi Abbatissæ potestatem in Ecclesia Rhemi ad Amasim constituendi Archipresbyterum, cui eadem potestas cum Episcoporum Archipresbyteris sit in ceteros presbyteros & Clericos. Non ego hoc inquiro, qua potestate politici Principes juri Episcoporum id subtrahere potuerint; nisi forrè Metropolitani & Legati Pontificis auctoritate id fecerint. Multa Episcopis ob potestatem regiam & merita in Ecclesiam dissimulanda fuerunt: quemadmodum & Monasteriensis Episcopus hæc tum fortè, etsi ægre permisit; tum multa etiam Warino Abbati & Herivordiensi Antistiti, quòd Regij sanguinis essent, indulta; quando ex jure patronatus etiam jurisdictionem in pastores & Sacerdotes sibi vendicare cœperunt. His igitur ac similibus Patres in Synodo Moguntina persuasi inductique ita in causa Episcopi Paderbornensis pronunciarunt.

Convenit Episcopali auctoritati piè sollicitèque semper cogitare, quatenus ita Ecclesiarum Dei sollicitudinem habeant, ut sacris locis, in quibus jugi Deus famulantium sedulitate placatur, opportuna conferre suffragia non detrectent. Unde ego Liudbertus licet indignus Mogontiacensis Archiepiscopus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ suggero. Quia venerabilis frater noster Bovo Abbas Monasterii, quod vocatur nova Corbeia, attulit nobis quamplurima Chirographa gloriosissimorum Principum ad confirmationem privilegiorum ejusdem monasterii promulgata, inter quæ proximè ei collatum communiter, et ipsius et Herivordensis Monasterii statum confirmabat, datum scilicet à glorioso Rège Arnulfo his ipsis diebus noviter ad regnum provecto. *Super hæc etiam cartas duas ostendit Romanorum Pontificum Adriani atque Stephani, in ipsis cartis concedentium, ut in tuitione sanctæ sedis Apostolicæ præfatum novæ Corbeiæ monasterium perpetualiter*

Sententia Concilij pro Corbeiens. & Herivordiensium immunitate.

N. in Concilio Moguntino an. 888. ut putat Cleinsorgius ad hunc annum.

 habeterur,

haberetur, simulque Apostolica auctoritate decernentium, ut idem monasterium plenissimam habeat immunitatem ab omnibus, quoquo modo foris vel intus monasterium in res ad illud pertinentes sese præter voluntatem Abbatum loci ipsius permiscere cupientibus. His igitur omnibus apud nos relictis petiit præfatus venerabilis Abbas, quo et ea, quæ sacris literis piissimorum Principum confirmata fuerant, nostra quoque auctoritate roboraremus, et his, quæ ab Apostolica sede decreta sunt, nostræ subscriptionis cartulam adjungeremus. Nos itaque considerantes religiosam ejus esse petitionem pastoralisque esse officii servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere, decernimus, ut præfata duo monasteria Corbeiense videlicet Monachorum, atque Herifordiense Sanctimonialium de omnibus rebus, quæ vel in communi supra memorati Principis Carta vel specialibus aliorum Principum præceptis confirmata eis esse noscuntur, nihilominus talem ex Ecclesiastica et Episcopali sanctione obtineant firmitatem, ut nihil habeant, unde se tueri possent, quicunque sibi promittunt, hæc aliquo modo se posse immutare vel infringere. Habeant igitur præfata Monasteria rerum suarum liberam in omnibus disponendi regulariter potestatem, ut quæcunque eisdem Monasteriis in auro vel argento, in agris et famulis; seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in dispositione maneant eorum, qui eisdem locis prælati sunt; ut quidquid secundum Dei timorem regulariter et canonice disposuerint, ad Ecclesiæ ipsius utilitatem liberam in omnibus cum consilio fratrum sororumve faciendi habeant potestatem. Et ut plenius prosequamur, quod sanctos Apostolicos jam dictos intendisse sentimus, atque ante eos Beatum Gregorium, atque reverendæ memoriæ Nicolaum sanxisse de statibus Monasteriorum invenimus, Nos humiliter tantis auctoritatibus subscribendo confirmamus: Ut nullus Episcopus Paderbrunnensis aliquam ex eis vel accipiat vel exposcat portionem; neque vel in his, quæ regiminis locum tenent, vel in ipsis congregationibus, aut in ipsis Cœnobiis potestatem obtineat; neque ipsorum dominatione potiatur ulla, neque in Clericis, neque in famulis, et in omnibus, quæcunque ad Monasteria ipsa videntur habere possessionis respectum, sicut ab omnibus eis hactenus servatum et consensum est Episcopis, in quorum parochiis res eorundem Monasteriorum conjacere videntur, nec ad ipsa monasteria vel cellas eorundem, vel ipse per se Episcopus vel œconomus ejus, vel Archipresbyter, aut Archidiaconus illius, seu qualibet ex ejus agentibus persona potestatem habeat accedendi, nisi fortè necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit, ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquietudine sacris locis fiat molestia; neque in Ecclesiis præfatis Monasteriis subjectis, vel in presbyteris eisdem Ecclesiis ordinatis aliquam temptet facere perturbationem, novam constituendo, et antiquam constitutionem violando: sed sicut regulariter et Canonice disposita sunt, et longo jam tempore manentia, ita quoq; futuris temporibus maneant inconcussa. Ordinationes, quæ contrariæ fuerint ipsis Monasteriis, agere non differat. Altaris quoque, et Basilicarum benedictiones sive consecrationes prout

necessitas

necessitas postulaverit, vel in ipsis monasteriis, vel in agris eorum libenter concedat. Chrisma quoque, oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat, et pro his omnibus nullum munus exigat, ne Spiritus S. gratiam vendere conatus Simonis, quod absit, damnationem incurrat. Hoc constitutum non solum Paderbrunnensem, verum etiam omnium locorum Episcopos, ubicunque præfata monasteria, vel Ecclesias, vel agros, vel familias habere noscuntur, observare sine cunctatione seu contradictione oportet, ut nullus potestatis jure rebus eorundem Monasteriorum abutatur; sed maneant omnia in potestate eis Prælatorum et regulari dispositione, quæcunque ut diximus vel in agris, vel in familiis, vel in decimis eis constant esse collata; sicut et Apostolica et Imperialia præcepta, partim simul, partim singillatim eis confirmaverunt. Abbatem verò, vel Abbatissam in his locis eligendi semper habeant potestatem, et eam personam eligant, quæ propositum conversationis in utrolibet Monasterio, & moribus, & habitu profiteatur; non Canonicum, aut Laicum, neque alterius monasterij monachum, in quo specialiter nos audire dignetur Regia dominatio, ut nullam eisdem monasteriis præponant personam, quæ non ab ipsis congregationibus fuerit regulariter electa; debent enim mundi Principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari à Deo, videlicet, ut quemadmodum cupiunt à Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant, et quod de Republica sua retribuere debent, reddere velint de his, quæ collata sunt Deo. Qua de re noverit Clementia vel nunc consistentium, vel successionis jure omnium futurorum Principum à Sede Apostolica sancitum, nostraque subscriptione roboratum, nec non et antecedentium Regum præceptis cautum, ut prædictis monasteriis nullas præficiant personas de quocunque ordine, nisi quæ per electionem probabilem sumatur. Quia vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, et necesse est semper adversarii tela clypeo protectionis repellere, quod Apostolica decrevit auctoritas, nos quoque approbamus, ut qui ordinati fuerint ad regimen sæpe dictorum monasteriorum, nulla potestate prævalente dejiciantur, nisi criminis causa fuerint deprehensi, cujus merito Rectorum non debeant administrare officia. Infamiæ vero maculis sive criminis alicujus denotatione, si fuerint appetiti, non præter canonicam et regularem deponantur examinationem. Si quis ergo Apostolicæ Sedis decretum, cui nos hanc confirmationis Cartulam veneranter subscripsimus, contempserit, procul dubio damnationis censuram suscipiet, quam credimus divino Spiritu per Apostolicam linguam prolatam. Nos igitur nostram subscriptionem annuli nostri impressione signantes obsecramus fratres et Coëpiscopos nostros omnes, in quorum manus ista devenerint, ut sua etiam auctoritate et subscriptione hæc confirmare velint, ut quicunque hæc temerare præsumpserit, generalitatis nostræ sententiis, ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, de cujus favore

vore sibi blandiatur, aut se tueri posse putet à sententia damnationis. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant; et apud districtum Judicem præmia æternæ quietis inveniant. Et quia Apostolicæ auctoritati subscribentes ista edidimus, justum est, ut illam sacram sedem etiam in hoc honoremus, ut appellationes ad eam fieri liceat à prædictis locis cum necessitas fuerit, eo videlicet tenore, ut si hoc constitutum ab aliquo fuerit prævaricatum, Metropolitanus eorum Episcopus, quo Ego nunc licet indignus fungor officio, personam hujus sanctionis violatricem conveniat, et hujus nostri decreti testificationem innotescat; utque ab eo quod pravè gessit, recedere non meretur, ex communi omnium Coëpiscoporum auctoritate contestetur: At si ille contumaciter in sui facti perpetratione persiterit, licentia eis sit Romanam Apostolicamque sedem adire, et necessitatis suæ causas ante Papam, qui tunc fuerit Urbis Romæ, deponere, ut per eum agnita causa reus justæ damnationis sententia mulctetur.

Folco munere divino Metropolitanus Ecclesiæ Remensis Episcopus tenorem hujus sanctionis perlegens, et diligenter pertractans, in omnibus eam probandam et corroborandam esse judicavi, tam propter antiquum jus monasteriorum etiam his cœnobiis conservandum, quàm ad præcavendas nihilominus molestias hic summatim prohibitas, quæ modernis temporibus contra sacra monasteria per quosdam Episcopos recenter ordinatos, nec non etiam per quorundam Laicorum infestationem grassari cœperunt, ad quas inhibendas rationabilis ordo servatus est; ut et gloriosorum Principum hic concessiones, et Pontificum Romanorum privilegia, et Archiepiscopi ejusdem monasterii his omnibus astipulatio, et ut cæteri velint Episcopi assensum præbere, nequaquam spernenda hic contineatur petitio; Cujus gratia illectus simul, et præsentialiter ab eodem venerabili Archiepiscopo Luidberhto, nec non et à Bovone religioso ejusdem monasteri Abbate rogatus, hoc decretum Episcopali auctoritate ratum esse decernens, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti confirmavi, et subscripsi.

Willibehrtus Agrippinensis Ecclesiæ Archiepiscopus huic decreto meæ mediocritati recitato, attestationem et assensum præbens, quod necessario ac rite promulgatum sit, sub attestatione Nominis Domini nostri illud confirmavi et subscripsi.

Thiadmarus Ecclesiæ Salzburgensis Archiepiscopus huic decreto consensi et subscripsi. Redbodo Trevirensis Archiepiscopus approbavi et subscripsi. Joannes Rotomagensis Archiepiscopus consensi et subscripsi. Hildegrimus Halberstadiensis Episcopus consensi et subscripsi. Adalgarius Ecclesiæ Hamaburgensis Archiepiscopus consensi et subscripsi. Arn. Wirtziburgensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Liavvardus Vercellensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. HRodberhtus Mettensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Adalhelmus Wurmacensis Episcopus consensi et subscripsi. Godethancus Spirensis

rensis Episcopus consensi et subscripsi. Wicbertus Hildineshemensis Episcopus consensi et subscripsi. Deth. Vuirdunensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Dodilo Cameracensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Honoratus Belvacensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Herdilo Noviomagensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Balthramnus Stratzburgensis Episcopus consensi et subscripsi. Waldo Frisingensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi. Thiadulfus Curacensis Ecclesiæ Episcopus consensi et subscripsi.

Hæc illa synodalis constitutio, qua privilegia Corbeiensium & Herivordiensium, rogatu Bovonis Abbatis, ab Episcopis Moguntini hujus concilij confirmantur; & quia Ecclesiæ Paderbornensi & Episcopi jurisdictioni derogatum apparet, Biso Episcopus Paderbornensis non subscripsit: Nec obscurè ob id à Folcone Archiepiscopo Remensi videtur notari inter Episcopos recens ordinatos, tanquam juris sacri non satis peritos. Ac fortè hinc plures fuêre Episcopi huic synodo præsentes, qui constitutionem illam ex integro nec probârunt, nec eidem subscripserunt; minus certè à Pontifice confirmata accepimus. Quanquam in quo Biso & Bovo se colliserint, aut quæ jura Episcopo derogata sint, non satis constitutio illa expresserit, nisi quod videatur Episcopo nihil in Corbeiensium & Herivordiensium paræciarum Ecclesijs relinquere, ut diximus, præter ea, quæ potestatis sunt ordinis. Quæ sanè ægrè tolerare poterat Paderbornensis Episcopus, quando ne ipsum quidem locum, in quo Corbeia posita, sine impetrata Hathumari Episcopi facultate sibi arrogare sunt ausi; ut quod intra jurisdictionem Episcopi Paderbornensis agnosceretur, uti in Hathumaro commemoravimus. Post verò, ubi cum possessionibus bonorum & locorum latè per diœcesin Paderbornensem se diffudêre, complexi tot provincias & Ecclesiarum pastores, ut nova quædam diœcesis intra diœcesin consurgere videretur, multum imminui jurisdictionem Episcopi & Archidiaconorum necesse fuit, si nihil in his præter ea, quæ ad potestatem ordinis spectant, retentum ab Episcopis: secus quàm Carolus M. diœcesin descripsit, & Apostolica auctoritate omnes intra eam Ecclesias & parochias Episcopo Paderbornensi subjecit. Qua in re integrius egit Coloniensis Metropolitanus pro Osnabrugensibus in hac synodo, quàm Luitbertus pro Paderbornensi Ecclesia suæ Metropolis: quando & portiones, & Mansionaticum, ut dixêre, seu annona, quæ obeunti Episcopo diœcesin dabatur, abjudicata; secus quàm Ludovicus Germaniæ Rex Monasteriensi Episcopo Herivordiensium Ecclesias peragranti reliquit; uti id supra ex ejus diplomate assertum est. Demum eò progressi libertatis Corbeienses, ut nec ea, quæ potestatis sunt ordinis, quæque hac constitutione imperantur, ab Episcopo Paderbornensi admittere volue-

voluerint. Vetus ab hac synodo lis inter Paderbornenses & Corbeienses, de qua sæpius nobis memorandum erit. Suas quidem causas habuerit hæc Corbeiensium exemptio, quemadmodum & favorum Regis subinde supra Episcopos; at labente post disciplina noxia magis quàm utilis comperta.

Inter Episcopos qui decreto huic subscripserunt, recitamus Adalgarium Bremensem Archiepiscopum D. Remberti successorem; & cùm tertio Idus Junij hoc ipso anno excesserit è vita D. Rembertus, argumentum est synodum in Autumno habitam esse, ut Adalgarius Episcopi auctoritate interesse potuerit, quem jam antè D. Rembertus adjutorem sibi monachum ex Corbeia, ut supra relatum, ex voluntate Adalgarij Abbatis adsciverat. At fortè in hac synodo consecratus est Episcopus à Luidberto Archiepiscopo Moguntino, quem ab Adamo Bremensi Lindioldum, ab aliis etiam Lindbertum & Lutholdum vocari legas. Illustre D. Rembertus Saxoniæ nostræ sidus; annos ille XXIII Episcopatum administrârat, vitæ sanctimonia & miraculorum gloria clarus, postquam multos Septentrionalium populos ad Christi fidem adduxerat; Ob quæ haud secus quàm Anscharius, quem à puero magistrum habuit, & cui in Apostolico munere successerat, inter Divos relatus colitur. Felix Bremensis Ecclesia, quæ D. Willehadum, Anscharium, Rembertum sanctissimos sortita Episcopos, quos tota Ecclesia inter divos colit. Scripsit vitam Willehadi Anscharius, Anscharij Rembertus, Remberti Adalgarius, aut certè ejus studio probatæ virtutis & doctrinæ sacerdos. Singulas nostra memoria ex vetustis Ecclesiæ Bremensis & Hamburgensis tabularijs integra fide in lucem dedit Philippus Cæsar, vir eruditus, & rerum ab his viris gestarum lectione ab hæresi ad catholicam religionem perductus. Et quam nunc dispari & dissona religione Brema? postquam aut ejectis aut suppressis catholicis, pars Lutheri, pars Calvini hæresin profiteri cœpit, immemor sanctissimorum Episcoporum ac præpositorum, à quibus primò verbum Dei veramq; ab origine Christi legem edocta est.

Remberti aliorumque Bremensium Præsulum sancti mores. *Baronius Adamus Brem lib. 1. Hist. Abb. Stad. Helmoldus Philip. Cæsar in Triapostulatu & in notis.*

At verò Arnulphus Rex post susceptum superiori anno imperium Germaniæ, hoc anno magnoperè exstimulatus Episcoporum & cohortationibus forti & constanti animo res aggreditur adversus tyrannos, qui à morte Caroli Crassi Imperium discerpserant, quos inter Beringarius & Vido Italiam, Otto Ruperti Saxonis filius Galliam: Rudolphus Burgundiam, Ludovicus Bosonis filius Narbonensem provinciam invaserant; quos Arnulphus ex comitijs Francofurti indictis jussit Wormatiæ sese sistere, aut inter proscriptos haberi. Inde contracto exercitu, transitoque Rheno, in Galliam movet; ad cujus adventum se Odo & Rudolphus supplices offerunt, ac Regis beneficio provincias tenere sunt jussi. Præstantissimus ea

Regino Sigebertus Baronius Herm. Contr. Marianus Scotus Otto Frisingensis Widekindus monachus.

Arnulphus Imperium contra


ea tempestate bellicosorum virorum Odo erat in Gallia, qui Nortmannos iteratis cladibus presserat, dum Carolus simplex regii sanguinis superstes inter pueriles annos versaretur, ut id meritis ejus & Regni proceres & Arnulphus Rex darent. Adeo tum Gallia Saxonico & Westphalico heroë nitebatur, in cujus nepotes postea integrè Regnum Galliæ transiit. Mox Arnulphus in Italiam se vertit, cui & Beringarius occurrit, & Regnum precario ab Arnulpho obtinet. tyrannos feliciter tuetur.

Per id tempus Arnulphus Regis magis nomine, quàm Imperatoris hæc egerat, donec á Pontifice Imperator coronaretur, sensim tamen fortuna Imperium ad Germanos inclinante. Multis interim beneficiis ac donis Arnulphus Rex religiosos viros per Saxoniam eorumque preces sibi demeritus; è quorum numero rursum Corbeienses nostri ad Visurgim, & Werthinenses ad Ruram. Corbeiensibus Francofurti regio diplomate commutationem bonorum Bovonem inter & Oddonem impertijt hisce tabulis.

Corbeiensibus dat facultatem commutandi quædam bona.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnulphus divina favente gratia Rex. Convenit Regiæ excellentiæ, ut inter fideles suos mutuam utilitatem providere, et de singulorum rationabilibus commodis assensum præbere velit. Quapropter omnibus notum esse volumus, quoniam inter fideles nostros Bovonem Abbatem, et Oddonem Comitem pro mutua utilitate hanc commutationem fecimus, ut res proprietatis nostræ in Godelevesbem, et in pago, qui dicitur Nitbersi, Oddoni beneficiatas ad monasterium novæ Corbeiæ, cui præfatus praeest Abbas, in jus proprietatis traderemus, cum omnibus familiis, mancipiis, terris, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, et omnibus omnino rebus, tam mobilibus quam immobilibus, quatenus ex hoc ad prædictum monasterium cum omni integritate mancipentur. E diverso autem res ejusdem monasterii in orientali parte ultra fluvium Ovaccram conjacentes in nostrum jus cum omnibus, quæ ad eas pertinent, receptas Oddoni in beneficium concessimus, id est, in Delbem litos XIIII Colonum I. et sextam partem salinarum. In Odenbem litos XIIII. Colonos II. In Kikthi litos duos In Leri litos ... Colonum I mansos duos et dimidium. In Laubingi Colonum unum. In Scoderstet litos duos. In Mullumstedi litos III. In Sephingi mansos V. In Uridus (uredus) litos VII. mansos XII. In Rodinesleva litos XX. mansos LX. In Dallangibulli Colonos et mansos XV. In Berivvidi colonos et mansos XVI. In Sladsorde Colonos VII, et octavam partem totius marcæ. In beneficio advocati mansos VIII. In Ailmundesrothe mansos XX. Utrique ergo per hoc parti consuluimus, eò quod utrimque major commoditas in locorum situ habeatur, quam antea fuerit. Et ut firmiter ista omnibus in futurum temporibus constent, manu propria roborata annuli nostri impressione signari præcepimus.

Signum



Aspertus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovi et ss. Data IIII Idus Junii. Anno Domin. Incarnat. DCCCLXXXVIII *Indict. VI anno autem Domini Regis Arnolfi largissimi Regis primo. Actum Franchonofurt palatio Regio in Dei nomine feliciter Amen.*

Confirmat privilegia Werthinensium. Werthinenses ob venerationem D. Ludgeri, à quo cœnobium illud ex paternis bonis conditum profitetur, multò liberalius affecit ac sibi demeritus est religiosissimus Rex diplomate, quod in villa Geresheim 10. Septembr. obsignavit, nisi alibi forte aliud sit Geresheim. Ego locum in Montis ducatu egregio virginum monasterio celebrem dixerim; certè Arnulphus in Westphalia per id tempus versatus est. Diploma, quod à ceteris hactenus integre redditum non reperio, hîc addere visum.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnulphus divina favente Clementia Rex. Si servorum Dei petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibimet commissarum utilitatibus nobis ingesserunt, clementer annuerimus, id nobis ad perpetuæ beatitudinis præmia promerenda liquido profuturum esse credimus. Unde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet et futuris notum esse volumus, quod fidelis noster Hembil Abba monasterii, quod vocatur Werthina, insinuavit Celsitudini nostræ, qualiter ipsum Monachorum Cœnobium sibi commissum à Beatæ memoriæ sancto Liudgero Episcopo in propria ejus hæreditate fuerit constructum, monachisque contraditum, et gloriosissimorum Regum Luthevvici filii magni Regis Karoli, et successorum ejus, pro æterna ipsorum omnisque generosissimi generis, eorum memoria, defensione et tuitione hactenus fuerit conservatum. Quam ob rem nostram imploravit Clementiam, ut idem monasterium sub nostra tuitione suscipientes, omnes concessiones ab Antecessoribus nostris sibi collatas nostræ auctoritatis præcepto firmaremus. Cujus rationabili et justæ petitioni assensum præbentes decernimus atque jubemus, in primis ut idem monasterium cum omnibus ad se pertinentibus plenissimæ immunitatis securitate perfruatur, neque publicis exactionibus, vel quibuscunque modis, illorum servi, liti vel liberi, à qualibet judiciaria potestate constringantur; coram advocato eorum, si quid inquirendum est, aut corrigendum inquiratur et corrigatur. Præfati monasterii fratres, hominesque ipsorum ab omni vectigalium inquisitione ac telonii securi consistant. Præterea quod aliis quoque monachorum Cœnobiis concessum constat, ut ubicunque dominicatos mansos habuerint, in quocunque sint Episcopio, vel præfectura, vel etiam provincia, vel regione sibi

in

in omni Regno à Deo nobis collato, Decimas, quas aliàs Episcopi tollunt, ad portam concedimus monasterii, nec à nemine penitus eas alibi dare cogantur, sed sub nutu Abbatis ejusdem monasterii in perpetuum permansuræ consistant, quatenus inde pro nostra, et totius generis nostri perenni mercede supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur. Insuper etiam eidem fratrum Collegio ad eligendum Abbatem inter se potestatem concedimus. Abbas illius monasterii ad castra et in hostem ire non cogatur, nisi forte Regia liberalitate adjutus beneficii copiam quandoque accipiat illud faciendi. Illius etiam Regionis Episcopus, si synodalem ibidem conventum vel sermonem facere ad populum destinaverit, de Episcopio ei serviatur, nisi forte eodem die alia circumeundo visitare loca voluerit, tunc benedictionem de Abbate non pro debito servitio, sed pro amore suscipiat, et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hæreditas sancti Liudgeri, et propinquorum ejus, et Elemosinæ religiosorum hominum, ideo liceat Abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè ac plane possidere, quatenus eos melius delectet pro nostra et nostrorum fidelium salute ac totius Imperii nostri statu divinam jugiter implorare clementiam. Hæc auctoritatis nostræ concessio, ut firmiorem obtineat stabilitatem, manu propria eam firmavimus, et annuli nostri impressione sigillari præcepimus.

R

Signum Domini Arnolfi N—◇—S *invictissimi Regis.*

L

Ernastius Notarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi. Data X. Calend. Septembr. anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVIII. *Indictione autem* VI. *anno Regni Arnulfi Regis primo, actum Gerenesheim curte Regia in Dei nomine feliciter Amen.*

Annus Christi 889.

Stephani VI Pont. 5.
Arnulphi Germ. Reg. 3.
Bisonis Episcopi Pad. 3.

Motibus intra Imperium compositis, Arnulphus anno insequenti Forcheimij frequentem procerum conventum ad Rhenum habuit, in quo bellum adversus Sclavos decretum, Thuringiam incursionibus divexantes. Id bellum alacri animo suscepit Arnulphus, regionesque Barbarorum cum numeroso exercitu ingressus, cùm ad prælium non occurrerent, depopulationibus devastavit. Rex ut Crantzius scribit, bello natus, & beneficus in omnes, cumprimisque in religiosos viros, cujus munificentiæ hoc anno præsens testimonium adest ex diplomate, quo Corbeienses dotavit.

Crantzius lib. 3. Sax. c. 3.

Corbeiensium facultates auget.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente gratia Rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus scilicet et futuris, qualiter Bodo venerabilis Abba nostram precatus est Celsitudinem, quatenus nos quasdam res proprietatis nostræ, quas quidam nobilis vir Hohvvard nominatus prius in beneficium habuit, pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum ad monasterium nova Corbeia nuncupatum, cui idem Bodo et fratribus ibidem Domino famulantibus præesse dinoscitur, in proprium concederemus. Cujus petitioni pro æternæ felicitatis amore annuimus libenter, dedimusque ad idem monasterium, quidquid præfatus vir Hovvardus in pago Huverango (Huveitago) in comitatibus Ecperti, et Reithardi, et Herimanni, et in locis Piringisa marca, Schidara, Adekenhusen, et Muchohusen nostri beneficii tenuit, cum consensu ejus in perpetuam proprietatem cum omnibus rebus illud justè respicientibus, Curtilibus, ædificiis, terris, cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, viis, et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis mobilibus et immobilibus, omnibusque appendiciis et adjacentibus. Hæc vero omnia, hoc sunt Hoba XXV de nostro jure in jus et dominationem prælibati monasterii in honore sancti Stephani protomartyris Christi dicati tradidimus atq; contulimus, et jussimus inde hos præsentes regalitatis nostræ apices titulari per quos decernimus, atque jubemus, ut idem Bovo egregius Abba, suiq; successores ab hodierna die ac deinceps potestatem habeant integerrimam easdem res ita ordinare atque disponere, prout usui fratrum inibi Domino militantium necesse esse conspexerit. Et ut hoc firmum et stabile perpetualiter consistat, idem præceptum propria manu firmavimus, annuloque nostro sigillari jussimus.

R

Signum Domni Arnolfi NF—◇—S *invictissimi Regis.*

L

Aspertus Cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi et ss.

Data XIIII *Calend. Septembr. anno Incarnationis Domini* DCCCLXXXVIII *Indictione* VII *anno* II *regni Arnolfi piissimi Regis, Actum ad curtem, quæ dicitur Portanaha in Dei nomine feliciter amen.*

Confirmat fundationem Parthenonis Metelensis.

Rex subinde Westphaliam etiam ingressus, quod nemo veterum scriptorum prodidit, Corbeiæ novæ Metelensis Virginum Collegij fundationem regia auctoritate, regijsque tabulis, quas hic reddimus, confirmavit, & in tutelam suscepit.

In

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis Arnulfus divina favente gratia Rex. Notum sit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industriæ, qualiter quædam religiosa fæmina Friduwi nomine nostram adiit serenitatem petens, ut ei liceret omnem sui juris hæreditatem nostræ potestati tradere, quatenus nostræ auctoritatis permissione daretur ei licentia construendi in eadem hæreditate puellaris monasterii, quod juxta morem aliorum cœnobiorum sub nostra defensione ac tuitione susceptum ipsi diebus vitæ suæ habere liceret, et quamdiu quælibet ex ipsius prosapia in eodem monasterio aptæ ad hoc invenirentur personæ, ipsæ in ejus regimen sibi succedere permitterentur. Cujus petitioni assensum præbentes, omnem ipsius hæreditatem in nostrum jus nostræque protectionis munimen suscepimus. Et ut majorem habeat quietem et securitatem ad construendum ibi monasterium, plenissimam ipsi ac hominibus ad se pertinentibus immunitatem concedimus, per quam decernimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate homines ipsius quibuslibet publicis exactionibus distringere præsumat, sed liceat eis coram advocato ex nostra jussione constituto justitiam facere, ac omnino juxta concessionem, qua prædecessores nostri monasteriis in suam defensionem susceptis immunitatem dare consueverant, sic memoratæ sanctimoniali fœminæ cum omnibus ad se pertinentibus pleniter firmiterque concedimus. Et ut hæc nostræ auctoritatis concessio firmior habeatur, et per futura tempora melius credatur, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

R

Signum Domni Arnolfi NF—◇—S *piissimi Regis.*

L

Aspertus Cancellarius ad vicem Diethmari Archicapellani recognovi.
Data X *Calend. Septembr. anno Incarnationis Domini* DCCCLXXXIX *Indictione* VII. *Anno secundo Arnulfi piissimi Regis, Actum nova Corbeia in Dei nomine Amen.*

Æmula passim per hunc florem religionis nobilium pietas in condendis monasterijs; è quorum numero Friduwi seu Friduwigis matrona, quæ & prima ejus loci antistes fuit. Accessit & filia Wiburgis ad dotationem & cœtum Virginum: utraque in templo, quod SS. Cornelio, & Cypriano dicatum voluêre, honorifico tumulo exornata. Auxêre pôst dotationem primam duæ nobilissimæ virgines; quarum altera Oda, alterius nomen vetustate excidit, creduntúrq; è Benthemensium Comitum familia ortæ; locus olim Matelia, nunc Metelena dicitur, illustris ad hunc diem nobilium virginum cœtu, ex eoque, quo tum à prima origine hæc puellarum & sanctimoniali-

um Virginum Collegia per Westphaliam florebant, instituto, quas & Canonicas virgines appellatas diximus. Multas hujusmodi donationum literas ab Arnulpho Rege exhibet Germania, quas inter & Miræus producit Arnulphi tabulas Francofurti mense Augusto consignatas, quibus Gerolpho Frisiorum Comiti larga bonorum donatio ob fidem bello præstitam facta est. Ac verisimile habeas hunc eundem esse Gerolphum, quem Godefridus Danorum Rex legatum misit ad Carolum Crassum, qui deinde littori Frisico seu Hollandico præfectus primam Comitum Hollandicorum dederit originem: sed longè illustrior per id tempus Otto Saxoniæ dux, cui ob fidem & præclara merita Arnulphus Rex filiam suam Lucardam in matrimonium dedit, ex qua deinde Henricus atque Ottones procreati, genus per hanc matrem ad Carolum M. referentes.

Crantzius lib. 2. Saxo. c. 33.

Arnulfus ablata Ecclesiæ Osnabrug. bona restituit.

Ertvvinus in chron. Crantz. l. 3. Metrop. c. 7. Cleinsorg. ad hunc annum.

Arnulphus præterea, qua erat religione in Deum, hoc anno decimas aliaque bona, quæ Cobbo ab Osnabrugensi Ecclesia averterat ad Corbeiense & Herifordiense monasterium, post tot litium ambages & studia potentum æmulorum, Egilmaro Osnabrugensi Episcopo reddi imperavit. Alia prætereà donatione alia adjecit prædia, quibus damnum Ecclesiæ compensaretur (ut hæc in publicis ejus tabulis III Id. Decembris Forcheimij consignatis leguntur) suam simul tarditatem, quæ in justitia præstanda desiderari potuit, incusando. Optimorum hoc Regum est recta & honesta ceteris omnibus anteferre, & summis infimisque idem jus dicere. Nihil religiosissimo Regi magis curæ fuit, quàm ne quid eorum, quæ à Carolo M. primis per Saxoniam Ecclesiis donata erant subtraheretur, aut ulla injustitiæ labe conscientiam, aut Regiam Majestatem contaminaret.

Annus Christi 890.

Stephani VI Pont. 6.
Arnulphi Germ. Regis 4.
Bisonis Ep. Pad. 4.

Arnulfus Zundeboldum rebellem ad obsequium compellit.

Regino. Sigebertus. Herm. contr. Marianus Scotus. Otto Frising. Crantz. Luidprand.

His virtutum præsidijs Arnulphus omni bello felix; quippe anno proximo, qui Christi 890 numeratur, expeditione in Zondeboldum Sclavorum, Moravorum, & Bohemorum ducem susceptâ, ad obsequium eundem compulit. Erat is beneficijs & pactis Germanorum Francorumque Regibus devinctus, tantaque inter eum & Arnulphum ex prioribus bellis familiaritas, ut passus sit filium suum ab Arnulpho è fonte baptismatis levari; pòst, ubi ducatu Bohemiæ dono Regis auctus, animum extulit, & perfidus rebellisque arma in Arnulphum vertit. Quo cognito, Arnulphus cum potente exercitu regiones ejus ingressus, ita extrema illas depopulatione pervastavit, ut pacem petere, obsides dare, & arma ponere necesse habuerit.

Inter

Inter hæc Arnulphus Rex cùm in omnes beneficus prædicaretur, tùm in fidos belli Duces ac Comites largus semper compertus; quam in rem ex Corbeiensium tabulario duo hic diplomata sistimus, quorum altero Chobbonem Comitem remuneratur. Benefacit Chopponi Comiti sibi fido.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente Clementia Rex. Cognoscant omnes fideles nostri præsentes atque futuri, qualiter nos ob mercedis nostræ augmentum, et pro merito bonæ fidelitatis et servitutis cuidam dilecto atque venerabili Comiti nostro Choppo vocato quasdam res proprietatis nostræ in proprium concessimus; Hoc est in comitatu suo in loco Piun dicto Hobas Regias XXX, et quidquid ad easdem Hobas jure legitimeque pertinere videtur; id est, cum omnibus domibus, alisque ædificiis, cum mansis et mancipiis, terris cultis et incultis, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquisitis et cum universis appendiciis et adjacentiis rebus, ad easdem hobas jure legitimèque pertinentibus. Et jussimus ei inde hoc nostræ auctoritatis fieri præceptum, per quod volumus, firmissimeque jubemus, ut memoratus fidelis noster Choppo de his omnibus habeat potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quidquid sibi placuerit faciendi. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmiorem in Christi nomine habeat stabilitatem, manu propria nostra firmavimus eam, et impressione annuli nostri insigniri jussimus.

Signum Domni Arnolfi NF — R S L — *invictissimi Regis.*

Aspertus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi et ss.
Data XVIII Calend. April. anno Incarnationis Domini DCCCXC *Indictione VIII anno III Regni Arnolfi Serenissimi Regis Actum Reganespurg in Dei nomine feliciter Amen.*

Altero diplomate, ad preces Episcopi Sundrolt, Adalgario Comiti prædia & agros præcedenti anno dilargitus. Et Adalgario Comiti.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente gratiæ Rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus scilicet et futuris, qualiter quidam venerabilis Episcopus nomine Sundrolt deprecatus est nostram Clementiam, Ut cuidam Comiti nostro nomine Adalger, quasdam res proprietatis nostræ in proprium concederemus. Nos vero petitionibus ejus libenter annuentes decrevimus ita fieri. Dedimus namque illi in pago Hlisgo in Comitatu ipsius in Villis Wolfenni ac Halafeld Hobas XXI ac mansos IIII, cum domibus aliisque ædificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, terris cultis et incultis, et cum omnibus

um Virginum Collegia per Westphaliam florebant, instituto, quas & Canonicas virgines appellatas diximus. Multas hujusmodi donationum literas ab Arnulpho Rege exhibet Germania, quas inter & Miræus producit Arnulphi tabulas Francofurti mense Augusto consignatas, quibus Gerolpho Frisiorum Comiti larga bonorum donatio ob fidem bello præstitam facta est. Ac verisimile habeas hunc eundem esse Gerolphum, quem Godefridus Danorum Rex legatum misit ad Carolum Crassum, qui deinde littori Frisico seu Hollandico præfectus primam Comitum Hollandicorum dederit originem: sed longè illustrior per id tempus Otto Saxoniæ dux, cui ob fidem & præclara merita Arnulphus Rex filiam suam Lucardam in matrimonium dedit, ex qua deinde Henricus atque Ottones procreati, genus per hanc matrem ad Carolum M. referentes.

Crantzius lib. 2. Saxo. c. 33.

Arnulfus ablata Ecclesiæ Osnabrug. bona restituit.

Ertvvinus in chron. Crantz. l. 3. Metrop. c. 7. Cleinsorg. ad hunc annum.

Arnulphus præterea, qua erat religione in Deum, hoc anno decimas aliaque bona, quæ Cobbo ab Osnabrugensi Ecclesia averterat ad Corbeiense & Herifordiense monasterium, post tot litium ambages & studia potentum æmulorum, Egilmaro Osnabrugensi Episcopo reddi imperavit. Alia præterea donatione alia adjecit prædia, quibus damnum Ecclesiæ compensaretur (ut hæc in publicis ejus tabulijs III Id. Decembris Forcheimij consignatis leguntur) suam simul tarditatem, quæ in justitia præstanda desiderari potuit, incusando. Optimorum hoc Regum est recta & honesta ceteris omnibus anteferre, & summis infimisque idem jus dicere. Nihil religiosissimo Regi magis curæ fuit, quàm ne quid eorum, quæ à Carolo M. primis per Saxoniam Ecclesiis donata erant subtraheretur, aut ulla injustitiæ labe conscientiam, aut Regiam Majestatem contaminaret.

Annus Christi 890.

Stephani VI Pont. 6.
Arnulphi Germ. Regis 4.
Bisonis Ep. Pad. 4.

Arnulfus Zundeboldum rebellem ad obsequium compellit.

Regino. Sigebertus. Herm. contr. Marianus. Scotus. Otto Frising. Crantz. Luidprand.

His virtutum præsidijs Arnulphus omni bello felix; quippe anno proximo, qui Christi 890 numeratur, expeditione in Zondeboldum Sclavorum, Moravorum, & Bohemorum ducem susceptâ, ad obsequium eundem compulit. Erat is beneficijs & pactis Germanorum Francorumque Regibus devinctus, tantaque inter eum & Arnulphum ex prioribus bellis familiaritas, ut passus sit filium suum ab Arnulpho è fonte baptismatis levari; pòst, ubi ducatu Bohemiæ dono Regis auctus, animum extulit, & perfidus rebellisque arma in Arnulphum vertit. Quo cognito, Arnulphus cum potente exercitu regiones ejus ingressus, ita extrema illas depopulatione pervastavit, ut pacem petere, obsides dare, & arma ponere necesse habuerit.

Inter hæc Arnulphus Rex cùm in omnes beneficus prædicaretur, tùm in fidos belli Duces ac Comites largus semper compertus; quam in rem ex Corbeiensium tabulario duo hic diplomata sistimus, quorum altero Chobbonem Comitem remuneratur. Benefacit Chopponi Comiti sibi fido.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente Clementia Rex. Cognoscant omnes fideles nostri præsentes atque futuri, qualiter nos ob mercedis nostræ augmentum, et pro merito bonæ fidelitatis et servitutis cuidam dilecto atque venerabili Comiti nostro Choppo vocato quasdam res proprietatis nostræ in proprium concessimus; Hoc est in comitatu suo in loco Piun dicto Hobas Regias XXX, et quidquid ad easdem Hobas jure legitimeque pertinere videtur; id est, cum omnibus domibus, alisque ædificiis, cum mansis et mancipiis, terris cultis et incultis, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquisitis et cum universis appendiciis et adjacentiis rebus, ad easdem hobas jure legitimèque pertinentibus. Et jussimus ei inde hoc nostræ auctoritatis fieri præceptum, per quod volumus, firmissimeque jubemus, ut memoratus fidelis noster Choppo de his omnibus habeat potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quidquid sibi placuerit faciendi. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmiorem in Christi nomine habeat stabilitatem, manu propria nostra firmavimus eam, et impressione annuli nostri insigniri jussimus.

Signum Domni Arnolfi R NF S L *invictissimi Regis.*

Aspertus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi et ss.
Data XVIII Calend. April. anno Incarnationis Domini DCCCXC *Indictione VIII anno III Regni Arnolfi Serenissimi Regis Actum Reganespurg in Dei nomine feliciter Amen.*

Altero diplomate, ad preces Episcopi Sundrolt, Adalgario Comiti prædia & agros præcedenti anno dilargitus. Et Adalgario Comiti.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente gratiæ Rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus scilicet et futuris, qualiter quidam venerabilis Episcopus nomine Sundrolt deprecatus est nostram Clementiam, Ut cuidam Comiti nostro nomine Adalger, quasdam res proprietatis nostræ in proprium concederemus. Nos vero petitionibus ejus libenter annuentes decrevimus ita fieri. Dedimus namque illi in pago Hlisgo in Comitatu ipsius in Villis Wolfenni ac Halafeld Hobas XXI ac mansos IIII, cum domibus alisque ædificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, terris cultis et incultis, et cum

omnibus

um Virginum Collegia per Westphaliam florebant, instituto, quas & Canonicas virgines appellatas diximus. Multas hujusmodi donationum literas ab Arnulpho Rege exhibet Germania, quas inter & Miræus producit Arnulphi tabulas Francofurti mense Augusto consignatas, quibus Gerolpho Frisiorum Comiti larga bonorum donatio ob fidem bello præstitam facta est. Ac verisimile habeas hunc eundem esse Gerolphum, quem Godefridus Danorum Rex legatum misit ad Carolum Crassum, qui deinde littori Frisico seu Hollandico præfectus primam Comitum Hollandicorum dederit originem: sed longè illustrior per id tempus Otto Saxoniæ dux, cui ob fidem & præclara merita Arnulphus Rex filiam suam Lucardam in matrimonium dedit, ex qua deinde Henricus atque Ottones procreati, genus per hanc matrem ad Carolum M. referentes.

Crantzius lib. 2. Saxō. c. 33.

Arnulfus ablata Ecclesiæ Osnabrug. bona restituit.

Ertvvinus in chron. Crantz. l. 3. Metrop. c. 7. Cleinsorg. ad hunc annum.

Arnulphus præterea, qua erat religione in Deum, hoc anno decimas aliaque bona, quæ Cobbo ab Osnabrugensi Ecclesia averterat ad Corbeiense & Herifordiense monasterium, post tot litium ambages & studia potentum æmulorum, Egilmaro Osnabrugensi Episcopo reddi imperavit. Alia prætereà donatione alia adjecit prædia, quibus damnum Ecclesiæ compensaretur (ut hæc in publicis ejus tabulis III Id. Decembris Forcheimij consignatis leguntur) suam simul tarditatem, quæ in justitia præstanda desiderari potuit, incusando. Optimorum hoc Regum est recta & honesta ceteris omnibus anteferre, & summis infimisque idem jus dicere. Nihil religiosissimo Regi magis curæ fuit, quàm ne quid eorum, quæ à Carolo M. primis per Saxoniam Ecclesiis donata erant subtraheretur, aut ulla injustitiæ labe conscientiam, aut Regiam Majestatem contaminaret.

Annus Christi 890.

Stephani VI Pont. 6.
Arnulphi Germ. Regis 4.
Bisonis Ep. Pad. 4.

Arnulfus Zundeboldum rebellem ad obsequium compellit.

Regino. Sigebertus. Herm. contr. Marianus. Scotus. Otto Frising. Crantz. Luidprand.

His virtutum præsidijs Arnulphus omni bello felix; quippe anno proximo, qui Christi 890 numeratur, expeditione in Zondeboldum Sclavorum, Moravorum, & Bohemorum ducem susceptâ, ad obsequium eundem compulit. Erat is beneficijs & pactis Germanorum Francorumque Regibus devinctus, tantaque inter eum & Arnulphum ex prioribus bellis familiaritas, ut passus sit filium suum ab Arnulpho è fonte baptismatis levari; pòst, ubi ducatu Bohemiæ dono Regis auctus, animum extulit, & perfidus rebellisque arma in Arnulphum vertit. Quo cognito, Arnulphus cum potente exercitu regiones ejus ingressus, ita extrema illas depopulatione pervastavit, ut pacem petere, obsides dare, & arma ponere necesse habuerit.

Inter

Inter hæc Arnulphus Rex cùm in omnes beneficus prædicaretur, tùm in fidos belli Duces ac Comites largus semper compertus; quam in rem ex Corbeiensium tabulario duo hic diplomata sistimus, quorum altero Chobbonem Comitem remuneratur. Benefacit Chopponi Comiti sibi fido.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente Clementia Rex. Cognoscant omnes fideles nostri præsentes atque futuri, qualiter nos ob mercedis nostræ augmentum, et pro merito bonæ fidelitatis et servitutis cuidam dilecto atque venerabili Comiti nostro Choppo vocato quasdam res proprietatis nostræ in proprium concessimus; Hoc est in comitatu suo in loco Piun dicto Hobas Regias XXX, et quidquid ad easdem Hobas jure legitimeque pertinere videtur; id est, cum omnibus domibus, alisque ædificiis, cum mansis et mancipiis, terris cultis et incultis, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquisitis et cum universis appendiciis et adjacentiis rebus, ad easdem hobas jure legitimèque pertinentibus. Et jussimus ei inde hoc nostræ auctoritatis fieri præceptum, per quod volumus, firmissimeque jubemus, ut memoratus fidelis noster Choppo de his omnibus habeat potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quidquid sibi placuerit faciendi. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmiorem in Christi nomine habeat stabilitatem, manu propria nostra firmavimus eam, et impressione annuli nostri insigniri jussimus.

Signum Domni Arnolfi R NF S L *invictissimi Regis.*

Aspertus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi et ss.
Data XVIII Calend. April. anno Incarnationis Domini DCCCXC *Indictione VIII anno III Regni Arnolfi Serenissimi Regis Actum Reganespurg in Dei nomine feliciter Amen.*

Altero diplomate, ad preces Episcopi Sundrolt, Adalgario Comiti prædia & agros præcedenti anno dilargitus. Et Adalgario Comiti.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente gratiæ Rex. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus scilicet et futuris, qualiter quidam venerabilis Episcopus nomine Sundrolt deprecatus est nostram Clementiam, Ut cuidam Comiti nostro nomine Adalger, quasdam res proprietatis nostræ in proprium concederemus. Nos vero petitionibus ejus libenter annuentes decrevimus ita fieri. Dedimus namque illi in pago Hlisgo in Comitatu ipsius in Villis Wolfenni ac Halsfeld Hobas XXI ac mansos IIII, cum domibus alisque ædificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, terris cultis et incultis, et cum

omnibus

omnibus justè ac legitimè ad easdem hobas pertinentibus, et jussimus inde hoc nostræ auctoritatis fieri præceptum, per quod volumus atque jubemus, ut præscriptus Adalger de his omnibus, quæ ei in potestatem et dominationem condonavimus, nunc et deinceps omni tempore habeat potestatem habendi, donandi, vendendi, commodandi, vel quidquid sibi placuerit faciendi. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris melius credatur, ac diligentius observetur, manu nostra eam firmavimus, annuloque nostro signari jussimus.

R

Signum Domini Arnolfi N—◇—S *piissimi Regis.*

L

Aspertus Cancellarius ad vicem Thiotmari Archicappellani recognovi et ss.
Data II Nonas Julii anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIX *Indictione VII anno secundo Regni Arnolfi piissimi Regis, actum Franconofordt, in Dei nomine feliciter Amen.*

Regino. Sigebertus. Serrarius in Mogunt. histor.

Qui his literis Episcopus Sundrold vocatur, Metropolitanus nostræ Ecclesiæ est Sunzo Moguntinus Archiepiscopus, Luidberto Archiepiscopo ex Monacho Fuldensi, studio Popponis Thuringorum ducis & Arnulphi superiori anno subrogatus; qui à Lamberto Schafnaburgensi Sunderholt, & ab alijs Sunderoldus appellatur.

Archiepiscopus Colon. litē movet Archiepiscopo Bremensi super exemptione à Subjectione Ecclesiæ Coloniensis.

Excessit etiam è vivis hoc anno, 11 Septembris, Wilibertus Coloniensis Archiepiscopus, vir, ut Regino inquit, sanctissimus, & in divinis humanisque rebus prudentissimus; in cujus locum, Cleri & populi electione repositus est Hermannus cognomento pius. Is postquam Cathedram Episcopi conscendit, pro veteri Ecclesiæ Coloniensis jure asserendo litem movit Adalgario Bremensium Episcopo, quòd se Archiepiscopum ferret & scriberet. Quam in rem Epistolam querimonijs plenam scribit ad Stephanum Pontificem eo nomine *V, repetitque ex Caroli M. ordinatione, ut Bremensis Ecclesia Metropolitano Coloniensi submittatur. Adalgarius contra ad Nicolai Pontificis decretum appellat, quo Bremensis & Hamburgensis Ecclesia in unam contracta Archiepiscopi dignitate subvecta est. Pontifex ut literis componeret litem, Fulconi Remensi Archiepiscopo, quem ad id legatum Apostolicum dixerat, mandat, ut Wormatiæ Episcoporum synodum convocet, eorumque judicijs controversia cognoscatur. Ea in synodo stitit se Adalgarius mulum questus de injuria; ibi cùm Coloniensis non adesset, decisio ad aliam synodum est rejecta, quam postea Francofurti habuit Moguntinus Archiepiscopus. Eo in conventu provinciales Coloniensis Metropolis Epi-

**al. VI. Luitprandus lib. de vitis Pontif. Adamus Bremen. lib. 1. c. 41. Flodoardus lib. 4. c. 1. Albertus Stadensis ad an. 896. Binius tom. 3. p. 3. Sirmondus in Conc. Gen. Labbeus.*

Episcopi Franco Tungrensis, Voldebaldus Trajectensis, Wulfelinus Mimigardevordensis, Drogo Mindensis, Egilmarus Osnabrugensis pro suo Metropolitano pronunciarunt, testatique sunt nullum hactenus Bremensem Episcopum Coloniensis obedientiæ se subtraxisse. Nec tamen ea in synodo controversia decisa est, quemadmodum hæc ex diplomate Formosi Pontificis apud Crantzium constant. Pronum est existimare, utrique synodo tam Wormatiensi, quàm Francofurtensi, aut certè alterutri Bisonem cum alijs Saxoniæ Episcopis interfuisse, tum quòd Pontifex non tantum ab Episcopis Coloniensis Metropolis, sed & ab alijs etiam Episcopis gravem hanc litem cognosci voluerit, quorum judicium à partium studio integrum esset; tùm quod Biso hoc ipso anno Forcheimij Episcoporum synodo interfuerit, ut post referam.

Crantzius lib. 2. Metrop. c. 20. & 21.

Inter Episcopos provinciales ex diplomate Formosi memoratur Wulfelinus Mimigardevordensis, qui à Crantzio Wolfelinus, in fastis verò Monasteriensibus passim Wilhelmus appellatur, vir miri candoris & sanctitatis, ut in Monasteriensium annalibus refertur, quem ad hunc annum produxisse vitam, satis argues ex hoc Pontificis apud Crantzium diplomate, & ex Herisiensis monasterii tabulis, quas mox producemus; secus quàm Chronicorum Monasteriensium scriptores anno 889 obijsse perhibent; certè Cleinsorgius ex literis Werthinensibus adhuc anno 889 superstitem docet; nec ulla in re fluxa magis Chronicorum istorum fides, quàm in chronotoxia; quæ tamen Chronica à temporum ratione inscribi volunt.

Hoc ipso præterea anno alia Episcoporum synodus est habita in Forcheim in palatio regio à Sunderholdo Moguntino & Hermanno Coloniensi Archiepiscopis; si non hæc illa synodus, quæ Francofurti est habita hoc anno; de qua licet apud veteres scriptores mentionem non reperiam, nec qua ex causa indicta sit, exponere habeam; certus tamen & celebris Episcoporum & Abbatum conventus est, in quo Biso Episcopus noster confirmationem Herisiensis monasterij à Luithardo Episcopo nostro conditi impetravit. Recito hic tabulas Episcoporum manu subscriptas consignatasque.

Biso Ep. in Conventu Forcheimensi impetrat confirmationem Monasterij Herisiensis.

Quoniam omnibus, qui curæ Pontificialis funguntur officio, id maximè convenit, ut ad divinæ laudis augmentum monasteriorum conservationibus, et Deo ibidem famulantium utilitatibus provectibusque prospiciant. Idcirco ego Sunderholdus humilis Moguntiacensis sedis Archiepiscopus, unà cum venerabili Coloniensis Civitatis Archiepiscopo Herimanno, nec non et aliis Coëpiscopis ac Consacerdotibus nostris, qui nobiscum ad præsentem synodum convenêre, petitionem fratris nostri Bisonis Paderbrunnensis Episcopi, qua nos statum herisiensis Cœnobii unanimitatis nostræ scriptis confirmare, et corroborare postulat, censeo gratanter accipiendam. Nam nobis ostendit Cartulam quandam continentem synodalis decreti consensum, quo veneranda memoria

riæ decessor meus Liutbertus Archiepiscopus, et alii quam plures Episcopi una cum illo in synodo apud Wormatiam habita congregati, rogatu Liuthardi, tunc ejusdem Padarbrunnensis sedis Episcopi, qui prædictum puellare cœnobium simul cum sorore sua nomine Walburg primum inchoaverat, ipsum cum omnibus rebus suis tam decimis ad usus ancillarum Dei ibidem deputatis, quam possessionibus mutuatis firmum ac stabile mansurum fore decreverunt, eandemque cartulam subscriptionibus propriis corroboraverunt: Alteram quoque afferens cartam, quam sæpè jam dictæ Padarbrunnensis Ecclesiæ sacerdotes, et universus pariter clerus nuper fieri postulavit, suisque subscriptionibus confirmavit, de consensu videlicet suo super statu ejusdem monasterii primitus in illa parochia construendi, et de rebus omnibus, quas nunc habere videtur, illuc justè legitimèque collatis. Quapropter juxta petitionem præfati fratris et Coëpiscopi nostri justum et utile satis esse credimus antecessorum nostrorum salubre decretum, quo Christi famulabus quietam et tranquillam in ejus servitio securitatem auctoritatis suæ unanimi sententia providere studuerunt, nostris quoque sanctionibus confirmare, ne quis futuris temporibus ex his, quæ vel hujus Episcopi Bisonis, vel antecessoris sui diebus illuc collata noscuntur, sive in decimis à præfata generali synodo concessis, seu possessionibus undecunque mutuatis, aut quorumlibet fidelium largitione traditis, aut deinceps tradendis, omnino aliquid auferre, vel dispositionem monasterii destruere præsumat, nisi sese velit vinclo perpetui anathematis condemnari. Ergo ut hoc nostræ unanimitatis decretum firmiorem in Dei gratia teneat stabilitatem, nostris id subscriptionibus corroborare curemus. Id ipsum Coëpiscopos et suffraganeos nostros, qui modo absentes sunt, cumprimum hæc in eorum manus scripta devenerit, facere postulantes, sicut eos in nullo penitus à nostræ unanimitatis consensu dissentire velle confidimus.

Actum Forachein palacio Regio, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXC *Regni vero piissimi Regis Arnulfi anno III, Indictione VIII.*

✠ *Signum Sunderholdi Mogontiacensis Archiepiscopi.*
✠ *Signum Herimanni Coloniensis Archiepiscopi.*
Wirtzb. ✠ *Signum Arn. Episcopi.*
Ferdensis. ✠ *Signum Vuiberti Episcopi.*
Metensis. ✠ *Signum Hrodberhti Mediomatricæ sedis Episcopi.*
Spirensis. ✠ *Signum Godethanki Episcopi.*
Osnabrug. ✠ *Signum Egilmari Episcopi.*
Aichstad. ✠ *Signum Erkanboldi Episcopi.*
Bremensis. ✠ *Signum Adalgarii Episcopi.*
Virdunens. ✠ *Signum Dadonis Episcopi.*
Paderborn. ✠ *Signum Bisonis Episcopi.*
✠ *Signum Ailmari Episcopi.*
✠ *Signum Agiulfi Episcopi.*
Mindensis. ✠ *Signum Drogonis Episcopi.*
Hildesiensis. ✠ *Signum Vuitberti Episcopi.*
Mimigard. ✠ *Signum Vuolfhelmi Episcopi.*

Signum

✠ *Signum Libardi Abbatis.*
✠ *Signum Faraberhti Abbatis.*
✠ *Signum Hathtbonis Abbatis.*
✠ *Signum Gerhardi Abbatis.*
✠ *Signum Godescalci Abbatis.*

In hac tabulæ subscriptione legis Adalgarium inter Episcopos subscripsisse; ut tanquam in superioribus synodis illi Archiepiscopi nomen & dignitas abjudicata sit. Nec Bovo Corbeiensis Abbas summus Adalgarij propugnator præsens cognoscitur inter Abbates; seu ob contumeliam Bremensi Archiepiscopo irrogatam se subtraxerit, seu intelligeret frustra se patrocinium Adalgarij suscipere. Biso contrà omnium Episcoporum gratia auditus, & benigniores, quàm ante Archiepiscopos expertus. *Regino. Sigebertus. Herm. contract.*

Annus Christi 891.

Formosi Pont. 1.
Arnulphi Regis Germ. 5.
Bisonis Ep. Pad. 5.

Superiori synodo, cùm in Palatio regio conventum sit, controversia inter Coloniensem Archiepiscopum & Adalgarium fortè coram Arnulpho Rege, aut ejus legatis pertractata est. Quam in rem uterq; Episcopus Coloniensis & Bremensis præsens fuerit. Verebatur enim Rex sapientissimus, ne controversia hæc longius proserpens internis dissidiis turbaret Imperium, & Episcoporum consilia auxiliaque averteret; quando hinc Sclavi, inde Nortmanni imminebant. Eò verò in Bavariam contendit intentus in Zundeboldum Sclavorum ducem. Is etsi priori anno pacem fecerat, pro perfidiâ tamen gentis rebellionem cœptabat. Quarè Rex cum exercitu ad fines Bojariæ progressus, repellit insolentis audaciam. At majus à Nortmannis periculum urgebat: Hi licet binis cladibus ab Odone Rege, Caroli simplicis tutore, Saxonici, ut diximus, generis bellicoso viro attriti; extremas tamen vires in unum contrahunt, bellumque transferunt in Lotharingiam, Arnulphi regnum, castris propè Lovanium præmunitis, ad prædas undique agendas. Postquam de his Arnulphus certior factus, Sunderoldo Moguntino Archiepiscopo & Arnulpho Comiti mandat, copias quamprimùm contrahant, & ad Mosam castra collocent, ne quis hosti transitus pateat. At Nortmanni priusquam Germanæ copiæ ad Trajectum convenirent, Lovanio digressi, Mosam ad Leodium transeunt. Jndè Aquisgrani omnia circum prædis pervagantur. Quod ubi nunciatum Francis, quorum copiæ Festo S. Joannis Baptistæ dum accesserunt, consultatum multis, Coloniamnè movendum, an transito Mosa hostium classis invadenda. Placuit tertium, rectaque in hostem eundum decernunt. Postera *Christiani à Nortmannis ad Guliam amnem cæduntur.*

ra ergo luce moventur castra trans Guliam amnem. Ibi in Nortmannorum exploratores incidunt. Christiani ut quemcunque impetus rapuit, irruunt sine ordine, duce & imperio: cedentibus ex composito Nortmannis, dum ad locum, in quo hostium pedestres copiæ se conglobàrant, traherentur. Ibi atrox & dubio eventu prælium habitum: pugnatum inter clamorem fragoremque, quo hostium equitatus excitus advolans, Christianum exercitum uno impetu fugat cæditque. Interemptus Sunderholdus Moguntinus Archiepiscopus, Arnulphus Comes, magna pars nobilitatis, ceteri miserandum in modum contrucidati. Clades hæc VI Calend. Julij accepta ad Guliam amnem, qui infra Trajectum Mosæ infunditur. Barbari spoliatis castris & cæsorum corporibus, ad classem retro sese cum ingenti præda retulêre.

Insignis victoria Arnulphi contra Nortmannos.

Procul aberat per id tempus Arnulphus Rex in finibus Bojariæ, Sclavorum bellis occupatus; acceptoque istic cladis nuncio ingemuit. At mox ubi rei magnitudinem cum animo versare cœpit, accensus ulciscendi ira in Barbaros, quantum potest ex orientalibus Francis Germanisque exercitum contrahit; quo Rhenum transgressus ad Mosam castra collocat. Quod ubi Nortmannis cognitum, in castra se recipiunt, quæ ad Diliam flumen præmunivere, intra paludes utrumque latus claudentes: cetera aggesta terra ac palis præsepiunt. Eò instructa acie procedit Arnulphus, & castra castris opponit. Barbarus & recenti victoria & situ loci confisus, Regi insultat, & Guliam amnem fœdumq; cladis locum inter cetera convitia monstrat, ni recedat & Diliam amnem pari suorum strage notatum velit. Quibus exacerbatus Arnulphus Rex ex equo se submittit. Idem omnes equites facere jubet; & cum pedite castra hostium aggressus, eadem uno omnium impetu oppugnat & expugnat; tantaq; barbarorum strages edita est à furente christianorum milite, ut vix ex innumerabili hostium numero relictus, qui cladis nuncium referret ad suos. Cæsi cum ceteris Godefridus & Sigefridus Nortmannorum Reges. Cælestis, inquit Helmoldus, hæc victoria parta ad Calend. Septemb. eòque Rex omnisq; exercitus publica Supplicatione Deo gratias persolverunt, & posteri diem celebrem habuêre. Rex inde exercitum ingenti hostium præda onustum Moguntiam reduxit, quocum per hiberna in Alemannia permansit.

Lipsius in Lovanio Brovverus lib. 9. ann.

Translatio S. Justini Corbeiam.

monum. Corbei. à Meibom. edit.

**ad an. 1071*

Hoc ipso anno inter flagrantia bella delatum est ex Gallia corpus Justini Martyris Corbeiam, Godeschalco Abbate: præterque S. Vitum Westphalia novo patrono decorata est. Multi eo nomine Martyres; at hic, de quo agimus, immani illa vexatione Diocletiani una cum Maxentio, Constantio, ac Crescentio Senatoribus Treviri à Rictiovaro interemptus pro Christo sanguinem fudit. Historia translationis puerum vocat, secus quàm Sigebertus * inter senatores

res

res Trevirenses memorat. Corpus hoc Martyris Godeschalcus Bovonis successor & quartus Corbeiensium Abbas impetravit à Radbodo, ut opinari fas erit, Trevirensium per id tempus Episcopo. Jam ante caput Martyris Antisiodorum translatum erat in Galliam. Inde post ab Ottone I. Jmperatore inter cetera SS pignora Magdenburgum transportatum. Id cùm resciret Gerbernus decimus Corbeiensium Abbas supplex Jmperatorem adijt, & caput, quod corpori deerat, impetravit. Ita verò totus Justinus Martyr apud Corbeienses conquiescere voluit. Felicia tempora, cùm Principes & Præsides unàque populus de SS. pignoribus & patrocinijs apud Deum decertarent. Quantum inde remissum, tantum felicitatis postea Saxoniæ subtractum; donec hæresis ingressa hæc in ludibrium ausa vertere, & illa cum Regno etiam vera religione exuta est.

Annus Christi 892.

Formosi Pont. 2.
Arnulphi Regis Germ. 6.
Bisonis Ep. Pad. 6.

At nondum per hæc tempora quies à Nortmannis. Nam etsi Frisiam Saxoniamque intactam reliquerunt; ij tamen, qui à superioris anni clade superstites erant, collegêre se rursùs in prædatorium exercitum; quo Mosam transgressi populando Bonnam pervenêre, omnia per Ripuariam spolijs, cædibus & terroribus complendo. At postquam didicêre jussu Regis Arnulphi Christianorum exercitum in se tendere, noctu per continentes sylvas & montes summa velocitate se subduxêre; donec Prumiam delati, cœnobium illud spoliis & monachorum cædibus funestarent: cumque à tergo inhæreret christianorum exercitus, demum per Ardennam abruptaque locorum profugi ad classem se recepêre, desperatisque rebus in Nortmanniam sunt reversi. Ita gens ferocissima, quæ per LXX annos Franciam & Belgium divexârat, facta superioris anni strage, intra Regnum suum se continuit; finemque accepit bellum Nortmannorum, cui Hungaricum mox haud minus crudele ac funestum successit; tanquam continuis barbarorum flagellis Christianorum vitia & delicta castiganda permiserit Deus.

Regino. Sigebertus. Herm. cont. Marianus Scotus.

Nortmanni ad suas se tandem sedes recipiunt.

Per id tempus, dum hæc inter Rhenum & Mosam agebantur, Arnulphus Rex in Bavaria comitia procerum habuit, in quibus Zwentiboldus, Sclavorum, Moravorum & Bohemorum princeps, hostis Jmperij nominatus; quem deinde triplici exercitu aggressus in fugam abjecit, ejusque regiones prædis & cædibus evastavit; &, quò toties perfidum ac rebellem contineret, Ungaros, ut vocant, imploravit. Gens hæc barbara ac ferox antè, quæ demum è Scythia progressa, deserta à Pannoniis & Avaribus loca, cum domi ob multitudinem

Hungari in auxilium vocantur ab Arnulpho.

nem se in suis regnis non contineret, bellisque Barbarorum implicaret, effusarum locustarum instar occupavit (ut multis hæc describit Regino) nota primum claraque ab hoc bello, quo in Sclavos & Bohemos evocata ab Arnulpho perhibetur, barbaros per barbaros refrenando. Nam, ut Sigebertus scribit, Zwentiboldus horum armis victus, & ad tributum compulsus: gens dein capta dulcedine prædæ in christianos arma vertit, Germaniam, Galliam & Italiam depopulando pervasit, atque in Saxoniam & Westphaliam penetravit, novum Imperij flagellum. Quare reperias scriptores, qui Arnulpho id vitio dederint, haud secus quàm olim Constantino M. eò quòd barbarorum arma permiscuerit Christianis, hostesque cum horum auxilijs traxerit intra viscera Imperij. Ac tametsi gente Scythæ passim essent, Hunni tamen & Ungari appellantur; neque dubium quin multi Hunnorum in societatem hujus belli prædatorij ex illa populorum colluvie ultro convolârint. Bello hoc Arno Herbipolensis Episcopus, hortatu Popponis Thuringiæ ducis castra secutus, quum ad altare sacrificium missæ offerret, à Barbaris trucidatus glorioso mortis genere; quo & Sunderboldus Moguntinus Archiepiscopus desideratus; non enim ut milites, sed Castrensium Sacerdotum præsules exercitui aderant.

Dithmarus lib. 1. Regino.

Fine anni Arnulphus Rex è Sclavico bello per Bojariam Francofurtum venit. Quod etsi Regino ad sequentem annum referat, præsentem tamen tabulæ nostræ exhibebunt; quando mense Novembri duo Episcopi Biso noster & Wicbrecht ad palatium profecti Regem Francofurti convenêre, ab eoque confirmationem omnium privilegiorum Herivordiensium Virginum Monasterio implorârunt, quam hisce tabulis adscribimus.

Privilegia Herivordiensia confirmantur ab Arnulpho.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina favente Clementia Rex. Si servorum et ancillarum Dei petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuimus ac piè prospicimus, id nobis et ad præsentis vitæ cursum salubriter transeundum, et ad perpetuæ beatitudinis præmia feliciter promerenda liquido profuturum esse confidimus. Quamobrem noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet atque futurorum industria, qualiter Vuicpreht et Biso venerabiles ac dilecti Episcopi nostri precati sunt una cum Chonrado fideli comite nostro Clementiam nostram, quatenus sororibus sanctimonialium in monasterio Herifordt nominato sub honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ constructo atque dicato Domino famulantibus electionem suam inter se intrinsecus ab antecessoribus nostris eis prius per præceptales cartas concessum pro remedio animæ pii Genitoris nostri Karolomanni Regis, et deinde nostræ cæterorumque parentum nostrorum simili modo concederemus, nostraque auctoritatis scripto eam corroboraremus. Quorum petitionibus et salubri consultui libenter assensum præbuimus, et præsens præceptum inde conscribi jussimus, quidquid boni

boni antecessores nostri eidem cœnobio contulerunt, et omnia privilegia ab ipsis illuc concessa eidem concedentes, ac nostra auctoritate confirmantes, et juxta illorum monitionem iisdem sororibus securum per hoc praeceptum concedimus arbitrium et potestatem inter se Abbatissas eligendi, quamdiu Deus aliquam inter illas eidem præsignaverit ab ipso docta, quæ famulas Dei inibi domino militantes gubernare ac regere possit, nullusque successorum nostrorum hanc nostræ auctoritatis certam potestatem habeat violare, ut ipsas ob hoc melius pro nobis et prælibato Genitore nostro, aliisque parentibus nostris exorare delectet. Et ut præsens auctoritatis nostræ præceptum nulla unquam mutabilitate violetur seu violari conetur, manu propria illud firmavimus, annulo nostro assignari praecepimus.

R
Signum Domni Arnolfi NF—◇—S *invictissimi Regis.*
L

Signum Domini HLudovici DOS LIE *Serenissimi Regis.*

Ernustus Notarius ad vicem Theotmari archicappellani recognovi et ss.
Data III nonarum novembrium die, anno incarnationis Domini DCCCXCII *indictionum* XI *anno regni Arnolfi Regis* V *Actum Franchonofurd in Dei nomine feliciter amen.*

Annum regni V hæ literæ præferunt, quem alii VI ab anno 887 deducunt. Indictio similiter hujus anni X est non XI; nisi sequentem à Septembri numerarint, aut certè scriptoris error in his intervenerit; Quem verò Wicpret Episcopum cum Bisonę conjungat, incertum habeo; nam duo Arnulpho Rege ejus nominis Wicberti Saxoniæ Episcopi fuêre, alter Hildesiensis ex Corbeiensi monasterio, ut diximus, traductus, alter Verdensis ex familia Widekindi M. præclarus ea tempestate Episcopus; quemadmodum hic Crantzius retulit. Qua verò ex causa Biso Episcopus noster ad palatium profectus sit, nec ex fastis nostris, nec ab alijs accepimus. *Crantzius lib. 2. Metrop. c. 30.*

Annus Christi 893.

Formosi Pont. 3.
Arnulphi Germ. Reg. 7.
Bisonis Ep. Pad. 7.

Certè Arnulphus Rex, dum anno proximo trajecto Rheno civitates Germaniæ inferioris & Lotharingiæ lustraret, ingentibus donis ab Episcopis passim occurrentibus exornatus est, Utrumne in *Regino.*

Sax-

Saxoniam descenderit ad nobilem regni sui partem, in qua Otto Saxoniæ Dux filiam in matrimonio collocatam habebat in annalibus non reperio. Wormatiam inde profectus Rex ad comitia, quæ indixerat, totam sibi Germaniam applaudentem habuit, cujus bellica virtute omnes domi forisq; hostes obtriti jacerent. Tantaque hujus Regis auctoritas erat ex felicitate rerum gestarum, ut Carolus Galliæ Rex recens inunctus à Falcone Remensium Archiepiscopo, supplex Wormatiam veniret, & Arnulphi ope Regnum Galliæ sibi ab Ottone reddi peteret. Interim Rex Arnulphus ubique delectus militum facere jussit, quo Germaniam Saxoniamque in omnem belli casum armatam haberet. Nec Episcopi per Saxoniam immunes facti; solùm Corbeiensibus secundùm privilegia superiorum Imperatorum & Regum exemptio confirmata hisce tabulis; quas etiamsi nullo certo anno & indictione consignatas reperiam, hic referre placuit.

Ab eodem eximuntur Corbeienses ab onere alendi milites.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Arnolfus divina providente Clementia Imperator Augustus, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicariis, omnibusque in sublimitate positis, et natu majoribus in Saxoniæ partibus constitutis in Christo Salvatore pacem et utriusque vitæ felicitatem cum salute perenni. Notum itaque generalitati vestræ fieri volumus, quia Serenitatis nostræ auribus innotuit, quod sint inter vos, qui militiam cœnobii, quod vocatur nova Corbeia, id est, vasallos ejusdem Abbatis plus justo in hostem ire compellant, cum auctoritate divorum antecessorum nostrorum ipsi loco suisque concessum atque indultum clara luce dinoscatur, quod et nos morem sequentes priorum, non minori devotionis solertia eidem sacro sancto loco, et Rectoribus ejus cum omnibus regimini illorum subactis Domino propitiante finetenus confirmare studemus. Quapropter universitati vestræ expresse mandamus, et modis omnibus prorsus interdicimus, ne quisquam ex vobis ipsos milites quoquomodo iniqua distractione, seu in expeditionem, aut ullam exactionem hujusmodi violenter reddere, aut facere coartari præsumat. Sed liceat præfati monasterii abbati secure cum omnibus curæ illius subjugatis degere, et sicut ab antecessoribus nostris sibi suisque interius exteriusque concessum, scripto roboratum constat, sine alicujus majoris minorisvè ordinis personæ offendiculo frui perpetimque potiri, in gloriam et laudem Dei.

Data XI Calend. Julii ad Ingulunheim.

Proferunt Letznerus & Meibomius duo hæretici scriptores, quibus tertius accedit Kemnitius, Litanias apud Corbeienses repertas, quibus Arnulpho Rege Deum & Divos precati Monachi illius loci, tam diverso cultu rituque supplicandi, ut nullum in ijs modum usumque invocandi sanctos esse velint: nam præterquam, quod hi tres scriptores hæretici non conveniant, & alias Letznerus, alias Meibomius, alias Kemnitius producat, ut ex hoc fallacia satis appareat; tum nos multò antiquiores Litanias inter monumenta ejus cœnobij reperimus Ludovico pio Imperatore usitatas, in quibus prorsus idem

idem ritus motusque invocandi sanctos legitur, quem hodiedum catholica Ecclesia servat. Quapropter ad fallacias hæreticorum retegendas eas integre exscriptas ex autographo, quod etiamnum superest Corbeiæ in Carolo M. Romano catholico dedimus, quo omnibus constaret, quàm falsa fide agant in corruptis Litaniarum & antiquitatis monumentis, qui veram Christi fidem promittunt, sat gnari, nisi domum hæresis suæ mendaciorum fulcris substruerent, eandem per se collapsuram.

Annus Christi 894.

Formosi Pont. 4.
Arnulphi Regis Germ. 8.
Bisonis Ep. Pad. 8.

Subindè Arnulphus, qui Regis Germaniæ nomine, præter Galliam & Jtaliam, totum Jmperium in quiete tenebat, formidabilis omnibus Regibus à Beringario in Jtaliam evocatus adversus Vidonem, quem Formosus Pontifex ante biennium Jmperatorem nominârat, cum maximis equestrium & pedestrium copijs per juga tridentina in Jtaliam penetravit, spe, ut Sigonius perhibet, Jtaliæ & Jmperatoris titulo potiundi. Quam in expeditionem Arnulphus Ottonem Saxoniæ ducem generum suum cum Saxonicis copijs sibi præsto esse voluit, virum fide & militari fortitudine egregium inter omnes Germaniæ duces. Capta primo incursu Pergamum urbs, & Ambrosius Comes urbisq; præfectus ad portam urbis ex arbore suspensus. Territi hoc supplicio Mediolanenses, Papienses, Placentini ceterique per Jtaliam, Regi supplices se offerunt. Otto dux Saxoniæ Mediolanum missus, urbem ad obsequium redigit. Ita Beringarius fugato Vidone restitutus Jmperator; tanquam Arnulphus Germaniæ Rex non modò Galliæ Regem, sed & Jmperatorem sibi beneficiarium haberet, solo titulo fere Augustum; ut facilè Arnulphum absolvas ab affectatione Jmperij (quod à Sigonio illi imputatur) quâ facilè ei erat totam Jtaliam occupare: sed omissa Jtalia, Arnulphus arma vertit in Rudolphum Burgundiæ Regem, hominem, qui per vim & rebellium studia se regem fecerat; quo in latibula compulso, redijt Arnulphus in Germaniam ad comitia, quæ Wormatiæ indixerat.

Regino. Sigebertus. Herm. cont. Marianus Scotus. Otto Frising. lib. 6. Sigonius lib 6. de Reg. Ital. Baronius.

Arnulphi expeditio in Italiam.

Per hæc tempora Zundiboldus Sclavorum ac Moravorum Rex, vir, ut Regino scribit, inter suos prudentissimus, & ingenio callidissimus, postquam christianos multis bellis & malis afflixisset, excessit è vita, regno ad imbelles filios transmisso. Qua opportunitate Ungari Moraviam, Bohemiam, vicinasque Germaniæ provincias occupant; ex quibus deinde in Saxoniam progressi fatales clades intulerunt.

Obitus Zundiboldi Slavorum ducis.

Annus

Annus Christi 895.

Formosi Pont. 5.
Arnulphi Germ. Reg. 9.
Bisonis Ep. Pad. 9.

Regino. Sigebertus Concil. General. apud Binium Sirmondum Labbeum.
Synodus Triburiensis.

Celebris dehinc est annus insequens Christi 895 Triburiensi synodo ad Rhenum; ad quam mense Majo, hortante ac præsente Rege Arnulpho, viginti duo Episcopi Germaniæ & Saxoniæ, omnes pontificalibus ornamentis induti, convenêre; quos inter Biso Episcopus subscripsit. Regino XXVI Episcopos convenisse memorat, præter complures Abbates. Aderant congregati Episcopi à tribus Metropolitanis suis, Moguntino, Coloniensi ac Trevirensi. Eo in concilio post tridui jejunium, post Litanias & publicas preces multa salubriter sunt præscripta digestaque in LVIII Canones, quibus cleri populiq; mores ad antiquorum Patrum & synodorum statuta egregiè sanctèque formantur. Quemadmodum hi Canones in concilijs generalibus digni posteritatis memoria leguntur. Regino concilium illud congregatum dicit adversus politicos homines, qui Episcoporum auctoritatem imminuere tentabant. Quò illa spectant, quæ adversus comites decernuntur; subscripsêre Episcopi hoc ordine.

Hatto Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus.
Hermannus Coloniensis Ecclesiæ Archiepicsopus.
Rathodus, sive Rathbodus Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus.
Waldo Frisingensis Episcopus.
Erckanbaldus Eichstadensis
Turo Radasbonensis
Adalpero Augustensis
Salamon Constantiensis
Theodulphus Curiensis
Fringus Basiliensis
Baldramus Strasburgensis
Lotechaneus Spirensis
Theotelaus Wormatiensis
Adalgarius Bremensis
Dudo Virdanensis
Wigbertus Hildesheimensis
Rudolphus Wirtzburgensis
Sigismundus Halverstadiensis
Ruotbertus Metensis
Drogo Mimidensis
Biso Paderbornensis
Egilmarus Osnabrugensis Episcopus.

In

In synodo iteratò acclamatum Arnulpho magno Regi vita & victoria: & Rex ad Patres: agite Pastores Ecclesiarum, clarissima mundi lumina, pro cura, quæ vobis imposita est, *habetis me omnibus Ecclesiæ Christi adversantibus, et vestro Sacerdotali ministerio renitentibus oppositum bellatorem.* Quam præclarè per Germaniam agebatur, cùm Reges & Episcopi una cura Ecclesiam & Rempublicam complexi, disciplinam cleri & populi quærebant, fontem omnis felicitatis? Præfat. Concil.

Hac in synodo rursum controversia inter Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, & Adalgarium Bremensem agitata perhibetur ab Adamo Bremensi, Alberto Stadensi, Binio & Baronio. Ita enim Adamus historiæ Bremensis scriptor. *Collecta apud Triburiam synodo, Hattone Moguntino præsidente, cassata sunt privilegia, et gloriosorum principum præcepta, consentientibus iniquis decretis Formoso Papa et Arnulpho Rege.* Addit utriusq; Episcopi Oratores Adolinum & Widgerum in certamen venisse, alterum pro Coloniensi, alterum pro Bremensi, tanta vehementia perorantem, ut Patrum oculos animosq; in se converterint: at postquam causa adjudicata Coloniensi fuit, altero die Widgerum Bremensium legatum exspirasse. His omnibus se opposuit Bollandus, asseritque Adamum Bremensem ac ceteros, qui hæc tradunt, corrigendos, quod hæc controversia jam antè in concilio Francofurtensi decisa fuerit; tanquam in hac synodo repeti non potuerit; in qua teste Adamo Bremensi rerum peritissimo, Adalgarius Episcopus in causam synodi inter considentes Episcopos dejectus; Uti id ordine Episcoporum relato conspicitur, quod ex Francofurtensi concilio exhiberi non potest. Sanè quòd Formosus Pontifex pro Coloniensi pronunciârit, fecit Episcoporum judicium, cui suum conformavit: nec conveniens duxerit Bremensem Archiepiscopum ea dignitate exornari, qui nullos adhuc provinciales Episcopos sibi subjectos haberet. Quare dum illos nanciscatur, tantisper honore supersedendum censuit, & parendum Coloniensi ex prima Hadriani Pontificis & Caroli M. institutione, qui Bremensem Ecclesiam Metropolitano Coloniensi subjecêre. Multis hæc exponit Formosus Pontifex in literis ad Adalgarium. In qua præter alia decisum pro Coloniensi contra Archiep. Bremensem. Crantzius l. 2. Metrop.

Synodo finita Arnulphus Wormatiam ad comitia procerum est profectus, quorum assensu tandem filium Zwentiboldum ex concubina genitum Lotharingiæ Regem dixit. Accessere in hoc conventu Arnulphum Carolus & Otto Galliæ Reges, amicitiam altero præ altero ambiente. Subinde à Formoso Pontifice in Italiam est invitatus, ad Ecclesiam Romanam liberandam à vexatione Lamberti Imperatoris, quem à morte Vidonis Patris Itali factionis paternæ adversus Berengarium subrogavêre. Arnulphus re cum Episcopis deli- Regino. Sigebertus. Sigon. lib. 6. de Reg. Ital. Otto Frising. lib. 6. c. 13. Arnulphus invitatu Pontificis in

Italiam proficiscitur.

deliberata, mense Septembri armatus Jtaliam ingreditur, & perlustratis subactisque multis Jtaliæ urbibus, *Lucæ Natalitia Christi peregit.

*al. Lunæ.

Annus Christi 896.

Formosi Pont. 6.
Arnulphi Reg. Germ. 10.
Bisonis Episcopi Pad. 10.

Captâ Leporis beneficio Româ Imperator à Pontifice inungitur.

Jnde sub exordium consequentis anni Romam cum exercitu properavit, urbemque ex voluntate Formosi Pontificis cœpit. Leporis id beneficio factum scribit Sigebertus, Sigonius, & alij. Enim verò, dum exercitus ad urbem considet, excussus è cubili lepus; quem dum milites per lusum militarem ad urbem insequuntur, cives, qui excubabant, rati universis se casttorum viribus peti, metuque perculsi, stationes deserunt. Qua re conspecta, Germani muros transcendunt, portisq; ariete perfractis urbem intrant. Arnulphus urbe potitus Sergium Pontificem expellit, & in factionis Sergianæ cives gladio animadvertit; haud secus quàm ante Carolus fecerat, Leonem Pontificem ab injurijs factiosorum civium vindicando. Hoc simili beneficio provocatus Formos⁹ Pontifex Arnulphum Imperatorem inungit. Haud nescio ab Jtalis scriptoribus vitio creatum scribi, eòque inter Jmperatores ab his non censeri, quod & Otto Frisingensis suo ævo observavit: Verùm Germani plerique scriptores (quos inter accessit Brunnerus) legitimis eum suis Imperatoribus adnumerant. Nec causæ huic derogat, quod Formosi acta rescissa à Stephano VII successore, & corpus ejus è tumulo protractum in Tyberim sit projectum. Id civili furore actum, qualia ipsi Stephano post mortem pati necesse fuit. Certè postquam Formosi corpus à piscatoribus è Tyberi extractum delatumq; in Vaticanam Basilicam, Sanctorum imagines venerabundæ salutasse visæ sunt; ne quid hic referam de elogijs, quibus scriptores Formosum exornârunt. Quibus factionum studijs Urbs & Pontifex, ijsdem Jtalia laborabat, alijs Berengarium, alijs Vidonem & filium Reges sibi deposcentibus. Ferre duos Reges necesse fuit, cum unum Jmperatorem Germanum detrectarent Jtali. Fugato Lamberto Rege, Arnulphus Camerini Ageltrudam matrem Regis obsidet. Versuta fœmina, cùm aliter se expedire non posset, per corruptum auro ministrum venenum Jmperatori præbuit; quo poto in veternum prolapsus, multum amisso animi vigore, ac paralysi etiam contracta in Germaniam redijt; post cujus discessum tota Jtalia descivit ab Jmperatore.

Brun. lib. 7. an. Boicor.

Luitp. lib. 1. c 5.

Sigon. lib. 6.

Veneno propinato læsus Jtalia excedit.

Cleinsorg in chron.

Auctor Chron. Mind.

Confirmat Fundationem Monasterij Mollenbecani

Hoc etiam Anno Forchemij Jmperator confirmavit fundationem monasterij Mollenbecani in Westphalia; id quod nobilis matrona Hildeborchia in diœcesi Mindensi è suis bonis condidit. Tabulas recitat Cleinsorgius germanico idiomate, malè consulto nobis more;

re; tantum ex latino autographo hæc reliquit. Signum Domini Arnulfi invictissimi Imperatoris. Ernustus Notarius ad vicem Theodmari Archicapellani recognovit. Datæ Idibus Augusti, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCVI, Indict. XIV, regni Domini Arnulfi IX, imperij ejus I. Actum in Forcheim. in Diœcesi Mindensi.

Produnt hæc satis, quàm malè quidam Imperatoris titulum abrogent Arnulpho, quem ipse sibi tribuit, quoque tota eum Germania decoravit. Theotmarus, qui hic Archicapellanus aulæ notatur, Salisburgensis Episcopus est: hujusmodi enim sacrorum aulicorum præsules pro arbitrio sibi deligebant Imperatores ac Reges: quales modò Colonienses, modò Moguntinos, modò Trevirenses Archiepiscopos, modò etiam sapientia & virtute conspicuos Episcopos fuisse constat.

Annus Christi 897.

Stephani VII Pont. I.
Arnulphi Germ. Regis II. Imp. 2.
Bisonis Ep. Pad. II.

Arnulphus hinc viribus sensim receptis, mense Majo Wormatiam ad comitia procerum digressus. In his cùm multa pro incolumitate Imperij constituta sint; tum verò Optimates sibi ac Ludovico filio, quem Successorem destinabat, novo sacramento obstrinxit; comitesque Regni Lotharingiæ, quos Zwenteboldus bonis exuerat, cum filio in gratiam reduxit. Inde Fuldam religionis causa ad sepulchrum D. Bonifacij profectus est; Fulda in Thuringiam discessit, ac Saltzæ in palatio regio Saraborum legatos audivit. Rebus istic compositis, Ratisbonam, quam urbem præ ceteris coluit, se contulit, ubi Bohemorum legati accessêre Imperatorem, multum questi de injurijs Moravorum. Nec segnis Imperator bellum impotenti genti indixit, & intulit. Saxonia interim Ottonis generi ac ducis fortitudine defensa stetit. Regino.

Decesserat sub exitum prioris anni Formosus Pontifex, cui subrogatus Stephanus VII. Pessimo is exemplo acta Formosi rescidit; interque cetera, ut Crantzius perhibet, judicium Formosi, quo controversiam inter Colonienses & Bremenses Episcopos deciderat, retractatum; mandatumque ob id Fulconi Rhemensi Archiepiscopo, ut litem ex integro resumeret, & Francofurti utrumque audiret. Verùm frustra hæc agebantur, cùm omnia Coloniensis, fultus Imperatoris & Episcoporum sententia, dilueret. Quanquam & acta Stephani resciderit post Joannes IX Pontifex, adeo tum Romæ Sergiana factione omnia conturbata erant. Crantzius lib. 2. Metrop. c. 24.

Memorabilis hic annus Paderbornensibus, ex illustri miraculo, quo Deus D. Menulphi sepulchrum exornavit: siquidem hic annus est, quem à morte ejus quinquagesimum esse volunt, Arnulpho Ro- Sigewardus in vita Menulphi.

manorum Francorumque Rege, & Bisone Episcopo. Enimvero dum in Bodecensi Basilica solemni ritu sacrificium Missæ peragetur, ac Diaconus Evangelium caneret, xv Calend. Februarij cippus, qui Sepulchro Menulphi impositus erat, magno sonitu in quatuor partes rumpitur, attonitis omnibus, qui aderant; ac mox ubi ad sacræ hostiæ elevationem perventum est, ingenti rursum fragore idem lapis in minuta frustra sectus dissilit. Rei novitate obstupefacti accedunt ad sepulchrum, videntque terram, qua tumba intecta fuerat, secessisse in latera sepulchri, ipsumque sarcophagum totum se in conspectum dedisse; simul tam suavis odor afflatus è sepulchro, tanquam his signis ostenderet Deus, elevationem corporis faciendam. Quæ ubi ad Bisonem Episcopum relata sunt, atque ille inter incerta fidei hæc haberet, censuit sepulchrum sua humo & lapide rursus integendum; quo facto haud multò post sepulchrum submoto cippo arcana vi disjicitur. Consultus denuo Episcopus, nec quicquam ratus divinæ monitionis subesse, jubet denuo sepulchrum componi. Inter hæc D. Menulphus presbytero Meinhardo in proxima Attelensi parochia se per somnum offert monetque, Episcopum adeat, & pro ostensis signis ossa honorificentiori loco collocet. Id cùm presbyter quoq; iterato monitus negligeret, ratus se vana imagine deludi, tertiùm se offert Menulphus, cæcitatem comminando, à qua non prius liberandus, quàm jussa explêrit. Manè ubi diluxit, oculis se captum advertit. Ita cæcus, manuq; ductus ad Episcopum, exponit, quid sibi evenerit, quid D. Menulphus fieri velit. Tum tandem Biso Episcopus intelligens, ac sibi etiam metuens Bodekam cum Sacerdotibus proficiscitur, & solemni ritu corpus D. Menulphi è terra levat, ac publico cultu venerandũ exponit. Vix dum hæc præstita sunt, cùm Meinhardo presbytero visus est redditus. Inde Menulphus affluente undiq; populi multitudine cœlestibus beneficiis longè illustrior; quorum multa miraq;, ut supra diximus, posterorum scriptis excepta tenemus.

Corpus S. Menulphi elevatur.

Annus Christi 898.

Stephani VII Pont. 2.
Arnulphi Germ. Reg. 12. Imp. 3.
Bisonis Ep. Pad. 12.

Nihil per hæc tempora fortunatius, quàm pax & otium, quo Saxonia fruebatur: non bella cum Barbaris, non intestina procerum dissidia; eò Episcoporum studio florentissima religio. Ac ne Sclavi Moravique Thuringiam & superiorem Saxoniam infestarent, Arnulphus Rex in Bavaria excubabat, immisso etiam exercitu in Barbarorum regiones, quos per duces suos multis cladibus attrivit. Turbatius Lotharingiæ Regnum. Nam ex quo Zwentiboldus Rex Reginarium Comitem, virum belli pacisq; artibus inclytum, insectatus, ceteros

Regino.

teros ille Comites in partes traxit, rebellionem cœptando. Ejus rei gratia Zwentiboldus mense Majo Aquisgrani comitia habuit, in quibus Reginarium malevolorum calumnijs oppressum proscripsit, & gravi bello se implicuit, quo de regno periclitari cœpit. Nam Reginarius ceteriq; offensi Comites Carolum Regem, ad quem Odone Rege extincto, totum Franciæ Regnum transierat, imploravêre. Is cum valido exercitu Germaniam intrârat. Jamque Zwentiboldi & Caroli acies oppositæ stabant, decertaturæ pro summa rei; quum opportunè arbitri intervenientes pace acies structas solvunt. Interim Zwentiboldus Rex Aquisgrani, ut beneficus in religiosorum cœnobia á scriptoribus commendatur, inter ceteras donationes Werthinensi cœnobio ob venerationem D. Ludgeri conditoris privilegia confirmat, & à Rheni vectigalibus immunitatem facit; diploma hîc subjiciam. *Miraeus in not. Belg. Brovverus lib 9. ann. Chaplav. lib. de Episc. Tung.* Zwentiboldus Werthinenses immunes reddit à vectigalibus Rheni, &c.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Zvventeboldus misericordia Dei Rex. Comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum prudentia, qualiter fratres monasterii S. Ludgeri, quod dicitur Werdina, nostræ suggesserint Dominationi, quatenus se ipsos et quæ sua in nostro regno sunt, sub nostro patrocinio et tuitione susciperemus, et privilegia, quæ priores pro tuitione illi monasterio contulerunt, nostri dignaremur præcepti auctoritate firmare. Quorum suggestionibus ob amorem Dei, et interventu honorabilis Radbodi Trevirorum Episcopi, et Odonis fidelis nostri liberalissimè annuentes, volumus, ut sub nostro mundiburdio res quascunque in nostro regno habent, secure possideant, donationem sive illius fisci, quod dicitur Frimersheim, sive aliarum quarumcunque possessionum, cum mancipiis et sylvis, pratis et omni integritate ratam teneant, et inviolabiliter stabilitam. Item concedimus eis, ut in omnibus mercatibus, qui per Rhenum sunt, à teloniis sint liberi, nec aliquod exigatur, ubicunq; ad suas utilitates indigent, emere aut vendere. Item præcipimus, ut nullus judex publicus in eorum hominibus habeat ditionem, sed advocatus eorum super iis justitiam agat, nec ad publicum mallum quispiam succlamationem faciat, priusquam advocatus eorum appellaverit pro justitia facienda. Et ut hæc nostræ auctoritatis concessio firmior in Dei nomine perseveret, manu propria ea firmavimus.

Signum Domini Zvventiboldi gloriosissimi Regis, Waltgerus Notarius ad vicem Ratpoti Archiepiscopi summique Cancellarii recognovi. Data V Idus Maji, anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII *anno verò Regni piissimi Zvventiboldi III. Actum Aquisgrani palatii in Dei nomine feliciter Amen.*

Annus Christi 899.

Stephani VII Pont. 3.
Arnulphi ultimus.
Bisonis Ep. Pad. 13.

Aderat

Brun. lib. 7. ann. Boje. Obitus Arnulphi Reg. Germ.

Aderat nunc annus Christi 899 Imperio fatalis, quo Arnulphus Imperator, & Germaniæ Saxoniæque Rex, III Calend. Decemb. excessit è vita, religione, virtute bellica, & rebus præclarè gestis inter præstantissimos Reges numerandus. Celebrant Boici scriptores ejus munificentiam in Ecclesias suas; quam & nos liberalitatis ejus tabulis ex Saxonia testatam fecimus. Sigebertus phtiriasis morbo confectum refert; de quo Regino aliique eorum temporum scriptores silent, memorantque Otingæ in Bavaria ad patris tumulum compositum; quem tamen Ratisbonæ ad S. Emmerannum Otto Frisingensis sepultum monstrat. Inde nunc ab excessu Arnulphi, quem ultimum Imperatorem, ætas illa ex Caroli M. stirpe vidit, progredimur ad decimum à Christo sæculum. Tam fluxa humanarum rerum spes, tam citus familiarum illustrium interitus: Imperium, quod Carolus M. anno primo hujus sæculi in familiam induxerat, id ultimo ferè ejus sæculi clauditur in Arnulpho; tanquam intra fatalem hanc periodum fortuna circumscripsisset Carolinæ stirpis gloriam.

Annus Christi 900.

Stephani VII Pont. 4.
Ludovici III Reg. Germ. 1.
Bisonis Ep. Pad. 14.

Succedit in regno Ludovicus Arnulphi filius. *Regino.*

A cognita Aruulphi morte, proceres & Optimates Regni Forcheimij congregati in comitijs Ludovicum filium, quem ex justo toro susceperat, unicumque heredem reliquerat, intra primos annos Regem dicunt, regijsque ornamentis indutum in throno collocant. Et quia ætas immatura regno moderando, tutores dati Hatto Moguntinus Archiepiscopus, vir perspicacis ingenij: & Otto dux Saxoniæ, quòd Lucardam Ludovici sororem in matrimonio haberet, quiq; inter ceteros Germaniæ proceres auctoritate, prudentiâ, omnibusque belli ac pacis studijs longè eminens vigesimum in principatu annum agebat. Horum ergo moderatione Germaniæ Regnum administravit Ludovicus; assertumque honori ejus Regnum, quod in Germania ex Caroli M. stirpe unicus atque ultimus ea tempestate superesset heres. Ab hujus Ludovici Regis munificentia Corbeienses primo statim anno privilegiorum suorum confirmationem impetrarunt. Id quia ultimum quoque ex Carolinæ stirpis Regibus diploma possidemus, Triburiæ ad Rhenum consignatum, hîc adjicere placuit.

A quo privilegia Corbeiensium confirmantur.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis HLudovicus divina favente gratia Rex. Si petitiones nostrorum fidelium, quas pro utilitatibus Ecclesiarum Dei nobis suggesserint, ad effectum perducimus, ad æternæ retributionis augmentum id nobis profuturum liquido credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum industria, qualiter per interventum venerabilis ac Dilecti Comitis nostri Conradi monasterium quoddam nova Cor-

Corbeia nominatum, cui præest fidelis noster Bovo Abbas, in nostram tuitionem ac mundiburdium suscepimus, et omnes concessiones seu donationes antecessorum nostrorum eidem cœnobio collatas nostra auctoritate firmamus atque corroboramus. Videlicet ut et immunitatem habeant ab omnibus publicis exactionibus et judiciariis potestatibus; Homines ejusdem Ecclesiæ liti et Coloni, et Rectores ipsius monasterii in expeditionem cum suis hominibus ire non cogantur, sicut à nostris progenitoribus olim eis concessum fuisse constat, sed et hoc pro nostræ mercedis augmento ad eorum utilitates addere decrevimus, ut intra ipsam Abbatiam in villa Horohusun nuncupata, publicum eis liceat habere mercatum et monetam, et ibi potestatem habeant accipiendi telonium, quod ipsorum advocatus nostro exigat banno ab his, qui illuc causa emendi veniunt, intra marcam memoratæ villæ et montis Eresburg nuncupatæ. Præterea quod ab exordio constructionis ejusdem monasterij à nostris antecessoribus concessum in eorum præceptis cognoscitur. Nos quoque iterum confirmamus, ut licentiam habeant fratres illius loci eligendi inter se Abbatem, dum ita res postulat, quamdiu ad hoc idoneam inter se personam potuerint invenire. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem manu propria affirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini HLudovici  *Serenissimi Regis.*

Ernestus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi et ss.
Data IIII Iduum Octobrium die, anno Incarnationis Domini DCCCC Indict. III. anno Domini HLudovici I. actum Triburias in Dei nomine feliciter amen.

Læta omnis Germania Ludovico Rege, in quo sibi Arnulphi patris majorumque felicitatem pollicebatur. Dispari animo proceres in Zwentiboldum ferebantur, quem Regno gravem aversabantur. Eoque processére exacerbatorum iræ, ut primùm clam, deinde palam Ludovico obviam progressi ad Theonis villam Regnum illi Lotharingiæ veterisque Austrasiæ deferrent, quo totius in eo Germaniæ Monarcham attollerent; haud secus quàm Franciæ Regnum uni Carolo addictum videbant. Sed eo magis Zwenteboldus affligere proceres, exuere Comites honoribus, incolas vexare prædis: & hi in Regem suum insurgere; dum prælio inter utrosque Idibus Augusti commisso Rex occumberet. Vehementis quidem elatique ingenij Zwenteboldus; qui tamen scriptores acerbiores nactus videri potest; quòd ab aliis princeps æquus, pius, & in religiosos homines & Ecclesias Regni sui liberaliter munificus memoretur. Sanè Sigebertus refert, quotquot eo prælio vulnerati fuerunt, eos aut mortem non evasisse, aut sanari deinceps non potuisse. Corpus cæsi Regis in Susterensi Virginum cœnobio humo conditum, in quo tres filias Deo consecratas habebat, religiosarum virtutum commendatione illustrio-

Zwentiboldo occiso Lotharingiæ Regnum ad Ludovicum devolvitur.

illustriores, quàm regio sanguinis decore. Unde barbarum ei Zwentiboldi nomen adhæserit à familia Carolina alienum, haud aliunde suspicari licet, nisi quod juvenis bello acer, multa felicia prælia commiserit cum Zwentiboldo Moravorum Sclavorumque Rege.

Annus Christi 901.

Joannis IX Pont. 1.
Ludov. III Reg. Germ. 2.
Bisonis Ep. Pad. 15.

Ludovico impubere, Imperium à proceribus & Hungaris patitur.

Sublato Zwenteboldo Regnum Lotharingiæ, quo vetus Austrasia continebatur, ad unum Ludovicum adactum, quem totius Germaniæ Monarcham ætas illa vidit, sed immaturæ ætatis moderatione penes tutores relictâ; eò multa simul mala incurrêre in Jmperium. Nam & duces insolescere, & pro temporaneis Regum ministris hereditarios sensim se ferre: Comites assurgere supra sortem muneris; ceteri procerum cum his affligere Episcopos, omnes spolia & prædas sibi indulgere, & sensim firmare hereditarias possessiones; quod nec in tutoribus auctoritas esset refrenandi, nec in Rege maturitas puniendi. At malorum summa à Barbaris. Ungari enim (quos Hunnos verius dixeris, gentem ex Scythia egressam, effusamq; deinde in Pannoniæ & Moraviæ fines) postquam didicêre Jtaliam Principum factionibus scissam, & Germaniam Arnulphi Imperatoris morte conturbatam, regique à Ludovico impubere adolescente, bipartito exercitu irruptionem faciunt; & altero quidem Longobardorum fines ingressi, rapinis, cædibus, & incendijs cuncta devastant. Objecêre se quidem Longobardorum incolæ in unum agrum conglobati: at cæsi à Barbaris. Qua strage innumerabilis multitudo Christianorum Hunnorum sagittis, quibus valebant, confossa, multiq; Episcopi & comites trucidati sunt. Altero verò exercitu per Pannoniam in Carentorum, & Bojariæ regiones effusi pari crudelitate sæviunt in Christianos. Hæc belli Ungarici initia, quod in multos annos extractum, & in viscera deindè Saxoniæ nostræ penetravit.

Annus Christi 902 &c.

Joannis IX. Pont. 2. &c.
Ludovici III Germ. Reg. 3. &c.
Bisonis Ep. Pad. 16. &c.

Germania intestinis alijsq; bellis turbata.

In Germania quidem per id tempus adhuc quies à Nortmannis & Sclavis; sed omnia intestinis dissidiis & Comitum æmulatione pro Regis adolescentiâ plena. Quos inter Albertus Bambergensis Comes, Ottonis Saxonis ex filia nepos, castro, quod præmunitum habebat, confisus, prædatorum copias contrahit, adjunctis sibi Adalhardo & Henrico fratribus; quorum ope vicinos Episcopos, cumprimisque Rudolphum Herbipolensem Episcopum, fratres

Ann. 903.

Comites,

Regino. Sigebertus. Crantzius. Dilichius. Brovverus. Ursbergens. Otto Frising. aliique. An. 905.

Comites, vicinasque regiones spoliis evastat. Episcopus ut se ab infesto homine liberaret, armat utrumque fratrem Eberhardum & Gebhardum, à quibus Albertus profligatus; illorum tamen alter interemptus, alter captus. Hac necessitate Episcopi ob comitum insolentiam arma induere coacti. Nec tamen quievit Albertus Comes, collectisque rursum copiis Hassiæ extrema minitatur. Quo cognito, Conradus Hassiæ Comes, nepos Ottonis ducis ex filia, & Conradi Regis pater, una cum Gebhardo Comite equitum peditumque copias contrahit, ille ad Frislariam, attractis etiam Saxonum copiis; hic per Weteraviam. Albertus simulando se ire in Gebhardum, arma vertit in Conradum, quem desertum à suis, pugnantemq; unà cum superstite turma, multis vulneribus confossum interemit, magno omnium dolore & indignatione. His exacerbatus Ludowicus Rex Triburiæ comitia indicit; ad quæ Albertus vocatus, cùm se non sisteret, hostis pronunciatur; & mox etiam exercitu regio obsessus in castro Bambergensi cùm expugnari non posset, Hattonis Moguntini Archiepiscopi dolo extractus est, quod incolumitatem promitteret, fide sua interposita, tantùm supplex se Regi sisteret. At postquam homo per septennium rebellis in manus Regis pervenit, V Idus Septembris damnatus capitali supplicio afficitur. Bona regio Fisco addicta, quibus postea Episcopatus Bambergensis dotatus. Factum Archiepiscopi multum disceptant scriptores, cumprimisq; Otto Frisingensis, si quidem verum, quod ventilatum à Serrario. Certè Regino, qui hac narratione finit historiam suam, ceteris integrior perhibet Albertum rebus desperatis è castro supplicem processisse, ultroque se in fidem Regis dedisse, nulla cujusquam doli mentione facta, quod equidem miror à Serrario in defensionem Archiepiscopi non proferri.

Per hæc dissidia Germanorum Ungari audaciores in Bojariam se effundunt, flammis & cædibus grassando: ad quam irruptionem Leopoldus Bojariæ dux exercitum contrahit, & infelici prælio cum Ungaris ad Anassiburgum Austriæ Oppidum congressus cæditur. Fatalis hæc toti Germaniæ clades fuit, qua Dux ipse, quem Luitbaldum veteres appellant, telis confixus periit, Ducatu in Arnulphum filium transmisso, ex quo primam Bavariæ & palatinorum duces feruntur originem trahere. Ungari hac victoria elati non modò Bojariam, sed & Alemanniam, Franciam Orientalem, Thuringiam & Saxoniam percurrunt, quæ una omnium scriptorum comploratio est.

Annus Christi 908.

Sergii III. Pont. 1.
Ludov. Reg. Germ. 9.
Bisonis Ep. Pad. 22.

Ad hæc calamitosa Saxoniæ tempora, & ad hunc annum producimus cum Adalgario Bremensi Episcopo vitam quoque Bisonis

Paderbornensis Episcopi nostri, qui Christi fuit 908 Sergij ejus nominis III primus. Nam hic novus Pontifex rescidit acta Formosi & Joannis IX Pontificum; ideoque inter cetera etiam Adalgarium Bremensem Archiepiscopum suo honori restitutum voluit. Is verò quòd jam ob senium esset invalidus muneri, ut nec circuire diœcesin, nec populum docere, nec consecrare sacerdotes amplius posset, adjutorem impetravit à Corbeiensi Monasterio Hogerum monachum, virum eruditione & religione præstantem. Ac ne quid etiam ultro desiderari posset ad Episcopatus muneris supplementum auxiliumque, *dati sunt ei*, inquit Adamus Bremensis, *adjutores à Papa quinque circum vicini Episcopi, Sirmundus Halberstadiensis, Wigbertus Ferdensis, Biso Padarbornensis, Bernarii duo, Mindensis scilicet et Osnabrugensis, quorum ope senex fulciretur.* Ac ne fidem hic etiam ab Adamo requiras, *ad manum sunt*, inquit, *privilegia Sergii Papæ*, quibus hæc continentur Adami Bremensis testimonia. Repetit hæc ijsdem verbis Albertus Stadensis in suo chronico. Constat autem Sergium hisce eis * annis Pontificatum gessisse; alteroque etiam ab hoc anno Adalgarium obijsse, ut Biso minimè ad hunc annum superstes cognoscatur. Quem hunc annum Bisonis extremum statuimus, tum quòd nullam ejus ab hoc anno memoriam amplius inveniamus; tum quòd Auctor vitæ Meinwerci scribat Bisonem XXIII annos in Episcopatu exegisse, per quos fere hactenus vitam ejus deduximus. Ex quibus erroris comperti Bruschius, Cleinsorgius, Kersenbrochius, aliiq;, qui anno 902 obijsse tradunt. Gravius etiam hallucinatus est Crantzius, qui ex anno 890 mortem assignat. Exploratus est obitus dies ex veteri necrologio Herisiensi, in quo legis V. Idus Septembr. Bisonem excessisse ad immortalem vitam. Præclarus sanè per Saxoniam christianæ religionis flore Episcopus, præstans eruditione, sacrorumq; monumentorum amans, cui ob id acta Liborij dedicavit auctor. Sapientiam commendant tot Episcoporum synodi, quibus pro disciplina cleri populiq; instaurando toties interfuit. Nec minori apud Reges auctoritate valuit, quod diplomata ac beneficia testantur. Sed longè dignior apud posteritatem memoria integritate vitæ & religionis proferendæ studio; quales tum omnes Saxoniæ Episcopi conspiciebantur, cum publicè diœceses obirent, & populum suum publicè pro concione docerent, severamque in clero & religiosorum cœnobijs disciplinam exigerent ad prima omnium instituta; quod tot synodi ejus ætatis nos docere possunt. Auctor est Bruschius & Cleinsorgius, à Bisone conditum esse monasterium Virginum, quod Herivordiæ extra urbem in colle conspicitur. Sed id verius Meinwercum Episcopum Conditorem suum præfert, cùm B. Virgo se illi offerret aspectabili visu: nisi exordia ad Bisonem referre placeat; nam hujusmodi multa antiquitas nobis subtraxit, quorum plura ex rebus à Bisone præclarè gestis desideramus.

Bisonis episcopatus ad hunc annum productus, quo verisimilter obiit.

Adamus Brem. c. 42

*908, 909. secundum Spondanum & Baronium.

THEO-

THEODORICUS V.
EPISCOPUS PADERBORN.

IN Bisonis Episcopi locum subrogatus Theodoricus. Quanquam præter nudum Successoris nomen nihil aut in fastis, aut in omni annalium memoria de rebus ab eo gestis reperire licuerit; nec familia, ex qua ortus, nec vitæ genus ante Episcopatum, nec electio, nec ulla pars horum, quæ gessit, à scriptoribus prodita sit. Interim novem annos Episcopatum gessisse perhibent ferè omnes cum Auctore vitæ Meinwerci; tanquam cum jejunis annis cetera ex hominum memoria expunxisse satis fuerit: seu quod ejusmodi calamitatum tempora inciderint, quibus & acta Episcopi & memoria simul obscurata jacent.

Bisonis Successor Theodoricus, cujus acta incomperta.

Annus Christi 909.

Sergij III. Pont. 2.
Ludovici III Reg. Germ. 10.
Theodorici Ep. Pad. 2.

Per hæc fatalia tempora, cùm Ungari grassarentur per Imperium, Sclavi quoque, * Dalamincij, qui Misniæ partes incolebant, in Saxoniam prorupêre, spolijs & cædibus infesti Christianis. Ad horum irruptiones reprimendas Henricus Dux Saxoniæ, quem postea Saxonia primum ex suâ gente Regem sortita est, ab Ottone Patre cum exercitu in Saxoniam mittitur; quos Henricus juvenis per prima belli Tirocinia multis cladibus attrivit. Sclavi cùm suis se viribus non expedirent, Ungaros, quos Widekindus veriùs Avaros, Hunnorum reliquias vocat, implorant, tota jam Bojariæ & magna Germaniæ parte dominantes. Advolat barbara gens altero post alterum exercitu. Ac primo quidem à Saxonibus cæso, succedit alter; commissoque prælio Burchardus Thuringiæ Landgravius occubuit, milite christiano in fugam acto. Auctus quidem Otto Dux Saxoniæ principatu Thuringiæ, dono Ludovici Regis, quòd Burchardus sine prole excessisset; sed ea fuit Ungarorum multitudo & insolentia ex hac victoria, qui turbinis instar in utramq; Saxoniam, Ostphaliam & Westphaliam se effunderent, rapinis, incendijs, & cædibus ac cadaveribus implendo omnia. Direpta oppida & vici, incensa templa & cœnobia, trucidati incolæ & Sacerdotes, nulliq; ætati parcitum à Barbaris. Hac tempestate Ungari non modò Saxoniam nostram, sed & provincias trans Rhenum evastârunt. Eâ Barbarorum irruptione Gobelinus illustre Monasterium Herivordiense spoliatum subversumq; perhibet·

Widekindus l. 1. Annal. Ditbmarus l. 2.

** Teutonicè Dalemins; malè Sigebertus & Urspergensis Dalmatas censet.*

Slavi & Ungari omnia vastant.

Regino. Herm. contr. Lambertus Schaffn.

Adamus Bremensis lib. 1. c. 46. Gobel. ætate 6. c. 47.

Hunga-rorum vestigia in diœcesi Paderbornensi.

Multa ex hoc bello vestigia per Westphaliam, quòd aliquot annos in ea hæsisse referantur. In Paderbornensi diœcesi ad Almam fluvium Hunnorum mons ostenditur, in quo castra locârunt; haud secus quàm Wevelsburgum arcem aut ab Hunnis aut ab ipsis incolis præmunitam volunt: & in conspectu Brakeliæ Oppidi mons castro munitus ab Hunnis servare nomen fertur. Uffingus Hertzfeldiæ ad Lupiam ædem sacram D. Idæ ab Hunnis spoliatam refert, & cùm turri flammas admoverent, divinitus repulsos esse. Inde ad Rhenum perlati Geresheimense cœnobium ignibus absumpserunt, eòque Virgines ab Hermanno Archiepiscopo Coloniam translatæ, S. Ursulæ Parthenonem incoluêre. Hæc illa vexatio secunda Saxoniæ, quam Widekindus memorat, nulla tamen sui cœnobij Corbeiensis ruina memorata; tanquam incussa à vento tempestatis instar certa loca pervaserit. Quanquam & Scriptorem ex ea ætate desideres, à quo Hunnica illa in Saxoniam irruptio explicatiùs tradatur, quam ceteri verbo tantum delibârunt. Neq; Widekindi Corbeiensis monachi historiam haberemus, nisi eam nostra memoria viri antiquitatum amantes post Martinum Frechtum hominem suevum è latebris produxissent. Et quàm funesta hæc tempora Westphaliæ ex Hunnorum barbarie? caussam non aliundè magis arcesso, quàm ex longo otio, pace, & vitijs etiam per luxum irrepentibus, quæ Deus Barbarorum irruptionibus castigare solet; unde & arma in bellicoso populo multum oblanguerant.

Annus Christi 910 & 11.

Anastasij III. Pont. 1. 2.
Ludov. III. Germ. Reg. 11. & 12.
Theodorici Ep. Pad. 3. 4.

Regino. Annales Boici. Aventinus lib. 4. Brunnerus lib. 7. Lamb. Schaf.

Successit annus Christi nongentesimus decimus, Germaniæ superiori calamitosus. Quippe Hunnorum gens, quæ Bojariam invaserat, latè liberèque grassabatur: ad quam refrenandam Ludovicus Rex contraxit exercitum ex Bojis, Francis Orientalibus & Alemannis; congressusque ad Lycum fluvium in campis haud procul ab Augusta Vindelicorum urbe miserabilem cladem accepit: qua victoria elati Barbari totam propè Germaniam superiorem impune pervagantur. His malis Ludovicus Rex in tantas angustias conjectus, ut pacem auro, & quod fœdum germanico nomini, annuo tributo redimere debuerit. Affecit hic iste calamitatis aspectus tanto dolore Ludovici Regis animum, ut fatalem morbum contraxerit; quo invalescente sub exitum hujus anni, seu ut alij ineunte proximo anno, Ratisbonæ extinguitur, juvenis haud annum ætatis XVIII egressus, quo cum Carolina stirps per Germaniam simul extincta est.

Mors Ludovici III Germ. Reg.

Quod si quibusdam hactenus in commemorandis simul Cæsarum ac Regum Germaniæ rebus gestis prolixiores visi sumus, quàm particularis historiæ institutum ac brevitas patiatur, meminerint illi nos

nos primam originem Francorum ex Westphalia deduxisse, & cum ijs res gestas genti nostræ debitas narrasse, atque ita prosecutos esse, ut nunc post Conradum primum à Germanis electum Regem, ad Henricum Saxonicæ gentis Regem, & Ottonem filium ejus primum Imperatorem Regnum & Imperium à Francis in Saxoniam, eandemque gloriosam gentem reducturi simus.

Annus Christi 912.

Joannis X Pont. 1.
Conradi Reg. Germ. 1.
Theodorici Ep. Pad. 5.

Sublato Ludovico Rege, quòd nullum heredem filium reliquerat, convenêre Germaniæ proceres, quorum summa potestas erat penes Archiepiscopos, Duces & Comites: quos inter postquam multis consilijs agitatum de Rege eligendo, una omnium consensio fuit non alium, quàm ex gente sua sumendum: tametsi in Gallia superesset Carolus cognomento simplex ex Carolina stirpe, clarior natalibus, quàm virtute bellica aut ingenio ad tantam rei molem capiendam. Tum verò, ut Widekindus scribit, *Omnis populus Francorum Orientalium et Saxonum quærebat Ottoni Saxoniæ Duci diadema regni imponere; ipse verò, quasi jam gravior ætate ac senio recusabat imperii onus;* ejus tamen consultu Conrad⁹ quondam Francorum Dux ungitur in Regem. Tanta nimirum Ottonis clarissimi per Ostphaliam & Westphaliam Ducis apud Germaniæ proceres æstimatio & gloria erat, quàm contemptione Regni multo illustriorem fecit. Penes Ottonem interim, ut ait Widekindus, summum semper & ubiq; mansit imperium, atque ejus consilio cùm summa quæque deferrent, liberis primùm suffragationibus Procerum Conradus Germaniæ Rex delectus est; Regnumq;, quod à Carolo M. in posteris hereditarium fuerat, electione liberum fecerunt. Quantumvis Galliarum Rex Carolus cognomento simplex Ludovici Balbi filius, qui ex Caroli M. stirpe procreatus est, id sibi vendicare potuisset. Quanquam & Galli ipsi jam Germanis viam libertatis aperuerint in Odone Saxonico, quem vivo Carolo alterum Regem suum delegerant, Regem magis ex virtute, quàm sanguine quærentes. Quod autem scriptores quidam hunc Conradum Regem Ludovici Regis nepotem velint, eò quòd pater ejus Conradus Hassiæ Comes, quem ab Alberto occisum diximus, Arnulphi filius feratur, id ex priscis eorum temporum scriptoribus refellas, qui Arnulpho nullos filios præter Zwentiboldum & Ludovicum tribuunt, & in ipso Ludovico Carolinam stirpem defecisse scribunt. Et quo jure gentium Ottoni Saxoniæ Duci ante Conradum offerri regnum potuit, si id Conrado hereditario jure debebatur? aut quo jure Conradus Rex postea id regnum Henrico Ottonis filio poterat offerre, neglecto fratre suo Eberhardo, cui idem jus hereditatis erat? Quonam autem loco

Conrad⁹ Dux Francorum eligitur Rex Germaniæ.

Brovverus in ann. Trev. Regin. cont. Widekind. Adam. Bremen. Herm. contr

loco corona Regni decoratus sit, aut à quo Archiepiscopo inunctus, nondum reperi in annalium memoria. Pronum est opinari id ab Hattone Moguntino Archiepiscopo factum esse, perinde ut Henricus Regni Successor à Moguntino Episcopo inungi voluit.

Annus Christi 913.

Joannis X Pont. 2.
Conradi Reg. Germ. 2.
Theodorici Ep. Pad. 6.

Experitur plures æmulos. *Sigebertus. Luitprandus lib. 2. c. 7. Widekindus Corbeiensis lib. 1. Crantzius lib. 2. Saxon. c. 33. Brouverus lib. 4. antiq. Fuld.*

Ceterum regni initia Conradus ardua, æmulorumque invidia plena habuit; quos inter Arnulphus Bojariæ Dux Luidpoldo genitus, Burchardus Dux Sueviæ, Everhardus Comes potentissimus Franciæ Orientalis, Gisilbertus Dux Lotharingiæ, Henricus Dux Saxoniæ, alijque, qui surgentem Regem aspernabantur. Ac nullus potentior æmulus Carolo Galliarum Rege, à quo statim post mortem Ludovici Regis Lotharingiæ Regnum occupatum abstractumque à Germaniæ Regno. Eò arma, quæ in Ungaros & Barbaros vertenda erant, intestinum malum intervertit. Conradus interea ut Saxoniam pacaret, Fuldæ conventum procerum indixit; quo in loco mense Aprili Fuldensibus Monachis regiæ liberalitatis diploma consignavit. Inde Casellas digressus 12. Martij Monasterio Virginum Meschedensi, quod in oppido Ducatus Westphaliæ Rinhildis Franciæ Regina condidisse traditur, privilegia vetera confirmat. Tabulas hasce recitat Stangefolius in Westphalia sua.

Confirmat Privilegia Meschedensium vv.

In nomine Sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Chounradus Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum industria, qualiter nos divino admoniti instinctu pro æternæ remunerationis commercio cogitantes de Monasteriis ab Antecessoribus nostris constitutis, et ut etiam nostris temporibus justitia ab eis concessa fruantur. Quapropter Sanctimonialibus in Meschede nuncupato propter amorem Dei et Sanctorum ejus, sicut rogavit nos Heriman venerabilis Comes noster, immunitatem atque electionem, quam temporibus præcedentium Regum habuerunt, concedimus, ut quandocunque necessitas evenerit, potestatem inter se Abbatissam eligendi habeant, sicut hactenus habuerunt. Jussimus quoque præceptum inde conscribi, per quod volumus firmiterque jubemus, quatenus hæc auctoritas firma stabilisque permaneret. Manu quoque nostra eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domni Chounradi piissimi Regis. (monogram: C H R DS N)

Salamon Cancellarius ad vicem Piligrimi Archicapellani recognovit. Data XII Id. Martij, Anno Incarnationis Domini DCCCCXIII Indictione I Anno verò Regni Domini Chounradi II Actum Chassella feliciter in Dei nomine.

Et Corbeiensium.

Sed jam antè, hoc ipso anno, Conradus Rex ipsam Westphaliam ingressus erat Corbejæ ad Visurgim versatus cum aula; quo in loco

co mense Febr. Bovoni ejus nominis II Abbati, totique Monasterio antiqua Cæsarum & Regum privilegia roboravit, uti id ex diplomate Regis, quod hic dabimus, satis constare poterit.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis Chuonradus divina largiente Clementia Rex. Convenit nostræ regali Celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, has præcipuè, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus, quoniam hoc et ad præsentem vitam prosperè peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquidò credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentis quam futuri temporis industria, quod venientes ad monasterium sanctorum Martyrum Stephani atque Viti, nova Corbeia nuncupatum, rogante ejusdem Cœnobii venerabili Abbate Buobone, unà cum fratribus sibi commissis, omnes concessiones, quas priorum Regum temporibus habuerunt, firmiter eidem loco concessimus, præcipuè ut potestatem habeant inter se, cùm necessitas venerit, Abbatem eligendi, et à nullo Episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimæ exigantur, neque à Comite, vel ex qualibet judiciaria potestate Coloni eorum et liti ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram advocatis ejusdem loci justitiam facere cogantur, sicut anteriorum Francorum Regum temporibus præfato monasterio concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmiter habeatur, atq; per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, nostra propria manu subter eam firmavimus, atq; annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domni Chounradi Serenissimi Regis. (Monogram: C H A V N, R—DS)

Salamon Cancellarius ad vicem Piligrimi Archicapellani recognovit, & ss. Data III Non. Februar. anno ab incarnatione Domini DCCCCXIII, Regni autem Domini Chounradi Serenissimi Regis anno II. Actum in ipso monasterio Corbeia in Dei nomine feliciter Amen.

Haud dubium quin ex hac vicinitate Corbeiæ Conradus Paderbornam adierit, atq; inde etiam Herivordiam ad lustranda barbaræ vastationis vestigia deflexerit; quo facile etiam mihi persuadeo Ungaros jam ex his locis depulsos fuisse; aut certè Conradum Regem sub initium anni ad depellendos Barbaros in Saxoniam venisse.

Fine hujus anni, ac pridie Calend. Decemb. uti Dithmarus consignavit, Otto Saxoniæ & Westfaliæ Dux senio prægravis rebus humanis excessit (quamvis alij ad consequentem, alij ad superiorem annum hæc referant) vir quem ea tempestate belli pacisq; artibus clarissimum omnes cum Ottone Frisingensi prædicant, quem ob id non modò tutorem Ludovici Regis, sed & *Patrem Patriæ* salutasse Saxones auctor est Widekindus Corbeiensis; perinde ut Luidprandus potentissimum Saxonum Ducem compellat. Quanto luctu Saxonia in ejus decessu completa, tantum erecta in filio, quem reliquit, Henricum Ducum, ac post Regum etiam maximum mundoq; necessarium, ut Widekindus eum celebrant, *qui primus libera potestate regnavit in Saxonia.* Moritur Otto Dux Saxoniæ.

Duces ac Comites ex beneficiarijs hereditarios se faciunt.

onia. Hactenus enim dum Cæsares & Reges ex Caroli M. stirpe Germaniæ imperitabant ex hereditaria possessione, Duces omnes ac Comites temporaneo Cæsarum ac Regum beneficio; postquam verò cum Ludovico Rege Arnulphi filio extincta ea Caroli M. stirps, singuli propè Duces eas, quas tenebant provincias, sibi hereditarias suprema Principum potestate vendicare cœperunt. Tanquam Germaniæ Regnum Imperiumque in spolium venisset; haud secus quàm Alexandro M. extincto, Duces militiæ inter se Regna partiti sunt. Eò & Conradus Rex tanta ceterorum Ducum æmulatione petitus. Ducum exemplo etiam Comites se hereditarios ferre cœperunt; quod idem postea Galliæ factum, extincta istic Carolina stirpe, memorant eorum scriptores. Non hac partitione indigebant Episcopi, quos uti Carolus M. inter Principes Imperij ante Duces, Marchiones & Comites in omnibus Imperij comitijs ac synodorum conventibus, atq; ipsa descriptione suarum diœcesium dignitate honoris & bonorum hereditate collocaverat; ita ceteri Imperatores ac Reges reliquerant, auxerantque honoribus ac bonis. Ideo Principum antiquissimi Episcopi, & honorificentissimi in omnibus conventibus, ex quo Christi religio in Saxoniam introducta. Quanquam qui postea consecrati sunt post Ottonem M. Imperatores, non omnibus Ducibus & Comitibus ea, quæ sibi ab excessu Ludovici Regis sumpserant, rata esse voluerunt, sed Imperatorum etiam beneficio capere principatus. Inde Imperatorum Vasalli haud secus quàm alij mansêre, vinculo fidei & obsequij semper ad majestatem Imperij adstricti. At Henrico Saxoniæ Duci, qui primus libera potestate principatum Saxoniæ sibi asseruit, alia præ ceteris libertatis causa; quod ex patre Ottone avoque Ludolpho se ad Widekindi hereditatem successorem referret, eòque in multis per Saxoniam Westphaliamque possessionibus se Principem ferret; quemadmodum Henricus de Herivordia, Ludolphum hunc Saxoniæ principem Cappenbergæ in arce paterna consedisse perhibet. Ne quid hîc referam de alijs possessionibus, quas Widekindi nepotes amplo per Westphaliam dominatu tenuisse constat, ex quibus tot Collegia & Cœnobia regia propè liberalitate condiderunt.

Igitur Conradus Rex, ut Widekindus perhibet, *cùm sæpe expertus esset virtutem bellicam Henrici novi ducis, veritus est ei tradere omnem potestatem patris Ottonis; quo factum est, ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici; fictè tamen pro laude et gloria optimi Ducis plura locutus promisit se majora ipsi daturum, et honore majori subvecturum: quibus cum Saxones non fiderent, suadebant Duci suo, ut si honore paterno nollet eum sponte exornare, Rege invito ea, quæ vellet obtineret, ultro illi suam opem et auxilium offerentes.* At Conradus Rex, cùm videret Saxonum animos à se aversos, nec posse publico bello Ducem tantâ Saxonum potentiâ subnixum obterere, ad alia consilia versus, statuit dolo necem inferre Henrico. Quam in rem adferunt Scriptores Conradum opera

Hat-

Hattonis Archiepiscopi usum, à quo torques aurea facta sit, qui Henrico ad epulum invitato, nescio, qua mala arte, vitam adimeret; fraude verò per artificem detecta, Henricum hostiliter descivisse à Rege. Id licet Widekindus, Dithmarus, Marianus Scotus post tempora Ottonis Imperatoris Scriptores referant, ex alijsq; Otto Frisingensis, Luitprandus, & alij; fabulam potius ex vulgi fama quàm historiam reputes. Quemadmodum Hattonis dolum, quo Albertum è castro ad supplicium capitale pertraxisse voluit, inter eadem commenta populi, Reginonis testimonio, reposuimus, ex odio in Hattonem Archiepiscopum, penes quem tum post Regem summa rerum moderatio erat. Contra alij Scriptores Hattonem virum prudentem, strenuum ac præclarum Episcopum tradiderunt. Similia de mortis genere confinxere, alij enim mœrore confectum, alij in prælio cæsum, alij fulmine ictum scribunt; quem tamen auctor, qui Reginonis chronicon continuat, Schafnaburgensis, & Hermannus Comes priori anno placide & communi morte defunctum memorant. Hæc paucis, quæ à Serrario ferè intermissa, pro Metropolitano nostro interponere placuit. Defenditur Hatto Archiep. Mogunt. à quo insidiæ Henrico Saxoniæ Duci structæ sint.

Annus Christi 914.

Joannis X Pont. 3.
Conradi Reg. Germ. 3.
Theodorici Ep. Pad. 7.

Inter hæc Conradus Rex ut potentissimum primò Regni sui æmulum sterneret, vi aggrediendum censuit, immissoque in Saxoniam exercitu Orientalium Francorum, Duce Everhardo fratre, per Hassiam Eresburgum expugnare consultum habuit, quo in castro & firmissimo Westphaliæ monumento Henricus se continebat. Scio Eresburgum, de quo hic agitur, ab alijs Meriburgum in Misnia designari veteri eorum errore, qui hæc duo loca malè confundunt, cum Eresburgum non aliter, quàm ad fines Saxoniæ & Hassiæ in Diœcesi Paderbornensi requirendum sit. Aberat haud procul Eresburgo Eberhardus, confisusque ingenti militum, quam trahebat, multitudine, voce superba dicere [illegible]ditus: hoc unum se vereri, ne Saxones mœnibus inclusi se teneant, nec ad prælium exire audeant. Vix autem provocati erant Saxones, cùm ad milliare armati obviam procedunt hosti, & tanta strage cædunt mactantque Orientales Saxones, ut joco militum post dictum sit, vix credere se, inferos tam vastos esse, qui cœsorum multitudinem caperent. Lætiori prælio per id tempus Arnulphus Bojariæ dux Ungaros ad Oceanum ingenti clade prostravit, copijs Alemannorum adjutus. Conradi copiæ ab Henrico cæduntur ad Eresburgum. *Widekind. lib. 1. Sigebertus in chron.*

Annus Christi 915.

Joannis X Pont. 4.
Conradi Reg. Germ. 4.
Theodorici Ep. Pad. 8.

Widekind. lib. 1.

At Conradus dolore & contumelia superioris cladis incensus, ut Henricum Ducem, qui inter primos ausus est se regiæ potestati subtrahere, ad obsequium deduceret, cum longè validiore quàm antè exercitu, ex Francis Orientalibus contracto, in Saxoniam descendit. Impar tantis viribus Regis Henricus munitioni Oppidi Gronæ se includit. Quod etsi alij Gronaviam ad Lenam fluvium in Hildesiensi diœcesi: alij Groningiam in diœcesi Halberstadiensi interpretentur; certius tamen ad Visurgim in solo Westphalico Grona traditur, ubi modò arx Gronda conspicitur, quondam Episcoporum Hildesiensium possessio, nunc Brunswicensium. Urspergensis & Crantzius Gruonam, diplomata veterà Gruonaham vocant; locus olim celebris Imperatorum accessu. Ibi cùm Henricus Saxonum auxilijs fretus se inclusisset, Rex obsidionem admovet; sed missis prius legatis Rex Henrici animum pertentat, ratus ad obsequium & amicitiam posse componi. Etiam Henricus legatorum oratione flexus ultro se Regi dedere cogitabat, cùm Thiatmarus gente Saxo-Ostphalus penetrat in Oppidum, vir militari ingenio & calliditate expeditus, præsentibusq; Regis legatis, desperatis intervenit consilijs; multaq; per jactantiam & minas ficte & insolenter interfatus, asserit se cum triginta legionibus venire Henrico in auxilium. Quæ cùm Regis legati coram audirent crederentque, rediêre trepidi ad Regem. Ab his Rex persuasus obsidionem ante lucis ortum solvit, exercitum per diœcesin Paderbornensem in Hassiam & Franconiam reducendo; ita unius calliditas & jactantia militaris totius exercitus vires supplevit.

Meibomius in notis ad Widekind.

Conrad9 Henricum Gronæ obsidet.

Solvitur militari astu obsidio.

Theodorici Episcopatus ad annum 915 productus.

Produximus in hunc Christi annum 915 Theodorici Episcopatum, eò quod Auctor vitæ Meinwerci ceterique ab excessu Bisonis in nonum annum extraxisse tradant. Quanquam nec in necrologio ullo diem obitus, nec in ullo alio scriptore fastisvè certum annum aditi & per mortem depositi Episcopatûs uspiam adnotatum reperiamus. Incidit in tam turbulenta tempora, ut nec in diplomate ullo nec synodo ejus memoria supersit. Interim Bruschius, Crantzius, Kersenbrochius eum novem annis Ecclesiam suam admistrasse perhibent, defunctumque volunt Conrado Imperatore, anno Christi 911, quem licet nos ab obitu Bisonis ad hunc Christi annum 915 producamus, nihil tamen novennio Episcopatus ejus detrahimus. Quanquam existimem Theodoricum non nisi septennium aut octennium Episcopi sedem occupasse, utique propter Unwanum, quem postea in concilio Altheimensi medium inter Episcopos subscripsisse videbimus; hæc autem subscriptio, uti & sessio, ordine ætatis ex Episcopi consecratione, aut munere adito, servari solita; quemadmodum id Hincmarus docet; ut vel inde tam pauca ex brevi Episcopatûs munere de Theodorico habeamus.

Gobelinus ætat. 6. c. 51. Bruschius in catal. Episc. Crantzius lib. 2. Metrop. c. 31. Kersenbrochius in catal. Episc. Cleinsorgius ad annum 911.

UNVVANUS VI,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 916.

Joannis X Pont. 5.
Conradi Reg. Germ. 5.
Unwani Ep. Pad. 1.

Post excessum Theodorici obtigit Ecclesiæ Paderbornensi Unwanus Episcopus (quem ab alijs Unewardum, ab alijs Honwardum vocari legas) Utrumne secundum privilegium Ecclesiæ electione cleri (quod verisimile habeas) an commendatione ac nominatione Conradi Regis, incertum reliquit vetustas; ut & cetera haud minus sunt obscura; ex qua nimirum familia, aut quo vitæ instituto sit delectus; consecratum certè Episcopum per initia muneris accepimus ex necrologio Herisiensi & notis Bustorfianis ad Martyrologium Bedæ, in quibus VIII Kalend. Februarij dies ordinationis ejus adscriptus legitur. Vixit sub Conrado & Henrico Regibus, vir religione & auctoritate inter Saxoniæ Episcopos eminens, carusque pòst Henrico Regi; Verùm qui exordia Episcopatus admodum difficilia nactus est ob dissidia inter Conradum Regem & Henricum Saxoniæ Ducem. Quæ res valde anxios habuit Saxoniæ Episcopos, cui se parti permitterent. Accessit mox Ungarorum irruptio in Westphaliam & Paderbornensem Diœcesim, malum longè funestius.

Unwanus succedit Theodorico, vitæ ejus genus incertum.

At celebris hic primus Unwani Episcopi annus, qui Christi aderat 916, nationali Germanicorum & Saxonicorum Episcoporum synodo, quæ Altheimij in pago Rhetiæ à Moguntino Archiepiscopo, rogatu Conradi Regis 12 Calend. Octobris est celebrata, ex qua primam Unwani memoriam habemus. Ac priusquam de ipsâ hac synodo agamus, ad aliorum errores retegendos, operæ pretium erit advertere, duplex Altheimense Episoporum concilium à Burchardo Episcopo, qui hæc in libris decretorum syncerè, scripsit, celebratum; quorum primum sub Herigero Moguntino Archiepiscopo convocatum

Duplex concilium Altheimense.

 catum

catum habitumque, cui Joannes quidam Apostolicæ sedis Vicarius præsedit: ad id citatus Richwinus Strazburgensis Episcopus, ob intentatum crimen per vim occupatæ Ecclesiæ; qui tamen eo in concilio se non stitit, ideo ab Apostolico legato ad proximam synodum idibus Maji Moguntiæ habendam evocatus, ut coram Archiepiscopo causa ejus cognoscatur; is tamen Episcopus alteri, de quo referam, concilio Altheimensi interfuit. Hujus concilij non nisi una mentio apud Burchardum, tantumque duo decreta in eo referuntur. Vocati quidem ad id concilium Saxoniæ Episcopi; verùm nulli præsentes fuere, nec per legatos quidem, qua ex causa incertum: nec quo anno sit habitum satis constat.

Burchardus lib. 11. c. 68. Alterum concilium Altheimense hoc ipso, de quo agimus, anno convocatum est ab Hildeberto Moguntino Archiepiscopo, præseditque Petrus Hortensius Joannis X Pontificis legatus, cui & ipse Conradus Rex cum ceteris Episcopis, quos exhibebimus, interfuit. Causa concilij convocati additur, ad exorta videlicet diabolica semina exstirpanda, & nefandissimas quorundam machinationes eliminandas. Quam in rem 137 decreta facta, ex quibus undecim referuntur à Burchardo; inter quæ illud postremum, ut apparet, de hereditate Episcoporum ceterorumque Ecclesiasticorum, cui Episcoporum subscriptiones subjunguntur. Recito proinde ipsum decretum ex Burchardo.

Burchardus lib. 1. c. 227. *Sed et hoc ibidem inventum de Episcopis, presbyteris et clericis, si hereditatem à Domino Rege, vel ab alio Principe, vel amico suo, seu per hereditariam sortem sibi devenerit, vel acquisierunt, donare eis liceat hanc, cui voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ, ad Ecclesiam, quamcunque elegerint, vel consanguineis suis vel amicis. Sin autem antea obierint, quàm firmiter perfecerint: altari cui serviunt omnia perpetuo sanctificentur, et in jus tradantur. Similiter de presbyteris statutum est. Hildebertus Moguntinensis Archiepiscopus subscripsit. Robertus Trevirensis Archiepiscopus subscripsit. Unni Hameburgensis Archiepiscopus subscripsit. Adaluvardus Fardinensis Episcopus subscripsit. Richuuinus Argentinensis Episcopus subscripsit. Nothingus Constantiensis Episcopus subscripsit. Unevvanus Padarbrunnensis Episcopus subscripsit. Udalricus Augustensis Episcopus subscripsit. Bernardus Halvarstadiensis Episcopus subscripsit. Rumaldus Minugardenovvardensis Episcopus subscripsit. Eberis Mindunensis Episcopus subscripsit. Nec non et Abbates cum ceteris sacri ordinis viris subscripserunt.*

At satis nunc hoc Burchardi testimonio convincuntur erroris, qui huic concilio nullum ex Saxoniæ Episcopis, præter Hogerum Bremensem Episcopum, interfuisse scribunt; neque tamen hunc ipsum Bremensem Episcopum rectè attingunt; nam quomodo Hogerum anno 916. concilio præsentem facias? qui anno priori 915 obijt, eodemque anno successorem habuit Unni ex Corbeiensi monasterio

nasterio evocatum, qui posteriori Altheimij hoc anno habito concilio interfuit, uti Adamus Bremensis est auctor. Ac licet veteris ejus Ecclesiæ indices Reginwardum quendam, de quo nihil præter nudum nomen relictum, Hogero subrogent. Rectè tamen collegit Adamus, atque ex eo Crantzius, Reginwardum non sedisse annum integrum; atque nobiscum fatetur Adamus didicisse se ejus successorem Unni concilio apud Altheim interfuisse, quod anno Conradi quinto sit habitum. Erroris hic quidam insimulant Serrarium, quòd Herigeri Episcopatum ab anno 912 protrahat in annum 924, eò quòd Successor ejus Hildebertus hoc anno 916. subscripserit in concilio Altheimensi, sed dixerit quis potius erratum esse à Burchardo, qui pro Herigero subscribentem Hildegerum introducit; quando Herigerus etiam ab ipso Burchardo rursus introducitur subscripsisse in concilio Confluentino, quod anno Christi 922, Henrico Rege, est habitum; de quo nos infra quoque referemus. Accedit quod Widekindus Corbeiensis scribit ab Herigero delatum esse Henrico Regi diadema & unctionem regiam. Constat præterea Herigerum concilio Bonnensi interfuisse, ac demum anno Christi 926 obijsse; quod præter Reginonem, Lambertum Schafnaburgensem, aliosque fasti etiam Abbatum Corbeiensium testantur.

Adamus Bremensis c. 45. Crantzius lib. 3. Metrop. c. 4.

Haud dissimili errori Trevirensium annales obnoxios volunt. Subscripsit enim huic Altheimensi concilio post Moguntinum Robertus Trevirensis Archiepiscopus, quem vulgares eorum fasti ab anno 934 ad annum 956 præfuisse perhibent. Browerus hunc Robertum anno 930 Rutgero successisse conjicit. Sed quantum hæc à Burchardo & hoc Altheimensi concilio abeunt, cui Robertus anno quinto Conradi Regis interfuit? Uti verò ceterorum Episcoporum, qui huic synodo subscripserunt, ætas tempusque Episcopatus conveniat, docebunt singulorum fasti, siquidem rectè compositi: aut ex his lux affundenda erit. Unwani certè Episcopatûs initia hæc concilij tempora assignant, quæ & Adamus Bremensis in suo Episcopo agnoscit. Est verò Altheim locus Regum veterum venationibus celebris, donatus olim B. Solæ, qui ex Fuldensi Monasterio eo traductus ad culturam sacram, & prisco jure accensus fuit Franconiæ Orientali. Quare & Conradus Rex eò concessit, cùm bellum gereret adversus Alemanniæ Comites sibi rebelles, & Episcopos indignè tractantes. Quanquam alij velint id concilium Episcoporum adversus omnes Conradi Regis perduelles ex imperio Pontificis, ad pacandum Germaniæ Regnum esse convocatum per Moguntinum Archiepiscopum; atque hanc obcausam Episcopi Saxoniæ ex remotissimis hisce oris profectionem in Rhetiam suscipere necesse habuerunt; feruntur que Arnulphus Bojariæ, & Burchardus dux Sueonum, simulque fratres ejus Erchingerus & Bertholdus sacris interdicti.

Brouverus lib 9. annal. ad ann. 930. Munsterus.

Certè

Certè soluto Sacerdotum conventu, Conradus Rex cum exercitu infestus Bojariam ingreditur, fugatoque Arnulpho duce, Ratisbonæ Procerum comitia indixit, quibus Boji Sacramentum fidei dicere jussi. Inde in Sueviam movit; quam ubi sui quoque juris fecit, Erchingerum & Bertholdum securi percuti jussit. Ita regia Majestate per severitatem firmata, ceteros primùm docuit Reges accipere, quos Germaniæ proceres è sua gente elegerunt.

Annus Christi 917.

Joannis X Pont. 6.
Conradi Reg. Germ. 6.
Unwani Ep. Pad. 2.

Ungari Germaniam vastant. *Regino. contin. Marianus Scotus. Lamb. Schaf. Sigebertus.*

Per hæc intestina Procerum dissidia rebellantium Conrado Regi, Ungari calamitosam fœdamq; Germano nomini irruptionem fecère. Auctor concitorque barbaræ gentis Arnulphus Rex Bojariæ, à Conrado Rege depulsus, ad Ungaros profugerat: horum ope implorata (tanta etiam in christianis, & tam perfida est æmulatio) Bojariam recepit, fugato Everhardo Regis fratre. Ea opportunitate gens barbara in Germaniam effusa, primùm omnem Alemanniam ferro & igne vastavit; ac Fuldam usque progressa, omnia terrore, spolijs, & cædibus implevit. Inde per Hassiam in Westphaliam, & per diœcesin Paderbornensem, vicinasque regiones in Bremensem diœcesin penetravit, ac barbarum in modum, uti ab Adamo Bremensi diligenti historico alijsque id relatum est, incensa templa, trucidati Sacerdotes, vulgus promiscuum cum clero aut interemptum, aut captum, aut fuga dispersum: Urbs Brema occupata, crucis sacræ signa truncata, & in ludibrium circumlata: ornamenta templorum & altarium lacerata; nec tamen sine præsenti numinis vindicta: nam dum in hoc sacrilego opere versantur, ingens repentè tempestas coorta est, quæ tegulas flammantium tectorum ita in capita & ora Barbarorum injecit, ut dum fuga præsidium quærunt, aut in flumina, aut in manus civium acti perierint. Immanem hanc urbis & diœcesis suæ irruptionem describit Adamus, cujus vestigia suo adhuc ævo visa sunt.

Adamus Brem. c. 45. Albertus Stadens. in chron.

Adamus Brem. c. 44.

Quam verò vastitatem diœcesi Paderbornensi vicinisque locis intulerint Barbari, testatur Henricus Rex in suo diplomate, quo Herivordensem Ecclesiam ab Ethnicorum infastatione exustam, & sua liberalitate adjutam reparari jubet; satisque hanc Ungarorum devastationem deplorat Auctor vitæ Meinwerci.

Adamus Brem. c. 44. Helmoldus lib. 1. chron. Sclav. c. 8. Crantzius.

Quare reperias, qui hac alterâ Ungarorum irruptione id factum velint, cui se Bohemos conjunxisse scribit Adamus Bremensis: ut verisimile habeas, ex diverso Barbarorum exercitu, illum, qui Alemanniam vastavit, per Thuringiam atq; Hassiam penetrasse Bremam usque. Eadem tempestate Dani quoque ac Sclavi primò Nortalbingos,

gos, deinde Transalbanos Saxones depopulantes, magno Saxoniam terrore concussêre; occupatoque Hamburgo, pari furore per Ecclesias & sacra Christianorum desævitum est; quòd tum Wormius imperitârit Danis Regum crudelissimus, à quo Christiana religio proscripta, Sacerdotes è finibus Regni ejecti, ac plurimi etiam contrucidati sunt. Ita verò peccatis exigentibus, Saxoniæ, quæ hactenus omnibus barbaris formidabilis erat, in barbarorum potestatem ac spolium concessit.

Aberat nimirum per id tempus Henricus Dux Saxoniæ, metu Conradi Regis, ad Carolum Galliarum Regem fœderis ac patrocinij causâ profectus; interfuitque comitijs, quæ Rex Galliarum Aquisgrani indixerat, animo satis etiam minaci in Regem, ni postulatis suis satisfaceret; quemadmodum hæc Conradus Abbas à Pithœo editus multis denarrat. In hoc conventu *Henricus dux regio genere inclytus omnibus Saxonibus donatus à Carolo Rege*, & Gisilbertus in locum defuncti patris Dux Lotharingiæ nominatus; cui Henricus postea Gerbergam filiam in matrimonium dedit, quò se Caroli Regis patrocinio adversus Conradum Regem præmuniret, nescius altero ab hinc anno ultro sibi Regnum Germaniæ deferendum. Qua autem verbi fiducia Conradus Abbas Henricum Saxoniæ ducem regio genere oriundum scribat, haud satis prodit; nisi vel ad matrem ejus hæc referat, quæ Arnulphi Regis & Imperatoris filia à quibusdam traditur: aut certè ad Ludolphum Henrici avum respexerit, quem Widekindi M. abnepotem volunt.

Henricus Dux Saxoniæ fœdus cum Rege Galliarum init.
Conradus Abbas in Frag. apud Pith.
Widekindus.
Albertus Stadens.
Reineccius in Geneal. Widekindi ad Alb. Stad. & Dithm.

Annus Christi 918.

Joannis X Pont. 7.
Conradi Reg. Germ. 7. & ult.
Unwani Ep. Pad. 3.

Agebatur jam annus Christi 918, Conradi septimus, ex quo Regnum Germaniæ, tam intestinis æmulorum dissidijs, quàm Barbarorum incursionibus concussum administrârat; quibus malis depressus in morbum, cùm ex eo se ad extremum vitæ urgeri sentiret, Regni optimates & Principes ad se in conventum vocavit; quibus gravi & digna tanto Rege oratione persuasit, ut Henricum Saxoniæ ducem successorem sibi Regem deligerent; hunc enim esse, cui ob sapientiam & virtutem bellicam id ante omnes deferri debeat: satis quidem scire ipsos, quàm infestum in Henrico æmulum haberet, sed hæc omnia condonare se communi bono. Postquam assensêre proceres, vivus etiamnum, tanquam ultro se Regno exueret, per Everhardum fratrem Bojariæ ducem jussit ensem, sceptrum, & omnia insignia Imperij cum lancea sacra ad Henricum mitti; ipse deinde Rex 10 Kalend. Januar. seu ut Brunnerus & Dithmarus 14 Kalend. Nov. excessit

Moritur Conradus Rex Germaniæ.
Widekind. lib. 1.
Luitprand. lib. 2.
Sigebertus.
Otto Frising.

Certè soluto Sacerdotum conventu, Conradus Rex cum exercitu infestus Bojariam ingreditur, fugatoque Arnulpho duce, Ratisbonæ Procerum comitia indixit, quibus Boji Sacramentum fidei dicere jussi. Inde in Sueviam movit; quam ubi sui quoque juris fecit, Erchingerum & Bertholdum securi percuti jussit. Ita regia Majestate per severitatem firmata, ceteros primùm docuit Reges accipere, quos Germaniæ proceres è sua gente elegerunt.

Annus Christi 917.

Joannis X Pont. 6.
Conradi Reg. Germ. 6.
Unwani Ep. Pad. 2.

Ungari Germaniam vastant.

Regino. contin. Marianus Scotus. Lamb. Schaf. Sigebertus.

Per hæc intestina Procerum dissidia rebellantium Conrado Regi, Ungari calamitosam fœdamq; Germano nomini irruptionem fecêre. Auctor concitorque barbaræ gentis Arnulphus Rex Bojariæ, à Conrado Rege depulsus, ad Ungaros profugerat: horum ope implorata (tanta etiam in christianis, & tam perfida est æmulatio) Bojariam recepit, fugato Everhardo Regis fratre. Ea opportunitate gens barbara in Germaniam effusa, primùm omnem Alemanniam ferro & igne vastavit; ac Fuldam usque progressa, omnia terrore, spolijs, & cædibus implevit. Inde per Hassiam in Westphaliam, & per diœcesin Paderbornensem, vicinasque regiones in Bremensem diœcesin penetravit, ac barbarum in modum, uti ab Adamo Bremensi diligenti historico alijsque id relatum est, incensa templa, trucidati Sacerdotes, vulgus promiscuum cum clero aut interemptum, aut captum, aut fuga dispersum: Urbs Brema occupata, crucis sacræ signa truncata, & in ludibrium circumlata: ornamenta templorum & altarium lacerata; nec tamen sine præsenti numinis vindicta: nam dum in hoc sacrilego opere versantur, ingens repentè tempestas coorta est, quæ tegulas flammantium tectorum ita in capita & ora Barbarorum injecit, ut dum fuga præsidium quærunt, aut in flumina, aut in manus civium acti perierint. Immanem hanc urbis & diœcesis suæ irruptionem describit Adamus, cujus vestigia suo adhuc ævo visa sunt.

Adamus Brem. c. 45. Albertus Stadens. in chron.

Adamus Brem. c. 44.

Quam verò vastitatem diœcesi Paderbornensi vicinisque locis intulerint Barbari, testatur Henricus Rex in suo diplomate, quo Herivordensem Ecclesiam ab Ethnicorum infastatione exustam, & sua liberalitate adjutam reparari jubet; satisque hanc Ungarorum devastationem deplorat Auctor vitæ Meinwerci.

Adamus Brem. c. 44. Helmoldus lib. 1. chron. Sclav. c. 8. Crantzius.

Quare reperias, qui hac alterâ Ungarorum irruptione id factum velint, cui se Bohemos conjunxisse scribit Adamus Bremensis: ut verisimile habeas, ex diverso Barbarorum exercitu, illum, qui Alemanniam vastavit, per Thuringiam atq; Hassiam penetrasse Bremam usque. Eadem tempestate Dani quoque ac Sclavi primò Nortalbingos,

gos, deinde Transalbanos Saxones depopulantes, magno Saxoniam terrore concussêre; occupatoque Hamburgo, pari furore per Ecclesias & sacra Christianorum desævitum est; quòd tum Wormius imperitârit Danis Regum crudelissimus, à quo Christiana religio proscripta, Sacerdotes è finibus Regni ejecti, ac plurimi etiam contrucidati sunt. Ita verò peccatis exigentibus, Saxoniæ, quæ hactenus omnibus barbaris formidabilis erat, in barbarorum potestatem ac spolium concessit.

Aberat nimirum per id tempus Henricus Dux Saxoniæ, metu Conradi Regis, ad Carolum Galliarum Regem fœderis ac patrocinij causa profectus; interfuitque comitijs, quæ Rex Galliarum Aquisgrani indixerat, animo satis etiam minaci in Regem, ni postulatis suis satisfaceret; quemadmodum hæc Conradus Abbas à Pithœo editus multis denarrat. In hoc conventu *Henricus dux regio genere inclytus omnibus Saxonibus donatus à Carolo Rege*, & Gisilbertus in locum defuncti patris Dux Lotharingiæ nominatus: cui Henricus postea Gerbergam filiam in matrimonium dedit, quò se Caroli Regis patrocinio adversus Conradum Regem præmuniret, nescius altero ab hinc anno ultro sibi Regnum Germaniæ deferendum. Qua autem verbi fiducia Conradus Abbas Henricum Saxoniæ ducem regio genere oriundum scribat, haud satis prodit; nisi vel ad matrem ejus hæc referat, quæ Arnulphi Regis & Imperatoris filia à quibusdam traditur: aut certè ad Ludolphum Henrici avum respexerit, quem Widekindi M. abnepotem volunt.

Henricus Dux Saxoniæ fœdus cum Rege Galliarum init. *Conradus Abbas in Frag. apud Pith. Widekindus. Albertus Stadens. Reineccius in Geneal. Widekindi ad Alb. Stad. & Dithm.*

Annus Christi 918.

Joannis X Pont. 7.
Conradi Reg. Germ. 7. & ult.
Unwani Ep. Pad. 3.

Agebatur jam annus Christi 918, Conradi septimus, ex quo Regnum Germaniæ, tam intestinis æmulorum dissidijs, quàm Barbarorum incursionibus concussum administrârat; quibus malis depressus in morbum, cùm ex eo se ad extremum vitæ urgeri sentiret, Regni optimates & Principes ad se in conventum vocavit; quibus gravi & digna tanto Rege oratione persuasit, ut Henricum Saxoniæ ducem successorem sibi Regem deligerent; hunc enim esse, cui ob sapientiam & virtutem bellicam id ante omnes deferri debeat: satis quidem scire ipsos, quàm infestum in Henrico æmulum haberet, sed hæc omnia condonare se communi bono. Postquam assensêre proceres, vivus etiamnum, tanquam ultro se Regno exueret, per Everhardum fratrem Bojariæ ducem jussit ensem, sceptrum, & omnia insignia Imperij cum lancea sacra ad Henricum mitti; ipse deinde Rex 10 Kalend. Januar. seu ut Brunnerus & Dithmarus 14 Kalend. Nov. excessit

Moritur Conradus Rex Germaniæ. *Widekind. lib. 1. Luitprand. lib. 2. Sigebertus. Otto Frising.*

excessit è vita; tum maximè Principatu dignus, cùm deponeret, qui ulciscendi cupiditatem voluit summum esse beneficium adversarij. Dignum Germano Principe & christiano Rege factum. Princeps fuit æquitate fortitudine, & liberalitate in omnes insignis, fortunatius longiusque regnum meritus, amans Saxonicæ gentis; quippe matre Saxonicâ, Ottonis Ducis filiâ, & Henrici Regis sorore natus. Quare & Soceri gratiæ memor, à quo Regnum ei delatum erat, immemorque injuriæ ab Henrico affine acceptæ, regnum in familiam Saxonicam retulit.

Annus Christi 919.

Joannis X Pont. 8.
Henrici I Reg. Germ. 1.
Unwani Ep. Pad. 4.

Regin. cont. Widekind9 lib. 1. Otto Frising. lib. 6. Dithmarus lib. 1. Bruschius in Cat. Episc. Mog. Luidprando lib. 2.

Succedit Henricus I dictus Auceps.

Jgitur post fata suprema Conradi, Francorum Orientalium, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum ac Saxonum proceres Henricum Regem eligunt, & in throno collocant mense Aprili, toto simul exercitu regem suum consalutante. Cumq; deinde, ut Widekindus refert, *ei offerretur unctio cum diademate à Moguntino Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sprevit, nec tamen suscepit; satis, inquiens, mihi est, ut præ majoribus meis Rex dicar, et designer divina annuente gratia ac vestra pietate; penes meliores verò nobis unctio et diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur.* Factum id etsi modestiæ plenum visi quidam improbare, ex quo S. Udalrico duo per somnum gladij oblati, quorum cùm alter sine capulo ostensus esset, jussus est Henrico dicere eo designari Regem, qui sine benedictione regnum capesseret: altero verò, qui capulo præclusus esset, Regem benedictione & sacra unctione præmunitum indicare. Primùs hic, qui ex Westphaliæ Saxoniæque ducibus, & Widekindi posteris, regiam dignitatem in familiam intulit, quæ deinde cum ingenti christiani orbis bono ultra centum annos imperitavit. Cognomento Auceps dictus fuit Henricus, quod aucupio delectaretur: seu quòd repertus retia avium continere, dum regalia denunciarentur.

Annus Christi 920.

Joannis X Pont. 9.
Henrici I Regis Germ. 2.
Unwani Ep. Pad. 5.

Qui Lotharingiam à Carolo Rege Gal. ereptam recuperat.

Regnum adijt Henricus non modò ab Hunnis & Barbaris laceratum, sed intestinis malis turbidum, & latrocinijs etiam, prædisque liberis defœdatum: Eò prima arma vertit in Burchardum Sueviæ, & Arnulphum Bojariæ Duces, ostentatoque exercitu utrumque ad obsequium adegit. Qui dum bello occupatur, Carolus simplex Gallia-

Galliarum Rex in Lotharingiam irrumpit, obsessaque Wormatia regnum illud sibi vendicare aggressus est. In quem Henricus procerum cumprimis hortatu arma convertit, ejectoque Carolo Francorum Rege, Lotharingiam pro veteri Regis jure Germanico regno asserit.

Annus Christi 921.

Joannis X. Pont. 10.
Henrici I Regis Germ. 3.
Unwani Ep. Pad. 6.

Carolus dolore amissæ Lotharingiæ, aut contumelia cladis incensus, altero mox anno cum infesto exercitu Lotharingiam ingreditur, ulturus proceres, à quibus Henricus invitatus fuerat. Nec segnior Henricus cum exercitu advolat, in easque angustias conjicit Carolum, ut damnatis belli consilijs, legatos mitteret ad Henricum cum muneribus, manu videlicet D. Dionysij auro gemmisque inclusa, fœdus & amicitiam orantes. Fassi tum legati Caroli, id quod supra diximus, ex quo tempore S. Viti Martyris corpus Corbeiam in Saxoniam deportatum, omnem felicitatem simul ex Gallia in Saxoniam demigrasse, nec inde unquam regnum suum à bellis civilibus quietum fuisse. Munus id Henricus Rex flexo in terram poplite deosculatus cum summa veneratione excepit. Inde statim induciæ inter utrumque Regem, dum ambo pòst Bonnæ conveniunt, fœdus & amicitiam pacifcentes. Juvat in hanc rem ipsa acta conventaque recitare, quòd his Henricus Rex Unwanum Episcopum, virum spectatæ prudentiæ & auctoritatis, inter Saxoniæ Episcopos interesse voluerit.

Widekind. lib. 1 ann. Flodoard. in chron. Et eundem Carolum ad pacem petendam cogit. *Sigebertus. Reginonis contin. Flodoardus Miræus in Not. Eccles. Belg. 51. Histor. Franc. tom. 2.* Quæ Bonnæ inter utrumque coalescit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis divina propitiante Clementia Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXI *Anno verò regni Domini Caroli gloriosissimi Regis Francorum Occidentalium 29, redintegrante 24, largiore verò hereditate indepta 10, indictione 9. anno quoque regni Domini, et magnificentissimi Regis Francorum Orientalium Henrici tertio, inter ipsos præfatos Principes unanimitatis pactum, ac Societatis Amicitia quæsita repertaque, exordia sumpsit, prout visa sunt competentia. Convenerunt enim ambo illustres Reges, sicut inter se discurrentibus legatis convenerant, secundo Non. Novemb. feria prima. Domnus enim Carolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, et strenuus Henricus ex altera parte Rheni, et ea tantum die mutuis se visibus intuentes super ripas ejusdem fluminis huc et ultra, ut sui fideles fierent innoxii, Sacramento, quo hanc eorum conventionem fuerant polliciti. Verùm feria quarta 7 Idus Novem. in medio Rheni fluminis sæpius dicti principes in navibus quisque suis, in tertiam ascenderunt, quæ anchorata in fluminis medio gratia eorum colloquii fixa erat; ibique in primo hanc sibi vicissim convenientiam ob statum pacis juramento sanxerunt ita: Ego Carolus divina propiciante clementia Rex Francorum Occidentalium*

dentalium amodo ero huic amico meo Regi orientali Heinrico amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico secundum meum scire ac posse, ea verò ratione, si ipse mihi juraverit ipsum eundemque sacramentum, et attenderet, quæ promiserit, sic me Deus adjuvet et istæ sanctæ reliquiæ. Econtra Rex Heinricus eandem promissionem sacramento, et ijsdem prosecutus est verbis subsequenter, ut hujus amicitiæ firmitas inviolabiliter observaretur.

Hæc sunt nomina Episcoporum, qui cum nobilibus ac fidelibus laicis firmitatem, quam præmemorati Reges inter se fecerunt, collaudando acceptaverunt, et manibus suis sacramentum firmaverunt, nunquam à se destruendam: Herimannus Archiepiscopus Agrippinæ, quæ modo est Colonia vocitata. Rodgerus Archiepiscopus Trevirorum. Stephanus præsul Cameracorum, Bovo Episcopus Catalaunensium, Baldricus Trajectensium Episcopus. Hæc nomina Comitum. Matfredus, Erkengerus, Hagano, Boso, Waltkerus, Isaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus. Episcopi ex parte Regis inclyti Heinrici, Herigerus Archiepiscopus Moguntiacorum, Nithardus Episcopus Mimmogerneferdæ, Dodo Episcopus Osnabroggæ, Ricawudo Episcopus Vangionum, quæ nunc dicitur Wormatia, Honvardus Episcopus Paderbornensis, Hotingus Episcopus Constantiæ Alemannicæ. Hæc sunt nomina Comitum: Eurardus, Chonradus, Herimannus, Halo, Godefredus, Otto, Herimannus. Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Faldac.

Clari ea tempestate notique Episcopi: sed mirum, qua historologia fasti Monasteriensium post Nithardum, sive Richardum hic recensitum, collocent in ordine Rumoldum, quem supra in concilio Altheimensi vidimus ante Richardum subscripsisse, vixisseque in Episcopatu illo. Qui Hunvardus hic scribitur Paderbornensis Episcopus, Unwanus est, deflexo pro gentis more vocabulo. His igitur Episcopis & Optimatibus tanquam arbitris & Sponsoribus, pax inter utrumque Regem convenit; quibus verò conditionibus, ex annalium memoria excidit. Certam verò partem Carolo relictam esse argumento est, quòd Henricus non nisi ab anno 923 se totius Lotharingiæ Regem scripserit.

Annus Christi 922.

Joannis X Pont. 11.
Henrici I Reg. Germ. 4.
Unwani Ep. Pad. 7.

Burchardus lib. 7. c. 30. Ivo Carnotensis c. 66. Conventus Confluentinus, ejusq; acta.

Altero ab hinc anno rursum Episcoporum conventus ad Rhenum, quem Burchardus & Ivo Carnotensis nobis tradidêre; juvat ipsum Burchardum audire. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXXII *apud Confluentiam jussu venerabilium Principum Caroli videlicet, et Henrici Regum reverendissimorum congregati sunt Episcopi numero VIII Hermannus Agrippinensis Archiepiscopus, Herigerus Moguntinensis Archiepiscopus, Thiedo Wirtzburgensis Episcopus, Luitharius Mindanensis Episcopus, Dodo*

Dodo Osnabrugensis Episcopus, Richowvvo Wormatiensis Episcopus, Richvinus Stratzburgensis Episcopus, Unvvanus Paderbornensis Episcopus, cum Abbatibus aliisque sacri ordinis hominibus quamplurimis. Fallitur igitur Jvo, dum ad annum 912 hæc refert, quo simul errore Baronius & Binius abducti. Octo hujus synodi canones colliguntur ex Burchardo, & Jvone, à Cossartio in conciliorum tomis relati, ad disciplinam cleri populique accurandam; quos inter primò decretum, ob vaga incestaque matrimonia tum invalescentia, ne Christiano fas sit intra septimum gradum cognationis contrahere nuptias: ne laici fructus sacrarum donationum convertant in canes & Gynæcea alenda: ne Ecclesiæ Monachorum intra diœceses Episcoporum subtrahantur Episcoporum jurisdictioni, & quæ præterea salubriter statuta sunt, judicio duorum Archiepiscoporum ac præsulum ceterorum. Verisimile est & ipsos Reges Carolum & Henricum cum optimatibus convenisse simul Confluentiam, ad fœdus & amicitiam firmandam; quòd per id tempus Giselbertus dux, homo inquietus & regnandi cupidus, multa turbaret ad Lotharingiam sibi asserendam; quam ut Reges, Episcoporum auctoritate, & pacis studio diviserant: Ita eorum quoque auctoritate, quòd primi colerentur inter optimates Regni, firmatam volebant. Transactis cum Carolo rebus, Henricus Rex arma vertit in Sclavorum sævitiam refrenendam; eò multum intra Saxoniam versatur; quò & regni Germanici sedes, quæ hactenus Aquisgrani, vel Wormatiæ, vel Francofurti, vel Ratisbonæ, vel alijs in locis fuit, transferri cœpit cum Saxoniæ Regibus ac Jmperatoribus. Quemadmodum hoc anno Quedlenburgi fuit, in loco, quem ipse Rex postea Oppido & Monasterio Virginum à se condito celebrem fecit, imposita Machtilde filia prima ejus cœtus Abbatissa. Ex hoc loco Henricus Rex Corbeiensibus nostris præclaro diplomate vetera privilegia confirmavit, quod hic inter munificentiæ ejus ac pietatis argumenta repræsentamus. Henricus privilegia Corbeiensium confirmat.

Jn nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente Clementia Rex. Convenit nostræ regali Celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, has præcipuè, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus, quoniam hoc et ad præsentem vitam prosperè peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquidò credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentis, quam futuri temporis industria, quod rogatu conjugis nostræ Domnæ Reginæ Machtildis, una cum prole et æquivoco nostro, nec non Episcopi Adalvvardi, qui legatus fuit ad nos missus ab abbate venerabili Folcmaro fratribusque Christo in nova Corbeia militantibus, et SS Martyribus nostris advocatis et intercessoribus Stephano atque Vito fideliter servientibus, omnes concessiones, quas priorum Regum temporibus habuerunt, firmiter eidem loco, id est, prædicto abbati et fratribus concessimus. Præcipuè ut potestatem habeant inter se cum

necessitas venerit, abbatem eligendi, et ut à nullo Episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimæ exigantur, neque à comite, vel ex qualibet judiciaria potestate Coloni eorum ac liti ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram advocatis ejusdem loci justitiam facere cogantur, sicut anteriorum Francorum Regum temporibus præfato monasterio concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmiter habeatur, atque per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, et ne deinceps hinc aliqua dubietas fiat, nostra propria manu subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domni Henrici Serenissimi Regis.

Simon Notarius ad vicem Herigeri Archicappellani recognovi et ss.

Data X Calend. Martii anno Incarnationis Domini DCCCCXXII *Indictione X anno autem regni gloriosissimi Regis Heinrici* III *actum in villa, quæ dicitur Quitilingaburg in Dei nomine feliciter amen.*

Genus Mathildis conjugis Henrici. *Crantz. l. 3. Sax. c. 11. & 12. Widekind9 lib. 1. Saxon. Otto Frising. lib. 1.*

Machtildis Regina (cujus rogatu Rex Corbeiensibus exinde ceterisque religiosis familijs tam largè benefecit) & formæ pulchritudine, & morum elegantia, & nobilitate pietateque clarissima per id tempus matrona erat, quæ Theodorico patre comite Oldenburgico & Ringelheimio genita, tam in eo genus ad Widekindum M. referebat, quàm Henricus per Ludolphum avum Saxoniæ ducem, Conditoremque monasterij Gandersheimensis; sed pietate & religione multò illustrior, Conditrixque multorum cœnobiorum. Ea ex conjuge Henricus Rex suscepit Ottonem M. Imperatorem, Henricum Bavariæ ducem, Brunonem Coloniensem Archiepiscopum & Lotharingiæ ducem, magnos illos Saxoniæ Germaniæque heroës, & tot inde Regum genitores; tanquàm Deus tam piorum parentum munificentiam in Ecclesias & religiosorum familias tanta filiorum ac nepotum felicitate remunerârit.

Annus Christi 923.

Joannis X Pont. 12.
Henrici I Reg. Germ. 5.
Unwani Ep. Pad. 8.

Flodoardus Regin. cont. Sigebertus Marianus Scotus.

Et clarior inde fortunatiorque Henricus, Regum ea tempestate potentissimus, eòque à Ruperto Galliarum Rege, quem pars procerum elegerant, ejus amicitia ambita; ad eamque firmandam ad Ruram amnem in Ripuaria convenêre. Quâ in Regni Galliæ perturbatione Carolus Galliarum Rex ab Heriberto Comite captus, & in carcerem detrusus est, in quo & miseram vitam post sexennium clausit, Germanici regni potentiâ per hæc increscente; siquidem Saxoniæ Henricus haud multò pòst integrum Lotharingiæ Regnum adjecit.

Annus

Annus Christi 924.

Joannis X Pont. 13.
Henrici I Reg. Germ. 6.
Unwani Ep. Pad. 9.

Prospera hæc Regis Henrici consequitur annus Christi 924, tertia Ungarorum irruptione in Saxoniam calamitosus. Tertiam hanc numero irruptionem, quam confirmatam reperio ex Abbatum Corbeiensium fastis; quarum prima in ijs memoratur anno Christi 906 Ludovico Rege, altera anno Christi 915 Conrado Rege, tertia huic Henrici anno adscripta; de qua etiam Widekindus Corbeiensis: *cùm jam civilia*, inquit, *bella cessarent, Ungari totam Saxoniam percurrentes, urbes et oppida incendio tradiderunt, et tantam cædem ubique fecerunt, ut depopulationem ultimam comminarentur. Rex autem erat in præsidio urbis Werlaon.*

Tertia Ungarorum in Saxoniam irruptio.

At quæ hæc Werlaon Saxoniæ urbs, ad quam Rex se recepit? haud sum nescius duas ejus nominis urbes controverti hîc, monstrarique in Saxonia, quarum altera trans Albim ad Sclavorum fines; & cui verisimile Henricum istic se inter Sclavos commisisse, & barbaro hosti à tergo omnem Saxoniam deprædandam reliquisse? Altera igitur Werla est in Westphalia, inter Ruram & Luppiam ad veteres Paderbornensis diœcesis fines, quo transito Visurgi Henricus Rex se recepit: seu ut Rheno propior esset, seu ut copias Westphalicæ gentis contraheret, sisteretque Barbarorum impetum; non tamen cum ijs congredi est ausus, *quod rudi adhuc militi, et publico bello insueto contra tam sævam gentem non fideret. Quantam autem stragem fecerint, illis diebus Hungari, aut quot monasteria accenderint, melius judicamus silere, quam Calamitates nostras verbis iterare.* Hæc Widekindus; atque ut idem auctor refert *contigit* per id tempus *quendam ex Principibus Ungarorum capi, vinctumque ad Regem perduci. Quem cum Ungari magnoperè diligerent æstimarentque, obtulerunt pro redimendo captivo multum auri argentique: Rex vero contempto auro pacem expostulat, quam ubi in novem annos impetravit, captivum cum muneribus remisit.* Indecorum hoc fœdumque satis, bellicosam illam Saxoniæ gentem tot hactenus gentium debellatricem eo per otium superiorum annorum recidisse ignaviæ: ut pacem ab Hunnis petere necesse habuerint, atque annuo munere, si non tributo etiam redimere à barbaris.

Meibomius in notis ad Widekindum.

A quibus pacem obtinet Henricus Werlis commorans.

At nullius animum hæc pacis necessitas gentisque probrum magis affecit, quàm ipsius Henrici Regis. Quid igitur bellicosus Rex ad gentis contumeliam malumque avertendum? Accepta pace, quod Widekindus ceterique nostri scriptores celebrant, Rex intra novennium summa prudentia desudavit in munienda Saxonia, exercendo milite, & disciplina militari restauranda. Quam in rem

Henricus tempore pacis ad bellum se parat.

Widekind. lib. 1. Sigebertus Dithm. Otto Fris.

rem ex agrarijs militibus nonum quemque eligens, in urbes & præmunita oppida transtulit; ceteros agros colere jussit, fruges colligere, frumentum in urbes comportare, & in certis ad id annonæ horreis constructis recondere, concilia populique conventus & convivia in urbibus celebrare, tam cives quàm agrestes homines arma sibi parare, ijsque certis diebus decurrere, ut in pace discerent, quæ in necessitate contra hostes usus postularet? Non genus hominum præter sacratos Deo viros, non ætas arma portandi apta his legibus exempta; at natu quemque maximum filiorum castra Regis sequi imperatum. Inde mos inolevit, ut is patris exuvias, inter quas arma primæ erant, jure tolleret. Nulla tum fere, aut certè vilia Urbis mœnia, prisco adhuc Germanorum ritu incolentium. Quare hoc Rege tanta Urbium & Oppidorum munitorum frequentia ac decor conspectus, ut ceteras per Imperium nationes non puderet Saxonicorum Regum & Cæsarum imperia accipere. Neque hæc instaurandæ disciplinæ militaris consilia tam humana; quàm divinæ providentiæ plena. Quando & Deus ipse noluit omnes barbaras gentes per Josue debellari & extingui, ut postea Hebræorum filij *discerent certare cum hostibus et habere consuetudinem præliandi.* Sunt qui volunt hoc Henrici Regis instituto magnopere auctam esse nobilitatem Saxonicam. Nam qui virtute militari peritiaque tum visi eminere, ceteris per oppida, castra atque urbes præfecti. Inde militares, castrenses, Borchmannos, Armigeros, Scutiferos tanta multitudine ortos perhibent; quorum alij regijs obsequijs addicti, alij Episcoporum & Abbatum vices belli expleverunt. Nam Unwanum Episcopum nostrum post etiam Henrico Regi in bello suppetias misisse lego in vetustis quibusdam monumentis, quod idem ceteros fecisse haud ambigere licebit. Inter Urbes verò Saxoniæ, quas Henricus Rex maximè excoluit & frequentavit, Goslaria celebratur.

Urbes munit.

Lib. Jud. c. 3.

Annus Christi 925.

Joannis X Pont. 14.
Henrici I Reg. Germ. 7.
Unwani Ep. Pad. 10.

Ungaris per inducias submotis, bellum intestinum cum Rudolpho Galliarum Rege exarsit. Lotharingiam ille cum exercitu ingressus occupare cœpit, & jam multi procerum cum ipso Giselberto ad Gallos transierant. Quæ ubi Henrico Regi comperta, Rhenum armatus transit, Tulpiacum Oppidum expugnat, Gallos Lotharingia ejicit, Giselbertum datis obsidibus in fidem recipit. Adeo non omnis Saxonia inermis.

Gallos Lotharingia ejicit. *Flodoardus in histor. Rem.*

Annus

Annus Christi 926.

Joannis X Pont. 15.
Henrici I Reg. Germ. 8.
Unwani Ep. Pad. 11.

Altero mox anno frequentem Wormatiæ conventum procerum indicit, in quo novum Lotharingiæ præfectum constituit, Everhardum, gente Saxonem, virum fidum, cujus sapientia & justitia totum illud regnum in obsequium Regis se dedit. Tam præclarè Henricus de Germania meritus, qui alterum illi & florentissimum Regnum adjecit. *Flodoardus*

Annus Christi 927.

Joannis X Pont. 16.
Henrici Reg. Germ. 9.
Unwani Ep. Pad. 12.

At Giselbertus cum Lotharingiæ præfecturam sibi à Saxone præripi videret, ira & ambitione accensus, altero mox anno rebellionem cœptavit, Lotharingiæ Regnum sibi per vim & dolum asserturus; nec multò post dolo captus à Lotharingo quodam Henrico Regi transmittitur. Sed quæ erat ingenii versutia, ita Regis animum occupavit, ut præfecturam totius Lotharingiæ redditam illi committeret, datâ etiam in matrimonium Gerberga filiâ, quod Sigebertus ad hunc annum retulit, secus quàm Conradus Abbas supra relatus. Hoc interim anno Henricus Rex, rogatu Machtildis Reginæ & Unwani Episcopi nostri (qui Regem adijt super vastatione Ungarorum) Herivordensi Virginum Collegio & privilegia & certa quædam prædia regiis tabulis confirmavit, quas hactenus reconditas repræsentamus, ut ex ijs irruptio Ungarorum in Westphalia comprobetur. *Sigebertus* Henricus confirmat privilegia Herivordiensium.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Omnium namque fidelium nostrorum petitionibus Serenitatis nostræ aurem accommodare oportet, maxime tamen eorum, qui de sacris mentionem faciunt cœnobiis, obtemperare decrevimus. nam nostris crebrescentibus peccatis multimodas paganorum castigationes, quibus Christicolas afflixerunt, sentimus. Inter quas etiam Machtildam dilectam conjugem nostram una cum Bodarbrunnensis Ecclesiæ Episcopo videlicet Unvvano, seu et ceteris fidelibus nostris, de sanctis herivurdensis monasterii monialibus interpellantem cognovimus, quatenus illarum præcepta regia, quæ ab ethnicorum infestatione exusta sunt renovari præciperemus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum industria, quia miseratione earum repleti ob amorem Dei sanctorumque, petitionibus eorum assensum præbentes, prout ea ab antecessoribus nostris habere videbantur, nostræ auctoritatis renovatione prænotare jussimus, ea videlicet ratione, ut quidquid investi-

vestitura supra dicti loci, sive de Regum vel cujuslibet personæ traditione appareat, nullo injustæ contradictionis impedimento æternaliter ad ejusdem congregationis nutrimina perseveret, quatenus absque alicujus secularis vexationis conflicto, sub nostræ tuitionis munimine dignas ac Deo placitas persolvere studeant laudes nostrasque nostrorumq; antecessorum, quàm et successorum frequentent orationes. Quorundam autem locorum vocabula, quæ quidam falsitatis fraude abstrahere conantur, huic conscripto subnectere præcepimus. Angeresgovuè, Vinesvvalde, Overanberh, Liudvvinesdorp et Hunbech, secus fluvium Sigina. Hæc omnia cum reliquis cunctis possessionibus tam in agris cultis et incultis, quàm et in omnibus appendiciis ad præfatum locum respicientibus firma stabilique statione in jam dictæ familiæ potestate perenni tempore consistant. Et ut hoc nostræ confirmationis præceptum firmum stabileque permaneat, manu nostra subtus illud firmavimus, annuloque nostro sigillari jussimus.

Signum Domni Henrici  *Serenissimi Regis*

Simon Notarius ad vicem Herigeri Archiepiscopi Cappellani recognovi.
Data XV Calend. April. anno Incarnationis Domini DCCCCXXVII Indictionum XV, anno vero regni gloriosissimi Henrici Regis VII Actum Astnid in Dei nomine feliciter amen.

Flodoardus in chron. Concil. gen. edit. Parif. recentioris.

Synodus Duisburgensis, in qua Metenses excommunicantur, ob privatum oculis Episcopum suum.

Qui hic regni annus consignatus septimus, cùm nonus sit, ducitur à regno Lotharingiæ adito, ut in alijs quoque tabulis hujus Regis observare licebit. Ceterum hoc anno Henrici Regis celebratum Episcoporum concilium Duisburgi ad Ruram amnem & Rhenum confluentes in Westphalia, quod verisimile Wilfridus Coloniensis Archiepiscopus jussu Romani Pontificis convocavit, ob Bennonem Metensem Episcopum. Egerat hic innocens præsul aliquamdiu vitam eremiticam in Alpibus, ex qua ob famam sanctitatis extractus, delectusque Metensium Episcopus, & jam biennium præclarè munus illud egerat, cùm à Metensibus oculis erutis abjiceretur. Ad quod immane sacrilegium vindicandum hæc synodus congregata est, auctoresque sceleris damnatos ejecit extra Ecclesiæ consortium. Nec dubitaveris plerosque Saxoniæ Episcopos, interque hos Unwanum quoque convenisse, quorum judicio, turbatis per Lotharingiam rebus, id Pontifex, auctoritate etiam Henrici Regis, puniri voluerit.

Annus Christi 928.

Leonis VI Pont. 1.
Henrici I Reg. Germ. 10.
Unwani Ep. Pad. 13.

Flodoardus in chron.

At nondum Lotharingia quieta, rebellante Bisone Comite, ceterisque conspirationum factiosis capitibus. Quarè Henricus Rex

cum ingentibus Saxonum & Germanorum copijs Rhenum transgressus, expugnatoq; Durofosto castro, rebelles obtrivit, rursumque Giselbertum conspirationis participem, ac ceteros proceres juramentum fidei dicere jussit. Sub quod tempus simul Regem adeunt Hugo Ruperti Regis filius, & Heribertus Veromanduorum Comes, gratiam & opem potentissimi Regis adversus Rudolphum Galliæ Regem implorantes.

Annus Christi 929.

Stephani VIII Pont. I.
Henrici I Reg. Germ. II.
Unwani Ep. Pad. 14.

Inde nunc continuis annis primò cum Bohemis & Sclavis, deindè cum Ungaris, ac demum cum Danis & Nortmannis Regi bellum, & memorabiles ad omnem posteritatem victoriæ; quæ cùm à Widekindo, Dithmaro, ceterisque auctoribus describantur, nec tamen ad certum annum relata sint, hic ego ordine & in suos annos digesta hactenus nondum edita referam breviter.

Anno igitur Christi 929 cùm jam Henricus Rex omnem Saxoniam militari disciplina armorumque exercitatione instructam haberet, contracto exercitu in Sclavos, quos Hevellos dixère, ad Havelam Marchiæ amnem incolentes movit; quos cùm multis prælijs fatigasset, ut Widekindus ait, *demum asperrima hyeme castris super glaciem positis cœpit urbem*, quæ Brenneburg dicitur, fame, frigore & ferro domitam. Urbe hac potitus & omni regione eorum, signa vertit in Dalamancos Sclavos, qui regionem, quæ post Misnia est vocata, incoluère. Juvenis olim hanc gentem sub Ottone patre oppugnârat; nunc majoribus viribus aggressus urbem eorum Gronam vigesima obsidionis die expugnavit, & militibus in prædam dedit; puberes omnes armatique interfecti: pueri verò ac puellæ, & omnis imbellis ætas in captivitatem abrepta: Victis Dalmancis tributum impositum. Henricus Sclavos subjugat.

Sub id tempus, ut Sigebertus perhibet, Henricus Rex misit ad Rudolphum Burgundionum Regem legatos, postulatum lanceam sacram, qua Christi latus transfossum, quam Constantini M. dono ad posteros venisse creditum fuit. Hanc cum ægre permitteret Burgundionum Rex, Henricus tandem quà precibus, quà minis, quà muneribus, oblata etiam in hanc rem parte Sueviæ, impetravit; & qua deinde erat pietate fiduciaque in Deum, lanceam hanc tanquam cœlestis auxilij tesseram in prælijs præferri voluit. Ea post Ottoni M. & posteris inter insignia relicta: ut jam diversa, nec sacra illa sit hasta, quam Conradus Rex moriturus Henrico cum chlamyde & gladio inter Regni insignia transmisit, quod ex Widekindo retulimus. Impetrat à Burgundionum Rege sacram Christi Lanceam.

Annus Christi 930.

Stephani VIII Pont. 2.
Henrici I Reg. Germ. 12.
Unwani Ep. Pad. 15.

Bohemiam Germaniæ adjicit. *Widekindus lib. 1. Sigebertus in chron. Adamus Bremensis lib. 2. Helmoldus lib. 1. & 2.*

Tam prosperis successibus erectus Rex, cum omni exercitu Bohemiam ingressus, Pragam gentis Metropolim simulque Regem ipsorum Wenceslaum in deditionem accepit. Qua victoria totum illud Regnum Germaniæ Regno adjecit. At verò ea expeditione distento Rege, Sclavi Retharij; qui haud procul Stetino Rethram metropolim incolebant, facta in Saxoniam irruptione, Wallerslebiam oppidum Luneburgicæ provinciæ (in quod Bruno & Tancquardus Regis patrui è Schydrâ Westphaliæ Sedem Episcopi transtulerant) armati obruunt expugnantque, incolis omnibus, quorum innumerabilis multitudo Christianorum erat, Barbarum in modum contrucidatis. Hoc successu lætæ omnes circum Barbaræ nationes, Abotriti, Wilsi, Hevelli, Dalmanci, Bohemi conspirant in publicam rebellionem. Ad quorum ferociam reprimendam prævertit Henricus Rex; immissoque exercitu in eorum regiones, Bernardo & Thiatmaro ducibus (quorum alter legatus, alter collega erat) Lunkinum obsidere jubet. Evocatæ ad hoc bellum omnes Saxoniæ copiæ, etiam ab Episcopis submissæ. Jam in quintum diem producta erat obsidio, cùm barbaros adventare nunciaretur. Ingens, sed diversus ad hæc animorum motus; alijs pugnam formidantibus, alijs expetentibus. Legatus ea nocte omnes in armis consistere jubet, & sacramentum fidei dicere. Orto sole in conspectum venêre barbari, in quos Legatus exploratum provectus. Ubi verò innumerabilem Barbarorum multitudinem adesse conspexit, & peditem quidem superiorem, sed equitem imparem, ad exercitum regressus militem hortatur, datoque signo in hostem ducit. Stabat Barbarus denso & impenetrabili confertus agmine; eò à dextra lævaque simul impetum fieri jubet ad distrahendos cuneos hostiles. Anceps diu & cruenta pugna, dum Thiatmarus à legato monitus adesse laborantibus jubetur; quo hostium ordo cessit in fugam, & tota illa dies cædibus Barbarorum consumpta; viæ omnes campiq; cadaveribus repleti. Qui superstites erant, ad vicinam urbem fugam intenderunt, quibus cùm transitum præverteret Thiatmarus, ad mare compulsi sunt; ubi omnes aut cæsi, aut in aquas detrusi, tanta strage, ut è peditum numero vix nuncius cladis rediret: equitum pauci fuga servati. Prælium illud ad Albim fluvium consertum memorant fasti Corbeienses, eoque die supra cxx millia paganorum cecidisse, captivos vero Dccc venisse in Saxoniam. Auget hanc stragem Widekindus, & ducenta Barbarorum

Insignis Christianorum victoria de Sclavis relata.

Ad annum 929.

barorum millia perijsse refert, captivosq; altero die obtruncatos omnes. Pauci ex Saxonum exercitu desiderati; hos inter duo Comites occubuerunt, de quibus præter Widekindum, Dithmarus Mersburgensis Episcopus, *ex nostris duo abavi mei Luitharii, quorum alter paternus, alter maternus erat proavus, ejusdem nominis signati, milites optimi, et genere clarissimi, decus et solamen patriæ ceciderunt.* Dies pugnæ ab eodem Nonis Septembris, in fastis Corbeiensibus II, seu pridie Nonas Septemb. feria VI consignatus. Ad hunc modum obtruncatis etiam captivis, parentatum cædi Christianorum in Wallersleven; quo loco tum per Barbaros exusto eversoq;, Episcopi sedem Henricus Rex transtulit in Frosam Oppidum, quam deinde Otto filius ac Rex Magdenburgum transportavit, veneratione summa in Carolum M. ne quis Episcopatus ab eo conditus per Saxoniam interiret; quos hæresis nostri sæculi, dispari certè religionis cultu, penè omnes extinxit in Ostfalia. A prælio redijt triumphans exercitus Saxonum ad Lunkini urbis obsidionem; quæ consternata suorum cæde, se regi dedidit. Jussi omnes exire inermes; pòst quæ uxores, filij, servi, & omnes Barbarorum gazæ in potestatem Saxonum venêre.

Annus Christi 931.

Joannis XI Pont. 1.
Henrici I Reg. Germ. 13.
Unwani Ep. Pad. 16.

Partâ tam insigni victoriâ læta omnis Saxonia; auxêreq; communem lætitiam regales nuptiæ. Nec enim multò pòst Henricus Rex Ottoni filio, quem Germania post Magnum Jmperatorem habuit, in matrimonium dedit Editham filiam Ethmundi Anglorum Regis. Nuptiæ in Westphalia celebratæ à quibusdam referuntur Werlæ; certè inter Ruram & Luppiam hoc anno versatus Witgerum Abbatem Werthinensem magnifico diplomate honoravit, quo omnia ejus Cœnobij Ludgeriani privilegia rata confirmataq; esse voluit, Henricus Privilegia Werthinensia approbat.

Jn nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Henricus divina Clementia Rex. Si Servorum Dei petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibimet commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuerimus, id nobis ad perpetuæ beatitudinis præmia promerenda liquidò profuturum esse credimus. Unde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quod fidelis noster Witger abba monasterii, quod vocatur Werdina, insinuavit Celsitudini nostræ, qualiter ipsum monachorum Cœnobium sibi commissum à Beatæ memoriæ Sancto Liudgero Episcopo in propria ejus hereditate fuerit constructum, monachisque contraditum, et gloriosissimorum Regum Ludovvici videlicet, filii Magni Regis Karoli, et Successorum eius pro æterna ipsorum, omnisque gloriosissimi generis eorum memoria, defensione et tuitione hactenus fuerit conservatum. Quamobrem nostram imploravit Clementiam,

mentiam, ut idem monasterium sub nostra tuitione suscipientes omnes concessiones ab antecessoribus nostris sibi collatas nostræ auctoritatis præcepto firmaremus. Cujus rationabili, et justæ petitioni assensum præbentes decernimus atque jubemus, inprimis ut idem monasterium cum omnibus ad se pertinentibus plenissimè immunitatis securitate perfruatur, neque publicis exactionibus, vel quibuscunque modis, illorum servi, liti, vel liberi à qualibet judiciaria potestate constringantur; coram advocato eorum, si quid ad inquirendum, vel ad corrigendum sit, inquiratur et corrigatur. Præfati monasterii homines ab omni vectigalium inquisitione vel telonii securi consistant; præterea quod aliis quoque monachorum Cœnobiis concessum constat, ut ubicunque dominicatos mansos habuerint, in quocunque sint Episcopio, vel præfectura, seu etiam provincia, vel regione siti in omni regno à Deo nobis collato decimas, quas alii Episcopis solvunt, ad portam monasterii concedimus, et à nemine penitus eas alibi dare cogantur, quatenus indè pro nostra ac totius generis nostri perenni mercede supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur. Insuper etiam eidem fratrum Collegio ad eligendum Abbatem inter se potestatem concedimus; abbas illius monasterii ad castra et in hostem ire non cogatur, nisi forte regia liberalitate adjutus copiam quandoque accipiat illud faciendi. Illius etiam Regionis Episcopus si synodalem ibidem conventum vel sermonem facere ad populum destinaverit, de Episcopio illi serviatur, nisi forte eodem die alia circueundo visitare loca voluerit. Tunc benedictionem de Abbate non pro debito servitio, sed pro amore suscipiat. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hereditas Sancti Liudgeri et propinquorum ejus, ideo liceat abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè ac planè possidere, quatenus eos melius delectet pro nostra, et nostrorum fidelium salute, ac totius Imperii nostri statu divinam implorare Clementiam. Hæc auctoritatis nostræ concessio ut firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem, manu nostra eam firmavimus, et annuli nostri impressione sigillari præcepimus,

Signum Domni Henrici  *invictissimi Regis*

Simon Notarius ad vicem Hiliberti Archicappellani recognovi. Data VII *Calend. Martii anno incarnationis Domini* DCCCCXXXI *Indictione* IIII *anno regni primi Henrici Regis* XIII *actum in Werlaha Civitate Regia in Dei nomine feliciter amen.*

Quam hic Werlam regiam civitatem Rex appellat, ea quoque palatini sedes fuisse perhibetur, post Susatum inter celebres Westphaliæ urbes. Quantumque Goslaria in Ostphalia, tantum Werla in Westphalia ab Henrico Rege culta ac frequentata fuit. *Widekind. lib. 1.*

Annus Christi 932.

Joannis XI Pont. 2.
Henrici I Regis Germ. 14.
Unwani Ep. Pad. 17

Inter

Inter hæc tam prospere gesta induciæ cum Ungaris exspirare cœperunt, annusque præsens supererat. Rex qui jam Saxoniam non modò exercitam bellis, sed victorijs etiam adversus Barbaros animatam habebat, maturo quoque consilio ac providentia bellum Ungarorum tractare cœpit, sat gnarus, gentem superbam & ferocem, evoluto novennio, aut tributum exacturam, aut bellum illaturam; alterum fœdum Saxonico nomini, alterum calamitosum fore, nisi arma opponant armis, & hanc gentem non secus ac Sclavos à cervicibus depellant. Quam in rem hoc anno duplicem conventum habuit, alterum procerum & populi Saxonici; in quo Rex multis disseruit de bello adversus Ungaros suscipiendos scire ipsos, qua Dei benignitate secundis prælijs primum Sclavi Dalmantici, tum Bohemi, post Retharii, ac demum omnes barbarorum gentes debellatæ & tributariæ factæ sint: super esse Avaros Hunnosque superbissimam & infestissimam christianæ religioni gentem, quæ evolutis induciis tributum exactura. Quid hic agam? inquit, vosne ego ac filios filiasque vestras spoliabo, & ærario Barbaros implebo? id si fecero, ac nuda tantum corpora vobis relinquam, an Barbarorum horum cupiditas explebitur? & templa & aras spoliabo, & omnem sacræ Ecclesiæ thesaurum insumam, ut nostris opibus ditatus Barbarus nos eo cupidior & potentior expugnet, & in servitutem deprimat? Liberæ gentis nati sumus, quorum majores, cùm Barbari adhuc essent, tot annis pro libertate contra potentissimos Reges & nationes pugnârunt; Nos qui christiani jam sumus, libertatem christianæ religionis subjiciemus Barbaris? Nos qui omnes circum barbaras gentes tributarias fecimus, barbaris Ungaris tributarij erimus? Deus supremus ille cæli terræque rector, qui de ceteris barbaris nobis triumphum dedit, ab horum quoque servitute liberabit, itaque victores faciet, ut cùm auditum fuerit Ungaros à Saxonibus vinci posse, etiam Itali, Bavari, Alemanni, Franci Orientales, & Galli, quorum regiones aut liberè percurrunt prædones, aut sub jugo premunt, etiam nostro exercitu discant vinci posse, & hanc tandem pestem ex visceribus Ecclesiæ ejici.

Henricus R. adversus Ungaros se suosque armat animatque.

Multa cum in hanc rem prolocutus esset Rex, omnis Saxoniæ populus, inquit Widekindus Corbeiensis, primum voce, dein dextera in cœlum sublata, Regi fidem & omnem opem adversus Ungaros juravit; tantummodo bellum Rex instruat, nihil sibi ex omnibus fortunis tam earum esse, quod non cum corpore & sanguine offerant.

Alter quem Rex petijt, Episcoporum conventus Erfurti fuit, cui & Unwanus Episcopus noster interfuit. Intelligebat nimirum sapientissimus Rex, quod in diplomate Herivordiensi supra professus est, has Barbarorum vastationes esse flagella Dei, quibus peccata cleri populiq; castigantur. Igitur ad placandum numen voluit sacrorum Antisti-

Synodus Erfurtensis Henrici Regis curâ celebrata.

Antistites convenire, eaq; cognoscere & sanioribus legibus emendare, quibus ira numinis provocetur: ipse vero Rex promisit se sacrorum munerum nundinationes ex Simonis hæresi natas sublaturum. Igitur ut ipsam synodi præfationem hic introducam: *Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi nongentesimo trigesimo secundo, anno etiam Domini Henrici Regis Christianissimi decimo quarto, indictione quinta, sub die Calendarum Juniarum congregata est apud Erpesfurd sancta et universalis synodus, ut Rex sapientissimus cum concilio primatum suorum decrevit, inspirante omnium salvatoris clementia, pro utilitate et statu sanctæ matris Ecclesiæ. Cujus Regis solertiam prudentissimi viri Hildiberti Archiepiscopi* * *gubernabat. Considentibus verò religiosissimis sacerdotibus, id est, Ruidgero sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Unni sanctæ Hamburgensis Ecclesiæ Episcopo, Adalguardo Fardunensis Ecclesiæ Episcopo, Rino Argentinæ civitatis Episcopo, Nodingo Constantinæ Ecclesiæ Episcopo, Unvvano Paderbornensis Ecclesiæ Episcopo, Bernardo Halberstadiensis Ecclesiæ Episcopo, Othilrico Augustodunensis Ecclesiæ Episcopo, Burchardo Wirtzeburgensis Ecclesiæ Episcopo, Duodone Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopo, Rumaldo Mimigernafurdensis Ecclesiæ Episcopo, Eburgiso Mimidonensis Ecclesiæ Episcopo: nec non et Abbatibus, aliisq; sacri ordinis viris.* Canones qui in actis conciliorum recitantur, pro christiani populi correctione sanciti sunt. Meminêre quoq; hujus synodi alij scriptores; à quibus tamen perperam ad annum 936 refertur. Falliturq; auctor chronici Mindensis, qui Litharij Episcopatum prorogat in annum 936, quando in hac synodo Ebergisus successor præsens sistitur. His rite constitutis, Rex totus fuit in apparatu belli Ungarici; quæ gens eò formidabilior erat, quòd jam Bojaria, Alemannia, & Francia Orientali dominaretur, atque ipsam Italiam & Galliam percursare ausa esset; tanquam Gothica aliqua aut Wandalica inundatione possessionem sibi intra Imperium vendicaret, ex quo Saxonia sibi tributariam faceret.

** Deest sapientiâ, vel quid simile.*

Herm. cont. in chron. Regin. continuat. Luidprandus

Annus Christi 933.

Joannis XI Pont. 3.
Henrici I Reg. Germ. 15.
Unwani Ep. Pad. 18.

Widekindus lib. I. Flodoardus in chron. Luidprandus lib. 2. Fasti Corbeienses. Sigebertus Otto Frising. Dithm. l. I. Gobelinus in Henrico Reg.

Aderat nunc annus trigesimus tertius supra nongentesimum, idemq; exitu induciarum Ungaros inter & Saxones consfatalis. Ungari igitur missis ad Regem legatis, munera & tributa exposcunt, ausi per minas extremam vastitatem intentare. Quos magnanimus Rex spretos vacuosq; remisit, satis hactenus, inquiens, tributorum pensitatum, Saxoniæ gentem esse liberam. Quibus exacerbati Ungari, contracto ex lectissimis quibusq; suis exercitu innumeræ multitudinis, per Misniam in Thuringiam irrumpunt. Ibi diviso exercitu, altero in Orientalem Saxoniam & Ostphaliam tendunt, Oppidumque Mersburg

burg obsident, eo expugnato, in Ostphalia ferro flammaq; grassaturi; id cùm Wido Thuringiæ præfectus fortissimè tueretur, retardata ea irruptio. Altero exercitu in Occidentalem Saxoniam (Westphaliam) procedunt; quibus primùm occurrit Henricus Rex cum lectissimis Saxonum & Thuringorum copijs, sub capitali pœna evocatis ad castra; rectàq; progressus hostem primo certaminis congressu sternit. Cæsis barbarorum ducibus, cetera turba aut trucidata, aut capta, aut latè per montes & agros dissipata miserabili sorte interijt. Hac victoriâ erectus Rex festinavit cum exercitu in Ostphaliam Mersburgum liberaturus. Barbari cognita suorum clade in Westphalia Regisq; adventu, obsidionem & castra deserunt; collectiq; in unum belli corpus, statuunt meliori fortuna experiri Regis adventantis arma.

Albertus Stadens. in chron. Crantzius l. 3. Saxo. Helmoldus lib. 1.

Henricus R. cæsos Ungaros è Saxonia pellit.

Postquam uterq; exercitus haud procul Mersburgo in conspectum venit, Henricus Rex etsi afflicta esset valetudine, hortatur singulos, simulq; in mandatis dat, ordines servent, nemo alterum velociori cursu prævertat, primum sagittarum ictum objectis scutis excipiant, deinde uno impetu incurrant, priusquam alter sagittarum ictus incuti possit. Christianis tessera fuit Κύριε: barbaris Hui, Hui. Dato signo irruunt Regij prælato vexillo prætorij, cui ab Angeli effigie Angeli nomen erat. Inter cruentam pugnam visus ipse Rex modò inter primos, modò inter postremos obvolitare. Ad quam Regis præsentiam, cùm strenui militis & boni Imperatoris officium exequeretur, tantus Christianorum præliantium ardor consecutus, quo Barbarorum acies inclinata, & in fugam soluta est. Tum verò ingens & cruenta Barbarorum cædes consecuta, qua ad milliare campi cadaveribus repleti. Capta castra prædis opulenta, redempti innumeri Christianorum captivi, cæsa ex prælio xxxvi Barbarorum millia, præter eos, qui aut flumine hausti, aut capti in Christianorum manus venêre. Otto Frisingensis hanc incredibilem victoriam fuisse memorat, qua gloriam nominis per universam Europam sparseritRex. Ita verò utroq; prælio uterque Ungarorum exercitus ad internecionem deletus. Henricus Rex, quòd cælestis auxilij magis, quàm humanæ virtutis victoriam agnosceret, publicas per Regnum gratias Deo persolvi petijt, tributumque, quod hostibus dabatur, in cultum Ecclesiarum & pauperum erogari jussit. Inde pater patriæ, decus Saxoniæ, columen Germaniæ, & Imperator ab exercitu salutatur, fama potentiæ & bellicæ virtutis, gloriæq; per omnes Europæ nationes longè latèque diffusâ.

Flodoardus in chron.

Et verò quod ad hoc celebre bellum præliumq;, Moguntinus & Coloniensis, Unwanus Paderbornensis, ceterique Saxoniæ Episcopi suas copias submisêre nescio, quos etiam Comites & nobiles per licentiam vetustatis introducant, nulla mentio apud scriptores horum tempo-

temporum. Longius abeunt, qui militares ludos, quos torneamenta vocant, ab Henrico Rege institutos scribunt. Utrumq; ad captandam cujusq; familiæ antiquitatem faciunt. Nos his ad Episcoporum memoriam non indigemus, nec his commentis historiam inquinare volumus.

Annus Christi 934 & 35

Joannis XI Pont. 4. 5.
Henrici I Reg. Germ. 16 & 17.
Unwani Ep. Pad. 19 & 20.

Adamus Brem. c. 46. & 7. Helmoldus lib. 1. c. 8. Albertus Stad. in chron. Crantzius in Metrop. lib. 3. cap. 6. Meibomius in diplom.

Henricus R. Danos Imperio infestos compescit.

Continuatis inde victoriarum trophæis, Henricus Rex altero ab hinc anno arma in Sclavos, qui Unerani dicebantur vertit; gentemque illam, quod Christianos hactenus infestasset, hostiliter aggressus, victam prælio, haud secus quàm alias circum gentes, tributariam fecit. Nulla tum barbara gens restabat, quam victor non obtriverat, præter Danos & Nortmannos, gentem hactenus toti Galliæ & Frisiæ ac Saxoniæ Transalbianæ dominantem, & Christiano nomini infestissimam. Imperitabat tum Danis Wormius Rex superbus ac sævus in Christianos, qui non modò Sacerdotes è finibus Regni ejecerat, sed & multos per tormenta in necem adegerat; unumque hoc agebat, ut Christianum nomen ijs in regionibus extingueret. Tanto id indignius tulit Henricus Rex, quanto magis se Deo ex tot cælestibus victoriarum beneficijs obligatum agnovit, ad Christi religionem vindicandam. Igitur postquam 8 Calend. Junij Diusburgi, ubi Rura amnis Rheno se miscet, conventum procerum habuisset, in quo & Unnoni Hamburgensi Episcopo commutationes bonorum consignavit, cum exercitu Albim transgressus, movit in Daniam, primoq; incursu ita Regem perterruit, ut pacem supplex peteret, veritus Regis potentiam, ne Sclavorum & Ungarorum excidio Regnum suum involveret. Inde pristinam Imperij amplitudinem & majestatem repetens, terminos Regni olim à Carolo M. descriptos, apud Egidoram fluvium & Sleswicam urbem esse voluit. Unde & Marchionem constituit, & Saxonum Coloniam Sleswicum reduxit, Christiq; religionem per omnes illas transalbianas regiones liberam esse voluit. Quales tum Reges, aut quam diversa à nostris tempora? quibus cum ipsâ Saxoniâ amissâ, ex omnibus illis provinciis vera Christi religio proscripta exulat. Hac Henrici Regis victoria bellorumque felicitate excitatus Unno Bremensis & Hamburgensis Episcopus, quem Henricus hujus belli hortatorem habuit, ex quo Diusburgi in conventu procerum convenerat Regem, circuire utriusq; diœcesis parochias, sacerdotes imponere, & sparsum gregem colligere ad suas Ecclesias. Inde in ipsam Daniam profectus Gurmium Regem liberè adijt;

Adam. Brem. lib. 1.

Unnonis Episcopi Hamburgensis præclari labores & obitus.

adijt; cujus induratum superstitione animum etsi flectere non licuerit, filium tamen ejus Haroldum opera matris, quæ christiana atq; Angliæ Regis filia erat, ita Christo adjunxit, ut Christianam religionem toto Regno liberam faceret; ideo ipse deinde omnes Daniæ insulas percurrens verbum Dei palam Barbaros docuit, pastoresque gregi cuiq; suo dedit, à quibus plenius in Christi fide exculti sunt. Inde per mare Balthicum transvectus per vestigia D. Anscharij & Remberti Bircam pervenit, quod celebre tum Danorum & Sclavorum emporium erat; ipsam dein Sueciam docendo Christi legem penetravit. Ac postquam intrepido animo barbaros Reges adierat, ac semen christianæ religionis in regno illo jecerat, Bircam reversus non multò pòst inter Evangelij labores istic sanctissimè è vita excessit, Episcopus, quem Crantzius exemplar omnium vocat, ob Christianam animi magnitudinem & fervorem proferendæ religionis, multosq; exantlatos labores, vel eò inter Apostolicos viros à nobis memorandus, quòd ex Corbeiensi apud nos monasterio ad Bremensem Episcopatum evocatus, atque opera Corbeiensium monachorum Septentrionis provincias & regna excoluerit. Quo simul recognoscent mecum Transalbiani Saxones, Dani ac Sueci, per quos viros primam Evangelij doctrinam acceperint, qui modò nec monachi nomen, nec catholici Episcopi sacra ferre amplius possunt.

At priusquam Henricus Rex hanc expeditionem susciperet in Daniam, Unwanus Episcopus Regem adijt, unàq; cum Machtilde Regina Herisiensium Virginum Collegio privilegiorum confirmationem impetravit, quam hîc ex tabulario reddimus. *Herisiensium privilegia confirmantur ab Henrico.*

In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Henricus divina favente Clementia Rex. Noverit industria fidelium nostrorum tam præsentium quam etiam futurorum, qualiter nos per interventum dilectæ conjugis nostræ Machtildis & Vnvvani Paderburnensis Ecclesiæ Episcopi, concessimus sororibus in loco, qui dicitur Heresi, Deo famulantibus, ut in eligendis Abbatissis inter se propria electione juxta pristinum morem fruantur, si talem inter se moribus, scientiaque probatam invenerint, quæ eidem apta dignaque, quantum humana ad id competit fragilitas, dinoscatur. Eorundem igitur petitione auctoritatis præceptum eidem sancto loco fieri decrevimus, quatenus sub nostra defensione cum omnibus ad se justè ac legaliter pertinentibus permaneat. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, aut quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda exigenda aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos, vel ullas seditiones, vel illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea omnia, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Quidquid vero Fiscus sperare potuerit, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ Ecclesiæ perpetualiter concedimus, quatenus melius delectet Dei ancillas in prædicto loco degentes, pro Nobis, Conjuge, Proleque nostra Dei misericordiam exorare. Hæc quippè auctoritas ut pleniorem nec non firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, & ab omnibus fidelibus nostris veriùs credatur, & diligentius observetur, manu nostra propria subter notando firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Datum V Idus Maji, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXV, Indictione VIII, Anno autem Henrici Regis XVI.

Satis ex his opinari fas erit, Unwanum magno apud Regem ac Reginam loco fuisse; quippe, qui non Herivordensibus modò, ut supra relatum, sed & Herisiensibus per Reginam Machtildem tam insignem beneficentiam obtinuit. Nec dubium paria pro sua Ecclesia impetrasse, quæ temporum injuria interciderunt. Ceterum id Herisiense diploma tanti à Virginibus æstimatum, ut postea Othilia Furstenbergica ejus loci Abbatissa Rudolpho Jmperatori confirmandum obtulerit impetrâritque.

A quo etiam Herivordensibus confirmatur facultas eligendi Abbatissam.

A reditu belli Danici Henricus Rex ad preces Machtildis Reginæ Herivordiensium Virginum collegio liberam facultatem eligendi Abbatissam, quam jam ante ab alijs quoque Germaniæ Regibus obtinuerat, hisce tabulis ratam confirmatamque sanxit.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Henricus divina favente Clementia Rex. Si loca ad Dei servitium mancipata in aliquibus fulcimus beneficiis, hoc profecto ad augmentum æternæ speramus esse retributionis & remunerationis. Idcirco noverint omnes fideles nostri præsentes scilicet & futuri, qualiter nos interventu Machtildæ dilectæ conjugis nostræ sanctimonialibus feminis in loco Herivurt nominato Deo famulantibus concessimus, ut in eligendis abbatissis propria electione fruantur. Proinde hoc nostræ auctoritatis præceptum eis inde conscribi jussimus; per quod præcipimus, quatenus ita, ut prædiximus, permaneat. Et ut hoc verius credatur, manu nostra illud firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Data IV id. Oct. anno dominicæ incarnationis DCCCCXXXV, Indict. VIII anno Regni Henrici Regis XVI actum in Alsteti. amen.


Nulla in his tabulis, ut in prioribus, Unwani mentio; nec inde in ullis monumentis antiquitatum hactenus reperimus. Quare cum hoc anno Episcopatum ejus vitamque finimus; eò certiores, quòd auctor vitæ Meinwerci ac ceteri XIX annos in Episcopatu egisse scribant, quos & nos ab exordio ejus, & ordine suo exhibuimus, producendo Episcopatum ejus in XX annum, qui Christi est 935. Quapropter falluntur Gobelinus, Bruschius, Cleinsorgius, Kersenbrochius, alijque, qui anno Christi 930 obijsse tradunt, non satis observantes initia Episcopatus ejus & exitum, cum hoc anno, de quo agimus 935, diploma Herisiense supra allatum adhuc vixisse testetur. Dies mortis ex necrologio Herisiensi certior, in quò XIII Calend. Augusti ex hac vita emigrasse consignatur. Scio equidem nec res ab Unwano gestas, neq; elogia virtutum à priscis scriptoribus ad nos pervenisse; sed jactura ferè eorum temporum omnibus communis, seu scriptorum incuria, seu temporum injurijs. Interim Unwanum præstantem fuisse Episcopum satis testantur, quæ ex synodis & diplomatibus, & Henrici Regis Reginæque Malthildus benevolentia adduximus; tum vel maxime Ungarorum irruptio in Diœcesin, quæ viri religiosissimi patientiam & sollicitudinem pro grege suo multum probavit. Aurea tum adhuc religionis sæcula, cum cleri populique disciplina tam frequentibus severisque synodorum decretis contineretur, ut malis remissisque esse non licuerit.

ANNA-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER IV.

DUDO VII, VOLCMARVS VIII, RETHARIVS IX,

EPISCOP. PADERBORN.



DUDO VII,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 936.

Leonis VII Pont. I.
Ottonis Regis Germ. I.
Dudonis Ep. Pad. I.



ER hæc fortunata Saxoniæ tempora, Unwano subrogatus Dudo Septimus Paderbornensis Episcopus; quem licet in xxv annum Auctor vitæ Meinwerci, Gobelinus, Crantzius, ceterique Scriptores Episcopatum gessisse memorent; neq; tamen hi ipsi, neque Superiorum temporum Scriptores ea nobis de Dudone tradiderunt, quæ nos explicatius ab ijs desideramus. Quare nec origo familiæ, nec vitæ ratio ante Episcopatum, nec consecratio, nec cetera, quæ ab eo specialiter sunt gesta, suppetunt. Unde ea tantùm quæ ex publicis synodis, quibus interfuit, aut quæ in diplomatis, Regumque donationibus & factis, per hanc diœcesin memorabilia sunt, referemus.

Henrici Regis obitus & laus. *Widekind, lib. 1.*

Igitur primo anno, quo Episcopatum adijt, videlicet 936, Henricum Regem amisit. Statuerat Rex, debellatis circum gentibus & in tributum subactis, Romam proficisci, & Caroli M. exemplo tropæa victoriæ S. Petro offerre; cùm paralysi correptus iter intermittere necesse habuit. Pòst ubi in mortem se urgeri sensit, convocato populo, Ottonem filium designavit Regem, &, quia natu maximus optimusque fratrum erat, Francorum imperio præfecit. Testamento deinde facto, & rebus omnibus, quibus animæ consulendum erat, compositis, vi Nonas Julij piè placideque excessit è vita Mimlebiæ in confinijs Saxoniæ & Thuringiæ, magno omnium Episcoporum & populi luctu. Corpus Quidleburgum transvectum, conditumq; in Basilica monasterij ad aram. Castrum, in quo obijt, Machtildis in cœnobium

cœnobium vertit; ipsa deinde mortuo Rege, pijssimam vitam exegit, mater ac nutrix omnium religiosorum hominum & pauperum, eóque ob sanctimoniam vitæ in Divorum numerum relata, sepultaq; Quidleburgi apud Regem in eodem monasterio sanctimonialium Virginum, ab ipsa & Rege condito; cui iam prima quoq; Abbatissa Machtildis filia imposita erat, virgo sanctitatis famâ matre non incelebrior. Adeo Regnum, quod primò tanquam alter Pipinus in familiam suam Henricus Rex intulit, donec Otto filius tanquam alter Carolus M. Jmperatorum dignitatem adderet, à pietate & religione habuit fontem divinæ liberalitatis. Nequid hîc repetam de Ottone, de Ludolpho avo, religiosissimis Saxoniæ Ducibus: aut de ipso Widekindo M. ac familia ejus, ex qua Henricus Rex per Ludolphum, & Machtildis per Theodoricum patrem, ut supra etiam diximus, se refert. Tot ab illa monumenta pietatis, quot collegia, & cœnobia Saxonia Westphaliaque in hunc diem possidet. Non hic omiserim, quod de præclarissimo hoc Rege vetus auctor scripsit. Henricus in factis armorum strenuus, religionis amator, opibus largissimus, inter cetera fundavit in Alemannia ultra xx Ecclesias; quas & abundanter dotavit pro Dominabus secularibus, quæ Canonicæ nominantur, utentes habitu Canonicorum regularium ordinis S. Augustini, nullam religionem professæ: nubunt in Domino, quando volunt; inventæ autem sunt pro sustentatione nobilium pro fide Christi ab infidelibus occisorum, ne talium filiæ cogerentur mendicare, sed in illis monasterijs sustentarentur, cùm ad statum nobilium pertinerent: vitam eligerent, quam vellent: possent etiam ibidem profiteri & perpetuò manere; vel recedendo maritis jungi; quibus inter cetera Quidleburgum esse voluit, uti avus ejus Gandersheimium principale constituit.

Vulgatâ Henrici Regis morte, Proceres utriusque ordinis (quos inter primarij Hildebertus Moguntinus & Rutbertus Trevirensis Archiepiscopi) cum præfectis militiæ Aquisgrani convenêre ad veterem majestatem Jmperij, quam à Carolo M. acceperant, augustali loco Germaniæ asserendam; Ottonemque in solio Carolino collocatum, ut pater moriens designârat, Regem eligunt. Quem deinde Moguntinus Archiepiscopus, pontificali habitu indutus, cum universo sacerdotali ordine, Episcoporum, Abbatum ac cleri, progressus obviam ex palatio deducit ad Basilicam, lævâ Ottonis manum prehendens (nam dexterâ lituum tenebat) postquam mediam Basilicam ingressus substitit, ad populum, qui innumerabilis adfluxerat, conversus, En, inquit, adduco vobis à Deo electum, & ab Henrico patre designatum, nunc verò à cunctis Regni principibus creatum Regem Ottonem: vos si probatis, & fidem illi vestram addicitis, manus attollite. Ad quæ illico populus manus sustulit, & Regem incredibili plausu salutavit. Inde Pontifex cum Rege tunicâ strictâ, more Francorum,

Eligitur Otto in Regem Germaniæ.

Et Aquisgrani inungitur.

corum, induto prosedit ad aram principem, super quam insignia regia, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate posita erant. Restabat consecratio atque unctio Regis; ortáque est lis inter Archiepiscopos, à quo illa perageretur: obtendebat Trevirensis antiquitatis jus, quòd Ecclesia sua à S. Petro fundata esset: Coloniensis consecrationem sibi vendicabat ex loco, quòd intra suam diœcesin esset: cessit uterque per insignem modestiam & pacis studium, Hildeberto Moguntino Archiepiscopo, qui jam inde à S. Bonifacij tempore primus Metropolitanorum Germaniæ censebatur. Mox cinctum diademate complexus Regem Hildebertus Moguntinus & Wigefridus Coloniensis Archiepiscopus chrismate unà consecrârunt. Postquam inunctus Rex, ac ceteri ritus, quos explicatè refert Widekindus, peracti, in alto inter duas columnas marmoreas solio collocant, unde ab omnibus videri, & ipse omnes videre poterat. Finito sacrificio, & divinis laudibus persolutis, Rex ad palatium reductus est à proceribus ad epulum regiâ magnificentiâ instructum; *consedit verò Rex cum Pontificibus*, inquit Widekindus: *Duces verò ministrabant. Lothariorum Dux Giselbertus, à quo omnia procurata erant: Everhardus mensæ praeerat: Herimannus Franco Pincernis: Arnulfus equestri ordini, et eligendis locandisque castris: Sigefridus verò optimus Saxonum, et à Rege secundus, gener quondam Regis, tum verò affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium irruptio interveniret.* Ita verò in hac Regis inauguratione reperta monstratáque est imago quædam ac forma Electorum Jmperij, quæ deinde longè magnificentius à singulorum munere introducta. nam qui Ottoni Regi accumbenti ministrabant, summa erant in Regno Principum capita: Giselbertus Dux Lotharingiæ & præfectus prætorum: Eberhardus, qui mensæ præerat, dux Franconiæ, & Franciæ Orientalis: Herimannus dux Sueviæ: Arnulphus dux Bojariæ, supremus magister equitum: Sigefridus supremus militiæ præfectus per Saxoniam, omnes unius Regis clientes, in unius Regni Germanici incolumitatem cooptati administri. Nec enim Ducatus, Carolinorum & Ottonum imperio, erant hereditarij, sed eos ex beneficio Regum ac Imperatorum, ut præsides ac legati administrabant. Inde necesse habebant Regibus & Imperatoribus provincias ingredientibus annonam præbere. Peractis omnibus, Rex unumquemque regali munere honoravit, populumque dimisit, non ob aliud magis lætum, quàm quòd successorem sortitus, in quo ex virtutum paternarum conspectu omnia fausta speraret.

Meibomius in Notis ad lib. 2. Widekind.

At quo die aut mense hæc Aquisgrani peracta sint, nemo satis prodidit. Conjungit Dithmarus Edithæ Reginæ coronationem, quam Rex fieri voluit. Eò nunc alij Regni Ottonis exordia ab hoc anno; alij, ut Baronius, à sequenti capiunt, uti & ipsa diplomata variant.

variant. Browerus diploma producit in Octobri hujus anni ab Ottone Magdenburgi datum; nos diploma hic sistimus, in quo Otto hunc primum quoque regni sui annum numerat; ut satis appareat inter Julium ac Novembrem menses hanc inaugurationem peractam esse. Nam hoc ipso anno post coronationem in Westphaliam regressus Otto Rex, Werlæ in regia civitate diploma consignavit Volcmaro novo Corbeiæ Abbati, quo privilegia priorum Cæsarum ac Regum confirmantur. Werlæ confirmat privilegia Corbeiensium.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina largiente clementia Rex. Convenit nostræ regali celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, præcipuè, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus. Quoniam hoc et ad præsentem vitam prospere peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquido credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum industria, quia adiens excellentiam culminis nostri Foclmarus venerabilis Abbas novæ Corbeiæ rogavit, ut eidem monasterio talem concederemus libertatem, qualem ab antecessoribus nostris Francorum Regibus accepisse dinoscitur. Cujus petitioni assensum præbentes interventu Conjugis nostræ Reginæ Eadibt, simulque filii nostri Liudulfi, in supra dicto monasterio fratribus Deo servientibus, ejusque martyribus Stephano atque Vito, omnes concessiones, quas anteriorum Regum temporibus habuerint, concessimus; Præcipue ut potestatem habeant inter se, cum necessitas venerit, abbatem eligendi: et ut à nullo Episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimæ exigantur, neque à Comite, vel ex qualibet judiciaria potestate Coloni eorum et Liti ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram advocatis ejusdem loci justitiam facere cogantur, sicut anteriorum Francorum Regum temporibus præfato monasterio concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquidò patet. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmiter habeatur, atque per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini Ottonis  *Serenissimi Regis.*

Adaldat Notarius ad vicem Hildiberti Archicappellani recognovi et ss.
Data XVI *Calend. Novemb. anno incarnationis Domini* DCCCCXXXVI.
Indictione VIIII. *anno autem serenissimi Regis Ottonis* I. *actum apud Werla in Dei nomine feliciter amen.*

Huic alterum accedit diploma hujus anni quo Otto Wigero Werthinensi Abbati privilegia à patre donata confirmat. Rata item habet privilegia Werthinensium.

In

Et Aquisgrani inungitur.

corum, induto prosedit ad aram principem, super quam insignia regia, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate posita erant. Restabat consecratio atque unctio Regis; ortáque est lis inter Archiepiscopos, à quo illa perageretur: obtendebat Trevirensis antiquitatis jus, quòd Ecclesia sua à S. Petro fundata esset: Coloniensis consecrationem sibi vendicabat ex loco, quòd intra suam dioecesin esset: cessit uterque per insignem modestiam & pacis studium, Hildeberto Moguntino Archiepiscopo, qui jam inde à S. Bonifacij tempore primus Metropolitanorum Germaniæ censebatur. Mox cinctum diademate complexus Regem Hildebertus Moguntinus & Wigefridus Coloniensis Archiepiscopus chrismate unà consecrârunt. Postquam inunctus Rex, ac ceteri ritus, quos explicatè refert Widekindus, peracti, in alto inter duas columnas marmoreas solio collocant, unde ab omnibus videri, & ipse omnes videre poterat. Finito sacrificio, & divinis laudibus persolutis, Rex ad palatium reductus est à proceribus ad epulum regiâ magnificentiâ instructum; *consedit verò Rex cum Pontificibus*, inquit Widekindus: *Duces verò ministrabant. Lothariorum Dux Giselbertus, à quo omnia procurata erant: Everhardus mensæ praeerat: Herimannus Franco Pincernis: Arnulfus equestri ordini, et eligendis locandisque castris: Sigefridus verò optimus Saxonum, et à Rege secundus, gener quondam Regis, tum verò affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium irruptio interveniret.* Ita verò in hac Regis inauguratione reperta monstratáque est imago quædam ac forma Electorum Jmperij, quæ deinde longè magnificentius à singulorum munere introducta. nam qui Ottoni Regi accumbenti ministrabant, summa erant in Regno Principum capita: Giselbertus Dux Lotharingiæ & præfectus prætorum: Eberhardus, qui mensæ præerat, dux Franconiæ, & Franciæ Orientalis: Herimannus dux Sueviæ: Arnulphus dux Bojariæ, supremus magister equitum: Sigefridus supremus militiæ præfectus per Saxoniam, omnes unius Regis clientes, in unius Regni Germanici incolumitatem cooptati administri. Nec enim Ducatus, Carolinorum & Ottonum imperio, erant hereditarij, sed eos ex beneficio Regum ac Imperatorum, ut præsides ac legati administrabant. Inde necesse habebant Regibus & Imperatoribus provincias ingredientibus annonam præbere. Peractis omnibus, Rex unumquemque regali munere honoravit, populumque dimisit, non ob aliud magis lætum, quàm quòd successorem sortitus, in quo ex virtutum paternarum conspectu omnia fausta speraret.

Meibomius in Notis ad lib. 2. Widekind.

At quo die aut mense hæc Aquisgrani peracta sint, nemo satis prodidit. Conjungit Dithmarus Edithæ Reginæ coronationem, quam Rex fieri voluit. Eò nunc alij Regni Ottonis exordia ab hoc anno; alij, ut Baronius, à sequenti capiunt, uti & ipsa diplomata variant.

variant. Browerus diploma producit in Octobri hujus anni ab Ottone Magdenburgi datum; nos diploma hic sistimus, in quo Otto hunc primum quoque regni sui annum numerat; ut satis appareat inter Julium ac Novembrem menses hanc inaugurationem peractam esse. Nam hoc ipso anno post coronationem in Westphaliam regressus Otto Rex, Werlæ in regia civitate diploma consignavit Volcmaro novo Corbeiæ Abbati, quo privilegia priorum Cæsarum ac Regum confirmantur.

Werlæ confirmat privilegia Corbeiensium.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina largiente clementia Rex. Convenit nostræ regali celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, præcipuè, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus. Quoniam hoc et ad præsentem vitam prospere peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquido credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum industria, quia adiens excellentiam culminis nostri Foclmarus venerabilis Abbas novæ Corbeiæ rogavit, ut eidem monasterio talem concederemus libertatem, qualem ab antecessoribus nostris Francorum Regibus *accepisse dinoscitur. Cujus petitioni assensum præbentes interventu Conjugis nostræ Reginæ Eadibt, simulque filii nostri Liudulfi, in supra dicto monasterio fratribus Deo servientibus, ejusque martyribus Stephano atque Vito, omnes concessiones, quas anteriorum Regum temporibus habuerint, concessimus; Præcipue ut potestatem habeant inter se, cum necessitas venerit, abbatem eligendi: et ut à nullo Episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimæ exigantur, neque à Comite, vel ex qualibet judiciaria potestate Coloni eorum et Liti ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram advocatis ejusdem loci justitiam facere cogantur, sicut anteriorum Francorum Regum temporibus præfato monasterio concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquidò patet. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmiter habeatur, atque per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annnli nostri impressione signari jussimus.*

Signum Domini Ottonis  *Serenissimi Regis.*

Adaldat Notarius ad vicem Hildiberti Archicappellani recognovi et ss.
Data XVI *Calend. Novemb. anno incarnationis Domini* DCCCCXXXVI. *Indictione* VIIII. *anno autem serenissimi Regis Ottonis* I. *actum apud Werla in Dei nomine feliciter amen.*

Huic alterum accedit diploma hujus anni quo Otto Wigero Werthinensi Abbati privilegia à patre donata confirmat.

Rata item habet privilegia Werthinensium.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Si servorum Dei petitionibus clementer annuerimus, id nobis ad perpetuæ beatitudinis præmia promerenda liquidò profuturum esse credimus. Unde omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostris, præsentibus etiam et futuris, notum esse volumus, quòd fidelis noster Wigger abba monasterii, quod vocatur Werthina, insinuavit celsitudini nostræ, qualiter ipsum monachorum cœnobium sibi commissum à beatæ memoriæ sancto Luidgero Episcopo in propria ejus hereditate fuerit constructum, monachisque contraditum, et gloriosissimorum Regum Ludovici videlicet, filii magni Regis Karoli, et successorum ejus, pro æterna ipsorum omnisque gloriosissimi generis eorum memoria, defensione et tuitione hactenus fuerit conservatum. Quamobrem nostram imploravit clementiam, ut idem monasterium sub nostra tuitione suscipientes, omnes concessiones ab antecessoribus nostris sibi collatas nostræ auctoritatis præcepto firmaremus. Cujus rationabili et justæ petitioni assensum præbentes decernimus atque jubemus, inprimis ut idem monasterium cum omnibus ad se pertinentibus plenissimè immunitatis securitate perfruatur, neque publicis exactionibus, vel quibuscunque modis illorum servi, liti vel liberi à qualibet judiciaria potestate constringantur. Coram advocato eorum, si quid ad inquirendum vel ad corrigendum sit, inquiratur et corrigatur. Præfati monasterii homines ab omni vectigalium inquisitione vel telonii securi consistant præterea, quod aliis quoque monachorum cœnobiis concessum constat, ut ubicunque dominicales mansus habuerint, in quocunque sint Episcopio vel præfectura, seu etiam provincia vel regione siti, in omni regno à Deo nobis collato decimas, quas alii Episcopis solvunt, ad portam monasterii concedimus, et à nemine penitus eas alibi dare cogantur; quatenus inde pro nostra ac totius generis nostri perenni mercede supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur. Insuper etiam eidem fratrum collegio ad eligendum abbatem inter se potestatem concedimus. Abbas illius monasterii ad castra et in hostem ire non cogatur, nisi forte regia liberalitate adjutus copiam quandoque accipiat illud faciendi. Illius etiam regionis Episcopus, si synodalem ibidem conventum vel sermonem facere ad populum destinaverit, de Episcopio illi serviatur; nisi fortè eodem die alia circueundo visitare loca voluerit, tunc benedictionem de abbate non pro debito servitio, sed pro amore suscipiat. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hereditas sancti Luidgeri et propinquorum ejus, ideo liceat abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè ac planè possidere, quatenus eos melius delectet pro nostra et nostrorum fidelium salute ac totius imperii nostri statu divinam implorare clementiam. Hæc auctoritatis nostræ concessio ut firmiorem in Dei nomine obtineat stabilitatem manu nostra eam firmavimus et annuli nostri impressione sigillari præcepimus.

Signum Domini Ottonis  invictissimi Regis

Poppo

Poppo Cancellarius ad vicem Hiltiberti recognovi. Data III Calend. Januarii indictione IX anno incarnationis Domini DCCCCXXXVI, *anno autem primi Ottonis Regis I. actum in Falcheim in Dei nomine amen.*

Annus Christi 937.

Leonis VII Pont. 2.
Ottonis Regis Germ. 2.
Dudonis Ep. Pad. 2.

Multa ac continua exinde per omnem vitam bella, miraq; pro Ecclesia & Imperio gessit; ob quæ cognomento Magnus, post Constantinum & Carolum, appellatus est Imperator. Ex his nos illa contingemus, quæ in Diœcesi hac, aut Westphalia, Dudone Episcopo, gesta sunt; insertis simul diplomatis, quibus tanti principis religio & liberalitas in sacratos Deo homines cognoscetur. Primum Ottoni bellum altero statim regni anno cum Ungaris fuit. Quippe ferocissima gens, postquam per Franciam Orientalem & Alemanniam multas civitates flamma & ferro absumpserat, ultura cladem, quam ab Henrico Rege acceperat, se in utramque Saxoniam effudit; de qua irruptione Widekindus: *Antiqui,* inquit, *hostes Ungari venêre virtutem probare novi Regis. Intrantes autem Franciam statuerunt, si possent, ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens, nihil moratus, cum exercitu valido occurrit illis fugavitque, et à terminis suis abegit.* Latè ac longè in Orientalem quoque Saxoniam irrupisse hostes testantur fasti Mindenses; in quibus memorantur Visbeca & Overkercka cœnobia Virginum vastata. Ac tantus is furor fuit, ut Overkerckanæ Sanctimoniales unà cum clericis, & familiæ omnes contrucidatæ sint, cædesque ea centum & viginti hominum scribatur. Irruptionem in Westphaliam, qua Tremoniam usque pervenêre Ungari, ex priscis eorum locorum monumentis confirmant posteriores scriptores; perhibentque in agro Tremoniensi Ungaros ad internecionem deletos esse ab Ottone Rege. Sanè verò Ottonem Regem hoc anno in Westphalia versatum esse, testatur diploma Werlæ in civitate regia consignatum, quo ad preces Adalgarij Hamburgensis Archiepiscopi antiqua Cæsarum privilegia confirmat.

Cæduntur ab Ottone Ungari, in Saxoniam denuo irrumpentes.

Widekind lib. 2.

Marianus Scotus in chron. qui ad annum 939. hac refert.

Meibomius in notis ad Widekindum lib. 2.

Sub Autumnum in Ostphaliam profectus Rex, exercitu ad Albim traducto; ad Sclavos barbarasque gentes refrenandas. Quo simul tempore Magdenburgensem urbem cœpit præmunire. Nam castrum istic antiquum fuisse à Caroli M. ævo ac bellis, quod in Capitularium libris Magadaburg appellatur, relatum est à nobis in Saxonia christiana. In hanc deinde urbem transtulit ex Frosa oppido Episcopatum, cujus prima fundamenta Carolus M. Schiræ in diœcesi Paderbornensi ad Ambram fluvium posuerat, Otto Rex inde hoc

Subjugantur Bohemi.

anno cum exercitu movit in Bohemiam adversus Boleslaum Regem, hominem ethnicæ superstitionis, qui & christianos dire afflixerat, & Wenceslaum fratrem, virum christianum ac religiosum, perfidè interfecerat; quòd indignè ferret, eum amicitiam cum Saxonibus christianis colere. Et jam Wenceslaus Henrico Regi conjunctissimus erat, cujus auctoritate brachium S. Viti è Corbeia dono acceperat, in ejusque Martyris honorem Pragæ nobilem ædem exstruxerat. Oppugnatus primùm frustra Boleslaus per Esiconem Ottonis ducem; tandem Rex ipse cum exercitu ingressus Bohemiam, victum Boleslaum subegit.

Annus Christi 938.

Leonis VII Pont. 3.
Ottonis Regis Germ. 3.
Dudonis Ep. Pad. 3.

Widekind. lib. 2.

Everhar. Dux Franconiæ ad obsequium à rebellione reducitur.

* *De hac κυνοφορία Otto Frising. lib. 2. in Frid. Barb. Arnoldus Lubec. lib. 7. c. 2.*

Stela *oppidum in ditione Abb. Essend. prope Essendiam.*

Et Tancmarus Ottonis Frater.

Belic. *in Ducatu Westphal. intra Ruram & Luppiam.*

Ab exteris bellis Otto magno Reipublicæ malo ad civilia bella abstractus. Non facilè Rex ex annalium memoria producetur, qui plures regni æmulos sit nactus; quos inter non modò duces Germaniæ & Galliarum Rex, sed & fratres Tancmarus & Henricus. Eò illustrior Ottonis & Saxoniæ gloria, ijsse per calcata rebellium capita. Bellum hoc civile præter chronicorum scriptores multis tradiderunt Widekindus, Luidprandus, Dithmarus, Otto Frisingensis, Gobelinus, alijque eorum temporum auctores. Primus qui in Ottonem ausus insurgere, Eberhardus fuit Franconiæ Dux, Conradi defuncti Regis frater. Is in Saxoniam irrupit; captáque Elmen ad Visurgim urbe, rebellionis initia dedit; quem postquam Otto armis obruit, centum talentis mulctavit. Principes militum jussi canes humeris portare ad regiam urbem Magdeburgum. * Quod dedecoris militaris pœnæque genus apud alios quoque Principes non infrequens. Otto, ut gliscens rebellionis malum extingueret, Stelæ in villa regia Westphaliæ communem procerum populiq; conventum indicit. At post discessum Regis erupêre rebellium consilia cum armis. Princeps conjurationis Tancmarus frater, quem Henricus pater susceperat ex Haduige conjuge, velatâ viduâ, quam ob id dimittere coactus, ducta pòst Machtilde in matrimonium. Hic ob hereditatem sibi præreptam, cum Eberhardo Franconiæ Duce conspirat, collectisque copijs Badelicum in Westphalia haud procul Rudena expugnat, fratremque Regis Henricum, qui in præsidio erat, cum ceteris captivis abducit. Inde majora ausus Eresburgum intra diœcesin nostram occupat, ex eóque latè per Westphaliam prædas agit. Ut verò de Henrico fratre, prædâ videlicet opimâ, securus esset, Eberhardo Franconiæ Duci transmittit; simul ut hunc sibi arctius alligaret. Quæ ubi

ubi Ottoni comperta, cum exercitu ex Bojaria in Westphaliam advolat, castris ad Eresburgum positis. Cives Regis adventu territi portas aperiunt, militemq; intromittunt. Tancmarus consilij inops, ac conscientia facinorum anxius, ad Ecclesiam, quæ loco illo celebris, & à Leone Pontifice, ut Widekindus refert, olim consecrata D. Petro, se tanquam asylum recepit. Insecuti Regis milites, interq; hos primùm Henrici satellites, Domini injuriam ulturi; & quia Tancmarus templum clauserat, vi perfringunt. His angustijs circumventus Tancmarus, armis & torque aurea super aram positis, supplex juxta consistit, ad quem progressus Theodebaldus nothus Cobbonis Comitis, exprobat illi rebellionem in Regem fratrem, interque alterna jurgia vulnus infligit Tancmaro, vicissim Tancmarus Theodebaldo, Eo in tumultu duorumque lucta miles, cui nomen Maincia, foris enixus ad murum, per fenestram aræ obversam vibrat lanceam, quæ in tergum Tancmari perlata hominem extinxit. Haud multò pòst supervenit Rex, & casum fratris ingemuit; nec tamen in auctores animadvertere ausus est, quòd in civili bello periculosum offendere eos, quos fidos habeas. Mox pauca prolocutus in laudem Tancmari, quibus dolorem suum testabatur, vindictam convertit in rebellionis auctores: quos inter Theodoricum cum tribus amitæ filijs strangulari jussit. Quantum nunc falluntur illi, qui hæc Merseburgi in Thuringia volunt acta, nominis ignoratione; locus enim manifestè Eresburgum à Widekindo signatur, castrum vetus in Westphalia & diœcesi Paderbornensi, à Carolo M. expugnatum, in quo Leo Pontifex primam ædem sacram dedicavit; quò Belicâ Tancmarus progressus, non verò in Thuringiam. Idem pòst Mons-Martis dictus, & patrio nomine Marsburg, diversus à Mersburg Thuringiæ urbe & Episcopali sede, quæ tanquam Eresburgi in castro fuit. Ceterum his perculsus Everhardus Dux Franconiæ, hostisque acerrimus Ottonis, Henrico Regis fratri, quem captivum, ut diximus, tenebat à Tancmaro missum, supplex advolvitur, sibiq;, quæ in eum commiserit, ignosci petit; atque ita simul juvenis animum occupat, ut occulto secum fœdere adversus Ottonem Regem devinciat, sat gnarus, quo affectati Regni morbo laboraret Henricus; quòd dicere solitus, sibi Regnum præ Ottone fratre deberi, quòd Otto patre duce, ipse verò Rege patre natus esset, eòque & Machtildis, uti Otto Frisingensis scribit, in Henricum filium propensior. Interim Henricus dimissus ad Ottonem redijt, dissimulatis ijs, quæ cum Eberhardo pactus erat; & perhumaniter ab Ottone exceptus, habitusque est. At non ideo Eberhardus crimen læsæ majestatis diluerat: in hunc cùm Rex arma converteret, interveniente Friderico Moguntino, pœna mortis in exilium commutata fuit, jussusque est Hildesij se continere: nec multò pòst, quæ Regis erat clementia, pristino honori restitutus, Ducatum Franconiæ recepit.

Pœnas rebellionis dat Tancmarus, Eresburgi in templo occisus.

Everhardus denuo cum Henrico Ottonis fratre conspirat.

Idem captus in exilium mittitur; sed brevi pòst Franconiæ suæ restituitur

Felix Ottoniani exercitus cum Hungaris conflictus.

Per hæc intestina bella provocati Hungari infestis agminibus & citatis itineribus in Saxoniam ausi provenire, flamma ferroque barbarum in modum grassando; jamque Schidereburgum, quod Bodæ diœcesis Halberstadiensis adjacet, pervenerant; cum qua Oppidi expugnatione dum hærent, advolat Ottonis Regis exercitus, tantáque strage cædit Barbaros, ex quâ intra triginta posthac annos non fuêre ausi pedem inferre in Saxoniam.

Annus Christi 939.

Leonis VII Pont. 4.
Ottonis Reg. Germ. 4.
Dudonis Ep. Pad. 4.

Rebelles cum Eberhardo Henricus Regis frater, & Giselbertus Dux Lotharingiæ. *Auctores citati.*

Sequitur nunc annus 939 bellis civilibus turbulentissimus, quibus in caput Regis conspiratum. Auctor rebellionis Eberhardus Dux Henricum Regis fratrem, & Giselbertum Ducem Lotharingiæ in Ottonem concitat; ac dum Henrico regnum parare simulant, singuli pro se affectant. Tam infida in scelere societas. Interim larva indutus Henricus, copias & suas & sociorum colligit. Institutum deinde celebre convivium, in quo magna pars nobilitatis attracta in societatem belli; ipse deindè Henricus firmatis per Thuringiam opportunis locis, cum fidis in Lotharingiam digreditur; in qua, Giselberto concitore, rebelles undique copias contrahunt. Quibus compertis, haud segnior Otto Rex exercitum per Westphaliam cogit, quocum ad Rhenum properat. Ausa in hoc transitu Trevirorum urbs imperialis Regi suo portas claudere, confisa præsidio Hageri præfecti. At præsidiarij veriti Regis præsentiam, Urbem ultro dedunt. Rectâ inde Rex ad Rhenum movit, nescius adversam Rheni ripam rebellium copijs plenam esse; qua ignoratione decepti Ottoniani, pars ad Birtam, in oppositâ ripâ vicinum flumen transit. Otto conspicatus eminus trans Rhenum tam instructas acies procedere ad prælium, nec suis se subsidio adesse posse navium inopiâ, quibus ceteras copias transmitteret, inops humani consilij lanceam sacram clavis sacris salutarem defigit in terram, ad quam cum exercitu supplex provolutus Deum cum lacrymis, & sublatis in cœlum manibus precatur, ne militem suum rebellium armis obteri sinat. Inter hæc pugnabant Ottoniani, pauci cum ingenti hostium multitudine, & precante Rege victores, rebellium copias fundunt fugantque. Henricus brachio saucius cum novem suorum profugus in Thuringiam avolat, & Merseburgo se includit; quem Otto insecutus, duorum mensium obsidione capit, & in gratiam recipit. At ferox juvenis immemor beneficij & clementiæ, in Lotharingiam profugit, rursusq; cum Giselberto copias instaurat. Insecutus è vestigio Rex Lotharingiam vastat, ac totam subigit, præter castrum capræ montis, in quod Giselbertus se recepe-

Birtha *Widekindo*, Bierza *Luitprando*, *quod alij* Buricam *Wesaliæ oppositam*, *alij rectius* Birtham *pagum haud procul Sanctis statuunt.*

Cæduntur ab Ottonianis oratione potius Regis, quàm armis.

receperat. His simul angustiis pressus Henricus ad Ludovicum Galliæ Regem profugit, ac spe Lotharingiæ occupandæ, cui jam dudum inhiabat Rex, totam Galliam ad arma concitat.

Annus Christi 940.

Stephani IX. Pont. 1.
Ottonis Reg. Germ. 5.
Dudonis Ep. Pad. 5.

Hinc proximo anno tota Gallia armata in Ottonem consurgit. Rex Galliarum in Alsatiam prorumpit. Omnia primo impetu Gallis læta: Ottoniani aut sedibus ejecti, aut fugati trans Rhenum. At postquam Otto Rex cum selectis copijs è Saxonia occurrit, Galliarum Rex ad famam adventus se in Galliam retraxit. Liberatâ Alsatiâ Otto consultum habuit Brisacum aliasque urbes expugnare, quæ Eberhardi Ducis præsidijs tenebantur. Eò dum omne militiæ robur contrahitur, Eberhardus & Giselbertus novâ per Lotharingiam rebellione concitatâ, coactisque ingentibus copijs, in Saxoniam involant, magnoque dominatu obvia quæque rapiunt. Ad quæ tanta trepidatio consecuta in castris Ottonis ad Brisacum, ut cum Friderico Archiepiscopo Moguntino, & Ruthardo Argentoratensi Episcopo à Regis fide deficerent. At Rex interritus Hermannum ducem Sueviæ cum parte exercitus mittit in Saxoniam; qui indice sacerdote didicit magnam partem hostium transîsse cum præda Rhenum, ipsos verò duces adhuc in Rheni ripa considere, & securos ludere in spoliis miserorum hominum. Igitur Hermannus dux (quod alij Cunoni tribuunt) cum 2000 incurrit in castra epulantium ducum, primoque impetu obvios quosque sternit. Eberhardus Dux multis vulneribus confoditur: Giselbertus in navem prosilit; in qua dum quique se ingerunt, navis onere prægravis cum Duce in medio Rheno mergitur. Tradit Flodoardus Giselbertum conscenso equo in Rhenum se præcipitem egisse, spe forte evolandi, quæ miserum destituit. Ita uno casu duo illa turbulenta capita sublata, quibus Henricus superstes, rebus in hunc modum desperatis, profugit in Galliam.

Otto Gallos ex Alsatia profligat. Auctoritas ciuati.

Duo rebellium capita Eberhardus & Giselbertus subitò oppressi intereunt.

Otto hac cœlestis rursus beneficij victoria lætus, publicas per Germaniam Deo gratias agi voluit; expugnatoq; Briscaco cum exercitu Lotharingiam ingressus, totum illud vetus Austrasiæ Regnum ex integro in potestatem accepit. Proscripti Moguntinus & Argentoratensis Episcopi ob conspirationem cum Giselberto, alterque Fuldam, alter Corbeiam in monasterium relegatus; quanquam haud multò post honoribus redditi. Inde Ludovicum Galliæ Regem ulturus, cum exercitu Galliam ingressus ad Sequanam usque flumen penetravit. Jam tota tremebat Gallia, cùm intervenientibus legatis per

Proscripti ab Ottone præsules Moguntinus & Argentoratensis; at brevi post sedibus suis restituti.

Gallia ad pacem coacta: Henricus in gratiam receptus.

per inducias ad pacem res deducitur. Tum & Henricus frater in gratiam receptus, & Lotharingiæ etiam præfecturâ donatus: tum & Gerberga Ottonis soror, vidua Giselberti, Ludovico Galliarum Regi denupta.

Schildesense Monasterium conditur. Gobelinus Pers. ætat. 6. c. 48. Cleinsorgius ad annum 942.

Hoc præterea anno, quantumvis intestinis armis turbaretur Westphalia, conditum tamen in comitatu Ravensburgensi & diœcesi Paderbornensi Sanctimonialium Virginum monasterium Schildese, haud procul Bilfeldiæ oppido; quemadmodum id à Gobelino Bilfeldiensi Decano, rerumque suarum perito relatum est; quamvis, quis fundator monasterij, nondum explorare licuerit. Id monasterium postea à S. Henrico datum esse Meinwerco Episcopo tempori referemus; modò cum catholicis quibusdam Lutheranæ virgines soluta veteri disciplina incolunt.

Annus Christi 941.

Stephani IX Pont. 2.
Ottonis Reg. Germ. 6.
Dudonis Ep. Pad. 6.

Widekind. lib. 2. An.

Jam Westphalia, extinctis duobus rebellium ducibus, Eberhardo & Giselberto, quieta credebatur; cum Henricus Regis frater in ipsis Saxoniæ visceribus novum belli incendium suscitat. Lotharingiæ quidem ille ab Ottone impositus erat; verùm cùm impotentius ageret in præfectura, ab ipsis Lotharingis haud multò pòst exturbatur. Igitur ad novas turbas conversus sollicitat exercitum, quem Otto Rex ad fines Saxoniæ opposuerat Sclavorum genti continendæ, præfecto Gerone Comite. Hunc quia intellexit ob stipendia tardius persoluta ipsi Regi offensum, eòque pronum ad seditionem, Henricus clanculum sibi reconciliare cœpit. Attracti in conspirationem multi Comites, Bucco, Hermannus, Reinwardus, Wirinus, duo Erici, quorum alter Werlensis Comes, Lotharius avus paternus Dithmari Episcopi Mersburgensis, alijque procerum; hos inter convenerat interimere Ottonem pascha Quidleburgi celebraturum, & Henrico diadema Regni imponere. At, postquam conspiratio per fidos Comites detecta fuit, sumptum de singulis supplicium, ac capite omnes præter Lotharium plexi sunt. Ericus Comes Werlensis, ubi armatos in se venire didicit, à quibus caperetur, pugnando se objecit, dum lancea perfossus caderet. Henricus Regis frater conspirationis totius fax Ingelhemium in arctam custodiam abripitur; qui altero demum anno, dum Rex Francofurti Natalitia Christi ageret, elapsus è carcere, atraque veste indutus supplex Regi ad Ecclesiam procedenti advolvitur, & veniam à Regis clementia impetravit. Inde quietus tandem, & à Rege etiam Ducatu Bojariæ donatus; quem Henrici Imperatoris

Conspirantes iterum cum Henrico capti capiteque plexi.

Henricus è carcere elapsus veniam petit & impetrat.


ris avum adeo exinde Germaniæ fidum habuit, ut arma sua conjungeret Regi adversus Ungaros communesque hostes Regni.

Has inter bellorum turbas Dudo Episcopus Paderbornensis Regem adijt, rogatque ut Herisiensi Sanctimonialium Virginum Collegio omnia privilegia regia auctoritate comprobare velit, quæ raro simul Episcopi elogio tabulis inserto, impetrat; eo enim in diplomate vocat Dudonem *præclarum et venerabilem suum Episcopum, cui pro æterna remuneratione id se debere profitetur*, satisque ostendit spectatæ virtutis fuisse præsulem, ac de se optimè meritum; ut non immerito cum majoribus queri liceat de tam præstantibus Episcopis nihil fere præter nudum nomen in fastis nobis relatum esse; ejus rei gratia ipsas Regis tabulas tanquam testes nobiscum loquentes recitare conveniens erit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, tam præsentes quàm etiam futuri, quod nos pro Dei amore, nostræque animæ remedio, regnique nostri statu, liberalitatis nostræ munere locum Herisi nuncupatum in Episcopio præclari Paderbrunnensis Antistitis, nomine Dudonis, constructum revelavimus, mundeburdum nostrum et immunitatem defensionemque et tuitionem nostram ei impendentes, juxta omnia, quæ eidem monasterio congregationique ibidem Deo famulanti pius genitor noster ceterique antecessores contulêre. Itaque pro æterna remuneratione venerabilis Episcopi nostri, videlicet prælibati Dudonis, flagrationibus obtemperantes, votisque aspirantes decrevimus ante dictæ Sanctimonialibus Ecclesiæ præsens præceptum conscribi, in quo sancimus potestate regia easdem Sanctimoniales licentiam habere cum consultu Episcopi sui eligendi abbatissam, qualem voluerint. Ceterum præcipimus etiam, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, ut quæ deinceps in jura ipsius divina pietas voluerit augeri, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones, vel inusitatas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Hominibus quoque ejusdem monasterii prædictum Mundeburdum, et tuitionem nostram constituimus, ut etiam eorum nulla judiciaria potestate examinentur nisi coram advocato, quem ejusdem loci elegerint Sanctimoniales. De omnibus autem prædictæ Ecclesiæ rebus statuimus, ut eæ fungantur protectione nostra, uti antecessorum nostrorum temporibus eorum functæ sunt defensione. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, quatenus per succedentium temporum curricula fortius credatur, firmiusque observetur, manu propria nostra eam confirmavimus, et annuli nostri impressione corroborari præcepimus.

Approbantur ab Ottone privilegia Virginum Herisiensium.

Signum

Signum Domni Ottonis  *invictissimi Regis,*

*Bruno Cancellarius ad vicem Friderici Archicappellani recognovi. Data IIII Idus Januarii, anno incarnationis Domini DCCCCXLI. indictione * XIII. anno vero regni Ottonis Serenissimi Regis VI. actum in castello regio quod vocatur Dalahem in Dei nomine feliciter amen.*

*al. XIV.

Annus Christi 942.

Stephani IX. Pont. 3.
Ottonis Regis 7.
Dudonis Episc. Pad. 7.

Widekind lib. 2. Regin. conti. Sigebertus. Otto Burgundiam subjugat.

Debellatis obtritisque civilium bellorum hostibus, non modò Lotharingiam adjecit Germaniæ, sed & Burgundiam ingressus Regem cum Regno, ut Widekindus est auctor, in suam potestatem redegit. Ita verò amplificato Regno pacatoque, omne studium convertit sapientissimus Rex in Rempublicam ordinandam; nec alia cura erat, quàm ut pacem bonis legibus Germania haberet florentissimam. Quam in rem, instituto optimorum Cæsarum & Regum, Bonnæ Episcoporum synodum indixit, ad quam XXII Episcopi convenerunt, quos inter Dudonem Episcopum adfuisse verisimile habeas. Verùm ut synodum hanc præclaram, auctor, qui Reginonis chronicon supplevit & Lambertus Schafnaburgensis verbo retulêre; ita cetera desideramus. Præclaram fatentur synodum fuisse, nec tamen ullius præsentis Episcopi nomen, nec res in ea gestas communicare placuit, scriptoribus illis per compendia, posterorum tenebras sectantibus.

Insigne prædium donat Corbeiensibus.

Hoc interim anno Rex ad preces Brunonis Germani fratris Diaconi, quem postea Colonia Archiepiscopum sortita, insigni largitate Corbeienses ad Visurgim monachos locupletavit; tabulas Imileibæ datas hìc exhibeo, quibus Bruno ipse Cancellarius loco Friderici Moguntini Archiepiscopi subscripsit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm et futurorum industria, qualiter nos pro amore Dei precatui fratris nostri Brunonis Diaconi obtemperantes, pro salute nostra in elemosina ejusdem germani fratris nostri, usibus fratrum Corbeiensis monasterii, in honore sanctissimorum Christi Martyrum Stephani atque Viti constructi, proprietatis nostræ centum XX jugera cum XLIII curtibus locis in pago Hesse nominato, in villa Roimereshusun dicta, in Osterbeun marca, in comitatu Allonis, hoc liberalitatis nostræ præcepto jure perenni in proprium donavimus, cum omnibus, quæ infra eandem proprietatem continentur, utilitatibus, mobilibus

bus

bus et immobilibus. Et ut hæc nostræ regalis munificentiæ concessio in Eleemosina antedicti Germani fratris nostri in prælibato loco Deo servientibus inviolabilis perpetualiter perduret, manu nostra subtus illud firmavimus et annuli nostri impressione corroborari jussimus.

Signum Domni Ottonis  *Serenissimi Regis.*

Brun. Cancellarius ad vicem Friderici archicappellani recognovi et ss. Data X Calend. Julii anno incarnationis Domini nostri JEsu Christi DCCCCXLII. *Indictione* * XIII. *anno Domni Ottonis Serenissimi Regis* * VI. *actum in Jmileiba in Dei nomine amen.* *al. XV. *al. VII.

Annus Christi 943. & 44.


Marini II Pont. 1. 2.
Ottonis Reg. Germ. 8. 9.
Dudonis Ep. Pad. 8. 9.

Totus exinde Rex in disponenda Germania, modò Aquisgrani versatus cum Brunone fratre, modò Diusburgi ad Ruræ ostia in Westphalia, ubi celebrem procerum Lotharingorum, Francorum & Saxonum conventum habuit; in quo Ruitbertus Trevirensis & Richarius Tungrensis Episcopi à Conrado Lotharingiæ Duce perfidiæ insimulati, absolutiq; cùm se purgassent: modò rursum Aquisgranum profectus ad eorundem procerum comitia, dissidentem inter se Ludovicum Galliæ Regem, & Hugonem Principem affines suos composuit. Nam uterque Regis sororem in matrimonio habuit, Ludovicus Eresbergam, Hugo cognomento M. comes ac Princeps Galliæ potentissimus Haduigam, ex qua Hugo Capetus Rex Galliarum natus, traducto in nepotes Regno; ita non modò Galliarum Reges paterna stirpe, quæ ab Odone & Ruberto filio Saxonici generis comitibus ducitur, sed materno etiam genere ad Saxones originem referunt, quod omnes nobiscum Galliarum scriptores agnoscunt. *Regino chron.* *Flodoardus in chron.* Dissidentes inter se Ludovicum Regem Galliæ, & Hugonem Principem Otto componit.

Annus Christi 945.

Marini II Pont. 3.
Ottonis Reg. Germ. 10.
Dudonis Ep. Pad. 10.

Altero ab hinc anno Rex in Saxoniam regressus Cassellis Hermannum Sueviæ, & Conradum Lotharingiæ Duces, viros per id tempus bellica fortitudine clarissimos, sibi reconciliavit, & Henricum fratrem, mortuo Bertholdo, Bojariæ Ducem imposuit. At nobis hic annus memorabilis ex diplomate Ottonis, quo ad ipsius Henrici fratris preces Bovoni Corbeiensium Abbati Meppiæ in Oppido jus monetæ & telonij donat. *Regin. chron.* *Sigebertus.* Jus monetæ & telonij datur Corbeiensibus.

Signum Domni Ottonis  *invictissimi Regis,*

*Bruno Cancellarius ad vicem Friderici Archicappellani recognovi. Data IIII Jdus Januarii, anno incarnationis Domini DCCCCXLI. indictione * XIII. anno vero regni Ottonis Serenissimi Regis VI. actum in castello regio quod vocatur Dalahem in Dei nomine feliciter amen.*

*al. XIV.

Annus Christi 942.

Stephani IX. Pont. 3.
Ottonis Regis 7.
Dudonis Episc. Pad. 7.

Widekind. lib. 2. Regin. conti. Sigebertus. Otto Burgundiam subjugat.

Debellatis obtritisque civilium bellorum hostibus, non modò Lotharingiam adjecit Germaniæ, sed & Burgundiam ingressus Regem cum Regno, ut Widekindus est auctor, in suam potestatem redegit. Ita verò amplificato Regno pacatoque, omne studium convertit sapientissimus Rex in Rempublicam ordinandam; nec alia cura erat, quàm ut pacem bonis legibus Germania haberet florentissimam. Quam in rem, instituto optimorum Cæsarum & Regum, Bonnæ Episcoporum synodum indixit, ad quam XXII Episcopi convenerunt, quos inter Dudonem Episcopum adfuisse verisimile habeas. Verùm ut synodum hanc præclaram, auctor, qui Reginonis chronicon supplevit & Lambertus Schafnaburgensis verbo retulêre; ita cetera desideramus. Præclaram fatentur synodum fuisse, nec tamen ullius præsentis Episcopi nomen, nec res in ea gestas communicare placuit, scriptoribus illis per compendia, posterorum tenebras sectantibus.

Insigne prædium donat Corbeiensibus.

Hoc interim anno Rex ad preces Brunonis Germani fratris Diaconi, quem postea Colonia Archiepiscopum sortita, insigni largitate Corbeienses ad Visurgim monachos locupletavit; tabulas Jmileibæ datas hìc exhibeo, quibus Bruno ipse Cancellarius loco Friderici Moguntini Archiepiscopi subscripsit.

Jn nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm et futurorum industria, qualiter nos pro amore Dei precatui fratris nostri Brunonis Diaconi obtemperantes, pro salute nostra in elemosina ejusdem germani fratris nostri, usibus fratrum Corbeiensis monasterii, in honore sanctissimorum Christi Martyrum Stephani atque Viti constructi, proprietatis nostræ centum XX jugera cum XLIII curtibus locis in pago Hesse nominato, in villa Rotmereshusun dicta, in Osterbeun marca, in comitatu Allonis, hoc liberalitatis nostræ præcepto jure perenni in proprium donavimus, cum omnibus, quæ infra eandem proprietatem continentur, utilitatibus, mobili-

bus

bus et immobilibus. Et ut hæc nostræ regalis munificentiæ concessio in Eleemosina antedicti Germani fratris nostri in prælibato loco Deo servientibus inviolabilis perpetualiter perduret, manu nostra subtus illud firmavimus et annuli nostri impressione corroborari jussimus.

Signum Domni Ottonis  *Serenissimi Regis.*

Brun. Cancellarius ad vicem Friderici archicappellani recognovi et ss. Data X Calend. Julii anno incarnationis Domini nostri JEsu Christi DCCCCXLII. *Indictione* * XIII. *anno Domni Ottonis Serenissimi Regis* * VI. *actum in Jmileiba in Dei nomine amen.* *al. XV. *al. VII.

Annus Christi 943. & 44.

Marini II Pont. 1. 2.
Ottonis Reg. Germ. 8. 9.
Dudonis Ep. Pad. 8. 9.

Totus exinde Rex in disponenda Germania, modò Aquisgrani versatus cum Brunone fratre, modò Diusburgi ad Ruræ ostia in Westphalia, ubi celebrem procerum Lotharingorum, Francorum & Saxonum conventum habuit; in quo Ruitbertus Trevirensis & Richarius Tungrensis Episcopi à Conrado Lotharingiæ Duce perfidiæ insimulati, absolutiq; cùm se purgassent: modò rursum Aquisgranum profectus ad eorundem procerum comitia, dissidentem inter se Ludovicum Galliæ Regem, & Hugonem Principem affines suos composuit. Nam uterque Regis sororem in matrimonio habuit, Ludovicus Eresbergam, Hugo cognomento M. comes ac Princeps Galliæ potentissimus Haduigam, ex qua Hugo Capetus Rex Galliarum natus, traducto in nepotes Regno; ita non modò Galliarum Reges paterna stirpe, quæ ab Odone & Ruberto filio Saxonici generis comitibus ducitur, sed materno etiam genere ad Saxones originem referunt, quod omnes nobiscum Galliarum scriptores agnoscunt.

Regino. chron. *Flodoardus in chron.* Dissidentes inter se Ludovicum Regem Galliæ, & Hugonem Principem Otto componit.

Annus Christi 945.

Marini II Pont. 3.
Ottonis Reg. Germ. 10.
Dudonis Ep. Pad. 10.

Altero ab hinc anno Rex in Saxoniam regressus Cassellis Hermannum Sueviæ, & Conradum Lotharingiæ Duces, viros per id tempus bellica fortitudine clarissimos, sibi reconciliavit, & Henricum fratrem, mortuo Bertholdo, Bojariæ Ducem imposuit. At nobis hic annus memorabilis ex diplomate Ottonis, quo ad ipsius Henrici fratris preces Bovoni Corbeiensium Abbati Meppiæ in Oppido jus monetæ & telonij donat.

Regin. chron. *Sigebertus.* Jus monetæ & telonij datur Corbeiensibus.

Oo In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum industria, qualiter Nos per interventum dilecti fratris nostri Heinrici et venerabilis abbatis Bovonis ad monasterium SS. Martyrum Stephani, atque Viti monetam atq; thelonium in loco, meppia nominato, sito inter aquas Emisa et Hasa dictas, in pago Agratingum, in comitatu Duringi Comitis, jure perenni in proprium donavimus. Jussimus quoque hoc præceptum inde conscribi, manu nostra subtus firmatum, et annuli nostri impressione roboratum.

Signum Domni Ottonis  *Serenissimi Regis.*

*Data IIII Calend. Januarii, anno incarnationis Domini DCCCCXLV. indictione * II. anno Domni Ottonis piissimi Regis decimo, actum in Dalahem in Dei nomine feliciter amen.*

* al. III.

Annus Christi 946.


Agapeti II Pont. I.
Ottonis Reg. Germ. II.
Dudonis Ep. Pad. II.

Chron. Mindense.

Vix dum annus se evoluerat, cùm hanc ipsam donationem, rogatu Brunonis Germani fratris, Bovoni Abbati nova beneficentia accumulat, versatusque tum in Saxonia Otto Rex Frosæ, quod oppidum est Notthuringiæ ac celebre, ex quo Otto Rex Vallerslaam Schirensem Episcopatum transtulit. In eo hoc diploma consignatum est.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina auxiliante clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum sagacitas, tam præsentium quam et futurorum, qualiter nos per interventum dilecti germani nostri Brunonis, et venerabilis abbatis Bovonis, ad monasterium SS. Martyrum Stephani atque Viti, quod Corbeia nominatur, bannum super duas Villas Meppium nominatas, sitas juxta fluvium Emisa et Hasa, in pago Agrotingon, in Comitatu Thuringi Comitis, cum moneta et theloneo jure perenni in proprium concessimus: jussimus quoque inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque jubemus, ut nullus judex publicus in locis antedictis ullam insuper exerceat potestatem judiciariam, nisi præfati legitimus advocatus abbatis; mercatum verò constituat publicum in illis ubicunque abbati placuerit locis, pacemque firmissimam teneant aggredientes et regredientes et ibi manentes; eodem modo, sicuti ab antecessoribus nostris Regibus jam pridem aliis publicis mercatorum locis concessum erat. Et ut hæc auctoritas nostra firma et stabilis permaneat, manu nostra firmavimus et annulo nostro insigniri jussimus.

Signum

Signum Domni Ottonis invictissimi Regis. 

Brun. Cancellarius ad vicem Friderici Archicappellani recognovi et ss.
Data III *Calend. Junii, anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXLVI, *indictione* * III *regnante pio Rege Ottone anno* * X *actum Frosæ in Dei nomine feliciter amen.* * al. IV. * al. XI.

Sub initium Maji. Otto Rex Werlis in Westphalia commoratus, egregio liberalitatis diplomate Gandersheimensibus benefecit, in eo, quia Ludolphi Conditoris & majorum pietas recensetur, hic adjungere visum. Liberalitas Ottonis in Monasterium Gandersheimense.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Amen. Otto divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos remunerationis æternæ gratia monasterium Gandersheim nuncupatum in honore S. Mariæ et omnium Sanctorum à nostris constructum progenitoribus, nostri immunitate patrocinii donamus, sanctimonialibus ejusdem Cœnobii electionis arbitrium concedentes, omniaq; à Prædecessoribus nostris Regibus illuc collocata, Ludovico scilicet; prædia in Dengstede et Erike et Blisterstede cum familiis cæterisque omnibus appendiciis in pago Suttburingia, in Comitatu, cui tunc Otto præfuit: et ab Arnolfo proprietates in villa Crucht et Calcheim nominatis illo traditas: et à proavo nostro Ludolpho, qui prælibatum construxerat monasterium, quidquid in confinio villarum infra nominandarum, id est, Gandesheim, Rundina, Doguste, Lankendorpe, proprietatis habuit, datum, et ab ejus conjuge Oda villam in Wansleva cum omnibus jure illuc pertinentibus: est ab avo nostro Ottone villa in Hollenstede cum omnibus appendiciis suis tradita, hoc regalitatis nostræ curtis etiam in Herzebusen et Felberge cum omnibus eò pertinentibus, quas Dominus ac genitor noster Henricus Rex præfato dedit monasterio cum prædio illuc à Domina ac matre nostra Machtilda Regina in Frisia collato, præcepto confirmamus. Tradimus insuper earundem victui Sanctimonialium, quidquid proprietatis hactenus habuimus in villa Mundelingen, in pago Hartberi, in Comitatu Erenfridi. Jubemus quoque ut nullus Comes, vel alius quilibet exactor, judiciariam potestatem, vel freda exigenda seu mansiones, seu paratas faciendas, in omnibus monasterii locis, nisi ex consensu Abbatissæ monasterii ejusdem, habere præsumat. Et homines illius Abbatissæ, seu liberi, seu servi, nulla judiciaria coërceantur potestate, sed in præsentia ejusdem Abbatissæ Advocati eorum rectitudinem acquirant, et ceterorum perficiant. Et ut hæc auctoritas nostra firma permaneat, et per futura tempora à fidelibus nostris melius observetur, manu propriâ subtus eam confirmavimus, et annuli nostri impressione sigillari jussimus. Datum 4 Nonas Maji, anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVI. *Indictione* * II. *anno Domini Ottonis pissimi Regis* XI. *Werlahon in divinitatis nomine.* * al. IV.

Otto adsistit Ludovico Regi Galliæ contra Hugonem comitem. Widekind. lib. 2. Regino Sigebertus Flodoardus Crantz. lib. 3. Sax.

Exin Otto totus fuit in apparatu belli gallici; quâ in expeditione Bovonem Abbatem Corbeiensem unâ cum Friderico Moguntino & Rotberto Trevirensi Episcopis sibi adesse voluit, virum sapientem, & claritudine nominis eminentem, uti Widekindus eum celebrat. Jam à multis annis inter se decertârant Hugo Comes & Ludovicus Rex de principatu Galliæ; fractusque tandem æmuli potentia Ludovicus, ad extrema venerat; cùm per Gerbergam conjugem Ottonis implorat opem. Otto, etsi uterque ex sorore affinis esset, causam Ludovici ex æquo probavit, venitque in auxilium cum exercitu triginta duarum legionum. Quæ postquam Hugo cognovit, præmissis legatis, superbè Ottoni denunciari jussit, una se potione septem Saxonica tela absorbere posse; ad quæ Otto sibi tantam esse multitudinem pileorum fœninorum; quantam nec ipse, nec Pater ejus conspexisset unquam; tantùm moneret milites suos, caveant eos, qui fœnum in cornu gestarent. Omnes quippe Ottoniani, præter Abbatem Corbeiensem, pileos ex stramine contextos gerebant, qui tegmen illud pro galeis satis esse rati adversus Gallos. Otto inde lustrato ad Cameracum exercitu, Galliam ingressus Remos petit: mox in Hugonis terras effusus, Parisios usque vastat, urbemque obsidet; redditàque interim Ludovico urbe Remensi, Lauduno, alijsque castellis, hostiliter Rotomagum progressus Regni proceres Regi suo subegit. Ita victor in Saxoniam redijt, quemadmodum id scriptores nostri referunt.

Initia monasterij Virginum Geseckensium.

Referunt ad hunc annum initia Geseckensis monasterij Sanctimonialium Virginum. Olim locus ille intra diœcesin Paderbornensem, qui pòst commutatione Coloniensi cessit. Conditor Hoholtus in Westphalia Comes, cujus deinde comitatus dono Henrici Imperatoris Meinwerco Episcopo nôstro datus.

Annus Christi 947 & 48.

Agap. II Pont. 2. 3.
Ottonis Reg. Germ. 12. & 13.
Dudonis Ep. Pad. 12. & 13.

Flodoardus in chron.

Otto per hæc, cum pacatissimam teneret Germaniam, frequens in conventibus publicis celebrandis; quorum alterum Francofurti procerum habuit, in eoque Ludovicum Galliarum Regem, cognomento Transmarinum, magnificè excepit; alterum Episcoporum Virduni, cui ex Episcopis transrhenanis interfuit Hildebaldus Mimigarnefordensis Episcopus. At longè illustrior Episcoporum synodus anno consequenti Ingelheimij convocata, qui Christi fuit 948, ex eâque inter Saxoniæ Episcopos præsentem hic sistimus Dudonem Episcopum nostrum.

De

De hac præterea, quæ patres proloquuntur, ita, qui præsens quoque interfuit, Flodoardus; *congregata est synodus hæc ex præcepto Agapiti Papæ in Engulenheim palatio regali in Ecclesia B. Remigii honore dicata, septimo Idus Junii, causâ videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter Regem Ludovicum et Hugonem Principem: inter Artaldum quoque Remensem Episcopum et Hugonem illicite substitutum eidem urbi præsulem. Quæ dissensiones omne perturbaverant regnum Francorum.* Præsedit Marinus Apostolicæ sedis Legatus, & Polimertiensis Ecclesiæ Episcopus. Nihil quoque illa synodo celebrius à multis annis in Germania; ad quam præter Episcopos quinque Archiepiscopi convenerint consederintque, Robertus Trevirensis, Artaldus Remensis, Fridericus Moguntiacensis, Wicfridus Coloniensis, Adaldagus Hamburgensis, Archiepiscopi, quos descripto ordine Flodoardus collocat; in ipsis verò concilij actis primo loco Coloniensis, post illum Moguntinus, Trevirensis, Remensis & Hamburgensis ponitur; post illos Episcopi consedêre, hoc ordine in actis consignato: Richavo Vangionensis Ecclesiæ Episcopus, Geroldus Juvavensis Ecclesiæ Episcopus, Udalricus Augustensis, Bernardus Halberstadiensis, Theodardus Hildineshemensis, Dudo Padebrunensis, Conradus Constantiensis, Starcandus Eistetensis, Reginbaldus Nemetensis, Poppo Wirceburgensis, Adalbero Metensis, Gostinus Tullensis, Berengerus Virdunensis, Baldericus Trajectensis, Wichardus Basileensis, Dodo Osnabrugensis, Eborisus Mimidonensis, Hildebaldus Mimigardevurdensis, Farabertus Tungrensis, Fulbertus Cameracensis, Rudolphus Lugdunensis, Michaël Ratisbonensis, Adalbero Laureacensis, Liopdagus Ripuensis, Oredus Suevicensis, Reginbrandus Arusiensis Episcopi, cum cœtu Abbatum, Canonicorum, & Monachorum; quos alio ordine recensuit Flodoardus. *Residentibus his Episcopis,* inquit idem auctor, *in Ecclesia prædicti loci, post præmissas preces secundum ordinem celebrandi concilii, et post lectiones sacræ auctoritatis, ingressi gloriosi Reges Otto, et Ludovicus simul consederunt.* At postquam Marinus Apostolicæ sedis legatus peroravit, surrexit Ludovicus Rex, multa questus adversus Hugonem de injuriis, quibus ab eo tractatus, ac regia prope auctoritate exutus sit. Quarè primum Patrum decretum fuit Hugonem anathemate feriendum, nisi Episcoporum concilio se sisteret ad satisfactionem. Tantum videlicet ipsi Reges Episcoporum auctoritati & judicio detulerunt, ut ab ijs tanquam supremis Dei arbitris suam causam dijudicari vellent; quod & sæpius dissidentes Francorum Reges fecisse constat ex Nithardo alijsque scriptoribus. Post illa Artaldi & Hugonis dissidentium Episcoporum causa cognita, & Hugo, quòd nulla auctoritate Canonum Remensem sedem invasisset, ac bis citatus superioribus synodis se non stitisset, anathemate damnatur. Quo in concilio cùm Artaldus protulisset

Celebre concilium habitum Ingelheimij.

Annal. Hirsaug. Trithemij, qui hæc refert ad an. 950.

lisset Romani Pontificis literas, voluêre Reges, Otto cumprimis, in theotiscam linguam sibi verti explanarique. Nam, ut de eo Widekindus, *post mortem Edithæ Reginæ, quam hoc anno amisit, cùm antea nescivit literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere, et intelligere noverit. Præterea Romana lingua Sclavonicáque loqui sciebat.* Sunt & alia salubriter decreta ad vitia quædam resecanda, & christianos mores formandos, quæ actis hujus concilij continentur. Soluto Episcoporum conventu, Otto Rex Marinum Apostolicæ sedis legatum secum in Saxoniam deduxit, ubi Fuldensis cœnobij Ecclesiam Ottone præsente Calend. Novembris dedicavit.

Flodoardus Browerus lib. 4. & 2. Antiq. Fuld.

Illustris victoria ab Ottone relata de Danis. *Widekindus lib. 2. Adamus Brem. lib. 2. c. 1. Crantz. l. 3. Sax. c. 25. Albertus Stadensis. Baronius.*

Ab his pacis studijs, Otto multò illustrior bello victoriáque Danica. Ausa omnis gens illa per id tempus, rupto fœdere, quod cum Henrico Patre erat pactum, rebellare; ac postquam superiori anno Sleswicum Christianorum Saxonumq; coloniam everterat; ipsum etiam Marchionem ab Ottone Rege impositum trucidavit; quo furore omnes prope christiani ejecti miserabilem sortem deploravêre apud Adaldagum Archiepiscopum Bremensem suum; is verò cum frequens in aula Ottonis versaretur Regi percarus, hortator accessit ulciscendæ injuriæ. Et Rex postquam barbarum gentis facinus audijt, ex universa Saxonia exercitum contrahit, quo Daniam ingressus Sleswicum, ubi pater Saxoniæ terminos descripserat, pervenit. Inde in intimas Danorum regiones ad mare effusus, omnia ferro flammaque vastavit. Regredienti Ottoni occurrit Haraldus eo nomine sextus Danorum Rex ad Sleswicum cum exercitu navibus exposito, collatisq; signis Dani ingenti strage cæduntur, ceteris, qui superstites, ad naves profugientibus.

Conversio Danorum ad fidem per insigne miraculum à Poppone editum.

Hac victoria subacti Dani certis conditionibus pacem & regnum recipere necesse habuêre, quas inter prima libertas christianæ religionis. Non multò post Haraldus Rex cum conjuge & filio ad baptismum accessit; filium Otto Rex è fonte suscepit. Auctor est Dithmarus Regem grandi miraculo confirmatum in fide: nam cùm Dani pertinaciter pro Diis suis contenderent, Poppo Sacerdos unum Deum assereret, nec disceptationis finis esset; Rex Popponem palam interpellando rogat, utrumne ignito ferro hanc christianorum fidem probare paratus sit; imò, inquit Poppo, ac ferrum candens prehendens tam diu tenuit manu illæsa, donec Rex juberet abjici. Tum Regnum illud in Christi legem transijt, & Dania Cismarina, quam Juttiam dicunt, in tres Episcopatus divisa, Sleswigi Haroldus, Ripæ Liatdagus, Arhusæ Reinbrandus Episcopi impositi; quibus & Ecclesiæ in Scandia & Suconia commissæ. Missi exinde in has transmarinas provincias sacerdotes & Apostolici viri ex clero Bremensi & Hamburgensi, quorum opera gentes illæ Christi fidem acceperunt. Ex his deinde sacerdotibus in Apostolico munere probatis

exer-

exercitisque Episcopi delecti ac creati sunt, consilio & provisu Adaldagi. Vir is erat Apostolici Spiritus, quem ab Adalwardo Verdensi Episcopo & consangnineo hauserat, quem miraculis clarum Evangelij causa ad barbaras gentes profectum perhibent. Ad ejus exemplum, postquam Hildesij in clerum cooptatus, ex eoque ad Bremensem Episcopatum commendatione Ottonis vocatus est, nihil impensius habuit, quàm christianam religionem à majoribus erectam in Daniæ Regno restaurare. Ejus deinde incredibili fervore Nortmanniæ & Sueciæ Regna Christi fidem, Ottone Rege & Jmperatore, magno incremento admisêre. Et per id tempus Episcopi per Saxoniam præstantissimi viri erant, & clerus religione florentissimus; certabantque tum Cathedralia collegia Bremæ, Hildesij, & Paderbornæ scholarum splendore, & virorum eruditorum multitudine.

Annus Christi 949.

Agapeti II Pont. 4.
Ottonis Reg. Germ. 14.
Dudonis Episc. Pad. 14.

Otto dehinc proximo anno Aquisgranum profectus ad publica Regni negotia; tum maximè ad Ludovicum Galliæ Regem & Hugonem inter se componendos; quam ob causam & Gerberga soror Reginaque Galliarum accesserat. Ibi dum pascha celebrat, convenêre Jtalorum, Græcorum, Anglorum aliorumque populorum legati cum muneribus amicitiam petentes. Tanta ejus nominis per universam Europam celebritas erat; quippe qui jam regio nomine Jmperatoriam majestatem gereret; haud secus quàm Conradus Rex & Henricus Pater, quibus ad augustalem dignitatem nihil deerat, nisi quòd à Pontifice Romano coronati non essent. Aquisgrano Rex in Saxoniam redijt; Ubi IV Nonas Julij Quidlenburgi Faraberto Leodiensi Episcopo tabulas donationis Monasterio Eichensi factas consignat. Inde Magdenburgum profectus caput Justini Martyris ac Senatoris Trevirensis Corbeiensibus donat, quod magna celebritate deportatum ad Visurgim & corpori conjunctum; id enim, uti Treviris impetratum, eóque delatum sit, supra diximus. Verisimile habeo, id à Bovone Abbate ejus nominis tertio, impetratum, quem in aula & expeditione bellica Otto frequentem habuit comitem; ac licet is anno superiori excesserit succedente Gerberno; hujus tamen precibus vel alterius promissis ab Ottone concessum. Nam ejusmodi Sanctorum pignora instar thesauri habuêre omnes majores ipsius, faciliusque accipiebant, quàm darent optimis etiam suis amicis.

Otto conatur componere dissidentes inter se Ludovicum Regem & Hugonem Comitem.

Miræus in notit. Belg. c. 50.
Chapeavill. in Episc. Tung.
Fasti Abb. Corb. MS.

Donat Corbeiensibus Lipsana S. Justini M. Senatoris Treverensis.

Annus

Annus Christi 950.

Agapeti II. Pont. 5.
Ottonis Regis Germ. 15.
Dudonis Ep. Pad. 15.

Widekindus lib.3. Bohemos sibi & Ecclesiæ Otto subjugat. *Adamus Brem. lib. 2. & 3.*

Aderat jam annus 950 à Christo nato, quo Boleslaus Rex Bohemiæ, confisus Sclavorum conspiratione, rebellare ausus, & Saxoniæ extrema intentare. Quibus compertis, Otto cum instructo exercitu Bohemiam intravit, famamque adventus celeritate prævertit. Boleslaus conspecta innumera Saxonum multitudine, se & Regnum Ottonis imperio submisit; nec alia conditione accepit Otto, quam ut Christi religionem toto Regno sacerdotibus & incolis liberam faceret. Non id satis erat Ottoni, sed & in ipsos Sclavos arma convertit, atque ut auctor est Adamus Bremensis, Sclavos, quos pater ejus domuerat, tanta potentia constrinxit, ut, quæ pater imposuerat, Ottoni filio penderent, & Christi religionem permitterent.

Annus Christi 951.

Agapeti II. Pont. 6.
Ottonis Reg. Germ. 16.
Dudonis Ep. Pad. 16.

Ottonis pietatem Deus remuneratur amplissimis in hac vita præmijs. *Widekindus lib. 3. Dithmarus l. 2. Regin. cont. Ursberg.*

Quantum Rex Christi religionem inter barbaros, tantum simul Deus familiæ potentiam auxit; nam per id tempus Herimannus Sueviæ dux, unicam, quam habebat heredem filiam Liudolpho Ottonis filio in matrimonium obtulit, quacum totus Sueviæ Ducatus illi cessit. Jam Henricus frater Bojariam adierat, & Conrado generi Lotharingiæ ducatus obvenerat.

Annus Christi 952.

Agapeti II. Pont. 7.
Ottonis Reg. Germ. 17.
Dudonis Ep. Pad. 17.

Regin. Cont. Berengario Italia jure fiduciario ab Ottone redditur.

Regnum dehinc Italiæ adjectum. Inclusa castro tenebatur à Berengario Rege Alheidis Lotharij Regis vidua, Rudolphi Burgundiæ Regis filia; ea cùm Ottonis opem imploraret, cum exercitu Italiam ingreditur, Alheidem obsidione liberat, & sibi matrimonio jungit. Exinde Papiam regiam Longobardorum sedem obsidet; Berengarius vero altero anno sub vernum tempus in Saxoniam secutus. Inde mense Augusto Rex Augustæ Vindelicorum conventum indixit, ad quem proceres Saxonum, Francorum, Bojariorum & Alemannorum convenêre. Jussus in eo Berengarius se, regnumque Ottoni dedere, quod tamen supplici (postquam pater ac filius publicè fidem jurassent) jure fiduciario, mox redditum est. At dum Magdenburgi

burgi versaretur cum Alheide conjuge, eâ in urbe monasterio D. Liudgeri, ac Werthinensibus in eo Monachis donationes fecit; tabulas hîc ex ipsis originum literis exhibemus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes et futuri, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, nec non et patris nostri, ac dilectæ matris nostræ, nec non et aliorum consanguineorum nostrorum, ad monasterium, quod vocatur Helmonstedi, ad nutrimentum monachorum inibi Deo famulantium, omnem decimationem subtus nominatarum villarum cum consensu venerabilis Episcopi Bernhardi, qui nunc Halverstadensi Ecclesiæ praeest, in perpetuum jus donavimus Helmonstedi, Bassalo, et duo Bassalle Sethorp, Wormstedi. Preterea verò quidquid decimationis pertinet ad curtes prædictorum monachorum in præfato Episcopio in proprium concessimus. Jussimus inde hoc præsens præceptum conscribi, manu nostra subtus signari, et annuli nostri impressione corroborari. Otto benefacit Monasterio Helmenstadensi.

Signum Domni Ottonis Serenissimi Regis.



Liudolf Cancellarius ad vicem Brunonis Archicappellani recognovi. Data III *Calend. Majas, anno incarnationis Domini* DCCCCLII.

Indictione * V. *anno Domni Ottonis Serenissimi Regis* XVII. *al. X.

Actum Magathaburg feliciter amen.

Haud multò pòst ex Ostfalia in Westphaliam profectus Rex, Wiedenbrugi ad Amasim fluvium, Idibus Junij, Drogoni Episcopo Osnabrugensi, ob præclara merita, monetæ & telonij jura donat, literis ea super re in hunc modum confectis. *Ertwwins in chron. de Drogone. Crantzius lib. 3. Metrop. c. 25.*

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Otto Dei gratia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium et futurorum industria, qualiter nos pro interventu Venerabilis Episcopi Osnabrugensis Ecclesiæ Drugonis, monetam et mercatum publicum in loco Wyddenbrugge nuncupato fieri concessimus, quod pro remedio animæ nostræ eidem Ecclesiæ, quidquid Fiscus et pars regia inde obtinere poterit sub potestate Episcopi jam dicti, successorumque ejus ordinandum, vel in moneta, vel in telonio, aut in qualibet actione publica tradimus hujus auctoritatis nostræ præcepto, per quod volumus firmiterque jubemus, ut nullus judex de præscriptis rebus habeat ullam potestatem inquietandi, vel quidquam molestiæ faciendi, sed ut præfatæ Ecclesiæ Episcopus successoresque ejus à nobis, nostrisque successoribus hoc inviolabiliter teneant, diligentiusque ab omnibus observetur, annuli nostri impressione sigillari jussimus, manu propria roborantes. Anno Dominicæ incarnationis * DCCCCLII. *Indictione* * IV. *data Idus Junii. regnante Rege Ottone anno* * XVI. Drogoni Ep. Osnabrugensi datum jus monetæ & telonij. *al. X. *al. XVII.

Mense Octobri Rex in Walahausen fundationem Gesekensis monasterij Sanctimonialium Virginum, quod ab Hoholto comite ante sexennium cœptum esse diximus, regali diplomate ratam habuit, quod hic pro veneratione antiquitatis, & majorum religione per Westphaliam contestanda reddimus. Gesekensium Canonicarum Virginum Collegium, ejusq;

Annus Christi 950.

Agapeti II. Pont. 5.
Ottonis Regis Germ. 15.
Dudonis Ep. Pad. 15.

Widekind9 lib. 3. Bohemos sibi & Ecclesiæ Otto subjugat. *Adamus Brem. lib. 2. & 3.*

Aderat jam annus 950 à Christo nato, quo Boleslaus Rex Bohemiæ, confisus Sclavorum conspiratione, rebellare ausus, & Saxoniæ extrema intentare. Quibus compertis, Otto cum instructo exercitu Bohemiam intravit, famamque adventus celeritate prævertit. Boleslaus conspecta innumera Saxonum multitudine, se & Regnum Ottonis imperio submisit; nec alia conditione accepit Otto, quam ut Christi religionem toto Regno sacerdotibus & incolis liberam faceret. Non id satis erat Ottoni, sed & in ipsos Sclavos arma convertit, atque ut auctor est Adamus Bremensis, Sclavos, quos pater ejus domuerat, tanta potentia constrinxit, ut, quæ pater imposuerat, Ottoni filio penderent, & Christi religionem permitterent.

Annus Christi 951.

Agapeti II. Pont. 6.
Ottonis Reg. Germ. 16.
Dudonis Ep. Pad. 16.

Ottonis pietatem Deus remuneratur amplissimis in hac vita præmijs. *Widekind9 lib. 3. Dithmarus l. 2. Regin. cont. Ursberg.*

Quantum Rex Christi religionem inter barbaros, tantum simul Deus familiæ potentiam auxit; nam per id tempus Herimannus Sueviæ dux, unicam, quam habebat heredem filiam Liudolpho Ottonis filio in matrimonium obtulit, quacum totus Sueviæ Ducatus illi cessit. Jam Henricus frater Bojariam adierat, & Conrado generi Lotharingiæ ducatus obvenerat.

Annus Christi 952.

Agapeti II. Pont. 7.
Ottonis Reg. Germ. 17.
Dudonis Ep. Pad. 17.

Regin. Cont. Berengario Italia jure fiduciario ab Ottone redditur.

Regnum dehinc Italiæ adjectum. Inclusa castro tenebatur à Berengario Rege Alheidis Lotharij Regis vidua, Rudolphi Burgundiæ Regis filia; ea cùm Ottonis opem imploraret, cum exercitu Italiam ingreditur, Alheidem obsidione liberat, & sibi matrimonio jungit. Exinde Papiam regiam Longobardorum sedem obsidet; Berengarius vero altero anno sub vernum tempus in Saxoniam secutus. Inde mense Augusto Rex Augustæ Vindelicorum conventum indixit, ad quem proceres Saxonum, Francorum, Bojariorum & Alemannorum convenêre. Jussus in eo Berengarius se, regnumque Ottoni dedere, quod tamen supplici (postquam pater ac filius publicè fidem jurassent) jure fiduciario, mox redditum est. At dum Magdenburgi

burgi versaretur cum Alheide conjuge, eâ in urbe monasterio D. Liudgeri, ac Werthinensibus in eo Monachis donationes fecit; tabulas hîc ex ipsis originum literis exhibemus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes et futuri, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, nec non et patris nostri, ac dilectæ matris nostræ, nec non et aliorum consanguineorum nostrorum, ad monasterium, quod vocatur Helmonstedi, ad nutrimentum monachorum inibi Deo famulantium, omnem decimationem subtus nominatarum villarum cum consensu venerabilis Episcopi Bernhardi, qui nunc Halverstadensi Ecclesiæ præest, in perpetuum jus donavimus Helmonstedi, Bassalo, et duo Bassalle Sethorp, Wormstedi. Preterea verò quidquid decimationis pertinet ad curtes prædictorum monachorum in præfato Episcopio in proprium concessimus. Jussimus inde hoc præsens preceptum conscribi, manu nostra subtus signari, et annuli nostri impressione corroborari. Otto benefacit Monasterio Helmenstadensi.

Signum Domni Ottonis Serenissimi Regis.



Liudolf Cancellarius ad vicem Brunonis Archicappellani recognovi. Data III *Calend. Majas, anno incarnationis Domini* DCCCCLII. *Indictione* * V. *anno Domni Ottonis Serenissimi Regis* XVII. *al. X.

Actum Magathaburg feliciter amen.

Haud multò pòst ex Ostfalia in Westphaliam profectus Rex, Wiedenbrugi ad Amasim fluvium, Idibus Junij, Drogoni Episcopo Osnabrugensi, ob præclara merita, monetæ & telonij jura donat, literis ea super re in hunc modum confectis. *Ertvvinus in chron. de Drogone. Crantzius lib 3. Metrop. c. 25.*

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Otto Dei gratia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium et futurorum industria, qualiter nos pro interventu Venerabilis Episcopi Osnabrugensis Ecclesiæ Drugonis, monetam et mercatum publicum in loco Wyddenbrugge nuncupato fieri concessimus, quod pro remedio animæ nostræ eidem Ecclesiæ, quidquid Fiscus et pars regia inde obtinere poterit sub potestate Episcopi jam dicti, successorumque ejus ordinandum, vel in moneta, vel in telonio, aut in qualibet actione publica tradimus hujus auctoritatis nostræ pracepto, per quod volumus firmiterque jubemus, ut nullus judex de præscriptis rebus habeat ullam potestatem inquietandi, vel quidquam molestiæ faciendi, sed ut præfatæ Ecclesiæ Episcopus successoresque ejus à nobis, nostrisque successoribus hoc inviolabiliter teneant, diligentiusque ab omnibus observetur, annuli nostri impressione sigillari jussimus, manu propria roborantes. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLII. *Indictione* * IV. *data Idus Junii. regnante Rege Ottone anno* * XVI. Drogoni Ep. Osnabrugensi datum jus monetæ & telonij. *al. X. *al. XVII.

Mense Octobri Rex in Walahausen fundationem Gesekensis monasterij Sanctimonialium Virginum, quod ab Hoholto comite ante sexennium cœptum esse diximus, regali diplomate ratam habuit, quod hic pro veneratione antiquitatis, & majorum religione per Westphaliam contestanda reddimus. Gesekensium Canonicarum Virginum Collegium, ejusq;

fundatio ab Ottone confirmatur. *Stangefol. in circ. Westph. ad hunc annum Literæ ex tabulario Gesekensi.*

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis. Otto divina concedente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum industria, qualiter Nos ob amorem Dei, omniumque Sanctorum, interventumque fidelium nostrorum, Hoholti scilicet fratrisque ejus Brunonis, et Friderici, sororisque eorum Wicpurgæ, quoddam monasterium in loco Gisiki in illorum prædio ab illis in honore Dei ejusque genitricis semper virginis Mariæ Sanctique Cyriaci martyris noviter constructum, quia prædictus Hoholt locum simul cum monasterio, ædificiisque præparatis, et omne, quod ejusdem civitatis interioris muri ambitu continetur solum, et omnem terram, quam antea presbyter illius in beneficium possedit, et insuper hobas decem possessas in nostrum mundiburgium accepimus. Brun videlicet frater Hoholti hobas ad idem monasterium quatuor concessit possessas, Fridericus frater ejus hobam dedit unam possessam, Wicpurahc eorum soror sex secundum legem Saxonicam cum manu advocati sui Ekkiberti cum omni integritate ad illud antedictum monasterium tradidit. Loca sic vocata, Spurcka, Hortinghusen, Nuhlotra, Almunderaf, Thirlarun, et quidquid habuit in loco, qui dicitur Anavutto, cum curtibus, ædificiis, mancipiis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, omnibusque ad prædicta loca jure legitiméque pertinentibus. Insuper etiam jam dicta Wicpurahc ad præscriptum monasterium hobas viginti in aliis locis dedit habitatas. Et ea scilicet ratione illi prænotatum de sua proprietate, sicut ante exaratum est, construxerunt monasterium, quatenus prædicta Wipurahc illud Ecclesiastico possideret jure usque ad vitæ illius obitum. Postea quamdiu in eodem monasterio de ipsius ante dicti Hoholt progenie aliqua hujusmodi honoris digna inveniatur, nequaquam alia eligatur, et si nulla, quod absit, per longa annorum curricula de eadem genealogia in eodem monasterio ad præfatum honoris promoveatur gradum fœmina, tunc potestatem habeant de alia inter se nutritam stirpe eligendi abbatissam. Et si iterum de prætitulati Hoholti radice aliqua revirescit mulier in antedicto monasterio nutrita, et si ad hoc digna, de suis parentibus constructum potestativè possideat monasterium. Proinde sancimus monasterium, quod jam in nostram suscepimus tutelam, ut nullus judex publicus, nec aliquis ex judiciaria potestate illud ingredi, aliquid judiciariæ potestatis excercendi, in villis aut aliquibus locis præfatæ collatis Ecclesiæ habeat potestatem, vel in futuro conferendis, nisi ipse Hoholt, quem advocatum usque ad vitæ ejus recessum et post illius obitum ejus, si habeat filium, et sic dum seculum fiat, de illius germine fore disposuimus advocatum, et nec illo, nec aliquo homini potestativa constructione acquisitum nullum inde conficiatur servitium. Et ut hæc nostra auctoritas firmius ab omnibus crederetur hanc chartam jussimus asscribi, annuloque nostro consignari, manuque propria decrevimus corroborari.

Signum Domini Ottonis  *Serenissimi Regis*

Otpertus

Otpertus Cancellarius ad vicem Brunonis recognovi, et subscripsi. Data VII Calend. Novemb. anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCCLII. *Indictione X. anno regni Ottonis Regis* * XVI. *al. XVII. *actum Walahausen feliciter amen.*

Pia familia, quæ tota convenit in hanc congregationem ex paternis bonis tam largè condendam, ex qua prima Abbatissa Wichburgis, seu soror Hoholti Comitis, seu filia, aut neptis ex fratre; Hoholti verò nomen proprium Comitis; quemadmodum comitatus ex nomine Comitum passim consignantur. Quanquam in his Ottonis literis comes non appelletur Hoholtus, ut diversus ab eo videri possit Haholtus, cujus comitatum S. Henricus Meinwerco Episcopo nostro donavit, quod & ratio temporum & loci exigere apparet. Interim Geseka oppidum celebre, in quo nunc Virgines nobiles catholicæ religionis idem Collegium incolunt, olim diœcesis Paderbornensis fuit, donec commutatione pactisque ad Coloniensem transierit; cœpitque hujus Collegij fundatio, Dudone Episcopo nostro. Sed longè clarior Dudonis memoria ex hoc anno Christi 952 in Mindensium fastis; evocatus enim Mindam ad dedicationem Basilicæ, quam Helmwardus ipse Mindensis Episcopus, Dudo Paderbornensis, & Drogo Osnabrugensis Episcopi in honorem Sanctorum Gorgonij, Laurentij, & Alexandri Martyrum solemni ritu, & magno populorum concursu ac lætitia consecrarunt. *Chronicon Mindense à Pistorio editum.* Dudo cum alijs Episcopis consecrat Ecclesiam Mindensem.

Annus Christi 953

Agapeti II Pont. 8.
Ottonis Reg. Germ. 18.
Dudonis Ep. Pad. 18.

Turbida inde per biennium tempora, nec modò Westfaliæ, sed toti Germaniæ calamitosa. Nam quem habebat filium Otto Rex unicum Liudolphum, ex Editha Regina susceptum, conspirârat in patrem, juvenis præcelsâ patris indole (quem jam Regni heredem scripserat coram omnibus Regni proceribus) sed abductus pravorum consilijs; sponte etiam pronus, seu quòd novercam non ferret, seu quòd Henricum fratrem sibi præferendum suspicaretur. Inter conspirantes primùm auctoresque malorum Conradus Ottonis gener & Dux Lotharingiæ; tum Fridericus Moguntinus Archiepiscopus; per hos alij attracti. Conspiratio postquam detecta Regi, dum Ingelheimij versatur, Moguntiam securitatis causa concessit. Ibi verò cùm Fridericum Moguntinum Archiepiscopum conspirationis participem intelligeret, secundo Rheno Coloniam descendit, inde Aquisgranum profectus ad pascha celebrandum. Verùm cùm & istic tutus non esset, ob Lotharingos in ducem suum Conradum pronos, in Westpha- Liudolphus in patrem suum Ottonem conspirat. *Widekind. lib. 3 Regin. cont. Flodoardus Rotgerus in vita Brunonis. Sigebertus. Urspergensis.*

Westphaliam se contulit ad Saxones, fidam patriamque gentem; quos inter Tremoniæ pascha celebravit. Hîc postquam è gente sua exercitum contraxit, filium & generum hostes declarat, nisi scelerum auctores prodant. Inde Frislariæ comitia indicit, in quibus Moguntinus Archiepiscopus proscriptus Brisacum profugit. Liudolphus & Conradus Moguntiam occupant; eò cum exercitu Saxonum insequitur Rex, urbemque obsidet; quam dum premit, Liudolphus in Bavariam profugus, Arnulphi proditione, Ratisbona & Bavaria potitur, direptis Henrici Ducis thesauris, qui Ottoni fratri aderat. Quo comperto, in Bavariam properat Otto, & Ratisbonam cingit obsidione; ubi cùm per hyemis incommoda miles diflueret, in Saxoniam ad instaurandum copias regressus est. Moritur subinde Wigfridus Coloniensis Archiepiscopus, fide in Regem, & religione in Deum celebris, in cujus locum, postulante clero ac populo, subrogatus Bruno Regis frater, sapientia, integritate vitæ, atque omnium virtutum ornamentis præstantissimus Antistes.

Moritur Wigfridus Archiep. Coloniensis, cui succedit Bruno Ottonis R. frater.

Opportunè hac tempestate belli à Deo obtigit Regi Bruno. Nam exauctorato Conrado genero ob rebellionem, Ducatus Lotharingiæ, datus Brunoni Archiepiscopo ab Ottone Rege. Tum Bruno pro auctoritate Archiepiscopi & Ducis Aquisgrani indicere procerum comitia, rempublicam totius Austrasiæ continere in fide, conjungere animos & arma populi pro salute Regis, & sapientissimè utrumque munus Pontificis ac Ducis explere. Scio equidem ab heterodoxis nostrorum temporum reprehendi Ottonem Regem, quòd hæc duo conjunxerit in fratre suo; & Brunonem perstringi, quòd primus admiserit utramque dignitatem, Episcopi scilicet & politici Principis; secus quàm institutio sacerdotis patiatur. Sed jam satis responderunt ad hasce inanes querimonias Widekindus & Rotgerus in rebus gestis Brunonis, alijque veteres eorum temporum scriptores, qui Brunonem exemplo Samuelis principatum cum sacerdotio gessisse docent; quod & Melchisedechum sacerdotem, & Moysen Pontificem, & Machabæorum duces ac reges fecisse constat, & jam ex omni legis statu hujusmodi exempla suppetunt. Quemadmodum etiam ab exordio Regni Francici Episcopi consederunt cum Regibus in conventibus publicis Principes, Administri, Judices & Moderatores Reipublicæ. Quo instituto Carolus M. & ab eo ceteri Imperatores ac Reges eodem honore ac munere dignati ante Duces suos, Marchiones ac Comites in comitiis Imperij Episcopos collocârunt; eóque etiam Episcopi diœceses suas, subjectósque sibi homines, & bona Principis potestate administrarunt, antequam ulli in Saxonia aut Germania hereditarij Principes conspicerentur. Hinc Episcopi à Carolo M. constituti ordinarij Missi ac Legati per provincias; hinc Judices civilium etiam causarum, & gravissimarum in Re-

Cui etiam confertur Ducatus Lotharingiæ.

Episcoporum in Germania dignitas bene conjuncta fuit cum potestate Principis.

ges

ges ac Regum filios controversiarum arbitri leguntur in annalibus. Quare magnopere falluntur, qui primam à Brunone hanc politicam potestatem traducunt. Multò quidem melius Episcopis consultum fuisse opinentur, si intra Pontificialia munia sua relicti fuissent; sed ejusmodi tempora inciderunt, ut Principatum cum Sacerdotio pro communi Ecclesiæ bono conjungere necesse fuerit. Sanè Brunonem Sigebertus gloriosum virum ex utroque munere dilaudat: Ursbergensis magna religione & bono Imperii Episcopum & Ducem egisse testatur; quò & Otto Frisingensis alijque accedunt, quod multò æquius ac longè melius scriptores illi censuerunt, quàm hoc seculo (quo hæresis in Pontifices & Sacerdotes concitavit scriptores) hujusmodi per invidiam evulgantur. Tot à Carolo M. Imperatores ac Reges sapientissimi ac religiosissimi hæc Episcopis detulerunt, & qui admisêre Episcopi, haud minus sapientes sanctique etiam viri fuerunt; quæ nunc serò tandem obtrectantur. Sanè fatali nostra ætate, nisi Episcopi Principum auctoritate & potentia se objecissent deficientibus ceteris à religione per Saxoniam & Germaniam Principibus politicis, hæresis totam Germaniam absorbuisset; quod Bellarminus aliorumque sapientum virorum judicium est. Ut divina quadam providentia ex prospectis retro seculis hæc ordinata videri debeant. Sed hæc in Carolo M. planius à nobis asserta sunt.

Annus Christi 954.

Agapeti II. Pont. 9.
Ottonis Reg. Germ. 19.
Dudonis Ep. Pad. 19.

Exactâ inter Saxones hyeme, Otto sub exitum quadragesimæ cum instructo exercitu in Bavariam movit, quam totius Saxoniæ viribus oppugnavit. Bojarij tot malis fatigati pacem petunt, & ad Regis obsequium redeunt. Inde Otto in Saxoniam reducit exercitum, ac Cinnæ prope Magdenburgum procerum comitia indicit, in quibus rebellionum duces, Ludolphum filium, Conradum generum, & Moguntinum Archiepiscopum sistere se jussit. Comparuêre singuli; ac Moguntinus & Conradus pœnitentia supplices in gratiam recepti; Conradus adeo Ducatu sponte se exuit, ut jurârit se avitis tantum prædijs contentum fore, dummodo vita frui liceret. At Ludolphus ceteris obfirmatior è concilio se subtraxit; ac Ratisbonam profugus, rebellionis arma in ea urbe conspirantibus Bojariæ proceribus & civibus instaurat. Insecutus è vestigio Otto Rex urbem obsidet, acerrimè eam propugnante Ludolpho, ac sæpius etiam in castra patris prorumpente; dum postremum urbs fame & obsidionis ærumnis adacta in extremum periculum veniret: tum demùm Ludolphus patri supplex veniam & gratiam rogat; quæ intervenientium

Otto rebelles sibi supplices in gratiam recipit.

Widekind. Regin. cont. Flodoardus.

tium Principum precibus ea lege data, ut Frislariæ se in conventu procerum sisteret, auditurus patris sententiam. Prævertit hæc juvenis, patrem in Saxoniam secutus. Forte Rex venatione se oblectabat, cùm Ludolphus nudis pedibus, & miserabili pœnitentiæ specie, se in terram abjicit ante patrem, clementiam & præteritorum veniam cum lacrymis implorando; quam & pater dedit, ea rursum lege, ut Arnstadij se in comitijs, quæ 16. Januarij sunt habita, se sisteret. In his Ludolpho vita condonata; sed Ducatu Sueviæ exutus est, qui Burchardo Henrici genero datus. Ludolphus pòst Italico bello præfectus; in quo post triennium à Beringario veneno extinctus est (ut creditum fuit) juvenis magnis naturæ dotibus spectatus. Filium reliquit ex suo nomine Ludolphum, ut Dithmarus perhibet, quem Episcopum Osnabrugensem fuisse opinatur, eò quòd Otto II eum consanguineum appellet in diplomate donationis. Adeo præclaram indolem procerum consilia & consortia sæpe corrumpunt. Sed & Deus Ottonem M. haud secus quàm Davidem & Carolum M. & Ludovicum Pium rebellium filiorum experiri mala voluit; ne mirentur optimi parentes, si degeneres etiam filios inter bonos sortiantur. At tanto felicior Otto mox in alio filio. Obijt enim hoc anno Fridericus Moguntinus Archiepiscopus, religione quidem præstans, sed pronus ac levis in conspirantium societatem. In hujus locum Arenstadij, cleri populique consensu, subrogatus Wilhelmus, ex Ethida Regina Ludolphi frater, juvenis quidem, sed maturâ probitate ac sapientia, & præclarissimus inde per omnem vitam Episcopus. Ita Otto Rex duos simul Archiepiscopos, fratrem ac filium, hunc Moguntinum, illum Coloniensem, fidos simul Regni adjutores ac moderatores habuit. Uterque consecratus sacerdos & Episcopus. Quàm præclarè tum agebatur cum religione Christiana per Germaniam, cùm M. ille Rex & Imperator Otto fratrem & filium infulis decoratos stare ad aram, & Pontificali ritu sacrificium missæ offerre, regiamque familiam majestate regalis Sacerdotij exornari videret?

Wilhelmus Ottonis filius fit Archiep. Moguntinus.

Serrarius in Friderico. Bruschius. Dithm. lib. 2.

Annus Christi 955.

Agapeti II. Pont. 10.
Ottonis Reg. Germ. 20.
Dudonis Ep. Pad. 20.

Annus insequens à partu virgineo 955. multò illustriorem vidit Ottonem. Nam qui superiori anno à Conrado Duce introducti erant ad Wormatiam per Rhenum Ungari, Lotharingiam penetrârant, omnia latè depascendo; hoc anno prædæ dulcedine illecti tanta multitudine se in Bavariam effuderunt, ut nullis humanis viribus ejici posse viderentur, nisi aut terra eos absorberet, aut cœlum obrueret. Jam toti Germaniæ extremum exitium imminere videbatur,

Widekind9 Otto Frising. Flodoardus. Rotgerus in vita Brunonis. Herm. Contr. Ursberg.

batur, Sclavis præterea ad Albim incurrentibus. Otto Rex tam atroci famâ commotus, exercitum Saxonicum bipartitò divisit, alteramque partem Slavis opposuit, duce Gerone viro fortissimo; & multis victorijs Slavorum claro; cum altera parte in Bojariam profectus, Augustæ Vindelicorum castra posuit; ad quæ, ut edixerat, omnes Regni copiæ confluxerunt: tres videlicet Bojariæ legiones, quibus Henricus frater Dux Bojariæ præerat; quarta legio Francorum Orientalium erat, Conrado Lotharingiæ Duce, qui vitam penitus devoverat pro salute Regni; quinta legio, quæ omnium validissima erat Saxonum, quâ Rex ipse stabat in media acie; sexta ac septima legio, quæ Suevorum erat, stabat sub Burchardo Sueviæ Duce; octava Bohemorum, quæ impedimentis servandis relicta. Rex priusquam in prælium iret, jejunium indixit, votumque concepit condendi Episcopatûs Mersburgensis, honori D. Laurentij, quod eo die pugnandum. Inde arma instruxit, gladioque & clypeo sacráque lanceâ armatus, ac vexillo Angeli prælato, legiones ducit in barbarum hostem, qui jam Lycum fluvium transierat. Stabat ex adverso barbarorum acies, immensa hominum multitudine coacta, quantam nemo oculis subjicere poterat. Pugnatum acerrimè haud procul Augusta Vindelicorum, Ungaris à fronte & tergo incurrentibus. Strati ad ultimum obtritique Ungari tantâ clade, ut vix septem barbarorum, quod posteris incredibile fore tradit Otto Frisingensis, superstites evaserint, quos vel acies aut Lycus flumen non absumpserit. Tres Ungarorum duces, quos alij Reges vocant, capti oblatique Ottoni Regi, quos è patibulo suspendi jussit, vultu in Ungariam averso. Non alia pugna victoriáque ad eam diem magis ad posteritatem memorabilis, quâ ita deleti Ungari, qui in quinquagesimum jam annum afflixerant Germaniam, ut nec eos formidarent Germani amplius, nec Barbari illi in Germaniam pedem inferre sint ausi; quibus exinde satis fuit se paludibus, castris & urbibus præmunire, ne à Germanis infestarentur. Ex Ottonianis cecidit Conradus Dux Lotharingiæ, transfixus barbari sagittâ, per guttur illatâ, dum præ æstu loricam solveret. Ita verò sanguine fuso expiavit, quæ hactenus in Regem machinatus fuerat. Otto inde Rex tota Europa celebris, pater Patriæ, & Imperator consalutatus ab omnibus Germanis; cui & hoc anno Otto filius natus ex Alheide Regina ejus nominis secundus, patris in Regno & Imperio successor, quem postea fratri Brunoni, Archiepiscopo Coloniæ, omni pietatis & religionis cultu erudiendum dedit.

Sigebertus. Fasti Corb. MSS.

Otto R. Voto condendi Episcopatus Mersburgensis concepto, insignem de Ungaris victoriam refert.

Annus Christi 956.

Joannis XII Pont. 1.
Ottonis Reg. Germ. 21.
Dudonis Ep. Pad. 21.

Bello

Widekind. Reginon. cont. Flodoard. Rotgerus in vita Brunonis.

Expeditio Ottonis in Sclavos.

Bello Ungarico confecto, Otto triumphans in Saxoniam redijt ad bellum Sclavicum; quod hactenus per Hermannum Belingum, & Geronem, fortissimos per id tempus duces, variâ fortunâ gestum est. Ac Rege quidem accedente cum victricibus copijs, fusi Barbari, captique duo eorum Reges. Inde in quintum annum bellum protractum. Neque aliud magnanimi Regis consilium erat, quàm totam gentem, quam tributariam jam habebat, christianæ quoque religioni victam subigere; quam in rem Magdenburgi Episcopi sedem Metropolim esse voluit, cui Episcopatus per Sclaviam condendos subjiceret. Et jam opus peregisset, nisi civilibus bellis impeditus fuisset. Quod vacui deinde temporis fuit, in ordinanda Republica & pace firmanda posuit, obeundo Saxoniæ Germaniæq; provincias. Eò hoc anno Ingelhemium profectus ad comitia procerum; in quibus Lotharingiæ primores pacem jurare, & obsides dare jussit. Inde Coloniam & Aquisgranum profectus; cum Lotharingi ac veteres Austrasij, Belgæque Saxonum imperio se submitterent. Contra nihil Bruno Archiepiscopus, simulque Lotharingiæ Dux, sollicitiùs agebat, quàm ut regnum illud in fide Ottonis fratris contineret.

Annus Christi 957. 958.

Joannis XII Pont. 2. 3
Ottonis Reg. Germ. 22. 23.
Dudonis Ep. Pad. 22. 23.

Widekind. lib. 3. Regin. cont. Flodoard. Sigebert.

Domantur ab Ottone Sclavi.

At Otto Rex in Saxoniam reversus, ad bellum Sclavicum sopiendum, quod duo perfidi Saxones, Wigmannus Hermanni Belingi ex fratre nepos, & Comes Egbertus concitaverant. Sclavi cùm Saxoniam magna trepidatione infestarent, Otto, ducto in eos exercitu, ingenti clade attrivit. Tum verò, ut exemplo severitatis refrenaret gentis audaciam, septuaginta Barbarorum, quos cœperat, capite plecti jussit. Subinde Raginarius Comes, homo ferox & turbulentus Lotharingiam rebellium armis divexabat. Quam ob rem Otto ex Saxonia ad Rhenum digressus, Ingelhemiij pascha celebrat. Convocata per sacros dies XVI Episcoporum synodus, in quâ Heroldus Salisburgensis Archiepiscopus jam antè ob conspirationem cum Ungaris proscriptus, Episcopatu est exutus, subrogatusque in ejus locum Fridericus Archiepiscopus. Dolendum ex tot scriptoribus, qui hanc Synodum tradiderunt, ne vel unum Episcoporum nomina, ac res præterea in ea gestas coram Ottone Rege consignasse. Ingelhemio rursum Rex hoc anno secundo Rheno Coloniam descendit ad comitia procerum. Inde mense Junio in Westphaliam profectus, Paderbornam venit, urbemque hanc nostram præsentia sua & liberalitate illustravit; id quod diploma Gesekensium Virginum hîc consignatum satis testabitur.

Novis censibus donantur Canonicæ Gesekenses.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente gratia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet et futurorum, qualiter nos ob remedium animæ nostræ, ad interventum dilectæ conjugis nostræ Adelheidæ, et amantissimi fratris nostri Brunonis Archiepiscopi, Sanctimonialibus, Deo, sanctæ quoque Mariæ semper Virgini, et S. Cyriaco devotè servientibus, ad usum illarum in proprium donavimus, quidquid malburæ in Giski marca habuimus, in quibuscunque rebus nostræ regiæ potestati subjaceret, prædictis Virginibus in loco Giski Deo devotissimè servientibus in proprium tradidimus jure perpetuo tenendum. Et ut hujus chartæ corroboratio omni tempore firma stabilisque permaneat, jussimus eis hoc præsens præceptum conscribi, et annuli nostri impressione muniri, manuque propria signavimus.

Signum Domni Ottonis  *invictissimi Regis.*

Liudulfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicancellarii recognovit.

Data VII Cal. Julii Anno Dominicæ Incarnationis 958 Indictione I. regnante piissimo Rege Ottone anno 23. actum Paderbrunnen.

Optandum scriptor aliquis tradidisset, quâ Episcopi populique lætitiâ Otto Rex Paderbornæ exceptus fuerit, aut quæ Rex in ordinando Westfaliæ statu egerit; sed ejusmodi multa antiquitas ignorare voluit.

Annus Christi 959.

Joannis XII Pont. 4.
Ottonis Regis Germ. 24.
Dudonis Ep. Pad. 24.

Consequenti adhuc anno 959 Otto Rex transgressus Albim, bellum Sclavicum majoribus, quàm unquam, viribus suscepit, ad gentem illam toties infestam Christianis ac rebellem perdomandam. Quo in bello dum victor Sclavorum regiones subigit, mittuntur ad Ottonem Regem Legati ab Helena Rugorum, seu ut Lambertus Schafnaburgensis, Russorum Regina, petitum Episcopum cum presbyteris sibi submitti, à quibus subjecti sibi populi Christi religionem doceantur; nam ea jam Constantinopoli ritu Christiano per baptismum abluta, Christi fidem susceperat. Otto lætus eâ legatione Adalbertum monachum Ordinis D. Benedicti, virum eâ tempestate celebrem & ferventem, seu Treviri ex S. Maximini monasterio, ut Browerus; seu ex Corbeia nostra, ut alij opinantur, evocatum, in Russiam destinat. Magno ille labore & progressu rem aggressus; at dum barbara gens, dæmonum instinctu, virum sanctissimum ejiceret, atque ille per alias provincias Apostolicos labores continuaret, haud multò post ex Ottonis voluntate primus Magdenburgensium Archiepiscopus

Russorum Reginæ mittitur Episcopus S. Adalbertus.

scopus creatus est. Vir admirabilium virtutum, qui multis ærumnis, exercitus, ob vitæ sanctimoniam Divorum numero adscriptus colitur.

Annus Christi 960.

Joannis XII Pont. 5.
Ottonis Reg. Germ. 25.
Dudonis Ep. Pad. 25. & ultim.

Adamus Brem. Helmold. lib. 1. c. 9. Albertus Stad. in chron.

Subjugantur Sclavi, & Christiana religio in illorum regionibus amplificatur

Otto dehinc Rex bello extremis viribus Sclavis incumbens, totam gentem sub jugum misit; cúmque illi se ad tributa ex more persolvenda offerrent, de cetero verò sibi imperium secundum priscas gentis suæ leges permitti peterent, non his contentus Otto Rex, liberam ubique inter eos voluit esse christianam religionem. Tum verò auctoritate Regis ingressi Episcopi & Sacerdotes; tum populus gentilium ingenti multitudine baptismi Sacramento ablutus: tum Ecclesiæ constructæ, Imperijque amplitudo rursum ad eos terminos propagata, quibus à Carolo M. olim circumscripta erat; ut jam verè Rex M. priusquam Imperator, debellatis tot intestinis civilium bellorum hostibus, & barbaris nationibus, diceretur.

Obitus Dudonis Ep. Pad.

Vixit ad hunc annum Dudo Paderbornensis Episcopus; quippe qui Episcopatum suum, quem cum Ottonis Regno auspicatus erat, in annum XXV protraxit; tot enim annos in Episcopatu Auctor vitæ Meinwerci exegisse refert, quem & numerum præfecturæ ejus Bruschius, Gobelinus, Kersenbrochius sequuntur. Quanquam quo anno ingressus Episcopatum, & quo per mortem egressus sit, nullis certis documentis ex illâ antiquitatis caligine adhuc deprehendere licuerit. Quapropter alij anno 955 excessisse è vita tradunt: quibus altius capienda initia; quæ tamen eos, ob Unwani excessum, fefellisse ostendimus. Nos interim hæc in medio relinquimus, dum certiora ex antiquitatum monumentis proferantnr. Neque ulla in re magis, per antiqua Episcoporum Saxonicorum tempora, vacillant fasti eorum, quàm in annis aditi & depositi Episcopatus. Intereà dies, quo excessit è vita Dudo, VII Calend. Augusti in Necrologio Herisiensium notatur. Præsul fuit spectatæ virtutis, quod ex Ottonis diplomate relatum est supra, eòque Regi & Clero & populo suo percarus, ac dignus, cujus res gestas pro hac Ecclesia nobis diligentius tradere poterant Episcoporum fasti.

VOLC-

VOLCMARUS VIII,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 960.

Joannis XII Pont. 5.
Ottonis Reg. Germ. 25.
Volcmari Ep. Pad. 1.

SEquitur nunc octavus, post Dudonem, Paderbornensis Episcopus Volcmarus, quem in XXVII annum præfuisse tradunt scriptores, Auctorem vitæ Meinwerci secuti. Verùm ex quo vitæ instituto, aut quâ familiâ delectus, aut à quo consecratus sit Episcopus, hac super re, ut de superioribus, altum apud illos silentium: ego cùm veteres Abbatum Corbeiensium fastos inspicerem, reperi ad annum Christi DCCCCLXXXIII adscriptum: *Folcmarus Monachus moritur Patharbrunnensis Episcopus*. Ex quo in certam conjecturam veni, Volcmarum ex celebri Corbeiensium monasterio, commendatione Ottonis Regis, delectum esse à clero Episcopum; quando per id tempus frequens fuit Sacerdotes, dicendi docendique populum facundiâ eminentes, ex cœnobijs ad Episcopatum evocare; quales sanè quàm plurimos ex hoc ipso cœnobio Corbeiensi & Fuldensi proferre licebit, etiam pari familiæ nobilitate illustres. Nec anni, quibus præfuisse scribitur, multùm ab hac fastorum chronotaxi discordant. Sed res ab eo gestæ in Episcopatu magis in obscuro jacent. Vixit Ottone I & II. Jmperatoribus, feliciora etiam quàm Dudo Episcopus, sortitus tempora.

Volcmarus ex Corbeiensi monacho Episcop. Paderb.

Annus Christi 961.

Joannis XII Pont. 6.
Ottonis Reg. Germ. 26.
Volcmari Ep. Pad. 2.

Bellis adversus Sclavos confectis, subactisque Danis ac ceteris trans Albim populis, Otto Rex à Joanne Pontifice Romano ejus nominis XII, ac ceteris Jtaliæ proceribus imploratur adversus Berengarij tyrannidem. Rex haud secus quàm olim Carolus M. Pontifici Romano omne præsidium atque opem offert, alteróque post anno,

Otto succurrit Jtalis contra Berengarium.

Regin. cont. Otto Frising. Rotgerus in vita Brunonis. c. 40. Sigonius li. 6. de Reg. Ital.

Christi videlicet 991, ex magno belli apparatu expeditionem in Italiam suscepit: sed priusquam iter ingrederetur sapientissimus Rex, Wormatiæ celebrem Episcoporum & Optimatum conventum habuit, in quo Otto filius ac puer septennis, consensu omnium Francorum Orientalium, Suevorum, Saxonum & Lotharingorum Rex Germaniæ delectus. Mox Aquisgranum est digressus; ubi ipso die Pentecostes Otto filius solemni pompa ac ritu à tribus Archiepiscopis, Brunone Coloniensi, Wilhelmo Moguntino & Henrico Trevirensi Rex inunctus & coronatus est. Inde Rex transito Rheno, in Saxoniam digressus, ad utriusque provinciæ Westfaliæ & Ostfaliæ negotia ordinanda, circumspectis diligenter omnibus, Hermannum Bellingum, virum ea tempestate belli pacisque artibus egregium, totius Saxoniæ gubernatorem renunciat; cui & omne militare imperium adversus Danos & Sclavos commissum, ne quid per absentiam suam Barbari molirentur. Additus est illi Gero Marchio, fortissimus miles, multisque Barbarorum victorijs clarus, uterque insigni simul religione in Deum & Ecclesiæ patrocinium. Filium subinde Ottonem Regem Wilhelmo filio Moguntino, & Brunoni fratri Coloniensi Archiepiscopo committit, quos & vicarios Imperij nominavit. Apparatis omnibus ad expeditionem, ineunte Autumno, iter ingreditur. Adlecti in comitatum ex Saxoniæ Episcopis Adalgarius Hamburgensis & Bremensis Archiepiscopus, Drogo Osnabrugensis, Landwardus Mindensis, & Ottwinus Hildesiensis Episcopus. Nam hi Episcopi cum ceteris Romæ subscripsêre diplomati Ottonis, quo patrimonium S. Petri & jura Ecclesiæ Romanæ confirmavit. Ac priusquam Otto Rex Germaniam egrederetur, Forchemij Landwardo Mindensi Episcopo omnia Ecclesiæ suæ jura regalia egregio diplomate rata habuit, quod ejusmodi est cum præclara testificatione regiæ pietatis.

Ottonis filius Otto II eligitur in Regem Germaniæ, & Aquisgrani coronatur.

Dithm. lib. 2.

Pistorius in privilegiis editis Ecclesiæ Mind. Meibomius in notis ad Widekind.

Mindensis Ecclesiæ privilegia confirmantur ab Ottone.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina propitiante clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, cognoscat industria, qualiter vir venerabilis nomine Landuuardus Episcopus scilicet Ecclesiæ constructæ in honorem S. Petri principis Apostolorum in loco, qui dicitur Mindin, attulit in nostram præsentiam piissimi genitoris nostri cæterorumque antecessorum nostrorum Regum scripta, in quibus continebatur, qualiter ipsi præfatæ Ecclesiæ res, cum omnibus in ipsis rebus consistentibus, sub illorum receperunt mundeburdo, precatusque est mansuetudinem nostram, ut hoc ipsum à nostræ imperialis potestatis consensu fieri non recusaremus. Nos autem ob amorem Dei, et remedium animæ nostræ, ac pii genitoris nostri, cæterorumque antecessorum nostrorum Regum, nec non et pro nostræ mercedis augmento, paternos mores sequentes, et benignitati ejus consentientes, ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu

reliquas

reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ (quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possideat, vel quæ deinceps in jura ejus divina pietas voluerit augeri) ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones vel inusitatas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Hominibus quoque famulatum ejusdem monasterii facientibus, qui saxonicè Malmam dicuntur, prædictum mundeburdum et tuitionem nostram constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo aut advocato, quem ejusdem loci Episcopus elegerit. Quidquid vero Fiscus exinde sperare potuerit, pro æterna remuneratione dictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria continuanda concessimus, et ipse Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio, et sub nostra consistat defensione, quatenus ipsum fratresque ejusdem loci pro nobis, conjuge, proleque nostra Dominum melius jugiterque exorare delectet. Fratribus autem ejusdem loci præfati dedimus licentiam eligendi pastorem inter se qualemcunque voluerint, ita tamen, si talis inter eos inveniatur, qui vita et moribus probatus habeatur. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, jussimus prælibati loci Episcopo hoc præsens præceptum conscribi, manus nostræ inscriptione firmatum subtus, et annuli nostri impressione corroborari, pro Dei amore, et stabilitate imperii nostri, et incolumitate nostra, et æterno præmio præcepimus.

Signum  *Domini Ottonis invictissimi Regis.*

Liutulfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicappellani recognovi et ss.
Data VII Idus. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXI. *Indictione IV. Anno regni Serenissimi Regis Ottonis XXVI. Actum Forchem in Christi nomine feliciter amen.*

Postquam Hatto Fuldensis Abbas Romam præmissus ad paranda hospitia, Rex cum florentissimo exercitu, ad Germanorum potentiam & majestatem Regni sui repræsentandam, per Bojariam & Tridentinas Alpes Jtaliam ingressus, obvios habuit Jtaliæ Episcopos ac Principes cum effusâ populorum multitudine, Regem incredibili plausu excepturos. Ab his Papiam deductus, urbem regiam, nullo obsistente, intravit, Inde Mediolanum est digressus; ubi Episcoporum convocato concilio, Beringario Regnum Jtaliæ abrogatum, delatumque Ottoni; qui mox ab Archiepiscopo in æde D. Ambrosij solemni cæremonia Rex inunctus, & ferrea corona condecoratus. Regnum Jtaliæ defertur Ottoni.

Annus

Annus Christi 962. 963. 964.

Joannis XII Pont. 7. 8. 9.
Ottonis Imp. 1. 2. 3. Reg. 27. 28. 29.
Volcmari Ep. Pad. 3. 4. 5.

Coronatur Imperator Romæ.

Regin. cont. Luidprando Sigonius l. 6. de Reg. Ital.

Post solenne Christi natalitium Papiæ concelebratum, Rex cum lectissimo exercitu Romam pervenit, ad coronam Imperij, à Pontifice promissam, accipiendam. Et jam omnium Romanorum animos accenderat cupiditas visendi Regem, quem tot bellis & victorijs celebrem tota Europa mirabatur: simul antiqua temporis species objiciebatur, quo Carolus M. liberandi Romani Leonis Pontificis causâ, Romam profectus, ingenti totius Romæ atque Italiæ lætitiâ, ex Rege Imperator salutandus, Romanum Imperium renovasset. Igitur admirando occursûs spectaculo ingressus est urbem; quem Joannes Pontifex venientem in gradibus Basilicæ Vaticanæ excepit. Quò ubi pervenit Rex, ad pedes se Pontificis submisit; quem Pontifex amplexus, deduxit in templum, & sacris solemni cæremonia celebratis, inunxit, ac demum imperiali diademate insignivit, acclamante universo clero ac populo Imperatori felicitatem & victoriam. Quo facto, uterque ad aram S. Petri accessit, & solemni se Sacramento devinxit: Imperator, se semper in fide, & auctoritate Romanæ Ecclesiæ futurum, Pontifex, se nullo unquam tempore Berengarij ceterorumque hostium partibus adhæsurum. Felix & ad omnem posteritatem memorabilis annus, quo Imperium Romanum à Francis translatum ad Saxones. Idem post annos centum & sexaginta, dum rursum Imperatoris nomen & majestas collabi cœpta, ejusdem gentis heroës instaurarunt: ut non immerito scripserit Sigonius, Regni Italici & Imperii restituti decus Germanorum beneficio deberi; apud quam exinde gentem in hunc diem Imperij majestas permansit. Otto licet multis negotiis ac turbis Italiæ implicatus, multa interim diplomata regiæ liberalitatis dedit, inter quæ illud magnificum & imperatorium, quo patrimonium S. Petri & Romanæ Ecclesiæ jura, à Pipino Rege & Carolo M. concessa, confirmavit; quod diploma aureis literis exaratum, servatur in castello S. Angeli, quemadmodum & nos ex Baronio & concilijs in Carolo Romano Catholico retulimus. Nec immemor etiam liberalitatis suæ, tabulas Corbeiensibus obsignavit, quas ex ipso autographo hic exhibemus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Notum esse volumus omnibus fidelibus nostris, quod rogatu caræ prolis nostræ Ottonis indulsimus incolis Villæ, quæ dicitur horohusun et adjacens est urbi, quæ dicitur Eresburg, eo jure vivere, et ipsa legitima habere per omnia, quæ Theotmannici habent; nec tamen ulli aliæ potestati subjacere cum suis juribus ac legitimis, nisi cui hactenus paruit, rectoribus scilicet

monasterii

monasterii quod nova Corbeia vocitatur, ad honorem ac servitium Beatorum Martyrum Stephani atque Viti. Et ut hoc firmum sit, et nulli post hæc prævaricari liceat, annuli nostri Sigillo jussimus signari atque firmari, manu nostra subtus signantes.

Signum Domni  *Ottonis Serenissimi Regis.*

Liudulfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovi et ss. Data V. Idus Junii. Anno incarnationis Domini DCCCCLXII. *Indictione* V. *Regni autem Serenissimi Ottonis Regis anno* XXVII. *Actum in Suosaz. in Dei nomine feliciter amen.*

Mansit post hæc in quintum annum Otto Imperator in Jtalia, dum rebus omnibus compositis, Berengarium victum captumque teneret. Una nomini macula aspersa; quòd Joannem Pontificem, à quo inauguratus erat, tum ob conspirationem cum Adelberto Berengarij filio (secus quàm promiserat) tum ob enormia quædam crimina objecta, apud Luitprandum (quæ tamen ab alijs incredibilia habentur) convocato ex tota Jtalia Episcoporum concilio, exauctorárit, ac Leonem Pontificem subrogaverit. Sed extincto haud multò pòst Joanne Pontifice, Romani Benedictum elegêre Pontificem; at verò Jmperator Leonem tutatus, Benedictum in Saxoniam deportari jussit, quem Adalgago Hamburgensi Archiepiscopo custodiendum tradidit, qui in ea exilij urbe obijt, & tumulum adhuc servat. Utrumque Joannem ac Benedictum, verum Pontificem agnoscit Baronius; extra numerum habet Leonem, quòd nullâ legitimâ Jmperatoris & Episcoporum auctoritate introductus. Otto Jmperator artium militarium magis quàm Canonum gnarus, limites suæ potestatis excessit; non hoc Carolo M. æquandus, legum sacrarum peritissimo; Princeps quippe qui à morte prioris conjugis latinas primùm literas didicit; cetera Jmperator religiosissimus, cui per ignorantiam hæc magis condonanda, quàm Episcopis. Nec tamen pœna abfuit, quæ Jmperatoris exercitum pestifera lue magnam partem absumpsit; sed hæc uberius ab alijs scriptoribus relata sunt.

Otto Imp. Joannem Pontif. per Episcopos è sede sua pellit, substituto Leone. *Luitprand.*

Annus Christi 965.

Benedicti V. Pont. 1.
Ottonis Imp. 4. Reg. 30.
Volcmari Episc. Pad. 6.

Parto Jtaliæ Regno, & ad Imperium rursus adjecto, Jmperator sub exitum anni 965. in Germaniam rediit. Venienti in confinia Sueviæ & Franciæ occurrêre duo filij, Otto Rex, & Wilhelmus Moguntinus Archiepiscopus: Wormatiæ accessit Bruno frater, Coloniensis Archiepiscopus, quibuscum Ingelhemium perrexit, & pascha

Flodoardus. eo in palatio celebravit. Inde Coloniam petivit, ubi Machtildis mater, & soror Gerberga Galliæ Regina cum filio Lothario Rege venientem excepêre; omnes hosce, perinde ut Senatores Regni Lotharingiæ, qui ad comitia simul convenerant, regio epulo tractavit Imperator; atque inde in Saxoniam properavit, interque cetera, quæ sapientissimè ordinata sunt, Hermannum Bellingum ob res præclarè domi militiæque administratas è gubernatore ducem Saxoniæ creavit; quæ dignitas apud posteros in centesimum & quinquagesimum annum permansit; sensimque ex temporarijs hereditarij duces emersêre, postquam ob merita parentum principatus permissi filiis. Virum hunc alij quidam ex obscuro loco & tenui fortuna evectum volunt, cujus originem Widekindus & Dithmarus è prima Saxoniæ nobilitate deducunt,

Adamus Bremensis. Helmold. Albertus Stad. in chron. Meibomius in notis ad Widekind. Crantzius Rotgerus in vitâ Brunonis.

Moritur Bruno Archiep. Colon.

Subtractus hoc anno è numero mortalium Bruno Coloniensis Archiepiscopus, magno Imperatoris totiusque familiæ Augustæ luctu, vir omnium Scriptorum elogijs ex omni virtutum aspectu commendatus, qui sacram & politicam potestatem in Episcopo & duce, admirabili sapientia, & ingenti Imperii bono, famâque sanctitatis conjunxit. Successorem nactus est Folcmarum, Diaconum & œconomum suum, cujus rogatu postea Rotgerus Corbeiensis monachus vitam Brunonis conscripsit.

Annus Christi 966. 967.

Joannis XIII Pont. 1. 2.
Ottonis Imp. 5. 6. Reg. 31. 32.
Volcmari Ep. Pad. 7. 8.

Otto Italiam & Romam revisit, componitque res ibi turbatas.

Otto Imperator ob funus fratris è Saxonia Coloniam profectus; exinde Aquisgranum, Trajectum, Neomagum adijt; rebusque istic compositis, in Saxoniam est reversus. Nec multò pòst Wormatiam ad comitia procerum contendit, in quibus expeditio in Italiam decreta, ad ulciscendas Romanorum injurias, quibus Joannem XIII ejus nominis Pontificem Romanum affecerant. Peragratâ Italiâ, Romæ Christi natalitia celebravit, sumptóque ab auctoribus seditionum supplicio, reliquum anni sequentis tempus in ordinandâ Italia consumpsit. Tum & Legati missi ad Nicephorum Græcorum Imperatorem, qui filiam ejus privignam Ottoni filio sponsam postularent. Subinde & Otto filius à Patre & Joanne Pontifice invitatus Romam advenit, & à Pontifice in Christi natalitijs Imperator, jucundissimo populi Romani spectaculo, coronatus est. Si quid Otto Imperator deliquit in Leone Pontifice introducto, id in verum Pontificem studio & observantia compensatum est. Nec enim post Francorum Reges ulli Romanam sedem magis coluerunt, quàm Saxonici Imperatores & Principes eorum temporum. Quem amorem

Miræi Not. Belg. c. 6. Regin. cont.

rem ac reverentiam ut Otto parens filio altum imprimeret, Romæ inaugurari voluit, & spectare coram sanctitatem loci, in quo D. Petrus Successores suos in throno collocârat orbi Christiano venerandos. Unde jam à sequenti anno diplomata passim Ottonis II. imperium numerant, quod hic movere visum est.

Annus Christi 968.

Joannis XIII Pont. 3.
Ottonis Imp. 7. Reg. 33.
Volcmari Ep. Pad. 9.

Attinuit & insequens annus Ottonem cum filio Augusto in Italia; è qua mense Octobri hoc sequenti diplomate ratam habuit donationem Abbatiæ S. Dionysij in Angaria, factam Ecclesiæ Magdenburgensi. Otto donat Ecclesiæ Magdeburgensi Abbatiam S. Dionysij in Angaria.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum industria, qualiter nos pro monitu Adelheidis dilectæ conjugis nostræ Abbatiam, cui nomen est Angerm, quam beatæ memoriæ domina genitrix nostra Machtilt in honorem S. Dionysii Martyris Christi construxit ob remedium et absolutionem animarum Divi genitoris nostri Henrici Regis divinæque genitricis nostræ, pro statu quoque et incolumitate regni vel imperii nostri, filiique et Coimperatoris nostri Ottonis, Sancto Mauritio in Magdeburch liberaliter offerimus, et Archiepiscopis illius Ecclesiæ perpetualiter tuendam concedimus, cum omnibus appendiciis et utilitatibus suis, tam ædificiis quàm mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, molendinis mobilibus scilicet et immobilibus, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, ut Archiepiscopus illius Sanctæ Magadeburgensis Ecclesiæ suique Successores teneant et possideant, et suis eam usibus sicuti res Ecclesiasticas juxta libitum adjungant.

Et ut hoc nostræ munificentiæ munus eidem Ecclesiæ firmum et stabile per successura tempora permaneat, et à sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque verius credatur, hanc cartam conscribi annulique nostri impressione signari jussimus, quam et manu propria subtus firmavimus.

Signum Domni et invictissimi  *Ottonis Magni Imperatoris Augusti.*

Luidgerus Cancellarius ad vicem Haddonis Archicappellani notavi. Data VII. *Non. Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXVIII. *Indictione* XI. *Anno autem regni Domini Ottonis* XXXIII. *Imperii verò* VII. *Actum Ravennæ in Domino feliciter. Amen.*

Antè verò, initio hujus anni, cùm Imperator versaretur in Campania, literas dederat ad Saxones nostros; quibus cùm paternam planè sollicitudinem pro gente nostra ostendat, hìc eas ex Widekindo recitare lubet.

Otto divino nutu Imperator Augustus, Herimanno et Thiaderico ducibus, cæterisque publicæ rei nostræ præfectis, omnia amabilia.

Solicitudo Ottonis pro Saxoniâ.

Deo volente, salus omniaque prospera planè succedunt. Cæterum nuncii Constantinopolitani Regis, dignitate satis insignes, nos adeunt, pacem, ut intelleximus, admodum quærentes. Quoquo tamen modo res agant, bello, Deo volente, nullo modo nos attentare audebunt. Apuliam et Calabriam provincias, quas hactenus tenuêre, nisi conveniamus, dabunt. Si verò voluntati nostræ paruerint, ut præsenti æstate conjugem cum æquivoco nostro in Franciam dirigentes, per Fraxinetum ad destruendos Saracenos, Deo comite, iter arripiemus, et sic ad vos disponemus. Præterea volumus, ut si Redares, sicut audivimus, tantam stragem passi sunt (Scitis enim quam sæpe fidem fregerint, quas injurias attulerint) nullam vobiscum pacem habeant. Unde hæc cum Herimanno Duce ventilantes totis viribus instate, ut in destructione eorum finem operi imponatis. Ipsi, si necesse fuerit, ad eos ibimus. Filius noster in Nativitate Domini coronam à beato Apostolico in Imperii dignitatem suscepit. Scripta XV Calend. Februarij in Campania juxta Capuam.

Comitia Werlis celebrata.

His literis lectis, inquit Widekindus, in conventu populi, in loco, qui dicitur Werla, coram Principibus & frequentia populi, visum est pacem jam dictam Redarijs servare; eò quòd tum bellum adversus Danos vigeret, & copiæ minus ad duo pariter bella conficienda sufficerent. At quæ hic Werla? in qua celebris ille conventus est habitus. Utrumne Transalbiana in confinio Sclavorum? quæ tum Sclavorum armis circumstrepentibus minus tuta. Ego nostram in Westfalia intelligo, Urbem regiam & hactenus toties celebratam, in qua illa Saxonum comitia Herimannus & Thiadericus ex Jmperatoris voluntate convocavit.

Moritur Wilhelmus filius Ottonis, Archiepiscopus Moguntinus.

Læta hæc Ottonis turbavit mors duplici funere: Primum Wilhelmi filij & Moguntini Archiepiscopi, 3 Febr. elati, præsulis magnæ sapientiæ; cui ob id Otto pater Parthenopolim exornandam erigendamq; in Archiepiscopi sedem, & cetera Regni negotia committebat: & singularis vitæ integritatis; cui & obitum Machtildis avia ante suum vaticinata. Ab excessu è vita, Wilhelmus Ludolpho Corbeiensi Abbati se obtulit, ab eóq; innocentis vitæ præsule fratribusque ejus cœnobii mortuorum subsidia petijt; quemadmodum hæc planius à Dithmaro Episcopo & Serrario relata sunt. Wilhelmum consecuta Machtildis, Jmperatoris mater, *mira*, ut Widekindus scribit, *sanctitatis fœmina*, quippe omnium christianarum virtutum in sexu illo splendore illustris; exemploque cumprimis beneficentiæ in Ecclesias, in

Et Mathildis Ottonis Mater.

in egenos & religiosi instituti homines, in quos omne patrimonium erogavit. Regia nimirum donatione, & diplomate consignato, acceperat à marito suo Quidlenburgum, Palithi, Nurthusen, Gronau & Duderstede cum Comitatibus & prædijs; quæ bona magnam partem convertit in donationes cœnobiorum. Nam præter Quidlenburgense monasterium, cui se incluserat, condidit tria alia Virginum sacrarum Collegia, Northusanum, Consungense, & Poldense. Nata erat ex Widekindea familia, patre Theodorico Oldenburgensi Comite. Quæ una omnium nostratium scriptorum consensio est; fallitur que Flodoardus, à quo Ludovici Germaniæ Regis, Arnulpo Imperatore genita, filia asseritur. Nec minus illustris in filio Imperatore, & tribus inde nepotibus, Ottone II, Ottone III, & S. Henrico Jmperatoribus; quam tot laudibus præterea celebrârunt Dithmarus & Luitprandus Episcopi, ceterique omnium temporum scriptores. Sepulta est Quidlenburgi in æde S. Servatij, ad latus mariti Regis Henrici, ut viva rogârat: jam multò illustrior, quando Divorum numero adscripta colitur. Quo nunc fatalis ætas nostra per Saxoniam recidit? quæ ista quidem ex certa annalium memoria recolit, sed dispari religionis cultu. Omnia hæc invertit; tanquam magnæ illæ Jmperatorum, Ducum, Principum, Matronarum & Virginum sacrarum animæ nusquam vera Evangelij luce perfusæ fuerint.

Maderus in diplom. Saxon.

Dithmarus lib. 2. Luitprand. Flodoard. in chron.

Annus Christi 969. 970. 971.

Joan. XIII Pont. 4. 5. 6.
Ottonis Imp. 8. 9. 10. Reg. 34. 35. 36.
Volcmari Ep. Pad. 10. 11. 12.

Versabatur inter hæc Jmperator adhuc in Italiâ; ubi Græcorum perfidiam pertæsus, acceptâque etiam clade suorum, bellum Græcis indicit, cui Ottonem filium ad tyrocinia armorum capienda præfecit, adjuncto Gunthario & Sigefrido Ducibus; quorum moderatione Apulia & Calabria Græcis erepta, conjunctâque Jmperio occidentali. His confectis animum adjecit ad Magdenbursem Episcopatum firmandum, ac metropolim omnium Sclavorum regionumque trans Albim constituendam. Opportunum id ratus, dum in Jtalia esset, cum Pontifice conficere; maximè, quòd adessent Hatto Moguntinus Archiepiscopus, & Hildewardus Halberstadiensis Episcopus, quorum maximè intererat, quòd intra Episcopatum Halberstadiensem, intráque terminos à Carolo M. descriptos novus Magdenburgi Episcopatus constituendus, id quod à Bernardo superiori Halberstadensi Episcopo nunquam Otto impetrare potuerat. Igitur commutatione locorum & bonorum factâ transactum, consignatæque tabulæ fundationis Ravennæ in conventu Episcoporum, subscribente Hattone Archiepiscopo, cum Germaniæ & Jtaliæ, qui aderant,

Brouverus in ann. Trevir. lib. 10. Dithmarus lib. 2. Helmold. l. 1. c. 11. Erect. Eccles. Magdenb. apud Meibom. ad Widek. Chron. Magdenb. Otto Frising. l. 6. Gobelinus ætat. 6. c. 48. Crantz. Chron. Mindense.

Magdenburgensem Archiepiscopatum erigit Otto.

aderant, Episcopis. Quæ mox Pontifex Joannes XIII rata habuit: uti hæc præ ceteris accuratius narrat Browerus in annalibus Trevirensibus. Evocatus deinde post hæc Adalbertus Episcopus, de quo supra relatum, ex Wirtzenburgensi Abbatia, cui præsidebat, Romam, & auctoritate Apostolica Archiepiscopus nominatus, palliòque donatus festo S. Lucæ hujus anni; &, quod ad dignitatem hujus sedis refertur, Pontifex Primatum omnium per Germaniam Ecclesiarum & Archiepiscoporum habere voluit. Subjecti verò huic Metropoli Episcopatus Cizizensis, Misniensis, Merseburgensis, Brandeburgensis, Havelbergensis, & Posnaniensis. Quibus rite peractis, Otto Jmperator Adalbertum cum Jmperatoriis literis ad Episcopos, Marchiones & Principes Saxoniæ datis, Magdenburgum præmisit; à quibus cum ingenti lætitia & populi acclamatione acceptus & inauguratus est. Adalbertus subinde festis natalitijs Christi in solemni Missæ sacrificio Bosonem Monachum Mersenburgensem, Burchardum Misniensem, Hugonem Cizicensem Episcopos consecravit. Tundo verò sive Undo Havelburgensis, & Dudelinus Brandenburgensis Episcopi, prius quidem Moguntino Archiepiscopo subjecti, sed agente id quoque Imperatore ad Metropolim Magdenburgensem transire jussi. Neque his Episcoporum sedibus contentus Jmperator, majora versabat cum animo; atque ut Carolus M. totam Saxoniam à se subactam diviserat in Episcopatus, ita ille totam Sclavoniam, regionesque trans Albim complexus, christianæ religioni submittere, & in Episcopatus distribuere constituerat.

Primus ei Antistes datus S. Adalbertus, Monach⁹ Benedictinus.

Annus Christi 972.

Domni Pont. 1.
Ottonis Imper. 11. regni 37.
Volcmari Ep. Pad. 13.

Tandem relicto Burchardo Sueviæ duce cum militari negotio, post quintum denuo annum Jmperator ex Jtaliâ digressus, *cum ingenti*, ut Widekindus scribit, *gloria, capto Rege Longobardorum, superatis Græcis, victisque Saracenis, cum victricibus alis in Germaniam per autumnum venit.* Patrem comitatus Otto filius cum Theophania sponsa, quæ Romæ quoque á Pontifice coronata, & titulo Augustæ condecorata erat. Berengarius Italiæ Rex cum uxore Willa Bambergam deportatur in exilium, ubi & vitam clausit, ijsdem fatis jactatus, quibus olim Desiderius Longobardorum Rex, à Carolo M. Leodium relegatus. Ut jam Ottonem M. non secus quàm Carolum M. domitorem Jtaliæ, & vindicem Apostolicæ sedis videas. Postquàm Otto Jngelhemium attigit, nihil illi antiquius fuit, quàm Episcoporum synodum convocare; quam celebrem testatur fuisse Auctor vitæ S. Udalrici: quanquam nomina Episcoporum actaq; interciderint.

Widekind. lib. 3. Lambert. in chron. Sigebert. Otto Frising. Sigonius.

Annus

Annus Christi 973.

Benedicti VI. Pont. 1.
Ottonis Imper. 12. regni 38. & ultimus.
Volcmari Ep. Pad. 14.

Ab Rheno Imperator in Saxoniam properavit ad paternum solum, in quo hoc anno Christi 973 extremum vitæ diem habuit. Ac postquam peragrata dispositaque Saxonia, Quidlenburgi apud filiam Machtildem ejus loci Abbatissam pascha celebrasset, advenientibus undique diversarum gentium legatis, & procerum multitudine salutantium, Mersebürgum perrexit; ubi festum ascensionis demum magna pietate peractum, auditique legati ex Africa præsentes. Tristis istic memoria Hermanni & Geronis, Ducum fortissimorum contra Barbaros, affecit Imperatorem, quos non ita pridem necessitate mortis amiserat. Et tanquam ipse iisdem fatis urgeretur, Miminlebiam ad Unstrotum fluvium secessit in locum & monasterium Henrici patris morte consatalem. Venerat eo feria tertia ante Pentecosten; proxima nocte (verbis Widekindi referam vitæ exitum) *juxta morem diluculo de lecto consurgens, nocturnis et matutinis laudibus intererat. Post hæc paululum requievit. Missarum deinde officiis celebratis, pauperibus juxta morem manus porrexit, paululum gustavit, iterumque in lecto requievit. Cum autem hora esset, processit lætus et hilaris ad mensam. Peracto ministerio, vespertinis laudibus interfuit. Peracto cantico Evangelii, æstuare, atque fatigari cœpit. Quod cùm intellexissent Principes circumstantes, sedili eum imposuerunt. Inclinantem autem caput, quasi jam defecisset, refocillaverunt, expetitóque Sacramento divini corporis et sanguinis, et accepto, sine gemitu cum magna tranquillitate ultimum Spiritum cum divinis officiis pietatis creatori omnium tradidit.* Addit Dithmarus: *postquam nonis Maji divino viatico recreatus est, exanime corpus, prosequente Ottone filio, à Gerone Coloniensi, et Adalberto Magdenburgensi Archiepiscopis Magdenburgum transvectum est, atque istic in crypta ædis Mauritianæ ab Episcopis et Clero solemnibus Ecclesiæ ceremoniis denutatum est ad latus Edithæ Reginæ.* Magnus & gloriosus Imperator, quo post Carolum M. ut Dithmarus perhibet, nemo major Imperium gessit. Argenteas ille venas Goslariæ primùm reperit; quas tanto ævo & post Ottonem nemo scrutatus fuerat. Sed aureum magis sæculum, quod Ottone Imperatore disciplinâ cleri & populi florentissimum fuit, quod & domitis omnibus circum exteris intestinisque hostibus, filio reliquit pacatissimum: felicesque Episcopi, qui cum Volcmaro nostro vitam sub illo sortiti. Et quæ per Saxoniam Ecclesia Cathedralis? quod monasterium, in quo ejus beneficentiæ vestigia ex diplomatum monumentis non extant? dummodo ceteri perinde, ut Mindenses & Magdenburgenses, aut servassent, aut cum posteris communicassent. Com-

Widekind. lib. 3. Dithm. Otto Frising.

Obitus & laus Ottonis M. Imp.


Succedit patri in imperio Otto filius.

Composito in terram patre, Otto filius imperium adijt, juvenis, qui vix dum XX ætatis annum attigerat, quique ante XII annos à Germanis Rex delectus, atque ante sexennium à Pontifice Imperator appellatus erat; à quibus etiam annis in diplomatis regni & Imperij ejus exordia numerari leges. Ut tamen majestatis decus impleret, haud multò post à funere patris Aquisgranum profectus ad comitia, in ijsq; omnium Principum consensione Imperator acceptus confirmatusque est. Mense Julio Aquisgrani fuisse, docent nos tabulæ Coloniensis Ecclesiæ, quas Gelenius recitat ab Ottone istic consignatas. Sed jam paulò antè Otto Jmperator, primo statim auspicati Jmperij anno, Ludolpho Corbeiensi Abbati omnia à majoribus concessa auctoritate sua renovarat.

Gelen. l. sacrar. syn. 7.

Qui Corbeiensia privilegia approbat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia semper Augustus. Convenit nostræ Imperiali Celsitudini, ut petitiones fidelium nostrorum, has præcipuè, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus suggerunt, ad effectum perducamus; quoniam hoc ad præsentem vitam prosperè peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquidò credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum industria, quia adiens excellentiam nostri culminis Liudulfus Abbas venerabilis novæ Corbeiæ, rogavit, ut eidem monasterio concederemus talem libertatem, qualem à Patre nostro et Imperatore augusto, cæterisque antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus accepisse dinoscitur; cujus petitioni assensum præbentes, interventu matris nostræ Adalheidæ, in supra dicto monasterio fratribus DEO servientibus, ejusque Martyribus Stephano atque Vito omnes concessiones, quas anteriorum Regum vel Imperatorum temporibus habuerunt, concessimus, nostráque auctoritate renovavimus; præcipuè ut potestatem habeant inter se, cum necessitas venerit, Abbatem eligendi, et ut à nullo Episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimæ exigantur, neque à Comitibus ex qualibet judiciaria potestate Coloni eorum et Liti ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram advocatis ejusdem monasterii justitiam facere cogantur; sicut anteriorum Regum vel Imperatorum præfato loco concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut hæc nostræ renovationis ac firmationis auctoritas firmior stabiliorque à cunctis perpetim credatur, hanc chartam conscribi, manuque nostra propria subtus roboratam annuli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Ottonis  *invictissimi semper augusti.*

Willigisus Cancellarius vice Ropberti Archicappellani recognovi.
Data V Calend. Junii, anno Jncarnationis Domini DCCCCLXXIII.
Jndictione I, anno regni Domini Ottonis XIII. Jmperii autem VII.
actum Alten in Dei nomine feliciter amen.

Annus

Annus Christi 974.

Benedicti VI. Pont. 2.
Ottonis II Imp. 2.
Volcmari Ep. Pad. 15.

At non ita præmunitus auctoritate Pontificis & Principum Otto, quin altero mox anno cum Regni æmulis luctandum esset; nam præter Raginarium Lotharingiæ turbatorem, quem bello oppressit, Henricus patruelis Bojariæ dux, inito cum Haraldo Danorum Rege, Boleslao Polonorum Duce, atque alijs etiam Germaniæ Principibus fœdere, ausus est arma indicere, & Regnum Germaniæ affectare. Sed hunc æmulum, convocato procerum conventu, per legatos ad obsequium revocavit. Inde arma in Haraldum Daniæ Regem, fines Saxoniæ depopulantem convertit, victumq; contudit. Sigebertus. Lambertus. Schaf. Brunnerus.

Sub initium hujus anni Volcmarus Paderbornensis Episcopus Ottonem adijt, & privilegiorum confirmationem, quæ ceteri ante eum Cæsares ac Reges dederant, ac liberam cumprimis electionem Episcopi, secundum Caroli Crassi concessionem, impetravit; ita enim auctor vitæ Meinwerci. *Otto ejusdem nominis secundus, decimo quinto Calendas Februarii, rogatu Folcmari ejusdem civitatis Episcopi, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo Septuagesimo quarto, electionis suæ decimo quarto, imperii primo, regni septimo, indictione quarta* (quæ secunda scribi debuit) Imperatoria auctoritate omnia privilegia comprobavit; quod tamen Ottonis diploma, vel incendio Ecclesiæ, vel alia temporum injuria intercidit. Uti & Paderbornensia.

Ceterum Otto Imperator, varia hoc eodem anno loca peragrando, varia diplomata dedit: aliud Neomagi 14 Calendas Martij apud Myræum: aliud 5 Kal. Julij Wormatiæ apud Zilesium: aliud rogatu Theophaniæ conjugis Ludolpho Osnabrugensi Episcopo, quo Ludolphum consanguineum appellat, multisque prædiis donat. Duplex præterea Mindensi Ecclesiæ datum, alterum Aquisgrani 12 Calendas Augusti, alterum Neomagi 14. Calendas Martij, quo Lubekena donatur Ecclesiæ S. Petri. Verùm cùm hæc extent, nos hic duo adjungemus diplomata, quorum neutrum hactenus publici juris factum. Altero Otto Imperator, pia majorum vestigia secutus, Herivordiensi Sanctimonialium Virginum Collegio benefecit. Id diploma, etsi in medio vitiatum agnoscam, ob antiquitatis tamen memoriam referre licebit. *Miræus in notis Belg. c. 6. Zilesius in defens. Maxim. Ervvinus in chron. Pistorius in diplom. Mind. chron. Mindens.*


Beneficentia Ottonis II in Herivordiense Canonicarum Virginum Collegium.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum industria, qualiter quædam venerabilis abbatissa heriffordensis monasterii nomine Imma nobis Luthuvvici regis de quodam mercato cum omnibus inde exigendi usibus, id est, moneta, telones, vel quidquid ad publicum videtur pertinere mercatum, in loco adonhusa nominato, afferens,

nostramque

*Theophania

nostramque dilectam conjugem nomine * Adelheida, hæc eadem scripta, nos nostri præcepto, ejus interventu, præfato monasterio renovari precabatur. Nos verò pro animæ nostræ remedio, et æterna remuneratione more antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum facientes, ejusque intercessioni consentientes, memoratæ Ecclesiæ Herifordensi, ejusque abbatissæ Immæ prædictæ per futura succedentium tempora in loco superius nominato, potestatem non solùm mercationis locum constituendum, sed etiam ad jus ejusdem prælibatæ abbatissæ banno nostro imperiali exigendum, pacemque omnibus quærentibus mercatum ac redeuntibus faciendum concessimus. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum cunctæ sanctæ Dei Ecclesiæ, filiis, nostrisque perpetuò verius credatur fidelibus, ac firmum stabiléque permaneat, manu nostra subtus propria firmavimus, annulique nostri impressione consigillari jussimus.

Signum Domni Ottonis  Serenissimi Imperatoris Augusti.

Willigisus Cancellarius ad vicem Rotberti Archicappellani recognovit. Data V Idus April. anno Incarnationis Domini DCCCCLXXIIII. Indictione II anno verò regni Domini Ottonis XIII Actum Walbech.

Jus telonij & monetæ Werthinensibus datur ab Ottone.

Altero diplomate Folcmaro Werthinensi Abbati, & in ipsa Werthina, & Ludinghusij in diœcesi Monasteriensi jura telonij ac monetæ, rogatu Theophaniæ conjugis donat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto Dei favente clementia Augustus. Si servorum Dei petitionibus, quas pro Ecclesiarum sibimet commissarum utilitatibus nobis suggesserint, clementer annuerimus, id nobis procul dubio ad præmia æterna capessenda liquidò perducet. Unde notum esse volumus præsentibus scilicet et futuris, qualiter fidelis noster Folckmarus Werdinensis monasterii provisor, cum interventu dilectæ conjugis nostræ Theeuphanú adiit Celsitudinem nostram postulans, ut in duobus suis locis, id est Werdina, Liudinghuf, forum et monetam sibi liceret aptare et facere. Hujus rationabili, ac justæ petitioni assensum præbentes, libenter postulata concedimus, et quidquid in eodem foro, vel moneta publica ad jus nostrum pertinet, prædictæ ac dilectæ conjugis nostræ rogatu, prædicto monasterio firmiter donamus, et in perpetuum perdurare volumus. Et ut hæc traditio auctoritatis nostræ firma et inconcussa permaneat, manu propria eam firmavimus, et annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Domni Ottonis  Serenissimi Imperatoris Augusti.

Wilgisus Cancellarius ad vicem Rotberti Archicappellani notavi. Data XIIII Calendas Septembris, anno Incarnat. Domini DCCCCLXXIIII. Indictione II, anno regni Ottonis XIIII. Imperii autem VII, actum in Arviti.

Id verò diploma, cùm in Arvite, quæ tunc curtis regalis erat, nunc Erwite est pagus inter Susatum & Paderbornam in Ducatu Westphaliæ haud procul à Luppia, atq; ad fines diœcesis Paderbornensis, argumento est, Ottonem sub Autumnum Westphaliam lustrasse, atque Paderbornæ Volcmarum Episcopum invisisse; idcirco ad hunc annum referre placuit Ottonis donum, auream videlicet crucem Paderbornensi Ecclesiæ datam, pretio sexaginta millium aureorum, quam ex collectis Longobardorum triennalibus tributis, ac puro auro confectam tradunt annalium nostrorum scriptores. Hinc illa vetus inscriptio. *Auri sexcentas hæc crux habet aurea libras.* Atque ut munificentiâ Imperatoris, populi simul pietas accenderetur, id pretiosum crucis signum ante chorum Basilicæ populo spectandum, venerandumque ex sublimi loco est expositum. Verùm ea crux haud longo ævo superstes fuit ex suo signo cultuque; seu Basilicæ incendio liquefacta, seu conflata conversaque in Basilicæ reparationem (quod Kersenbrochius opinatur) seu alio casu interversa. Quare ne memoria tanti doni cultúsque populo subtraheretur, crucis effigies laminis inauratis obducta, in prioris locum est substituta, quæ ex forma aspectuq; veterem referret, quod nostra demum memoria cognitum. Nam cùm hæresis bello sœpius urbs in periculo esset, veriti Canonici summæ ædis, ne opimi hujus spolij causâ invitarentur vicinæ hæreticorum harpyæ, visum fuit per aurifabros explorare crucem, deprehensáq; est intus præstipata, atque extimè laminis tantummodo inauratis obducta. Post etiam Christianus Dux Brunswicensis, & hereticus Halberstadiensium Episcopus, cùm Paderbornâ occupatâ D. Liborij argenteam tumbam, & quidquid sacri auri argentique repertum est, per sacrilega spolia rapuisset, in hanc quoq; crucem, uti sagaces inter eos didicerant, inquiri jussit; quæ tamen rapacibus eorum manibus subtracta est per Georgium Brenckium Scholasticum; quòd & ipse persuasus, superesse in hac cruce Ottonicum illud ex auro donum. Nihil majorum ætate Cæsarum ac Regum pietas habebat frequentius, quàm ejusmodi donis exornare templa & altaria; sicuti inter ceteros Serrarius Moguntinæ Basilicæ thesaurum exposuit, in quo similis crux monstrata ex eodem pretio, & ex relati versus inscriptione: Ottonem verò Cæsarem, ut hoc tam insigni dono Paderbornam exornaret, quid aliud commovit, quàm loci hujus vetustas, religionisq; sanctitas, & Volcmari Episcopi veneratio, quem pater ejus inter præclarissimos Saxoniæ Episcopos commendare solitus.

Otto Imp. Paderb. Ecclesiæ donat crucem auream, pretio sexaginta millium aureorum.

Serrar. lib. 1. Mog. hist. c. 32.

Annus Christi 975. 976. 977.

Benedicti VII Pont. 1. 2. 3.
Ottonis II. Imp. 3. 4. 5.
Volcmari Ep. Pad. 16. 17. 18

Lambertus Schaf. Herm. cont. Sigebertus Dithmarus lib. 3.

Daniam Otto subjugat.

Posteaquam Imperator omnia per Imperium composuerat, anno regni tertio, exercitum, quem ex Saxonibus & Germanis collegerat fortissimum, in Daniam adversus Haraldum Regem traduxit; & Slesvicum progressus omnes Regis munitiones expugnat, ac veteres Saxoniæ terminos, & libertates christianæ religionis repetit. Ita victum Regem jussit se Wismariæ in conventu Principum sistere; ubi ad pedes Imperatoris prostratus, in gratiam est receptus, annuo tributo imperato. Inde eodem anno in Bohemiam cum victore exercitu digressus, omnia ferro flammáq; vastando, Regem quoque, ad quem Henricus Bavariæ Dux profugerat, cæsis ad Pilsnam Bois, ad obsequium redegit; submissusq; Bohemis Episcopus Theodmarus, genere Saxo, vir sanctissimus. Quo in Regno per id tempus Adalbertus primus Pragensium Episcopus desudabat, Magnus ille Bohemorum & Sclavorum ex Apostolico numero doctor, & martyr; diversus ab Adelberto Magdenburgensium Archiepiscopo, viro Apostolici fervoris, qui per id tempus quoque inter Sclavos Christi religionem, per conditos ab Ottone primo Episcopatus, quàm latissimè propagabat, quos hoc anno Sigebertus ab Ottone debellatos denuo refert.

Sigebertus. Lambertus Herm. cont. Brunnerus lib. 8. ann. Brovverus lib. 10.

Ac quo minus Otto Barbarorum bellis insisteret, fecit Henrici patruelis ac Bojariæ Ducis rebellio; sed brevis hæc ambitio; victum Otto subegit, spoliatumque principatu, Trajectum, seu ut Browerus, Treviros in exilium deportari jussit: ac ne denuo rebellaret, Ducatum Ottoni, Ludolphi Suevorum Ducis filio, alterique patrueli suo donat.

Bohemiam vectigalem reddit.

Lambertus Schaf. Dith. lib. 3.

Intestinis hostibus suppressis, Otto rursum cum ingenti exercitu Bohemiam intrat, ac Boleslaum Ducem, ostentatione armorum, tributa, quæ pater imposuerat, pendere jussit. Tum verò per Saxones Imperatores revocata prisca à Carolo M. Imperij majestas, cùm Dani, Sclavi, Bohemi, ceterique circùm populi Imperio tributarij servirent; & Principes Imperij ad unius absolutissimi Monarchæ Imperium obedientes starent.

Annus Christi 978. 979.

Benedicti VII Pont. 4. 5.
Ottonis II Imp. 6. 7.
Volcmari Ep. Pad. 19. 20.

A Lothario Galliæ Rege inopinato invaditur.

Sigebertus. Aimoinus lib. 5. Dithm. l. 3.

Hac rerum felicitate Otto Imperator, pacis securus, Aquisgrani versabatur; cùm Lotharius Galliarum Rex, immemor consanguinitatis & beneficiorum, ex improviso cum ingentibus copijs Metas ducit exercitum, Austrasiæque proceres in fidem suam adigit; ac recta inde Aquisgranum Imperatorem cum conjuge intercepturus advolat. Pransurus Otto cum conjuge accumbebat mensæ, cùm subitò rumore percellitur, advehi hostem, & portis imminere. Vix Imperator

perator præcipiti fuga cum conjuge & aula in tutum evaserat, cùm Lotharius urbem & palatium ingreditur, mensamq; instructam sine convivis reperit. Igitur hospes minimè invitatus, postquam epulis pastus, palatium diripit, & cum præda in Franciam redit. At carum Gallo epulum; Otto hac fugæ contumelia & injuria percitus, exercitum contrahit; & tanquam ad pedis pulsum è terra prosilirent milites, advolant Saxones & Germani, intráque breve tempus exercitus quinquaginta millium (quem alij ducentorum etiam millium augent) constitit in campo; quocum è vestigio Lotharium insecutus, Parisios usque pervenit, incensoque suburbio, ab Octobri ad Decembrem mensem Gallias depopulatus, extremam vastationem intulit: sacris tantummodo locis exceptis, quibus parcitum. Quâ exitiali expeditione ita Galliarum Rex afflictus, ut altero anno ad Carum fluvium in Ducatu Luxenburgensi cum Imperatore pacisci & omne Austrasiæ Regnum abjurare necesse habuerit, quod Carolo fratri jure fiduciario datum; atque inde Germaniæ Imperio conjuncta mansit. Nec multò post Lotharius Regno exutus Hugonem Capetum, Saxonici generis Principem, subrogatum sibi Regem ferre debuit. Ita verò Saxonia Westfaliáque nostra, quæ tot primæ & secundæ stirpis Francorum Reges, & ab Hugone Capeto exinde ad nostra tempora tot rursum tertiæ stirpis Reges dedit, modò Regem nullum, præter Cæsarem & Principes, habet.

Annus Christi 980.

Benedicti VII Pont. 6.
Ottonis II Imp. 8.
Volcmari Episc. Pad. 21.

Otto Imperator, ut Dithmarus scribit, cum triumphali gloria in Germaniam & Saxoniam reversus, totus exinde fuit in apparatu expeditionéque Italiæ; interq; cetera Imperij negotia multis prius Ecclesijs & religiosorum cætibus, pro insita majorum pietate, benefecit. Quam in rem sistimus hic diploma Imperatoris, quo Ludolpho Corbeiensium Abbati, viro integerrimæ vitæ, commutationem bonorum magno cœnobij commodo indulget.

Sigebertus. Otto quædam cum Corbeiensibus bona permutat

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Omnibus fidei Christianæ Religionis Cultoribus, ac Regiæ Imperialis Excellentiæ magnitudinem fide debitâ jure honorantibus, astantibus et futuris adhibiti scripti per subjectionem pateat, qualiter Nos, et fidelem nostrum, Liudolfum videlicet, Corbeiensis Ecclesiæ abbatem condecuit, quoddam concambium de prædiis nostris ob locorum opportunitatem inter nos facere. Dedit igitur prædictus Liudolfus venerabilis abbas ex ratione suæ abbatiæ per manum advocati sui Liudolfi duas marcas, Meginrichesdorf et Mimileuru dictas, in pago Hassegavve, in Comitatu Sigefridi Comitis sitas, cum omnibus rebus illuc rite pertinentibus, in mancipiis

utriusque sexus, ædificiis, areis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, cunctisque aliis appendiciis, quæ dici possunt, nobis ob nostram petitionem firmiter in proprium, atque ad integrum à suo jure et Ecclesiæ suæ in nostrum, quod voto placeat nostro, inde agendum redegit. Econtra autem in recompensatione hujus traditionis Abbati prædicto et Ecclesiæ sibi commissæ de portione nostræ proprietatis per manum advocati nostri Liudgeri dedimus, quidquid visi sumus habere in Villis Budineveldon, Brungeringhuson, Lellibechi, Rehon, Corbechi, et in Halegehuson dictis, in Pago Nihtherse, et in Comitatu Asichonis Comitis sitis, cum omnibus utensibilibus illuc jure aspicientibus, mancipiis utriusque sexus ædificiis, areis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis, cunctisque aliis pertinentiis, quæ dici adhuc aliquo modo aut nominari possunt. Atque hoc à nostro jure in Ecclesiæ superius dictæ, et abbatis antefati Liudolfi, Successorumque illius potestatem perpetualiter ibi standum omnino redegimus, et Imperiali dominatione ad integrum tradidimus. Sed quia præscriptus abbas nostræ votum petitionis sequendo, hanc mutuo inter nos factam commutationem comprobavit, propter suam dilectionem adjecimus, ut ipse suique Successores in præfatis deinceps locis quietem habeant, atque ut nullus Comes, vel judiciaria persona hanc tranquillitatem violare præsumat, hoc nostro imperii præcepto firmiter interdicimus. Ut autem hujus concambii utrimque facti traditio per futura dehinc tempora stabilior habeatur, hoc nostræ dominationis præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domini Ottonis  *invictissimi Imperatoris Augusti.*

Hildiboldus Episcopus et Cancellarius ad vicem VVilligisi Archicappellani recognovi.
Data XII Calend. Octobr. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXX. *indictione VIII, anno vero regni secundi Ottonis XX, Imperii autem XIII. Actum VValahuson feliciter amen.*

Dithmarus lib. 8. Inde nunc Imperator compositis omnibus per Saxoniam & Imperium sub autumni exitum cum florentissimo exercitu in Italiam movet, evocatus tum intestinis Italorum dissidijs, tum ut Italiam à Saracenorum deprædatione & Græcorum irruptione liberaret: indignum reputans regnum, quod Pater quæsiverat à se destitui. Ducta simul Theophania Conjux, qua cum Romæ natalitia Christi peregit. Comitata quoque Imperatorem, præter Episcopos & Abbates, ingens Saxonum procerum ac militum multitudo à Dithmaro & Schafnaburgensi celebratur.

Annus Christi 981.

Benedicti VII Pont. 7.
Ottonis II Imp. 9.
Volcmari Ep. Pad. 22.

Otto in Rebelles. At priusquam copiæ omnes ex Germania advenêre, magnifico convivio cumprimis parato in Vaticano, Principes ac Legatos excepit.

cepit. Inter epulas de seditiosis sumptum supplicium; ex quo Itali cumprimis scriptores crudelitatis notam nomini ejus imprimunt, & sanguinarium compellant, secus quàm Germani, qui ob iteratam Italorum rebellionem severitati quàm sævitiæ adscribere malunt. Junctis deinde Italicis copijs cum Germanis, grave cum Græcis, qui jam Saracenos in auxilium attraxerant, bellum inijt, ac multa prosperè gessit. Quo simul anno Benedictus eo nomine septimus Pontifex insigni privilegio Ludolphum Corbeiensem Abbatem & celebre illud cœnobium exornavit.

Italos animadvertit.
Dithmarus lib. 3.
Sigebert.
Lambertus Schaf.
Sigonius l. 7. de Regno Ital.
Brunnerus.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei Liudolpho religioso Abbati sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ, nostroque dilectissimo filio, suisque Successoribus in perpetuum. Cùm summæ Apostolicæ dignitatis apex in hoc divini profectus nitore dinoscitur præfulgere, cùm in excercendis DEI laudibus sui impensius studuit laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem Apostolicæ pastoralis compulit sollicitudinis cura, quidquid ad stabilitatem piorum pertinere dinoscitur locorum, ubertim promulgari, et Apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium SS. Martyrum, Protomartyris Stephani, atque Viti Martyris, in loco qui dicitur Corbeia privilegiis sedis Apostolicæ, et infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ sedis, cui Deo autore deservimus Ecclesiæ, constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur: pro qua re piis desideriis faventes, ac nostra auctoritate, id quod postulas, effectui mancipamus, et omnem cujuslibet Ecclesiæ Sacerdotem, in præfato monasterio ditionem quamlibet habere, et auctoritatem præter sedem Apostolicam prohibemus: ita ut, nisi ab Abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnia quisquam præsumat celebrare, omnimodo statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et validis atq; atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam præsumat, quacunque dignitate sit præditus vel potestate, vel etiam quæcunque magna parvaque persona in eodem monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus et possessionibus, vel quidquid ad illud monasterium pertinere videtur, quoquo modo auferre, vel alienare; promulgantes nempe, et hoc auctoritate beati Petri Apostolorum principis, coram Deo, et terribili ejus futuro examine per hoc nostrum Apostolicum privilegium atque constitutum sancimus atque decernimus, ut loca quæ ab abbate quolibet in eodem monasterio commutata, vel etiam concessa sunt, nec non et aliæ Laicorum possessiones, quæ à Regibus vel Ducibus, et à ceteris Christianis ad eundem sanctum locum largitæ atq; oblatæ sunt, aut imposterum illis concessæ fuerint, firma stabilitate prædicto monasterio existenda, atq; in perpetuum statuimus permanenda. Concedimus etiam et confirmamus, Apostolica auctoritate, ut de alio monasterio Abbas ibi non constituatur, sed ipsi Servi Dei secundum regulam beati Benedicti viventes, etiam ex sua propria congregatione, potestatem eligendi Abbatem habeant. Insuper etiam concedimus, ut in præcipuis festivitatibus, id est, in Natalis Domini, atque in Epiphania, et

Benedict° VII Pont. insignia Corbeiensibus Privilegia communicat.

Puri-

Purificatione sanctæ Mariæ, die Resurrectionis et Ascensionis, pentecoste, et festivitate S. Joannis Baptistæ, in Natalitiis Apostolorum, in festivitatibus S. Mariæ, et Sanctorum, quorum meritis jam dictum monasterium dedicatum est, abbas ipsius loci intra missarum solemnia dalmatica et sandaliis utatur. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his, quæ à nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti monasterii statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se Anathematis vinculo innodatum; et Diabolo, et ejus atrocissimis pompis, atq; cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æternis incendiis, et supplicio concremandum deputamus à Domino. Qui verò pio intuitu et in omnibus extiterit custoditor hujus nostri apostolici constituti, ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manum Joannis Notarii nostri, et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, nonis Aprilis, indictione IX. Datum per manum Stephani Episcopi et Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, anno Domino propitio, Pontificatus Domini nostri Benedicti summi Pontificis et Universalis Ecclesiæ Papæ, in sacratissima sede B. Petri Apostoli septimo, Imperante Domino nostro Ottone coronato anno imperii ejus XII, quarto nonas Aprilis indictione IX.

Annus Christi 982. 983.

Benedicti VII Pont. 8. 9.
Ottonis II Imp. 10. & ult.
Volcmari Ep. Pad. 23. & ult.


Otto desertus ab Italis infeliciter pugnat. *Dithm. l. 3. Sigebertus. Leo Ostien. lib. 2. c. 9. Lambertus Schaf. Marian. Scotus. Auctor vitæ S. Udalrici. Sigonius. Baronius & alii.*

Insequenti anno Otto Imperator Tarento digressus, ubi XVII Calend. Aprilis castra habebat, ad Oppidum Calabriæ processit, nomine Busensellum; ibi ardentibus pugnandi cupiditate animis militum, Idibus Julij cum occurrentibus Græcis & Saracenis atrox prælium est commissum. Romani ac Beneventani, ubi certamen de summa rerum imminere viderunt, statim à signis recesserunt, atque Ottonem valido præsidio non opinantem nudaverunt. Hac Italorum perfidiâ perculsus exercitus, cùm hostes instarent, facilè non solum fusus fugatusque, sed fœdâ etiam strage obtritus est. Cæsi in eodem prælio multi Episcopi, multique Saxoniæ, Alemanniæ & Bojariæ Comites, proceres ac milites, à Dithmaro deplorati. Otto ægre incolumis ad mare profugit, & in navem, quam fortè in littore nactus, se injecit; quam, cum Piratarum esse didicit, veritus, ne proderetur, in mare prosilivit natando nisurus evadere (Dithmarus ex una navi in aliam transijsse perhibet, quod Sigebertus etiam scribit) agnitus verò à prædonibus, captusque fuit. Quæ postquam Theophaniæ & Theodorico Metensi Episcopo relata sunt, largè aurum pro captivo obtulêre; quocirca dum negligentius custodiretur, Otto per hanc fugæ opportunitatem in littus prosilijt, & beneficio pernicis equi evasit. Capuam subinde delatus, reparato per Lombardiam exercitu, Beneventum ex improviso capit diruitque, civium ultus perfidiam. Inde Veronæ mense

mense Julio procerum comitia habuit, in quibus Ottonem filium Cæsarem & Collegam Jmperii dixit, & Warino Coloniensi Archiepiscopo in tutelam dedit. Qua in urbe Jmperator Ludolphum Corbeiensem Abbatem novo liberalitatis beneficio affecit. quod hic ex diplomate referam.

Decimas amissas restituit Corbeiensibus.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, piæ devotioni pateat, quomodo Lindulfus Corbeiensis Ecclesiæ Venerabilis Abbas, per fidelem suum legatum Aeilberhtum nomine, nobis conquestus est, quod prædecessores sui, ejusdem Ecclesiæ videlicet abbates, per negligentiam perdidissent quandam præceptionem, quam HLudovvicus quondam Rex præfato monasterio dedit, in qua continebatur, qualiter ipse HLudovicus Rex ad monasterium jam dictum in honore S. Stephani protomartyris consecratum tradidit quendam locum Ponteburg nominatum, & omnem decimationem in pago Ammeri, in Episcopatu Adaldagi Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopi sitam, & sua præceptione traditionem ipsam confirmavit; pro rei tamen firmitate petiit nostram Celsitudinem, ut nos omnem rem, quam præfatus Rex præceptione sua prælibato monasterio tradidit, de novo eidem Ecclesiæ traderemus. Nos verò ob petitionem dilectæ Contectalis nostræ Theophanú, videlicet Consortis imperii nostri, & interventum fidelium nostrorum, vvilligisi, scilicet Moguntinæ sedis Archiepiscopi, & Gisilharii Magadaburgensis venerabilis secundi Archiepiscopi, piam petitionem præfati abbatis Lindulfi benignè suscipientes nostræ dominationis & præceptionis auctoritate præscriptum locum Ponteburg vocatum, omnemque decimationem in prædicto pago Ammeri sitam, sicut præfatus Rex Hludvvicus præcepto suo donavit, tradidit ac confirmavit, denuo ac noviter donamus, tradimus atque confirmamus; & omnibus Regia & Imperiali potentia: ne aliquam controversiam præfato Abbati, suisque successoribus in prædicto loco & decimatione faciant omninò interdicimus. Et ut hæc nostræ donationis traditio ac confirmatio per futura temporum curricula à cunctis fidelibus firmior habeatur, hoc nostræ magnitudinis præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque nostra propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domni Ottonis  *invictissimi Imperatoris.*

Hildebaldus Episcopus & Cancellarius Vice VVilligisi ArchiCappellani recognovi. Data XV. Calend. Julii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXIII. indictione XI anno vero regni secundi Ottonis XXV, Imperii autem XV. actum Veronæ feliciter Amen.

Obitus Ottonis II. Imp.

Verona Imperator Ravennam, & Ravennâ Romam reversus, ad Jtaliæ Jmperijque negotia cum Pontifice pertractanda. Qua in urbe cum matrem reliquisset Papiæ, seu tædio belli ac memoria cladis acceptæ: seu ventris profluvio, fatali morbo decumbere cœpit; ac postquam ad extrema vitæ se urgere sensit, testamentum condidit, pecuniamq; in quatuor partes divisit, uti Dithmarus exponit; unam Ecclesijs, secundam pauperibus, tertiam dilectæ sorori Mechtildæ Quidlenburgi Abbatissæ, quartam tristibus suis ministris, ac militibus dedit; factaq; cum intimo sensu doloris confessione coram Apostolico ceterisq; Episcopis & presbyteris, acceptaq; ab eis remissione, ac ceteris sacri viatici præsidiis munitus, VII Jdus Decembr. è mortali luce ad immortalem transijt, anno Jmperij decimo. Corpus in vestibulo Basilicæ Vaticanæ sepultum; atque, ut Sigonius inquit, adhuc aspicitur. Magnus Jmperator ex vestigijs paternæ gloriæ, major etiam futurus, nisi immatura mors in flore virilis ætatis, magno orbis Christiani luctu,

Crantz. l. 4. Sax. ctu, abripuisset. Præter Ottonem filium Crantzius tres filias numerat, quarum Sophia, Gandersheimensis, Alheidis Quidlenburgensis Abbatissa, Juditha Ratisbonæ in Collegio Virginum educata, raptáq; in matrimonium ab Udalrico Bohemiæ Principe; quibus addunt quartam Mathildam Ezzoni Hermanni Comitis Palatini apud Ubios filio denuptam. Horum pijssimorum conjugum liberalitate postea Browilerense cœnobium haud procul Agrippina conditum.

Et Volcmari Ep. Paderb. Ceterum hoc anno, quo Otto Imperator Romæ, Volcmarus Episcopus noster Paderbornæ, & Ludolphus Corbeiensis Abbas Corbeiæ obierunt; ita enim in Corbeiensium Abbatum fastis annotatum reperio. *Anno Christi* DCCCCLXXXIII *Folcmarus monachus moritur Patharbrunnensis Episcopus, et Ludolphus Abbas*, quo testimonio refelluntur, qui anno 981 defunctum scribunt; minus certè ijdem annos Episcopatus XXVII assignare poterunt, quòd tamen faciunt cum Auctore vitæ Meinwerci, Crantzius, Gobelinus, Bruschius & Kersenbrochius. Hinc nos non nisi XXIII annos illi in Episcopatu attribuimus. Vir fuit Volcmarus, qui ob modestiam & vitæ integritatem omni honore dignus, ut inquit Crantzius, Episcopi munus gereret. Quanquam ab illo nulla donationum diplomata, nec alia factorum merita teneamus; & à religiosâ vitâ, quam ex cœnobio attulit, disciplináq; in clero servatâ magis, quàm à publicis gestis commendatus sit.

Clarior Volcmaro. Ludolphi Corbeiensis Abbatis sanctitas ac mors. Ludolphus Corbeiensis Abbas, quem sanctitate vitæ posteritas celebrem habuit, eóque pòst Marquardus Abbas & Osnabrugensis postea Episcopus, ossa Ludolphi & Thiatmari Abbatis, quòd post mortem etiam cœlestibus beneficiis clari colerentur, ossa utriusque tumba honoratiori inclusa extulit, & ante aram S. Crucis columellis decorata collocavit, quæ nostris temporibus, cum Christophorus Bernardus Monasteriensis Episcopus, & postulatus Abbas, Basilicam è fundamento novam erigeret, integra in deauratis loculis reperta sunt. Adeo verò jam ante Ludolphus famæ sanctitatis clarebat, ut Wilhelmus Moguntinus Archiepiscopus, Ottonis M. filius, post mortem se ei obtulerit, & preces ab eo & monachis expetierit. Hæc Dithmarus, qui alterum addit de Gerone Archiepiscopo Coloniensi: is etiam, cùm jam excessisset è vita, se Ludolpho Abbati Corbeiæ viva specie obtulit, hisce illum verbis allocutus: *Requiem æternam nobis cantate*, quæ cum dixerat, evanuit ex oculis. Viri non modò Apostolici, sed & in omni genere doctrinæ præstantes Corbeiæ per id tempus florebant; è quorum numero Widekindus Corbeiensis, historiæ Saxonicæ præclarus scriptor, quos suos ille libros Machtildæ Quidlenburgensi Abbatissæ, Ottonis M. filiæ dedicavit: Algerus Scholæ Corbeiensis Moderator, à quo liber de Sacramento altaris eruditè conscriptus: Arnoldus Monachus poëta, aliiq;, quorum nomina simul & scripta interciderunt.

Dithmarus lib. 2.

RETHA-

RETHARIUS IX9 EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 983.

Benedicti VII Pont. 9.
Retharii Ep. Pad. 1.

NOnus exinde post Volcmari obitum Paderbornensis Episcopus Retharius: ita eum scribunt Auctor vitæ Meinwerci, Dithmarus & Gobelinus. Alii Rethardum, alii Redharium vocant. Nostrates fere ex patrio sermone Rotharium appellant, quem optimè ac sapientissimè per XXVIII annos sacram præfecturam gessisse perhibet Bruschius. Copiosius encomium apud Auctorem vitæ Meinwerci ex recenti præsulis memoria. *Eo*, inquit, *tempore Retharius Patherburnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus inter alios quam plures, qui scientiâ præditi, moribus adornati, secundas regni partes strenuè adjuvabant, enituit; qui nomen Episcopi officio tenuit, moribus implevit, quiq; per** XXVIII *annos consilii sui excellentia dispersa collegit*. Inde Crantzius virum dilaudat, qui magno fructu Ecclesiæ suæ præfuerit. At quæ ejus familia fuerit, aut ex quo instituto vitæ graduque Ecclesiastici ordinis delectus sit, nemo horum scriptorum tradidit. Interim Spiræ à Willegiso Moguntino Archiepiscopo, & Erkenbaldo Argentinensi Episcopo consecratus est Paderbornensis Episcopus; quod à Jacobo Wimfelingo annotatum in fastis Episcoporum Argentinensium. Annus hic ordinationis Retharij decimus nonus ab auctore vitæ Meinwerci scribitur ante incendium urbis Paderbornensis, quod anno millesimo, indictione 13 accidisse referunt; verùm apud Auctorem hunc error est, quando rectius hic annus ordinationis XVIII non vero XIX numeratur in manu scripto Bibliothecæ Vaticanæ. Atque ita Rotharius, qui Volcmaro successit anno 983, eodem statim anno ordinatus est Episcopus, & cum anno fluente millesimo, quo incendium accidit, mense Junio, ingressus simul annum ordinationis XVIII.

Retharius Spiræ consecratur Episcopus.
Auctor vitæ Meinwerci
Dithmarus lib. 3.
Gobelinus.
Bruschius.
Crantzius lib. 3. metrop. c. 40
Kersenbrochius.
*al. XXVII

Annus Christi 984.

Joannis XIV. Pont. 1.
Ottonis III Reg. 1.
Retharij Ep. Pad. 2.

Ottonis III coronatio.

Hinc nunc Retharius Episcopatum suum auspicatus cum imperio Ottonis III, & hunc annum secundum Episcopatus turbulentum nactus. Enim verò acceptâ Ottonis II Imperatoris morte, Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi Ottonem filium duodennem adolescentem Aquisgranum deducunt, ubi in solemni Episcoporum & procerum conventu, ipso natalis Christi die à Joanne Ravennate Archiepiscopo inunctus & coronatus est Rex; uti id auctor vitæ Meinwerci nostri tradidit. Auctor verò vitæ S. Godehardi Willigiso Moguntino Archiepiscopo id tribuit; Dithmarus utrique. Opinari fas erit, tres Archiepiscopos convenisse, Ravennatem, Moguntinum, & Coloniensem, primasque partes Ravennatem egisse, quòd is à Patre in hanc rem ex Italia præmissus fuerit. Inaugurationem hanc alij ad superiorem, alij ad hunc annum referunt. Datus tunc omnium procerum consensu Ottoni puero instructor moderatorque S. Bernwardus, vir in clero eruditus, ex prisca Saxonum nobilitate, à Dithmaro Regis Magister appellatus.

Ottonem dolosè abducit Henricus Dux Bavariæ.

Lætè hæc procedebant, cùm Henricus Bavariæ Dux, Ottonis I ex Henrico fratre nepos, cognomento asper, jam antè ab Ottone II Imperatore principatu exutus, & Trajectum ad Mosam deportatus in exilium, studio Popponis Herbipolensis Episcopi, Comitisque Egberti, cum factiosorum globo Coloniam advolat, Ottonemq; adolescentem à Warino Coloniensi Archiepiscopo (cujus curæ & educationi commissus erat) seu dolo, seu minis extorquet. Specie quidem consanguinei tutoris hæc agebat, re autem, ut Imperium regio adolescenti præriperet. Hac opimâ prædâ potitus, Corbeiam cum adolescente festinat ad Westfalorum animos sollicitandos; quos cùm fidos Ottoni experiretur, Magdenburgum processit, multósque procerum in suas partes attraxit, id omni consiliorum nisu agendo, ut Rex salutaretur; quod cùm Saxones sine perfidia & gentis suæ labe facere nequirent, dicerentque se jam fidem Ottoni Patri dedisse, filiumque ejus acceptasse in Regem, Henricus voti irritus discessit. Nec multò pòst, auspicijs Willigisi Moguntini Archiepiscopi, & Henrici Ducis Saxoniæ, Werlis in Westfalia Episcoporum, procerum, Comitumque conventus habitus; in eoque fœdus contra Henricum juratum, bellumque indictum. Saxonibus se conjunxêre Franci Orientales. Quibus compertis, Henricus causæ suæ diffidere cœpit; & mox etiam tutelæ se abdicat, Ottonemque Alheidæ aviæ & Theophaniæ matri permittit; quæ illico ex Italia cum magno procerum comitatu accedentes, adolescentis curam suscipiunt, & Willegiso Moguntino Archiepiscopo fido curatori tradunt; is teneros juvenis annos moderatus, simul Imperij procuratorem gessit.

Sed paulò pòst Saxoniæ restituit.

Serrarius in Willegiso.

Annus Christi 985.

Joannis XIV Pont. 3.

Ottonis III Reg. 2.
Retharij Ep. Pad. 3.

Inde anno hoc proximo Francofurti comitia Imperij indicta celebratáq; in quibus Otto pro Imperatoria auctoritate Rempublicam capessit; ac nequid deinceps turbaret Henricus, consilio procerum Bojariæ Ducatus illi redditus. Ita demum quietus Henricus, qui multa deinde contra irrumpentes pugnando præclarè gessit, multò etiam illustrior post factus D. Henrico filio, æternâ digno memoriâ Imperatore. Otto subinde in Saxoniam reversus, magno procerum comitatu Quidlenburgi Pascha celebrat, etiam Imperatoriâ patris avique majestate. Nam conspicuum epulum regio apparatu facit, in quo Henricus Dux Bojorum Dapiferi, Conradus dux Franconum Camerarij, Hezilo Palatinus Pincernæ, Bernardus Dux Saxonum præfecti stabuli munera obierunt. Constitutis per Saxoniam Orientalem negotijs, Otto in Westfaliam profectus, Duisburgi 3 Calend. Maji consignat Hildeboldo Wormatiensi Episcopo veteres privilegiorum tabulas, quibus præter cetera Episcopo idem jus in suam urbem confirmat, quod Moguntinus & Coloniensis in suas habet: videlicet ne quis comes aut judex ullam judiciariam potestatem in eam urbem Wormatiensem excerceat, præter ipsum Episcopum. Id tum omnibus ferè Episcopis in suas urbes jus commune fuit. Varias deinde urbes peragravit Otto, uti ex diplomatis, diversis locis consignatis, constat; nam & Jngelhemij Mefrido Leodiensi Episcopo Comitatum Hujensem confirmat, & Coloniæ 6 Idus Augusti Wernebratho Werthinensi Abbati omnia privilegia renovat, liberumque facit, ne castra sequi necesse sit.

Dithmarus.

Otto Magnificum convivium instruit.

In Manifest. Henr. Maximil. edit. *Chapea. in Episc. Tung. c. 26.* *Miraus in not. Belg. c. 72.* *Diplom. Werth.*

Annus Christi 986.

Joannis XV Pont. 1.
Ottonis III Reg 3.
Retharij Ep. Pad. 4.

Anno exinde regni tertio, Rex postquam Lotharium Galliæ Regem adegisset, Virdunum Austrasiamq; secundùm pacta cum parente inita, reddere, primum adversus Bohemos suscepit bellum. Magnis copijs, magnáq; alacritate novum suum Regem secuti sunt Saxonum proceres. Bellum id in alterum annum continuatum; nec destitum, dum Bohemiam omnem vicinasque Polonorum regiones Imperio subjiceret. Tunc verò, quod Dithmarus scribit, seu fracti seu territi Boleslaus Bohemorum, & Misico Polonorum Principes Ottonem convenêre, fœdus & amicitiam petentes, obtulitque Misico aspectabili magnitudine Elephantem; sed nullo munere lætior Rex, quàm quòd ijs in regionibus Christi religionem liberè latéq; disseminari videret.

Ex Bohemia reversus Otto Rex in Westfaliam descendit, versatusque

Lambertus Schaf. Dithm. lib. 3

Bohemiæ Poloniæque regiones Ottonis Imperio & Christianæ fidei subjiciuntur.

tusque Tremoniæ in Regia urbe cum aula & procerum cœtu, Gesekensium Sanctimonialium Virginum Collegio, interpellante pro ijs Theophania matre & Henrico Bavariæ duce, præclaras liberalitatis tabulas consignavit, quas hic ex ipsis originum literis exhibemus.

Otto Gesekensium Canonicarum Collegio plura privilegia indulget.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quomodo Nos dilectæ genitricis, Theophanu videlicet Imperatricis Augustæ, votum sequentes, nec non chari nepotis, ac fidelis nostri Henrici Bavariorum Ducis interventum adimplentes, Ecclesiæ Gesiki in honore S. Cyriaci martyris constructæ et consecratæ, cui etiam præsenti tempore Wigisvid venerabilis abbatissa præsidet, pro Dei amore, et eleemosyna parentum nostrorum, ac pro statu regni nostri dedimus ac concessimus, ut nullus dux vel Comes, aut aliqua judiciaria persona, sive alia qualibet major, et minor potestas dehinc potestatem habeat ullo unquam tempore, qualibet ex causa, aut super locos, aut servos ipsius prælibatæ Ecclesiæ, ut eos in aliquibus distringant, vel eos ad placitum aliquod compellere præsumant, aut ad aliud opus vel negotium seu servitium cogant, nisi solus ille, quem præfata abbatissa et sanctimoniales ibidem Deo servientes advocatum ad hoc constituant, nullique personæ Vadmonium aliquod nisi advocato solummodo tribuant. Adhæc etiam superius jam dictæ Wigsvidæ Abbatissæ, et futuris, quæ ei succedent, ac Sanctimonialibus regulare electionis arbitrium concessimus, ut inter se, quando opus evenerit, quamdiu probabilis persona in illius Ecclesiæ filiabus reperiatur, nostro jussu et consensu eligant et constituant. Et ut hæc nostræ ingenuitatis concessa firma et stabilis in futura permaneat tempora, hanc chartam inde conscriptam, et sigilli nostri impressione signatam, manu propria, ut infra videbitur, roboravimus.

Signum Domni Ottonis  *Regis invictissimi.*

Hildiboldus Episcopus et Cancellarius vice VVilligisi Archicapellani notavi. Data 6 Idus Decembr. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVI. *indictione* *XV, *Anno autem Tertii Ottonis regnantis III. Actum Trutmania feliciter in Christo amen.*

*al. XIV.

Annus Christi 987.


Joannis XV Pont. 2.
Ottonis III Reg. 4.
Retharij Ep. Pad. 5.

Multum per id tempus Otto Rex versatus in Saxonia apud fidam, patriæq; suæ gentem; tametsi desunt præter obscurum abruptumq; Dithmarum scriptores, qui res ab Ottone apud nos gestas pro merito tradiderint; ut vel inde ex diplomatis historiæ lux petenda. Certè hoc anno Westfaliam lustrasse testabitur diploma, quo & Corbeiæ fuisse constabit; & Thiatmaro Corbeiensium Abbati, viro, ut diximus, post Ludolphum Abbatem sancto, donationem Ludovici

pij

pij Cœnobio factam, Patris Ottonis exemplo, renovavit, idque rogatu simul Theophaniæ matris, & Willigisi Moguntini Archiepiscopi obtentum. Tabulæ confectæ ab Hildeboldo Wormatiensi Episcopo, & Regis Cancellario. Hi enim Episcopi, viri sapientissimi, ut ex aliis quamplurimis diplomatibus liquet, aulam sectati, juventutem Regis moderabantur. Nec dubium quin ex hoc itinere Otto Paderbornam accesserit, aut certè Retharius Episcopus noster Ottonem Regem pro obsequio suo convenerit. Diploma verò, hactenus non editum, sic habet.

In Nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. Otto divina favente Clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, piæ devotioni pateat, quomodo Vir venerabilis Thiotmarus, Corbeiensis Ecclesiæ Abbas, nostris obtulibus præsentavit præceptum Domni Genitoris nostri beatæ memoriæ Ottonis Imperatoris Augusti, quo continebatur, qualiter ipse quendam locum, Ponteburg nominatum, à Rege HLudovvico traditum ad prælibatam Ecclesiam in honore S. Stephani protomartyris consecratam, omnemque decimationem in pago Ammeri dicto, et in Episcopatu Adaldagi Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopi sitam, ab eodem Rege illuc condonatam sua præceptione à novo concessit ac confirmavit; pro rei tamen firmitate petiit celsitudinem nostram, ut nos denuo traditionem ac Genitoris nostri confirmationem præceptione nostra confirmaremus. Cujus verò petitionem pro amore dilectæ Genitricis nostræ, Theophaniæ videlicet Imperatricis augustæ, et interventione fidelis nostri Willigisi Moguntinæ sedis Venerabilis Archiepiscopi benignè suscipientes, præscriptum locum Ponteburg vocatum, omnemque decimationem in prædicto pago Ammeri sitam, sicut præfatus Rex Ludovvicus antea præcepto suo donavit, tradidit ac confirmavit, ac postea superius jam dictus genitor noster, bonæ commemorationis Otto Imperator Augustus, noviter per suam præceptionem donavit ac corroboravit, Nos hac nostræ dominationis ac præceptionis moderna auctoritate ad prædictam Corbeiensem Ecclesiam donamus, tradimus atque confirmamus. Unde et regiâ omnibus majoribus et minoribus firmiter interdicimus potentiâ, ut prænominato Abbati Thietmaro fideli nostro, ac suis successoribus nullam in prædicto loco Ponteburg nuncupato, et decimatione suprascriptâ controversiam faciant, si nostræ pietatis regiæ commodo frui desiderent. Et ut hæc nostræ donationis traditio ac confirmatio per futura temporum curricula à nostris fidelibus firmiter habeatur, hoc nostræ magnitudinis præceptum inde conscriptum sigilli nostræ impressione signare jussimus, manúque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domni Ottonis  *Gloriosissimi Regis.*

Hillibaldus Episcopus et Cancellarius vice Willigisi Arciepiscopi recognovi.

Data VI Kal. Iulii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVII. Indictione XV. anno autem tertii Ottonis regnantis quarto. Actum Corbeia feliciter amen.

Sed

Auget Privilegia cœnobij Wilichiensis.
Ex bibliotheca Geistanâ P. Mauritii de Büren.

Sed jam ante, priusquam Westfaliam intraret Otto Rex, mense Januario proximas Rheno provincias perlustravit; qua in peragratione monasterij Vilicensis, nunc Wilich inter Confluentes Rheni & Sigæ à Megingozo Comite ejusque conjuge conditi, & ab Ottone patre approbati, privilegia mirifice auxit; ut enim ex ipsis constat tabulis, eam libertatem impertitus est, quam Gandershemense, Quidlenburgense, & Assindiense monasteria obtinent, exempta ab omni jurisdictione Episcoporum, Comitum & Judicum; idque præsente matre Theophania Imperatrice, Willigiso Moguntino Archiepiscopo, Gislario Magdenburgensi Archiepiscopo, Hildebaldo Wormatiensi, Notkero Leodiensi, & Alberone Virdunensi Episcopis impetratum; tabulæq; Andernaci anno Christi 987. 15 Calendas Februarij confectæ.

Annus Christi 988.

Joannis XV Pont. 3.
Ottonis III. Reg. 5.
Rethari Ep. Pad. 6.

Altero abhinc anno, Christi videlicet 988, Otto Rex denuo Westfaliam ingressus, aliquamdiu Wildeshusij consedit; quo in oppido nobile Canonicorum Collegium fundavit ex paternis bonis Wigbertus Widekindi M. filius. Utrumque cum ex Crantzio constat, tum fidem meretur ex diplomatibus, quæ Otto Rex Wildeshusij Adaldago Bremensi Episcopo sanctissimo dedit, quorum altero 15 Calend. Aprilis dato, Collegium Clericorum Ripesholtanum à Wendila Frisiæ matrona in comitatu Bernardi ducis conditum, & à patre approbatum confirmat; altero 15 Calend. Aprilis bona & possessiones Ecclesiæ Sleswicensis, Ripensis, & Arhusensis regia auctoritate consolidat. Quòd ijs in locis Otto avus, & pater Episcopatus erexerant ad Christi fidem per Transalbianas & Daniæ regiones proferendam; qua re nihil quoq; impensius sibi commendatum habuit Otto Rex. Sanè Crantzius de hoc Ottonis accessu ad hæc loca non incongruè. Otto III, inquit, priusquam in Italiam ascenderet, sedit aliquamdiu in Wildeshusen: ibique præcepta fecit, constituta edidit; ut intelligerent, qui in extremo essent Imperij limite, se quoque Imperatoribus suis curæ esse. Ac tributum id ait memoriæ, & venerationi primorum christianorum Principum Widekindi videlicet, Wigberti filij ac nepotum, qui per ea Westphaliæ extrema loca conditis Sacerdotum Collegijs Christi religionem primo firmarunt, & sepulchris suis honorarunt. Tantum pijssimi Reges detulerunt venerandæ antiquitati, quæ vel eò nos quoque scribere & recolere non pigeat. Invitavit præterea Ottonem Adaldagi Archiepiscopi Bremensis & grandævi senis visendi desiderium, quòd is Patris aulam sectatus, fidus illi semper Consiliarius in expeditionibus Italicis adhæserat, & jam in LIV annum

Adamus Brem. Albert. Stadens. Crantzius lib. 4. Sax. c. 23.

Mors Adaldagi Archiepiscopi Bremensis, cui successit Libentius, raræ vir sanctitatis.

annum Episcopatum illum præclara sapientiæ & sanctitatis fama administrârat, Christiq; religionem per Daniæ & Sueciæ Regna quàm latissimè propagârat. Qui & eodem anno haud multò post discessum Regis IV Calend. Maji excessit è vita, successorem nactus Libentium (qui ex Italia quondam secutus erat Benedictum Pontificem) virum raræ doctrinæ, insignis castimoniæ, prisci vigoris & sanctitatis; quales plerique per id tempus Episcopi in Saxonia. Nec facile à Caroli M. ævo beatior Saxonia, quàm Ottonis temporibus. Audet interim Fabricius, libro de originibus Saxonum, criminari, Ottonis ævo Episcopos & Cathedrales Clericos degenerasse à priorum disciplina: Contra Browerus nullam hac ætate feraciorem integerrimorum Episcoporum & Clericorum fuisse memorat.

Brovverus in notis ad vitam Bernvvardi.

Subinde Otto Rex invitatus Gandersheimium ad celebritatem velandæ Sophiæ Sororis, aliarumque nobilium Virginum Deo consecrandarum. Convenêre eò unà cum Rege Theophania mater Imperatrix, Willegisus Moguntinus Archiepiscopus, Osdagus Hildesimensis, Retharius Paderbornensis, Milo Mindensis, Hildewaldus Wormatienses Episcopi, multiq; præterea Principes & Saxoniæ proceres. Sed fœda tunc istic lis orta super unâ Virgine velandâ inter Moguntinum Archiepiscopum & Hildesimensem Episcopum: Moguntinus id munus sibi sumebat, obnitente Hildesimensi, quòd is locus intra suam Diœcesin esset, & jam à diversis annis Hildesienses Episcopi virgines istic Deo consecrassent; eóque Retharius & ceteri Episcopi causam ejus probabant æquiorem, quantumvis Moguntinus eorum Metropolitanus esset. Sed fomes litis Sophia, fastu generis inflata; quæ cùm Imperatoris filia esset, & Regis soror, à palligero Archiepiscopo sacro ritu sibi velum imponi volebat; id cum & ipse Willigisus importunius urgeret, cessit Hildesemensis, datumque est præsenti honori Regis & Imperatoriæ familiæ; ita Willigisus Sophiam, ceteras Osdagus velavit.

Lis præsules Moguntinum inter & Hildesimensem ob consecrationem Sophiæ, Regis Sororis.

Annus Christi 989.

Joannis XV Pont. 4
Ottonis III Regis 6.
Rethatij Ep. Pad. 7.

Adamus Brem. Albertus Stad. in chron. Dithm. l. 4. Crantzius lib. 4. Metrop. c. 25. Pontanus lib. 5. hist. Dan.

Ibant tranquilla hæc Ottonis tempora, cùm repente tempestas ex Aquilone orta, ad quam tota Saxonia trepidare cœpit. Enim verò Nortmanni ex Danis & Sueonibus conflati, sese supra viginti millia piratarum in unam prædandi societatem contraxêre, Ascomanni tum dicti. Hi postquam vicina maris loca depopulati, classem prædatoriam in partes dividunt, quarum altera in ostium Albis invecti, Saxones, qui ad Stadium occurrêre, profligant. Capti tum præter alios viros illustres, Sigefridus Marchio & Theodericus Comes; at

Saxonia vastatur à Nortmannis.

at Sigefridus elapsus è piratarum custodia, Saxones ad vindictam repetendam contrahit, adjutus Bernardi ducis copijs, Barbaros insigni prælio vincit cæditque. Altera pars classis, quæ ostium Visurgis intrârat, & ad Lismonam usque processerat, pari clade inter paludes intercepta ad internecionem deletur. Ita Saxonia metu Barbarorum liberata felicibus Ottonis auspicijs conquievit.

Litem Burchorstiensi monasterio motam componit Otto.

Ottonem verò sub initium hujus anni Westphaliam intrasse, ut bello propior esset, docet nos illustre diploma, quo Imperator ex consilio & judicio Willigisi Archiepiscopi Moguntini & Retharij Episcopi nostri in regali villa Erwite litem decidit, quæ de possessionibus Monasterij Burchorstiensis in diœcesi Monasteriensi intervenerat. Id diploma, quod Joachimus Maderus vir antiquitatum peritus, & scriptis eruditis clarus, ex tabulario Ducum Brunswicensium acceperat, & nobiscum communicavit, hîc exhibere congruum duximus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quomodo quædam nobilis matrona, Berchta nominata, in quodam Cœnobio Burhurst dicto, à fundamento concepit ædificare ecclesiam, in honore sancti Nicomedis martyris consecratam, et illic omnia prædia sua sibi justè in hæreditate cum consensu et approbatione cohæredum suorum condonavit. Pro rei tamen firmitate præfatam Ecclesiam cum omnibus appendiciis suis, ne ab invidis avelli aliquid inde possit, in jus et tuitionem bonæ memoriæ avi nostri, Ottonis Imperatoris videlicet Augusti, tradidit, deprecans illius gratiam, ut dicta Ecclesia, et omnia illuc ab ea tradita, in mundiburdium sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ, per ejus præceptionem et privilegium donaretur. Ille autem ejus votum benignè suscipiens, eandem Ecclesiam cum omnibus illuc traditis vel donandis, Magdeburgensi Ecclesiæ sui præcepti auctoritate subjugavit et confirmavit, ea scilicet ratione, ut sub ejus patrocinio perpetim consistat. Et Archiepiscopus Parthenopolitanus, quando opus venerit, Abbatissam et Advocatum ibi constituat, atque à præfato monasterio census decem solidorum, sicut eadem matrona statuit, ac fieri rogavit, propter subjectionem ad suam Ecclesiam, quotannis persolvatur. Sed cum post mortem supradictæ Berchtæ inter filiam ejus Berchtiydam, et fidelem nostrum Gisalharium, prælibatæ urbis Parthenopolitanæ secundum Archiepiscopum, altercatio quædam magna oboriretur de prædiis, quæ ipsa Ecclesiæ à se constructæ tradidit, eousque excrevit eadem contentio, quòd finiri non potuit, nisi in nostra præsentia. Nos autem fidelium nostrorum, Willigisi videlicet Moguntini Archiepiscopi, et Rethariì Paderbrunnensis Episcopi pium consilium, aliorumque quamplurimas rectas suasiones sequentes, ut lis oborta dissolveretur, et Dei servitium non deficeret in præfato monasterio, nostra regia potestate fecimus inter eos reconciliationem utrimque comprobatam; ita ut Archiepiscopus jam dictus Gisallarius, ob nostrum votum et jussum comprobaret, quòd eadem Berchteyda à manu Advocati ejus Wigmanni pro reconciliatione susci-

susciperet omnem hæreditatem sui Patris Lutberti in sua vestitura semper tenendam: et è contra, ut Sanctimoniales præscripti Monasterii ad Dei servitutem præbendas deinceps habeant per suam manum, ipsâ filiis ejus Bernhardo et Turingo consentientibus, pro nostro voto et jussu, in Ecclesiæ jus ad integrum dimitteret, ac redderet cunctam proprietatem vitrici ejus Bernhardi, perpetualiter ibi tenendam, excepto uno loco, qui dicitur Curnii, quem ipsa, concedente Archiepiscopo et ejus Advocato, jam dicto Wigmanno, cum decem mansis et familiis pro stabilitate reconciliationis semper possidendam accepit. Hac itaque reconciliatione utrimque comprobatâ, et facta, ipsius et filiorum ejus rogatu, atque prædictis fidelibus nostris Willigiso Archiepiscopo, et Rethario Episcopo, cæterisque perplurimis intercedentibus, quæ in Ecclesiæ jus pro reconciliatione dereliquit, nos noviter nostra auctoritate ad eandem Ecclesiam donavimus. Et ne inde ab aliqua persona invida, quòd à nobis illuc donatum est, seu ab aliis traditum sive donatum unquam divelli possit, hac nostra præceptione confirmavimus, et insuper nostro regio jussu omnino interdicimus, ut nullus Dux vel Comes, aut regius exactor, seu alia qualibet judiciaria persona, magna sive parvu, in agendis rebus ipsius Ecclesiæ, aut prædiis illuc traditis, aliquam dehinc potestatem excerceat, nisi solummodo potestativus Advocatus, ab Archiepiscopo Magdeburgensi super idem monasterium constitutus. Et ut hæc nostræ donationis traditio et confirmatio præsenti, ac futuro tempore firma stabilisque permaneat, hoc præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domni Ottonis [monogram] *Gloriosissimi Regis.*

Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Vuilligisi Archicappellani recognovi. Data V Idus Februarii anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVIIII. Indictione II. Anno autem tertii Ottonis regnantis sexto, Actum Arvite feliciter Amen.

Ceterum hoc anno Thiatmarus Corbeiensis Abbas per Mutinensem Episcopum magnificum à Joanne XV Pontifice impetravit diploma, quo Cœnobii privilegia secundum aliorum Pontificum largitatem confirmat, ultra etiam, quàm Rethario & Paderbornensibus Episcopis, ob veterem hactenus de jurisdictione controversiam, gratum videri poterat: id propterea inferre hîc visum est. **Amplis à Joanne XV Pont. privilegiis donantur Corbeienses.**

Convenit Episcopali authoritati, maximéque summi præsulis, piè sollicitéque semper cogitare, quatenus ita Ecclesiarum sollicitudinem habeant, ut sacris locis, in quibus jugi famulantium sedulitate placatur, opportuna conferre suffragia non detrectent. Vnde ego Servus Servorum Dei Ioannes, Sacrosanctæ Apostolicæ sedis præsul, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus suggero, quod venerabilis Abbas Thetmarus, monasterii, quod vocatur nova Corbeia, per interventum Hildibrandi Mutinensis Episcopi nostram efflagitavit clementiam, ut omnia præcepta gloriosissimorum Imperatorum seu Regum, sive quorumlibet Principum Chirographa, nec non etiam, quæ à nostris prædecessoribus Adriano atque Stephano collata vel conscripta sunt, nostra quoque authoritate confirmaremus & roboraremus; & his, quæ ab Apostolica sede decreta sunt, nostræ subscriptionis cartulam adjungeremus. Nos itaque considerantes religiosam

ejus petitionem, pastoralisque esse officii, Servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere. Decrevimus ut duo monasteria Corbeiense videlicet monachorum, atque Herifordense Sanctimonialium, de omnibus rebus, quæ vel in communi Principum charta, vel præceptis confirmata esse agnoscuntur, nihil ominus talem ex apostolica sanctione obtineant firmitatem, ut nihil habeant, unde se tueri possint, quicunque sibi promittunt hæc aliquando se posse immutare vel infringere. Habeant ergo præfata monasteria rerum suarum liberam in omnibus disponendi regulariter potestatem; et ut plenius prosequamur, quod Sanctos Apostolicos jam dictos intendisse sentimus, atque ante eos B. Gregorium, ac reverendæ memoriæ Nicolaum sanxisse de statibus monasteriorum invenimus, Nos humiliter tantis auctoritatibus subscribendo confirmamus. Ut nullus Episcopus Patherbrunnensis *aliquam ex eis vel accipiat vel exposcat portionem; neque vel in his, qui regiminis locum tenent, vel in ipsis congregationibus, aut in ipsis cœnobiis potestatem obtineant; neque ipsorum dominatione potiantur ulla, neque in Clericis, neque in famulis, aut in omnibus, quæcunque ad monasteria ipsa videntur habere possessionis respectum, sicut ab omnibus eis hactenus servatum & concessum est Episcopis, in quorum Parochiis res eorundem monasteriorum conjacere videntur. Nam ipsius præfati monasterii abbati, suisque Successoribus licentiam damus, juxta altare sedendi populoque* infra suum monasterium vel cellas *secundum Deum prædicandi ac docendi, Ita ut nullus Episcopus per se* ad ipsa monasteria *vel cellas eorundem: vel œconomus ejus, vel archipresbyter, aut archidiaconus illius, seu qualibet ex ejus agentibus persona potestatem habeat accedendi, nisi forte necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit, ne importunitate sui ministrorumque suorum inquietudine sacris locis fiat molestia. Neque in Ecclesiis præfatis monasteriis subjectis, vel in presbyteris eisdem Ecclesiis ordinatis aliquam tentet facere perturbationem, novam constituendo, antiquam constitutionem violando; sed sicut regulariter ac canonicè disposuerint, ex longo jam tempore manentia, ita futuris temporibus maneant inconcussa.*

Ordinationes, quæ necessariæ fuerint; ipsis monasteriis, agere non differat; altaris quoque & Basilicarum benedictiones, sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipsis monasteriis, vel in agris eorum libenter concedat; chrisma quoque oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat, & pro his omnibus nullum munus exigat, ne Spiritus S. gratiam vendere conatus, inde, quod absit, damnationem incurrat. Hoc constitutum non solum Paterbrunnensem, verùm etiam omnium locorum Episcopos ubicunque præfata monasteria, vel Ecclesias, vel agros, vel familias habere noscuntur, observare sine cunctatione seu contradictione oportet, ut nullus potestatis jure rebus eorundem monasteriorum abutatur; sed maneant omnia in potestate eis & regulari dispositione, quæcunque, ut diximus, vel in agris, vel in famulis, vel in decimis eis constant esse collata. Sicut & Apostolica & Imperialia præcepta partim simul partim singulatim eis confirmaverunt. Abbatem vero & Abbatissam in his locis semper eligendi habeant potestatem, ut eam eligant personam quæ propositum conversationis in utrolibet monasterio & moribus & habitu profiteatur, non Canonicum aut laicum, neque alterius monasterii monachum, in quo specialiter nos audire dignetur regia Dominatio, ut nullam eisdem monasteriis proponat personam, quæ non ab ipsis congregationibus fuerit regulariter electa. Qua de re noverit clementia, vel nunc existentium, vel successionis jure omnium futurorum Principum, à sede Apostolica sancitum, nostràque subscriptione roboratum, nec non antecedentium Regum præceptis cautum, ut prædictis monasteriis nullam præficiant personam de quocunque ordine, nisi quæ per electionem probabilem sumatur. Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, ac necesse semper adversa tela clypeo protectionis repellere, quod Apostolica decrevit auctoritas, nos quoque approbamus, ut qui ordinati fuerint, ad regimen sæpedictorum monasteriorum, nulla potestate prævalente dejiciantur, nisi criminis causa fuerint deprehensi, cujus merito Rectorem non debeant administrare officium. Infamia verò maculis sive criminis alicujus denotatione si fuerint appetiti, non præter canonicam aut regularem deponantur examinationem. Si quis ergo Apostolicæ Sedis decretum contempserit, procul dubio damnationis censuram suscipiet, quam credimus divino spiritu per Apostolicam linguam probatam. Nos igitur nostram subscriptionem annuli nostri impressione signantes obsecramus. Coëpiscopos nostros omnes, in quorum manus ista devenerint, ut sua etiam authoritate & descriptione hæc confirmare velint, ut quicunque

cunque hæc temerare præsumpserit, generalitatis nostræ sententiis ita anathematis vinculo obligetur, ut neminem habeat, de cujus favore blandiatur, aut se tueri putet à sententia damnationis. Ab Imperatoribus etiam, aut Regibus, sive Ducibus, aut à quacunque potestate, quæ pro tempore tunc ordinata fuerit, componere cogantur mille libras auri optimi; medietatem prædictis monasteriis, ac mediatem Cameræ eorum Principum. Cunctis autem ista servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ quietis inveniant. Scriptum per manus Stephani primi Scrinei Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Iunio, & indictione 2. Datum Calend. Iulii per manus Ioannis Episcopi, & sanctæ Ephesiæ Ecclesiæ, & Bibliothecariæ sanctæ Sedis Apostolicæ. Anno Pontificatus Domini Ioannis sanctissimi Quintidecimi Papæ IIII. Indictione secunda.

Annus Christi 990.

Joannis XV Pont. 5.
Ottonis III Reg 7.
Retharij Ep. Pad. 8.

Agebatur jam annus ab ortu Christi 990 Saxoniæ Germaniæq; ob Ottonis Regis sollicitudinem & peragrationem pacatus. Nam & hoc anno Francofurti versatus est in conventu procerum, uti id docet diploma Regis cœnobio Trevirensi ad D. Maximinum consignatum. Francofurto deinde Coloniam profectus ad exequias Theophaniæ matris, quæ 17 Calend. Julij Neomagi ad Vahalim excesserat è vita; cujus corpus Coloniam jussu Regis filij transportatum, in D. Panthaleonis Ecclesia apud Brunonem Archiepiscopum ac Patruum suo mausoleo inclusum est. Hoc præterea anno Retharius Episcopus noster à Joanne Pontifice ejus nominis xv confirmationem omnium bonorum & privilegiorum impetravit; Diploma incendio Ecclesiæ, aut temporum injuria intercidit.

Zelesius in defen. Maxim. Dithmarus lib. 4. Lamb. Schaf.

Obitus Theophaniæ Imperatr. Coloniæ sepultæ.

Annus Christi 991.

Joannis XV Pont. 6.
Ottonis III. Reg. 8.
Retharij Ep. Pad. 9.

Altero ab hinc anno Otto Rex, bello adversus Sclavos suscepto, Brandeburgum primariam Sclavorum urbem expugnat; quemadmodum in eadem quoque urbe liberales donationis tabulas Miloni Mindensium Episcopo obsignavit, quas Mindensium fastis adscriptas legimus. Multa præterea bella Otto gessit cum Sclavis, quæ scriptorum injuria ad nos minus pervenêre; verbo hæc indicat Dithmarus. Multis bellorum asperitatibus lacessere Sclavos Rex non destitit, Orientales ausos insurgere devicit, Occidentales vi & arte superare contendit; ac demum debellati Regi subduntur, renovatis juxta Albim Castellis. Haud dissimilia de Ottonis fortitudine præliisque adversus Sclavos Tangmarus retulit inter res gestas Bernwardi Hildesiensis Episcopi. Tantus quippe horum barbarorum incesserat metus, ut

Dithm. l. 4. Tangm. in vita Bernwardi.

Bremam præmuniret Archiepiscopus, & Hildesium D. Bernwardus, duoque castella impositis præsidijs erigeret; adeo sancti hi Episcopi non habuêre alienum, urgente necessitate, bellica tractare.

Annus Christi 992.

Joannis XV Pont. 7.
Ottonis III Reg. 9.
Retharij Ep. Pad. 10.

Halberstadiensis Basilicæ dedicatio. Dithm. l. 4. Crusius in ann. Suev. l. 5. p. 2 Chron. Mansf. Spang. Steng. in hist. Aug. ex vetusto auctore.

Victor dehinc Rex Saxoniam peragravit; ac sub exitum anni Halberstadium accessit, ad celeberrimam Basilicæ dedicationem, quam ex fundamentis construxerat Hildebaldus Episcopus, atque anno superiori ad fastigium perduxerat; eaque solemni ritu XII Calend. Novemb. invitatis ex tota Saxonia Episcopis & Principibus, consecrata est. Adfuit enim, ut Dithmarus perhibet, primùm Otto Rex cum Adelheida avia sua, & Mechtilde Abbatissa, Willegisus Moguntinus, Gisilerus Magdenburgensis, & Liewizo, seu Libentius Bremensis Archiepiscopus cum suis provincialibus Episcopis; interque hos Retharius Paderbornensis Episcopus noster, & Thiatmarus Corbeiensis Abbas à diversis scriptoribus præsentes fuisse memorantur. Convenêre præterea ad hanc celebritatem omnes Saxoniæ primates, inquit Dithmarus, innumeraq; procerum hominumque multitudo, omnesque ab Episcopo, clero & civibus pro insigni christiana caritate excepti sunt. At nihil tum beatius, quàm Saxoniam omnem in flore religionis, & pacis tranquillitate videre; cùm ubique templa, Collegia clericorum & cœnobia consurgerent. Inter quæ hoc anno in diœcesi Mindensi ac monte Wedegonis monasterium Virginum accessit, id quod pòstea in urbem translatum est. Halberstadiensem Episcopum æmulatus Dudo Monasteriensis, qui sub idem tempus nobilem Basilicæ fabricam construxit, destructa veteri, quæ à D. Ludgero erecta humilior & angustior erat, quàm ut populi multitudinem caperet. Ea tamen pòst ab alijs Episcopis post incendium multò magnificentius constructa.

Annus Christi 993. & 994.


Joannis XV. Pont. 8. 9.
Ottonis Reg. 10. & 11.
Retharii Ep. Pad. 11. & 12.

Rursum Otto Rex altero anno in Westfalia versatus, frequentem procerum conventum Tremoniæ habuit, in quo decisa est controversia, dudum inter Dudonem Mimigardevordensem Episcopum, & monasterium Metelense agitata. Qua super re ejusmodi tabulæ asservantur in tabulario ejus loci.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Notum sit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industriæ, quomodo Sanctimoniales de loco Mattellia nominato ad nos venerunt, nostris obtutibus præmonstrantes præceptum prædecessoris nostri Arnulfi Regis, in quo continebatur, qualiter ipse rogatu Friduvvi primæ ejusdem monasterii Abbatissæ, quæ hoc in honorem SS. Martyrum Cornelii et Cypriani cum sua licentia à fundamento construxit, suaque hæreditate ditavit, præfatum monasterium cum omni prædio ab ipsa et aliis personis religiosis illuc tradito sub suæ immunitatis regiam tuitionem accepit, et Sanctimonialibus Domino illic servientibus, quando opus et usus exegerit, inter se eligendi abbatissam sua præceptione concessit, et advocatum super homines et loca ejusdem monasterii, quem ipsæ comprobaverint, à Regibus vel Imperatoribus constituendum simul condonavit. Sed quia contentio quædam inter eas et Dudonem Minierneuurdensem Episcopum, qui hoc suæ potestati usurpavit, de electione abbatissæ et advocati constitutione oborta est, rogaverunt nostram celsitudinem, ut huic dissidio nostra auctoritate finem faceremus. Quarum petitionibus ob interventum Evergeri Coloniensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi aliorumque Bernardi Ducis et Egberti Comitis ceterorumque fidelium perplurium consulto obtemperantes, secundum electionem et comprobationem earum, communi consilio fidelium nostrorum Archiepiscoporum sapientumque Clericorum, abbatissam Godesdin nominatam eis dedimus, et advocatum juxta votum illarum Wigmannum nomine super homines et loca superius jam dicti monasterii regendum constituimus. Hac nostra præceptione electionem et omnia ab antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus, aut ab aliis religiosis illuc tradita confirmamus, præcipientes firmiter regia potestate, ut nullus eas dehinc in aliquibus rebus inquietare præsumat. Et ut hoc verius credatur, hoc præceptum inde conscriptum, manu nostra firmatum sigillo nostro signari jussimus.

Deciditur Controversia, quæ erat inter Episcopum Monast. & Monasterium Metelense.

Signum Domini Ottonis  *Gloriosissimi Regis.*

Hildibaldus Episcopus et Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi.

Data VIII Calend. Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIII. Indict. VI. anno autem III Ottonis regnantis X. actum Trottmanniæ, feliciter amen.

Annus Christi 995.

Joannis XV Pont. 10.
Ottonis III Regis 12.
Retharij Ep. Pad. 13.

Post illa Gandershemij diœcesana synodus congregata, præsente D. Bernwardo Hildesiensi Episcopo, intra locum suæ diœcesis. Interfuêre unâ cum Rege Ottone Willigisus Moguntinus, Giselarius Magdenburgensis, & Ludolphus Trevirensis Archiepiscopi; præterea

Synodus Gandersheimensis in qua consul-

tum paci Episcoporum. *Tangmarus in vita Bernvv.* terea Milo Mindensis, Hildeboldus Wormatiensis, Hugo Citizensis Episcopi. Habita cumprimis hæc synodus ad asserendam Hildesiensis Episcopi jurisdictionem in Gandersheimense oppidum & cœnobium: tum ad controversiam componendam, quæ inter Willigisum Moguntinum Archiepiscopum, & Hildesienses Episcopos hactenus intervenerat; cujus controversiæ cognitor atque arbiter Retharius quoque Episcopus Paderbornensis imploratus; quanquam lis postea à Willigiso resuscitata sit. Quo in congressu Episcoporum ac procerum Dithmarus Corbeiensis Abbas ab Ottone Rege omnium suorum privilegiorum confirmationem Gandershemij impetravit, ut ex subjecto diplomate liquet.

Approbatio nova privilegiorum Corbeiensium. *In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Si piis petitionibus fidelium nostrorum, maximè quas pro Ecclesiis sibi commissis auribus nostris infuderint, benignum præbuerimus auditum, hoc procul dubio et ad præsentis nostri regni statum, et ad æternæ beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Unde omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, noverit sollers industria, quia adiens excellentiam nostri Culminis Dietmarus abbas venerabilis novæ Corbeiæ rogavit, ut eidem monasterio concederemus talem libertatem, qualem ab avo, genitoréque nostro, nec non et cæteris Coimperatoribus et Regibus nos præcedentibus, accepisse dinoscitur. Cujus petitioni assensum præbentes, interventu fidelium nostrorum Willigisi Moguntiacensis Ecclesiæ Venerabilis Archiepiscopi, ac Hildibaldi Wormaciensis Ecclesiæ Episcopi honorabilis, in supradicto monasterio fratribus Deo servientibus, ejusque Martyribus Stephano atque Vito omnes concessiones, quas anteriorum Regum vel Imperatorum temporibus habuerunt, concessimus, nostráque auctoritate renovavimus: præcipuè, ut potestatem habeant, cum necessitas venerit abbatem eligendi, ac ut à nullo Episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimæ exigantur, neque à Comite, vel ex qualibet judiciariâ potestate Coloni eorum et liti ad justitiam faciendam aliquo banno constringantur, sed coram advocato ejusdem monasterii justitiam facere cogantur, sicut anteriorum Regum vel Imperatorum temporibus præfato loco concessum fuisse cunctis fidelibus nostris liquidò patet. Et ut hæc nostræ renovationis ac confirmationis auctoritas firmior stabiliorque cunctis perpetim credatur, hanc cartam conscribi, manúque propriâ nostrâ subtus roboratam annuli nostri impressione jussimus insigniri.*


Signum Domni Ottonis  *Gloriosissimi Regis.*

Hildibaldus Episcopus et Cancellarius vice VVilligisi Archiepiscopi recognovi. Data III Calend. Augusti anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. *indictione VIII. Anno verò tertii Ottonis regnantis XII. Actum in Gandersheim feliciter amen.*

Uti & Herivordiensium. Per hanc quoque in Saxonia præsentiam Otto, rogatu Machtildis amitæ & Sophiæ Sororis, Herivordensi Virginum monasterio privilegia ac donationes Ludovici pij hoc regio diplomate confirmat.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Si Ecclesias Dei nostra regali potentia sublimare conamur, hoc procul dubio, et ad præsentis nostri regni statum, et ad æternæ beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quomodo nos cum consilio Hildibaldi Wormatiensis Ecclesiæ honorandi præsulis, ac Bernhardi ducis, aliorumque fidelium nostrorum, vota et petitiones domnæ Immæ herivurtensis monasterii venerabilis abbatissæ, cunctæque congregationis sanctæ Mariæ sibi commissæ, sequentes, nostra regia auctoritate tres Ecclesias in pagis bursibant et Scopingon nominatis, in villis quoque reini Wadiringas et Stocheim constructas cum omnibus rebus et decimationibus suis à HLudovico Imperatore, ob remedium animæ suæ, ad præfatum herivurtense monasterium traditas, eidem monasterio more antecessorum nostrorum confirmamus. Eo tenore, ut jam dicta domna Imma abbatissa, omnesque in eodem honore sibi succedentes cum prædictis ecclesiasticis rebus, aliisque omnibus à Regibus et Imperatoribus per præcepti paginam illuc traditis liberam dehinc potestatem habeant cum suis ministris ecclesiastico ordine disponere atque gubernare, remotâ omnium hominum contradictione; Insuper sub eadem corroboratione concludimus, quidquid à religiosis et Deum timentibus personis ad sæpe jam dictum monasterium herivurtense in præsenti traditum erit. Et ut hæc nostræ regiæ donationis corroboratio ab hac hora in antea firma et inconvulsa permaneat, hanc nostræ dominationis confirmationem inde conscriptam sigilli nostri impressione signare jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domni Ottonis  *Gloriosissimi Regis.*

Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi *Archiepiscopi recognovi. Data* VI. *Idus Julii anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXCV *Indictione* VIII. *anno autem tertii Ottonis regnantis* XII. *actum Bodfeldon feliciter amen.*

Altero deinde diplomate hoc ipso anno Immæ ejusdem Collegij Sanctimoniali Virgini, ac filiæ Bernardi ducis, prædium donat, quod ipsa virgo in potestate habeat aut vendendi, aut commutandi, aut donandi cuilibet; ex quo constabit institutum harum Sanctimonialium Virginũ diversum fuisse à Monialibus: id Ottonis diploma ejusmodi est. *(Otto R. donat Immæ V. Herivordensi prædium ad privatos usus.)*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, quomodo nos ob petitionem et interventum dilectæ amitæ nostræ Mathildis, sancti Quitiliniburgensis monasterii venerabilis abbatissæ, nec non sororis nostræ Sophiæ Sanctimonialis, dedimus quoddam nostræ proprietatis predium, hedum dictum, in pago Hedergo dicto, et in comitatu Heiconis Comitis situm, Immæ Sanctimoniali virgini, scilicet Bernardi Ducis filiæ, atque id ipsum predium cum omnibus pertinentiis suis, hoc est, Villis, areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, nec non liberis, terris cultis et incultis,

cultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, quæsitis et inquirendis, exitibus et reditibus, viis et inviis, cunctisque aliis appendiciis, quæ adhuc diu inveniri, aut nominari possunt, ei in proprium trdidimus, ea videlicet ratione, ut eadem jam dicta Imma Sanctimonialis liberam semper faciendi, quod velit, potestatem habeat, tradendi, commutandi, vendendi, seu magis sibimet retinendi, vel pro anima judicandi. Et ut hæc nostra regalis traditio nunc et in futuro firma et inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare jussimus, manúque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domni Ottonis  *Gloriosissimi Regis.*

Hildibaldus Episcopus, et Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi. Data VII *Calend. Novembris, anno Dominicæ incarnationis* DCCCCXCV. *indictione* VIII. *anno autem tertii Ottonis regnantis* XII. *Actum Scininge, feliciter amen.*

Annus Christi 996.

Gregorij V Pont. 1.
Ottonis III Imp. 1. Reg. 13.
Retharii Ep. Pad. 14.

Brovver. ex vet. chron. Brunnerus lib. 8. ann. Boicor. Sigonius l. 7. de Reg. Ital.

Otto III, post liberatam, à Crescentij tyrannyde Italiam, coronatur Romæ Imperator.

Consequitur nunc annus Christi 996, quo Otto Rex primam in Italiam expeditionem suscepit: Sed priusquam iter ingrederetur, primò inter Sclavos & Saxones componit, ne quid per absentiam suam turbarent in Christianorum provinciis; toto enim Imperio quiescente ab intestinis armis, hæc unica cura optimum sollicitabat Regem. Et barbaris perdomandis insistere malebat, nisi Pontificis Romanæque Ecclesiæ periclitantis salus avocasset. Quippe Crescentius Urbis Romanæ Consul, homo superbus, tanquam per fasces urbis, simul imperij fasces accepisset, ausus est sibi polliceri, & civibus persuadere, se priscum Romani Imperij decus Urbi redditurum, indignum inquiens post Francos se demum jugo Saxonum submitti; nunc tempus esse, quo correptis armis se in libertatem vendicent, & Italiæ imperium primò Urbs Romana capiat. Quod consilium cùm Joanni XV ejus nominis Pontifici aperiret, & ille improbaret, nec se rebellionis participem esse vellet; Pontificem ejecit ex Urbe, dominatumq; arripuit. Pontifex ex his ærumnis Ottonem Regem implorat. Otto haud secus quàm Carolus M. olim pro Leone, quàm avus ac pater alijque Cæsares, causam restituendi Pontificis suscepit. Ac Moguntiâ digressus, cum ingenti Germanorum exercitu Alpes emensus, Papiæ Pascha celebrat. At dum aliquamdiu Ravennæ subsistit, mors Joannis XV Pontificis nunciatur; in cujus locum studio Ottonis Regis subrogatur Bruno Saxo ac Regis consanguineus; quod verisimilius Ottone duce genitus, qui patrem habuit Ludolphum Ottonis M. filium. Bruno ex Presbytero ad Pontificatum provectus

Lambertus Schaf. Sigebertus. Dithmarus lib. 4. Brovverus in ann. Trev. Brunner. in hist. Bojo. Gelenius. Sigonius l. 7.

Gregorij

Gregorij V. nomen sumpsit. Otto inde Romam ingressus, compressâ Crescentij tyrannide & populi seditione, Gregorium in sede collocat; à quo consanguineo Pontifice Otto mox solemni ritu, magnáque pompa cum Maria conjuge Imperator coronatus est.

Annus Christi 997.

Gregorij V Pont. 2.
Ottonis III Imp. 2. Reg. 14.
Retharij Ep. Pad. 15.

Rebus per Italiam prosperè compositis, Otto in Germaniam redijt, Imperatorque Aquisgranum profectus est ad Imperatoriam sedem, magno Episcoporum & procerum comitatu, magnóque populi applausu, ut diplomata istic consignata docent. Inde & Neomagum digressus ad palatium regium; ubi monasterium Eltenense Virginum, quod Wigmannus Comes anno 968 sub Ottone M. sub patrocinio D. Viti martyris condiderat, parentum exemplo in tutelam suscepit, paribusque, quibus Assindienses, Gandersheimenses, Quidlenburgenses Sanctimoniales, privilegijs exornavit; ipsum verò diploma Ottonis interpono, quòd in eo Adela Meinwerci Episcopi mater prodatur, ac maternum ejus Wigmanno Comite, ac fundatore hujus Parthenonis genus asseratur.

Eltenense monasterium in fidem suam recipit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Amen. Otto divina favente clementia Roman. Imperator Augustus. Si loca vel monasteria à religiosis personis, et Deo dicatis constructa, nostra imperiali auctoritate corroborare conamur, hoc procul dubio et ad præsentis nostri regni statum, et ad æternæ beatitudinis præmium profuturum nobis fore credimus. Quapropter omnibus in Christo fidelibus nostris scilicet præsentibus et futuris notum esse volumus, quomodo temporibus avi nostri p. m. Domini Ottonis Imp. Aug. Wichmannus Comes pro animæ suæ remedio suorumque parentum in quodam loco Altenis dicto Monasterium et Sanctimonialium congregationem in honorem Domini nostri Jesu Christi et S. Viti Martyris amplissimæ benignitatis conamine construxit, nec non magnam certæ proprietatis suæ partem, cujus nomina infra tenentur, simul et beneficii idem dilectus avus noster primum ei concessit in beneficium, postea pro servitute sedula sibi donavit in proprium, et ad ipsum licenter contradidit monasterium, suamque ipsius filiam nomine Lutgardem cæteris monialibus præconstituit Abbatissam; succedente verò tempore, cùm idem Wichmannus Comes semel ad vesperam noctis inclinasset, penitusque naturæ concessisset, altera suæ procurationis filia, nomine Adela quandam hæreditatis jam traditæ partem exposcens, dicens quod pater ejus secundum Saxonicam legem absque ejus consensu et licentia nullam potuisset facere traditionem, totam patris sui donationem produxit in errorem. Hujus itaque seditionis perturbatio usque ad tempora dilecti patris nostri perdurabat; Ipseque noster caritativus pater eandem contentionis cladem extinguere pro viribus insudabat, et boc quo

ad ipse vitam finivit, minimè ad unguem usque perduxit; exacto autem longo temporis intervallo, cùm ejusdem monasterii Abbatissa prætitulati viri Wichmanni filia, universæ carnis viam tunc intraret, aliaq; in ipsius locum Imperialis nostræ potestatis jure accederet, in palatio nostro, quod dicitur Noviomago, nostrum jussimus fieri colloquium, ibiq; saltem hujusmodi seditionis fecimus finem: Baldericus enim prædictæ maritus Adelæ pro nostra voluntate, exhortatione simul et petitione, idipsum monasterium sua propria suæque conjugis manu in nostrum contradidit Mundiburdum, et sicut mos est Laicorum, cum festuca semel ab eodem exivit prædio, ea ratione, uti nos nostro regali Imperio ac descriptionis præcepto tale libertatis arbitrium eidem monasterio perpetualiter condonaremus, qualiter cæteras Monialium congregationes, scilicet Assindiæ, Quidenlingenberg, Gandersheim habere cognovimus. Insuper Baldericus omnia ejusdem monasterii prædia, quæ prior Abbatissa duntaxat in sua habuit potestate et investitura, ad reliquias S. Viti in præsentia nostri nostrorumque plurimorum fidelium concessit, radicitusq; contradidit, quorum nomina hæc sunt inscripta. *Keltnon, Furnon, Vorithusen, cum omnibus utilitatibus ad ea loca justè ac ritè pertinentibus: Embricæ media pars, æque divisa, in Hamme media pars, Arhnem media pars, Redingen media pars, Aspel, Tornicka media pars, Herveldt dimidia pars, Lyende dimidia pars, Thule dimidia pars, Malime dimidia pars, Brummen dimidia pars, Oelbergh media pars, Rathe dimidia pars, Huingen dimidia pars, Thelden dimidia pars, Tryendem media pars, Putte in loco construitur* dimidia pars. Adhæc quatuor foresta in Steenvvalt, in Offet, Wichmoet, et Subort. In his quatuor forestis cervum, vel cervam venandi nullus habeat licentiam, nisi verbo et consensu Abbatissæ, et si cervus vel cerva effugiat de his forestis, eos in alias sylvas sequi sit licentia Abbatissæ nunc, et in foresto, in quo est Eltica constructa, singulis annis inter cervos, et cervas XII feræ tribuantur Abbatissæ. Ut autem hujus donationis veritas firma et inconvulsa permaneat, posterior Abbatissa nomine Ludgarda prælibatæ Adelæ Maritatæ, quatuor curtes nomine Rynhare, Helchambeli, Luithusen, Rede cum omnibus utensibilibus et ad ea pertinentibus in proprium tradendo ad ea recompensavit, quatenus post hæc, sicut prædiximus, pacis amicitiæ pignus eò permaneat tenacius. Hanc igitur idem Baldericus in traditionis gratæ et in fronte recepit, nec non de fidelium nostrorum scilicet Willigisi Archiepiscopi, Hildebaldi Episcopi, et Heggeberti Marchionis, cæterorumque multorum fidelium consilio, sicut idem Baldericus donando postulavit, eidem monasterio potestativè concessimus, ut amodo sicut cætera monasteria supradicta liberè* perenniter perfruantur arbitrio. Præter hæc quidquid prædii Divus Imperator semper Aug. Wichmanno in proprium donavit, præcipuè quæ dicuntur in Nardinklant, Urck, Barbuergt, Otvvines, prædia insuper in Frisonibus, quidquid Abbatissa in quatuor Comitatibus videlicet Hunesco, Fualge, Merime, Micheta tributi à Magnificentia avi nostri recepisset, nos nostræ descriptionis præcepto ad utilitatem Abbatissæ et sororum ibidem Deo et S. Vito famu-

*Elten

* fortè quo struitur.

* libero

famulantium largimur et concedimus in omnibus utilitatibus supradictis, sicut et in ista proprietate areis, ædificiis, terrisq; cultis et incultis, agris, campis, pascuis, sylvis, piscationibus, molendinis, Ecclesiis, viis et inviis, exitibus, quæsitis et inquirendis, cunctisque appendiciis, quæ dici possunt, nec non fiscum et telonium de piscatione in pago Salon, et in flumine Isla, qui vulgari nomine Hachdol dicitur. Et quod dilectus genitor noster eidem monasterio concessit, eodem modo pro paterna remuneratione nos contradimus, et nos adhuc volumus, nostroque imperiali præcepto cunctis nostris in Christo fidelibus firmiter jubemus, ut in eodem monasterio, vel locis ad id pertinentibus, nullus Dux, Comes, vel viceComes, nullus Marchio, vel quilibet Scholdatio, vel alia judiciaria persona ullum habeat placitum nec parafredos nec pratas faciendas, nec aliquod exigatur servile servitium, prius quam ejusdem Abbatiæ servus, in cujuscunque comitatu habitet, alterius Comitis non eat placitum, sed ad ejus solummodo, quemcunque Abbatissa sibimet eligere velit advocatum. Cæterum pro animæ nostræ expiaculo eidem largiti sumus monasterio, ut post hæc perpetualiter, cùm ejusdem monasterii Abbatissa morbo consumpta moriatur, Sanctimoniales inter se unam, quamcunque velint, simul cum consensu Trajectensis Episcopi, in cujus positæ sunt Diœcesi, absque mortalium omnium contradictione licenter eligant. Et hujus ut monasterii status ab adversariorum omnium incursu maneat intactus, sicut Wichmannus Comes instituit, de eodem monasterio ad limina S. Petri Principis Apostolorum Romani argenti tot annis libra deferetur. Postremo ipsa venerabilis Abbatissa cum omnibus rebus suis nostro semper pareat imperio, et sub nostro consistat Mundiburdio, quatenus ipsam sororesq; ejus jugiter pro nobis exorare delectet. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas maneat firma etc.

Signum Domni Ottonis magni Imperatoris Augusti.

Hildebaldus Episcopus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi resignavi.

Datum 15 Calend. Iunii, anno Dominicæ Incarnationis 997. Indict. 10. anno autem III Ottonis regnantis 14. imperii vero 1. Datum in palatio Noviomagi.

Altero ab hoc diplomate dato mense, alias Otto Imperator tabulas consignvait, quibus ad petitionem Gisilarij Archiepiscopi Ecclesiæ Magdeburgensi donat prædium Schitrense, in pago Angeri Diœcesis nostræ situm: eæ tabulæ ex archetypo descriptæ sic habent. Donat Ecclesiæ Magdeburgensi prædium Schitrense.

In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum noverit Sagacitatis industria, qualiter nos ob remedium animæ nostræ et parentum nostrorum, nec non ob petitionem Gisilharii Sanctæ Magidiburgensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi de quodam prædio Kitz ilnheim nuncupato, ad S. Mauritium pertinente, concambium fecimus, quandam nostræ proprietatis curtem Sigri dictam, ad eandem S. Mauritii donantes Ecclesiam, in pago Angri nominato, ac Comitatu Bernhardi ducis sitam. Atq; eandem curtem cum omnibus utensilibus suis, quæ patris nostri scilicet celebris memoriæ Ottonis Imperatoris augusti temporibus

et nostris ad eundem locum pertinuerunt, hoc est, in censu quem liberi homines ad prædictum locum persolverunt, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venationibus, foresto, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, cunctisque aliis appendiciis, quæ adhuc dici, inveniri aut nominari possunt, eidem Ecclesiæ Sancti Mauritii tradidimus. Eo tenore, ut ejusdem loci Archiepiscopus de præfata proprietate ad usum Ecclesiæ liberam faciendi, quod velit, potestatem habeat. Et ut hæc nostræ auctoritatis traditio nunc et in futuro perseveret, hanc paginam manu propria corroborantes, sigillo nostro signare jussimus.

Signum Domni Ottonis invictissimi Imperatoris augusti.



Hildibaldus Episcopus et Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi novi.
Data NON. Iunii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII. Indict. X. Anno autem tertii Ottonis regnantis XIII. Imperii primo. Actum Armburg.

Gregorium V. Pont. è sede sua pulsum Otto Imp. restituit.

Inter hæc dum Otto Imperator totam Germaniam in quiete possidet, Crescentius Consul Romæ tumultuatur, urbeque in potestatem suam redactâ, Gregorio Pontificatum abrogat, intruso in ejus locum Placentio Episcopo, quem Joannem XVI dixere. Fœdum hoc schisma erat, & Gregorio simul Imperatorique probrosum facinus. Quamobrem Imperator à Pontifice imploratus, alteram in Italiam expeditionem suscepit. Venienti ad Papiam occurrit Gregorius Pontifex; quocum Romam progressus, Joannem Pseudopapam luminibus orbatum, & naso mutilatum exauctorat. Crescentius Consul, qui Castello se incluserat, expugnatur, captusq; cum duodecim sociis suspendio extinguitur; quod factum multis pœnitentiæ operibus expiasse fertur Imperator.

Annus Christi 998.

Gregorij V Pont. 3.
Ottonis III Imp. 3. Reg. 15.
Retharij Ep. Pad. 16.

Instituuntur Electores Imperij.

Inter hæc tradunt plerique scriptores, in Concilio Romano, hujus Pontificis & Episcoporum auctoritate, cùm Otto Imperator nullam prolem suscepisset, septem Imperij Electores institutos, penes quos jus eligendi Imperatorem exinde esset: ijs legibus, ut posthac nullus Imperator hereditario jure succederet, quique eligeretur, gente Germanus esset; quod Ottoni M. à Leone VIII Pontifice ob merita liberatæ Romæ concessum erat, quoad heredes filios ipse & nepotes haberent, in quos coronam Imperij transferrent. Post ubi

Otto

Otto III nepos ejus sine herede filio erat, videbatq; multos superesse, qui vel consanguinitate, vel affinitate Principes se contingerent, & per æmulationem à suo excessu de Imperio decertaturi essent; eò sapientissimus Imperator, ut communi Imperij quieti & saluti consuleret, egit cum Romano Pontifice Gregorio V de electione Imperatoris constituendâ; quæ deinde auctoritate Pontificis, convenientibus Italiæ & Germaniæ Episcopis, sancita est. Nam uti translatio Imperij à Græcis ad Francos, & à Francis ad Saxones Romani Pontificis auctoritate facta est; ita ab ejusdem auctoritate pendere facultatem modumque creandi Regem aut Imperatorem, præclarè intelligebat; ne & ipse etiam, si per concordiam Sacrilegum aliquem, aut anathemate percussum, seperatumq; ab Ecclesiâ, aut hæreticum, aut paganum elegissent, Pontifex necesse haberet, eundem probare & inungere; quod Innocentius III Pontifex sapienter rescripsit ad Germaniæ Principes.

Utrumne verò potestas eligendi Imperatorem à Gregorio V per septem viros constituta, an promiscuè Imperij Principibus relicta sit, magnopere controvertitur inter scriptores. Bellarminus, Gretzerus, Serrarius, Browerus, Gevoldus, atq; omnium copiosissimè Windeckius scripto hæc super commentario, à Gregorio V certum Electorum numerum, qui Septenario contineatur, designatum tradunt. Contra Baronius, Sirmondus, alijque, septem Viros Electorum tandem in concilio Lugdunensi ab Innocentio IV Pontifice determinatos constitutosque esse contendunt; postquam inter ipsos Principes, quorum tantus erat numerus, tantaque sæpe partium studia factionesque, convenire non potuit. Hinc in hoc Lugdunensi concilio reperiuntur primùm Electores Imperatorum consignati ex Ducibus & Archiepiscopis, de quo in Bernardo Episcopo nostro referendum est. Sanè Henricus Rex, qui Ottoni III subrogatus est, communi Principum suffragatione delectus est. Qui modus quoque ad concilium Lugdunense facile ex historijs observari poterit: perinde ut Sirmondus eruditissimus Scriptor hæc multis commonstrat. Longius per errorem processit Onuphrius, qui Electorum institutionem ad Gregorium X Pontificem retulit, non alio auctore subnixus, quàm Aventino, fabuloso & hæresis scabie infecto. Quoquo nunc modo Imperatorem acceperis, sive à Gregorio V facultatem eligendi ex concilio Romano, sive ab Innocentio IV ex concilio Lugdunensi, ad Pontificis institutionem & auctoritatem referenda est; quemadmodum ipsi Principes Electores in literis anno Christi 1279 ingenuè fatentur, jam olim se ab Apostolica sede & Romani Pontificis auctoritate constitutos. Eò nunc major heterodoxorum magistrorum nostro sæculo insania, qui Pontificem Antichristum suis persuadent; quibus simul fateri necesse, translationem Imperij à Græcis ad Francos,

ab

ab his ad Saxones, ipsamque Imperatoris electionem ab Antichristo ad Germanos pervenisse. Sanè quod summum beneficium fuit Romanorum Pontificum erga inclytam nostram Germanam nationem Saxonesque, id illi, per extremam maledicendi libidinem, tanto gentis nostræ probro & infamia traducunt.

Otto Conjugem adulterij & calumniæ ream flaminis addicit.

Admirabile referunt ad hanc quóque expeditionem commorationemque in Italia illud justitiæ exemplum ab Ottone Imperatore editum Mutinæ in Augustam conjugem Mariam, Aragonis Regis filiam. Fortè Imperatrix, ut volunt, non minus casti quàm formosi Mutinensis Comitis amore capta erat; sed cùm repulsa esset, hunc ipsum illius, quod designârat, tentati flagitij apud virum falsò detulit; qui in juvenem extemplo capitalem sententiam dixit, & plecti jussit. Comitis uxor, quam rei totius consciam ultricemque fecerat, Imperatorem pro tribunali jus dicentem adiens coram, & viri innocentiam, & Imperatricis scelus aperuit, atque ad fidem utriusque faciendam candentem manu laminam (quod tum solemne probationis genus erat) contrectavit. Quo indicio convicta Imperatoris uxor; quam Otto idcirco flammis addixit, & vivam in ignem conjici jussit, quò impudentiæ simul & calumniæ pœnas daret. Celebre apud scriptores factum, quod non nisi unus Godefridus Viterbiensis elegiaco carmine serò ex Conradi & Friderici Imperatoris, quorum Notarius erat, ætate retulit. Nihil hac super re Dithmarus, nihil ceteri nostri Scriptores, à quibus Ottonum res gestæ consignatæ, tradidêre. Sed his omissis ad domestica potius redeamus.

Conditur Helmershusanum Imperiale cœnobium, quod modò per hæreses destructum.

Hoc prætereà anno insigne monasterium Helmershusanum intra limites diœcesis Paderbornensis ad fines Hassiæ quàm largissimè conditum, dotatumque ab Ekkihardo Comite ex hereditarijs bonis, in proprio patrióque fundo, qui tum Comitatu Dudiconis & provincia Angariæ continebatur. Fundationem hanc cœnobij, quod Conditor Monachorum esse voluit Deo servientium, Otto III Imperator magnifico diplomate comprobavit; id quod Cleinsorgius se legisse testatur, ex eóque hæc retulit, melius consulturus posteritati, si integrè diploma retulisset; ex quo germanico idiomate argumentum tantummodo complexus est. Tabulæ ab Hildebaldo Episcopo & Cancellario vice Willigisi Archiepiscopi consignatæ. Sed quòd à Sylvestro Pontifice hæc fundatio simul comprobata refertur, ad proximos annos hæ tabulæ spectabunt. Id cœnobium dehinc anno 1012 ac templum Meinwercus Episcopus noster consecravit Christo Servatori, S. Petro Apostolorum Principi ac Divis omnibus. Celebrè exinde monasterium è sacra D. Benedicti familia, & Imperialibus annumeratum, in quod & Treviris D. Auctoris aliorumque Sanctorum lipsana transportata, cessit nunc per hæresis tempora in Hassorum & Heterodoxorum potestatem. Quare nec præter rudera quidquam ex tanta loci veneratione aspicitur.

Auctor vitæ Meinwerci. Brovuerus in not.

Per

Per hæc quóq; tempora Dodo Monasteriensis Episcopus morte cum aliis Episcopis subtractus, de quibus Dithmarus, *post hæc,* inquit *Ecbertus Trevirensis Archiepiscopus, cui successor Luidulphus fuit; et Dodo Mirmigendensis; post quem Suidgerus ordinatus est. Ero quoque Ferdensis, cui Bernardus, tunc ibi præpositus, supponitur, obière.* Præclara Dodonis memoria, non modò ex statua in propylæo Basilicæ, sed & ex illustribus factorum monumentis; nam & ab eo Episcopo corpus S. Jdæ solemni ritu elevatum è tumulo, venerationique propositum; & Basilica nova è fundamentis extructa, ac grandes turres cum navi templi, & alia, quæ per tot annos præclarè gessit, in fastis eorum memorantur.

Dithmarus lib. 4. Chron. Monast.

Moritur Dodo Episcopus Monasteriensis.

Annus Christi 999.

Silvestri II Pont. 1.
Ottonis III Imp. 4. Reg 16.
Retharij Ep. Pad. 17.

Persistebat adhuc in tertium annum Otto Imperator in Italia, Romæ potissimum, Beneventi & Ravennæ versatus; quibus ex locis varia diplomata Trajectensi, Vercellensi, alijsq; Ecclesijs data ab Heriberto Cancellario conscripta; quem Sanctum virum hoc quóque anno Coloniensem Archiepiscopum dedit. Adeo aula Ottonis præclaris ac sanctis viris plena erat. Mortuo interim Gregorio V Pontifice, per Cardinalium consilia, & studia Ottonis Jmperatoris, subrogatus est Gerbertus, qui Sylvestri II nomen sumpsit, vir ex Monacho Floriacensi ob doctrinæ eminentiam ab Hugone Galliæ Rege Roberti filij magister delectus, ab eóque ad Remensem; ab Ottone deinde Jmperatore ad Ravennatem Archiepiscopatum, ac demum ad Pontificatum provectus. Is ob exquisitam rerum reconditarum, ac mathematicarum cumprimis scientiam magus falsò est habitus; ex quo deinde immanis illa de ejus interitu fabula manavit, ab hæreticis nostrorum temporum tanto plausu excepta; quo tamen viro ipse Augustus magistro diu multumque usus scribitur. Quæ hic paucis indicare necesse fuit ob diploma, quod Rethario Episcopo nostro & Ecclesiæ Paderbornensi dedit: quantumvis in hunc Pontificem acerbior Baronius; de quo tamen tam honorificè Aimoinus eorum temporum scriptor: Statim, inquit, post obitum Gregorij omnis populus Romanus sibi dari acclamavit Dominum Gerbertum. Eo Pontifice urgente redintegrata sunt ab Ottone III Jmperatore omnia Romanæ Ecclesiæ privilegia & donationes, quibus à Carolo M. Ludovico Pio, Ottone M. exornata erat; cui Henrici Jmperatoris egregium accessit diploma, frustra reclamantibus nostrorum temporum hæreticis.

Gregorio V defuncto succedit Silvester II.

Milo adhæc Mindensis Episcopus eodem quoque anno subtractus,

Obitus Milonis Episcopi Mindensis.

tractus, sidus Episcoporum Saxonicorum, ut multis hunc celebrant fasti ejus Ecclesiæ. Successorem nactus est Ramwardum virum egregium, quem in lacunâ suâ cum duobus alijs præterijt Crantzius. In fastis Abbatum Corbeiensium per id tempus villam Hoxtari flammis absumptam reperio, quo adsitum Corbeiense cœnobium in periculum venerit.

Annus Christi 1000.

Silvestri II. Pont. 2.
Ottonis III Imp. 5. Reg. 17.
Retharij Ep. Pad. 18.

Sigebertus. Auctor vitæ Meinwverci. Dithmarus lib. 6. MS. Biblioth. Vaticanæ.

Incendium Urbis Paderbornensis.

Sequitur nunc annus humanæ salutis millesimus, multis prodigijs multisque è cœlo terroribus notatus; nam & terræ motus ingens concussit Regiones, & cometa horrificus à Januario spectatus, & multæ è cœlo ignium faces; sed funestæ cumprimis Urbi Paderbornensi ex incendio, quo tota propemodum hoc anno deflagravit, sicuti Auctor vitæ Meinwerci retulit: *Quocunque, inquiens, Dei judicio, sive malitiâ inhabitantium exigente, sive saluti mortalium Deo per id consulente, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, ordinationis ipsius Retharii nono decimo, regni Ottonis III decimo septimo, imperii quarto, Indictione decima tertia, Civitas Patherbrunnensis primùm incendio vastatur; nobiléque principalis Ecclesiæ monasterium, præcipui operis et decoris à Carolo M. fundatum, à beatæ verò memoriæ Badurado Episcopo consummatum, et XIV Calend. Novembr. dedicatum, cum libris, privilegiis, aliisque Ecclesiæ monumentis propemodum conflagravit.* Eadem urbis & Basilicæ deflagratio à Dithmaro alijsque memoratur: in Vaticanæ bibliothecæ libro etiam mensis Junius adscriptus, quo id accidit. Fallitur verò Browerus, qui ad annum superiorem hæc detorquet.

Brovverus in notis ad vitam S. Meinvverci.

Poloniam Otto peragrat, Martyremque S. Adalbertum veneratur.

Dithm. l. 4. Auctor vitæ Meinvverci.

Imperator per hæc in Jtalia commorabatur, & per initia anni magno Cardinalium comitatu, quo nunquam illustrior visus, Româ in viam deductus, Ratisbonam venit. Inde per Bohemorum fines in Thuringiam & extremas Saxoniæ provincias digressus, perlustravit Cisnensem, Misnensem, ceterosque Episcopatus ab Ottone avo conditos. Rebus istic sapienter pro christiana religione formandâ dispositis, Poloniam intrat, deductus à Boleslao Principe, & Marchione suo Eccardo: tum ut sepulchrum Adelberti Martyris ante triennium pro fide occisi in Prussia, ejusque corpus, quod Gnesnæ conditum erat, veneraretur: tum ut de statu Ecclesiarum & religionis disponeret. Postquam in conspectum urbis Gnesnæ pervenit, nudis pedibus urbem intrat, ab Ungero Posnaniensi Episcopo introductus, veneratúsq; Martyrem, brachium Divi dono accipit. Ibi convocatâ Episcoporum synodo, legati Pontificis auctoritate (qui Archidiaconus Romanæ sedis à Dithmaro scribitur) Kadimum Alberti

martyris

martyris fratrem Archiepiscopum Gnesnensem constituit, eique Reinbernum Cholbergensis, Popponem Cracoviensis, & Joannem Wratislaviensis Ecclesiæ Episcopos submittit (Auctor vitæ Meinwerci Gaudentium monachum S. Adelberti fratrem Pragæ Archiepiscopum ab Ottone impositum refert; sed Dithmaro hîc potior fides habenda.)

Quibus rite per Poloniam & Saxoniam dispositis, à Boleslao Principe Magdenburgum deductus, Gislerij Archiepiscopi causam cognoscit; accusatus enim is Romæ erat, quòd Mersenburgensem Episcopatum Magdenburgensi conjunxerat, secus quàm ab Ottone avo constitutum erat. Die Palmarum peracto Magdenburgi, Quidlenburgum perrexit, ad Pascha cum consanguineis Virginibus celebrandum, comitante magno Optimatum cœtu: ubi feria II rursus Episcoporum synodus convocata, ad causam Gisilarij ab Episcopis cognoscendam. Is verò cùm per invaletudinem se excusaret, quò minus adesse posset, Imperator per Westfaliam ad Rhenum est profectus, lustratis omnium circum Episcopatibus; qua verò peragratione fervoreque juvandæ ubique religionis causâ id fecerit, Dithmarus inquit, haud satis memorari posse; nimirum cùm hoc postremo accessu transitúque Halberstadium, Hildesium, Paderbornam, Mindam, Osnabrugum, Monasterium, ceterasque Saxoniæ diœceses perlustraret. Coloniam inde perlatus Aquisgranum perrexit ingenti procerum Saxonicorum multitudine cinctus. Ubi rursus Episcoporum synodus indicta convenit ad Gislerij causam decidendam, postulante Romanæ sedis Archidiacono legatóque Pontificis; ut denuo recognoscant heterodoxi nostrorum temporum, Reges & Imperatores in his controversis Ecclesiæ causis nihil egisse sine auctoritate Romani Pontificis. At cùm Gislerius ad generale concilium provocaret, quievere Episcopi. Interim Ottoni Imperatori incessit cupido inspiciendi sepulchrum Caroli M. quod Aquisgrani ex suo mausoleo monstrabatur, utrumne ossa superessent integra cum augustalibus ornamentis. Igitur rupto clam pavimento, ut Dithmarus scribit, terram aperiri jussit, dum ad solium regium, in quo collocatus erat, perveniretur; repertusque Carolus eo Ossium situ in throno, quo conditus erat. Otto tantummodo crucem auream, quæ è collo ejus suspensa pendebat, & partem purpureæ chlamydis sumpsit, cetera decenter & magna cum veneratione reposuit; codicem videlicet Evangeliorum, aureis characteribus exaratum, & cœrulea membrana involutum, quem genu recumbens tenebat; ensem, præterea coronam, paludamentum, pomum Imperij, sceptrum & acinacem. Quorum quædam in Basilica relicta, codex videlicet Evangeliorum, cujus contactu Cæsares jurare consueverunt; tum ensis, quo equites creantur; quædam Nurenbergam transpor-

Perlustrat diœceses Saxonicas.

Dithmarus lib. 4. Beckius in Aquisgrano.

Caroli Mag. Sepulchrum honoris ergo aperit.

tata feruntur. Otto postquàm multas largitiones publicis tabulis consignatas Aquisgranensi Collegio Canonicorum fecisset, tertiam hoc ipso anno expeditionem in Italiam suscepit, evocatus Saracenorum irruptionibus in Campaniam, tanta celeritate, ut famam adventus præsentiâ ante veniret; sanè verò tum Aquilas Romani Imperij vidisses Cæsares, qui uno anno tot regna & provincias transvolarent.

Tertia Ottonis in Italiam expeditio.

Tangmarus in vita D. Bernvvardi.

Willigisus Archiep. Mogunt. cum S. Bernwardo Ep. Hildes. contendit de jurisdictione Gandersheimensi.

Subinde Willigisus Moguntinus Archiepiscopus veterem resuscitavit litem cum Hildesiensi Episcopo de jurisdictione Gandersheimensis monasterij. Faces rursum subjecit Sophia Sanctimonialis, Imperatoris soror, invitando Archiepiscopum ad dedicationem templi, quod Gerberga Abbatissa Ottonis M. soror absolverat. Dies dedicationis primò indicta festo exaltationis S. crucis, quo die D. Bernwardus invitatus accessit; sed cum nullum apparatum repperisset, eò quòd Willigisus Archiepiscopus in festum diem D. Matthiæ commutasset, illusus D. Bernwardus Hildesium redijt; post ubi sacer D. Matthiæ dies aderat, advenit Willigisus Archiepiscopus cum Rethario Paderbornensi, & Berengero Verdensi Episcopo, consecraturus templum. Accesserat & Bernardus Saxoniæ Dux cum proceribus. Missi quoque erant, qui Bernwardum invitarent; sed quia eo inconsulto hæc agebantur in suæ diœcesis loco, misit suæ nomine Eckardum Sclesvicensem Episcopum, qui tum à rebellibus Danis pulsus, exul versabatur apud D. Bernwardum. Is magnâ denuo constantiâ animi obstitit Moguntino, asserens jura Hildesiensi Episcopo, quæ Moguntinus contra Canones sacros violaret; effecitque ut dedicatio præsens templi intermitteretur. Retharius ceterique Episcopi, cum Moguntinum à pertinacia deducere non possent, auctores fuêre Bernwardo Episcopo, ut ad Imperatorem & Pontificem appellaret. Quapropter D. Bernwardus hoc anno Romanum iter ingressus, adscito secum Tangmaro Decano, fido harum rerum scriptore, Imperatorem in Italia convenit. Incredibile verò, quâ humanitate & amore Imperator veterem suum magistrum exceperit, ac secum in eodem hospitio Romæ versari voluerit, omnium consiliorum, rerumque à se gestarum moderatorem. Interim Eckardus Episcopus, ad possessionem juris firmandam, nomine Bernwardi Episcopi ad festum S. Andreæ synodum Gandershemij indicit. Venit eodem Moguntinus ad constitutum diem, ducens secum *venerabilem Episcopum Retharium* ut Tangmarus loquitur, multosque è Thuringia & Hassia, & cùm sibi auctoritatem synodi peragendæ vendicaret, objecit se pari, qua antea magnitudine animi Eckardus Sclesvicensis Episcopus, absentis Bernwardi vicarius, secumque Gandersheimenses, & qui è diœcesi Hildesiensi convenerant, ad suum synodum pertraxit: Rethario cumprimis, qui magnæ auctoritatis erat, partes utriusque conciliante, ne à dissidijs res ad publicas turbas veniret.

Annus

Annus Christi 1001.

Silvestri II Pont. 3.
Ottonis III. Imp. 6. Reg. 18.
Retharij Ep. Pad. 19.

Inter hæc Otto Imperator Italiam ingressus, celebratisque Romæ natalitijs Christi, Ravennam petijt; Qua in urbe ad VIII Calend. Aprilis constitit ad contrahendum exercitum; quo in Saracenos movit, felicique successu primum Capuam ejus provinciæ caput recepit, barbarosque è finibus depulit. Rogatu exinde Romanorum civium, Imperator Tiburtinam civitatem arcta obsidione cingit; jamque machinæ admotæ erant, & impressio magno civium periculo parabatur, cùm Pontifex Sylvester, & Bernwardus Hildesiensis Episcopus, qui Imperatori in castris aderant, urbem pacis arbitri intrant, civesque pertinacissimos tanta animorum mutatione ad obsequium componunt, ut primarij eorum, altera gladios, altera manu virgas nudi gestantes, supplices Imperatori prociderent; quos & Imperator ad preces Episcoporum in gratiam recepit. Sed hac Imperatoris clementia offensi Romani, qui Tiburtinos exules malebant, rebellant Imperatori, portas venienti claudunt, ad arma convolant, & quos Imperatori fidos primus furor corripuit, trucidant. Igitur obsidio Tiburtina versa in Romanam: pugnatum utrimque acerrimè ad mœnia urbis, ipso D. Bernwardo non modo Ottonianos milites reficiente Sacramentis, sed animante, hastamque sacram lanceamque præferente. His territi fractique cives supplices se Imperatori sistunt, & fidem jurant. Ita Imperator, Pontifex, & Bernwardus, ceterique Episcopi & proceres læti urbem ingressi procellam illam discussêre. Scribit Sigonius multa in Ottone desiderari à Germanis Scriptoribus, quæ è suis petenda sint, nescius profectò multa à Tangmaro & Auctore vitæ Meinwerci, alijsque scribi, quæ & Baronius ipse prætereat, qualia hic de Tiburtina & Romana obsidione referimus.

Lambert. Schaf.

Tiburtina ac Romana urbs ab Ottone expugnatur.

Agitata per id tempus Romæ controversia Gandersheimensis, quæ inter Willigisum, & Bernwardum Hildesiensem Episcopum fervebat; nam hanc ob causam Bernwardus in Italiam profectus erat, ut coram Pontifice & Imperatore Ecclesiæ suæ jura assereret. Et Pontifex, rogatu quoque Imperatoris, celebrem Episcoporum synodum convocavit, cui Germanos etiam Episcopos, qui cum Imperatore venerant, interesse voluit. Disceptatâ in concilio causâ, Pontifex acta Willegisi rescidit, & Bernwardum in integrum restituit. Ac ne quid in cognitione litis intermissum queri posset Willigisus, auctoritate Pontificis ac Romani concilij, alia in Saxonia synodus Episcoporum indicta Palithi congreganda; quam in rem missus à Pontifice Fridericus Cardinalis presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, quem

Causam Gandersheimensem vincit S. Bernwardus.

postea Ravenna Archiepiscopum sortita, Saxo genere, vir morum gravitate & sapientia eâ tempestate egregius. Is postquam in Saxoniam advenit, Synodum Episcoporum decimo Calend. Julij pro apostolica auctoritate convocavit Palithi, qui locus est in Saxonia Orientali ad fines Thuringiæ. Convenêre eò Willigisus Moguntinus Archiepiscopus, Lievezo, seu Libentius Bremensis & Hamburgensis Archiepiscopus, Bernwardus ex Italia reversus, ceterique Saxoniæ Episcopi, quos inter Retharius Paderbornensis Episcopus reputatur. Verùm cum Moguntini Archiepiscopi obfirmatione omnia miscerentur in tumultus, atque ipse synodo excederet, nihil illo Episcoporum congressu confici potuit, nisi quòd Moguntinus reus spretæ auctoritatis Pontificiæ, à Legato ab omni sacerdotali officio suspensus fuerit. Inde legatus Romam regressus Pontifici & Imperatori pertinaciam Moguntini actaque exposuit, ad quæ illi haud leviter indignati, synodum Tuderti indicunt.

Willigisus in synodo Palithinensi ab officio suspenditur.

Interim Germaniæ Episcopi veriti, ne hæc controversia, tanto animorum motu agitata, proserperet in gravius Ecclesiæ dissidium, convenêre Francofurti festo assumptæ in cœlum Virginis die in frequentem synodum, Willigisus Moguntinus, Heribertus Coloniensis, & Ludolphus Trevirensis Archiepiscopi; Retharius Paderbornensis, Robertus Spirensis, Beringerus Verdensis, Ekkehardus Sclesvicensis Episcopi, & qui præterea ex provincialibus suorum metropolitanorum adfuêre. Invitatus erat & Bernwardus; is quia in valetudine præpeditus erat, misit Ekkardum Sclesvicensem Episcopum nomine suo, eique Tangmarum adjunxit Decanum, virum canæ sapientiæ, exercitumque in causa Ecclesiastica, à quo hæc omnia, quæ hactenus retulimus, diligenter perscripta sunt inter res gestas D. Bernwardi, uti ipse coram egit & inspexit. Nec tamen in hac synodo Episcoporum, quòd Moguntinus absentiam Bernwardi obtenderet, quidquam transactum. Quapropter res denuo ad Sylvestri Pontificis judicium remissa, quæ deinde in Synodo Tudertina pertractata, convocatis Italiæ Episcopis; ad quam & Germaniæ Episcopi Rotgerus Leodiensis, Sigefridus Augustanus, & Hugo Citizensis accessêre; jussi præterea ab Imperatore Vasalli Clientesq; adesse, tanquam ad expeditionem militarem simul parati; evocati quoque è Germania Episcopi cum D. Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, ut ea referrent, quæ in concilio Francofurtensi decreta erant. Sed cùm & ille serius accederet Romam, neque in Tudertina synodo res tota confici potuit. Tantum una lis, imo una Sanctimonialis & inquieta fœmina, litis incentrix altrixque, Pontificem, Imperatorem, & tot Episcoporum synodos fatigavit. Detrectabat Gandersheimense Collegium submitti jurisdictioni Bernwardi Hildesiensis Episcopi, quem ex Comitum familia clarissimum & sanctissimum habebat Episcopum

Iterum conveniunt Episcopi Francofurti, ubi tamen denuò nihil conficitur.

Auctor vitæ Meinwerci. Dithm. l. 6.

pum

pum; & Willigiso Moguntino Archiepiscopo, qui patre Hamanurgo & rotarum fabro vilique opifice natus erat, parere minimè indecorum reputabat, adeo fulgor palligeri perstrinxerat oculos.

Cæterum cùm anno superiori, ut retulimus, Paderborna miserabili incendio conflagrasset, quo Basilica cum Collegio, & magna pars urbis in cineres consedit, ingens tum bibliothecæ & sacræ supellectilis jactura facta est; deploranda magis diplomatum, quorum multa exusta, multa flammis erepta, quædam etiam contacta igne hodiedum monstrantur; atque ut cetera recuperari possent, horum tamen amissio in autographis irreparabilis. Eo Retharius Episcopus noster, cumprimis sollicitus de privilegijs ac donationibus Christianorum Principum liberalitate factis, misit legatos cum literis ad Ottonem Imperatorem, qui eum sub exitum superioris anni consecuti sunt Romam, enixè deprecantes, ut Imperatoria auctoritate antiqua Cæsarum privilegia & donationum tabulas redintegrare dignaretur; quòd jacturam tabularum exustarum, quibus privilegia & donationes Caroli M. Ludovici pij, aliorumq; Regum & Cæsarum continebantur, supra alia incendij damna æstimaret. Legatos hosce benignè excepit Imperator, multumque condolens Rethario, quem inter integerrimos Saxoniæ Episcopos venerabatur, pro voto ejus omnia superiorum Cæsarum diplomata, donationum tabulas, privilegia, ac totum Ecclesiæ nostræ patrimonium insigni diplomate redintegravit, perinde ut & auctor vitæ Meinwerci singula ex eo diligenter retulit. Sed nos ipsum Ottonis diploma à Ferdinando Episcopo productum hic referamus, ex quo certius hæc omnia cognosci poterunt.

Retharius instaurationem diplomatum exustorum ab Ottone impetrat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto superna favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si locum divino cultui mancipatum, ignéque subitaneo cum ornatu et corroborationum paginis concrematum restaurare, ornare, et iterum sublimare videbimur, scimus et certi sumus id non solùm laude humana prædicandum, verùm etiam divina mercede remunerandum. Cunctis igitur Ecclesiæ Dei fidelibus, nostrisque astantibus et succedentibus compertum fore volumus, quòd de incendio Paterbrunnensis Ecclesiæ nimium condolentes, praecepta antecessorum nostrorum, et ea, quæ nos ibidem obtulimus, memoratæ sedi, hac praeceptali pagina renovamus, iterumque confirmamus; de quibus unum est de Episcopatus statu; dehinc de tuitione et mundiburdio ejusdem Ecclesiæ, et de omni proprietate ad eandem Ecclesiam pertinenti, et de electione Episcoporum inter Clericos ejusdem Ecclesiæ, et de ejus hominibus tam liberis, quam et servis nulla judiciaria persona constringendis, nisi coram advocato, quem ipse Episcopus elegerit. Insuper renovamus et confirmamus jam habitæ sedi comitatus super pagos, Paterga, Aga, Treveresga, Auga, Soretfelt dictos, pro decimis novæ Corbeiæ ad monasterium pertinentibus, et de proprietate Clericorum, si quis sine hærede illorum obierit, ejusdem Ecclesiæ concessa, et de tribus mansis in Tuispurg, et in Trut-

Trutmánnia, et de foresto, quod incipit de Dellina flumine, et tendit per Ardennam, et Sinede, usque in viam quæ ducit ad herisiam. Hæc igitur omnia, quæ supra scripta habentur, et quæ illa die tenere et possidere videbatur, quando combusta fuit, sæpe nominatæ sedi Paterbrunnensi in jus proprietarium donamus, et firmissima traditione restauramus; ea scilicet serie, ut Dominus Retharius memoratæ sedis venerabilis antistes, omnesque sui Successores universa, quæ ad Episcopum aliqua legali datione pertinent, securiter obtineant, nostra omniumque nostrorum Successorum, et omnium mortalium contradictione remota. Et ut hæc renovatio et confirmatio stabiliter cunctis permaneat temporibus, hanc paginam manu propria corroboravimus, et sigilli nostri impressione insigniri præcepimus.

Signum Domni Ottonis  *Cæsaris invictissimi.*

Heribertus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovit. Data Calend. Ian. anno Dominicæ Incarnationis M I. indictione XIIII. anno tertii Ottonis regnantis XVIII. imperii VI. actum Romæ feliciter amen.


Imperatoris diplomati conjunxit suum Sylvester Pontifex, quo eadem Ecclesiæ Paderbornensis privilegia, ac sacra patrimonij bona apostolica auctoritate confirmat, id quod Auctor vitæ Meinwerci retulit: quanquam diploma illud apostolicum injuria temporum interciderit. Quòd verò Imperator testetur in suis tabulis, quinque comitatus Paderbornensi Ecclesiæ datos, id larga compensatione factum pro decimis, quæ à Carolo M. ex prima Saxoniæ descriptione Episcopis attributæ fuerant, intra Corbeiensium terminos, ac postea Corbeiensibus aliorum Imperatorum ac Regum donatione cesserant; & has opinor decimas esse, quæ Dominicales vocantur, sæpe inter Paderbornenses & Corbeienses controversas.

Addo alterum Ottonis diploma, quo D. Bernwardum Hildesiensem Episcopum, ejusque Ecclesiam egregia liberalitate altero abhinc mense decoravit. Postulat id viri sancti memoria, de quo hactenus toties relatum, tum vel maximè Ottonis Imperatoris grata in magistrum suum beneficentia, quòd & eò gratius fore speramus, quòd recens è tabulario Ecclesiæ Hildesiensis productum acceperimus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto tertius Romanus, Saxonicus et Italicus, Apostolorum Servus, dono Dei Romani orbis Imperator Augustus. Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, sive nostrorum fidelium tam præsentium quàm et futurorum industria noverit, quomodo venerabilis vir sanctæ Hildeneshemensis Ecclesiæ Præsul Bernvvardus nomine, et nostræ imperiali clementiæ cordi homo compunctione veteris fermenti tactus, Apostolorum limina supplex adiit, oratione per innumerabiles martyrum confessiones peractâ, ea quæ fidei erant Catholicæ apud Patrem nostrum Dominum Papam Gerberhtum, sive Sylvestrum, nobismet ipsis, et carissimo nepoti

nostro

nostro Heinrico Duci intervenientibus ad Ecclesiæ suæ semper stabiliendæ supplementum canonica impetravit. Tum etiam parentum nostrorum alumnus, nostrarumque cunabularum primus sotius, nostrique antiqui, et adhuc non cessantis laboris testis semper fidelis, nec non nostræ pueritiæ ac juventutis tam affabilis multimodæ literationis informator; quia nostræ reipublicæ statum, nostrúmque vivere, et imperare per longa terrarum spacia visitare non piguit. Nos ècontra non solum eum receptui nostro imperiali condignum, verùm etiam magno quodam amoris privilegio nostra hæreditaria parte eum ditandum duximus atque decrevimus. Sed quia ad perfectum nostræ voluntatis sine magnorum nostrorum consilio pervenire prohibiti sumus, partem nostræ hæreditatis sibi suæque Ecclesiæ, cui præsidet, et fratribus ibidem Domino militantibus ob reordationem carissimorum progenitorum nostrorum, et pro animæ nostræ remedio regia largitione in proprium tradidimus. Hoc est castellum Dalehem nominatum, situm autem infra ejusdem episcopatus terminos in pago Hassala, sive Ambergan in comitatu filiorum Ekbrathi Comitis, et nepotis nostri, cum villis et areis, Ecclesiis et ædificiis, mancipiis utriusque sexus, in silvis et campis, venationibus et piscationibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, vinetis, viis, inviis, terris quæsitis et inquirendis in omnibus utensilibus, quæ adhuc dici aut nominari possunt. Fiscum etiam, quem hucusque ad nostras manus de liberis hominibus per eundem pagum recepimus, pari sententia Episcopo et fratribus nostris in Domino carissimis perpetualiter largimur. Has autem traditiones nostræ benevolentiæ, qui postmodum frangere, aut malo ingenio dissolvere velit, aut conetur, Dei et Sanctorum omnium Spirituum judicio eum suspendimus, et laqueo, quo Judas detentus est per XXX denarios, stranguletur, nisi resipiscat. Et ut hæc omnia præjudicata magis credibilia per futura tempora testentur, diligentiusque observentur, hanc nostram conscriptionis cartam inde conscriptam, nostráque manu non solum literatam, sed etiam corroboratam sigillo proprio jussimus, ut cernitis, insigniri.

Signum Domni Ottonis  *Cæsaris invicti.*

Heribertus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovit.

*Data X. Calend. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis MI. Indictione XIIII. anno tertio Ottonis regnantis *XVI Imperii *V Actum Romæ feliciter.* *al. XVIII. *al. VI.

Annus Christi 1002.

Silvestri II Pont. 4.
Ottonis ultimus.
Henrici II Regis 1.
Retharij Ep. Pad. 20.

His per Italiam rebus præclarè gestis, Otto Imperator haud multùm superstes, dolo mulieris in mortem præcipitatus occubuit. Moritur Otto veneno sublatus.

Captus

Tangmarus Dithmarus Sigebertus, Sigonius.

Captus quippe amoribus Joannæ Crescentis Romani Consulis viduæ, quem Otto ob rebellionem, ut diximus, interfici jusserat, multùm fallaci fœminæ ob egregiam pulchritudinem se familiarem fecerat; sive jam eam sibi toro junxerit, ab eáque in cubiculo Imperator veneno infectus sit, quod auctor vitæ Meinwerci & Rupertus scribunt, sive promissis illecta, furensque ob subitum Augusti discessum ex urbe, venenatas chirothecas pro amatorio munere miserit; quod Sigebertus, Sigonius, alijque tradunt. Certè D. Heribertus sæpe Imperatorem monuit, caveret sibi ab insidijs fallacis fœminæ, quæ occisi mariti vindictam clam potentius alere, quàm præsentes amores spirare crederetur. Imperator Româ ad Paternum oppidum delatus, sentit pestem in visceribus conceptam, quam mox Heriberto Coloniensi Archiepiscopo aperuit. Ubi in mortem se urgeri sensit, Heriberto multis cum lachrymis delicta confessus est, atque inde omnibus Sacramentis provisus, adstantibus Episcopis, IX Calend. Februarij Paterni, anno Christi 1002 excessit è vitâ (alij XII Februarij diem consignant) Magno omnium luctu per Imperium mors accepta; quippe qui in flore ætatis annum trigesimum haud multùm egressus extinctus est, quód majora promitteret, quàm gloriosè gesserat. Ob egregias virtutes, cumprimisque ob rerum multiplicium scientiam Vulgo Mirabilia mundi dictus. Sigonius bellica quidem virtute Ottoni M. avóque inferiorem; religione verò & pietate patre avóque multò superiorem agnoscit, qui triumphos Ottonum clauserit. Cum Romualdo etiam, ut Sigonius perhibet, convenerat, posito imperiali diademate Monachi vitam amplecti, si fata permisissent vitam. Mirifica ejus in egenos & Ecclesiam largitas, in omnes clementia & caritas, vitæque integritas commendata; quippe qui sanctissimos Episcopos semper secum in aulâ præsentes habuit, in quorum oculis vixerit, quorum consiliis Imperium administrârit. Retharius Episcopus noster etsi aulam sectatus non sit, multum tamen Imperator canæ ejus sapientiæ virtutique detulit.

Ursperg. Marianus Scotus. Dithmarus. Tangmarus Sigonius. Otto Frising.

Sepelitur Aquisgrani.

Priusquam è vita obiret Otto Imperator, insignia Imperij apud Heribertum Coloniensem Archiepiscopum ceterosque, qui aderant, Episcopos deposuit, dum electione Principum certus esset Rex & Imperator subrogatus. Corpus, uti mandârat, Aquisgranum ad tumulum deportatum, deducentibus illud per Italiam Heriberto Archiepiscopo, unáque cum Leodiensi, Augustano & Constantiensi Episcopis, ceterisque Imperij proceribus. Postquam Bojaria intrata, occurrit Henricus Bojariæ Dux, humerosque funeri portando subjicit; & quòd jure consanguinitatis Ottoni sine proli defuncto proximus esset, certáque spe Imperium præcerperet, insignia Imperij extorquet ab Episcopis; præter sacram lanceam, quam Heribertus tanquam palmare Imperij decus avexerat, rite demum electo tradendum

dum. Non his contentus Henricus Bojariæ dux Herbertum in custodiam abripit, nec prius dimittnedum denunciat, quàm fratrem obsidem daret,& lanceam sibi reddendam polliceretur.

Subinde vulgata Ottonis morte, magno animorum motu magnáque Principum æmulatione certatum pro Regno. In Jtalia Arduinus Eporædiæ Marchio Rex à multis salutatus. Ac metus erat ne Jtaliæ Regnum rursus ab Imperio avelleretur. In Germania Bruno Saxoniæ Princeps, Ekhardus Thuringiæ Marchio, & Hermannus Sueviæ Dux palam Jmperii coronam affectabant; trahebant singuli pro se in factiones Episcoporum & procerum studia. Major interim pars saniorque prona magis in HenricumBojariæ Ducem; quòd is Ottonis Magni ex fratre nepos, proxima consanguinitate Augustam familiam contingeret; Princeps præterea esset, ut Auctor vitæ Meinvverci perhibet, *secundum sæculi* dignitatem locupletissimus, & literarum studiis non leviter instructus, & quòd his majus est, vir omni perfectione Ecclesiastica bellicáq; virtute ceteris longè eminentior; quam tum maxime probavit, cùm Ottoni Imperatori in extrema expeditione Italica adesset, Imperatoremque, ut Sigonius scribit, Romæ conjuratorum armis in prætorio obsessum corporis sui objectu liberavit. Multa præterea hujus viri decora erant ex sago togáq; quæ insigni postea castimonia vitæ & sanctitate illustriora fecit.

Imperium plures candidati ambiunt. *Auctor vita Meinvverci. Dithm. l.4.*

Primi ab creandum novum Germaniæ Regem convenere Saxones Frosæ in oppido Nothuringiæ, Gislerus nimirum Episcopus Magdenburgensium, cum provincialibus suis Episcopis: tum Bernardus Saxoniæ Dux, Lutharius, Ekhardus ac Gero Marchiones, cum Regni optimatibus. In hoc conventu summa ambitione causam suam egit Ekhardus Marchio, Ottonis primi ex Ludolpho filio pronepos, obnitente Luthario & palam exprobrante, an non sentiret currui suo quartam rotam deesse. Juratum deinde ab omnibus, nullum absse Regem eligendum, priusquam in publica totius Saxoniæ comitia Werlis in Westfalia conveniretur. Ibi igitur celebrior Episcoporum & Saxonicorum procerum conventus est habitus, ad quam Bernardus Dux Saxoniæ, Lotharius frater, ceterique Optimatum accessêre. Adfuit etiam Sophia & Alheidis, utraque Ottonis III soror & sanctimonialis; tanquam ad fœminas quoque Reip. cura spectaret. Ekhardus interim, ut rem suam ageret, Hildesium primùm advolavit. Jbi à Bernwardo antistite honorificè exceptus, Paderbornam festinat, ut & hujus Episcopi animum occuparet; at postquam urbem ingredi voluit, reperit portas à Civibus occlusas. Retharius Episcopus noster cum nihil sibi ab homine metuendum censeret, Marchionem intromisit, & post preces in Ecclesia factas, lauta etiam & hilari cœnâ excepit; in qua cum ambiti Regni consilia sua Rethario aperiret, nec ab Episcopo probari cognosceret, Wer-

Dithmarus Raderus in vita S. Henrici.

las ad conventum discessit. Pertentavit & Bruno Saxoniæ Dux Bernwardi animum; sed tam ille, quàm Retharius summæ tum auctoritatis inter Saxoniæ Episcopos pro Henrico stabant. Inter hæc, dum Werlis agitantur procerum consilia, advenit legatus Henrici Boarij Ducis, cujus opportuna oratione permoti omnes decernunt, non alium abs se, quàm ipsum Bojariæ Ducem creandum Regem & Imperatorem. Quo audito Ekhardus Werlis digressus, ad Hermannum Sueviæ Ducem iter instituit, Regni spem inflammaturus in æmulo, qua ipse exciderat; at miser, priusquam eò pervenerit, Polcdæ ad fines Thuringiæ à Sigefrido Northeimij Comite pridie Calend. Maji hasta confoditur.

Quod Henricus Bavariæ Dux obtinet, Moguntiæq; à Willegiso inungitur.

Auctor vitæ S. Meinvverci.
Raderus in Bava. Sancta.

Henricus per hæc Saxonum suffragijs certus, cum nobilissimo Bojorum & Francorum Orientalium comitatu ineunte mense Junio Wormatiam usque progressus, ac transito istic Rheno, Moguntiam incolumis pervenit; qua in urbe, quòd omnia ad inaugurationem composita, VII Idus Junij læta omnium acclamatione à Willegiso Archiepiscopo Rex inungitur, præsentibus Archiepiscopo Salisburgensi, ac Brixiensi, Herbipolensi, Ratisbonensi, Argentinensi, Pataviensi, Frisingensi, Abbate Fuldensi, alijsque præsulibus & Dynastis quamplurimis. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus quo minus adesset, Ottonis funere adhuc præpediebatur; lanceam tamen ad cetera Imperij insignia transmiserat. Inde Henricus Rex omnium Principum, ac procerum Bojorum, Francorum Orientalium, aç Lotharingiorum auxilijs subnixus, bellum primùm adversus Regni æmulos suscepit; ductisque in Hermannum Sueviæ Ducem copijs, armorum ostentatione compressit. Mox Ottonem Carentanorum Ducem, virum bello egregium, cum valido exercitu in Italiam misit, quo novus quidam Rex Arduinus aliquot prælijs fractus, nondum tamen obteri potuit. Major primò Henricum Regem cura urgebat, firmandi se in Regno, & Saxonum animos sibi demerendi; eó in Thuringiam profectus, Merseburgi celebrem Episcoporum & procerum conventum habuit. Ad quem evocati sub exitum Julii convenêre Libentius Bremensis & Gisilerius Magdenburgensis Archiepiscopi: Retharius Paderbornensis, Bernwardus Hildesiensis; Arnulphus Halberstadiensis, Ramwardus Mindensis, Bernardus Verdensis, Hugo Citizensis, Wotelolfus Osnabrugensis Episcopi; quibus accessêre Bernardus Saxoniæ, ac Boleslaus Poloniæ Duces, unà cum Luthario, & Gerone Marchione, ac Palatino Comite Friderico, & ingenti Comitum ac nobilium multitudine. Ibi una totius Saxoniæ consensione & plausu Henricus Rex salutatus, sublatisque in cœlum dexteris fides Regi jurata, eò majori omnium lætitia, quòd suæ gentis Regem ex Augusta Saxonum familia recepissent. Merseburgo Rex ad Visurgim profectus, Gruonæ, quæ nunc Gronæ vicus

Dithmarus lib. 4.
Adelbold in vita S. Henrici.

est,

est, occurentem sibi habuit Cunigundam Conjugem, quam Rex Paderbornam deduxit, invitatus à Rethario Episcopo. Sequebantur Regem magno comitatu sacrorum Præsules, & Saxoniæ Optimates, quòd hanc urbem & loci amœnitate, & cultu civium, & collegio Clericorum, ac religione præstantem florentemque delegisset, in qua Cunigunda, quam castam magis sororem, quàm conjugem habebat, Regina inaugurarետur; quæ deinde magna celebritate à Willegiso Moguntino Archiepiscopo, in Corona Episcoporum, & procerum Saxoniæ solemni ritu festo D. Laurentij coronata est, quòd exinde Auctor vitæ Meinwerci non modò ad splendorem urbis, sed Ecclesiæ augmentum evenisse tradit. Nam ex eo tempore Henricus Imperator mirificè affectus erga Paderbornensem Ecclesiam, multis eam regiæ liberalitatis donationibus locupletavit, ut non immerito alter conditor Episcopatus, aut certe restaurator à Paderbornensibus colatur; quæ ut Rethario Episcopo cœpta, ita mirificè à Meinwerco Retharij Successore sunt aucta. Multum in hanc rem contulit Cunigunda pijssima Regina, multumque tum etiam Meinwercus, qui per id tempus adscitus à Rege inter aulæ Sacerdotes damna incendij deplorabat. Accessit sub id tempus Paderbornam Sophia Gandersheimensis Sanctimonialis, soror Ottonis III: Hæc inflata virgo, quæ tot annis & synodis Episcoporum litem sui veli aluerat, cœpit ibi opportunitatem suæ causæ captare, ut cum Regina coronata in consortium honoris veniret. Et, quâ valebat gratia apud Regem & Principes, obtinuit ut per Willegisum Moguntinum Archiepiscopum solemni ritu velaretur; id quod Bernwardo Hildesiensi Episcopo, qui aderat, dissimulandum fuit, ne lætitiæ celebritatem interturbaret. Cœca fastu nobilitatis virgo; tanquam in his sacris ritibus non magis rerum humanarum contemptio, quàm generis splendor & spectantium plausus, quærenda esset. Nec tamen hæc serena lætitiæ celebritas sine nube & turbis peracta. Enim vero cùm Bavari Regem ad hanc celebritatem consecuti, sibi eadem in aliena regione indulgerent, quæ in sua consuêrant, ac liberè fruges jam adultas circa urbem in pabula equorum demeterent, nec moniti desisterent; indignati cives atque incolæ locorum, vi pabulatores aggressi, plagis mulctatos sauciosque ex agris depellunt. His irritati Regij ad arma convolant: nec segnius se tuentur cives, factóque concursu res à jurgijs ad cruentam utrimque pugnam devenit, quâ frater Filberti, seu Egilberti verius, Cancellarij, juvenis spectatæ indolis ex aulicis Regis interemptus. Hujus casu exacerbati Regij ad arma multò furiosius se colligunt. Jam tota Urbs tumultu concito in publicas cædes miscebatur, cùm Regia auctoritate interventum est, &, compressa seditione, à civibus revulsi quiescere jussi. Actum deinde legibus in concitores, & castigati rei.

Henricus Paderbornam invisit, ubi coronatur Cunigunda ejus Uxor.

Adelboldus in Vita S. Henr.
Auctor vita B. Meinwerci.
Tangmarus in vita S. Bernwardi.
Auctor vit. S. Godehardi
Gobelinus in Cosmod. c. 52.
Chron. Hildes.
Ibidem

velamen demum obtinet à Willigiso Sophia Monialis Gandersheimensis.

Pugna regios inter & cives Paderborn.

Adelboldus in vita S. Henrici.

Henricus denuo Aquisgrani coronatur.

Serrarius in hist. Mogunt.

Rex Paderbornâ per Westfaliam digressus ad Rhenum properavit, & Duisburgum est perlatus; ubi conventu Lotharingicorum indicto, exceptus est à Leodiensi & Cameracensi Episcopo. Inde ab Heriberto Coloniensi Archiepiscopo Aquisgranum deductus, solemni denuo ritu ab Archiepiscopo in natalitio virginis inunctus ac coronatus est; quòd id loci Regisque majestas requirere visa, ut istic in throno Caroli M. collocaretur: si non id etiam D. Heribertus pro suo munere exegerit. Nec bis inungi Reges, Pipini & Regum Hebræorum exemplo, alienum est, Jam omnes Germaniæ Principes se Henrico Regi submiserant, præter Hermannum Sueviæ Ducem; qui tamen, postquam Aquisgranum supplex se ad pedes Regis abjecit, in gratiam receptus est. Rex indè lustratis Bruxellis Belgióque, in Bavariam iter repetijt: quem 18 Calend. Octobr. Retharius Paderbornensis Episcopus noster convenit in Bochbardon (locus, ut opinor, est ad Rhenum, qui Boppardia nunc dicitur) ibi Regi in memoriam revocavit calamitatem incendij, quam coram inspexerat, memoremque promissi reddens, non modò larga subsidia ab instauranda Ecclesiæ suæ damna, sed & omnium privilegiorum confirmationem impetravit, uti hæc ex regio diplomate, quod subjicimus, satis constabit.

Confirmantur ab Henrico Privilegia Paderbornensia.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, qualiter nos incendio Paderbrunnensis Ecclesiæ miserabili condolentes, petitionique nostri fidelis Retharii Venerabilis Episcopi, qui eidem sedi modo præesse videtur, ut oportuit, annuentes, in supplementum jam dictæ Ecclesiæ in jus concedimus, et per hoc regale præceptum corroboramus forestum, quod incipit de Luthera flumine, et tendit per Osnig et Sinidi usque in viam, quæ ducit ad Horibusam; et de hominibus prædicti Episcopi tam liberis, quàm et Servis nulla judiciaria potestate constringendis, nisi coram advocato, quem ipse Episcopus elegerit, nostra omniumque nostrorum Successorum, et omnium mortalium contradictione remota. Et ut hæc confirmatio stabilior cunctis permaneat temporibus, hanc paginam manu propria corroboravimus, et sigilli nostri impressione insigniri præcepimus.

Signum Domni Heinrici Regis invictissimi.



Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovi. Data XVII Calend. Octobr. anno Dominicæ incarnationis M. II. Indict. * *I. anno verò Domni Heinrici Reg. I. actum Bochbardon.*


* *al. XV.*

Uti & Herivordensia.

Jam ante Rex, dum Gronæ versaretur, Radboldo Werthinensi Abbati egregio diplomate privilegia redintegrârat, ductus, ut fatetur, cultu in D. Ludgerum ejus Cœnobij conditorem; eodemq; mense Augusto eandem liberalitatem explicuerat in Herivordense Collegium Virginum quorum privilegia simili diplomate renovantur.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Si Ecclesias Christi Dei nostra regali potentia sublimare conamur, hoc procul dubio, et ad præsentis nostri regni statum, et ad æternæ beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quomodo nos per interventum dilectæ conjugis nostræ et Reginæ Cunigundæ, unâ cum consilio Willigisi Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopi honorandi, ac Berenhardi ducis, aliorumque fidelium nostrorum, vota et petitiones domnæ Godesdbiu herifurdensis monasterii venerabilis Abbatissæ, cunctæque congregationis sanctæ Mariæ sibi commissæ sequentes, nostra regia auctoritate tres Ecclesias in pagis bursibant et Scopingon nominatis, in villis quoque hreni vvadiringas et Stochheim constructas cum omnibus rebus, et decimationibus suis à hludovico Imperatore ob remedium animæ suæ ad præfatum herifurtense monasterium traditis, eidem monasterio more antecessorum nostrorum confirmamus, eo tenore, ut jam dicta domna Godesdhu abbatissa, omnesque in eodem honore sibi succedentes cum prædictis Ecclesiasticis rebus aliisque omnibus à Regibus et Imperatoribus per præcepti paginam illuc traditis, liberam dehinc potestatem habeant cum suis ministris ecclesiastico ordine disponere atque gubernare, remotâ omnium hominum contradictione. Insuper sub eadem corroboratione concludimus, quidquid à religiosis, et Deum timentibus personis ad sæpe jam dictum monasterium herifurtense in præsenti traditum est, vel in futuro tradendum erit. Et ut hæc nostræ regiæ donationis corroboratio ab hac hora in antea firma et inconvulsa permaneat, hanc nostræ dominationis confirmationem inde conscriptam sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit. Data II Idus Aug. anno Dominicæ incarnat. MII. Indictione XV anno vero Domini Heinrici Reg. I actum Arundi.

Haud dissimili beneficentia Henricus Rex antiqua Corbeiensium jura, rogatu Hosat Abbatis, qui Thiatmaro superiori anno subrogatus erat, Neomagi redintegravit. Et Corbeiensia.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, qualiter venerabilis Abbas Husat nostram adiit Excellentiam suppliciter orans, ut nostra magnifica magnificentia prospiceremus monasterio, cui præsidere videretur, quod est constructum super fluvium Wisera in loco, qui dicitur nova Corbeia, in honorem Dei, et sancti protomartyris Stephani, ubi et sancti Viti martyris pretiosa pignora servari noscuntur. Cujus petitioni rationabili, propter divinum amorem et venerationem beatorum martyrum, assensum

assensum præbentes, hos apices serenitatis nostræ circa ipsum monasterium fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, nisi solus illius loci provisor et advocatus prædicti monasterii, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones præfati monasterii, quas moderno tempore justè et rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet Episcopiis, pagis, vel territoriis, vel quidquid ibidem propter divinum amorem, et illius sancti loci venerationem collatum fuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quàm et servos, vel litos injustè distringendos ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere, aut exagitare præsumat, sed liceat ibidem Deo famulantibus sub nostræ immunitatis tuitione quieto ordine vivere, ac residere, quatenus melius illos delectet omni tempore pro nobis et Conjuge nostra, atque stabilitate totius regni à Deo nobis collati Domini misericordiam attentius exorare. Insuper etiam decimas, vel decimales Ecclesias in quibuslibet Episcopiis ita teneant atque disponant, sicut ab antecessoribus nostris, Regibus videlicet et Imperatoribus, tenere per præcepta visi sunt atque disponere. Episcopis verò, quibus servitium et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persolvant. Et ut hæc auctoritas concessionis atque confirmationis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus et futuris melius credatur, atque diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, et sigilli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domini Heinrici  *Regis invictissimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit. Data IX Calend. Septembr. anno Dominicæ incarnat. M. II. Indict. XV. anno vero Domini Henrici Regis I. actum Noviomago.

Ac Osnabrugensia.

Illustre quoque diploma est, quo Wotelolfo Osnabrugensi Episcopo, viro integerrimo, prisca ejus Ecclesiæ privilegia, & donationum tabulas renovavit, id quod Ferdinandus Episcopus noster ex ipso Osnabrugensium tabulario communicatum accepit; quodque ab Ertmanno prætermissum, hìc conjungere placuit; ex quo erroris compertus Ertmannus, qui hoc anno Wotelolfum III Nonas Aprilis excessisse scribit, cùm mense Julio hoc diploma Merseburgi impetrârit à Rege; quanquam hoc anno obiisse referat Auctor vitæ Meinwerci.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum industria, qualiter vir venerabilis Wodilulphus Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopus, nosterque fidelis, serenitatis nostræ clementiam adiens postulavit, ut eidem Ecclesiæ suæ immunitatis


munitatis et libertatis nostræ præceptum fieri mandaremus, per quod res et potestates, quæ suo Episcopo jure debentur, licentius, ac planius habere valuisset. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri Jesu Christi assensum præbentes insuper decrevimus, et hoc præceptum pro voto ejus conscribi jussimus, per quod firmiter præcepimus, ut sicut sanctæ Ecclesiæ Clerici per totam Franciam et Saxoniam, et immunitatis tuitione, et antecessorum nostrorum Regum videlicet et imperatorum auctoritate confirmantur, ita præfati præsulis sedes sancta perpetuo per hoc præceptum nostrum Domino opitulante stabilita consistat, eo pacto, ut nullus Judex publicus, neque aliqua judiciaria potestas, aut Comites, vel vicecomites, vel missi dominici per tempora discurrentes, loca illius Episcopatus ad placita habenda, vel freda, vel parafreda exigenda, aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut servos, vel liberos sive Liddones, et cæteros, et eos, qui casum persolvere debent, quod mandschad vocatur, ad pontem restaurandum aut corrigendum, ullo unquam tempore astringendos ingredi valeant. Liceat etiam in eodem loco Osnabrugensi mercatum habere, et monetam publicam instituere, et teloneum seu vectigal inde accipere omni tempore, nemine contradicente. Sit quoque licentia præfato venerabili Episcopo, ejusque Successoribus, et suo advocato res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus, quæ possidet, vel deinceps acquisierit, quieto ordine possidere, suasque Ecclesias juste corrigere, et suas causas absque ulla contrarietate ordinare atque disponere, Insuper etiam ad ejusdem Ecclesiæ quoddam nemus vel forestrum intra hæc loca situm Farvvinckel, Brutanssen, Angarn, Osning, Seneto, Bergeshovet, Drenameri, et Wesfeld, Dumeri cum omni integritate in porcis videlicet silvaticis atque cervis, omnique venatione, quæ sub banno usuali more ad forestrum deputatur, in perpetuum proprietatis usum donavimus, ea videlicet ratione, ut nullus contumacia deditus nemus prælibatum nostro scilicet banno munitum sine prædictæ sedis Episcopi aut pastoris licentia studio venandi, vel aliquod hujusmodi negotium peragendi, sicuti nostri patres et antecessores suis prædecessoribus sanxerant, præsumant intrare. Quod si quispiam parvi pendens tentaverit, sciat se tam divinæ quam et nostræ ultionis vindictam incursurum, nec non debitum pro delicto in regalem fiscum redditurum. Et ut hoc verius credatur, ac per futura tempora diligentius conservetur, hoc regiæ immunitatis insigne manu propria firmavimus, et sigillo nostro imprimi jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi.*

Gilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit. Data V. Calend. Aug. anno Dominicæ incarnationis M. II. Indict. XV anno verò Domni Heinrici Regis imo. actum Merseburc.

Wotelolfo Osnabrugensi Episcopo è vivis subtracto, subrogatus illi est Thetmarus, quem virum à probitate, liberalitate in pauperes, forti-

assensum præbentes, hos apices serenitatis nostræ circa ipsum monasterium fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, nisi solus illius loci provisor et advocatus prædicti monasterii, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones præfati monasterii, quas moderno tempore justè et rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet Episcopiis, pagis, vel territoriis, vel quidquid ibidem propter divinum amorem, et illius sancti loci venerationem collatum fuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos, quàm et servos, vel litos injustè distringendos ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere, aut exagitare præsumat, sed liceat ibidem Deo famulantibus sub nostræ immunitatis tuitione quieto ordine vivere, ac residere, quatenus melius illos delectet omni tempore pro nobis et Conjuge nostra, atque stabilitate totius regni à Deo nobis collati Domini misericordiam attentius exorare. Insuper etiam decimas, vel decimales Ecclesias in quibuslibet Episcopiis ita teneant atque disponant, sicut ab antecessoribus nostris, Regibus videlicet et Imperatoribus, tenere per præcepta visi sunt atque disponere. Episcopis verò, quibus servitium et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persolvant. Et ut hæc auctoritas concessionis atque confirmationis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus et futuris melius credatur, atque diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, et sigilli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domini Heinrici  *Regis invictissimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit. Data IX Calend. Septembr. anno Dominicæ incarnat. M. II. Indict. XV. anno vero Domini Henrici Regis I. actum Noviomago.

Ac Osnabrugensia.

Illustre quoque diploma est, quo Wotelolfo Osnabrugensi Episcopo, viro integerrimo, prisca ejus Ecclesiæ privilegia, & donationum tabulas renovavit, id quod Ferdinandus Episcopus noster ex ipso Osnabrugensium tabulario communicatum accepit; quodque ab Ertmanno prætermissum, hîc conjungere placuit; ex quo erroris compertus Ertmannus, qui hoc anno Wotelolfum III Nonas Aprilis excessisse scribit, cùm mense Julio hoc diploma Merseburgi impetrârit à Rege; quanquam hoc anno obijsse referat Auctor vitæ Meinwerci.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum industria, qualiter vir venerabilis Wodilulphus Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopus, nosterque fidelis, serenitatis nostræ clementiam adiens postulavit, ut eidem Ecclesiæ suæ immunitatis

munitatis et libertatis nostræ præceptum fieri mandaremus, per quod res et potestates, quæ suo Episcopo jure debentur, licentius, ac planius habere valuisset. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri Jesu Christi assensum præbentes insuper decrevimus, et hoc præceptum pro voto ejus conscribi jussimus, per quod firmiter præcepimus, ut sicut sanctæ Ecclesiæ Clerici per totam Franciam et Saxoniam, et immunitatis tuitione, et antecessorum nostrorum Regum videlicet et imperatorum auctoritate confirmantur, ita præfati præsulis sedes sancta perpetuo per hoc præceptum nostrum Domino opitulante stabilita consistat, eo pacto, ut nullus Judex publicus, neque aliqua judiciaria potestas, aut Comites, vel vicecomites, vel missi dominici per tempora discurrentes, loca illius Episcopatus ad placita habenda, vel freda, vel paraefreda exigenda, aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut servos, vel liberos sive Liddones, et cæteros, et eos, qui casum persolvere debent, quod mandschad vocatur, ad pontem restaurandum aut corrigendum, ullo unquam tempore astringendos ingredi valeant. Liceat etiam in eodem loco Osnabrugensi mercatum habere, et monetam publicam instituere, et teloneum seu vectigal inde accipere omni tempore, nemine contradicente. Sit quoque licentia præfato venerabili Episcopo, ejusque Successoribus, et suo advocato res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus, quæ possidet, vel deinceps acquisierit, quieto ordine possidere, suasque Ecclesias juste corrigere, et suas causas absque ulla contrarietate ordinare atque disponere, Insuper etiam ad ejusdem Ecclesiæ quoddam nemus vel forestrum intra hæc loca situm Farvvinckel, Brutaussen, Angarn, Osning, Seneto, Bergeshovet, Drenameri, et Wesfeld, Dumericum omni integritate in porcis videlicet silvaticis atque cervis, omnique venatione, quæ sub banno usuali more ad forestrum deputatur, in perpetuum proprietatis usum donavimus, ea videlicet ratione, ut nullus contumacia deditus nemus prælibatum nostro scilicet banno munitum sine prædictæ sedis Episcopi aut pastoris licentia studio venandi, vel aliquod hujusmodi negotium peragendi, sicuti nostri patres et antecessores suis prædecessoribus sanxerant, præsumant intrare. Quod si quispiam parvipendens tentaverit, sciat se tam divinæ quam et nostræ ultionis vindictam incursurum, nec non debitum pro delicto in regalem fiscum redditurum. Et ut hoc verius credatur, ac per futura tempora diligentius conservetur, hoc regiæ immunitatis insigne manu propria firmavimus, et sigillo nostro imprimi jussimus.

Signum Domini Heinrici  *Regis invictissimi.*

Gilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit. Data V. Calend. Aug. anno Dominicæ incarnationis M. II. Indict. XV anno verò Domni Henrici Regis imo. actum Merseburc.

Wotelolfo Osnabrugensi Episcopo è vivis subtracto, subrogatus illi est Thetmarus, quem virum à probitate, liberalitate in pauperes, forti-

fortitudine & fervore religionis mirificè dilaudat Auctor vitæ Meinwerci. Opus hujus Episcopi est Basilica & Collegium Canonicorum S. Joannis baptistæ consecratum dotatumque.

Annus Christi 1003.

Joannis XVIII Pont. 1.
Henrici II Regis 2.
Retharij Ep. Pad. 21.

Varia Henricus Belgij loca visitat.

Adelboldus in vita Henr. Dithm. l. 9. Brovverus Brunnerus. Tangmarus in vita Bernvvardi. Vita S Henrici apud Gretzerum. Sigefrid. Epit.

Aderat jam annus Christi millesimus tertius, regni Henrici secundus, quo Rex celebratis Francofurti natalitijs, Theonisvillam concessit ad comitia Lotharingorum procerum. Quibus prospere peractis, arma vertit in Hermannum & Theodoricum Duces; eversóque Molsbergio castro, Aquisgranum petit ad justa annuáque Ottonis III funebria persolvenda. Inde ad Belgij celebriora Episcoporum Collegia lustranda digressus, magno pietatis studio cultúque Divorum, Leodium, Trajectum, Neomagum invisit, magnis licet colicæ doloribus conflictatus. Nam hoc anno, ut Tangmarus est auctor, constituit Rex Episcopia, Abbatias & cœnobia religiosorum hominum circuire, quo se Regnumq; sibi divinitus collatum eorum precibus commendaret. Jam copias suas ab Arduino in Italia profligatas: jam Bohemiam à Boleslao, quem anno superiori in exilium projecerat, occupatam: jam in superiori Germania Ernestum & Brunonem fratrem tumultuare intelligebat; invictâ tamen animi constantiâ prius in Saxoniam profectus, sacra non destitit loca obire, ac religiosorum hominum preces tantò impensiùs apud Deum sollicitare, plus sacris religiosorum subsidijs, quàm militum armis confisus; quam in rem multam quoque stipem in pauperes, multa dona in religiosorum cœnobia dilargitus est. Ea in Saxoniæ peragratione Hildesium quoque festo Palmarum die accessit, ut D. Bernwardum conveniret, & locum invisiret, in quo primum enutritus, & in scholis bonas literas pietatemque edoctus erat. Hildesio Quidlenburgum discessit ad Pascha celebrandum. Ibi dum in sacro Virginum cœtu pietati quietique vacat, Regem adijt Retharius Episcopus noster, lamentabilem denuo incendij casum, collegij urbisque ruinam deplorando, quam Rex non modò largo dono, sed novo etiam diplomatis beneficio exornavit.


Auctor vitæ Meinvv.

Retharius novam ab Henrico Privilegiorum confirmationem impetrat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus superna favente clementia Rex. Si locum divino cultui mancipatum, ignéque subitaneo cum ornatu et corroborationum paginis concrematum restaurare, ornare, et iterum sublimare videbimur, Scimus et certi sumus, id non solùm laude humana prædicandum, verùm etiam divina mercede remunerandum. Cunctis igitur Ecclesiæ Dei fidelibus, nostrisque astantibus et succedentibus compertum fore volumus, quòd de incendio Paterbrunnensis Ecclesiæ nimium condolentes,

tes,

tes, præcepta Antecessorum nostrorum, et oblationes fidelium memoratæ Sedi hac præceptali pagina renovamus, iterumque confirmamus. De quibus unum est de Episcopatus statu; dehinc de tuitione atque mundiburdio ejusdem Ecclesiæ, et de omni proprietate ad eandem Ecclesiam pertinenti, et de ejus hominibus, tam liberis, quàm et servis, nulla judiciaria persona constringendis, nisi coram advocato, quem ipse Episcopus elegerit. Insuper renovamus et confirmamus jam habita sedi comitatus super pagos Paterga, Aga, Threveresga, Auga, Sorehtfeld dictos, pro decimis novæ Corbeiæ ad monasterium pertinentibus; et de proprietate Clericorum, si quis sine hærede illorum obierit, eidem Ecclesiæ concessa; et de tribus mansis in Tuisburg, et in Trutmannia. Et de foresto, quod incipit de delbna flumine, et tendit per ardennam et sinedi usque in viam, quæ ducit ad herisi. Hæc igitur omnia, quæ supra scripta habentur, et quæ illa die tenere et possidere videbatur, quando combusta fuit, sæpe nominatæ sedi paterbrunnensi in jus proprietarium donamus, et firmissima traditione restauramus, eâ scilicet serie, ut domnus Retharius memoratæ sedis venerabilis antistes, omnesque sui Successores universa, quæ ad Episcopium aliqua legali datione pertinent, securiter obtineant, nostra omniumque nostrorum successorum, et omnium mortalium contradictione remota. Et ut hæc renovatio et confirmatio stabilior cunctis permaneat temporibus hanc paginam manu propria roboravimus, et sigilli nostri impressione insigniri præcepimus.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit.
Data IIII Nonas Aprilis anno Dominicæ incarnat. M. III. Indict. I. Anno II. Domni Heinrici Regis I. actum Quidilingaburc.

Henricus, postquam religiosorum hominum precibus, & Divorum patrociniis se per hyemem præmunierat, solutis Quidlenburgi procerum comitiis, per vernum tempus exercitum ex Bojis, Francis Orientalibus, Lotharingijs & Saxonibus educit ex hibernis in Franconiam, atque adversus Henricum, Hezilonem, Ernestum Theobaldi Marchionis filium, Brunonem fratrem, ceteraque rebellium capita movet. Comperto Regis adventu, hostes & sceleris conscientiâ, & Regis potentiâ obruti, in silvarum latebras se abdidêre. Captus tamen Henricus, & ad Regem perductus. Hezilo & Bruno ad Boleslaum Bohemiæ invasorem profugêre; quos tamen omnes postea Rex mulctatos bonorum possessionibus ac supplices (quæ insignis erat clementia) ad magnorum Præsulum preces, in gratiam recepit. Tempestate hac disjectâ, Rex arma & consilia vertit in Sclavos, gentem perpetuò infestam. Id bellum, quia hoc anno cœptum Marianus Scotus, Hermannus Comes, Lambertus Schafnaburgensis,

Henricus Rebelles domat.

ſis, Conradus Abbas Usrbergenſis, Albertus Stadenſis, alijque ſcriptores tradunt, alteróque abhinc anno, ut multis Dithmarus expoſuit, continuatum, ac tertio demum anno confectum, hic paucis ex Adamo Bremenſi, Helmoldo & vita Henrici Imperatoris referre juvat. Duplex verò Sclavorum, eorumque barbarorum genus; alij Occidentales, quibus Bernardus Dux Saxoniæ, nepos Bellingi, moderandis præerat: alij Orientales, quibus continendis Theodoricus Thuringiæ Marchio præſtitutus erat; uterque Sclavis deficiendi cauſam dedit per miniſtros, quorum avaritiâ & dominandi libidine vexati tributis poſt mortem Ottonis III, unâ omnium conſpiratione rebellare cœperunt, & cum tributorum penſitatione ſimul chriſtianam religionem exuere, ſævireque in ipſos Chriſtianos; ut multis deplorat Dithmarus, Adamus Bremenſis, Helmoldus presbyter, & Albertus Stadenſis Abbas. Nam primò totam Nortalbingiam depopulati; deinde reliquam peragrantes Sclavoniam, quantum ad Orientem Saxonibus prætexitur, omnes Eccleſias & cœnobia & ſacras ædes injectis, flammis exuſſerunt, ſolóque adæquarunt. Sacerdotes ceterique Eccleſiæ miniſtri aut ejecti, aut diris cruciatibus interempti; tantoque furore & calamitate hæc agebantur, ut trans Albim nullum penè chriſtianæ religionis veſtigium relinqueretur. Haud procul Hamburgo multi ex clero & civibus in captivitatem abducti. Aldenburgenſium civitas, quæ Sclavis Stargardia dicta fuit, & numero incolarum populoſa, & religione chriſtiana florentiſſima, ex quo Otto M. in ea ſedem Epiſcopi collocârat expugnata; trucidatis pecorum in modum civibus, ſexaginta presbyteri capti, ſervatique in ludibrium & longum ſupplicium; nam cute capitis in modum crucis incisâ, ſingulis ferro cerebrum apertum eſt; dein ligatis poſt tergum manibus per Sclavorum civitates raptati ſunt, donec verberibus, & vario ſuppliciorum genere inter populi ludibria exanimati conciderint. Ita verò Sclavi, qui intra Albim & Oderam ab Ottone M. victi, per 70 propè annos Chriſti religionem coluerant, ad ſacrilegos Paganorum ritus rediêre; metuſque erat ne Albim tranſgreſſi, totam Saxoniam perturbarent; quòd à Bernardo Duce, & Theodorico Marchione parum ſubſidij affulgeret. Nam alter poſtquam ſpe Regni exciderat, Bernardum ceteroſque Epiſcopos vexare aggreſſus eſt; alter ob eandem arrogantiam & avaritiam honoribus & bonis exutus, haud multò poſt miſere interijt. Henricus Rex, ut hiſce malis in præſenti occurreret, ad Albim profectus, comitia ad caſtra Werlina indixit, quò ſimul convenêre Principes Rethariorum, Luitiorum, Winitorum, Obotritorum, ceterorumque Sclavorum dulcedine & promiſſis ab Henrico Rege mitigati captique, in præſens pacem & amicitiam polliciti; quanquam perfidi non deſtiterint vexare Chriſtianos, irritati cumprimis Bernardi

Sclavi Saxoniam devaſtant.

Dithmarus lib. 5. Helmoldus lib. 1.

Bernardi Ducis fastu & avaritiâ, à quo vectigalibus & oneribus Sclavorum gens premebatur. Sed longè majus periculum urgebat Regem, & Christi religionem ex Poloniâ & Bohemiâ, ob gentis utriusque Principes, quorum uterque Boleslaus nomine barbaros Sclavorum populos armabat adversus Imperium. Et Polonus à Bohemis imploratus, Bohemiam ingressus, Boleslaum orbatum oculis è principatu dejecit, occupatâque Pragâ, utrumque principatum conjunxit, homo perfidus, & Christianis infestus, quo Principe Mersenburgensis Ecclesia & dioecesis, & omnis ea regio christiana à Sclavis funditus est eversa. Igitur Henricus Rex, conversis in hunc barbarum hostem armis, validum ex Saxonia, Francia Orientali, Bojaria & Lotharingia exercitum contrahit, quo in Bohemiam progreditur, coelestibus magis armis, quàm militum robore confisus. Eò dum Walbecam Saxoniæ Oppidum transit, gladium D. Adriani martyris ex Ecclesia sumit, imploratâque ope Divi hujus, & Laurentij, Merseburgensis Ecclesiæ patroni, ac Georgij Martyrum, procedit in aciem; conspicatus verò innumerabilem barbarorum multitudinem sibi occurrentem in armis, versus primum est ad milites cohortandos, deinde ad Deum Divosque in coelum; quorum ope imploratâ, aspectabili formâ tres memorati Martyres ante exercitum se obtulêre, Angelo duce; ad quorum aspectum ductumq; signa intulit, & memorabilem illam victoriam à Sclavis reportavit. Quâ deinde Polonia, Bohemia, & Moravia subacta, & tributaria Regi facta est, impositusque Bohemiæ Jarimirus christianæ religionis Princeps, quocum res sacræ in suum statum restitutæ sunt. Et Rex præterea ex voto nihil impensius habuit, quàm ut Mersenburgum cæterosque Episcopatus ab Ottone M. conditos, cum Collegijs Clericorum & coenobijs instauraret, & Christi religionem longe latéque per Saxoniam & Sclavorum regiones firmaret.

Auctor vitæ Meinwerci.

Vita S. Henrici apud Gretz. Surius ad 14 Julii.

Cæduntur ab Henrico prodigiosa clade.

Nonnosus in vita S. Henrici. Raderus in Bava. S.

Annus Christi 1004.

Joannis XIX. Pont. 1.
S. Henrici II Reg. 3.
Retharij Ep. Pad. 22.

Anno postero, qui Christi illuxerat supra millesimum quartus, Henricus Rex, compositis per Saxoniam, Germaniamque rebus sacris & profanis, Italicam expeditionem adversus Arduinum tumultuarium Italiæ Regem suscepit. Enim vero ex Bohemia superiori anno in Saxoniam reversus, Episcopos & Regni primates convocavit Magdenburgi; ibi postquam Gisilero Magdenburgensi Archiepiscopo subrogasset ex Episcoporum consilio Tagmonem, virum sanctum, à D. Wolfango educatum, & Wigbertum aulæ Sacerdotem, virum doctrina, facundia dicendi, eruditione, probitate egre-

Ditm. l. 6.

gium Merseburgensi Ecclesiæ imposuisset; Merseburgo cum exercitu Saxonico per Thuringiam & Franciam Orientalem Ratisbonam movit ad conventum procerum; ubi Henricum Luxenburgicum Cunigundis Reginæ fratrem 12 Aprilis Ducem Bojariæ dixit. Tertia hæc principatus mutatio, ex quo exclusis Agilolfingis, primò ad Caroli M. stirpem, deinde ad Saxones pervenerat. Haud leves postea ea res motus concivit inter ambientes æmulos; sed his dispositis, Rex ascito in comitatum Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, cum instructissimo exercitu in Italiam progressus, die Palmarum Tridentum pervenit. Inde superatis Alpium angustijs, profligatisque Arduini copijs, Veronam ingreditur, occurrentibus passim Italiæ Episcopis & Principibus. Ventum denuo Papiam ad regiam Longobardorum sedem, ubi Mediolanensis Archiepiscopus exceptum Regem ad ædem D. Michaelis duxit, & solemni ritu in solio collocavit, Mediolani postea à se coronandum, qui id Arduino negârat, quòd vitio creatum diceret. Læta ibant omnia inter præsulum & procerum applausus, cùm Rex in præsentissimum vitæ periculum deducitur.

Italiam Henricus petit adversus rebelles.

Hærebant in urbe post Regum accessum multi ex factiosis Arduini Regis, occultè per hospitia dispersi; ij audax facinus trucidandi Regis aggressi, cives Papienses in partes & seditionem trahunt, obtendendo jam opportunum tempus sibi oblatum excutiendi imperia Germanorum; quòd Rex cum paucis Satellitum in palatio versaretur, & miles in suburbijs, vicinisque circum locis sparsus pernoctaret. Igitur sub vesperum, intensis jam tenebris, ebrij & conglobati ad arma prosiliunt, auctóque tumultu, alijs super alios accurrentibus, ad regiam convolant. Prætoriani qui rari excubabant, cùm in Regis necem hæc fieri viderent, repentè portas palatij occludunt. At tanto furiosius seditiosi incurrêre, hastis & machinis arietando. Eo in tumultu ausus D. Heribertus Colon. Episcopus ex fenestra alloqui furentes, & velle turbam compescere; sed ille mox, incusso saxorum & missilium imbre, coactus se subducere è conspectu. Accedit Rex ipse, paratus in mediam turbam irrumpere, ratus sua præsentia & alloquio tumultuantes componi posse. Sed D. Heribertus retraxit, commonens non eodem periculo Regem & privatum hominem componi. Inter hæc milites, qui in urbe erant, advolant in subsidium, turbamque submovent; quidam etiam ad retrahendos cives vicinis ædibus ignem injiciunt, quo tota pœne civitas conflagrare cœpit. His demum exciti milites ex suburbijs & castris advolant, transcensisque mœnibus pugnam cum civibus miscent; quo in æstu armorum & animorum Giselbertus florentissimus juvenis, Reginæ frater, intrepidè dimicans interficitur. Ejus casu Cermani exacerbati multò furiosius in civium capita grassantur; quos inter Wolframus

Præsens vitæ periculum adit à rebellibus.

framus miles cædem juvenis conspicatus, per medios cuneos perrumpit, & percussorem obtruncat. Ita cæde civium, & urbis conflagratione Rex liberatus, in auream D. Petri cellam extra muros se recepit. Cives supplices se ad pedes Regis abjiciunt, &, quæ Regis erat clementia, veniam impetrant. Hac Papiensium strage ceteræ Italiæ urbes consternatæ certatim per legatos se ultro in fidem Regis dederunt, quam deinde ad pontem longum tota Lombardia juravit. Lustrato Mediolano, D. Ambrosij colendi causâ, & ferijs Pentecostes Cremæ peractis in Germaniam reduxit exercitum, multasque Alsatiæ & Alemanniæ urbes transiens, jus in singulis publicè dixit, veteri Imperatorum more. Ac mira res, quæ prodigij instar est habita: Argentinæ pro tribunali considente Rege, curia solutis compagibus corruit, nullo præter obscenæ vitæ sacerdotem oppresso. Exeunte Junio festum Apostolorum Moguntiæ celebrat. Inde peragratâ Franconiâ in Saxoniam properavit; Nam hanc provinciam, dicere sæpe auditus est Henricus Rex, se tanquam securitatis portum, & genialem paradisi hortum ingredi, ut de eo perhibet Dithmarus Episcopus, non tam propter natale majorum solum, fidamque popularium suorum gentem, quàm religionis florem; siquidem per id tempus integerrimi planè & sanctissimi Episcopi Saxoniæ erant, quos inter Tangmo Magdenburgensis Archiepiscopus, Bernwardus Hildesiensis, Retharius Paderbornensis, & quos præterea in synodo Tremoniensi & Francofurtensi mox recitabimus. *Dithm. l. 6.*

Annus Christi 1005.

Joannis XIX Pont. 2.
Henrici II. Regis 4.
Retharij Ep. Pad. 23.

Hibernis inter Saxones peractis, Henricus Rex trans Rhenum profectus, res publicas per Lotharingiæ Regnum disposuit. Id tametsi scriptores sileant, ex consignatis diplomatibus æstimare facile licebit. Nam & Aquisgrani Nonis Aprilis confirmat Ecclesiam S. Crucis Leodij, quam Notgerus Episcopus construxerat, multaque largitione dotat: & cœnobium S. Maximini apud Treviros paribus munificentiæ tabulis exornat. Et Regis præsentiam Lotharingia poscebat, quando eo anno Otto Dux Lotharingiæ, ultimus Carolinæ stirpis superstes, è vita subtractus est. Ducatum hujus inferioris Lotharingiæ Henricus Rex, convocato procerum consilio, donavit Godefrido, filio Godefridi Barbati, Virdunensis Comitis filio, quem Sigebertus Ardennensem vocat. Ea Ducis mutatio, magnos postea motus dedit æmulorum arrogantia, qui se præteritos querebantur. *Fisen. lib. 9. hist. Leod. Zallesius in defens. S. Maximini.* Lotharingiam donat Godefrido Godefridi Barbati filio. *Sigebertus in chron. Lipsius in Lovanio l. 1. c. 10. Miræus in chron.*

Interim Henricus Rex, cum annum hunc 1005 à bellis vacuum nactus esset, animum adjecit cum Episcopis ad corruptos Cleri populique *Brovverus l. 10. Ann. Trev.*

lique mores corrigendos. Quam in rem Tremoniæ in Westfalia, seu ut Dithmarus scribit, *in loco qui Throtmanni dicitur, magna synodus congregata est, ubi Rex cum Episcopis præsentibusque cunctis questus est gravi oratione de corrupta in multis Ecclesiis disciplinâ, quæ communi eorum consilio emendanda, et optimo novæ institutionis decreto prohibenda sit, quo gravem peccatorum suorum sarcinam simul relevare possit.*

Interest Synodo Tremoniensi.

At quinam Episcopi ad magnam illam synodum convenerint, aut quæ in ea decreta sint, ipse non prodidit. Gobelinus noster aliquanto explicatius de hac synodo, *Henricus,* inquit, *Imperator, vir magnæ devotionis, anno quarto regni sui in Tremonia habuit concilium cum Episcopis et Principibus regni: præsentes verò istic fuerunt Coloniensis, Bremensis, et Magdenburgensis Archiepiscopi: et Monasteriensis, Osnabrugensis, Paderbornensis, Metensis, Vormatiensis, Leodiensis, Trajectensis, Ferdensis, Hildesemensis, et Merseburgensis Episcopi.* Igitur hi interfuêre magnæ huic synodo Heribertus Coloniensis, Libentius Bremensis, Tagmo, sive Daganus Magdenburgensis Archiepiscopi: Suederus Monasteriensis, Thiatmarus Osnabrugensis, Retharius Paderbornensis, Theodoricus Metensis, Burchardus Wormatiensis, Notgerus Leodiensis, Ansfridus Trajectensis, Bernarius Verdensis, Wigbertus Merseburgensis, & si qui præterea à Gobelino prætermissi: nam Crantzius omnes Saxoniæ Episcopos interfuisse memorat, quemadmodum Cleinsorgius Halberstadiensem, & Mindensem Episcopum adjecit. Acta hujus præclaræ synodi non sine posterorum querimonia interciderunt; non tamen ea jacturâ, quin Gobelinus memorabile pietatis fœdus & fraternitatis societatem ex ea nobis retulerit, quâ Rex, Episcopi & Principes se mutuò obligarunt pro cujusque defuncti levamento ad certa subsidia præstanda; ut vel inde hunc veterem Ecclesiæ ritum recognoscas. Ita enim Gobelinus. *In hoc concilio ordinatum fuit inter cætera, quòd post obitum cujuslibet Principis, seu Episcopi ibidem existentis, quilibet Episcopus superstes per XXX dies qualibet die, nisi infirmitate impediretur, missam pro defuncto diceret, et trecentos pauperes pasceret, ac totidem denarios pauperibus erogaret, totidemq; lumina accenderet. Rex autem et Regina mille quingentos pauperes pascerent, et totidem denarios erogarent, et duces similiter facerent, quilibet secundum facultatem suam.* Jam antè etiam ejusmodi fœdera pietatis in more fuerunt; quemadmodum id synodus Bavarica à Caroli M. ætate sub Tassilone habita commonstrat, qua convenit inter Episcopos & Abbates; *uti unusquisque Episcoporum, Abbatumque superstes pro defuncto in domo Episcopali, vel cœnobio C Missas speciales, et eodem numero Psalterium cantare faciat; ipse verò de propria persona sua XXX speciales Missas compleat, vel à religiosis sibimet subjectis.* Et quæ præterea in hanc rem istic conventa fuerint. Ceterum Tremoniensis hujus concilij meminêre Crantzius, Trithemius, Cleinsorgius, Leopol-

Gobelinus in Cosmod. at. 6. c. 52.

In quâ conventum de suffragijs, post mortem Episcopi vel Principis ibid. existentis.

Henricus Canisius ex synodo Ingolstadii edita.

Leopoldus Bambergensis, Stengelius, alijq; præter Baronium & Binium scriptores. Episcopi certè, qui in hanc synodum convenêre, omnes propè sanctitatis famâ fuêre celebres, ut ex singulorum fastis, ac vita Heriberti, Bernwardi, aliorumque rebus gestis à Dithmaro & Adamo Bremensi pervulgatum est; haud secus quàm Rex jam nomine sanctitatis inclarescere cœpit: tanquam sub sancto Rege non nisi sanctos Episcopos Deus Saxoniæ dedisset. Haud ignoro à Fabritio, & alijs etiam heterodoxis per criminandi libidinem scribi, Ottonum Imperatorum temporibus, Episcopos & Cathedrales Clericos per Saxoniam degenerasse à prisco vitæ instituto; cùm nulla propè ætas, aut innocentium in clero virorum, aut sanctorum Episcoporum feracior deprehendatur. Legant illi vitam D. Heriberti, D. Bernwardi & Godehardi Hildesiensis Episcopi: legant quæ Adamus Bremensis de Libentio, ceterisque ante ipsum Bremensibus Archiepiscopis consignavit: revolvant, quæ Dithmarus de Tangmone Magdenburgensi Archiepiscopo, Suedero Monasteriensi, ceterisque Saxoniæ Episcopis; quæ Auctor vitæ Meinwerci de Rethario & Meinwerco Episcopis nostris, ac Tetmaro Osnabrugensi Episcopo: quæ demum fasti singulorum de suis Episcopis, ac ceteri passim auctores scribunt; ne quid dicam de Apostolicis viris & sanctis Sacerdotibus, qui tanto numero per Daniam, Sueciam & Sclaviam à Barbaris interempti, vitam pro christiana religione obtulerunt; quorum martyria Adamus Bremensis, Helmoldus, earumque regionum scriptores nobis tradidêre. Plena quoque horum innocentum sanctorumque hominum cœnobia & collegia utriusque sexus per Saxoniam, quæ ob id Ottones & Henricus Imperatores tanta munificentia & veneratione prosecuti sunt, certè nullum adhuc Episcoporum Saxoniæ à Caroli M. ad hanc ætatem lego, cujus vita publica alicujus concubinæ labe notata sit. Quòd primò observare decebit eos, qui Lutheri doctrinam professi, non ignorant hunc ex sacrilego Monialis toro novum suum Evangelium auspicatum esse, in eoque omnem exinde vitam egisse. Si quorundam Episcoporum fastus, si opum cupiditas, si dissidia, & collapsa cleri disciplina referantur, non id ceteris præjudicare debet; quando nulla à suis exordijs propè gentis Ecclesia ab his immunis fuit. Vitia hæc erunt, dum homines erunt, quæ cum nascente religione christianam statim Ecclesiam, & ipsum etiam Apostolorum cœtum cum proditore ingressa sunt.

Sanctimonia Episcoporum & Canonicorum id temporis.

Cleri populique disciplinâ per Tremoniensem synodum formatâ in melius, Henricus Rex, quod auctores prodidêre, viam sibi stravit ad majorem victoriæ & gloriæ cumulum; nam eâ finitâ exercitum contra Boleslaum in Poloniam traduxit, gentemque cum insolente eorum Duce multis prælijs obtrivit. Frisij etiam inter hæc, qui in con-

Henricus Polonos subigit. Dithm. l. 6.

conventu Tremoniensi accusati erant, quòd navigationem & Commercia Saxonibus mercatoribus redderent infesta, Piratas in quos culpam rejecerant, comprehensos Saxonum arbitrio plectendos dederunt. Rex bello Polonico confecto in Saxoniam ad hiberna rediit; Auctor vitæ Meinvver. ex quo belli otio octavo Calend. Novemb. Corbeiam ad Visurgim accessit, loci veneratione, & religiosorum hominum pietate captus. Quo cognito, Retharius Episcopus noster Regem Corbeiæ adiit Ecclesiæ suæ egestatem questus; Basilicam enim, quæ exusta erat, cum collegio moliebatur ex incendii ruinis. Rex cùm nihil in promptu haberet, quo Episcopi inopiam sublevaret, Meinwercus, qui jam tum Regis Capellanus erat ultro prædium suum, quod in villa Bochinevordi, & Comitatu Ludolphi Comitis habebat, Regi obtulit, ut ex eo haberet, quod Rethario donaret. Id continuo Rex Episcopo donavit; eâ tamen lege, quam Meinwercus adjici voluit, ut Retharius Episcopus, dum viveret, in sua potestate ad Ecclesiæ necessitates possideret; post mortem verò Episcopi cederet in stipendia Clericorum, qui S. Liborio in Collegio deservirent. Nescius tum Meinwercus, se brevi Rethario in Episcopatu subrogandum, cùm hac liberali donatione Paderbornensem Ecclesiam tanquam arrhâ aliquâ sibi desponsaret, Deo haud multò post largius remunerante hanc Meinwerci beneficentiam. Nec minus tum commodum accidit Henricum Regem accepisse testem indigentis Ecclesiæ Paderbornensis, cujus liberalitatem deinde Meinwercus tot donationum tabulis excussit, ut ex egena Ecclesia faceret locupletissimam. Hæc verò, quo testatius cognoscantur, recitamus hic ipsum donationis diploma ab Henrico Rege Rethario Episcopo nostro datum.

Meinwercus Prædium suum donari Paderbornensi Ecclesiæ per Henricum curat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet et futurorum, noverit industria, qualiter nos pio admonitu venerabilis Episcopi Retharii, felicis memoriæ patris nostri memoriam facientis, nec non et tam nostræ, quàm etiam dilectissimæ contectalis nostræ Cunigundæ videlicet Reginæ animæ consulentes, ad monasterium in honore sancti Liborii Padrabrunnen dedicatum, quoniam prætaxata amabilis conjunx nostra regiæ consecrationis inibi adinvenit dominium, tale prædium, quale nobis Meginvverc cappellanus noster dedit, in proprium donavimus, situm in villa Puochinesurti dicta, et in comitatu Luitolfi Comitis, cum omnibus eidem prædio justè et legaliter adhærentibus, et appendiciis, mancipiis utriusque sexus, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, viis et inviis, exitibus et reditibus, silvis, venationibus, aquis, earumque decursibus, molendinis, piscationibus, seu omnibus, quæ dici, vel scribi possunt quolibet modo utilitatibus, eâ videlicet ratione, ut prædictus Episcopus in sua habeat potestate atque servitute, quamdiu Deus sibi concedat dies sæcularis vitæ; finitis verò suis temporibus ad stipendia fratrum in præfato monasterio Deo sanctoque Liborio famulantium,

um, omni contradictione remotâ, determinamus, donamus, consecramus, atque omni jure proprietario confirmamus, ut habeant, teneant, firmiterque possideant, et quidquid sibi libeat inde ad communem usum omnibus modis faciendi agant, quod ut verius credatur, inconvulsiusque ab omnibus observetur, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes sigillique nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi.*

Eberhardus Cancellarius vice Willigisi Archicappellani recognovit. Data VIIII Calend. Novemb. indict. III, anno Domin. Incarnationis M. V. anno vero Domni Heinrici secundi regnantis IV. actum Corpheie.

Impetravit & hoc anno Retharius Episcopus noster diploma à Joanne XVIII Pontifice Romano, quo Castella, arces, omnesque Episcopatûs possessiones per Apostolicam auctoritatem confirmantur; & præterea, ne quis Episcopus Paderbornensi Ecclesiæ imponatur sine Collegij Cathedralis consensu. Magnopere de hoc veteri suo privilegio conservando sollicitì fuêre Episcopi & Canonici, ne quis aut ingratus, aut minus idoneus Principum favore imponeretur. Privilegium verò ejusmodi est.

Joannes Pontifex facultates ecclesiasticas & electionem Episcopi Paderbornensi Collegio asserit.

Joannes Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ratario Paterbrunensi venerabili Episcopo, suisque Successoribus in perpetuum. Sacrosancta apostolica sedes, dum maternæ pietatis et regiminis universaliter in Ecclesiis Christi obtinet officium, corroborationis, doctrinæ et auctoritatis impendere incessanter eisdem debet suffragium. Quocirca tuæ postulationi, Rever. fili, in concedendo tibi tuæque sedi apostolicæ auctoritatis privilegio, et libenti animo annuimus, et gratissima animi indulgentia concedimus. Ita enim caput gaudere poterit, si membra integra stabilito robore se habere senserit. Igitur ut ab antiquis sanctæ Paterbrunnensis Ecclesiæ sedes, cui Deo auctore præsides, fundata, ac rebus diversi generis dotata est, utque bonorum virorum, ac fidelium Christi collatione hactenus copiis divitiarum possessionumque accrevisse visa est, ita eam perpetuo apostolici juris præcepto sibi tuisque Successoribus in perpetuum manere decernimus: sintque à pravorum incursione, dolo, et direptione tuta, quæcunque prædicta Ecclesia, immo sedes Episcopalis possedisse hactenus videtur; vel quæcunque acquirere fidelium Christi collatione poterit, id est, vicos, possessiones, curtes, diœceses, diœcesiumque territoria sibi pertinentia. Item arces, castella, agros, vineta, flumina, lacus cum omnibus, quæ in eis sunt instrumentis, servos etiam et ancillas, itemque colonos, census seu reditus, aut etiam pensiones. Ista omnia, et sicut supra dictum est, quorum-

quorumcunque possessionem prædicta Ecclesia habere visa est, aut videbitur, auctoritate apostolica eidem confirmamus, et corroboramus, et in perpetuum valere decernimus, ut nulla violentia aut ingenio ab ea subripiantur aut alienentur. Item decernimus beati Petri Apostoli auctoritate, ut nulla ordinatio ibi Episcopalis existat, id est, nullus consecretur Episcopus in prædicta Ecclesia, nisi electione filiorum ejusdem Ecclesiæ approbatus; si quis autem insanus aut præsumtor res ejusdem Ecclesiæ devastando, aut diripiendo, itemque minuendo contra hoc nostræ auctoritatis privilegium venire tentaverit, aut observare despexerit: nisi condigna emendatione resipuerit, excommunicationi subjaceat, anathematis vinculo innodetur, maledictione æterna damnatus sit, ac cum reprobis pœnis subjaceat æternis.

*Datum & scriptum per manus Petri abbatis & Cancellarii sacri palatii in mense Decembris, indictione *quarta, Anno Domino propitio Domni Joannis *XVIII Papæ tertio.*

**al. 3.* **NB. Alii hunc vocant Ioan. XVIII. alii XIX. Vide Spondanum.*

BENE VALETE.

Annus Christi 1006.

Joannis XIX Pont. 3.
Henrici II Regis 5.
Retharij Ep. Pad. 24.

Dithm. l. 6. Sigebert. in chron. Chron. camar. Anselm. apud. Chapeav. t. 1. c. 53. Expeditio Henrici pro Godefrido contra invasores Lotharingiæ.

Vix dum Rex conquieverat à bello Poloniæ, cùm novum illi, intestinumque bellum anno proximo obortum. Dederat anno superiori, ut diximus, Henricus Rex Ducatum Lotharingiæ Godefrido Virdunensis Comitis filio: ea res magnopere offendit Albertum, Namurcensem, & Lambertum Lovaniensem Comitem, quorum ille, Ermgardem, hic Gerbergam, utramque Ottonis Imperatoris sororem, in matrimonio habebat, eóque jure uxorio sibi Lotharingiæ principatum vendicabant; his se conjunxit Balduinus Flandriæ Comes, auxilijs Roberti Franciæ Regis, & Richardi Nortmanniæ Ducis subnixus, ac Godefrido bellum intulit. His provocatus Henricus Rex, Godefridi clientis partes suscepit, ductóque in Flandriam exercitu, Valentianas obsedit. Bellum id in alterum annum protractum, quo Gandaviensis arx expugnata, & multæ Flandro urbes ereptæ. His Balduinus supplex factus, ritu supplicis se ad pedes Regis abjecit, impetratâque veniâ jussus est fidem & obsequium jurare.

De fundando Bambergensi episcopatu cogitat Henricus.

Sed longè illustrius hoc anno Henricus Rex aggressus est opus: Bambergæ nimirum, ut jam à multis annis meditatus fuerat, novum Episcopatum ex hereditarijs bonis condere cœpit. Nam eam urbem cum circumjacentibus prædijs & locis donatam acceperat ab Ottone III Jmperatore, consanguineo suo, quam postea Cunigundæ conjugi dedit; & cùm inter castos sanctosque convenisset

conju-

conjuges, non alium hæredem, quam Christum scribere bonorum suorum, omnia consilia convertêre in Episcopi sedem Bambergæ erigendam. Huic verò instituto obstabat acerrimè Herbipolensis Episcopus Henricus, D. Heriberti frater, haud secus, quàm olim Halberstadiensis Episcopus Ottoni M. in condendo Magdenburgensi Episcopatu, quòd locus esset intra jurisdictionem suæ diœcesis, multóque simul bonorum censu Successores Episcopi orbandi essent. Quam in rem componendam determinandamq; rogatu Regis, Francofurti Episcoporum synodus congregata, ad quam omnes Cisalpini Episcopi convenerunt, ut multis exponit Dithmarus, Auctor vitæ Henricici apud Gretzerum, alijque. Sed magna controversia inter Scriptores, quo anno hæc Francofurtensis Synodus sit habita: Marianus Scotus, Albertus Stadensis, Tangmarus, Baronius, ac Binius ad hunc annum Christi MVI. revocant. Hermannus contractus, alijque, qui Browero probatiores videntur anno sequenti habitam volunt; sed inde lis illa (id quod auctores hi aut non animadvertêre, aut non distinguere satis potuerunt) quòd in hac controversia de Episcopatu Bambergensi duplex synodus congregata sit Francofurti; uti id ex vita D. Henrici apud Gretzerum, actis utriusque synodi, & diversa Episcoporum præsentia constare poterit. Altera hoc anno MVI est habita, ad quam postquam Henricus Rex commutationem bonorum & satisfactionem Herbipolensi Episcopo obtulit, convenêre Willigisus Moguntinus Archiepiscopus, Burchardus Wormatiensis, Walbero Spirensis, Adalbero Basileensis, Lambertus Constantiensis, Udalricus Curiensis Episcopi: Ludolphus Trevirensis Archiepiscopus, Theodericus Metensis, Bercholdus Tullensis, & Heymo Virdunensis Episcopi: Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Notkerus Leodiensis, Eralwinus Cameracensis Episcopi: Tangmo, sive Daganus Magdenburgensis Archiepiscopus, Hildolfus Manticanus Episcopus, In hoc Episcoporum consessu, postquam Henricus gravi oratione exposuisset, quo piæ mentis suæ consilio percuperet Christum bonorum suorum hæredem scribere, ex ijsque Bambergensem Episcopatum condere, ne queri posset Herbipolensis Episcopus ulla sui parte diœcesin suam minuendam, offerre se pro arbitrio Patrum satisfactionem, quantam illi decernerent. Hæc cùm flexis humi genibus peroraret, memorabili ad posteritatem modestiæ documento, non prius surrexit, quàm Moguntini Archiepiscopi manibus erigeretur. Ad ea Berengarius Herbipolensis Episcopi legatus produxit Ecclesiæ suæ privilegia, obtestatus Patres, ne quidquam absente Episcopo suo statuerent, quo Ecclesiæ suæ juri derogaretur. Willigisus, qui consilio præerat, patres jussit ire in suffragia. Primus Tangmo Magdenburgensis Archiepiscopus, vir spectatæ sanctita-

Quam in rem Francofurtensis synodus celebratur.

Marianus Scotus. Tangm. in vita Bernvvardi. Baron. ad hunc annum.

Henricus flexis genibus rogat Episcopos ut fundationem Bambergensem admittant.

tis pro Henrico Rege pronunciat, quem ceteri ordine suis suffragijs consecuti. Rex quoties advertit Episcopi suffragium in diversa abire, rursus in terram prostratus supplicis ritu orabat, tanquam rei causa ageretur, demirantibus cunctis Regis submissionem, qui tanta veneratione majestatem Regiam Episcoporum judicio subjiceret. Tandem Regis causa omnium prope sententijs probata, statutumque ad Pontificem esse referendam, ut is comprobaret. Missi legati cum actis synodi, & Pontifex Joannes XVIII, coacto Romæ Episcoporum consilio, acta primæ Francofurtensis synodi comprobavit, sancivitque Episcopatum Bambergensem Apostolica quoque auctoritate condi posse pro Regis arbitrio. Quam in rem magnificas literas dedit ad Henricum Regem & Germaniæ Episcopos, scriptas mense Junio indictione V. qua jam annus Christi insequens M VII designatur, uti diploma hoc Pontificis recitatur à Gretzero in vita S. Henrici, & concilijs.

Joannes Pontifex confirmat Bambergensis Episcopatus institutionem.

Annus Christi 1007.

Joannis XIX Pont. 4.
Henrici II Regis 6.
Retharij Ep. Pad. 25.

Auctor vitæ S. Henrici.
Concil. Gen. edit. Par.

Iterata Synodus Francofurtensis, in qua Pontificium de erigendo Episcopatu Bamberg. indultum ab Episcopis recipitur.

Igitur ad has Pontificis literas, ut auctor vitæ S. Henrici perhibet, *habitum est rursum generale concilium in Franchonfurt, cui præsedit Willigisus Moguntinus. Universi Archiepiscopi et Episcopi, qui interfuerunt, numero XXXVI; cum debita veneratione privilegium sedis Apostolicæ susceperunt.* Atque hæc est altera Francofurtensis synodus, quæ III Novembris à scriptoribus congregata memoratur, diversa à prima, in qua Episcopi Pontificiam sententiam Româ allatam in erigendo Bambergensi Episcopatu confirmaverunt. Interfuêre autem, præter Henricum Regem jam omni metu absolutum, hi Archiepiscopi, & Episcopi, quorum singuli diplomati Pontificis subscripsêre. Willigisus sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus, Ratherus, sive Retharius Paderbornensis Episcopus, Megingaudus Eichstatensis, Bernwardus Hildisnisheimensis, Lambertus Constantiensis, Arnolfus Hälberstadiensis, Uldaricus Curiensis, Burchardus Wormatiensis, Werinharius Argentinensis, Walterus Spirensis, Bruno Augustensis Episcopi.

Liudolphus Trevirensis Archiepiscopus.

Berchtoldus Tullensis, Heimo Virdunensis Episcopi.

Harwigus Juvavensis seu Salisburgensis Archiepiscopus.

Christia-

Christianus Pataviensis, Gebehardus Ratisbonensis, Egilbertus Frisingensis, Adalbero Brixiensis Episcopi.

Heribertus Coloniensis Archiepiscopus.

Schwidgerus Mimigardevordensis, Ansfridus Trajectensis, Theodoricus Mindensis, Thietmarus Osnabrugensis Episcopi.

Dagino sive Dangmo Magdenburgensis Archiepiscopus.

Hildiwardus Citizensis Episcopus.

Burchardus Laudunensis, seu verius Lugdensis Archiepiscopus.

Badolphus Tarentasiensis Archiepiscopus.

Anastasius Ungrorum Archiepiscopus.

Adalbero Basileensis, Hugo Genuensis, Henricus Lausonensis, Eckehardus Sclesvicensis, Albericus Cumanus, Richolfus Tergestinensis Episcopi.

Hi nimirum octo Archiepiscopi cum suis provincialibus Episcopis, à quibus, præsente rursum Rege Henrico, atque ipso Herbipolensi Episcopo, Bambergensis Episcopatus est confirmatus; quos inter Retharius Episcopus noster ordine consecrationis primo loco inter provinciales suos Episcopos consedisse memoratur, quippe qui in senio, & ætate gravis, in xxv annum Episcopatum gerebat. Henricus voti compos primum Episcopum Bambergæ imposuit Eberhardum Cancellarium suum, quem & eodem die Willigisus Archiepiscopus consecravit. Neque Rex quicquam impensius habuit, quàm ut per commutationem possessionum Herbipolensi satisfaceret, & Bambergensem Ecclesiam S. Petro & Paulo. S. Kiliano & Gregorio M. patronis dedicatam unà cum Cunigunda sanctissima conjuge prædijs ac bonis dotaret. Duo præterea in ea urbe Bambergensi monasteria ab eo condita, alterum Canonicorum sub patrocinio S. Stephani, alterum Monachorum D. Benedicti, quod sub tutela Michaelis Archangeli esse voluit. Hoc etiam anno Henricus Rex Francofurti Calend. Novembris Abbatiam Teckingensem donat Bambergensi Episcopo. Et jam antè, VI Idus Maji, Bambergæ Frisingensi Episcopo, & XVII Calend. Julij Neunburgensi Virginum cœnobio Ratisbonæ donationum tabulas fecerat, quorum diplomata apud nos sunt, quæ hic prætermittimus, quòd Saxoniam non contingant.

Primus Bambergæ Episcopus Everhardus Cancellarius.

Annus

Annus Christi 1008.

Joannis XIX. Pont. 5.
Henrici II Reg. 7.
Retharij Ep. Pad. 26.

Dithm. l. 6. Brovver. in ann. Trev. Hist. Boj.

Megingaudum Trevirensi Ecclesiæ præficit Henric9, eumque contra Adalberonem propugnat.

Annus insequens Christi supra millesimum octavus Henricum rursus intestino bello involuit. Excesserat è vivis Liudolphus Trevirensis Archiepiscopus, in cujus locum elegêre Trevirenses pleriq; Adalberonem Cunigundæ Reginæ fratrem, favore magis Regis gratiæq; captandæ causa, quàm religionis bono; quòd licet præpositus jam esset ad S. Paulinum, juvenis tamen & ætate immaturus ad tanti muneris dignitatem censeretur; eò Henricus Rex Megingaudum, Willigisi Archiepiscopi Camerarium, Ecclesiæ Moguntinæ Præpositum, virum nobilem ac gravem, multisque in Ecclesia muneribus probatum Trevirensibus dedit Antistitem. Quod tanto laudabilius fuit in optimo Rege, quo sincerius constantiusque præsules Ecclesiæ non à propinquitate familiæ & sanguinis, sed à virtutis æstimatione, bonóque Ecclesiæ deligendos censeret. Contra Adalbero qui jam omni ambitione Episcopatum illum præcerpserat, palam rebellare, occupare palatium, pontem præmunire Castellis, armare Cives, atque omnes per Mosellam aditus intercludere, ne quis Megingaudo accessus pateret. Adjunxêre se Adalberoni fratres ejus, Henricus Dux Bojariæ à Rege impositus, & Theodericus Metensis Episcopus, Fridericus Comes Luxemburgi, compluresque Dynastæ, jam ante offensi, quòd Rex dotem Cunigundæ averteret à familia in Episcopatum Bambergensem. Megingaudus tam potenti factioni impar Henricum Regem implorat. Ille haud cunctatus, celebrato Ratisbonæ Paschate, cum exercitu ex Saxonia atq; alijs provincijs contracto Coloniam advolat, ubi Megingaudum à Coloniensi, Moguntino, & Balderico præsulibus Episcopum consecrari jubet. Inde in Trevirorum fines progressus, urbem atque palatium in XVI hebdomadem obsidet; nec prius armis & machinis frangere licuit, quàm fame pressi se ad arbitrium Regis dederent. Ita Regis beneficio Megingaudus Archiepiscopus impositus; quanquam is metu Adalberonis per octennium, quo belli omnis expers vixit, Confluentiæ munere Pontificio perfunctus sit. Magno detrimento christianæ religionis is intestinus motus exarsit, quòd per id tempus Boleslaus Poloniæ Princeps Saxoniæ fines ingressus, populabundus Magdenburgum usque procurrerit, Zerbestam, vicinasque Saxoniæ urbes terroribus complendo; & Duces, quibus id bellum à Rege imperatum erat, neglectius per suam absentiam administrarint.

Dithm. l. 6.

Sustulit

Sustulit hic annus è vita mortalium Notgerum Leodiensem & Ansfridum Ultrajectensem, duos præclaros Episcopos, quemadmodum id fasti singulorum docent.

Sed longè illustrior mors D. Brunonis Prussorum Apostoli. Is clarissimis in Saxonia Comitum natalibus ortus, & Dithmari Mersburgensis Episcopi consanguineus, ac cum illo in scholis enutritus, postquam à Tangmaro Archiepiscopo consecratus sacerdos, in clero sanctissimam vitam egisset, divino spiritu accensus, petijt à sede Apostolica potestatem docendi barbaras gentes; quo in sancto opere à Prussis manibus & pedibus primum truncatus, ac deinde cum XVIII socijs XVI Calend. Martij capite plexus, glorioso martyrio vitam finijt; quemadmodum Dithmarus, Sigebertus, Marianus Scotus, Ursbergensis, alijque scriptores hæc confirmant. Per id tempus D. Bonifacius quoque Ottonis Imperatoris consanguineus in Borussiam profectus Evangelij inter barbaros disseminandi causâ; ac postquam sacerdotalibus ornamentis indutus, tanquam Missam celebraturus, per medias ignium flammas illæsus transisset, Regi hoc testimonio Christi fidem asserendo, à fratre Regis, quem christianis jam legibus imbuerat, barbarè interemptus est. Multa ejusmodi, Scriptorum incuriâ, desiderantur in nostris: ut rectè dixerit non nemo apud Adamum Bremensem, tantam eorum Martyrum esse multitudinem, ut ægrè numerus iniri possit.

Martyrium S. Brunonis Prussorum, & S. Bonifacii Borussorum Apostoli.

Petrus Damianus in vita B. Romualdi.

Annus Christi 1009.

Sergij IV. Pont. 1.
Henrici II Reg. 8.
Retharij Ep. Pad. ultimns.

Proximo dehinc anno, qui Christi erat M.VIIII, pridie Nonas Martij, excessit è vita Retharius Episcopus Paderbornensis, administrato per * XXVIII annos Episcopatu, ut Auctor vitæ Meinwerci consignat; quem hoc præterea elogio exornavit: *Eo tempore*, inquiens, *Retharius inter quamplurimos, qui scientiâ præditi, moribus adornati, secundas regni partes strenuè adjuvabant, enituit, qui nomen Episcopi officio tenuit, moribus implevit. Denique cura pervigili intendens commisso gregi, in collectione dispersorum, et conservatione congregatorum, operam continuam dedit; et ab Ottone Rege, aliisque fidelibus donaria non modica diversis temporibus acquisivit.* Sicuti hactenus res ab eo præclarè gestas ad singulos propè annos commemoravimus. Hujus prima cura & sollicitudo versata in disciplina cleri populique formanda; tum ut bona & possessiones Ecclesiæ Paderbornensis, vel superiorum quorundam Episcoporum incuriâ, aut temporum iniqui-

** al. XXVII. Chron. Hildesiens. Necrolog. Herisiens. Chron. Stederburgense à Meibomio editum. Gobelinus.*

Mors Retharii Episcopi.


iniquitate neglectas restitueret in integrum; quod auctor vitæ Meinwerci satis indicare visus est. Accessit miserabile incendium, quo Basilica, Collegium Canonicorum, & magna pars urbis deflagravit. Veritus enim, ne se Episcopo exustâ Canonicorum domo, communis vitæ societas, quod Treviris jam factum deplorant eorum annales, solveretur, Henrici Regis, aliorumque piorum hominum subsidia imploravit, obtinuitque, quod Dithmarus scribit, *postquam Paderbornæ Monasterium, et omnis ejus apparatus flamma nostræ iniquitatis consumpsit, multorum fidelium corda sunt commota, quæ amor divinæ remunerationis ad hæc reparanda accendit.* Corpus Retharij in Basilica, quam toto nisu instaurabat, humatum est. Per id tempus Henricus Rex 4 Idus Martij Tremoniæ egit, ut ex diplomate Theodorico Episcopo istic dato, quo universim omnia Ecclesiæ bona in tutelam imperij suscipiuntur, constare poterit; utrumque à Gunthero Cancellario eodem die Tremoniæ conscriptum. Inde Goslariam profectus, ubi Cineralia celebravit. Pastore destitutus Clerus Paderbornensis *illico legatos suos ad eum direxit*, ut auctor vitæ Meinwerci pergit referre, *qui et obitum Episcopi denunciarent, et clementiæ solatium de successore idoneo suppliciter implorarent; qua lugubri Rex audita legatione, talem tantumque virum condigno mœrore deflevit, et Missarum eleemosynarumque debita commemoratione animam ejus divinæ pietati commendavit.* Quo satis denuo constat, quanti hunc integerrimum Præsulem fecerit Rex, magnus Cleri & Præsulum æstimator. Consecutus præterea Retharius pro animæ solatio ceterorum Episcoporum ac Sacerdotum subsidia ex sacro fraternitatis fœdere, quod supra Tremoniæ inter Episcopos ac Principes convenisse memoravimus.

Dithm. l. 6.

Goldast. tom. 3. constit. Imp. pag. 311. Pistorius in dipl. Mindensi. Auctor vitæ Meinwerci.


Deplorata ab Henrico Rege.

ANNA-



ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER V.

B. MEINVVERCUS X9 EPISCOP. PADERBORNENSIS.



B. MEINVVERCUS X9 EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1009.

Sergii IV Pont. 1.
Henrici II Reg. 8.
Meinwerci Ep. Pad. 1.

Meinwercus alter Episcopatus Paderbornensis Fundator.



ORS Retharij Antistitis ex hoc eodem anno MIX nos ad Meinwercum Successorem, & fulgentissimum Ecclesiæ nostræ Episcopum deducit; quem non immeritò instauratorem diœcesis, alterumque conditorem posteritas coluit. Quam enim Episcopatus sedem, exusto templo & Collegio cum magna urbis parte, inopem & afflictam nactus erat, hanc ita opibus & operibus, supra omnes, qui antecesserunt, Episcopos auxit & exornavit, ut patrimonij opulentiâ ac splendore ceteris Saxoniæ Episcopatibus adæquaret; idque primùm ex hereditarijs bonis, quibus pollebat: tum Henrici & Conradi II Imperatorum munificentiâ (quorum gratiâ non minus valebat) singularique ejus industriâ præstitum est. Urbem certè, quam mœnibus infirmam reperit, ita præmunijt, itáque Basilicâ, duobus Canonicorum Collegijs, Cœnobio Abdinghoviensi ordinis D. Benedicti, multisque sacris ædibus exornavit, ut, quod Browero dicere libuit, ex latericia marmoream fecerit. Quæ nunc, præter virtutes ejus egregias, resque præclarè ab eo gestas, eò nobis certius perscribere licebit, quò diligentius hæc omnia à fido auctore, qui vitam Meinwerci nobis reliquit, consignata sunt; præterque alia, suppetunt nobis hactenus nondum edita plura donationum diplomata ab utroque Imperatore data, quibus hæc integrâ fide illustranda suscepimus. Igitur postquam per legatos cleri obitus Retharij Episcopi D. Henrico Regi Goslariæ, quò Tremoniâ concesserat, est denunciatus, continuò Rex, vocatis

Auctor vitæ Meinverci.

in

in concilium Episcopis & Principibus, de Successore in Episcopatum Paderbornensem subrogando deliberavit. Multi in hac consultatione propositi, de quorum moribus vitáque diligens perquisitio facta; interque hos Meinwercus regiæ aulæ sacerdos non postremus erat; quem cùm ipse Rex præ ceteris cùm à natalium claritate opumque præstantiâ, tum à virtutum ornatu probaret, assensere mox ejus electioni omnes. Igitur Meinwercus vocatus in consessum Episcoporum ac procerum; quo intrante, arrisit Meinwerco Rex, porrectâque chirothecâ, accipe ait: at illo percunctante, quid signo illo donoque accepturus esset, Episcopatum, inquit Rex, Paderbornensis Ecclesiæ. Ad quæ Meinwercus, ut lepido promptoque erat ingenio: Quod mihi obsecro hîc donum offertur in tenui Episcopatu, quo ego ex patrimonio meo paterno multo opulentiorem præstantioremque condere possum? Atqui subdit Rex, tibi hunc Episcopatum committo, ut ex inope locupletem facias, & Christum bonorum tuorum heredem scribas. Benè, inquit Meinwercus, se habet hæc donatio; neque alia spe aut conditione admitto, quàm ut & ego ex meis paternis bonis, & Rex suâ simul liberalitate ex inope Episcopatu opulentum faciamus. Una hæc utriusque conventio & stipulatio erat. Multaque hujusmodi referentur in Meinwerco, quæ pro lepore ingenij, & familiaritate intimâ cùm consanguineo Rege libere egit; tum maximè serius utilisque Ecclesiæ suæ, cùm per jocum penetraret in sinum liberalitatis. Nec minor Meinwerci submissio, qui, cùm splendidos Episcopatus cum amplissimis honoribus à Rege exspectare posset, hunc tenuem admiserit, ut ex egestate & incendij ruinis erigeret dotaretque. Quapropter gratulantibus illi ceteris præsentibus, cohortantibusque ad sacrum munus acriter suscipiendum, proximâ statim Dominicâ, quæ secunda Quadragesimæ erat, XIII videlicet Martij, Goslariæ à Willigiso Moguntino Archiepiscopo, ac Metropolitano suo, ceterisque, qui aderant, Episcopis solemni ritu coram Rege & Regina Episcopus inungitur.

Eâ lege Episcopatum adit; ut ex proprijs bonis illum locupletet.

Unum interim hîc non immerito requiras, quare clerus Paderbornensis, mortuo Rethario, successorem Episcopum à Rege expetierit, qui jam antè à Carolo Crasso Imperatore, atque alijs ante ipsum, ut in ejus diplomate assertum est, liberam potestatem eligendi Episcopum obtinuerit, quam deinde Pontifices, ac postremò Otto III Imperator, rogatu Retharij, confirmârat. Sed jam inoleverat vitiosa consuetudo, quòd Browerus observavit, ut quoties Episcopus aliquis excessisset è vita, Ecclesia, cui præfuisset, pedum & annulum transmitteret ad Imperatorem, petendo ex ejus aula Episcopum. Ejus rei gratia multi Comitum & nobilium filij, qui jam in Clerum adscripti erant, aulas Imperatorum secuti, Capellanorum officia obibant, spe alicujus Episcopatûs obtinendi. Quanquam multi ex his, ut D. Hei-

Penes Imperatores id temporis consuetudo designandi Episcopos.

Brovver. in not. ad vitam Meinverci.

ribertus, Bernvvardus, Meinvvercus, alijque ultro id munus Imperatoribus obtulerunt, nihil minus, quàm ejusmodi dignitates prensando; quos tamen ob egregias virtutes ad indigentis Ecclesiæ Episcopatus imperatores provexêre. Tolerabile hoc erat, dum Imperatores boni & pij nil nisi bonum Ecclesiæ quærebant; Post, ubi degeneratum ab hac Imperatorum probitate, & Episcopatus per ambitionem & luxuriam & cæcam aulæ gratiam cum indignis simul ac dignis communicati, ac postremùm etiam venales esse cœperunt, Pontifices hunc pravum investituræ morem haud secus quàm exuvias Episcoporum, multaque alia saluberrimè abrogârunt.

Procul ab his vitijs Meinvvercus (etsi Ottonis & Henrici Imperatoris aulam assectatus) quem natalium splendor, & Imperatorum consanguinitas, atque ipsa probitas adscivit, tanquam fidum præ ceteris & honoratum ministrum. Patrem hic habuit Jmadum Comitem, matrem Adelam, Saxonici generis ac regij sanguinis: fratrem Theodoricum, qui pòst dolo Vitrici & matris sublatus: sorores Glismodam, seu Gislam Boici Principis conjugem, quam S. Henrici matrem volunt; deinde Azelam Sanctimonialem virginem in Eltenensi prope Embricam parthenone. Quorum omnium *anniversaria memoria & dies obitus in necrologio Abdinghoviano adscripta, colitur hodiedum, ob Meinvverci Conditoris beneficia, à Monachis ejusdem cœnobij. Tertiam sororem Emmam addit Adamus Bremensis, & ex eo Albertus Stadensis, ac Crantzius. *His temporibus*, inquit Adamus, *nobilissima Senatrix Emma obiit, uxor quondam Liudgeri Comitis, et soror Meginvverchi Episcopi Padarburnensis, sed vidua jam per XL. annos. Quæ ingentem thesaurum, quem habuit, totum fere pauperibus et Ecclesiis dispersit, cujus corpus in Bremensi requiescit Ecclesia, anima verò gaudet in celesti requie. Quæ dum adhuc viveret, Bremensi Ecclesiæ cortem stipagla juxta Rhenum dedit. Lismona verò, nescio pro quo filiæ* (matris fortassis de qua referemus) *delicto, in partem cessit Imperatoris Conradi.* Atque hæc ut certa scriptorum fide habemus, ita obscura mansit paterna cumprimis Meinwerci stirps. Nam Jmadum Meinwerci patrem, qui ab alijs Jmme vocatur, Gelenius cum alijs Geldrum fuisse tradit è Pontina stirpe; eò quòd Adalam ejus matrem Wigmanni Gelriæ & Zutphaniæ Comitis filiam censeat, cui amplæ possessiones fuerunt per diœcesin Ultrajectensem, Velaviam & Teisterbandiam; perinde ut à Wigmanno Eltenense Virginum Monasterium conditum diximus. Hinc Meinvvercum appellat Comitem Velaviæ & Teisterbandiæ, quòd id Auctor vitæ S. Meinvverci non obscurè indicare visus sit, qui Jmadum Meinvverci patrem tradit per inferioris Germaniæ ad Rhenum provincias administrasse Comitatum in Trajectensi diœcesi, ubi majores nobilium virorum gloriâ & possessionibus celebres fuerint, è quibus etiam Mein-

Natales Meinwerci.

*Immadi IV. Kalend. Febr. Adelæ 8. Idus Aug. Glismod. Non. Febr. Theodor. 7. Idus Aprilis. Adamus l. 2. c. LX. Albertus Stadens. Crantzius lib. 4. Sax. c. 29. Gelenius in auctar. ad Vitam Engelb. p. 351.

Geldrum nonnulli volunt.

Auctor vitæ num. 4.

Meinwercus ampla postea bona ac prædia dedit Abdinghoviano Monasterio. Alij apud Browerum faciunt Meinwercum Wihingi Geldriæ Comitis filium, tanquam ex stirpe Mengosi, & aliorum Geldriæ Comitum genitus sit. Sed hi scriptores nondum expediunt regiam Meinwerci stirpem, quam Auctor vitæ, proximus eorum temporum scriptor, disertè memorat, quemque Ottonis III Imperatoris, Henrici junioris Bavariæ Ducis, atque inde Henrici sancti Imperatoris consanguineum facit. Accedit, quod vetustus scriptor in poëmate Meinwercum non Geldrum, sed Saxonem asserat. Ita enim candidus ejus versus inter cetera habet.

Browerus in not. ad vitam Meinw.

Saxo natus erat, benè relligione cluebat,
Unus primorum consistens nobiliorum,
Pollens magnarum dominatu divitiarum,
Imadusque Comes pater ejus et Attyla mater.

Poëma vetus ex Abdinghoviano Monasterio.

Quapropter verisimilius sentire dixerim, qui paternum Meinwerci genus ex Saxonicâ, eâque Widekindi M. familiâ deducunt. Quippe Walberto, Widekindi M. nepote quatuor filij geniti, Theodoricus, Widekindus, Reginbertus, Immodus sive Immadus; à quibus magna nobilitatis propago (ut passim scriptores nostri tradunt) per Saxoniam disseminata est. Hos autem fratres disertè Widekindus Corbeiensis Monachus scribit fuisse *ex stirpe magni ducis Widekindi, qui bellum potens gessit contra Carolum Magnum.* Ac ceteris omissis, quorum longa posteritatis series per illustres Regum & Principum familias, Theodorico certè Immadi fratre, ac Comite Oldenburgico & Ringelsheimensi in diœcesi Hildesiensi nata Mathildis Henrici Regis conjunx, & M. Ottonis mater; ex quo primus consanguinitatis nexus Meinwerco deduci potest cum Augusta illa Principum, Regum, & Imperatorum familia. Sed propior rectiorque per Imadum Meinwerci patrem censetur; ad quam stirpem nos rursus Widekindus monachus tertio annalium suorum libro deducit. Nam eo bello, quod Otto M. contra Luthulphi Archiepiscopi Moguntini factionem gessit, ait, revertisse in Saxoniam, amissis duobus principalibus viris, Immado & Meinwerco, quorum uterque ictu sagittæ perierat, alter Moguntiæ, alter in expeditione Bavariæ. Immadum hunc Meibomius Meinwerci avum tradit, quo alter Imadus genitus, Adelæ maritus, & Meinwerci pater. Adelam verò Wigmanni Zutphaniensis Comitis filiam proferunt ex diplomate fundationis supra à nobis relato Parthenonis Eltenensis; cujus soror Lutgardis prima Eltenensium Virginum Abbatissa. Inde nunc amplæ bonorum possessiones in diœcesi Trajectensi, Velavia, & Theisterbandia Meinwerci parentibus fuêre, seu per connubium hoc Imadi cum Adela, seu per donationem consanguineorum Regum, ut Browero visum, seu etiam à progenitoribus Imadi hæc hereditas traducta

Saxonem fuisse verisimilius est.

Widekind. Fabritius L. Werig Sax. Gobelinus. Crantz. lib 3. Sax. c. 12 Reusnerus

Meibom. in not. ad Widekind. monachum.

Diploma Ottonis III super fund. Elten.

cta sit; cùm satis constet Widekindi posteros non modò per Saxoniam inferiorem, sed & per Frisiam regia patrimonij bona possedisse. Ipsumque adeo Wigmannum non tam Geldrum, quàm origine Saxonem fuisse opinari libet; quando per id tempus Gelria & Zutphania nondum in unam provinciam coaluerant: neque quòd Meinwerci parentes bona possederint in Gelria, & Jmadus Comitatum Richemensem administrârit, continuò inde Gelder conficitur Meinwercus. Ceterum Jmmadorum & Jmmedingorum stirps clarior, ad quam se referunt Allobrogum & Sabaudiæ Ducum Comitumque prosapiæ, censentque Sabaudi ad XIII Dynastas ab Jmmodis seu Jmadis, qui literarum metathesi Amadei appellari voluerunt. Celebrat & Adamus Bremensis hanc Jmadorum familiam in Unwano Archiepiscopo suo, qui per id tempus ab Henrico Jmperatore provectus ad Cathedram illam, *assumptusque est de choro*, ut inquit, *Paderbornensi*, *clarissimo genere Immedingorum oriundus. Dives præterea, et largus, et omnibus hominibus acceptus.* Quo autem gradu consanguinitatis Meinwercum nostrum contigerit, haud satis compertum. Certior ex hac Jmadorum familia Jmadus, alter post Meinwercum, ac XII Paderbornensis Episcopus, quem auctor vitæ Meinwerci Sororium Meinwerci appellat, quippe Emma sorore Meinwerci, ut Gelenius sensit, genitus. Idem verò Auctor, ut regium Meinwerci stemma & consanguinitatem cum Henrico Imperatore propiùs commonstret, sororem Meinvverci (quam Auctor ejus vitæ Glismodem vocat, Henrico Bavariæ Principi denuptam) ipse Giselam vocat, asseritque D. Henrici Imperatoris matrem. Nec abs re Auctor vitæ Meinvvercum nepotem Henrici Imperatoris vocat, nepotis nomine pro consanguineo quovis usurpato: quemadmodum Otto III Jmperator ipsum Henricum, in diplomate anno Christi 985 consignato, Nepotem suum compellat. Nec Meinvverci nomen alienum â familia Jmadorum; quando Jmadi frater Meinvvercus, de quo supra relatum est, à quo Episcopus noster gentile illud nomen sortitus fuerit. De Jmmedingorum familia agit etiam Ursbergensis, & ex eo Albertus Stadensis, in Erbone & Borone Noricæ gentis Comitibus ad annum Christi 1104; quibus paternum stemma ab Erbone clarissimo ejus ævi bellatore, *maternum verò è Saxonica Immidingorum familia, quæ et Ottonum inclytæ stirpi traditur vicina. Nam et ejusdem Immed his verbis meminit Saxonum historia. Erat*, inquit, *clara et nobilissima, et singularis prudentiæ regina Mathildis, Magni Ottonis mater, filia Theodorici, cujus fratres erant Witikint, Immid, et Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque illos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum diem. Et hi erant stirpis magni ducis Witikindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum*

Adam. Brem. lib. 2. c. 33.

Gelen. in auctario ad Vit. S. Engelbert.

volum per triginta ferme annos. Hæc de familia Meinwerci & nobilium natalium magnitudine comperta accepimus.

Postеaquam verò Theodoricus frater, paternorum bonorum heres, ad propagandam familiam à parentibus nominatus; Meinwercus Clero destinatus est, eòque à primis statim annis in duobus florentissimis Saxoniæ collegijs excultus est literis, primùm Halberstadij, ubi elementorum rude tyrocinium posuit, & à parentibus oblatus est & in clerum cooptatus: Inde Hildesium ad præstantiorum artium & doctrinarum studia traductus, ingenij fructum decerpsit. Quo in Gymnasio condiscipulum habuit S. Henricum Jmperatorem, ijsdem literis excultum; accessitque ad consanguinitatem illa è scholis culta familiaritas; quibus tantùm postea valuit apud Regem & Imperatorem in locupletanda Ecclesia sua. Satisq; hæc ostendunt utrumque Saxonem fuisse, qui ad gentis suæ seminaria à parentibus traducti sint, ut sub Ottonum & consanguineorum aspectu curâque versarentur. Meinwercus studet Halberstadij & Hildesij.

Nec minor pietatis quàm literarum progressus in Meinwerco: adolescens enim procul ab ejus ætatis vitijs, innocentis vitæ cursum tenebat: Neque pravorum consortio obnoxius erat; ut qui intra septa collegii in clero excolebatur, ubi par disciplina, boni mores & studia tractabantur sub Magistrorum oculis; ad quæ Meinwerci indoles cumprimis nata erat. Absolutis in utroque Gymnasio studijs, Hildesio remissus est Halberstadium; in quo collegio institutum Canonicæ vitæ prosecutus est, omnibus carus acceptusque: nam mira in eo ingenij facilitas cum lepore nativo, morum suavitas candorque animi, quæ à modestia & pietate majus ornamentum habebant. Ceteræ deinde virtutes, quibus in clero per gradus sacrorum ordinum ad sacerdotium pervenit, multò conspectiores. Felicia tum adhuc tempora cum Canonici in eodem claustro communem vitam pari religiosorum disciplina institutoque majorum colebant. Hinc tam egregij in Collegijs Canonicorum, in cœnobijs Monachorum viri, quos ab omni scientiarum & virtutum cultu commendatos Jmperatores primùm ad aulas evocabant, interque aulæ capellanos & sacerdotes probatos, pòst experimenta (siquidem digni comperti) ad Episcopatus provehebant. Eorum in numero Meinwercus erat; qui primùm ab Ottone III Jmperatore ex Collegio Halberstadiensi inter aulæ Capellanos adscitus, præclarum specimen sacerdotalium virtutum dedit; eòque tam carus fuit Ottoni Jmperatori, ob fidam operam, ut regalibus etiam prædijs Imperatorio diplomate obsignatis donârit; uti hæc Auctor vitæ Meinwerci refert; at nos ipsum diploma, etsi in fine abruptum, destitutumque anno obsignationis, hic recitemus. Proficit in pietate & literis.

In

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis. Otto Servus Apostolorum Romanorum, Imperator Augustus. Omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum noverit universitas; quod nos interventu ac petitione Geppæ venerabilis abbatissæ, Meinvverco nostro amabili Cappellano dedimus duos mansos regales in villa Lutterun, in pago Ventsga dicta, in Burgvvardio quoque Dalchem, atque in Comitatu Herialdi Comitis sitos, quos scilicet cum omnibus eorum utilitatibus, areis scilicet, ædificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, viis, inviis, exitibus, sive reditibus, tam quæsitis, quàm inquirendis sibi in proprium tradidimus, eo tenore, ut idem Meinvvercus, qui nostram ut propriam diligit vitam, de eadem proprietate modis omnibus, quidquid voluerit, faciat, et secundum suum velle disponat. Et ut hæc traditio firmior permaneat, hanc paginam manu roboratam, proprio, ut cernitur inferius, sigillo nostro insigniri præcepimus.

Ottone Imperatore mortuo, ab Henrico Rege ac successore, ob consanguinitatem ac familiaritatem, quam à juventute contraxerant, postulatus est ad aulam atque ad idem Cappellani regij munus. Inde in octavum regni annum in omnibus illi expeditionibus fidus ac longè carissimus Comes adhæsit, tam in privatis quàm in publicis Regni negotijs, inter intimæ etiam admissionis Consiliarios accensus; donec Rethario Paderbornensi Episcopo sublato è vivis, Meinvvercus ei, uti jam diximus supra, à Rege subrogaretur.

Auctor vitæ num. 16.

Et Meinvvercus, postquam Goslariæ consecratus Episcopus, nihil impensius habuit, quàm dimissâ aulâ Paderbornam properare ad Episcopi munus capessendum. Venienti obviam progressus clerus, & omnis dignitatis ætatisque homines, cum incredibili lætitia & acclamatione introduxerunt in urbem, solemnique ritu in throno Episcopi collocârunt. Ille altero statim die perlustratâ urbe, deformatam incendio ingemuit, comprimisque quòd nobile illud Canonicorum Collegium à Carolo M. conditum, auctumque tot Imperatorum munificentiâ, inter combusta ædificiorum rudera conspiceret, dissolutâ communis vitæ habitatione, & claustri disciplina.

Cathedralem Paderbornæ Ecclesiam à fundamentis exstruit.

Sed primò ad Deum conversus, omnes, quas ex paterna hereditate & donatione Regum, opes habebat amplissimas, inopi suæ Ecclesiæ obtulit: mox publicis cleri populique precibus ac jejunio indictis, majora aggredi cœpit. Nam, quâ erat magnitudine animi, & fiducia in Deum, tertio statim die adventus in urbem, Basilicam, quam Retharius Episcopus angustis spatijs murorum, nec solido satis opere post urbis bustum ad fenestras usque erexerat, Meinvvercus funditus dejici jussit, atque eâ, quâ nunc aspicitur amplitudine, & forma murorum, ac eleganti columnarum structurâ, totiusque fabricæ magnificentiâ, à fundamento novam construere cœpit; quam in rem suis impensis omnem tanti operis materiam convehi imperavit.

vit. Tum peritissimis quibusque fabricæ magistris undique conquisitis evocatisque, singulis suas operum partes demandare, sedulo urgere, atque omnia architecti ingenio moderari. Forte dum opus ferveret, adstante Episcopo, accessit peregrinus quidam faber lignarius, & salutato Episcopo, operam illi suam ad multa offert: Episcopus, ut artis experimentum caperet, jubet clavum faciat; quem cùm ille expedite sciteque expediret, operis ceteris adjunxit. Nec illo fere quisquam artis ejus peritior diligentiorque extitit; cujus industria ita delectatus Episcopus, ut cùm haud multò post moreretur, honorifico in crypta sepulchro & monumento decoraret, cui trullam ac malleum ad posteritatis memoriam inscribi jussit; eo cumprimis consilio ac studio, ut ceteros architectos sibi demereretur, excitaretq; ad diligentiam cœpti operis. Nam & horum ingenijs gloriæ ad posteros scintillæ insident, quales ipsi operibus suis inprimunt.

Postquam fabricæ opus dispertitum commissumque præfectis, & in urbe omnia composita, Meinvvercus eodem adhuc anno diœcesin omnem, quàm latè patet, circuire, lustrare parochias, inspicere Ecclesias, & collapsa reparare, hortari docereque plebem pro Episcopi munere, omniaque quàm sapientissimè ordinare; quæ tanta auctoritate ac suavitate ab eo agebantur, ut summis infimisque amori simul ac timori esset. Nam & generis claritudo, & consanguinei Regis gratia, & vitæ integritas, seriusque agendi animus omnibus amabilem & aspectabilem reddebant.

Ita verò Ecclesiæ suæ dum intendit Meinwercus Episcopus noster, non minori curâ Archiepiscopus Magdeburgensis diœcesi suæ prospicit, impetratis ab Henrico Rege tabulis, quibus & vetera illius Ecclesiæ privilegia confirmat, & nova quædam bona adjicit; quæ cùm hanc patriam nostram concernant, ipsum diploma hic adjungere lubet.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Rectori Regum gratulantes, et remedio animæ nostræ consulendo, fidelium nostrorum petitionibus aurem piam accommodantes, statum et ordinem omnium ecclesiarum firmare atque roborare congruum et salubre dijudicavimus. Maximè autem ea loca sacrata, quæ ab antecessoribus regibus, parentibus scilicet nostris fundata, constructa et penitus ædificata huc usque vigere noscuntur, nostri mundiburdii tutamine sigillare decrevimus. Quapropter caritativa nostræ contectalis Chunigundæ admonitione circumventi, et fidelium nostrorum, venerabilis videlicet Heriberti Coloniensis ecclesiæ et Bernhardi Ducis supplici postulatione instigati, Magadaburgensem Archiepiscopatum, quem Daginoni Archiepiscopo servitute devota nunquam devicto gubernandum commisimus, sicut antecessores nostri reges videlicet et imperatores ante fecerunt, iterum ei roborare omni devotione studemus. Idcirco omnibus fidelibus nostris notum esse volumus,

 quod

quod omnia quæ pius parens noster magnus et pacificus OTTO *Imperator Augustus suique successores vel cujuscunque dignitatis persona Sancto et principi Apostolorum Petro Sanctisque martyribus Mauricio atque Innocentio sociisque eorundem tradiderunt, vel nosmet ipsi tradidimus, sive jam in potestate supradictæ ecclesiæ habeantur, sive ad nos, aut alium aliquem nostrorum fidelium aliquo modo respiciat, reiterata affirmatione Sancto et supradictis Sanctis tradimus et manus nostræ gratuito munere roboramus, Regalis præcepti pessulum apponentes, ne nunc aut inposterum alicujus dignitatis persona res ejusdem ecclesiæ cum aliqua temeritate infirmare, aut imminuere, vel aliqua inquietudine infirmare præsumat, sed cum tanta plenitudine sint ubicunque locorum sive provinciarum sub potestate Magadaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi Daginonis et Successorum ejus, sive Advocatorum, quos ipsi elegerint; sicut senior noster vel parens maximus Imperatorum* OTTO *eas possedit, tradidit, roboravit, ac deinde Successoribus suis et nobis pro remedio animarum nostrarum ad utilitatem supra memoratæ ecclesiæ possidentes reliquit. Insuper quoque regia potestate præcipimus, ut liberas familias ad civitates* Schideri *et* Angeri *pertinentes, nullus Comes aut aliqua judicialis persona inquietare, aut suæ servituti ullo modo subigere præsumat, sed cum tanta plenitudine numeri atque tributi serviant Episcopo Magadaburgensi prædicto successoribusque ejus: Et his advocatis obediant, qui voluntaria electione eorum eis aliquo modo præponuntur, sicut fecerunt magno Imperatori pioque parenti nostro* OTTONI *et advocatis quos super eos ipse constituit. De forestis autem, theloneis, mancipiis, decimis, proprietatibus et terminis ubique locorum aut provinciarum sitis, ad præfatam ecclesiam Magadaburgensem pertinentibus, jam firmam Sancto et supra nominatis Sanctis facimus roborationem, ut unusquisque fidelium hæc cum aliqua temeritate invadere pertimescat. Et ut hæc nostræ roborationis auctoritas nunc et in posterum firma et inconvulsa permaneat, sigillo nostro hanc cartam fecimus sigillari, manus propriæ ut infra videtur notam addentes. Forestum quoque, quod ultra Albiam fluvium jacet, de quo superius specialiter non fecimus mentionem, his terminis aquarum silvarumque designatum, hoc est, in occidente cum Albia flumine, in Septentrione cum* naetar *hic et durn et vinar silvis, in oriente vero gebo flumine et Chabria montibus ad meridiem cum Nud flumine eodem sigillo nostro ad Magadburgensem ecclesiam roboramus.*

Henricus familias ad civitates Schider. & Angerens. spectantes, Ecclesiæ Magdenburgensi subjicit.

Signum domni Henrici et gloriosissimi Regis Secundi.

Guntherus Cancellarius vice Wilgisi Archicappellani recognovi. Data Indictione * *VIII anno Dominicæ incarnat. millesimo VIIII Anno verò Domni Henrici Secundi Regis VIII Actum Kirichbergh feliciter AMEN.*

*al. VII.

Annus

Annus Christi 1010.

Sergij IV Pont. 2.
Henrici II Regis 9.
Meinwerci Ep. Pad. 2.

Procedebat jam alter Episcopatûs annus Meinvverco, quo Bernardus Saxoniæ Dux, Hermanno Duce genitus, v Idus Februarij excessit è vita, vir religione & pietate cumprimis præstans. Angariam is simul & Westfaliam administrasse à quibusdam scribitur; quamvis Dithmarus Luxenburgum horum Ducum sedem assignare visus. Et verò cùm nondum Principatus pleno hereditatis jure transirent ad filios, sed Regum atque Imperatorum beneficio obtinerentur, Bernardus ejus filius, ut patri succederet, Meinvvercum convenit, ut, quem consanguinitate & gratia apud Henricum Regem plurimum valere sciebat, ejus patricinio & favore Ducatum patris obtineret. Obsecutus Meinvvercus hominis postulationi, Ducatum illi ab Henrico Rege impetravit; atque, ut arctius sibi devinciret, bona in feudum illi concessit, ratus hæc omnia Ducis affinisque benevolentia abundè compensari posse: sed ille immemor regij beneficij, in ipsum postea Regem ausus rebellium armis consurgere. Bernardum fratrem, morte haud minus illustri, consecutus est iv Calend. Aprilis Ludgerus per Westfaliam Comes, cui Emma soror Meinvverci, ut supra relatum, denupta erat. Conjuges hi pijssimi multis donationibus Bremensem Ecclesiam locupletârunt. At longè felicior hic annus matrimonio Giselæ, sororis D. Henrici Regis, cum Ungariæ Rege (quanquam alij ad alios annos hæc revocent) Toxo seu Waic, ut Dithmarus refert, huic Regi nomen prius erat, qui captus pulchritudine & insigni morum elegantia hujus Virginis, magno ardore ambijt; sed illa non prius in manus Regis convenire voluit, quàm sacris christianis esset initiatus. Hunc deinde Regem, qui Stephanus postea dictus, ita Gisela & Henricus Rex sibi devinxêre, ut totum illud Regnum ad Christi religionem perduxerint, incredibili omnium Christianorum lætitia, & Ecclesiæ bono; nec minori Meinvverci Episcopi nostri gaudio, cujus sorore Glismode, seu Gisela hæc Regina genita erat, uti hæc Gelenius censuit. Fortunata præterea hæc Meinvverci familia, ex qua B. Adelheidis quoque nata, Glismodis & Meinvverci amitæ filia. Rex interim hoc anno mense Majo & Julio Ratisbonæ & Bambergæ versatus, pro insita liberalitate, Monasterio Polliensi, Kiebachensi, & Laurisheimensi donationes fecit, quorum tabulæ apud nos servantur. Per hanc Regis absentiam Nortmanni in Frisiam irrupêre, multisque Christianorum cæsis, Ultrajectum Oppidum flammis absumpsêre.

Dithm. l. 6.
Bernardo Ducatum Paternum ab Henrico obtinet.

Sigebertus. Dithmarus.
Per Giselam, S. Henrici sororem, Hungariæ Regi nuptam, Regnum illud convertitur ad fidem.
Martinus Polonus. Otto Frising. Conradus Ursberg. Sigebertus Nonnosius Andreas Ratisb. Raderus in Bavar. aliique. Gelenius in auctario ad vitam Engel.

Ddd 2 Annus

Annus Christi 1011.

Sergij IV. Pont. 3.
Henrici II Reg. 10.
Meinwerci Ep. Pad. 3.

Ad aulam revocatus Meinwercus integrum ab Henrico Comitatum suæ diœcesi exorat.

Jam binos prope annos Meinwercus exegerat in Episcopatu suo, omnia quàm sapientissimè ordinando; cùm rursus ab Henrico Rege evocatur ad aulam; quippe qui ob fidem & sapientiam constantiamque animi percarus erat Regi, eóque in publicis Regni negotijs pertractandis adhibebatur. Duplex verò hoc anno bellum erat Henrico Regi; alterum cum Adalberonis factione, conjuratisque Lotharingiæ proceribus; ad quos motus componendos Henricus Rex ad Rhenum primò Confluentiæ post ferias D. Martini, deinde Moguntiæ principum conventus habuit. At Triburiæ cùm consisteret mense Aprili, Meinwercus Episcopus, qui Regi aderat, captatâ occasione multis cœpit exponere urbis damna incendio illata, ac totius Episcopatus sui angustias, resque Ecclesiæ suæ temporum injurijs dissipatas; uti hæc omnia per biennium Episcopus diligenter explorârat. Quibus ita permovit Regis animum, ut nobilem illi Haholti Comitatum ex integro donaret, quem Haholtus Comes dum viveret, administravit, & morte sua vacuum reliquit. Eo dono nihil adhuc magnificentius largiusque ab ullo Cæsarum aut Regum patrimonio huic Ecclesiæ accesserat; quam in rem ipsas donationum tabulas hîc producimus.

Auctor vitæ num. 20.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina ordinante providentia Rex. Divinæ pietatis clementia, quæ nos ad culmen regiæ majestatis perduxit, ad hoc voluit regnare, ut Ecclesiarum ordini firmando atque corroborando subveniamus, his autem maximè locis, quæ ab antecessoribus nostris, Regibus, Imperatoribus fundata, sed jam peccatis exigentibus pœnè videbantur annullata. Quapropter omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum, industriæ notum esse volumus, qualiter nos divini amoris instinctu, pro remedio animæ nostræ, seu parentum nostrorum, nec non et tertii Ottonis bonæ memoriæ Imperatoris, dilectæque Conjugis nostræ Cunigundæ Reginæ interventu, atque Meginvverc sanctæ Padrebronnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopi rogatu, sibi suæque sanctæ Ecclesiæ à Karolo M. Imperatore olim fundatæ, nostris verò temporibus incendium passæ, in honore etiam sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, et sancti Kiliani Martyris, Liboriique Confessoris dedicatæ, Comitatum, quem Hahold Comes, dum vixit, tenuit, situm scilicet in locis haverga, limga, Thiatmalli, Aga, Patherga, Treveresga, Langaneka, Erpesfeldt, Silbiki, Matfeld, Nitherga, Sinatfeld, Ballevan, propè Spriada, Gambiki, Gession, Sevvardeshusen, cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc nostram regalem paginam, eo videlicet rationis tenore, ut præfatus Episcopus

Episcopus Meginwverc, suique successores, præscriptæ Ecclesiæ præsidentes, dehinc liberam habeant potestatem de eodem Comitatu ejusque utilitatibus, quidquid eis placuerit faciendi, ad eorum tamen utilitatem Ecclesiæ, omnium videlicet inquietudine remota. Et ut hæc nostræ traditionis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni habeatur tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria firmare curavimus, et sigillo nostro insigniri jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi.*

Guntharius Cancellarius ad vicem Erkambaldi Archicappellani recognovi. Datum IIII Idus Aprilis. Indictione VIIII. Anno Dominicæ Incarnat. millesimo XI. anno verò Domni secundi Regis Heinrici regnantis VIIII. actum Tribura regia villa feliciter Amen.

Tabulis hisce Erkenbaldus Archicappellanus regius consignatur, idemque Moguntinus Archiepiscopus, & Metropolitanus noster, ex Abbate Fuldensi subrogatus Willigiso Archiepiscopo, quòd is jam VII Calend. Martij è vivorum numero abierat. Hahaltorum quoque Comitum familia per id tempus in Westfalia celebris, à quibus nobile Gesekensium Sanctimonialium Virginum Collegium anno Christi 952 Ottone primo Imperatore, conditum diximus, Comitemque modò Hoholtum, modò Haoltum, modò Harioldum veteres tabulæ appellant, atque hunc, qui Meinwerco cessit, Comitatum ab ejus nomine compellari, Auctor vitæ perhibet; ut passim comitatus ejusmodi non ab Oppido Castrove, aut celebri ejus loco, sed ab ipsis Comitum nominibus designantur; quòd clientum tum adhuc beneficio, aut temporaria potius administratione, quàm hereditario jure ab Imperatoribus possiderentur. Ceterum etsi Paderbornensis Ecclesia jam ante aliorum Regum & Imperatorum donatione Patergam, Agam, Theveresgam, Sorehtfeld, aliosq; eo in Comitatu pagos & prædia obtinuerit, uti Henricus ipse Rex in diplomate anno regni ejus primo profitetur; hac tamen largitione omnem illum Comitatum quàm latissimè diffusum Meinwerco donat, complexus in eo Dethmoldiam sedem Comitum Lippiensium, Lemgoviam, ac totum illum per montes Teutonicos tractum regionis, quem postea jure fiduciario Episcopi Paderbornenses dedêre in feudum Comitibus Lippiensibus: ut tam incunabula, quàm incrementa Comites illi debeant Paderbornensi Ecclesiæ. Nescij tum Episcopi totum illum Comitatum aliquando cum incolis ab his clientibus Episcoporum, & à Catholica religione primùm ad Lutheri, pòst ad Calvini hæresin traducendum, extinctâ simul omni jurisdictione sacrâ Episcopi Paderbornensis. Tam prodigè hæc à posteris tractata, quæ tam pia liberalitate ab Henrico sancto Imperatore Mein-

Auctor vita Meinvv. Lambert. Schaf.

Meinwerco Episcopo & Paderbornensi Ecclesiæ donata sunt; quò in genere non tam jactura bonorum, quàm religionis & tot pereuntium animarum deploranda.

Auctor vitæ Meinvv. Meinvercus consecrat Monasterium Helmvvardeshusanum.

Ab Rheno digressus Meinwercus à Rege, in Episcopatum suum rediit, optatissimum donati Comitatus Haholtini nuncium secum deferens, quo Collegium cathedrale omnesque ordines mirificè recreavit. Ac nihil antiquius habuit, quàm possessionem comitatûs auctoritate regia adire. Subinde post festos Pentecostes dies Paderbornæ celebratos, Helmwardeshusanum Monasterium, quòd ab Ekhardo Comite haud procul Visurgi conditum, ac Meinvverci, Episcoporumque Paderbornensium potestati concessum diximus, Nonis Junii solemni ritu dedicavit, sub patrocinio Christi Salvatoris Virginis matris, Petri & Pauli Apostolorum Principum. Florens ac celebre Monasterium instituti D. Benedicti, interque Imperialia annumeratum, versus orientem in finibus diœcesis Paderbornensis, quod avorum demum memoria invalescente hæresi ab Hassis captivum teneri cœpit.

Auctor vitæ Meinvv. Vetus MS. B. Virgo Hervordienses Canonissas monet sub interminatione gravium pœnarum, ut mores corrigant.

Mira sub id tempus Hervordiæ res oblata è conspectu monitisque D. Virginis Matris in iisdem Teutonicis montibus, ubi paulò antè Meinvverco Comitatus Haholtanus donatus obvenerat. Festus agebatur dies Divorum Gervasii & Protasii Hervordiæ celebris, quo die, uti & alias, egenis eò venientibus largè stipem erogare moris erat Sanctimonialibus. Audierat hæc mendicus quidam è pastorum & rusticorum grege, cui ad oppidum & Monasterium appropinquanti se Deipara Virgo illustri ac decora specie obtulit, & vade, inquit, ac meo nomine monituque Antistiti (quæ tum Godesti erat) ceterisque Sanctimonialibus denuncia, ni mores & vitam in melius commutent, & vanitatis luxum corrigant, tantumque studii ponant in disciplina religiosa instauranda, quantum ab ipsis impenditur in structuris ædificiorum, multum divinæ offensionis, multumque mali accessurum loco; hæc verò si emendârint, sciant me pro veteri patrocinio Monasterium in tutela habituram, foreque in omnibus propugnatricem, qualem à primis exordiis expertæ sunt. Adhæc liberè edicito, velle me hunc locum, in quo tibi me offero, ac tecum loquor, divino cultui consecrari, in eoque meo honori ædem sacram erigi, in qua supplicum preces pronâ semper ac propitia auditura sim. Hæsit ad ea attonitus diu mendicus, & quis ego tandem, inquit, sum pannosus, & mortalium abjectissimus, ut hæc denunciem? aut mihi fidem habeant, cui verbera pro fide erunt? ut tamen obsequar tuis dictis, quod signum hujus rei mihi dabis? Nihil metuas, inquit virgo, nec plagæ dolori erunt, nec cicatricem ullam in corpore tuo relinquent, quod primum tibi signum erit. Præterea baculum, quem manu gestas, in formam crucis formabis, & eo in loco, in quo ego hîc pedibus meis

consisto

consisto defiges, futurumque est, ut in eo omnes me columbæ specie visuri sint, quod alterum tibi signum esse volo. His ille confisus omnia, ut à Virgine in mandatis acceperat, Antistiti & Sanctimonialibus exponit. Illæ novitate rei, & testantis constantiâ perculsæ, Meinwercum Episcopum (quòd is locus, uti Corbeia, jurisdictionis Paderbornensis esset) accersunt, vocatisque in consilium Monasteriorum præpositis ac Sacerdotibus, censuère pro voluntate divina certius exploranda, jejunia & publicas preces indicendas, atq; hominem ejus prodigii primum indicem, aqua & candenti ferro probandum (quod tum explorandæ veritatis genus frequens erat, & in alijs etiam, ut refertur, Meinvverco usitatum) Igitur postquam accersitus homo, per quem Virgo hæc denunciari voluit, & manu illæsa candens ferrum gessit, & columba visa est propalam considere in cruce super truncum defixa; omnium studia conversa sunt in locum Deo consecrandum, ædemque sacram exstruendam, quæ à cruce sacra nomen retinet. Hanc deinde Meinvvercus post sexennium solemnibus cæremonijs dedicavit. Rei gestæ fidem ac monumenta exhibet vetus hæc inscriptio.

Anno MXI, die SS. Gervasii et Protasii, hanc visionem gloriosa Virgo Maria per quendam pauperculum devotissimæ memoriæ pastorem Abbatissæ Hervordiensi revelare et manifestè ostendere dignata est, tempore S. Meinvverci Episcopi Paderbornensis, qui et hanc visionem per varias examinationes probavit et approbavit, et hunc locum ad honorem ejusdem S. Dei Genitricis Mariæ consecravit.

Illustratus deinde hic locus insigni basilica & Monasterio sacrarum Virginum, quod in colli ad Orientalem partem urbis Herivordiensis extra mœnia aspicitur, à Lutheranis Virginibus quibusdam insessum; visiturque adhuc truncus ad chori ingressum erectus ad viri propè altitudinem & crassitiem, ubi Beatissima Virgo se spectandam dedit, & crucis signo, columbæque aspectu notari voluit. Quemadmodum & mihi cum Ferdinando Episcopo nostro hæc ipsa monumenta ab Incolis Lutheranis commonstrata sunt, quibus certior hujus miraculi memoria, quàm priscæ pietatis cultus erat.

Hæc postquam à Meinwerco peracta sunt Hervordia Henricum Regem secutus est per Saxoniam ad Polonicam adversus Boleslaum expeditionem. Atroci is mandato, ut Dithmarus scribit, Saxones ad hoc bellum evocârat. Et Regem Meinwercus cum ceteris Episcopis ad fines Poloniæ deduxit; cùm castris ad Jarinam locatis, Rex & Tangmo Magdenburgensis Archiepiscopus gravi morbo conflictari cœperunt. Quapropter procerum consilio persuasum Regi, iter in Saxoniam cum quibusdam Episcopis relegeret. Nec tamen ob

Meinwercus Regem ad expeditionem Polonicam sequitur. *Dithmarus.*

id

id expeditio intermissa; imperiumque militare Arnulpho Halberstadiensi, & Meinwerco Paderbornensi Episcopis, viris sago togaque præstantibus, Jaromiro Bohemiæ Principi, Geroni & Hermanno Marchionibus commissum est à Rege. His ducibus processum est in conspectum Glasgoviæ, ubi Boleslaus cunctando & tergiversando bellum trahebat; & Jaromirus nutare cœpit: nec Glasgoviam expugnare permissum, quòd machinæ deessent Germanis, & crebra imbrium infusione prohiberetur miles. Quare agrorum vastatione contenti exercitum ad Albim reduxêre incolumem, dimisso in Bohemiam Jaromiro, qui haud multò pòst principatu & gratia Regis excidit. Inter hæc Henricus Rex recuperata valetudine, lustratisque occidentalibus provincijs Poledæ, quæ Palithi passim vocatur, Abbatia illustris, natalitia Christi peregit. Inde Merseburgum profectus, Boleslao quinquennales inducias dedit, Lebusiamque, veterem ex Romanorum vestigijs urbem, incolis & præsidio militari præmumuniri jussit.

Annus Christi 1012.

Benedicti VIII Pont. 1.
Henrici II Reg. 11.
Meinwerci Ep. Pad. 4.

Bello Polonico sopito, Henricus Rex ex Saxonia Orientali ad Rhenum profectus, lustratáque Germaniâ inferiori, Neomago Leodium concessit. Qua in urbe, postquam Pascha celebratum, & per Lotharingiam res compositæ, & Henrico Cunigundæ Reginæ fratri Bojaria reddita, & consanguinei Reginæ conciliati cum Rege, Rex Bambergam properavit ad dedicationem Basilicæ à se Regio opere constructæ. Eam pridie Nonas Maji Joannes Patriarcha Aquileiensis solemnibus Ecclesiæ cæremonijs consecravit. Non ante in Germania magnificentior spectata dedicatio, ad quam Dithmarus xxx, Marianus XLVIII Episcopos cum innumera procerum hominumq; multitudine convenisse scribunt. Interfuisse se quoque inter Episcopos refert Dithmarus; nec dubium, quin & Meinwercus Regis assiduus Comes præsens fuerit. Hic ipse quoque Regis natalis dies erat, ex quo jam in xxx[illegible] vitæ annum processerat; falliturque Auctor vitæ Meinwerci, qui dedicationem hanc ad sequentem annum refert.

Solemni ritu Bambergensis Ecclesia dedicatur. Dithm. l. 6. Gobelinus æt. 6. c. 52.

His tam lætè gestis, Rex cum exercitu in Poloniam movit adversus Boleslaum tumultuantem; quòd is irruptione facta intra fines Imperij Lebusiam invaserat, præsidibusque unà cum incolis barbarum in modum partim trucidatis, partim captis, urbi direptæ, flammas injecerat, exusseratque. Conturbata ad hæc Regina, quam Mersenburgi reliquerat, festinatis nuntijs Regi cladem significat. Quare Rex citatis

Henricus in Poloniam iterato movet, eamque victor devastat.

citatis per Saxoniam itineribus in Poloniam movit, ultusque Boleslai perfidiam, *Misislaum Boleslai filium 4 Nonas Augusti prælio vincit ad Oderam flumen, & latè vastitatem cum infesto milite Boleslai provincijs infert. Affectatus hac expeditione Regem suum Meinwercus in Saxoniam Orientalem, ut ex ijs, quæ post referam, liquere potest.

*al. Misecenem. Dithm. l. 6. Auctor vitæ Meinvv.

Inter hæc annus præsens morte subtraxit tres sanctissimos Saxoniæ Episcopos, quorum primus Libentius Bremensis Archiepiscopus Nonis Januarij excessit, quem magnis hisce laudibus ornatum reliquit Adamus Bremensis. *Vir literatissimus, qui ab Italia quondam Adalgagum Archiepiscopum secutus; cujus et vitam in omnibus æmulatus erat, vir tantæ castitatis, ut raro se mulieribus videndum præbuerit; tantæ abstinentiæ, ut pallida jejuniis ora portaverit; tantæ humilitatis ac caritatis, ut in claustro sicut unus fratrum vixerit. Archiepiscopus etiam per se curam egerit hospitalis, fratribus et infirmis quotidiana ministrans obsequia.* Nihilo inter hæc remissior in Apostolico munere, quo minus Transalbianos populos adiret, & Daniæ Sueciæque regiones docendo ordinandóque statis temporibus percurreret. Cetera longum referre. Huic tanto viro subrogatus *Unvvanus ex choro Paderbornensi, clarissimo Immedingorum genere oriundus* (uti idem Adamus Bremensis, auctorque vitæ Meinwerci perhibet) auctoritate Henrici Regis, & Meinwerci commendatione, qui jam Unwani Consanguinei indolem intimè perspectam habebat. Nec fefellit spem suam Unwanus: Nam quod Meinwercus in restituendo Paderbornensi, hoc ille in Bremensi Episcopatu præstitit, postquam parem genere & magnitudine animi sedem nactus; clero apprime benevolus & percarus, cùm jam ante Libentio Archiepiscopo prædium aliaque dona dedisset; eò per malevolos insimulatus, tanquam pretio sibi Episcopatum comparârit; à qua etiam calumnia Crantzius Unwanum absolvit. Consecratus haud multò pòst jussu Regis à Gerone Magdenburgensi Archiepiscopo, Bremæ inauguratur. Ille, quo erat in clerum studio, congregationem principis Collegij, mixtam ex Monachis & Canonicis, ad Canonicam regulam traduxit, quo instituto Paderbornæ & alijs passim Collegijs Canonici vivebant. Nam ex quo primi Archiepiscopi ex Corbeiensibus Monachis delecti hanc sedem tenuerunt, multum Monastici moris & instituti permiscuerant. Ille omnes paganorum ritus ex diœcesi stirpitus sustulit, & Lucos convertit in culturam agrorum, & Ecclesias Christianorum, multaque templa & sacras ædes è fundamento erexit, dissipataque Ecclesiæ bona restituit in integrum: ille Bernardo Saxoniæ Duci se primum objecit, ex quo ausus erat insurgere in Episcopos, bona Ecclesiæ Bremensis & jura turbare, ac Henrico etiam Imperatori rebellare; hujus, inquam, insolentiam potentiamque, qua erat magnitu-

Mors Sancta Libentij Archiepiscopi Bremensis. Adamus Bremensis lib. 2. c. 20.

Cui succedit Unwanus Canonicus Paderbornensis. Auctor vitæ Meinvv. n. 22. Adamus lib. 2. c. 32.

dine animi, Unwanus ita fregit, ut restituta Archiepiscoporum auctoritate, Ecclesiæ se submitteret. Inde, quod summæ laudi fuit Unwano, Henrici Imperatoris ope Sclavos armis victos, tributo veteri & Christianæ religioni per Transalbianas regiones subjecit, ipsosque Aquilonis Reges *bilaritate munerum suorum ad omnia*, quæ voluit, benignos obsequentesque habuit. Ad hunc modum tum necesse erat ex illustrium familijs deligere Episcopos, postquam Episcopi armis tantum sacris instructi cœpêre esse prædæ vicinorum Comitum ac Ducum, Ecclesiæ bonis inhiantium, quòd iniquis oculis aspicerent Regum liberalitate ita Episcoporum & Ecclesiarum opes augeri.

Tagmo Magdeburgensis præsul sanctam vitam pari fine claudit. Waltherum successorem cita mors opprimit.

Alter, quem hoc anno mors v Idus Julij sustulit, fuit Tagmo Magdenburgensis Archiepiscopus D. Wolfangi, ut diximus supra, olim discipulus, à quo vitæ normam & Spiritum hauserat (quem Ditmarus pari virtutis encomio posteritati commendavit) vir quippe, ut ille inquit, justus, largus, fidelis, castus, mitis, prudens, & caritate in omnes plenus, quo Saxonia per id tempus, famâ admirandæ sanctitatis, illustriorem non habuerit. Nullus illi dies effluxit, quo non Missam & psalterium cantaret; sacris peractis, totus hilaris & suavis omnibus. In hujus locum subrogatus cleri electione Woltherus, qui per xxx annos Magdenburgi Præpositi munere egregia commendatione functus erat; sed ille nôn ultra octo hebdomadas Archiepiscopus, fato brevi, ut divinitus acceperat, ac pia morte excessit. Hunc decumbentem Bernwardus Hildesiensis, Arnulphus Halberstadiensis, Meinwercus Paderbornensis, Hillebardus Citicensis, Eido Misnensis Episcopi adiêre, ceterique qui Henricum Regem ad Polonos proficiscentem vel convenêre, vel in Poloniam secuti sunt. Morientem sacro oleo inunxit Dithmarus Episcopus, quemadmodum hæc de se scribit. Singulorum morti magnopere indoluit Henricus Rex, cui unicum studium fuit in deligendis & colendis integerrimis Episcopis. Quarè cùm ad Tangmonis commendationem ageretur apud Regem de Dithmaro Episcopo Merseburgensi Ecclesiæ imponendo, subrisit Rex, & omnia sibi placere, inquit, quæ de eo viro adferrentur; verùm quòd semel observasset Dithmarum ante primæ horæ signum, quo ceteri ad chorum invitabantur, claustro egredientem, dubitare se, an huic Episcopatum & cleri disciplinam committere posset. Tam accuratus censor morum erat D. Henricus, atque is vigor erat in frequentando choro apud Magdenburgenses, in quo Collegio tum Dithmarus Sigefridi Comitis filius communem vitam agebat.

Cura Henrici in deligendis idoneis Episcopis. *Vita Dithmari libris ejus annexa.*

Suidgeri Mors sancta & miracula. *Dithm. l. 7.*

Post horum Episcoporum funera accessit xiii Calend. Decemb. tertium Suitgeri Mimigardevordensis Episcopi; ejusque obitum ad hunc annum referas, quòd 8 Calendas Maji jam illi Theodoricus, Dithmari consanguineus, successerit. Præclara apud Auctorem vi-

Auctor vitæ Meinvv. Albertus Bercherst in vita, qui obitum ad seq. annum refert.

tæ

tæ Meinwerci hujus sanctissimi viri memoria; quòd genere Saxo à primis annis Halberstadij & Magdenburgi in clero educatus; uti & Meinwercus Halberstadij inter Canonicos vixit, virumque exinde conjunctissimum habuit, ex quo ab Ottone III Imperatore è Collegio Magdenburgensi traductus fuit ad Episcopatum Mimigardevordensem; quem per annos XVI præclarè gessit, afflicta plerumque valetudine, sed eò virtutibus & miraculis etiam clarior; quæ ab æqualibus eorum temporum scriptoribus accepimus. Inter ea refertur minister à cubiculis pileum furto subtraxisse; qui cùm factum pernegaret, jussit Suidgerus cultrum, quem mensæ imposuerat, tollere; quo illico ita manum exussit, ut & cultrum abjicere, & factum coactus sit fateri. Trahebatur quidam ad Suidgerum maligno & turbulento Spiritu obsessus, multisq; vinculis constrictus, quem Episcopus mox solvi jussit, formatoque signo crucis è corpore ejecit; ejusmodi imperium in alios quoque dæmones exercuit. Alia in fastis monasteriensibus reperias. Accusatus aliquando ipse Suidgerus à suis, Imperatorem adijt sui purgandi causa; eòque pro tribunali in Vangionum campis sedente, turtures, qui forte prætervolabant, ad se accedere jussit, quos ille manu comprehendit, versusque ad Imperatorem inquit, quàm avis illa sine felle est, tam insons ego sum eorum, quibus falsè insimulor. Ottonem hunc III fuisse volunt, à quo postea magno in honore habitus est: Præsul ob vitæ innocentiam posteris etiam famâ sanctitatis comendatus. Successorem nactus est Theodoricum, ex clero Saxonico Comitis filium, ex Dithmari Merseburgensis Episcopi matertera genitum, virum, qui candidis moribus, innocentiæ quoque nomen in Episcopatum intulit. Revolvant nunc hæc secum, qui Ottonum Imperatorum ætate Episcopos Saxoniæ à priscâ majorum pietate degenerasse falsò criminantur; qui sub Henrico etiam & Conrado, alijsque dehinc Imperatoribus Saxoniam disciplinâ cleri florentissimam intelligent. Neque hactenus Henricus Rex ullibi frequentius jucundiusque versatus, quàm in Saxoniâ, tanquam in natali majorum solo, & dilecta Regni sede, urgente cumprimis bello Polonico.

Annus Christi 1013.

Benedicti VIII Pont. 2.
Henrici II Reg. 12.
Meinwerci Ep. Pad. 5.

Annus jam agebatur MXIII, cùm Rex, dispositis per Saxoniam Orientalem negotijs, ad Occidentalem descendit; versatusque XVIII Calend. Februarij Mulenhusii, rogatu Cunigundæ Reginæ, Everhardi Bamburgensis, & Egilberti Frisingensis Episcopi, liberali donatio-

Nobili iterum prædio ab Henrico donatur Meinwercus.

ne nobile prædium Hoenstide Meinwerco dedit; id quod Unwanus Bremensis Archiepiscopus jam antè Regi cesserat; eòque pro indigenti Ecclesia sua impetravit. Et Rex in Meinwercum tam beneficus, quòd inter ceteros Episcopos sibi cumprimis fidus & percarus aulam sequeretur. Nunc ipsas tabulas recitemus.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex Augustus. Necesse est, ut cùm res bona agitur, prius ejus elatio in corde vincatur, ne si à radice miseræ intentionis prodeat, amaros nequitiæ fructus producat. Ea propter non surdi auditores evangelicæ Marthæ, cujus more Meinvvercus Episcopus nobis frequenti ministerio satagit deservire, ob interventum Cunigundæ Imperatricis Augustæ, contectalis videlicet nostræ, nec non Everhardi sanctæ Babenbergensis sedis Episcopi, sed et Egilberti Frisingensis Ecclesiæ Pontificis, sacrosanctæ Patherbrunnensi Ecclesiæ in honore sanctæ Mariæ mundi Dominæ, sanctique Kiliani martyris, atque Liborii Confessoris Domini consecratæ, curtem Honstede dictam cum omnibus pertinentiis, terris videlicet cultis et incultis, silvis, mancipiis utriusque sexus, molendinis, piscationibus, aquis aquarumque decursibus, quibus scilicet Archiepiscopus Unvvan eam possedit, nobisque legaliter tradidit, in pago Rittiga, in Comitatu Bribardi Comitis, perpetuo jure possidendam tradidimus. Et ut hæc nostræ imperialis traditionis auctoritas firma et inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione hanc paginam manu propria corroborando subter bullari jussimus.

Guntharius Cancellarius vice Erkenbaldi Archicappellani notavit. Data XVIII Calend. februarii. Anno Dominicæ Incarnat. MXIII. Indict. XI. Anno autem Domni Heinrici Secundi regnantis XII. actum Mulinhusun feliciter amen.


Dithmarus lib 6. Henricus Werlis decumbit, indeque benefacit Ecclesiæ Paderb.

Mulenhusio Rex Werlas in Westfaliam contendit: quo in loco cùm per Quadragesimam agit, magnis Colicæ doloribus afflictatur; haud tamen absque plurimis solatijs, de cœlo subinde affluentibus. Ad ultimum multis lacrymis, multorumque piorum hominum precibus ac sacrificijs levatus dolor. Recepta verò valetudine, Regem in hanc urbem assectatus est Meinwercus, fidus semper à latere Comes. Quapropter & novâ beneficentiâ exornatus à Rege; cujus argumentum sunt hæ prædiorum donationes.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina ordinante providentia Rex. Si Ecclesiarum Dei sublimationibus omni studio inservimus, æternæ retributionis præmia nobis affutura esse speramus. Quapropter omnium fidelium Christi, præsentium scilicet et futurorum noverit universitas, qualiter Meinvvercus sanctæ Patherbrunnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus omnia prædia, quæ hæreditario jure possederat, matri suæ Adalæ contradidit. Dehinc ipsa cum manu mariti et advocati sui Balderici Comitis, cum consensu etiam hæredum, eadem prædia potestativè nobis donavit. At nos perpetuæ beatitudinis spe, ac pia præfati Episcopi dilectique nepotis nostri, qui se omniaque sua divino servitio mancipare gaudet, prece et devotione commoniti, prædia eadem legitimè nobis tradita (inter quæ principales

cipales

cipales sortes sunt istæ, Widun, Rimi, Meribiki, Goltbike, Dodenhuson, cum appertinentiis, villis et mancipiis utriusque sexus, silvis, viis et inviis, exitibus et reditibus, molendinis, piscationibus, pascuis, venationibus, quæsitis et inquirendis omnibusque utensilibus, quæ quolibet modo dici vel nominari possunt) sanctæ Paderbrunnensi Ecclesiæ, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris, & beati Liborii Confessoris constructæ, per hanc regalem paginam largimur, omnium hominum contradictione remota. Insuper etiam regali auctoritate præcipimus, ut nulla major minorve persona aliquâ judiciariâ potestate in eisdem prædiis se intromittat, nisi advocatus, quem ejusdem Ecclesiæ Episcopus sibi eligat. Si quis autem, quod absit, hoc nostræ donationis præceptum infringere ausus fuerit, centum libras auri persolvat, L. eidem Ecclesiæ, et L. nostræ Cameræ. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firma et inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici  Secundi Regis invictissimi.

Guntherus Cancellarius vice Erchanbaldi Archicappellani recognovit. Data V Non. Martii. Indict. XI. Anno Dominicæ Incarnat. M. XIII. anno vero Domni Heinrici secundi regnantis * XI. actum Werlæ feliciter amen.

*al XII.

Werlis quoque convenit Regem D. Bernwardus Hildesiensis Episcopus, qnem pari, qua Meinvvercum, ob vitæ sanctimoniam, largitate affecit, testes hæ tabulæ.

Henricus S. Bernwardo Comitatum integrum donat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum, præsentium videlicet ac futurorum, notitia sciat. Qualiter Bernvvardus Hildeneshemensis ecclesiæ venerabilis antistes nostram regiam clementiam adiit, dicens sibi ab antecessore nostro, piæ memoriæ tertio Ottone Imperatore, jus speciale castellum ædificandi, quod mundburg vocatur, in ripa Aleræ fluminis permissum fuisse, ad munimentum et tuitionem contra perfidorum incursionem et vastationem Sclavorum; id ipsum verò castellum, quia magis rogatione, quàm jussu domini Imperatoris libenti animo ad defensionem totius regionis nostræ in illis partibus construxerat; Et quia Dominus Imperator eundem Episcopum pro suo intimo ac jugi famulatu omni pietatis benevolentia ac gratia excolebat, mercedis causa Comitatum circumjacentem illud castellum in pago Astvala, quod olim Thiedericus Palatinus Comes, postea quoque filius ejus Sirus habuerat, sibi in beneficiarium jus concesserat. Nunc verò, qnia nostram regalem clementiam ut idipsum affirmaremus et corroboraremus precatus est. Et quia æqua gratia, parique devotione nobis postea servivit, eundem Comitatum scriptis regiis nostri præcepti illi in finem dierum præstitimus; Ita ut nullus judiciaria potestate, quod in eo contra illius jussum, seu votum agere præsumat. Verùm quicumque ipse velit, ut eundem comitatum nostra

largi-

largitione habeat et regat, præcipientes jubemus, ut id ratum firmumque consistat. Et ut hæc nostræ donationis seu confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum exinde conscriptum propria manu corroborantes, atque confirmantes sigilli nostri impressione insignire præcepimus.

Signum Domni Heinrici  *Regis invictissimi.*

*Guntherus Cancellarius vice Erkanbaldi cappellani recognovit. Data Indict. XI. anno Dominica Incarnationis millesimo XIII. anno verò domni Heinrici secundi regnantis * XI. actum Werla feliciter Amen.*

* *al. XII.*

Paderbornam invisit.

Destinaverat Rex Werlis profectionem in alia loca; verùm ex vicina urbe à Meinvverco invitatus Paderbornam cum Regina accessit, atque, ut Dithmarus scribit, *Paschale festum cum Meinvverco sibi admodum familiari in Patherbrun dignâ veneratione peregit*, non tam loci fontiumque amœnitate, quàm antiquitate & sanctitate captus Rex, cumprimisque Regina Cunigundis, ex quo Paderbornæ regia corona decorata fuerat. Et Meinwercus Episcopus eo impensius Regem invitabat, quo effusæ caritatis obsequia, aspectumque miserabilis incendij animum Regis ad liberalitatem, indigentiamque suæ Ecclesiæ reparandam provocaret. Paderbornâ discessum à Rege Gronam ad Visurgim, ubi publica Regni comitia indixerat Rex, quæque VIII Calend. Maji magno procerum Saxonicorum conventu celebrata sunt: quò & Meinwercus cum ceteris Saxoniæ Episcopis accessit. Pertractatum in ijs de publico Regni statu & incolumitate (quòd jam iter Romam decreverat) ne quid per absentiam suam Respublica detrimenti caperet, vel à Nortmannis barbarisque Sclavis ad Septentrionem, vel à Polonis ad Orientem. Gronam hanc verius dixeris ad Visurgim, quàm quæ in diœcesi Hildesiensi ad Lenam fluvium sita; quòd Grona ad Visurgim antiquissimus locus, villa regia celebris, in qua Reges & Cæsares sæpe versati, in qua & Cunigundis Regem suum ante Paderbornensem coronationem convenit, quæque à celebritate veteri etiamnum Satrapiæ nomine insignitur. Ibi igitur Meinwercus à Rege ad Italicam expeditionem invitatus, quam Regi negare non poterat, cœpit tenuitatem suæ Ecclesiæ, & sumptuum difficultatem obtendere, quos iter illud à se posceret. Rex ne quid Ecclesia Paderbornensis sui causâ pateretur, Meinvverco Bernehusum prædium in pago Lisga, & Comitatu Udonis dedit; impetratumque precibus Cunigundæ Reginæ, Heriberti Coloniensis Archiepiscopi, Athalbaldi Trajectensis, Thiaderici Mimigardevordensis, aut ut in codice Abdinckhoviano, Monasteriensis, Wiceri Verdensis, Thiederici Metensis, Bernwardi Hildeneshemensis, Thietmari Osnabrugensis, Herici Halverbergensis. Eodem anno eodemque

Auctor vitæ Meinvv. Gronæ ad Visurgim comitia celebrat. *Meibom. in not.*

Meinwerco prædium novum dat in sumptus itineris Italici.

demque die, ac loco Henricus Rex Gronæ Meinwerco Episcopo Villam Moringam in pago Moringano, & in comitatu Bernardi Comitis sitam donavit, quam Unvvanus Archiepiscopus ante Regi quoque cesserat. Hoc denuo prædium rogatu Cunigundæ Reginæ, Erchanbaldi Moguncia censis Archiepiscopi, Bernvvardi Hildenesemensis, Tiederici Mimigardevordensis, Arnoldi Halverstadiensis, Heinrici Wirceburgensis, Hildevvardi Citicensis Episcopi obtentum à Rege. Ex hac tot Episcoporum præsentia satis æstimare fas erit, quàm magnifica fuerint Gronensia hæc ad Visurgim Comitia, quæ à ceteris proceribus haud minori numero frequentata dixeris; quanquam quid præter publica Regni negotia actum sit in sacris, interciderit. Verisimile habeas in hoc conventu Episcoporum de collapsa in Fuldensi cœnobio disciplina instauranda tractatum. Nam Dithmarus his continuo subjungit. *His diebus * Bronhag, Abbas Fuldensis, deponitur, et succedente sibi Poppone converso, et tunc Larissemensi pastore, hoc monasterium, confratribus latè discedentibus, à priori statu mutatur.* Haud dissimilis per id tempus in Corbeiensi ad Visurgim disciplinæ prolapsio, ut in eorum fastis reperio.

Dithmarus lib. 6.
**al. Brantohus.*

Transactis in Westfaliâ rebus, Henricus Rex in Orientalem Saxoniam digressus, Pentecostes festum Merseburgi celebrat, indictoque istic publico Episcoporum ac Principum conventu, & auditis legatis, jussit Boleslaum cum Misicone filio adesse. Atque is, postquàm Sacramentum fidei dixit, receptus est à Rege in gratiam: nec indecorum habuit, ad divinum officium procedenti armigeri habitu præire; ubi verò indictâ profectione Italicâ jussus est Regem comitari, abnuit, multaque exinde perfida molitus est.

Comitia Merseburgi habita.

Inter hæc Meinvvercus digressus à Rege Paderbornam, domi prius omnia sapienter composuit, quàm iter Romanum cum Rege ingrederetur. Nam ut Auctor vitæ perhibet, sollicitus pro fabricâ Basilicæ, quæ contento labore surgebat, idoneus operi magistros præfecit, quibus omnem materiæ formam & operarum impensas, & stipendia dispensavit, ne quid per absentiam suam intermitteretur.

Auctor vitæ num. 26.
Meinwercus antequam in Italiam discedat, omnia fabricæ necessaria providet.

Rex adulto Septembri, comitante Regina, è Saxonia per Sueviam & Bojariam Romam iter est ingressus; quem in Autumno, Meinwercus, antequam Germania Rex excederet, est consecutus. Causa hujus magnificæ expeditionis Benedictus VIII Romanus Pontifex, cui licet rite electo, ausi tamen fuerant Romani per factionem subrogare Gregorium. Ob id Benedictus anno superiore ad Henricum Regem in Saxoniam confugerat. Idem Gregorius fecerat; sed hunc jussit Rex Pontificio munere abstinere, retenta apud se cruce Pontificia, donec se præsente controversia omnis Romanæ Ecclesiæ judicio decerneretur.

Annus

Annus Christi 1014.

Benedicti VIII Pont. 3.
Henrici II Reg 13. Imper. 1.
Meinwerci Ep. Pad. 6.

Dithm. l. 7. Glaber. l. 2. Auctor vitæ Meinvv. Baronius. Sigonius. Sigebertus. Herm. contract. Marian. Scotus. Lambertus Schaf.

Igitur Caroli M. ac ceterorum Jmperatorum sanctissimo exemplo, ad dissidia Romanæ Ecclesiæ componenda, atque ad Pontificis auctoritatem asserendam, Alpes Henricus transgressus cum exercitu & comitatu Episcoporum, Jtaliam pacatè intravit, ut Dithmarus scribit; secus quàm Sigonius, qui Ardoinum ad Veronæ confinia cum exercitu occurrisse, & ab Henrico profligatum perhibet. Inde lustratâ Insubria, Legatos Ravennâ misit ad Benedictum Pontificem, qui de suo ad urbem adventu, & ad Imperij insignia ab ipso capienda certiorem facerent. Actis deinde Papiæ, veteri Regia sede, quam sine vi occupârat, Christi natalitijs, ad Vigesimum quartum Februarij solemni pompa Romam est ingressus. Venienti Regi occurrit Pontifex, qui deinde honorificentissimè à populo Romano est exceptus. Ubi dies inaugurationis illuxit, unà cum Regina, & duodecim urbis senatoribus (quorum sex rasi barba, alij prolixa cum baculis incedebant) ad Principis Apostolorum Basilicam est deductus. Sed priusquam Basilicam ingrederetur, à Benedicto Pontifice, qui ante limen præstolabatur, compellatur, velitne se fidum Ecclesiæ Romanæ patronum & defensorem præstare, ac sibi Successoribusque omni ope & officio adesse? quo à Rege promisso, introductus ad infimam Ecclesiæ aram, inter Missarum solemnia, Henricus Imperator est inunctus, unàque cum Regina corona Imperiali decoratus, Regum eo nomine secundus, Imperatorum primus. Peractaque est hæc inauguratio 24 Februarij, die Matthiæ Apostolo sacra, quam Dithmarus in Dominicam incidisse refert. Priorem coronam Imperator super altare Principis Apostolorum suspendi jussit, quo testaretur se Deo honorem referre. Eodem die Pontifex Imperatorem in Laterano ad cœnam invitavit, manificéque habuit. Inter insignia aureum pomum, cui crux in vertice exquisitis gemmis ornata inhærebat, a Benedicto Pontifice oblatum Imperatori; quo accepto, Imperator rectè, inquit, aurei pomi globum donas, quo moneor orbem & Imperium ex ferreo aureum formare; crucem imposuisti, quo intelligam multa mihi dura pro Christo ferenda; gemmas adjecisti, quibus regiæ mihi virtutes commendantur. Exinde vetera Romanæ Ecclesiæ privilegia à Pipino Rege, Carolo M. Ludovico pio, & Ottonibus concessa confirmavit, auxitque donationibus. Recitat Baronius in hanc rem diploma Henrici Imperatoris ex quatuor autographis collatum; idemque Binius, Sirmondus, & Parisienses inter concilia

Imperator post juratam Ecclesiæ fidem creatur.

Insignium Imperij mysticus sensus ab Henrico declaratur.

cilia generalia proferunt, cui Erkenbaldus Moguntinus, Heribertus Coloniensis, & Poppo Trevirensis Archiepiscopi, prætereaque Metensis, Bambergensis, Wirceburgensis, Spirensis, Constantiensis, Curiensis, Basileensis, Virdunensis, Eistatensis Episcopi subscripserint. Verùm cùm nec Romæ consignatum addatur, nec Poppo Trevirensis ante annum 1016 creatus sit Archiepiscopus, nec Meinwercus noster, qui Jmperatori aderat, inter consignatores reperiatur, verisimile censent alij id diploma á Benedicto Pontifice in Germania, cum Bambergæ Jmperatorem conveniret, anno 1019 aut 1020 consignatum esse. Et quis omnes hosce Episcopos Jmperatorem Romam assectatos dixerit? certè S. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus per id tempus Susati III Nonas Februarij approbavit fundationem Gesekensi Monasterio à Comitibus Haholtanis factam, rogante id Hildegarde Abbatissa, primi conditoris ex Bernardo filio nepte.

Brovverus in ann. Trev.
Gretzerus in Episcop. Eichstad.
Stangefol. in Westf.

Per hanc Imperatoris in urbe præsentiam & opportunitatem sibi datam Meinwercus, qui summæ apud Imperatorem & in aula erat auctoritatis, inita cum Pontifice familiaritate statum suæ Ecclesiæ exposuit, simulque aperuit mentem suam de construendo Monasterio, quod exinde magnificum in suburbio Paderbornæ est aggressus. Et quo urbem & Monasterium divorum patrocinijs muniret, impetravit à Pontifice larga donatione Sanctorum reliquias, dimidium videlicet corpus septem fratrum & filiorum S. Felicitatis, Philippi, Juvenalis, & Felicis, qui Antonino Imperatore martyrio affecti: Cranium S. Blasij, qui Licinio imperante, anno Christi CCCXII pro fide interfectus: Brachium S. Miniatis, quem Diocletiani furor VIII Calend. Novemb. per cruciatus sustulit; multaque præterea alia Divorum pignora, quibus Ecclesiam suam exornavit. Demum à Pontifice omnium privilegiorum & bonorum, quæ vel ab Imperatoribus, vel Regibus Paderbornensis sua Ecclesia possidebat, confirmationem Apostolicæ auctoritatis diplomate obtinuit. Quod Auctor quidem in Meinwerco producit, sed nos ex tabulario Abdinghoviano integrius hic reddimus.

Meinvvercus plura SS. Lipsana, & privilegiorum confirmationem à Pontifice obtinet.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto in Domino filio Meinvverco venerabili Episcopo Patherbrunnensis Ecclesiæ, suisque Successoribus in perpetuum. Desiderium, quod ad religiosum propositum, et Sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua nostra, Deo auctore, dilatione perficiendum, et quotiens in quibusdam ejus utilitatibus nostrum assensum, et solitæ Apostolicæ auctoritatis exposcit præsidium, id nostræ benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et rati pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis salus, et indemnitas profligetur, et nobis quoque lucri potissimum præmium à Conditore omnium Deo in sideriis arcibus proscribatur. Igitur quia postulastis à nobis quatenus

tenus confirmaremus, et Apostolica auctoritate corroboraremus tuæ Ecclesiæ, tibique et Successoribus tuis, quæque pro redemptione animarum suarum ab Imperatoribus, sive Regibus, Ducibus, Comitibus, vel ab omnibus magnis parvisque personis oblata sunt, sive commutata, seu omnia, quæ tu ductus amore Dei de propriis tuis hæreditatibus eidem venerabili Sponsæ tuæ contulisti perpetualiter, inclinati precibus tuis, per hujus privilegii seriem confirmamus et corroboramus Ecclesiæ tuæ tuisq; Successoribus in perpetuum omnia prædia culta vel inculta, nec non omnia, quæ ei pro redemptione animarum suarum ab Imperatoribus, maximéque à Christianissimo et Serenissimo filio nostro, dilectissimo ac Sanctissimo Imperatore Heinrico oblata sunt, sive in Comitatibus, seu ubicunque fuerint, nec non omnia, quæ à Regibus, Ducibus, Comitibus, magnis parvisque personis jam dictæ Ecclesiæ oblata sunt. Similique modo confirmamus ea omnia loca, quæ tu ipse pro redemptione animæ tuæ, et parentum tuorum jam dictæ tuæ Sponsæ de propriis hæreditatibus contulisti; nec non ea, quæ ab aliquibus commutata sunt. Statuentes Apostolica censura sub anathematis interdictione, ut nulli unquam magnæ parvæque personæ liceat contra hoc nostrum Apostolicum præceptum insurgere vel contraire. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem piè à nobis promulgatam venire, ac agere temptaverit, sciat se Domini nostri Apostolorum Principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda proditore Domini nostri Jesu Christi æternum igne concremandum, simulque et in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui verò pio intuitu custodes et observatores hujus nostræ salutiferæ præceptionis extiterint, benedictionis gratiam cœlestisque retributionis, ac æterna gaudia ab ipso Judice Domino Deo nostro consequi mereantur.

Scriptum per manus Benedicti Notarii & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Mense Martio, Indictione XII. BENE VALETE.

Vovet D. Alexio Monasterium.

Per id tempus cùm exercitus Imperatoris hæreret in Italia, multique grassante passim lue absumerentur, quâ & Imperator, & Meinwercus infecti, suasit Romanus quidam, ut D. Alexio votum facerent, fore ut brevi lues remitteret; ad quæ Meinvvercus, sublatis in cœlum manibus & oculis, vovit se Divi hujus honori Monasterium erecturum. Inde ædes illa sacra D. Alexio haud procul à Monasterio Abdinghoviano posita, quæ nostra etiam memoria ab Henrico Abbate, viro religiosissimo renovata.

Cluniacense Monasterium multis prædijs donat S. Henricus.

Imperator postquam multis regijs donis Romam exornasset, & Bambergensem Episcopatum à se conditum singulari patrocinio Romani Pontificis subjecisset, invitato etiam ipso Pontifice in Germaniam, Româ Papiam discessit. Eo ex itinere cum Meinvverco & paucis familiaribus Cluniacum, quod Monasterium D. Benedicti, flore instituti, celebre erat, religionis & pietatis causa invisit. Ibi tum Impera

perator aureum illud pomum, quod in coronatione à Benedicto Pontifice acceperat, Odiloni Abbati dono obtulit, multaque prædia Monachis ob sanctitatem vitæ, quam coram probavit, in Alsatia dilargitus est, haud alio lucro, quam ut se Imperiumque eorum precibus commendaret. Horum Monachorum instituto, & disciplina religiosæ vitæ ita captus Meinvvercus, ut ab Abbate, & tota congregatione XIII Monachos sibi permitti peteret, quos in Saxoniam novi sui cœnobij, quod Paderbornæ meditabatur, sacros Colonos traduceret. Magnopere hoc Meinvverci consilium probavit Imperator, eóque facilè ab Odilone Abbate impetravit, qui ad Cluniacensis cœnobij disciplinam formarent exordia ceterorum. Hi igitur Meinvvercum comitati in Westfaliam, tulêre secum Regulam D. Benedicti, librum ritualem, quo Antiphonæ & hymni ad cantum descripti erant, libram panis & potus, quæ pro mensura quotidiana tenuis victus esset. Cluniaco dehinc Imperator cum Meinvverco Papiam pervenit, qua in regia Longobardorum pascha celebrat: ac longè hîc alius, ac benignior civium animus, quàm primo adventu experiri necesse fuit. Multa illic Imperator, priusquam in Germaniam moveret, sapienter disposuit, ad Longobardici Regni urbes, & proceres in officio continendos. Nam præter famam castimoniæ & sanctitatis, omnium animos mirificè humanitate & beneficijs capiebat. Nullum per Italiam sacrum locum transijt, in quo non vestigia liberalitatis reliquerit, instituto etiam novo Bobiæ Episcopatu. Quin adeo, dum ad Richardum Virdunensem Abbatem diverteret, ita vitæ religiosæ desiderio incensus fuit, ut abdicata mortalium cura, exutaque purpura Monachi istic meditaretur vitam; id verò cùm per literas ab Abbate peteret, pio ille astu consilium elusit, quòd plus emolumenti ab ipso Imperatore, quàm Monacho Ecclesia habitura esset. Religionem igitur, quam habitu non licuit, moribus professus est.

S. Meinwercus Cluniaco tredecim religiosos deducit Abdinckhofense monasterium formaturos.

Novum Bobiæ Episcopatum fundat S. Henricus

At Meinwercus, dum Papiæ cum Imperatore versatur, Ecclesiæ rursum suæ causam egit, Jmperatoremq; cum amicis & Regni magnatibus adiens petijt, ut qua auctoritate Pontifex, eadem & ipse loca possessionesque Paderbornensis Ecclesiæ pro Jmperiali potestate confirmaret. Annuit extemplo Jmperator, atque æquum pronunciavit, id Meinwerco pro itineris hujus molestijs & fido in omnibus servitio deberi: ac mox Jmperiale diploma quod aureis literis distinctum, inauratoque sigillo decoratum hodiedum Paderbornensis Ecclesia exhibet, confici jussit; id verò in hunc modum habet.

Auctor vita Meinverc. num. 30.

Paderbornensis Ecclesiæ possessiones confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam divinæ dispositionis providentia nos ad regendam totius Reipublicæ monarchiam apostolicæ benedictione provexit, ante omnia autem hoc laborare debemus, ut qui coronam terreni imperii concessit, post emensum hujus vitæ spacium ea etiam

coronari permittat, quæ non auferatur in eternum. Quod potissimum fieri posse decernimus, Si loca Ecclesiasticis obsequiis deputata nostra auctoritate corroborentur, ut omni exteriori inquietudine remota, in tranquillitate permaneant, quatinus eorum precibus adjuvemur, qui ibi diu noctuque orationibus in Dei servitio vacare debentur, et quod per nos, utpote conscientia trepidi, querere non presumimus, sanctæ Dei Ecclesiæ Servientium pia intercessione impetremus. Quapropter universitati fidelium nostrorum patere volumus, qualiter Megenvvercus Paterbrunnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus pro Ecclesiastica utilitate arduum laborem aggressus nobiscum limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli pia intentione quesivit, devotè supplicaturus, ut Ecclesia, cui ipse pastorali cura præsidet, inprimis Apostolica, deinde nostra imperiali auctoritate corroboraretur, pro eo maximè, quia quando Ecclesia fuit concremata, omnia ejusdem Ecclesiæ precepta atque privilegia incendio perierunt. Cujus petitioni, quia rationalis videtur gratuito assentientes, quidquid eadem Ecclesia per justitiam obtinere debet, antecessorum nostrorum, vel nostra oblatione, ceterisque fidelibus ibi collatum in rebus, territoriis, vel in comitatibus, ac districtu, quibuscunque utensilibus, ac quidquid ipse Episcopus predictus Megenvvercus de sua hereditate ibi contulit, vel aliunde per commutationem, aut precariam legaliter adquisivit, denuo stabili dono concedimus, et imperiali auctoritate confirmamus. Si quis autem nostræ confirmationis edictum ulterius aliqua presumptione infringere temptaverit, centum librarum auri ad nostrum pondus compositione multetur, ut dimidium Cameræ nostræ persolvat, reliquum verò eidem Ecclesiæ, quam temerariè inquietare præsumpsit. Et ut hæc confirmatio per successiones temporum stabilis et inconvulsa permaneat, hanc imperialis precepti paginam inde conscribi, ac manu propria confirmantes sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici  *Serenissimi et Imperatoris invictissimi.*

Guntherius Cancellarius vice Erkanbaldi Archicappellani recognovi. Data indictione *al. XII. *XI. Anno Dominicæ Incarnationis MXIIII. anno vero Domni Heinrici secundi regnantis* *al. 13. *XII. Imperii vero 1. actum Papiæ feliciter amen.*

Dithm. l. 7. — Imperator ex Italia redux festivè à Germanis excipitur.

Longiores exinde moras in Jtalia abripuit æstus cœli, & vulgata per exercitum lues; eò rursum regressus est cum Meinvverco (quem à latere sibi hærentem comitem adesse voluit) in Germaniam. Venientem omnes ordines, quem Regem deduxerant, Jmperatorem cum ingenti lætitia excepêre: ludis etiam omnis generis adornatis, interque hos homo nudus, melle oblitus, ursis parabatur objiciendus, nullo tamen laniandi periculo, quòd feræ edoctæ essent mella tantumodo lingere. Aderat tum inter Spectatores Poppo Stabulensis Abbas

Abbas, qui ratus rem serio geri, Imperatorem monet, abstineret à tam cruento spectaculo, Christianis inconcesso, ni Deum gravissimè offendi vellet. Paruit monentis simplicitati Imperator, & histriones è conspectu facessere jussit. *Auctor vitæ Meinvv.*

At verè tragicum hoc anno facinus edidit Athela Meinwerci nostri mater. Nupserat illa post obitum Jmadi, primi mariti patrisq; Meinwerci, Balderico, homini diviti & potenti, quanquam genere impari: hujus amoribus ita perversa in odium filiorum prioris tori, ut Theodericum natu majorem, Meinwerci fratrem, heredemq; stirpis, 7 Idus Aprilis, cùm adhuc in Lombardia ageret Imperator & Meinwercus, perfidè è medio tolleret, armatis ad id facinus servis, qui insontem Comitem in Oppido Uplage, munitissimo juxta Ellenam montem loco, per insidias interemirent. Quas deinde hujus parricidij vindictas Meinwercus & consanguinei à matre poposcerint, & quo fato Medea illa jactata sit, tempori memerabo. Athela S. Meinwerci mater filium natu majorem interficit.

Imperator post iter Romanum in Germaniam reversus, nihil antiquius habuit, quàm per æstatem, compositis per Lotharingiam turbis, quæ absente Imperatore exarserant, quidquid à bellis vacuum nactus est temporis, convertere ad jus publicè dicendum, & amplificandas res sacras per Imperium. Jam & Meinwercus à reditu ex Italia ab Jmperatore discesserat in Episcopatum suum, ducens secum Paderbornam Monachos, quos è Cluniacensi cœnobio impetrârat, haud alio consilio, quam ut Monasterium, quod ex instituto Divi Benedicti meditabatur, conderet per Cluniacenses religiosos ad exactam ejus ordinis vivendi rationem, quam Cluniaci inspexerat, in Westfalia formandam. *Auctor vita Meinvv*

Quare nihil impensius habuit, quàm ædem sacram D. Benedicto erigere, & celeri opere ad Occidentalis urbis partem absolvere, quæ Cœnobitis tantisper deserviret ad sacrorum cultum, donec cœnobium, & magnificentius templum construeret. Verùm ut in ejusmodi religiosorum exordijs evenire solet, non defuêre obtrectatores atque æmuli, qui dicerent, Monachos, quod vel ipsorum nomen secum ferret, procul ab urbe & consortio hominum collocandos in solitudinis aliquo recessu; & quòd in conspectu urbis Episcopus Monasterium condere vellet, ei consultius Monachas aut Clericos imponeret. Horum verò obtrectationi ita occurrit Meinwercus, ut diceret Monachas ob fragilitatem sexus magis esse obnoxias periculis, si cum offensione collocentur intra frequentes hominum cœtus; Monachos verò consulto clericis conjungi, ut alteri alteros exemplo pietatis, & virtutum æmulatione provocent: rectè Episcopis Laicos venire in servitium, Clericos in consilium & subsidium; Monachos verò tanquam in abdito colere sanctimoniam vitæ, & quotidianis suis apud Deum precibus fulcire Ecclesiam, Monachi Abdinckhoffenses obtrectatores initio experiuntur, à Meinwercos prudentes compositos.

His

His alijsque prudentes in assensum & cœpti operis commendationem traxit, Nec minus urgebat Meinwercus Basilicæ opus, quod jam intra sexennium Episcopatus ejus ad fastigium absolutionemque surgebat.

Annus Christi 1015.

Benedicti VIII Pont. 4.
Henrici II Reg. 14. Imp. 2.
Meinwerci Ep. Pad. 7.

Dithm. l. 7. Accesserat inter hæc annus MXV, sub cujus initium Jmperator comitia egit Merseburgi; in quibus ad congregatos Jmperij ordines causa Boleslai toties perfidi relata est. Antequam verò bellum inferret, placuit primùm Hermannum Misniæ Marchionem, Boleslai generum, mittere Legatum: Sed hic, ut Dithmarus loquitur, semper mentiri solitus, longè alia, quàm in mandatis acceperat, apud Socerum egit. Quâ deinde perfidiâ Legatus Boleslai elusit Jmperatorem. Et quàm non perfidus inter hæc ipse Boleslaus? qui misso filio Misicone ad Othelricum Bohemiæ Principem, clam eum ad bellum contra Jmperatorem sollicitabat. Sed fidus Jmperatori Othelricus, Misiconem filium captivum tenuit; Jmperator verò, quo Boleslaum sibi demereretur, captivum filium à Bohemo impetrat, & patri remittit liberum; sed nec filius, nec pater eo beneficio delinitus, ingratæ efferæque belluæ instar, rebellionis arma cœptant. Hæc dum aguntur, Jmperator ex Ostphalia in Hassiam descendit, & *proximos rogationum dies*, ut hæc verbis Dithmari referam, *in Capungum fuit, quo ipse curtem suam de Civitate, Cassulan dicta, transtulit, et ibi cum consilio Archipræsulis sui Heriberti prædictam Hethenrico curam commendavit.* Fuit autem Caufunga celebre olim Monasterium Virginum, haud procul Cassellis, in quod sub obitum Jmperatoris Cunigundis secessit: modò vix rudera aspicias ab hæresi relicta. Pergit Dithmarus. *Transactis ibidem rebus necessariis, Imperator in vigilia Pentecostes ad Immaleshusen venit, illic cum antistite Meinvverco hanc sanctam festivè ducens solemnitatem. Illic *Val corbeiensis Abbas pius à curâ suspensus deponitur, et unus ex Larissemensi Monasterio Druchtmer sine fratrum consensu prædictorum assignatur. Quo ad sedem suam in hac venienti hebdomada, omnis congregatio, exceptis VIII, flens abiit, ut Liudulphus Abbas prædixit, et locum hunc penè vacuum non sponte reliquit.* Dilucidius aliquanto hanc reparationem Corbeiensis cœnobij chronicon Francosaxonicum exsequitur. *Ad eundem*, inquit, *annum MXV. Henricus Imperator Monachorum Corbeiensium privilegia et consuetudines aliquas priorum, quas CCXXX et IX annis, Ludovico Pio dante, habuerant, potestativè mutavit, amoto Monasterii patre; ignotum, et fortasse bonum illis præfecit, qui quasi doctior errata corrigeret, et devios sanctæ regulæ tramitem*

Pacem cum Boleslao Henricus nequicquam ambit.

*Leg. Wal Corbeiensis Abbas prius

Corruptam Corbeiensium disciplinam Meinwerci consilio restaurat. Brovverus ad Schol. in B. Meinvverc.

tem

tem cautius doceret: ex hoc illi nimium mœrentes vitam suam, quæ cunctis pœne Monachis exemplo claruerat, vilescere ingemiscunt, seque mutuo hortantes potius discedere, quàm tantæ injuriæ subjacere, sicque factum est, ut cùm sedecim rebelles custodiæ traderentur, pauci admodum superesse viderentur, cæteris sæculo mirabiliter occupatis: sed postea Dei gratia decenter conversi, divinis se rursum mancipavêre obsequiis. Auctor hujus restaurationis apud Corbeienses Meinwercus Episcopus; nam ut scriptor vitæ ejus refert, cùm deliciæ rigorem disciplinæ dissolvissent, Meinvvercus Episcopus factus ad Cœnobium accessit, ut secundum canonicam auctoritatem corrigeret, quod corruptum animadverterat: sed expulsus cum grandi sua suorumque injuria Henricum Regem adijt, impetravitque ut Walone Abbate submoto, Druthmarus subrogaretur, qui prolapsam disciplinam formaret in melius; quod ut bonis Monachis gratum, ita dissolutis invisum erat; adeo sanè, ut dum Meinwercus templum ingrederetur divina peracturus, Boso Monachus atque ejus Ecclesiæ custos, stomachando apparatum sacrorum ex altari projiceret, diceretque palam, absque sua permissione fas non fore Episcopo sacrificium Missæ in sua Ecclesia celebrare. Quo magnopere offensus Episcopus cœnobium intravit, convocatisque Monachis, & gravi oratione questus de injuria sibi irrogata, multis exposuit quam venerationem suis Præpositis deberent; se Episcopum esse, intra cujus diœcesin Corbeia posita sit, nec alio consilio adesse, quàm ut enormia quædam Abbatis delicta, & quæ publicè omnium oculos offenderent, pro officij munere corrigeret. Ad quæ cùm Monachi segniores & inviti essent, Meinwercus cathedram conscendit, & pauca pro re & tempore ad populum prolocutus, omnia, quæ facta erant, exposuit, cumprimisque Bosonem, à quo injuria sibi irrogata erat, ad satisfactionem postulavit; atque is cùm iterum iterumque ac tertium vocatus non compareret, ad tribunal Dei provocavit, eâ contestatione, ut qua die ipse è corpore exiret, Boso se supremo quoque judici sisteret. Quo dicto, discessit; quem Abbas cum Monachis Paderbornam insecutus, supplex offensæ condonationem petijt & impetravit; idem verò cùm pro Bosone rogaret, respondit provocationem ad tribunal Dei semel factam esse, quæ immutari non possit. Quàm infelici verò fato Boso vitam clauserit, eodemque momento, quo Meinvvercus, ad judicium evocatus sit, ad Meinvverci excessum memorabitur.

His cum Corbeiensibus transactis, Imperator Goslariam primùm, deinde Magdenburgum concessit, ad belli Polonici expeditionem ordinandam. Ceterum per hujus anni æstatem VIII Calend. Augusti subtractus est è vita mortalium Bernardus Verdensis Episcopus fidus, ut inquit Dithmarus, Saxonicorum Episcoporum, ex quo XXIII annos haud vulgari sanctimoniæ famâ, magnoq; Ecclesiæ suæ bono

Bernardo sancto Episcopo Verdensi mortuo sufficitur Wiggerus.

bono Episcopatum gesserat, *quo intellecto, Imperator, ut filius absentiam patris, sic flevit ille mortem tanti præsulis.* In hujus locum repositus Imperatoris studio Viedzierus, seu ut passim vocatur, Wiggerus, Coloniensis Ecclesiæ antehac Præpositus. Et quàm invitus ille multumque renitens Episcopatum admisit, tam præclarus postea Episcopus compertus (ut sacra cumprimis infula sunt digni, qui maximè refugiunt) eoque statim ab Erkenbaldo Moguntino Archiepiscopo consecratus inunctusque ad sedem suam transmittitur.

B. Meinwercus Monasterio Abdinckhoffensi absoluto primum abbatem præficit Sigevvardum.

Inter hæc Meinwercus ædem sacram D. Benedicto & Monachorum sacris destinatam festinato opere complevit, quam XVI Calend. Martij consecravit, dato in dotem prædio cum decimis. *Ipso autem dedicationis die Episcopus per salutarem confessionis pœnitentiam generalem,* ut Auctor scribit, *absolutionis indulgentiam populo tribuit.* Positis jam cœnobij quoque fundamentis ordinatisque structuras illas pari solertia maturabat; quòd jam Monachi in plenam congregationem coaluerant; quibus Sigehardum ex illis, quos Cluniaco adduxerat, Abbatem præfecit; cui multi etiam Ministerialium & civium filij se in disciplinam religiosæ vitæ & tyrocinium dabant: quo magnopere delectatus est Meinvvercus.

B. Amonis Monachi Abdinckhoffensis in defunctos pietas memorabili facto approbatur.

Lib. vetustus MS. Cœnob. Abdinckhoff. Henricus Abbas in Monumento D. Alexii.

Memorabile, quod ad initia hujus cœnobij referas. Cùm religiosi istic Sacerdotes è Cluniacensi monasterio traducti viverent, fuit inter eos monachus, cui nomen Amo erat, qui pietatis causâ proximum D. Alexij Sacellum, à Meinwerco constructum, frequentare, in eoque sacrificium Missæ peragere solebat; & quia per cœmeterium, quod inter ædem domesticam & D. Alexij Sacellum interjacebat, transeundum erat, nunquam per id aut ibat, aut redibat, quin defunctos sepultosque eo in loco Sacrificij sui participes faceret, & æternam in transitu etiam cum cœlitibus requiem precaretur. Id cùm pro pio receptoque Ecclesiæ more jam sœpius fecisset, audivit aliquando in reditu ex Sacello magnam animarum multitudinem una sibi respondentem, Amen, Amen. Territus quidem ille & obstupefactus hæsit ad insolitas illas circum se voces, quòd ex tanta respondentium turba nullum aspiceret; satis tamen intellexit, quo solatio mortuorum fructuque preces suæ acciperentur. Et ille multo impensius per omnem vitam continuare sacrificium, precesque pro defunctis. Quemadmodum D. Augustinus inter ceteros patres scripsit. *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum universa observat Ecclesia.*

Serm 32. de Verbis Apost.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis

Sed ad Meinvvercum nos referamus. Nihil ille id temporis impensius habuit, quàm ut Basilicæ fabricam perficeret; quam imposito tecto hoc anno, invitatisque, ut mos est, vicinis Episcopis, XVII. Calend.

Calend. Octobris solemnibus Ecclesiæ ritibus dedicavit, affluente innumera hominum multitudine utriusque sexûs, ætatis atque ordinis. Eo celebri die & congregatione, Meinwercus diploma Apostolicum Benedicti VIII, quo privilegia & bona Paderbornensis Ecclesiæ confirmata diximus, publicè recitari jussit; quo omnium animis imprimeret venerationem hujus sanctæ Ecclesiæ: ipse ut alios suo exemplo ad liberalitatem provocaret è bonis paternis, quæ in Saxonia possidebat, dedit Cathedrali Ecclesiæ suæ in dotem Oppidum Plesse cum M. & C. mansis, alijsque præterea possessionibus, quæ matri, dum viveret, ad fructum relictæ erant. Hac liberalitate mirum dictu, quantum accensæ sint aliorum piorum hominum mentes, quantumque in prædijs & agris, in auro & argento obtulerint; quarum donationum tabulas Auctor vitæ Meinvverci, etsi nondum editas, recenset, & tædio sim, si hic referre velim. Hæc nunc illa magnifica Basilica, uti hodiedum conspicitur; ac tametsi postea tectum incendio absumptum, ipsum tamen Meinwerci opus ex fabrica veteri, columnis, muris formáque perstat.

Pad. solenni ritu à B. Meinwerco peracta.

Auctor vitæ Meinvverci.

Invitârat quoq; ad hanc dedicationem Basilicæ Henricum Imperatorem, quòd certam sibi spem fecerat, Imperatorem, si præsens foret, regium Ervete prædium vicumq; Paderbornensi Ecclesiæ daturum in dotem. Sed ille per id tempus expeditionem adversus Boleslaum susceperat, valido cum exercitu Poloniam ingressus. Cujus prosper belli exitus fuit. Nam postquam Magdenburgi imploratum D. Mauritij militis, ejus loci patroni auxilium, certam sibi victoriam polliceri est ausus. Quare in tres partes divisus exercitus; alioq; ipse Imperator progressus in Boleslaum, alio Henricus Orientalium Saxonum Marchio cum Bavaris adversus Misiconem Boleslai filium, alio Othelricus Bohemorum Princeps. Ac cæsus quidem ab Imperatore magna clade Polonorum Princeps; gentem tamen debellare non licuit: seu quòd disjunctus exercitus sese conjungere non poterat; seu quòd Boleslaus ad interiora Poloniæ refugeret. Quapropter populatione contentus Imperator, in Saxoniam reduxit copias. Multis hanc expeditionem refert Dithmarus, haud secus quàm auctor vitæ Meinvverci, ut vel inde series annorum, rerumque gestarum, quam prosequimur, constare possit.

Auctor vitæ Meinverc. num. xxxi.

Dithm. l. 7.

Poloni ab Henrico Imp. cæduntur.

Imperator igitur dispositis per Orientalem Saxoniam negotijs in Occidentalem descendit, *et natalem Dominicum*, ut Dithmarus scribit, *in Pathherbrunn festivis peregit gaudiis cum Meinvverco Episcopo.* Quem uti Imperator per omnem vitam sibi habuit familiarissimum; ita consiliorum quoque intimorum participem hortatoremque admisit sacrorum operum, quibus religiosissimum Imperatoris nomen per tot illustria facta inclaruit.

Henricus natalitia Christi Paderbornæ peragit.

Dithm. l. 7.

Annus Christi 1016.

Benedicti VIII Pont. 5.
Henrici II Reg. 15. Imp. 3.
Meinwerci Ep. Pad. 8.

Comitia Tremoniensia.

Hinc anno consequenti post natalitia Christi Paderbornâ Imperator Tremoniam profectus cum Meinwerco, ubi sub initium Januarij Episcoporum ac Procerum conventum indixerat; qui & celeberrimus fuit, uti cum ceteris unus Auctor vitæ Meinwerci nobis tradit, & tabulæ, quas recitabimus, testabuntur. Convenêre igitur IV Idus Januarij Erkenbaldus Moguntinus, Heribertus Coloniensis, Meingozus Trevirensis, Unwanus Bremensis Archiepiscopi. Præterea Episcopi Henricus Wirceburgensis, Bernwardus Hildesiensis, Arnulphus Halberstadiensis, Wiggerus Verdensis, Theodericus Mimigardevordensis, Athabaldus Trajectensis, Thiatmarus Osnabrugensis, Hildewardus Citicensis, & Meinwercus Paderbornensis Episcopus. Adfuêre quoque ex Romanis Gregorius atque Azzo, utrumne Legatorum nomine, auctor non retulit. Ex Ducum numero accessit Bernardus Dux Saxoniæ, Liudolphus, Thiedericus, Wicmannus Comites, alijq; quam plures Episcopi ac proceres. Multa in his comitijs præsente Imperatore pertractata, quibus Saxoniæ tam in rebus sacris, quàm profanis consultum (quæ nunc frustra, quòd temporum injurijs interciderint, requirimus) præter ea, quæ Auctor vitæ Meinwerci, unicus horum comitiorum scriptor, de Athela Meinwerci matre, & Balderico vitrico ejus retulit. Nam cùm fama patrati superiori anno parricidij, quo Theodoricum Meinvverci fratrem occisum diximus, totam inferiorem Germaniam implesset, uterque Baldericus & Athela Tremoniam postulati in judicium: Baldericus, qua erat facundia, expedivit se, ut insons pronunciaretur. Omnis ergo accusatio versa in Athelam, matrem Meinvverci Episcopi: quæ convicta, cùm scelus negare non posset, ream se fassa est. Tum verò Judices magnopere perplexi, quid in tam clari sanguinis fœminam statuerent. Meinvvercus parricidij ream morte tollendam urgebat. Durum hoc alijs & inhumanum, matrem à filio mortis supplicio adjudicari, à quo vitam accepisset, ideoque haud leviter perstrictus est; ad quæ Meinvvercus, tanta flagitia exuto omni sanguinis affectu non nisi ex lege & justitia punienda esse, respondit, præstareque ut mortali pœna satisfaceret, quàm immortales damnata ad inferos subiret. Tandem mitigatus aliorum sententijs, Imperatorem adijt, integrum ei in matrem judicium committendo, quod pro Jmperij honore & matris salute congruum censeret. Jmperator auditis ceterorum judicijs, bonis paternis mulctandam decrevit; & quia Athela multa in Saxonia possidebat prædia, quæ Meinvvercus illi ex paterna hereditate

Athela Parricidij convincitur.

Ideoque Bonis mulctatur.

tate ad vitæ fructum cesserat, omnia hæc Imperator, consentiente etiam Balderico Vitrico, Paderbornensi Ecclesiæ, tabulis etiam hac super re confectis, & ab Imperatore consignatis, donavit. Tabulæ verò, quibus novem prædia Athelæ matris Paderbornensi Ecclesiæ transcribuntur ab Imperatore, hujusmodi sunt.

Quæ S. Henricus Ecclesiæ Paderbornensi donat.

*Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator augustus. Si Ecclesiarum Dei sublimitatibus inservimus omni studio, æternæ retributionis præmia nobis speramus esse affutura. Quapropter omnium fidelium Christi, præsentium scilicet et futurorum, noverit universitas, qualiter Meinwercus sanctæ Paderburnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus omnia prædia sua, quæ hæreditario jure possederat, matri suæ Adelæ contradidit. Dehinc ipsa cum manu mariti et advocati sui Balderici Comitis, cum consensu etiam hæredum eadem prædia potestativè nobis donavit: At nos perpetuæ beatitudinis spe, ac pia præfati Episcopi, dilectique nepotis nostri, qui se suaq; omnia divino mancipare gaudet servitio, prece et devotione commoniti, prædia eadem legitimè nobis tradita (inter quæ principales cortes sunt istæ: Immedeshusen, Walmonthem, Haverlov, Hukilhem, Mandelbiki, Golthbiki, Doddohusen, Hokinesleve, Wackeresleve) cum appertinentibus villis, et mancipiis utriusque sexus, silvis, viis et inviis, exitibus et reditibus, molendinis, piscationibus, pascuis, venationibus, quæsitis et inquirendis, omnibus utensilibus, quæ quolibet modo dici vel nominari possunt, Sanctæ Paderburnensi Ecclesiæ, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris ac beati Liborii Conf. constructæ, per hanc imperialem paginam largimur, omnium hominum contradictione remotâ. Insuper etiam imperiali auctoritate præcipimus, ut nulla major minorvè persona aliqua judiciaria potestate in eisdem prædiis se intromittat, nisi advocatus, quem ejusdem Ecclesiæ Episcopus sibi eligat. Si quis autem, quod absit, hoc nostræ donationis præceptum infringere ausus fuerit, centum libras auri persolvat, L. eidem Ecclesiæ, et L. nostræ Cameræ. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firma et inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes sigillo nostro jussimus insigniri. Guntherius Cancellarius vice Erkenbaldi Archicappellani recognovit. Data IIII Idus Januarii Indict. *XIII Anno Dominicæ incarnat. MXVI, anno verò Domni Heinrici Secundi regnantis *XIIII. Imperii autem *II Drodmannia feliciter amen.*

*al. XIV. *al. 15. *al. 3.

Nunc alteras addimus tabulas Heinrici Imperatoris ex eodem loco & anno, quibus villa Moronga confirmatur Meinwerco.

Henricus Imp. Ecclesiæ Paderb. donat villam Morongam.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Ecclesias Christi ampliare, servorumque ejus necessitatibus piè ac clementer subvenire imperialis promotionis ordo deposcit: proinde fidelium Christi noverit industria, qualiter divino instinctu admoniti, et interventu dilectissimæ conjugis nostræ Cunigundæ Imperatricis augustæ, in idipsum fraterna caritate collaborantibus Heriberto Coloniensi Archiepiscopo; Theoderico Mimegardevurdensi, Adebaldo

Trajectensi, Theoderico Metensi, Wiggero Verdensi, Thietmaro Ossenbrugensi, Erico Havelbergensi, sanctæ Patherbrunnensi Ecclesiæ in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris, et sancti Liborii Confessoris constructæ, cui etiam Meinvvercus venerabilis Episcopus præsidet, quandam nostram cortem, Moronge dictam, in pago Morongano, in comitatu Bennonis Comitis sitam, quam nobis Unvvanus Bremiensis Archiepiscopus cum manu advocati sui Udonis tradidit, omnium hominum contradictione remota, pro remedio animæ senioris nostri tertii Ottonis, divæ scilicet memoriæ Imperatoris augusti, et incolumitate vitæ nostræ præsentis, ac spe futuræ, per hanc imperialem paginam concedimus atque largimur, cum omnibus appendiciis areis, villis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, silvis, venationibus, cunctisque, qualicunque modo nominari possint, utensilibus, ea videlicet ratione, ut prædictus Meinvvercus Episcopus eandem cortem, quamdiu vivat, in usus proprios potestativè possideat; post finem verò vitæ suæ ad vestitum Canonicorum in eadem Deo, sanctæque genitrici ejus Mariæ, nec non beatis Kyliano ac Liborio servientium annuatim meliorandum pertineat. Si quis verò hanc nostram donationem infringere præsumpserit, centum libras auri persolvat, L. eidem Ecclesiæ. L. verò nostræ Cameræ. Et ut hæc nostræ liberalitatis auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes Sigillo nostro jussimus insigniri.

*Guntherius Cancellarius vice Erchanbaldi Archicappellani recognovit. Data IIII Idus Ianuarii indict. *XIII. anno Dominicæ Incarnat. M. XVI. anno vero Domni Heinrici secundi regnantis * XIIII. imperii autem *II. actum Drodmannia feliciter amen.*

*al. XIV. *al. XV. *al. III.

Et Prædium Bernehusen.

Subjungimus tertias Henrici Imperatoris tabulas, quibus nobile prædium Bernehusen Tremoniæ donat Meinvverco.

Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Tribunal animæ dilatamus, Si Ecclesias Christi cum sibi subjectis ampliamus; qua de re fidelium Dei universitati pateat, quòd hac intentione, interventu dilectissimæ contectalis nostræ Cunigundæ Imperatricis Augustæ, nec non et Heriberti Archiepiscopi Coloniensis, Adalbaldi Trajectensis, Theoderici Mimegardevurdensis, Theodori Metensis, Wiggeri Verdensis, Thietmari Osenburgensis, Erici Havelbergensis, sanctæ Paderbrunnensi Ecclesiæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris et sancti Liborii consecratæ, cui etiam Meinvercus venerandus Episcopus præsidet, quandam curtem nostræ proprietatis Berneshusen dictam, in pago Lisga, in comitatu Udonis sitam, quam ab Unvvano Bremonensi Archiepiscopo donante, et per advocatum suum Udonem legitima traditione accepimus, pro remedio animarum divæ memoriæ, Ottonis Imperatoris tertii, senioris scilicet nostri, et incolumitate vitæ nostræ utriusque, præsentis fidelicet ac futuræ, conjugisque nostræ dilectissimæ, nec minus pro stabilitate regni proprietario jure concedimus cum omnibus appertinentiis, rebus, territoriis, villis, mancipiis utriusque sexus,

sexus, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, pratis, et pascuis, et cum omnibus acquisitis et inquirendis, ea ratione, ut prænotatus Episcopus ejusque Successores liberam potestatem in ejusdem Ecclesiæ utilitatem vertendi habeant. Si quis autem inposterum, quod absit, præfatam Ecclesiam inquietare contendat de eisdem prædiis perpetuo anathemate condemnetur. Insuper C. libras auri optimi componat, dimidietatem regiæ Cameræ, et reliquam partem eidem Ecclesiæ, quam inquietare præsumpsit. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri.

*Guntherius Cancellarius vice Erkanbaldi Archicappellani recognovit. Data XIX Calend. februarii. Indict. *XIII. anno Dominicæ Incarnat. MXVI. anno vero Domni Heinrici secundi regnantis *XIIII. Imperii autem *secundo. actum Drodmannia.*

* al. XIV.
* al. XV.
* al. III.

Subservient hæ tabulæ ceteris quoque Episcoporum fastis illustrandis; quando ex his præsentiam suorum Episcoporum intelligent, quam ex nullo alio facilè quàm scriptore vitæ Meinwerci, & ex his diplomatis recognoscent. Quanquam uti modò Auctor noster Mengozum Trevirensem Archiepiscopum in his comitijs præsentem sistat, haud video; cùm eum Dithmarus in pervigilio Natalis Christi obijsse scribat, subrogato in ejus locum Poppone ex clara Marchionum Austriæ familia; nisi ad comitia evocatum velit, quem mors prævenerit. Quare & nulla hisce in tabulis ejus memoria inter alios Episcopos proditur; falliturque idem auctor noster, dum Mengozum sive Mengaudum anno M.XVIII obijsse scribit.

Dehinc Imperator, postquam lustratâ Westfaliâ omnia rite disposuerat, Confluentiam profectus est, Popponis Archiepiscopi firmandi causâ; verebatur enim ne Adalbero, sede jam antè depulsus, spe Episcopatus, illius vacuam sedem per novas turbas invaderet. Quamobrem festinato itinere Trevirim advolat, & quem secum ducebat Popponem, egregium Præsulem, sedi illi imposuit, acclamante universo clero ac populo. Præclara Imperatoris, & omnibus Imperatoribus ad exemplum proposita constantia ac religio, qui Adalberonem, Cunigundæ conjugis fratrem, ab hac dignitate repulit, exutoque omni sanguinis affectu, semper digniores, quos reperire potuit, provexit ad Episcopatus. Conversis inde curis ad Orientales Francos, festum Palmarum Wircenburgi cum Henrico ejus loci venerabili Episcopo egit. Herbipoli mox Bambergam discessit, ubi cœnam Domini, Christi patientis ferias, & Pascha peregit. Invitatus erat Bambergam Rudolphus Burgundionum Rex, Imperatoris avunculus; is cùm se excusaret, Imperator Argentoratum est profectus, ubi Rex cum conjuge Imperatorem convenit. Consilium erat Rudolphi Regis, ni prole donaretur, Burgundiæ Regnum ad Germaniam adjungere; sed Burgundiæ proceribus ac Gallis obnitenti-

Brouwerus l. 11. Annal. Trevir.

Poppo Trevirensis à S. Henrico cathedræ imponitur.

Dithm. l. 7.

tentibus id minus successit. Quapropter Imperator transita Basilea ad Rhenum reflexit iter, & in Saxoniam maturavit ad Polonicum bellum.

Athela alienare bona nonnulla conatur.

Auctor vitæ Meinw.

Per id tempus Athela Meinwerci mater, quam Herodiadem vocat Dithmarus, furere cœpit; ut enim à judicio Tremoniensi iram vindictamque expleret in Meinwercum, statuit omne patrimonium avertere à filio in alios; idque mulier specie pietatis aggressa, decem mansos, quos habebat in monte Lare juxta Heimberg, (locus est in inferiori Germania) Monasterio S. Viti, quod in Eltensi monte memoravimus, per fraudem donavit. Plura ejusmodi machinabatur, quæ tamen, metu Jmperatoris & Meinwerci, nemo acceptare ausus. Ibi ubi compertum à Meinwerco, in eas partes se contulit, matremque, quæ cognito ejus adventu ad Emme aquas in fugam se dederat, assecutus capit; & cùm multis injuriam exprobaret, illa longè protervior, hæc justa à se donatione facta esse contendit, quod ipsum incolæ quidam Athelæ servitio obnoxij asserebant. Ad quæ Meinwercus se nihil præter id, quod æquum est, expetere; & cùm testes illi ad juramentum se offerrent, in eamque rem reliquias D. Cuneræ ex Ecclesia Rene deferri curassent, non abnuit juramentum Meinwercus, sed ijs reliquijs, quas illi attulerant, improbatis abjectisque, produxit ex hierothecâ suâ lipsana SS. Apostolorum Petri & Pauli, adhæc D. Blasij, provocando ad juramentum, si causæ suæ fiderent. Jurant igitur septem ex his viri, & quia perfidè jurant, quatuor oculis capti, tribus manus obriguerunt, immedicabili per omnem vitam malo. Opportunè ex hac vindicta Meinwercus matrem aggressus, hortabatur, resipisceret tandem; quibus impia mulier multò obfirmatior facta. Meinwerc9 deinde in Radincheim divertit, quæ Balderici vitrici sedes erat, nunc autem pagus est haud procul Arnheimio, vulgo Bencum sive Redenchem. Ea in arce conspicatus in cubiculo matris tapetem, quem ipse olim istic suspenderat, Draconis insigni notatum, revelli jussit, & Paderbornam ad cœnobium Abdinghovianum secum deportari, reposito in ejus locum pallio suo. Vix Meinvvercus ijs ex partibus recesserat, cùm Athela mater prædia cum Ecclesijs partim Heriberto Coloniensi Archiepiscopo vendere, partim donare Tutiensi cœnobio, quòd Baldericus vitricus militari Sacramento eidem Archiepiscopo obstrictus erat; donare præterea Cathedrali Ecclesiæ Coloniensi emporium Rese, haud alio donationis lucro, quàm ut ea in Basilica ab obitu tumulum haberet. Hanc donationem, qua Oppidum Rese ad Rhenum Coloniensi Ecclesiæ cessit, Meinwercus pacis & pietatis causa ratam habuit.

Pejerantes divinitus puniti.

Dithm. l. 7.

At longè graviora flagitia accumulavit Athela, conspirante Balderico, quem tori & scelerum consortem habuit. Intercesserant quippe acres simultates inter Baldericum & Wigmannum Comitem, virum

virum pacis bellique artibus clarum; pugnatumque crebris dimicationibus inter utrumque; quas ad pacem tandem venire passus est Wigmannus, tanta etiam fiducia erga Baldericum & Athelam conjugem, ut ad convivium invitatus venerit. Ibi inter hilaritatem Athela, scelerata mulier, clam poculum veneno mixtum Wigmanno præbuit; quo ille epoto, illico sensit dolum, & è domo se proripuit; quem tamen Athela præveniens, per servum trucidari jussit, inspectante Balderico marito. Vulgatâ patratæ necis famâ, accessit inter primos *Thiedericus Mimingardevurdensis Ecclesiæ Episcopus*, inquit Dithmarus, matertera ipsius genitus, & corpus multo cum mœrore ad Frechem civitatem (quam Vredenam dixeris) deportari jussit, & à suis honorificè sepeliri. Sed utrum hoc facinus jam ante, an post accusationem Tremoniensem sit perpetratum, incertum faciunt Auctores. Additur certò alterum facinus haud minus detestabile, si non idem. Memorat enim Auctor vitæ Meinwerci duos nobiles ab Imperatore viros missos, quos Baldericus & Athela per insidias interemêre, qui ob id publicis legibus damnati ac proscripti; & Bernardus Dux, ulturus Wigmanni consanguinei necem, Uplagen, urbem Balderici munitissimam obsedit, atque ad deditionem compulit; quam deinde Imperator sub exitum anni in has partes, confecto bello Polonico, descendens, funditus everti jussit. Baldericus, tanquam alter Cain terræ odium, vagus ac profugus panem oberrando emendicare visus; quanquam Dithmarus reconciliatum indicare videatur. Athela Coloniam se recepit, miseramque exinde vitam traxit ex collatitia stipe, quæ è manu Heriberti Archiepiscopi & Tuitiensi cœnobio quotidie dabatur ad victum. Mortua deinde ad fores Basilicæ est sepulta; post cujus funus tanta tempestas exorta, ut urbis excidium timeretur, quarè cadaver effossum, atq; ad cœli iram mitigandam in Rhenum est projectum; ni tamen Auctor vitæ Meinwerci hæc nimium exaggeratè tradat.

Athelæ crudelitas & homicidia.

Auctor vitæ Meinvv.

Ejusdem, uti & mariti ejus, miser exitus.

Annus Christi 1017.

Benedicti VIII Pont. *6.*
Henrici II Reg *16.* Imper. *4.*
Meinwerci Ep. Pad. *9.*

Dum hoc anno Imperator Burgundicis distinetur, quievit Boleslaus; nec aliud fere egit, quàm ut urbes suas præmuniret, & à superioris anni clade respiraret, palam testatus; si Imperator exercitum in Poloniam revexisset; aut in servitutem transeundum fuisse, aut pace sibi transigendum; quod unicè expetebat Jmperator, ut tandem Saxoniam Orientalem pacatam obtineret; quod & hoc anno per Legatos tentatum; ideoque in Saxonia commoratus Imperator, Palithi natalitia Christi celebravit. Quo ex loco in Alstede, Thuringiæ

Gemina comitia celebrat Henricus Imp.
Dithm. l. 7.

tentibus id minus successit. Quapropter Imperator transita Basilea ad Rhenum reflexit iter., & in Saxoniam maturavit ad Polonicum bellum.

Athela alienare bona nonnulla conatur. *Auctor vitæ Meinw.* Per id tempus Athela Meinwerci mater, quam Herodiadem vocat Dithmarus, furere cœpit; ut enim à judicio Tremoniensi iram vindictamque expleret in Meinwercum, statuit omne patrimonium avertere à filio in alios; idque mulier specie pietatis aggressa, decem mansos, quos habebat in monte Lare juxta Heimberg, (locus est in inferiori Germania) Monasterio S. Viti, quod in Eltensi monte memoravimus, per fraudem donavit. Plura ejusmodi machinabatur, quæ tamen, metu Jmperatoris & Meinwerci, nemo acceptare ausus. Ibi ubi compertum à Meinwerco, in eas partes se contulit, matremque, quæ cognito ejus adventu ad Emme aquas in fugam se dederat, assecutus capit; & cùm multis injuriam exprobaret, illa longè protervior, hæc justa à se donatione facta esse contendit, quod ipsum incolæ quidam Athelæ servitio obnoxij asserebant. Ad quæ Meinwercus se nihil præter id, quod æquum est, expetere; & cùm testes illi ad juramentum se offerrent, in eamque rem reliquias D. Cuneræ ex Ecclesia Rene deferri curassent, non abnuit juramentum Meinwercus, sed ijs reliquijs, quas illi attulerant, improbatis abjectisque, produxit ex hierothecâ suâ lipsana SS. Apostolorum Petri & Pauli, ad hæc D. Blasij, provocando ad juramentum, si causæ suæ fiderent. Jurant igitur septem ex his viri, & quia perfidè jurant, quatuor oculis capti, tribus manus obriguerunt, immedicabili per omnem vitam malo. Pejerantes diviniitus puniti. Opportunè ex hac vindicta Meinwercus matrem aggressus, hortabatur, resipisceret tandem; quibus impia mulier multò obfirmatior facta. Meinwerc⁹ deinde in Radincheim divertit, quæ Balderici vitrici sedes erat, nunc autem pagus est haud procul Atnheimio, vulgo Bencum sive Redenchem. Ea in arce conspicatus in cubiculo matris tapetem, quem ipse olim istic suspenderat, Draconis insigni notatum, revelli jussit, & Paderbornam ad cœnobium Abdinghovianum secum deportari, reposito in ejus locum pallio suo. Vix Meinvvercus ijs ex partibus recesserat, cùm Athela mater prædia cum Ecclesijs partim Heriberto Coloniensi Archiepiscopo vendere, partim donare Tutiensi cœnobio, quòd Baldericus vitricus militari Sacramento eidem Archiepiscopo obstrictus erat; donare præterea Cathedrali Ecclesiæ Coloniensi emporium Rese, haud alio donationis lucro, quàm ut ea in Basilica ab obitu tumulum haberet. Hanc donationem, qua Oppidum Rese ad Rhenum Coloniensi Ecclesiæ cessit, Meinwercus pacis & pietatis causa ratam habuit.

Dithm. l. 7. At longè graviora flagitia accumulavit Athela, conspirante Balderico, quem tori & scelerum consortem habuit. Intercesserant quippe acres simultates inter Baldericum & Wigmannum Comitem, virum

virum pacis bellique artibus clarum; pugnatumque crebris dimicationibus inter utrumque; quas ad pacem tandem venire passus est Wigmannus, tanta etiam fiducia erga Baldericum & Athelam conjugem, ut ad convivium invitatus venerit. Ibi inter hilaritatem Athela, scelerata mulier, clam poculum veneno mixtum Wigmanno præbuit; quo ille epoto, illico sensit dolum, & è domo se proripuit; quem tamen Athela præveniens, per servum trucidari jussit, inspectante Balderico marito. Vulgatâ patratæ necis famâ, accessit inter primos *Thiedericus Mimingardevurdensis Ecclesiæ Episcopus*, inquit Dithmarus, matertera ipsius genitus, & corpus multo cum mœrore ad Frechem civitatem (quam Vredenam dixeris) deportari jussit, & à suis honorificè sepeliri. Sed utrum hoc facinus jam ante, an post accusationem Tremoniensem sit perpetratum, incertum faciunt Auctores. Additur certò alterum facinus haud minus detestabile, si non idem. Memorat enim Auctor vitæ Meinwerci duos nobiles ab Imperatore viros missos, quos Baldericus & Athela per insidias interemêre, qui ob id publicis legibus damnati ac proscripti; & Bernardus Dux, ulturus Wigmanni consanguinei necem, Uplagen, urbem Balderici munitissimam obsedit, atque ad deditionem compulit; quam deinde Imperator sub exitum anni in has partes, confecto bello Polonico, descendens, funditus everti jussit. Baldericus, tanquam alter Cain terræ odium, vagus ac profugus panem oberrando emendicare visus; quanquam Dithmarus reconciliatum indicare videatur. Athela Coloniam se recepit, miseramque exinde vitam traxit ex collatitia stipe, quæ è manu Heriberti Archiepiscopi & Tuitiensi cœnobio quotidie dabatur ad victum. Mortua deinde ad fores Basilicæ est sepulta; post cujus funus tanta tempestas exorta, ut urbis excidium timeretur, quarè cadaver effossum, atq; ad cœli iram mitigandam in Rhenum est projectum; ni tamen Auctor vitæ Meinwerci hæc nimium exaggeratè tradat.

Athelæ crudelitas & homicidia.

Auctor vitæ Meinvv.

Ejusdem, uti & mariti ejus, miser exitus.

Annus Christi 1017.

Benedicti VIII Pont. 6.
Henrici II Reg 16. Imper. 4.
Meinwerci Ep. Pad. 9.

Dum hoc anno Imperator Burgundicis distinetur, quievit Boleslaus; nec aliud fere egit, quàm ut urbes suas præmuniret, & à superioris anni clade respiraret, palam testatus; si Imperator exercitum in Poloniam revexisset; aut in servitutem transeundum fuisse, aut pace sibi transigendum; quod unicè expetebat Jmperator, ut tandem Saxoniam Orientalem pacatam obtineret; quod & hoc anno per Legatos tentatum; ideoque in Saxonia commoratus Imperator, Palithi natalitia Christi celebravit. Quo ex loco in Alstede, Thuringiæ

Gemina comitia celebrat Henricus Imp. *Dithm. l. 7.*

tentibus id minus successit. Quapropter Imperator transita Basilea ad Rhenum reflexit iter, & in Saxoniam maturavit ad Polonicum bellum.

Athela alienare bona nonnulla conatur. *Auctor vitae Meinw.* Per id tempus Athela Meinwerci mater, quam Herodiadem vocat Dithmarus, furere coepit; ut enim à judicio Tremoniensi iram vindictamque expleret in Meinwercum, statuit omne patrimonium avertere à filio in alios; idque mulier specie pietatis aggressa, decem mansos, quos habebat in monte Lare juxta Heimberg, (locus est in inferiori Germania) Monasterio S. Viti, quod in Eltensi monte memoravimus, per fraudem donavit. Plura ejusmodi machinabatur, quae tamen, metu Imperatoris & Meinwerci, nemo acceptare ausus. Ibi ubi compertum à Meinwerco, in eas partes se contulit, matremque, quae cognito ejus adventu ad Emme aquas in fugam se dederat, assecutus capit; & cùm multis injuriam exprobaret, illa longè protervior, haec justa à se donatione facta esse contendit, quod ipsum incolae quidam Athelae servitio obnoxij asserebant. Ad quae Meinwercus se nihil praeter id, quod aequum est, expetere; & cùm testes illi ad juramentum se offerrent, in eamque rem reliquias D. Cunerae ex Ecclesia Rene deferri curassent, non abnuit juramentum Meinwercus, sed ijs reliquijs, quas illi attulerant, improbatis abjectisque, produxit ex hierothecâ suâ lipsana SS. Apostolorum Petri & Pauli, adhaec D. Blasij, provocando ad juramentum, si causae suae fiderent. Jurant igitur septem ex his viri, & quia perfidè jurant, quatuor oculis capti, tribus manus obriguerunt, immedicabili per omnem vitam malo. Opportunè ex hac vindicta Meinwercus matrem aggressus, hortabatur, resipisceret tandem; quibus impia mulier multò obfirmatior facta. Meinwerc⁹ deinde in Radincheim divertit, quae Balderici vitrici sedes erat, nunc autem pagus est haud procul Atnheimio, vulgo Bencum sive Redenchem. Ea in arce conspicatus in cubiculo matris tapetem, quem ipse olim istic suspenderat, Draconis insigni notatum, revelli jussit, & Paderbornam ad coenobium Abdinghovianum secum deportari, reposito in ejus locum pallio suo. Vix Meinvvercus ijs ex partibus recesserat, cùm Athela mater praedia cum Ecclesijs partim Heriberto Coloniensi Archiepiscopo vendere, partim donare Tutiensi coenobio, quòd Baldericus vitricus militari Sacramento eidem Archiepiscopo obstrictus erat; donare praeterea Cathedrali Ecclesiae Coloniensi emporium Rese, haud alio donationis lucro, quàm ut ea in Basilica ab obitu tumulum haberet. Hanc donationem, qua Oppidum Rese ad Rhenum Coloniensi Ecclesiae cessit, Meinwercus pacis & pietatis causa ratam habuit.

Pejerantes diviniitus puniti.

At longè graviora flagitia accumulavit Athela, conspirante Balderico, quem tori & scelerum consortem habuit. Intercesserant quippe acres simultates inter Baldericum & Wigmannum Comitem, *Dithm. l. 7.*

virum

virum pacis bellique artibus clarum; pugnatumque crebris dimicationibus inter utrumque; quas ad pacem tandem venire passus est Wigmannus, tanta etiam fiducia erga Baldericum & Athelam conjugem, ut ad convivium invitatus venerit. Ibi inter hilaritatem Athela, scelerata mulier, clam poculum veneno mixtum Wigmanno præbuit; quo ille epoto, illico sensit dolum, & è domo se proripuit; quem tamen Athela præveniens, per servum trucidari jussit, inspectante Balderico marito. Vulgatâ patratæ necis famâ, accessit inter primos *Thiedericus Mimingardevurdensis Ecclesiæ Episcopus*, inquit Dithmarus, materterâ ipsius genitus, & corpus multo cum mœrore ad Frechem civitatem (quam Vredenam dixeris) deportari jussit, & à suis honorificè sepeliri. Sed utrum hoc facinus jam ante, an post accusationem Tremoniensem sit perpetratum, incertum faciunt Auctores. Additur certò alterum facinus haud minus detestabile, si non idem. Memorat enim Auctor vitæ Meinwerci duos nobiles ab Imperatore viros missos, quos Baldericus & Athela per insidias interemêre, qui ob id publicis legibus damnati ac proscripti; & Bernardus Dux, ulturus Wigmanni consanguinei necem, Uplagen, urbem Balderici munitissimam obsedit, atque ad deditionem compulit; quam deinde Imperator sub exitum anni in has partes, confecto bello Polonico, descendens, funditus everti jussit. Baldericus, tanquam alter Cain terræ odium, vagus ac profugus panem oberrando emendicare visus; quanquam Dithmarus reconciliatum indicare videatur. Athela Coloniam se recepit, miseramque exinde vitam traxit ex collatitia stipe, quæ è manu Heriberti Archiepiscopi & Tuitiensi cœnobio quotidie dabatur ad victum. Mortua deinde ad fores Basilicæ est sepulta; post cujus funus tanta tempestas exorta, ut urbis excidium timeretur, quarè cadaver effossum, atq; ad cœli iram mitigandam in Rhenum est projectum; ni tamen Auctor vitæ Meinwerci hæc nimium exaggeratè tradat.

Athelæ crudelitas & homicidia.

Auctor vitæ Meinvv.

Ejusdem, uti & mariti ejus, miser exitus.

Annus Christi 1017.

Benedicti VIII Pont. 6.
Henrici II Reg 16. Imper. 4.
Meinwerci Ep. Pad. 9.

Dum hoc anno Imperator Burgundicis distinetur, quievit Boleslaus; nec aliud fere egit, quàm ut urbes suas præmuniret, & à superioris anni clade respiraret, palam testatus; si Imperator exercitum in Poloniam revexisset; aut in servitutem transeundum fuisse, aut pace sibi transigendum; quod unicè expetebat Imperator, ut tandem Saxoniam Orientalem pacatam obtineret; quod & hoc anno per Legatos tentatum; ideoque in Saxonia commoratus Imperator, Palithi natalitia Christi celebravit. Quo ex loco in Alstede, Thuringiæ

Gemina comitia celebrat Henricus Imp.

Dithm. l. 7.

giæ oppidum profectus, Epiphaniam Domini celebravit; conventuque istic Episcoporum & Principum indicto, multa procerum dissidia, Imperatore judice, composita sunt; quos inter Theodoricus Monasteriensis Episcopus, & Hermannus Comes in concordiam venêre. Inde Merseburgum concessit, rursumque Episcoporum & Principum conventu habito, Erkenbaldus Moguntinus & Gero Magdenburgensis Archiepiscopi, Arnulphus Halberstadiensis Episcopus cum Sigefrido & Bernardo Comite, ceterisque Legatis missi, qui Boleslaum ad Albim atque ad Colloquium invitarent; quos cum ille perfidus homo delusisset, bellum in illum decretum est, imperatusque fuit per totam Saxoniam armorum apparatus. Accessit ad hæc concilia quoque evocatus ab Imperatore Meinwercus Episcopus noster, qui deinde cum Imperatore Magdenburgum concessit. Multa istic in conventu procerum tractata, multæque controversiæ diremptæ; quos inter Dithmarus ipse Mersburgensis Episcopus de se inquit, *cum Imperator sederet pro tribunali, et præsentes Episcopi adessent Gero, Meinvvercus, Wigo, Ericus et Eilbardus, surrexi, et lamentationem meam feci.* Quàm præclarè tum agebatur in Imperio, cùm Cæsares ipsi sago togaque inclyti, & bella ex castris præsentes gererent, & provincias obirent, jus summis infimisque ex tempore dicendo, litesque decidendo, quæ nunc in tribunalium carceribus hærent? Magdenburgo Imperator Halberstadium demigravit; inde Quidlenburgo visitato Goslariam movit cum Gerone Magdenburgensi Archiepiscopo, Meinwerco, ceterisque Episcopis. Multas Goslariæ hebdomadas permansit, tum ob bellum Polonicum, quod istic denuo decretum, tum ob controversa litium definienda. *Villa* appellatur *Goslaria* à Dithmaro, *quam Imperator multum excoluit*, majorum, ut diximus, ac Cæsarum ante ipsum exemplo. Ibi dum Imperator substitit, novum ad Visurgim Monasterium Virginum Kemnada intra sacros diœcesis Paderbornensis fines conditum, magnifico diplomate approbavit Imperator, & in tutelam suscepit, quod tabulæ, quas his exhibebimus, testabuntur.

Et lites ipse diremit.

Confirmatur fundatio monasterij Kemnadensis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus Dei donante clementia Romanorum Imperator Augustus. Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium ac futurorum comperiat universitas, qualiter Domna Frederuna venerabilis Abbatissa, ejusque soror Imma Comitissa, Gernoe Comite adjuvante, construxerunt quoddam monasterium in villa Keminata dicta, in pago Tilithi, in Comitatu Bernhardi ducis situm, in honore sanctæ Dei genitricis, et perpetuæ Virginis Mariæ dedicatum, ad quod omnem hæreditatem suam, Curtes scilicet ac villas infra nominatas, Kaminata, Hegen, Hogen, Barigi, Tundivium, Othere, Warstan, Rothe, Bardevvic, Hotmanessun, Witthorp, Britlingi, Biangi, Budiburg, Aldenesthorp, Haterbike, Bodenhusen, Sutherburg, Claniki, Wigmannetburstal, Benedestorp,

nedestorp, Widila, Waldersidi, Kokerbiki, Holana, Aunsetila, Hepstidi, Sinigas, gratissima voluntate tradiderunt: unde nostram majestatem aggressæ, supplices rogaverunt, ut ipsum monasterium in nostro mundibardio susciperemus: quod nos, petitione Cunigundis dilectæ conjugis nostræ Imperatricis videlicet, ac honorabilis interventu Theoderici Mindonensis Episcopi, fecisse cognoscat universitas fidelium. Adhæc statuimus, ut prædicti monasterii Abbatissæ talis libertatis lege ac proprietatis fruerentur, quales cæteræ Sanctæmoniales in regno nostro sub regula S. Benedicti justè viventes utuntur. Insuper concedimus eidem Abbatiæ, ut nullus Marchio, nullus Comes, nullaque nostri imperii magna parvaque persona in ea placitum facere, vel publicam fruitionem exire, nisi advocatus, quem Abbatissa, quæ tunc temporis fuerit cum Sanctimonialium consensu voluerit. In obitu vero Abbatissæ ejusdem monasterii liberum habeant arbitrium aliam eligendi juxta regulam S. Benedicti. Et ut hujus nostræ auctoritatis privilegium perseveret, hanc paginam manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri.*

**fortè* exigere posset,

Signum Domni Heinrici  *Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherus Cancellarius vice Erchanbaldi Archicappellani recognovi. anno Dominicæ incarnationis MXVI. indictione XV. anno verò Domni Heinrici Imperatoris Augusti XV regnantis. Imperii IIII. actum Goslar. data VII Kalend Aprilis.

Id diploma ad hunc annum refero, in quo pro anno Christi MXVI, corrigendus annus MXVII, & pro regio anno XV substituendus annus XVI, ita probè cum Indictione XV, & imperij anno IIII conveniet; tum quòd hoc anno Imperator Goslariæ, non priori, præsens fuerit.

Vetus ac nobile illud Monasterium Virginum, labente disciplinâ, versum est in Præposituram Corbeiensium; & cùm nostrâ demum memoriâ Præpositus ejus loci ad hæresin Lutheranam descisceret, ut cum concubinâ & liberis tutus esset, Ducum Brunswicensium patrocinio & potestati eandem submisit, tanquam desertor Monachus donare posset bona sui cœnobij: aut illa retineri jure valeant, quæ ab anno XV hujus sæculi occupata, lege Jmperij, restitutionem flagitant. Sed, ut hæc Corbeienses disceptant & repetunt, ita nobis Monasterij hujus originem, D. Henrici Jmperatoris tutelam & auctoritatem indicasse sat est. Quæ si modò valeret, quot bona Ecclesiæ reddenda essent? Et ubi nunc Gandershemium. Quidelenburgum & tot regalia Monasteria, sacrorum Principum, Regum ac Cæsarum liberalitate condita?

Quod jam alienatum, per Præpositum Lutheri doctrinam amplexum.

Goslariâ Jmperator, ubi hæc acta sunt, Moguntiam digressus, Festum Palmarum celebravit cum Erckenbaldo Archiepiscopo,

Dubm. l. 7. Pascha verò Ingelhemij, vicino ad Rhenum loco. Urgebatur istic Imperator publici Imperij rebus pertractandis; sed cùm pietati primùm vacare consultum haberet, comitia Aquisgrani indixit, quo haud multò post est profectus. Subinde Cunigunda Imperatrix, quod gravi morbo tentaretur, Francofurto ab Imperatore ad Caffungense Monasterium Virginum discessit, voto duplici primùm concepto, de alio abs se Monasterio condendo, alioque ad sepulchrum D. Ludgeri facto, pro valetudine recuperandâ. Igitur postquam Aquisgrani in publico Principum conventu Henricus Dux Bavariæ, & Theodericus Metensis Episcopus, Cunigundæ fratres, Jmperatori reconciliati, Jmperij negotia sunt pertractata. Imperator cùm jam Cunigundam Imperatricem à morbo recreatam didicisset, Werthinam contendit, grates Deo, ac D. Ludgero peracturus; ita enim Dithmarus: *Jmperator audiens Contectalem suam levius habere, et votum fecisse Domino, grates Christo persolvit ex animo, et Pentecosten in Werthuni, quam primò sanctus Domini Sacerdos Luidigerus suis construxit impensis, venerabiliter celebravit, Abbate Heithenrico sibi pleniter ibidem serviente.* Utrumne ex hac profectione Monasterium, D. Ludgeri primam Episcopalem sedem, inviserit D. Henricus, etsi verisimile habeam, auctores non prodidêre. Præclarus tum in loco Episcopus Theodericus, è nobili Comitum Orientalis Saxoniæ prosapiâ, & jam antè etiam Magdenburgensis Episcopus suorum suffragijs designatus, sed ab Henrico Jmperatore Monasterium traductus Episcopus, vir candidæ indolis, & præclaræ virtutis.

S. Cunigunda duplici emisso voto sanitatem amissam recuperat.

Perlustratâ deinde in transitu Westfaliâ, *ab Rura Cæsar*, ut Dithmar⁹ scribit, *ad Orientem tendens, Imperatricem ad se in loco, qui Pathebrunnum dicitur, venire jussit.* Substiterat illa hactenus invaletudinis causa Caffungæ in Monasterio Virginum prope Cassellas, eò ex Hassiæ loco Paderbornam sibi occurrere voluit. Grati denuo hospites apud Meinwercum, quibus Meinwercus magnificæ Basilicæ, instaurati ex incendio Collegij, & surgentis novi Monasterij Abdinghoviani opera ad amœnos Paderæ fontes spectanda obtulit, quo simul expertum Imperatoriæ liberalitatis fontem sinumque excuteret: nec tam amœnitate ingenij & lepore, quo valebat, quàm aspectu religionis oblectabat Imperatorem & Impetatricem, ostendendo Cleri disciplinam, & florem novorum cœnobitarum, ædesque præterea sacras, quas exstruxerat. Qua verò liberalitate Imperator hospitij gratiam compensârit, testes esse poterunt novæ donationum tabulæ, quibus in Mense Junio versatus Paderbornæ commonstratur.

S. Cunigundis Paderbornæ S. Henricum convenit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Omnium Christi fidelium industria noverit, qualiter nos divini amoris respectu, et dilectissimæ conjugis nostræ, qui duo sumus in carne una, Cunigundæ videlicet Imperatricis augustæ rogatu et

Ejusque rogatu varia prædia Paderbornensi Ecclesiæ donat S. Henricus.

et instinctu, sanctæ Patherbrunnensi Ecclesiæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Kiliani Martyris, sanctique Liborii ter beati Confessoris dedicatæ, tale prædium proprietavimus, quale nobis, omnium hominum contradictione remotâ, tradidit Heinricus in Comitatu Herimanni Comitis, in Dulmine mansum I, in Nienhem mansum I, in Serimne mansum I, Halostron mansum I, in Bertalostron mansum I, in Lebembeke mansum I, in Horlon mansum I, in Comitatu Ottonis Comitis in Elnepo mansum I, in Ricoldinghuson mansum I cum L mancipiis utriusque sexus, areis, villis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, silvis, venationibus, et omnibus appendiciis, cunctisque, qualicunque modo nominari possint, utensilibus; ea scilicet ratione, ut uterque nostrum tam vestitum, quàm victum stipendialem à modo ab Episcopo sedis subscriptæ, nunc verò à Domno Meginvverco Præsule, et post à Successoribus ipsius, communi Canonicorum consensu, cum perpetua orationum participatione plenariè inibi, sicut unus fratrum accipiat, et potestativè possideat. Et ut hæc traditio nostræ liberalitatis stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes sigillo nostro subterbullari jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.*


Guntherus Cancellarius vice Archanbaldi Archicappellani recognovit. Data IIII Idus Junii. indictione XV. Anno Dominicæ incarnat. MXVII. anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XVI. Imperii IIII. actum Patherbrunnen.

Inde nunc (Paderbornâ) ut scribit Dithmarus, *ambo* Imperator cum conjuge, *usque ad Magdenburg profecti, à Gerone Archiepiscopo honorificè suscepti sunt.* Post *Imperator cum conjuge et exercitu Albim transiens ad Liesca, curtem quondam Ugonis Episcopi, venit, ubi per duas noctes in castris sedens tardantem turbam exspectavit.* Auctor noster, qui res gestas ejus conscripsit, celebrem hoc anno Episcoporum ac Principum conventum tradit in loco, quem ipse, & tabulæ donationum Liezgo, Browerus Laergo vocat, opinaturque in diœcesi Bremensi quærendum; quanquam certius ex Dithmari vestigijs locus hic atque conventus transalbim quærendus, quo Meinwercus ac ceteri Episcopi Imperatorem secuti deduxerunt. Episcopi igitur, qui convenêre, in hoc diplomate memorantur, quo Imperator ex eorum approbatione & judicio, Abbatiam Helmerdeshusen, heredibus Ekkihardi Comitis abjudicatam, & Imperio assertam, (quòd nec opibus, nec Ministerialium servitio multum utilis) Meinwerco Episcopo & Successoribus attribuit regendam: ita enim Imperator.

Auctor vitæ n. 42. Abbatia Helmershusana transcribitur Ecclesiæ Paderbornensi.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Canonum statuta, non ore hominum, sed

spiritu Dei condita, præcipiunt, Ut Episcopi frequenter claustra Monachorum visitent, et si quæ extra regulam illic invenerint, abscidant et corrigant. Hæc vigilanter interius contemplantes, et in hujus vitæ itinere onera nostra Episcopis imponendo levigantes, caritatis causâ, sine qua dives pauper est, cum interventu amantissimæ conjugis nostræ, Cunigundæ videlicet Imperatricis Augustæ, cum Archiepiscoporum Erchanbaldi Moguntini, Popponis Treveren. Geronis Magdenburgensis, Unwani Bremensis: et Episcoporum Arnoldi Halverstad. Epponis Babenberg. Theoderici Meten. Heinrici Wirceburg. Theoderici Mimegardevurd. Henrici Parmen. Theoderici Minden. Thiemonis Mersburg. Erici Havelberg. Laicorum quoque Bernhardi ducis, Sigefridi atque Erriconis Comitum, Abbatiam nomine Helmwardeshusen cum omnibus suis appendiciis, mobilibus et immobilibus sedi Paderbornensi in honore sanctæ Mariæ, sanctorumque Kyliani atque Liborii constructæ, cui insignis acquisitionis Præsul Meywerchus in præsentiarum præest, in proprium dedimus, nostroque jure et dominio in jus et dominium ipsius amodo potestativè, et juxta regulam sancti Benedicti episcopaliter disponendam, atque possidendam tradidimus. Et ut hæc nostræ traditionis pagina firma et inconvulsa permaneat, manu propria corroborantes atque confirmantes, sigilli nostri impressione subtus eam sigillari jussimus.

Signum Domni Heinrici  *invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherus Cancellarius vice Erchanbaldi Archicappellani recognovit. Data V Idus Iulii. Indict. XV. anno Dominicæ incarnat. M. XVII. anno verò domni Heinrici secundi regnantis XVI, Imperii IIII.

Villa Niderana à S. Henrico donatur cœnobio Abdinckhoffensi.

In eodem Episcoporum conventu Imperator prædium Nedere Meinwerco præsenti donat, ad novum, quod Paderbornæ Monasterium Abdinghovianum erigebat, dotandum. Tabulæ priori die datæ, sunt ejusmodi.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Generalis Christi fidelium novit industria, aliud in homine esse, quod regere valeat tanquam vir, aliud tanquam fœmina, quod regatur. Hac contemplatione interius vigilantes, et exterius quasi obdormiscentes, divini amoris respectu, et dilectissimæ fœminæ, sive Conjugis nostræ, Cunigundæ scilicet Imperatricis Augustæ interventu, Ecclesiæ novæ, quam in honore sanctæ Mariæ omniumque Sanctorum venerabilis Episcopus Meginwercus in occidentali parte Paterbrunnensis suburbii dedicatione consumando construxit, prædium tale proprietavimus, quale legaliter et capitulariter nomine Redialdus ad nostras manus imperiales hæreditavit in pago Hesse Saxonico, in comitatu Herimanni Comitis, in villa Nedere nominata, cum mancipiis utriusque sexus, areis, villis, pascuis, aquis aquarumque

rumque decursibus, piscationibus, molendinis, silvis, venationibus, et omnibus appenditiis, cunctisque, qualicunque modo nominari possunt, utensilibus; eodemque tenore, ut fratres ejusdem monasterii choro, concordiâ caritatis, sub regula sancti Benedicti Domino famulantes, proprietario jure potestativè illud habeant atque possideant. Et ut hæc traditio nostræ liberalitatis stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria roborantes sigillo nostro subterbullari jussimus.

Signum Domni Henrici  *invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherus Cancellarius vice Erchanbaldi Archicappellani notavit. actum Lietzgo. Dat. VI Idus Iulii. indict. XV. anno Dominicæ Incarnat. M.XVII. Anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XVI. Imperii IIII.

Urgente jam tempore armorum progressum, Imperatrix regressa cum aliis quamplurimis, inquit Dithmarus; è quibus pars Episcoporum rediit in Saxoniam, pars Jmperatorem secuta in Poloniam. Ac bellum illud per reliquam æstatem, postquam Boleslaus Glocovia depulsus in fugam, obsidione urbium, vastatione regionum, ac tantis per Silesiam, Moraviam, ceterasq; Poloniæ provincias gestum est cladibus, ut Boleslaus fatigatus depressusque pacem per Legatos petere necesse habuerit: quo anno demum bellum illud grave & diuturnum finitum est. Auctor noster hoc bello Bohemiam & Moraviam subactam perhibet. Sanè postquam mense Junio Thieddegus Pragensis Archiepiscopus, antè ex Corbeia ad Visurgim ad hanc sedem traductus, excesserat è vitâ, Jmperator Merseburgum in Octobri reversus, Ekkihardum novæ civitatis Abbatem subrogavit, Bohemiam haud secus, quàm Saxoniam sibi vendicando. Ex Saxonia Imperator digressus Bambergam, Henricum Jmperatricis fratrem in Decembri post octenne exilium reposuit in Ducatum Bavariæ. *Festum exinde omnium Sanctorum Jmperator in Alstidi digna veneratione celebravit.* Hoc ipso anno Meinwercus Basilicam S. crucis in vicino ad Hervordiam colle solemni ritu consecravit. Opus hoc Meinwercus, ac piorum hominum liberalitas, venerationi salutaris crucis, ac virgini, ex quo illa se istic spectabili forma, ut diximus, obtulerat, magno studio accelerarunt. Sub id quoque tempus Dithmarus Osnabrugensis Episcopus oculorum usu orbatus, vitam exinde in contemplatione rerum divinarum exegit; vir & conditi à se Collegij, & rebus præclarè gestis, & famâ sanctitatis clarus, postquam ex Collegio Magdenburgensi primùm Præpositus Aquisgranensis delectus, ac deinde ab Henrico Imperatore ad Osnabrugensem cathedram traductus erat. Nullus facilè post D. Henricum Cæsar, qui Saxoniam Jmperiumq; Sanctorum Episcoporum multitudine illustrius habuerit.

Boleslaum Polonum ad pacem petendam S. Henricus compellit.

Consecratio templi S. Crucis Herivordiensis.

Dithmarus Ep. Osnab. vir sanctus visu privatur.

Annus

Annus Christi 1018.

Benedicti VIII Pont. 7.
Henrici II Reg. 17. Imp. 5.
Meinwerci Ep. Pad. 10.

Dithm. lib. ult.

Subit nunc annus Christi MXVIII, quo Imperator, postquam Bambergâ Herbipolim discesserat, Francofurtum petijt; qua in urbe Christi natalitia, Circumcisionis Domini, & Epiphaniam celebravit. Ex quo falli dixeris chronicon Hildesiense, quo refertur, Henricum natalitia Christi Paderbornæ peregisse. Subinde ob assiduas Boleslái postulationes ac legationes in urbe Budessina per legatos Imperatoris, Gero●em Archiepiscopum Magdenburgensem, Arnoldum Halverstadiensem, & tres Comites Hermannum, Thiedericum, & Fridericum pax tandem cum Boleslao III Kalend. Februarij firmata jurataque: verùm, ut Dithmarus scribit, *non ut decuit, sed ut fieri oportebat.* Gloriosius interim alij scriptores Bohemiam, Moraviam, & Poloniam ab Henrico Jmperatore subactam, & tributariam factam perhibent; ita diuturni hujus belli finis tandem impositus, & quieta Saxonia Orientalis est reddita. Quare & Henricus Jmperator Episcopatum Magdenburgensem ceterosque ita bonis & privilegijs auxit, ut alter eorum post Ottonem M. conditor habitus sit. Atque ut Saxoniæ, quam unicè sibi excolendam sumpserat, opportunius consuleret, Goslariam est profectus; qua in urbe per Quadragesimam Bernwardus Hildesiensis Episcopus præsente Jmperatore celebrem habuit synodum, ad quam & Meinvvercus, viciniique Episcopi convenêre. Et cùm multa in ea salubriter acta sunt, ad cleri populique disciplinam sarciendam; tum Godeschalcus, Ekkihardi Comitis filius, & Gertrudis Eckiberti Comitis filia matrimonio, quod vitio contractum erat, Episcoporum judicio sejuncti sunt. Post illa Jmperator una cum Jmperatrice Paderbornam invisit, quemadmodum id à Brovvero relatum; quam in rem producit donationem, rogatu Cunigundæ Jmperatricis, hoc anno Paderbornæ factam, qua Jmperator Popponi Trevirensi Archiepiscopo Confluentiam ex integro dilargitus est; ut qui locus hactenus curtis regiæ nomen adhuc retinebat, exinde totus in Archiepiscopi jus ac potestatem cederet. Addita Archiepiscopo ex eadem munificentia Jmperatoris Abbatia S. Servatij.

Synodus Provincialis Goslariæ. *Auctor vitæ Meinvv. n. 56.*

Brovverus lib. 11 antiq. Trev.

Dithm. lib. ult. *Auctor vitæ Meinvv.*

Sed haud multum commoratus Paderbornæ Jmperator, iter Neomagum ad inferioris Germaniæ partes acceleravit; quem Meinvvercus Episcopus, celebrato prius Paschate in Ecclesia sua, quod octavo Idus Aprilis agebatur, consecutus est, adfuitque Imperatori Jdidus Aprilis, ipsa nimirum Dominica in Albis. Magna Neomagi Episcoporum & procerum multitudo apud Jmperatorem, uti ex tabulis donationum Meinwerco scriptis, cum ceteris hac super re

æstimare

æstimare licebit. Nam ut ille in omnem occasionem intentus locupletandi Episcopatum suum, ita in hoc conventu Principum ab Imperatore impetravit prædium Siburgehusen; diploma sic habet. Siburgehusanum Prædium Henricus donat Paderbornensi Ecclesiæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Noverit omnium Dei fidelium nostrorumq; tam præsentium quàm et futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ, Cunigundæ videlicet Imperatricis augustæ, fideliumque nostrorum Popponis Trevirensis Archiepiscopi, Erchanbaldi Moguntini Archiepiscopi, Adelbaldi Trajectensis Episcopi: item Popponis abbatis Vultensis, Godefridi ducis, Bernhardi ducis, Becelini Comitis, Ecclesiæ Paterbrunensi, cui venerandus Episcopus Meinvvercus, nostræ videlicet servitutis paratissimus, sub honore agiæ Dei genitricis Mariæ, sancti martyris Kiliani, nec non et beatissimi Confessoris S. Liborii Episcopi constructæ atque dedicatæ, tale prædium, quale Willa per manum nobis dedit, et consensum Conjugis, et advocati sui Ottonis in loco Siburgohusun nominato, in Comitatu Udonis Comitis, in pago Hemmerveldun, cum omnibus pertinenciis suis, possessionibus, mancipiis utriusque sexus, agris et ædificiis, terris, cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, pratis, pascuis sive compascuis, molendinis, piscationibus, silvis, viis et inviis, cunctisque quæsitis et inquirendis in proprium jure perenni tradidimus. Et ut hæc traditio præcepti nostri firma et inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione subterbullari jussimus.

Signum Domni Henrici  *Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Guntherus Cancellarius vice Erchanbaldi Archicappellani recognovit. Data Idibus Aprilis, Indict. I. anno Dominicæ incarnat. M XVIII. anno verò Domni Heinrici secundi regnantis *XVI, Imperii autem V. actum Tritike noviomago.* **al. XVII.*

Multos dies Imperator Neomagi substitit, in ordinanda Republica & rebus Frisiæ componendis; quando hoc anno auditis Frisonum querelis ab Jmperatore mandatum est bellum Godefrido Lotharingiæ Duci adversus Theodoricum Hollandiæ Comitem, Frisios ob necem patris sui ferro & igne vastantem: Godefrido junxêre copias Baldericus Leodiensis, Atheboldus Trajectensis Episcopi, multique Lotharingiæ proceres, infelici belli exitu cæsi: quippe 4 Augusti haud procul Dordraco captus Dux Godefridus, & in carcerem abreptus. Ceterum in hoc Episcoporum conventu multa salubriter sunt statuta, ad omnia religionis membra, ut Crantzius scribit, in integrum reponenda; atque, ut Gobelinus noster retulit, decretum, ut quod ex antiquis rituum libris receptum erat, in sacrificio Missæ corpus Domini ad sinistram, calix ad dexteram collocaretur. Soluto Principum con-

S. Henricus bellum decernit adversus Theodoricū Hollandiæ comitem.

Dithm. l. ult. Sigebertus. Anselmus Leod. apud Chap. Chron. Cam. Buchelius in not. ad Heid. Crantz. l 4. Metrop. c. 4 Gobelin. in

Commod. ætat. 6. c. 52.

conventu, Imperator dies rogationum Aquisgrani, Pentecosten Ingelhemij peregit. Rectâ inde vicinam Moguntiam petijt, ubi Imperatrix discessit Confungam ad Sanctimonialium congregationem, disciplinam istic monachicam, ut Dithmarus scribit, ordinatura, quòd in eo post obitum Conjugis vitam suam consecrare meditaretur. Ceterum Moguntiæ Rudolphus Burgundiæ Rex una cum conjuge & privignis occurrit Cæsari, eique Burgundiam subjecit, offensus suorum insolentia. Eo Cæsar Basileam cum exercitu profectus, fregit Burgundionum animos, quos altero mox anno Wernherus Argentoratensis Episcopus facta expeditione duobus prælijs victos ad petendum pacem coëgit, effecitque postea Conradus Imperator, ut Germanico Imperio Burgundia adjiceretur. At Cæsar è Burgundia in Sueviam contendit, actisque de Republica concilijs, Godefridum Lotharingiæ Ducem captivitate exsolvit.

Burgundiam in ditionem suam accipit.

Sub exitum anni Cæsar in Thuringiam reflexit iter, ac mense Decembri, urgentibus Saxoniæ turbis, Mulhusij conventum Principum habuit; quò & Meinwercus cum Gerone Magdenburgensi Archiepiscopo, ceterisque Episcopis accessit, & pro oblata rursum opportunitate ex Cunigundæ Imperatricis præsentia, singularique in Ecclesiam Paderbornensem beneficentia, nemus quoddam inter Fuldam & Visurgim amnes, in Comitatu Dodiconis ab Imperatore impetravit. Nec enim Cæsar liberalitatem Meinvverci servitijs, nec Meinvvercus servitia liberalitate vinci passus, quod hæ literæ satis superq; indicant.

Nemus quoddam donat ecclesiæ Paderbornensi.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Ubicunque sancta Dei loca bonis nobis à Deo donatis extollimus, non solum vitæ nostræ longanimitatem, verùm etiam regni nos prosperitatem augere speramus. Quapropter noverit omnium Christi, omniumque fidelium universitas, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, antecessorum nostrorum, nec non pro salute dilectæ conjugis nostræ Cunigundæ Imperatricis videlicet augustæ, atq; per interventum Geronis Magdeburgensis Archiepiscopi, Dutichonisque Comitis, quandam nostræ proprietatis forestim, in comitatu ejusdem Dutichonis sitam, quæ terminum juxta fluviolum Fulda nominatum sumens prope Reginhershuson, et Utenhuson, atque Biberbach et Ratbrehteshuson in quoddam flumen Wisera vocatum usque protenditur, inde sursum directa quandam villam nomine gimundin attingit, abinde circulum prosecuta iterum in Fuldam, et sic sursum usque jam prædictam villam scilicet reginhereshuson pergiratur, sanctæ Paderbrunnensi Ecclesiæ, cui venerabilis et nobis dilectus præsul Meinvverchus præesse videtur, ad altare et reliquias sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique martyris et Episcopi Kiliani, et sancti Lyborii Confessoris cum omni utilitate, quæ ab eo provenire ullatenus possit, firmiter et perpetuo habendam tradimus atque concedimus. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis

et

et inconvulsa permaneat, eam manu propriâ roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici  *Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherus Cancellarius vice Erchembaldi Archicappellani recognovit. Anno Dominicæ incarnationis M. XVIII indictione II. anno vero Domni Heinrici Romanorum Imperatoris secundi regnantis, XVIII, imperii autem VI actum XVIII Calend. Ianuarii Mulinhuson feliciter Amen.

Annus Christi 1019.

Benedicti VIII Pont. 8.
Henrici II Reg 18 Imper. 6.
Meinwerci Ep. Pad. 11.

Annus MXIX agebatur, quo inferior Saxonia rebellionis motu concuti cœpit. Ausus enim Bernardus Saxoniæ Dux armis insurgere in Imperatorem, immemor paternæ originis & beneficiorum, quibus Otto M. Hermannum Bilingum avum in nobili quidem, sed paucorum prædiorum familia ad Ducatum evexerat. Sed ille & parens Benno virtute id meriti, à quibus Bernardus degener non modò Episcopos, cumprimisque Bremenses & Paderbornenses vexare, bonisque exuere; Sed Winulos Sclavosque adeo tributis & crudelitate in servitutem deprimere cœpit, ut à Christi religione ad Idolorum cultum redirent. Demum, quod & supra relatum, concitatis ad rebellionem Saxoniæ proceribus arma contra Imperatorem sumere ausus est, ut hæc multis deplorat Adamus Bremensis. Adversus hujus superbiam contundendam, Imperator ineunte hoc anno cum exercitu movit in Saxoniam. Et jam Duci extrema imminebant, nisi Meinwercus Episcopus una cum Unwano Bremensi Archiepiscopo intervenisset, qui Ducem ad petendam gratiam, Imperatorem verò ad indulgentiam permovit. Quare Dux supplex ad Castellum Schalkenburgum venit, Imperatoriq; in eo reconciliatus est; adeoq; Meinwerci cohortatione animus Ducis immutatus est, ut qui antè totus ab Unwano Bremensi Archiepiscopo dissidebat, unâ exinde animorum conspiratione & collapsam Hamburgensem Ecclesiam, & Christi religionem per Septentrionem redintegrandã susciperet. Versa dehinc arma in Sclavos, qui ad tributorum pensitationem, christianæque religionis libertatem cuique permittendam compulsi sunt. Ac mirum sanè quanto progressu & libertate per id tempus Christi religio per Daniam, Norvegiam, & Sueciam, Regum istic Christianorum patrocinio, disseminata sit per Episcopos & Apostolicos viros,

Bernardum rebellem in gratiam recipit.

Auctor vitæ Meinw. Adamus Brem. lib. 2. c. 33. Crantzius lib. 4. Saxon. c. 30.

tos, quos aut è clero suo Unvvanus, Meinvverci consanguineus, & Apostolici Spiritus præsul submisit: aut ex Angliâ evocati ultro in has regiones penetrârunt, quemadmodum hæc multis enarrat Adamus Bremensis.

Discussâ hac Saxoniæ procellâ, Cæsar mense Martio Goslariam profectus est ad concilium Episcoporum ac procerum. Præsto istic fuerunt Gero Magdenburgensis, Unvvanus Bremensis Archiepiscopi: præterea Theodericus Mimigardevurdensis, Arnoldus Halberstadiensis, Hildevvardus Citizensis, Ericus, ceterique Episcopi; præter Meinvvercum nostrum, quem Imperialis excellentiæ dilectissimum Episcopum vocat Cæsar in literis mox producendis. Semper S. Imperator chorum Episcoporum secum trahere visus, tanquam Regni primarios Consiliarios, & consiliorum moderatores. Ex Ducibus Saxoniæ non nisi unus Bernardus, ceteri Marchiones & Comites; nec dum enim illa Principum & Ducum multitudo per Saxoniam Henrico imperante. Acta hujus concilij licet interciderint, duo tamen ex eo memorantur; quorum alterum est donatio cœnobij Leisbornensis, Theodorico Mimigardevordensi Episcopo ejusque Successoribus facta. Vetus illud erat Sanctimonialium Virginum Collegium à Caroli M. ævo; quemadmodum omnes Abbatissæ ad hanc diem à Wittio recensentur; verùm cùm prolapsâ disciplinâ parum frugi essent Virgines, Imperator & sua & Episcoporum auctoritate Theodorico transcripsit, à quo Monachi deinde ex instituto D. Benedicti introducti. Adeo nihil novi cœnobia ab uno ordine transferri in alium: literæ Imperatoriæ hujusmodi proferuntur.

Auctor vitæ Meinvv. Leisbornensis Parthenon ad Benedictinos transfertur. *Wittius in chron. Leisbornensi.*

Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si Ecclesiarum venerabilium loca à nostris prædecessoribus nobiliter adaucta, ut in suo vigore persistant, sancimus, ab Omnipotenti Deo, quem in suis sanctis honoramus, æternæ retributionis præmium recipere fideliter et veraciter speramus. Quocirca sanctæ Dei Ecclesiæ omniumque fidelium nostrorum præsentium videlicet et futurorum universitati volumus innotescat, qualiter Thiedericus Mimigardefordens. Ecclesiæ venerabilis Episcopus nostræ celsitudinis adiit clementiam, petens, ut suæ Ecclesiæ per nostri præcepti paginam concederemus et confirmaremus unam Abbatiam Lisborn nominatam, quam antea Mimigardevordensis Ecclesia videbatur habere, etsi sine scripto, sitam in pago Dreni, in Comitatu Herimanni Comitis; cujus petitionibus, ut justum est, annuentes, interventu etiam ac petitione Cunigundæ Imperatricis Augustæ nostræque Contectalis dilectissimæ, aliorumq; fidelium nostrorum, qui ibi præsentes fuerunt, Everhardi Bavenbergensis, Meinvverci Paderbrunnensis, Adelbaldi Trajectensis Episcoporum, Ducisq; Godefridi per hanc nostri præcepti paginam prælibatæ sedi Episcopali sibi suisque Successoribus in perpetuum confirmamus, et corroboramus, ut in præscripto loco Lisborn dicto nostro imperiali auctoritate dehinc liberam habeat facultatem servitium Dei ordinandi etc.

nandi etc. actum Goslariæ 17 Calend. Aprilis Anno Dominicæ Incarnat. MXIX.

Alterum ex hoc Episcoporum concilio est donatio haud dissimilis, qua cœnobium in Scheldece Meinvverci Episcopi jurisdictioni submittitur, ejus rei gratia tabulas ipsas hic proferemus.

Cœnobium Scheldecense jurisdictioni Episcopi Paderb. submittitur.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Quomodo prædecessores nostros Reges vel Imperatores operatos esse in summo capite, quod est Christus, non ignoramus, quos scimus in eis membris per fidem operatos haberi, augmentando Ecclesias Deo vel Sanctis sacratas, et pro ea ipsa re æternæ recompensationis præmia adeptos fore, non secus, si sanctam DEI Ecclesiam ad honorem sanctorum suorum crescere et multiplicare donis vel augmentis studuerimus, perpetuæ remunerationis exultationem nos nancisci speramus. Quapropter universali Ecclesiæ, præsenti videlicet et futuræ, manifestum esse optando desideramus, qualiter Meinvvercus Paderbrunnensis, Episcopus nostræ Imperiali excellentiæ dilectissimus, sublimitatem nostram convenit, postulans Ecclesiæ unam Abbatiam Sceldice vocatam dari. Cujus continuis petitionibus non immerito faventes, interventu Cunigundæ Imperatricis nostræ videlicet dilectissimæ conjugis, Episcoporum quoque Geronis, Unvvani, Arnoldi, Dietrici, Hiltivvardi, et Erici: optimatumq; nostri regni Bernhardi ducis, Sigefridi Comitis, Hermanni et Eggihardi consilii ventilatione supradictam Abbatiam sitam in pago Wessaga, et in Comitatu Friderici Comitis, sibi nec non suæ Ecclesiæ Paderbrunnensi, suisq; Successoribus omni concedimus jure deinceps possidendam. Ut verò hæc præcepti pagina stabilis et inconvulsa futuris et præsentibus temporibus permanere valeat, propriæ manus cautione, et sigilli nostri impressione ratam ducentes signari jussimus.

Guntherus Cancellarius recognovit. Datum anno Dominicæ incarnationis MXIX Indict. II. anno Domni Heinrici regnantis XVIII, Imperii verò ejus VI. XIII Calendas Aprilis. actum Goslariæ.

Celebre exinde hoc Virginum Collegium ad vicum Schilsche haud procul Bilfeldia, olim quinque templis nunc uno parochiali instructum, infectumque Lutherana tabe.

Agebantur hæc per Quadragesimæ exitum, cùm Imperator Bambergam evocatur ad dedicationem Basilicæ, & Benedictum eo nomine VIII Pontificem Romanum excipiendum. Jmperatorem Bambergam comitatus est Meinwercus cum Saxoniæ Episcopis & flore nobilitatis Saxonicæ. Nihil pòst Leonem Pontificem à Carolo M. Paderbornæ exceptum Germania vidit ad fulgorem Romanæ religionis illustrius lætiusque. Duo fuêre, quæ Pontificem in Germaniam traxêre; & primum quidem, quod ab Jmperatore post coronationem ab eodem Pontifice factam invitatus esset in Germaniam, quod & Pontifex tum coram addixit; alterum verò ut Jmperator Græcos, qui pleraque Calabriæ & Apuliæ loca invaserat, atque ipsi

Vita S. Henrici apud Gretzer. & Surium 14 Iul. Auctor vitæ Meinvv. Sigebert. in chron. Lamb. Schafn. Marianus Scotus. Auctor comp. chronl. Bar. aliique.

Iii 2 Romæ

Benedictus Pontifex Bambergæ honorificè à Cæsare & Principibus excipitur.

Romæ excidium minitabantur, coërceret. Nec minus gratum erat Jmperatori Ecclesiam Bambergensem à se conditam Pontifici coram in tutelam dari. Postquam superatis Alpibus Pontifex Bambergæ appropinquare cognitus, Jmperator & Episcopi & frequentes Principes processere obviam cum clero & innumera hominum multitudine. Erant quaterni psallentium chori dispositi ad Vicarium Christi excipiendum; primus trans flumen, secundus in citeriore ripa, tertius ad ingressum civitatis, quartus ad gradus Principis Ecclesiæ, in quam ipse Jmperator Pontificem manu prehendens introduxit, & in throno magnificè collocavit. Agebatur per hæc feria quinta sanctioris hebdomadæ, qua Pontifex solemni ritu sacris operatus est in corona duodecim assistentium Episcoporum. Pari celebritate consequentes dies peractæ. In Paschate dum matutinum officium ageretur, lectionem primam recitavit Aquilejensis Patriarcha, secundam Ravennæ Archiepiscopus Imperatoris frater, tertiam summus Pontifex, qui absoluta Supplicantium processione Basilicam dedicavit. Secuta est octavo Calend. Maji consecratio Eccleciæ D. Stephani pari celebritate; & quod ad omnem posteritatem memorabile est, numerati sunt LXXII Episcopi, qui sacrificali habitu Pontifici inter Missarum solemnia adsisterent. Sub ipso Sacrificio Pontifex Episcopatum Bambergensem liberum renunciavit, probavitque omnia privilegia hactenus Pontificum indulgentia concessa. Interim Henricus Imperator Episcopatum Bambergensem Pontifici vectigalem fecit, jussitq; tributi nomine quotannis equum candidum phaleris ornatum, ac centum argenti marcas pendere Pontifici, quod argentum à Leone IX Pontifice postea remissum, accepta in vicem Beneventana civitate. Inter hæc præstitæ de publico epulæ omnibus, & quod in tanta hominum multitudine miraculi instar erat, nec tumultus, nec vox audita. Adeo omnium animos veneratio sacrorum & Pontificis occupârat. Recolant ex majorum religione Saxones nostri heterodoxi, qui ab ævo D. Gregorij M. Pontificem in solio Antichristi sedisse adhuc dum criminari non desistunt, quem à S. Jmperatore, & tot Episcopis in throno Ecclesiæ collocatum tantis honoribus à tota Germania condecoratum legunt. Et hic ille præclarus & magnanimus Pontifex, qui à superiori anno Saracenos classe navali victos ex Italia ejecit, fugato Rege, & capta Regina: ad quæ cùm furens Rex saccum castaneis plenum misisset ad Pontificem, minitando tot se armatis brevi rediturum, Pontifex his interritus peram illi milii granis plenam remisit, simulque renunciari jussit, tot se fortissimos viros objecturum Saracenis castaneis. In hoc congressu Pontificum & Episcoporum non defuit sibi Meinwercus Episcopus noster; & quia Romæ in coronatione Jmperatoris familiaritatem contraxerat cum Pontifice, multaque, ut diximus, Pontificis gratiâ consecutus erat,

Divina obit in Hebdomade sancta & Paschate. Dedicat Bambergensem Basilicam in 72 Episcoporum corona.

causam

causam quoque Ecclesiæ suæ hîc naviter egit, primùm mirificè extollendo Jmperatoris liberalitatem erga suam Ecclesiam, tum rogando, ut Pontificis commendatione eam uberius experiri liceat. Fecit id Pontifex, atque ejus primum, tum Cunigundæ Jmperatricis, Erchanbaldi Archiepiscopi, Everhardi Bambergensis, Engelberti Frisingensis Episcoporum rogatu, lautissimum quoddam prædium Hammonstedi, quod centum præterea mansorum familijs constabat, novo Imperatoris dono impetravit, hisce tabulis in hanc rem consignatis. Ejus interventu Paderbornensi Ecclesiæ prædium Hammonstadiense donat S. Henric9.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Saluberrimis sacri eloquii institutionibus erudimur, exemplisque religiosorum excellentissimis admonemur, ut temporalia et æterna pro Dei amore donantes, commoda æterna, et sine fine manentia studeamus adipisci bona. Quapropter noverint omnes Christi fideles, præsentes scilicet atque futuri, qualiter nos per interventum Spiritalis patris nostri domni videlicet Papæ Benedicti, dilectissimæque conjugis Chunigundæ, nec non venerabilis Mogontiensis Ecclesiæ Archiepiscopi Erkanbaldi, dilectissimique nostri Babenbergensis Episcopi Eberhardi, Frisingensis quoque Episcopi Egilberti, maximéq; ob juge et indefessum servitium venerandi Meginvverchi Episcopi, ut ille nullius æmuli opprobriis subjaceat, quin plus omnibus nobis serviens præmia honoresque plures à nobis accipiat, exemplisque nostri emolumenti alios ad nostrum fidele provocet servitium, ad Paderburnensem Ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris, nec non sancti Liborii constructam, cui prædictus venerabilis Meginvverchus Episcopus praeesse dinoscitur, quandam nostri juris cortem, Hammonstedi dictam, in pago Rittega, et in Comitatu Utonis Comitis sitam, unà cum omnibus ejus pertinentiis, sive adhærentiis, in quocunque pago vel Comitatu sita sint, videlicet cum vicis, villis, Ecclesiis, servis et ancillis, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, viis, inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, silvis, forestibus, venationibus, aquis, piscationibus, molis, molendinis, rebus mobilibus et immobilibus, ac cæteris omnibus, quæ rite scribi, vel quolibet modo dici possunt utilitatibus hac nostræ auctoritatis imperialis pagina donamus, ac omnium contradictione remota proprietamus, præcipientes, ut in Deo dilectus nobis sæpe dictus Meginvverchus Episcopus liberam dehinc habeat potestatem suique Successores eandem curtem Hammostedi cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu quidquid sibi inde libeat in usum Episcopatus faciendi. Et ut hæc traditio nostra ab omnibus incorrupta permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria confirmantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherius

Guntherius Cancellarius vice Erkanbaldi Archicappellani recognovit. Data VIIII Calend. Maji in festivitate S. Georgii martyris. indict. II. Anno Dominicæ incarnat. MXIX. Anno vero Domni Heinrici secundi regnantis XIIX, Imperii autem VI. actum Babenberc.

Tam præclarum hoc donum, quàm testimonium de Meinwerco, quo Imperator Meinwercum sibi præ omnibus fidum fatetur.

Soluto Bambergensi congressu, Imperator Pontificem non minus honorificè dimisit, quàm exceperat: quo minus tamen expeditionem Italicam, quod sollicitârat Pontifex, hoc anno susciperet, impediêre gliscentis per Alemanniam & Flandriam belli flammæ.

Sub id tempus, quarto videlicet Cal. Julij, in Hassia S. Heimeradus Presbyter ad immortalem vitam evocatus, *clara ac celebris*, inquit Trithemius, *hisce temporibus per Germaniam et Gallias erat memoria S. Sebaldi in Nurenberg, et S. Heimeradi in Hassungen, magnoq; populorum concursu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ divinitus istic languentibus conferebantur. Quorum ultimus, videlicet Heimeradus presbyter, fuit sanctissimæ vitæ, qui obiit anno MXIX. IV Calend. Julij.* Viri hujus sanctimoniam testatur vita ejus, conscripta ab Egberto Hersfeldiensi Monacho. Gente Suevus fuit Heimeradus, ac genere nobilis, qui relicta patria & consanguineis, Romam, deinde in Palæstinam suscepit peregrinationem, ex qua redux solitariam vitam aliquamdiu egit apud Hersfeldiense cœnobium. Aliquot dehinc annis Dettmoldiæ apud nos versatus, ad vetustam ædiculam à se reparatam, in qua sacris operabatur, se inclusit. Sed mirus in ærumnis & injurijs ferendis, cujus experimentum apud Meinwercum dedit; nam cùm Paderbornam abjecto habitu vestium, squallidus vultu, ac corpore deformis, in conspectum Meinwerci veniret, unde, inquit, hic iste diabolus nobis venit? ad quæ modestè Heimeradus, se hominum esse, respondit, & sacris initiatum. Quærente ergo Meinwerco, an presbyter esset; id cùm affirmaret, ac simul adstantes dicerent, eum publicè divina peregisse, jussit sibi libros proferre, è quibus cantasset, & sacra peregisset; quos ubi obsoletos sordidosque conspexit Meinwercus, jubet in ignem projici, & mox etiam insontem hominem, præcipitante ira, verberibus cœdi. Magnâ hæc patientia tulit Heimeradus, nihil questus de acerbitate agendi. Haud multò pòst Dodicho Comes Warburgensis Episcopum ad cœnam invitavit, & hunc ipsum Heimeradum presbyterum invitatum Meinwerco in mensa opponit; tum verò indignari Meinwercus hominem vagabundum, delirum & Apostatam, ut vocabat, pari secum honore inter convivas tractari, ipsumque Comitem accusare, tanquam hæc in contemptum sui fecisset. At Comes, ut Episcopum mitigaret, cœpit Heimeradum commendare à sanctitate vitæ sibi notâ, quæ non à corporis habitu, sed virtutis aspectu æstimanda sit. Bene, inquit Meinwercus, ego hæc experiar: crastina

S. Heimeradus solitariam Dethmoldiæ, sanctamque vitam agit.

Auctor vitæ Meinvv. Trithemius in chron. Hirsaug. ad annum M. LXXIII Egbertus in vita MS. S. Heimeradi.

Patientiam insignem in contumeliis & verberibus ostendit.

Sanctitatem ejus propalat, & tuetur adversus Meinwercum Comes Warburgensis.

crastina die in solemni Missæ sacrificio Alleluja cantabit, aut denuo plagis mulctabitur. Deprecatur id Comes, & magis Heimeradus: insistit Meinwercus; & cùm neuter quicquam ab obfirmato Episcopo impetraret, consilio Comitis Heimeradus postridie cantat, & tam dulci vocis artisque sono, quo omnium aures mentesque in stuporem raptæ. Finito sacrificio, Episcopus Heimeradum ad se vocat, & ad pedes ejus procumbens, sibi ea, quæ egerit, ignosci petit; exindeque Heimeradum in amore & honore habuit. Quapropter auditâ morte ejus, multis sacrificijs multisque largitionibus in pauperes factis, animæ è corpore exitum prosecutus est. Aribo exinde Moguntinus Archiepiscopus ultro veneratus sepulchri locum, cœnobio instituti D. Benedicti exornavit, quod Sigefridus Archiepiscopus postea absolvit, ob frequentes supplicum accessus, & cœlestia beneficia, quæ Deus ad hujus sancti presbyteri patrocinium mortalibus præstitit. At longè illustrius Monasterium Tuitiense, quod à D. Heriberto Coloniensi Archiepiscopo anno MII. cœptum, hoc anno ab eodem sanctissimo præsule perfectum dedicatumque est: testes ad posteritatem præclaræ tabulæ ab Heriberto consignatæ.

Meinwercus ab Heimeradо supplex petit veniam injuriarum. *Auctor vitæ Meinvv. num 61. Serrarius. in Aribone. Auctor vitæ Meinvv. num. 70. Trithemius in chron. Hersaug. Brovverus in Not. ad vit. Meinvverc. Gelenius l. 3. Sac. Syntag. Cleinsorg. in chron.*

Annus Christi 1020.

Benedicti VIII Pont. 9.
Henrici II Reg. 19. Imp. 7.
Meinwerci Ep. Pad. 12.

Annus inde millesimus sequitur post Christi natalem vigesimus, quo Henricus Imperator Ottonem Comitem bello aggressus. Is quia, ob matrimonium adversantibus Ecclesiæ legibus initum, ab Erckenbaldo Moguntino Archiepiscopo in publica Synodo damnatus erat, iram & arma convertit in Moguntinum, vicinosque Episcopos: ac totam Rheni ripam spolijs & cædibus infestam tenebat. Belli prædarumque receptaculum erat Hermensteiniana arx, Rheno incumbens. Ad hanc hominis insolentiam injuriamque ulciscendam arcem Henricus obsidet, & annonæ inopiâ ad deditionem compellit. Evocatus ad hanc expeditionem inter ceteros Heribertus Coloniensis Archiepiscopus cum copijs suis; verùm quòd is molesta cum febri conflictaretur, excusavit se: Quod Cæsar sinistrè accepit, ratus morbum obtendi ad detrectandum obsequium; nondum enim à prima offensione, ex quo Heribertus Regni insignia subduxerat, ex integro reconciliatus erat Archiepiscopo. Ac nescio, ut in sanctis viris sæpe animadversum, quid aversi semper animi inter utrumq; Sanctum virum per scintillas veteres remanserat; qua in re multum laboravit Meinwercus Episcopus, ut Imperatorem Heriberto intimè conjungeret, nec tamen obtinere potuit. Accessêre ad præsentem suspicio-

Ottonem Episcopis infestum bello persequitur Henricus. *Auctor vitæ Meinvv. Rupertus in vita Heriberti.* Heriberto valetudinem causanti graviter irascitur.

suspicionem Cæsaris, qui multò malignius Heriberti excusationem exaggerarent. Quare Cæsar se passus abduci Coloniam, ut coram de valetudine Archiepiscopi cognosceret. Et jam aulæ quidam proceres credebant grande malum imminere Heriberto, cùm Imperatori noctu dormienti Angelus adstitit, monuitque severè, ne quid acerbius ageret in Heribertum omnis culpæ innoxium. Quarè Imperator ad conspectum Heriberti lacrymans irruit in amplexum, *ignosce*, inquiens, *alium te mihi hominum sermones, alium Deus ostendit.* Plura in hanc sententiam proloquentem inhibuit haud minus lacrymis perfusus Heribertus. Ita mirantibus cunctis, qui aderant, intimè conjuncti. Nec tamen his Cæsar sibi satisfecit: nocte, quæ diem illum secuta est, ante preces matutinas conclave Heriberti, uno duntaxat è clero comitante, ingreditur; quem cùm istic non reperisset, pergit in sacrarium, ubi cœlesti meditationi inhærentem invenit; rursumque ad pedes abjectus, iterato omnium offenssionum veniam ex animo orat: nec ante surgere voluit, quàm Heribertus condonationem repetijsset. Tum verò Heribertus prædixit hunc ultimum fore utriusque congressum. Quo dicto cùm obitum suum brevi imminentem denunciaret, eò ægrius se Imperator à sancto viro avelli passus est. Præcessit dehinc anno proximo ad superos Heribertus, certus fati sui vates, nec ignarus etiam mortis Imperatoris consecuturæ, quam & Geremanno Comiti fratri suo aperuit.

Cælitus monetur, ne S. Heriberto molestiam facessat. Veniam precatur à S. Heriberto.


qui mortem utriusque prædicit.

In discessu omnia dolore & amore mixta: ac nemo lætior Meinwerco, quòd vidisset coram utriusque sancti conjunctionem, tot votis expetitam. Et Meinwercum, cùm hæc Coloniæ agerentur, præsentem fuisse, testes esse poterunt hæ novæ largitionis literæ, quibus ab Imperatore villam Triburi in pago Saxonico Westfaliæ, agris & proventibus uberem, pro novis suis intra suburbium Cœnobitis impetravit.

Meinwercus Triburiensem villam ab Henrico obtinet Abdinchoffensibus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si æterna et semper manentia accipere desideramus, temporalia et transitoria pro Dei amore benignè ac devotè erogare debemus. Quapropter noverint omnes Christi fideles, præsentes scilicet atque futuri, qualiter Nos pro redemptione animæ nostræ, ac dilectissimæ Conjugis nostræ Chunigundæ, et per interventum ac indefessum servitium venerabilis Episcopi Meginvvarci, quandam nostri juris curtem, Triburi nominatam, in pago Saxonico Wesfala sitam, in Comitatu Herimanni Comitis, cum omnibus appendiciis, servis et ancillis, liberis quoque cum tali servitio et censu, qualem nobis solvebant et agebant, molendinis, piscationibus, venationibus, silvis, pascuis, pratis, et omnibus utensilibus ad eundem locum pertinentibus, ad Abbatiam in Patherbrunnon à prædicto Episcopo Meginvvarco inchoatam et stabilitam, ad Ecclesiam ab eodem in honore Domini Salvatoris et omnium Sanctorum dedicatam donavimus; ea scilicet ratione,

ratione, ut Monachi sub regula sancti Benedicti inibi Deo servientes, deinceps liberam de eadem curte habeant potestatem utendi, mutandi, et ad communem usum illorum, quidquid exinde libuerit, tractandi. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hoc præceptum inde conscriptum impressione sigilli nostri jussimus insigniri, propriaque manu confirmavimus.

Signum Domni Heinrici  invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Guntherius Cancellarius ad vicem Erchenbaldi Archicappellani recognovit. Data XII Calend. Martii. indictione III. Anno Dominicæ Incarnat. Millesimo XX. Anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XVIIII, Imperii VII. actum Colonia feliciter Amen.

Post hæc, inquit auctor noster, *Calendis Junii Episcopus noster cum Imperatore Confungam venit, ubi interventu Geronis Magdenburgensis Archiepiscopi, Dodiconisque Comitis de Wartberge, quandam regiæ potestatis forestim in Comitatu ejusdem comitis Dodiconis sitam obtinuit.* Diversum hoc nemus à priori, ac vulgo Reinckerhusanum seu Reinersfwoltium appellatum, quod nova beneficentia Imperatoris Coffungæ, in Monasterio Virginum, intra limites sacræ jurisdictionis, donatum Meinvverco Episcopo. Quare hîc ipsas donationum tabulas exhibemus.

Nemus Reinkershusanum Paderanæ Ecclesiæ donat S. Henricus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si sanctarum Dei Ecclesiarum loca bonis nobis à Deo donatis ditando extollimus, non solum vitæ nostræ longanimitatem, verùm etiam regni nos prosperitatem augere speramus. Quapropter noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum, universitas, qualiter nos pro animæ nostræ remedio nostrorumque antecessorum, nec non pro salute dilectæ Conjugis nostræ Cunigundæ Imperatricis videlicet augustæ, atque per interventum Geronis Magdeburgensis Archiepiscopi, Dutichonisque Comitis, quandam nostræ proprietatis forestim, in comitatu ejusdem Dutichonis sitam, quæ initium sumit de Rothalmingahuson, rectoque tramite protenditur in Wisaram fluvium, sicque ascensum ducit in fluvium, qui vocatur Fulda, inde verò continuatim servat ascensus tenorem juxta eundem fluvium Fuldæ, usque in rivum, qui dicitur Crummelbichi, nec non ad Oppidum, quod holthusun vocatur, viam tendit, simul graditur inter Othilanham, et Reinhereshusen, atque ad Rothiereshusen, mox pergit Kikilahusen atque ad Biverbike, sicque protenditur in viam, quæ tendit ad Vulfredeskurken, itemque in alteram viam, quæ extenditur ad Gunnesburin, et ad viam Monneshusen, sicque girando circuit quandam viam, quæ pervenit usque ad prædictum Oppidum Rothalmingahusen, sancta

suspicionem Cæsaris, qui multò malignius Heriberti excusationem exaggerarent. Quare Cæsar se passus abduci Coloniam, ut coram de valetudine Archiepiscopi cognosceret. Et jam aulæ quidam proceres credebant grande malum imminere Heriberto, cùm Imperatori noctu dormienti Angelus adstitit, monuitque severè, ne quid acerbius ageret in Heribertum omnis culpæ innoxium. Quarè Imperator ad conspectum Heriberti lacrymans irruit in amplexum, *ignosce*, inquiens, *alium te mihi hominum sermones, alium Deus ostendit*. Plura in hanc sententiam proloquentem inhibuit haud minus lacrymis perfusus Heribertus. Ita mirantibus cunctis, qui aderant, intimè conjuncti. Nec tamen his Cæsar sibi satisfecit: nocte, quæ diem illum secuta est, ante preces matutinas conclave Heriberti, uno duntaxat è clero comitante, ingreditur; quem cùm istic non reperisset, pergit in sacrarium, ubi cœlesti meditationi inhærentem invenit; rursumque ad pedes abjectus, iterato omnium offenssionum veniam ex animo orat: nec ante surgere voluit, quàm Heribertus condonationem repetijsset. Tum verò Heribertus prædixit hunc ultimum fore utriusque congressum. Quo dicto cùm obitum suum brevi imminentem denunciaret, eò ægrius se Imperator à sancto viro avelli passus est. Præcessit dehinc anno proximo ad superos Heribertus, certus fati sui vates, nec ignarus etiam mortis Imperatoris consecuturæ, quam & Geremanno Comiti fratri suo aperuit.

Cælitus monetur, ne S. Heriberto molestiam facessat. Veniam precatur à S. Heriberto.

qui mortem utriusque prædicit.


In discessu omnia dolore & amore mixta: ac nemo lætior Meinwerco, quòd vidisset coram utriusque sancti conjunctionem, tot votis expetitam. Et Meinwercum, cùm hæc Coloniæ agerentur, præsentem fuisse, testes esse poterunt hæ novæ largitionis literæ, quibus ab Imperatore villam Triburi in pago Saxonico Westfaliæ, agris & proventibus uberem, pro novis suis intra suburbium Cœnobitis impetravit.

Meinwercus Triburiensem villam ab Henrico obtinet Abdinchoffensibus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si æterna et semper manentia accipere desideramus, temporalia et transitoria pro Dei amore benignè ac devotè erogare debemus. Quapropter noverint omnes Christi fideles, præsentes scilicet atque futuri, qualiter Nos pro redemptione animæ nostræ, ac dilectissimæ Conjugis nostræ Chunigundæ, et per interventum ac indefessum servitium venerabilis Episcopi Meginvvarci, quandam nostri juris curtem, Triburi nominatam, in pago Saxonico Wesfala sitam, in Comitatu Herimanni Comitis, cum omnibus appendiciis, servis et ancillis, liberis quoque cum tali servitio et censu, qualem nobis solvebant et agebant, molendinis, piscationibus, venationibus, silvis, pascuis, pratis, et omnibus utensilibus ad eundem locum pertinentibus, ad Abbatiam in Patherbrunnon à prædicto Episcopo Meginvvarco inchoatam et stabilitam, ad Ecclesiam ab eodem in honore Domini Salvatoris et omnium Sanctorum dedicatam donavimus; ea scilicet

ratione,

ratione, ut Monachi sub regula sancti Benedicti inibi Deo servientes, deinceps liberam de eadem curte habeant potestatem utendi, mutandi, et ad communem usum illorum, quidquid exinde libuerit, tractandi. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hoc præceptum inde conscriptum impressione sigilli nostri jussimus insigniri, propriaque manu confirmavimus.

Signum Domni Heinrici  *invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherius Cancellarius ad vicem Erchenbaldi Archicappellani recognovit. Data XII Calend. Martii. indictione III. Anno Dominicæ Incarnat. Millesimo XX. Anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XVIIII, Imperii VII. actum Coloniæ feliciter Amen.

Post hæc, inquit auctor noster, *Calendis Junii Episcopus noster cum Imperatore Confungam venit, ubi interventu Geronis Magdenburgensis Archiepiscopi, Dodiconisque Comitis de Wartberge, quandam regiæ potestatis forestim in Comitatu ejusdem comitis Dodiconis sitam obtinuit.* Diversum hoc nemus à priori, ac vulgo Reinckerhusanum seu Reinerswoltium appellatum, quod nova beneficentia Imperatoris Coffungæ, in Monasterio Virginum, intra limites sacræ jurisdictionis, donatum Meinvverco Episcopo. Quare hîc ipsas donationum tabulas exhibemus.

Nemus Reinkershusanum Paderanæ Ecclesiæ donat S. Henricus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si sanctarum Dei Ecclesiarum loca bonis nobis à Deo donatis ditando extollimus, non solum vitæ nostræ longanimitatem, verùm etiam regni nos prosperitatem augere speramus. Quapropter noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum, universitas, qualiter nos pro animæ nostræ remedio nostrorumque antecessorum, nec non pro salute dilectæ Conjugis nostræ Cunigundæ Imperatricis videlicet augustæ, atque per interventum Geronis Magdeburgensis Archiepiscopi, Dutichonisque Comitis, quandam nostræ proprietatis forestim, in comitatu ejusdem Dutichonis sitam, quæ initium sumit de Rothalmingahuson, rectoque tramite protenditur in Wisaram fluvium, sicq; ascensum ducit in fluvium, qui vocatur Fulda, inde verò continuatim servat ascensus tenorem juxta eundem fluvium Fuldæ, usque in rivum, qui dicitur Crummelbichi, nec non ad Oppidum, quod holthusun vocatur, viam tendit, simul graditur inter Othilanham, et Reinhereshusen, atque ad Rothiereshusen, mox pergit Kikilahusen atque ad Biverbike, sicque protenditur in viam, quæ tendit ad Vulfredeskurken, itemque in alteram viam, quæ extenditur ad Gunnesburin, et ad viam Monneshusen, sicque girando circuit quandam viam, quæ pervenit usque ad prædictum Oppidum Rothalmingahusen, sanctæ

ctæ Paderbrunnensi Ecclesiæ, cui venerabilis nobisque dilectus præsul Meinvvercus praeesse videtur, ad altare, et reliquias sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique martyris et Episcopi Kyliani, ac sancti Liborii Confessoris, cum omni utilitate, quæ ab eadem ullatenus provenire possit, firmiter et perpetuò habendam tradimus atque concedimus, ac de nostro jure, et dominio in ejusdem sanctæ Paderbrunnensis Ecclesiæ jus et dominium transfundimus et delegamus: eo videlicet ordine, ut nullus Episcopum jam dictæ Ecclesiæ ejusq; Successores de prædicta foresti disvestire, vel inquietare præsumat. Et ut hæc nostræ auctoritatis pagina stabilis et inconvulsa permaneat, eam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni Heinrici  *Serenissimi et invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

Guntherius Cancellarius vice Erchanbaldi Episcopi Archicappellani recognovit. Anno Dominicæ incarnationis MXX. indictione III. Anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XIX imperii autem VII. actum XI Calendas Junii. Consunga feliciter Amen.

Annus Christi 1021.

Benedicti VIII Pont. 10.
Henrici II Reg. 20. Imp. 8.
Meinwerci Ep. Pad. 13.

Insequens annus supra, quàm alij quietior fuit Imperatori; quanquam cùm Dithmari historia hîc nos destituere incipiat, à ceteris nil nisi lacinias ex publicis persequentes aliquot annos accepimus. Fortunatissimus interim hic annus Meinvverco Episcopo, quo Jmperatorem rursus post Natales Christi dies Paderbornam invitavit, hospitemque cum Jmperatrice gratissimum per mensem Februarium habuit. Tum verò cùm Meinvvercus Jmperatori exponeret clarissimam hujus Episcopatus originem à Carolo Magno Conditore, & quibus temporum injurijs ceteris Carolinis Episcopatibus multò imminutior factus esset, ac postremùm etiam fatale incendium objiceret oculis, quo urbs cum Collegio in summam ruinam venisset; ita animum pijssimi Imperatoris commovit, ut post Haholtinum Comitatum, alterum Dodiconis, ac tertium etiam Immedeshusanum regia prorsus liberalitate adjecerit. Jam ante ipse Dodico Comes Wartbergensis, seu ut nunc dicitur Warburgensis, ac Sigebodus frater, hortatu rogatuque Meinvverci, quòd sine prole essent, omnia ejus Comitatus bona hereditaria Ecclesiæ Paderbornensi transcripserant. Qua super re hæc donatio transactioque privata inter Meinwercum & Dodiconem pijssimum Comitem facta, ac testibus comprobata est.

Warburgensem comitatum Dodico improlis donat Ecclesiæ Paderbornensi.

In

In nomine Patris et filii et Spiritus sancti. Dodico Comes peccaminum suorum, atque humanæ fragilitatis memor, ac divina ammonitione conpunctus, pro remedio et commemoratione animæ suæ, ad altare et ad servitium sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Kiliani martyris, et sancti Liborii Confessoris cum consensu matris suæ, videlicet Hildigundæ heredis suæ primitivæ, fratrisque sui Sigobodonis assensu et astipulatione, suum prædium tradidit in proprium in his locis, quorum nomina subsequuntur: Wartbergi, Rainlesessun, Erungun, Radi, Radi in superiori vvurmlahun, Rothem, Garamelti, Rodvvardeshusun, Illandehusun, Silihem, cum agris cultis et incultis, silvis, aquis aquarumque discursibus, pratis, pascuis, nec non cum utriusque sexus mancipiis, et cum omnibus ad hæc loca pertinentibus appendiciis, videlicet octo molendinis, cæterisque quæ adhuc nominari queunt, vel nequeunt, et tamen in eis sunt, vel fieri possunt utilitatibus, exceptis ministerialibus ejus hominibus Eilbehrt, Randvvigh, Acilin, Gela, Doda, Hoikalsi, Ainza, Tamma, Hibuke, Hizule cæterisque mulieribus jam ad geniceum ejus assumptis, non ulterius assumendis; Ea ratione atque pactione interposita, ut dum Deo jubente monasterium Paterbrunnense maneret incolume, pro eodem Dodicone Sacerdoti, atque Diacono, et Subdiacono cotidie publicam Missam celebrantibus stipendialis refocilatio, quæ convenit uni ejusdem Ecclesiæ fratri constipendiali dari, daretur: Si autem ab Episcopo vel præposito publica Missa celebraretur, eadem ejus stipendialis refocilatio pro anima ejus remedio inter duodecim egenos divideretur. Cùm verò idem Comes Dodico divina sic disponente providentia hujus vitæ terminum transiret, in omnigena re commemorationem, quam pro ejusdem Monasterii Episcopo agere consuetudo est, pro eodem Comite Dodicone celebrari debere, videlicet in missarum et psalmorum celebrationibus, luminorumque incendiis, evlogiarumque donationibus, centenorumque pauperum refocilationibus, et in omnibus, quæ in Episcopi ejusdem loci annuali depositionis die convenit facere. Hac traditione et pactione peracta ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ Dominus Episcopus Meinvvercus cum suo advocato Amulungo pro eodem prædio in precarium eidem Dodiconi præstitit, quidquid in Desburg, Astnederi, Westnederi, Dalpanhuson, Duerion, Vslabun, Rasbiki, Silehem, Wepplithi ad Ecclesiam Paderbrunnensem proprietatis pertinebat, atque eandem traditionem, quam idem Comes Dodico ad altare sanctæ Mariæ tradidit, ut utrumque, dum ipse viveret, traditionis atque precariæ usu fructus uteretur: illo autem mortem obeunte in integrum precaria et traditio ad supra dictam paterbrunnensem Ecclesiam restitueretur similiter, exceptis tribus ministerialibus viris Tiazone, Bennone, Mainzone, ac duabus familiis in Wepplithi habitantibus, et ad Heristelle pertinentibus, quas ei in precariam non concessit. Hæc autem traditio tali tenore atque interdictione facta est, ut si isdem Episcopus vel aliquis ejus Successor de precaria, vel pactione eidem Dodicone vivente infringere voluerit, isdem Dodico supradictum prædium recipiendi licentiam habeat; hujus rei testes sunt Sibodo, Immed, Siberht, Thiatmar, Bernhard, Amulung, Bernhard, Erp, Ailbrat, Volepold, Kono, Rodvvard, Haika, Hagervvord, Helmvvure, Alfric, Mainheri, Ratheri, Wiking, Adalbart, Imuka, Asman, Folcmar, Hiddi, Becilin, Wal, Wither, Aisfa, Bunald, Thiadmar, Hiriman, Frithuric, Rainhald, Hiriman, Redald, Hildivvard, Asdag, Accabacca, Vnaca, Aica, Isic, Redig, Imuca, Mainbald, Duda; Tamma, Thiadmar, Isger, Bardezed, Mainwerc, Hiriman, Ova, Hamaca, Heilvvard, Frithuric, Godescac, Vulvered, Waldhard.

Comite verò Dodicone anno IV Calendas Septembris mortuo, Meinvvercus nihil sibi negligendum ratus, per opportunitatem invitati præsentisque Cæsaris plenam ejus donationem ac confirmationem auctoritate Imperatoria impetrat. Quam in rem hæ tabulæ coram in urbe Paderbornensi confectæ consignatæque sunt. Donationem Dodiconis ratam habet S. Henricus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina gratia Romanorum Imperator Augustus. Divinæ pietatis clementia, quæ nos ad culmen Imperatoriæ Majestatis perduxit, ac voluit imperare, ut Ecclesiarum ordini firmando atque corroborando subveniamus, his autem maximè locis,

quæ ab antecessoribus nostris Regibus et Imperatoribus fundata, sed jam peccatis exigentibus pœne videbantur annulata. Quapropter omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum, industria notum esse volumus; qualiter nos divini amoris instinctu pro remedio animæ nostræ, seu parentum nostrorum, nec non et tertii Ottonis, bonæ memoriæ Imperatoris, dilectæque Conjugis nostræ Chunigundæ augustæ interventu, atque Meinvverc sanctæ Paderbrunnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopi rogatu, sibi sanctæque suæ Ecclesiæ à Karolo Magno Imperatore olim fundatæ, nostris verò temporibus incendium passæ, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis, et sancti Kyliani martyris, Liboriique Confessoris dedicatæ, Comitatum, quem Dodico Comes, dum vixit, tenuit, situm videlicet in locis Hessiga, Netga, Nitherga cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc nostram imperialem paginam; eo videlicet tenore rationis, ut præfatus Episcopus Meinvverc, suique Successores præscriptæ Ecclesiæ præsidentes, dehinc liberam habeant potestatem de eodem Comitatu ejusque utilitatibus; quidquid eis placuerit faciendi, ad eorum tamen utilitatem Ecclesiæ, omni videlicet inquietudine remota. Et ut hæc nostræ traditionis, seu confirmationis auctoritas stabilis, et inconvulsa omni habeatur tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria firmavimus, et nostro sigillo repercusso insigniri jussimus.

Signum Domini Heinrici  *victoriosissimi Imperatoris Augusti.*

Guntherius Cancellarius ad vicem Hercumbaldi Moguntini Archiepiscopi & Archicappellani recognovit. Data XIIII Calend. Martii. Indictione IIII. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo vicesimo primo, anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XVIIIII, Imperii autem VIII. actum Padebrun feliciter Amen.

Nobilis & opportunus Comitatus intra sacros diœcesis terminos, manetque etiamnum in Episcoporum potestate; nisi quantum vicini Hassi & Comites Waldecenses subtraxêre. Non alia fere pars diœcesis agrorum fertilitate præstantior. Celebris etiam urbs Warburgensis ad Dimolam flumen, quæ nomen ex eo Comitatu à vetusta Comitis Dodiconis sede arceque retinet.

Immedeshusanum comitatum donat S. Henricus Ecclesiæ Paderbornensi.

Alter Comitatus Immedeshusanus huic contiguus, in eadem frumentaria regione Sintveldiæ, Caroli M. prælio adversus Saxones celebri, haud minus illustris, dono Liudolphi Comitis & Imperatoris Henrici accessit ad diœcesin. Ejus verò donationis tabulæ, quia nobis interciderunt, juvat ea referre, quæ Auctor vitæ Meinwerci scribit. *Die quoq; Kalendarum Martiarum proximarum, alium quendam Comitatum in Immedeshusen, interventu Benedicti Papæ, Cunigundæ Imperatricis Augustæ, Everhardi Bavenbergensis Ecclesiæ Episcopi, Piligrini ejusdem Ecclesiæ Præpositi, regiique Cancellarii obtinuit, quem situm in locis Soradfeldt,*

Soradveldt, Sinutveldt, Almunga, Treveresga, Burclaun Liudolphus Comes, dum vixit, tenuit; ea ratione, ut nec ipse Meinwercus Episcopus, nec aliquis Successorum suorum, ullam potestatem haberet alicui suo militi, vel extraneo eundem Comitatum in beneficium dandi, sed ministerialis ipsius Ecclesiæ, qui pro tempore fuit, præsit prædicto Comitatui; ac de ejus utilitatibus provideat, ad restaurationem constructionis ipsius Ecclesiæ, ut inde muri releventur, tecta reparentur, et quidquid opportunum fuerit ad corporalem formam ipsius domus Domini, ibi inde administretur. Cessit ergo totus ille Comitatus ad fabricam Ecclesiæ, & quod fatali incendio illatum est damnum, Deus tanta largitate Imperatoris & piorum hominum compensavit; aliàs fortè non tam illustris Basilica, nec tantæ opes accessuræ; adeo providentiæ divinæ est ex malis redintegrare uberius bona.

At Meinwerco non continuo Comitatum Warburgensem adire concessum; suos enim invidos & æmulos passus. *Quidam enim propinquorum Dodiconis Comitis,* ut hæc quoque verbis auctoris nostri memorem, *Bern nomine, traditionem, quam idem Comes, et Sigebodus Ecclesiæ Paderbornensi fecerant, infirmare judicio sæculari attentavit, et multis conciliis habitis, ad ultimum in natali S. Damasi Papæ, in Ermennesvvethe, in præsentia Henrici Imperatoris, Aribonis Moguntini Archiepiscopi, et Episcoporum Wizelini Strazeburgensis, Adalbaldi Trajectensis, Udonis, Herimanni Comitum, et aliorum multorum, omni querela postposita, plenaria reconciliatione pacatus cessavit, et octoginta tres libras ab Episcopo accepit; in Gandersheim* XX *uncias auri;* XLVI *libras argenti; unum pallium pro* IV *libris; et* XXX *equas; astantibus Wizelino Episcopo prædicto, Reinvvardo, qui advocatus fuit, Udone, Sigefrido, Ezzikone, Liudulfo, Becelino de Suevan comitibus, Conone filio Ducis Ottonis, ejusque milite Zeizulfo, aliisque multis.* Frequens hic coram Henrico Jmperatore congressus fuit, quo controversia omnis decisa, & Comitatus Warburgensis Meinwerco cessit.

Controversia de Warburgensi comitatu à propinquis mota componitur. *Auctor vita Meinw.*

Nec minus celebris conventus, de quo historici Trajectenses, cumprimisque Gerbrandus de Leida. Memorant illi anno 1021 Tulpiaci, 4 nonas Januarij, coram Jmperatore convenisse Adelboldum Ultrajectensem Episcopum cum Ecclesiæ suæ ministerialibus (ex quibus Dux Brabantiæ Dapiferum Episcopi, Comes Hollandiæ Mareschallum, Comes Gelriæ venatorem, Comes Cliviæ Camerarium, Comes de Benthem Janitorem, Comes de Cuke Pincernam, Comes de Chore Signiferum, egerit) omnesque Adelboldo Episcopo juramentum fidei dixisse. Ea tum Episcoporum dignitas erat ac potentia, cùm illi primi post Cæsarem essent Imperij Principes, & rari adhuc per Germaniam Duces, ac sæculares Principes. Sed quid nunc ille nobilis Episcopatus, & seminarium christianæ religionis per Frisiam & Saxoniam nostram? nisi quod Severus Imperator dixit, *Omnia fui, et nihil sum præter umbram.* Sed nostra repetamus.

Non

Henricus ad preces Meinwerci benefacit Monasterio Gandersheimensi.

Non satis erat Meinwerco Ecclesiæ suæ necessitatibus prospicere; etiam alijs ut benefaceret sedulò adlaborabat; testes esse possunt sequentes tabulæ, quibus ad illius intercessionem integer Comitatus Monasterio Gandersheimensi ab Henrico donatus.

IN NOMINE INDIVIDUAE TRINITATIS. Heinricus divinâ favente clementiâ Rom. Imp. Augustus. Si fidelium nostrorum votis probabilibus præbere assensum, justa illorum desideria in humanis, majorem autem in Ecclesiasticis utilitatibus clementiam audivimus atq; proficimus; id profectò ante omnia nostræ saluti atque regni stabilitati proficere certissimè confidimus. Proinde noverit omnium Christi nostrorumque fidelium universitas, qualiter nos per instinctum dilectæ conjugis nostræ Cunigundæ videl. Imperatr. Augustæ, nec non fidelissimi nostri Piligrini venerabilis Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, imò familiaris nostri Meinwerci Paderbornensis Ecclesiæ Pontif. pro amore atque petitione nomine tenus sororis respectivè ac consangineæ nostræ, Domnæ Sophiæ Gandersheim Monasterii matris atque domnæ, nec non pro recordatione atque requie patris nostri Heinrici Bavariæ Ducis animæ, cujus ossa requiescunt in eodem monasterio, talem Comitatum qualem Otto Comes ex imperiali nostro munere infra hos quippe pagos Gandersheimigawi, Grenigabi, Fretenigabi, Flentigabi, Auganagawi, Vierzigawi, Erigawi, et insuper quicquid his duobus pagis Eilwerigawi et Ammerigawi visus est habere, ad Altare Sanctorum Confessorum pariterque Pontific. B. scil. Anastasii atque Innocentii, in quorum honorem prædictum Gandersheimense monasterium constructum atque consecratum est, prout justè ac legaliter possumus, per hanc imperialem paginam donamus atque largimur in proprium. Et ut hæc nostræ traditionis autoritas stabilis permaneat, eam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione jussimus signari.

Locus Sigilli.

Signum Domni Henrici  *Romanorum invictissimi semper Augusti.*

Guntherus Cancellarius Vice Erchemboldi Archicappellani recognovit. Data anno ab incarnat. Domni nostri Jesu Christi MXXI. Ind. IV. anno vero Domini Henrici Imp. regnantis XX Imperantis VIII Actum X. Kalend. Augusti Noviomago feliciter Amen.

Illustrium Episcoporum obitus.

Auctor vitæ Meinw.

Annus hic præclaros Episcopos sustulit. Primò Erckenbaldum Moguntinum Archiepiscopum & Metropolitanum nostrum, Meinwerco intimum, cui Aribo Imperatoris Cappellanus aulæque Sacerdos subrogatus; falliturque Schafnaburgensis, qui anno superiori obijsse tradit; nam sub initium hujus anni adhuc vixisse testantur tabulæ à nobis productæ, in quibus Guntherius ejus vice

adhuc

adhuc subscripsit; sub exitum verò hujus anni, ut mox retulimus, Aribo inter Episcopos arbitros refertur; ut rectè Marianus Scotus ad hunc annum mortem ejus adscripserit: nutante hac super re Serrario, eò quòd Schafnaburgensis Erkenbaldi obitum ad superiorem annum retulerit. Duodecimo dehinc Calendas Novembris transijt ad superos D. Bernwardus Hildesiensis Episcopus, gesto per 30 annos sacro præsulis munere. Vir admirandæ sanctitatis, multisque miraculis clarus, Successorem nactus D. Godehardum, paris sanctimoniæ virum. Tertius conjungitur D. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, quem alij hoc anno XVI Martij obijsse volunt, quos inter Bollandus id contendit ex Lamberto Tuitiensi, & sepulchri inscriptione: alijs contra in sequentem annum mortem rejicientibus. Successor Heriberto datus ab Imperatore Piligrinus, Bambergensis Ecclesiæ Præpositus, ac regius Cancellarius, ut eum auctor supra noster relatus appellat, quo in munere XIIII Calend. Martij adhuc versatus ab eodem proditur. Mirum de hoc Piligrino vaticinium D. Bernwardi traditur; nam cùm adolescens Hildesij in scholis versaretur, & pro more studiosorum puerorum accederet ad fores aulæ Episcopalis stipem rogando, idque audiret Bernwardus, vade, inquit ad famulum, & Episcopum Coloniensem introducito: advolat ille ad januam, & renunciat neminem foris adesse præter scholarem pauperem: age, inquit Bernwardus, & adolescentem huc introducito; hic enim aliquando Episcopus erit. Ac mox honorificè exceptum in capite mensæ supra convivas collocat, tractatque ceteris etiam lautius. Solutâ mensâ, dum puer rubore perfusus gratias agit Episcopo, non aliud mihi, inquit Bernwardus, rependes, quam ut Episcopus Coloniensis aliquando futurus, primum Missæ sacrificium, quod Coloniæ facturus es, pro Bernvvardo decantes. Memor ejus Piligrinus primum, quod Coloniæ obtulit sacrificium, Cantores preveniens repente, pro defunctis orsus est, stupentibus qui aderant; cumque prima parte sacrificij Bernvvardi memoriam inter vivos ageret, post inter salutaris victimæ consecrationem de morte ejus edoctus, juxta precum formam, memoriam Bernvvardi inter mortuos fecit. Boici Scriptores hæc inter narrationis fabulas reponunt, quod Piligrinum gente Bojum ac nobilem fuisse tradant, de quo verisimile non sit stipem collegisse inter pauperes: tanquam Henricus Imperator, dum Hildesij versaretur in scholis, non etiam parcè in clero sit habitus, aut indecorum sit Boico nomini, nobilem inter Saxones procul à suis quærere vitæ subsidium: aut moris nunquam fuerit in Saxonia ingenuos etiam adolescentes repentino cantu obire domos, festis cumprimis D. Martini & Nicolai, alijsque per annum celebrioribus. Quanquam uti hæc auctor refert, multum in chronologia vacillent, dum id anno demum XXIII accidisse tradit. Sed fuerit id primum sacrificium,

Vita Bernvv. apud Brovver in sideribus. Sigebertus. Marianus Scotus. Herman. contr. Bolland. in comment. ad vitam Heriberti. Auctor vitæ Meinvv Appendix ad vitam S. Bernvvardi. Brovverus in notis ad eandem.

S. Bernwardus Piligrino mendicanti Coloniensem Archiepiscopatum prædicit.

Brunnerus lib. 9. rer. Bava. Histor. Bavar. p. 1. lib. 16.

sacrificium, quod pontificali apparatu Coloniæ peregit, cumprimisque in eorum sententia, qui Heribertum mense Martio anno 1022 obijsse scribunt; utcunque se habeant, quæ de obitus die cognito, & sacrificio ipsa hora excessûs oblato referuntur.

Annus Christi 1022.

Benedicti VIII Pont. 11.
Henrici II Reg 21 Imper. 9.
Meinwerci Ep. Pad. 14.

Sigebertus in chron.

Theodorici Episcopi Monasteriensis obitus.

Auctor vitæ Meinvv. Crantzius lib. 3. Metrop. c. 46.

Annus dehinc proximus, Christi M.XXII, memoratur à cœli inclementia fatalis; nam tanta siccitate laboratum, ut æstu prægravante mortales passim deficerent, & armentorum greges ob aquarum inopiam siti intolerabili contabescerent. Mirum etiam, columnas & pavimenta tanto sudore maduisse, ut aquis per fusa crederentur. Fatalis quoque hic annus duorum Episcoporum Saxonicorum excessu, Theodorici primùm Mimigardensis Episcopi. Magna is laude, magnoque honore per x annos Ecclesiam suam administravit; multumque à Dithmaro commendatur à natalium splendore, egregia indole, & virtutum aspectu; de quibus supra etiam relatum est. Eóque nobis etiam non prætereundus, quòd Auctor vitæ Meinwerci, quocum amicissimè vixit, inter illustres horum temporum Episcopos claruisse memoret. Quod verò chronicorum Monasteriensium Scriptores referunt, eum pontificia auctoritate Sacerdotes & clericos Cathedralis Ecclesiæ, qui sub fratrum nomine ad ejus tempora secundum institutum D. Benedicti vixerant, detracto habitu & ritu, ad Canonicam vitam reduxisse, id inter fabulas imperitorum istorum Scriptorum referas; cùm à D. Ludgero ea in Ecclesia canonicum institutum viguerit, uti ab eo cœptum est, & à Gerfrido, Alfrido, ceterisque Episcopis Successoribus servatum: Monachos illi in Werthinense cœnobium à se conditum introduxêre, non in Ecclesiam Monasteriensem; neque tres illi primi Episcopi Monachi fuêre, sed clerici. Unwanum ex Bremensi Ecclesia proscripsisse Monachicos ritus haud mirum, quando Ansgarius, alijque ejus loci primi Archiepiscopi ex Corbeiensi cœnobio sumpti eos introduxerant. Successorem tamen habuit Theodoricus Sigefridum, Abbatem Monasterij S. Joannis, quod prope Magdenburgum erat, virum illustrium natalium ortu, patre nimirum Sigefrido Comite Walbecano orientalis Saxoniæ natum, eóque ab Henrico Jmperatore ad sedem illam translatum. Neque ille clerum ad Monachorum institutum traduxit: quemadmodum neque tot Moguntini Archiepiscopi ex Abbatibus Fuldensibus, neque alij Episcopi alibi ex Monachis impositi fecêre; quòd & vetustius, & longè eminentius sit cleri institutum,

Cathedrale Monasterii collegium non constitit primò ex monachis, sed Canonicis.

Meibom. in chron. Walbecano.

institutum, ad regendam Ecclesiam ordinatum, quàm Monachorum. Alter Saxonicus Episcopus hoc anno morte subtractus, Theodericus Mindensis antistes, sæpe etiam à nobis ex tabulis, & conventibus Episcoporum relatus. Vir eâ ætate egregius, ac gesto in XVI annum magistratu spectabilis. Subrogatus illi Sigebertus.

Mors Theoderici Episcopi Mindensis.

Memorabilis hoc anno expeditio Italica, urgente Benedicto Romano Pontifice per legatos. Quam in rem synodum Aquisgranensem ab Imperatore convocatam tradunt ex Sigeberto, convenientibus ex tota Germania Episcopis. Sed ea expeditio non nisi sub exitum anni suscepta, magno armorum apparatu. Auctor est Leo Ostiensis Popponem Trevirensem Archiepiscopum cum undecim armatorum millibus præmissum in Italiam, quem Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus cum viginti millibus selectorum militum subsecutus est, ad Græcos ex Apulia depellendos. Productum id bellum in æstatem sequentis anni. Imperator interim 3 Nonas Novemb. Gronæ ad Visurgim versatus, Abbatiam S. Michaëlis à D. Bernwardo Hildesij conditam dotatamque confirmavit, ut tabulæ pervetustæ ejus cœnobij docent. Deinde à Meinwerco invitatus Paderbornam, laxandi animi causâ, cum familiari suo Episcopo egit, uti acta & donationum tabulæ, quas referemus satis testabuntur; id quod à ceteris Scriptoribus non satis observatum est. Meinwercus enim cùm exstructum à se Monasterium Monachorum acceleratis operibus ad fastigium propè perduxisset, chori etiam fornice suspenso, ratus Imperatoris præsentia & liberalitate donum aliquod accessurum, Henricum Paderbornam ad natalitia festa invitavit. Imperator accepta invitatione se tempori adfuturum renunciat, simul commonens, ut quæ sint ad hospitis tractationem, atque ad Imperatorem dignè accipiendum necessaria, sedulò procuret. Meinwercus ut regio aliquo dono occuparet animum Imperatoris, pallium fieri curavit ex agnorum velleribus suffultum; cujus limbos pellibus obduci intexique voluit, quam in rem omnes fœtas oves mactari jussit, agnosque ex utero detrahi, quorum mollissima adhuc vellera erant. Id postquam ab aulæ proceribus exploratum, delatumque est Cæsari, cur, inquit ille ad Episcopum, majestatis regiæ amorisque nostri oblitus, tam vile indumentum mihi offerre non pudet? ad quæ Meinvvercus, nihil ego indecorum offero, quod mercatorum judicio probatum non habeo. Tu interim vide Imperator, uti pauperi meæ Eclesiæ satisfacias, quam ego tui causa necesse habui spoliare tot agnis per villas occisis. Risit ad ea Imperator, & si quem, inquit, ego defraudavi, reddam in quadruplum, ac mox prædium Steini, agris, pascuis, silvis, & venatione opulentum dari præcepit. Qua super re proximo dehinc anno publicæ donationum tabulæ confectæ.

Auctor vitæ Meinvv. Chron. Mind.

Militaris in Italiam expeditio Poppone & Piligrino ducibus adornatur.

Meinwercus S. Henricum Paderbornam invitat.

Pallium velleribus ovinis suffultum offert S. Henrico.

Et ab eodem vicissim donatur Steinensi prædio.

Argenteum S. Henrici scyphum in Calicem vertit.

Aderat pervigilium Natalis Domini, in quo, decantatis vespertinis laudibus, Imperator argenteum scyphum mirifici operis, optimoque liquore plenum Meinvverco misit: datumque famulo in mandatis, scyphum referret ad aulam. Hunc verò cùm famulus repeteret, & Meinvvercus sibi cum vino donatum obtenderet, haud levis altercatio orta est inter utrumque, nec prius finem habuit, quàm Meinvvercus fores præcluderet. Mox aurifex advocatus, jussusque ipsa natalis diei nocte scyphum formare in calicem, quem repente Meinvvercus in primo noctis sacro, quod in monasterio novo præsente Imperatore peragebatur, consecravit, ministrisque tradidit ad usum divinorum mysteriorum. Id cùm Jmperatoris Sacellanus, Diaconi munere functus, ex inscriptione advertisset, calicem etiam subduxit, retulitque ad Jmperatorem. Ille verò è vestigio Episcopum adiens, furti incusat, ac mirari se, inquit, uti rapinam in holocausto Deo gratam facere possit. Ad quæ Meinvvercus, non ego rapinam feci, sed ea, quæ ad luxum tibi sunt verti in cultum divinum: tu si audes repete, & retine. Ego, inquit Jmperator, quæ semel Deo consecrata sunt, absit ut tollam, sed quæ mea sunt Deo rite offeram. Igitur postquam ad oblationem sacrificij perventum, calicem altari impositum obtulit, cui multa precatus prospere Episcopus, gratias pro insigni dono habuit.

Ervetense Prædium à S. Henrico per astum exprimit.

Succedebat alterum Missæ sacrificium, quod ad auroram in natali Christi agitur; & cùm pro more Jmperator cum Jmperatrice ad oblationem procederent, sacris Meinwerco operante, Imperatricis donum admisit, Imperatoris rejecit palam, Ervete prædium regale, quod hactenus sollicitârat, sibi dari offerrique poscens. Quid hic ageret Imperator, circumventus inter sacra importunis Meinwerci, & opportunis simul Cunigundæ precibus? advocat Notarios, & clam tabulas donationis confici jubet; inde ad tertium ac solemne Missæ sacrificium cum Imperatrice & procerum turba progressus est, diu dissimulando apud Meinwercum, quid actum esset. Post ubi ad oblationem perventum, tabulas altari imponit, quibus professus se prædium Ervete Virgini genitrici, Kiliano & Liborio donare. Lætus adhæc Meinwercus exclamat, Deus tibi Imperator multò largius hoc donum Ecclesiæ meæ rependat. Tum verò Imperator, averso vultu *submurmurando*, tanquam indignabundus, & tibi, inquit, ignoscat Deus, qui me concessis Regni bonis spoliare non cessas; serione an joco, incertum habeas. Nam multa hujusmodi Auctor noster denarrat, quæ inter Henricum Imperatorem & Episcopum sibi familiarissimum acta sunt. Aulam aliquando Imperatoris ingressus Meinwercus, vidit pallium augustale mirifici operis & decoris suspensum hærere, quod Episcopus, Imperatore alijs occupato, clam sustulit, & in ornatum sacrorum convertit. Tanta inter utrumque

Ejusdem Pallium in ornatum altaris permutat.

erat

erat amoris fiducia, ut nec Imperator aliter offensus sit, quàm quòd diceret eum furti hujus aliquando pœnas daturum: nec Meinwercus aliter excusare necesse habuerit, quàm quòd responderet, hæc dignius in sacrorum usum, quàm vanitatis ornatum impendi.

Nec minus Imperator ausus per jocum experiri Meinwerci amicitiam. Quippe cum sciret eum multis curis, ac negotijs distrahi, ac sæpe etiam linguæ latinæ leges negligere, Imperator cum Sacellano suo in collecta prece pro defunctis è nominibus famulis & famulabus primas syllabas erasit; igitur ubi rogatus ab Imperatore dicere sacrum funebre, inconsideratè legit pro mulis & mulabus; quanquam, errore mox doloque animadverso, se correxerit Meinwercus. Finito sacrificio Imperator Meinvvercum vocat ad se. Et quid, inquit Meinvverce, ego pro patre & matre petij sacrum funebre legi, non pro mulis & mulabus. Sensit illico, Meinvvercus, quo hæc interrogatio ex auctore doli spectaret; nec leviter indignatus in sacris se delusum, etsi cum Jmperatore dissimulârit, Sacellanum tamen verberibus castigari jussit, castigatumque novis vestibus donatum, indutumque ad Jmperarorem remisit, nunciatum quæ sibi facta essent.

Ludificantem se in sacro funebri Sacellanum Regium castigat.

Liberaliori etiam joco Meinvvercum aliquando delusit Jmperator. Schedulas diversas per Notarios aureis literis notatas confici jussit, quibus inscriptum, *Meinvverce Episcope dispone domui tuæ, morieris enim quinta die.* Harum una dum in hyemali domo ad mensam sederet, è superiori habitaculo demissa ante Episcopum; aliæ alijs in locis, per quæ transeundum erat, sparsæ; lectoque in his mortis suæ argumento primùm haud leviter perculsus cohorruit; mox animo ad mortem composito, Deo gratias egit; vocatoque ad se Vicedomino, cujus munus erat œconomiam Episcopi procurare, omnia, quæ vel in ære, vel annona, vel investiario habebat, in Ecclesiæ & pauperum dona erogari jussit, retentis tantummodo vilibus indumentis, & quæ ad sepulturam honestam facerent. Inde quod reliquum erat temporis, jejunijs, precibus, vigilijs, Missæ sacrificijs dies noctesque insumptum. Transactâ jam quintâ die cùm in crypta prostratus jaceret ad medium noctis; nec ullo morbi mortisve indicio tentaretur, cœpit, quod sani est hominis, esurire & Jmperatorem habere suspectum, qui hanc fictæ mortis scenam sibi parasset; regressusque ad cubiculum cœpit corpus inedia fatigatum reficere. Manè postquam diluxerat, accessit Jmperator magno procerum comitatu, & Meinwerco haud aliter gratulatur, quàm qui cum Lazaro è sepulchro ad vitam redijsset: multosq; simul vitæ annos precantur singuli. At non hunc jocum sibi esse voluit Meinvvercus: quippe ante Missarum solemnia pulpitum conscendens, cum pauca pro tempore dixisset ad populum de Sacerdotali honore & dignitate, postremùm quæ sibi illusio facta esset exposuit, ideoque palam omnes facti hujus auctores pro Epi-

Prænunciatæ sibi fictæ mortis auctorem Henricum excommunicat.

ſcopali auctoritate Sacris & conſortio Eccleſiæ interdixit; nec prius ad reconciliationem admiſit, quàm Jmperator & Jmperatrix inter publicè pœnitentes ad oſtium Eccleſiæ abſoluti ad ſe introducerentur. Hæc auctor noſter, à quo fidem exigas: nec aliena prorſus reputaverit quiſpiam, aut inofficioſa, qui Henrici Imperatoris & Meinvverci conjunctionem vitæ, morum, & ſanguinis expenderit. Fuit præterea, præter fida aulæ ſervitia, multus lepos, jocique genus urbanum nec illiberale in Meinvverco, quo magnopere delectatus Jmperator; & priſca tum pietas candorque ſæculi vigebat, procul à noſtrorum temporum politia & faſtu: itáque in Conſanguinei Principis penetrârat animum Meinwercus auctoritate & gratia, ut nulla res fere clauſa fuerit, quam non integritas Epiſcopi, aut inſita Cæſaris benignitas aperiret. Sed ut his pauci offenduntur, quando inter ſanctos viros ſæpe joci non illaudati boniqueʒ ita nihil magis reprehendunt in Meinwerco heterodoxi Scriptores, quàm immodicum ejus in accumulandis bonis Eccleſiæ ſtudium; hinc paſſim cupiditatis & avaritiæ inſimulatur, qui Cæſarem bonis Imperij ſpoliârit. Quod vitium ceteris quoque Epiſcopis malignè affricant, quotquot opes ſuas Cæſarum largitate ad tantam potentiam evexêre. Sed ubi nunc urbes, Oppida, Caſtella, arces, ac cetera prædia bonaque, præter ea, quæ Epiſcopis ceſſêre? Innumera fuêre per Saxoniam & Germaniam, quæ Cæſaribus prærepta modò in Principum, Marchionum, & Comitum hereditarias poſſeſſiones tranſiêre, quibus tamen nemo heterodoxorum ſpoliatos eſſe Cæſares queritur; imo quid nunc ipſa prædia ac bona per Saxoniam, quæ à Carolo M. ceteri Jmperatores Epiſcopis, Collegijs, & cœnobijs dedêre, niſi ſpolia hæreſis? In hæc illos primùm animadvertere oculos & animum oportebat, qui donationibus ſacris Jmperium imminutum contendunt; nec illi recognoſcunt Epiſcopos ſemper Cæſaribus fidiſſimos aſtitiſſe inter Jmperij Principes, & regale Chriſti Sacerdotium humerum fuiſſe Chriſtianæ religionis, quo Eccleſiæ & Jmperij onera ferebantur. Ac niſi Epiſcopi noſtra ætate ſuſtinuiſſent labentem religionem Catholicam, ne provinciam quidem Saxonia, aut Germania poſſideret integram, quàm non hæreſis locuſtarum inſtar cum ceteris depaſta fuiſſet: quod cùm Bellarmini aliorumque ſapientum ſit judicium, tum res ipſa commonſtrat, ut jam longo divinæ ordinationis proviſu, Epiſcopi per Saxoniam à Cæſaribus in eas opes & diœceſium amplitudinem inter Principes provecti cenſeri debeant; nec querela in Meinwercum noſtrum intendi poſſit. Cujus Epiſcopatus in hunc diem catholicâ religione eſt ſervatus.

Brovverus.

Immerito cupiditatis & avaritiæ Meinvvercus arguitur.

Annus Chriſti 1023.

Benedicti

Benedicti VIII Pont. 12.
Henrici II Reg. 22. Imperat. 10.
Meinwerci Ep. Pad. 15.

Hic ego, ut anni hujus gesta publica tantisper transeam, & ad præsentia me referam, quæ Paderbornæ inter Episcopum & Imperatorem acta sunt, quæque Meinwercus ab Jmperatore per id tempus pro Ecclesia sua impetravit, necesse habeo aliquot donationum tabulas exhibere; quas & ipse Auctor vitæ Meinwerci indicat. Ac licet donatio prædij Ervitani interciderit, aliæ tamen suppetunt ex hoc Paderbornensi congressu, quarum prima est villa Steini, ex qua opinari fas erit celebre dehinc Oppidum **Steinheimb** cultu Jncolarum emersisse, tabulæ sic habent.

Tabulæ Prædij Steinemensis donati à S. Henrico.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si venerabilia Ecclesiarum Dei loca ditare ac sublimare studuerimus, nobis id animæque nostræ remedio, parentumque nostrorum, nec non regni nostri statui profuturum esse minimè dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium nostrorumque universitas, qualiter nos inspicientes interventum dilectissimæ conjugis nostræ Cunigundæ Imperatricis augustæ, assiduè monentis atque incessabiliter nobis in memoriam reducentis, quod Meinwercus Paderbornensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus, plus ceteris fidelibus nostris in servitute nostra jugi devotione sudavit, eidem Paderbrunnensi Ecclesiæ, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris, nec non preciosi Confessoris Liborii dedicatæ, cui idem nobis dilectus Antistes praeesse videtur, quoddam prædium nostrum Steini dictum, situm in pago Westfalon, in Comitatu verò Bernhardi Comitis, cum omnibus ejusdem prædii pertinentiis, terris videlicet cultis et incultis, curtificiis, areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis vel inquirendis, ceterisque omnibus, quæ quomodocunque dici, sive scribi, aut nominari possunt, utilitatibus ad ipsum prædium pertinentibus, per hanc nostram imperialem paginam concedimus atque largimur, et de nostro jure ac dominio in ejus jus ac dominium omnino transfundimus; ea videlicet ratione, ut prædictus Meinwercus Episcopus sibique Succedentes liberam habeant de eodem prædio ejusque pertinentiis potestatem, quidquid eis placuerit ad usum Ecclesiæ faciendi, omnium hominum regni nostri contradictione remota. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis et inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc imperiale præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici  *Romanorum invictissimi Jmperatoris Augusti.*

Guntherius.

Guntherius Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Data XVIIII Calend. Februarii. Indictione VI. anno Dominicæ incarnationis M.XXIII. Anno verò Domini Henrici secundi regnantis XXI. Imperii autem VIIII. actum Paderbrunnon feliciter Amen.

Aliæ donati ab eodem Hohunselani Prædij Tabulæ.

Altera Imperatoris donatio, eodem die consignata, est prædii Hohunseli in hanc formam.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si venerabilia Ecclesiarum Dei loca ditare ac sublimare studuerimus, nobis id animæque nostræ remedio ac parentum nostrorum, nec non regni nostri statui profuturum esse minimè dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium nostrorumq; universitas, qualiter nos inspicientes interventum dilectissimæ conjugis nostræ Cunigundæ Imperatricis Augustæ, assiduè monentis atque incessabiliter nobis in memoriam reducentis, quod Meginvvercus Paderbrunnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus plus cæteris fidelibus nostris in servitue nostra jugi devotione sudavit, eidem Paderbrunnensi Ecclesiæ in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Kiliani martyris, nec non preciosi Confessoris Liborii dedicatæ, cui idem dilectus nobis Antistes praeesse videtur, quoddam nostrum prædium Hohunseli dictum, situm in pago Westfalon, in Comitatu verò Bernhardi Comitis, cum omnibus ejusdem prædii pertinentiis, terris videlicet cultis et incultis, curtificiis, ædificiis, mancipiis utriusq; sexus, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, cæterisque omnibus, quæ quomodocunque dici, sive scribi, aut nominari possunt, utilitatibus ad ipsum prædium pertinentibus, per hanc nostram imperialem paginam concedimus atque largimur, et de nostro jure et dominio in ejus jus et dominium omnino transfundimus; Ea videlicet ratione, ut prædictus Meinvvercus Episcopus sibique posthinc Succedentes liberam habeant potestatem de eodem prædio, ejusque pertinentiis, quidquid eis placuerit, ad usum Ecclesiæ faciendi, omnium hominum regni nostri contradictione remota. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis et inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc imperiale præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Henrici  *Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.*

Guntherius Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Data XVIIII. Calend. Februarii. Indictione VI. anno Dominicæ incarnationis M XXIII. anno verò Domni Henrici secundi regnantis XXI. imperii autem ejus VIIII. actum Paderbrunnon feliciter Amen.

Harding-husanum prædium

Accessit ex eodem liberalitatis sinu tertia donatio Confungensi Monasterio Sanctimonialium facta Paderbornæ, eodem die obsignata in hæc diplomatis verba.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si venerabilia Ecclesiarum Dei loca ditare ac sublimare studuerimus, nobis id regnique nostri statui profuturum esse minimè dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium, nostrorumque universitas, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, dilectissimæque Cunigundæ videlicet Imperatricis augustæ, atque parentum nostrorum, nec non pro animabus fidelium nostrorum, quorum ibi corpora requiescunt, Erphonis scilicet Comitis atque Cononis, monasterio nostro Consunga nominato, in honorem Domini Salvatoris, sanctæque ejus genitricis, nec non victoriosissimæ crucis, atque beati Petri Apostolorum principis constructo, ad usum Sanctimonialium ibidem Deo servientium, quoddam nostri juris prædium Hardinghuson dictum, situm in pago - - - - - - - - - in Comitatu verò - - - - - - Comitis cum omnibus ejusdem prædii pertinentiis, terris videlicet cultis et incultis, curtificiis, areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis vel inquirendis, cæterisque omnibus, quæ quomodocunque dici sive scribi possunt, utilitatibus ad ipsum prædium pertinentibus, per hanc nostram imperialem paginam concedimus atque largimur, et de nostro jure ac dominio in ejus jus et dominium transfundimus; Ea videlicet ratione, ut - - - - - - - - - Ecclesiæ venerabilis Abbatissa Ota, sibique post hinc Succedentes liberam habeant de eadem proprietate, ejusque pertinentiis, quidquid eis placuerit ad - - - - - - - - - potestatem, omnium hominum regni nostri contradictione remota. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis et inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc imperiale præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

à S. Henrico donatum Consungensi Parthenoni.

Signum Domni Henrici  *Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.*

Guntherus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Datum XVIIII, Calend. Februarii. indictione VI. anno Dominicæ incarnat. M.XXIII. anno verò Domni Heinrici secundi regnantis XXI. imperii autem ejus VIIII, Actum Paderbronnon feliciter Amen.

Nobile hoc Collegium Sanctimonialium Virginum, supra etiam à nobis aliquoties memoratum (quod à Dithmaro Capunga, & ab aliis etiam Gauffunga scribitur) à Cunigunda Augusta delectum; in quod post obitum Henrici Conjugis secessit, Deo vitam reliquam consecrando: & in quo hanc ipsam Otam seu Ulam sororis filiam habuit Abbatissam; à qua cùm disciplinam solvi intelligeret, atque ipsa frequentius in convivijs quàm choro deprehenderetur, Cunigundis aliquando Otæ alapam impressit, cujus plagæ vestigia, dum vixit, inhæsêre. Et quantum ex Auctore vitæ Meinwerci & his tabulis agnoscas, ejus inspectio Meinwerco commissa, & ju-

Dithmar. Auctor vitæ Meinvv. num. 86. Trithemius.

Neglectam Cosfungæ disciplinam Cunigunda alapâ Abbatissæ inflictâ vindicat.

& jurisdictio Episcopis Paderbornensibus asserta fuit, quod à Browero observatum; modò præter insignis ædificij rudera nihil hæresis propè reliquit. Adeo etiam tam sanctæ Imperatricis domicilium ac Virginis memoriam cum avita majorum religione abolere furor fuit. Et quanto satius ex hoc diplomate Imperatorio discerent novatores nostri priscam majorum pietatem curamque pro defunctis parentibus & fundatoribus sanctorum locorum.

S. Henricus confirmat privilegia & bona Abdinckhoftensia.

At non prius post hæc etiam Paderborna discessit Imperator Henricus, quàm illustriori diplomate ipsum Abdinghovianum Monasterium D. Benedicti, in quo tantopere laborabat Meinvvercus, imperatoria auctoritate & privilegiis confirmaret, quod hæ literæ testantur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam divinæ dignationis clementia ad regendum totius reipublicæ statum nos provexit, suæ immensæ pietatis magnificentia ante omnia ad hoc laborare debemus, ut qui corona terreni imperii gloriamur, illa inæstimabilis gaudii gloria non privemur. Quod certissimè posse fieri creditur, si loca Ecclesiasticis obsequiis à Christianis viris deputata, nostra auctoritate confirmentur et corroborentur, ut omni exteriori inquietudine remota, divinis laudibus in eis mancipati, in pace et quiete Domino servire delectentur, et qui curis et negotiis secularibus gravamur, eorum, qui in lege ejus die ac nocte meditantur, precibus à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Quapropter omnium fidelium Christi nostrorumque noverit universitas, qualiter dilectus nobis venerabilis Meginvvercus Paderbrunnensis Ecclesiæ Antistes celsitudinem nostram adiit suppliciter exorans, ut monasterium in Occidentali parte Paderbronnensis Suburbii ab eo in honore sanctæ Dei genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum fundatum, nostra imperiali auctoritate confirmaretur, quatenus fratres ipsius monasterii in divino servitio jugiter permansuri, ab omni seculari violentia et molestia remoti et moniti tanto expeditius viam mandatorum Dei currerent, quanto eis terrenæ incommoditatis impedimenta nulla obstarent. Cujus laudabilis studii intentione congaudentes, et per interventum dilectissimæ Conjugis nostræ videlicet Imperatricis augustæ, aliorumque fidelium nostrorum justis petitionibus gratuitè assentientes, imperiali auctoritate decrevimus, ut omnia à nobis, vel ab ipso venerabili Episcopo de sua hæreditate, vel aliunde per commutationem, aut precariam, vel ab aliis Dei cultoribus eidem monasterio collata, videlicet in territoriis, villis, areis, curtibus, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, pratis, campis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et reditibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, cum omni utilitate et integritate, quæ ullo modo ex eis provenire poterit, ipsius monasterii abbas cum suis fratribus proprietario jure potestativè habeat atque possideat, et cum Episcopi licentia,

quidquid

quidquid illi placuerit, ad communem usum Ecclesiæ faciat. Insuper etiam firmum et stabile perpetuo jure sancimus, ut nullus Dux aut Comes, aut aliqua persona parva vel magna quomodolibet abbatem ipsius monasterii cum suis fratribus super eisdem bonis inquietare, molestare aut divestire, aut aliqua judiciaria potestate se intromittere præsumat, nisi advocatus Ecclesiæ ab abbate et fratribus in defensorem electus, et ab Episcopo constitutus, eo videlicet tenore et jure contentus Ecclesiæ cum præcepto et consilio Abbatis omnia faciat atque disponat. Si quis autem hoc nostræ imperialis confirmationis edictum aliqua præsumptione infringere tentaverit, centum librarum examinati auri ad nostrum pondus compositione multetur, ut quinquaginta nostræ Cameræ persolvat, quinquaginta eidem Ecclesiæ, quam ausu temerario inquietare præsumpsit. Et ut hæc confirmatio verius credatur, stabilisque et inconvulsa omni tempore habeatur, hanc imperialis edicti paginam inde conscribi, et manu propria confirmantes sigillo nostro insigniri jussimus.

Actum Paderbrunnon. datum XVIIII *Calend. Februarii, Indict.* VI *anno Dominicæ Incarnationis* MXXIII.

Inter hæc Nonis Januarij Meinwercus Episcopus præsente Imperatore Cryptam Monasterij Abdinghoviani solemni ritu consecravit, in quo sepulchri locum sibi delegit, primúmque, antequam in chorum transferretur, annos multos conditus quievit. Altari Cryptæ, quod honori S. Stephani consecravit, *lapidem quendam*, ut inquit auctor, *spectabilis magnitudinis à B. Leone Papa consecratum, et de Ecclesia Thietmelle sive Detmoldiæ allatum imposuit, cui reliquias D. Stephani, aliorumque Sanctorum inclusit*, præclaro simul antiquitatis monumento; quo satis constat Leonem Pontificem, dum Paderbornæ Carolum M. conveniret, multas eo anno Ecclesias & altaria per Saxoniam consecrasse. Qua antiquitatis memoria delectatus incensusq; D. Henricus Imperator iter Romanum ingressus in Italiam pervenit (utrumne Meinvvercum Comitem habuerit, non reperio annotatum) Ex itinere D. Romualdum Abbatem fama sanctitatis celebrem adijt, sciscitaturus ab eo belli eventum, quem à Sancto viro prosperum fore didicit. Inde salutato Romæ Pontifice, ad exercitum perrexit. Poppo & Piligrinus Archiepiscopi, ut jussi erant, moverant adversus Athenulphum Cassinatem Abbatem & fratrem ejus Pandulphum, qui læsæ majestatis rei comperti erant ob conspirationem cum Græcis, & diram mortem Datto clarissimo Duci illatam; quippe quem culeo insutum projecerant in mare. Athenulphus Abbas cum desperatam causam suam agnosceret, conscensa navi, qua Constantinopolim profugere voluit, submersus; Pandulphus captus damnatusque capitis; cui tamen, deprecante Piligrino Archiepiscopo, vita condonata. Cæsar per Beneventi fines progressus, omnes urbes, quas Græci Imperio detraxerant, aut deletas, aut expugnatas recepit. Restabat Troja recens,

Auctor vitæ Meinwerci. num. 80.

S. Henricus Italiam petit, & Græcos expugnat.

cens, à Græcis operibus & firmo præsidio munita, quam tanquam alteram Trojam non nisi decenni obsidione expugnandam se objecisse jactabant: ausi etiam dicere brevi Henricum Imperatorem Constantinopoli ad pedes sui Imperatoris trahendum; verùm ubi Henricus Imperator machinas bellicas & vim Germanæ militiæ admovere cœpit, extremamque internecionem omnis ætatis & sexus minitari, tum verò Græci timere Trojæ suæ excidium, atque ad Cæsaris iram placandam emittere ex urbe pueros puellasque atque omnem innocentem ætatem, supplicum ritu ac duce anachoreta; quorum miserabili aspectu fletuque Imperator illacrymari visus est. Facta igitur urbis deditione post quartum obsidionis mensem, vita Græcis donata, & Apulia subacta. Inde Cæsar Cassinum revisit, salutatoque Romæ Pontifice in Germaniam maturata profectione VI Calendas Julij redijt, quod Cœli Jtalici inclementia & fœda lue exercitus prope absumptus, & in eam raritatem adactus esset, ut ex Germania centurias obviam mittere necesse fuerit, quibus honorificè reduceretur.

Synodus Selingstadiana. *Burchardus in Appendice Decretorum. Auctor vita Meinvv. Tomi Conciliorum Colon. & Parisiens. Baronius.*

Per id anni tempus Aribo Moguntinus Archiepiscopus Selingstadij in Diœcesi sua synodum indixit; ad quam convenêre Burchardus Wormatiensis, Werenharius Argentinus, Bruno Augustanus, Eberhardus Bambergensis, Meginhardus Wirceburgensis Episcopi, nullo interim ex Saxonicis Episcopis præsente. Ejus acta Burchardus ipse, vir eo sæculo eruditione & sanctitate clarus, complexus in appendice Decretorum. Tractatum multis de Ecclesiastica disciplina in concordem formam redigenda, quæ Patres in viginti Canonum leges digessêre: quanquam non omnes receptæ, cumprimis quæ de jejunio XL dierum ante Natalitia Christi, & S. Joannis Baptistæ festum sancita sunt; uti & hæc Micrologus ejus sæculi scriptor eruditè disceptat.

Sigebertus Glaber. S. Henricus cum Roberto Francorum Rege congreditur.

Exinde Cæsar se ad Colloquium cum Roberto Francorum Rege contulit: congressi super Carum amnem ad Jvodium vicum, seu ut Glaber ad Mosam, pacis & concordiæ firmandæ causa. Ibi cum aulæ utriusq; proceres pro ambitione certamen facerent, dicerentq; in medio fluminis congressum faciendum, ne si alter Principum in alteram ripam prius ad alterum transiret, jactura honoris fieret, Henricus Jmperator occupato transitu diluculo cum Cunigunda Imperatrice in complexum Roberti venit. Tum, ut ambo religiosissimi erant Principes, audito Sacrificio Missæ, de statu Regni & Ecclesiæ pertractârunt. Quibus amicè peractis, certatum est muneribus primo die ab Rege, altero ab Jmperatore, postquam Rex transito vicissim flumine Jmperatorem adijt. Sanè *Imperator*, ut Sigebertus est auctor, *et Reginam, et aulæ proceres, qui ad demirandam Imperatoriam majestatem convenerant, tanta liberalitate donavit, ut opibus regum Persarum atque Arabum posset comparari Imperatoris munificentia.* Omnium pulcher-

pulcherrimum hujus congressus opus, quo inter utrumque Principem convenit ad Benedictum Pontificem proficisci, & quæ sapienter constituta erant, ejus arbitrio submittere; verùm id consilium & mors Pontificis, atque ipsius Cæsaris, quæ proximo anno consecuta est, intercepit.

Interim hoc anno ex Saxonicis Episcopis 17 Calend. Maji morte subtractus Diethmarus XIV Osnabrugensis Episcopus (quem auctor noster inter eminentissimos horum temporum Episcopos, haud secus quàm Dithmarus percenset) *vir integerrimæ vitæ, dulcis in alloquio, efficax in factis, qui pari semper studio disciplinam cleri et Ecclesiæ suæ augmentum complexus: assiduus in precibus et lectione sacrorum librorum, postremis vitæ annis, quibus oculorum omnem usum amiserat, non nisi cœlestium meditatione Deo conjunctissimus*: Ejus monumentum pietatis est celebre Collegium Canonicorum in urbe Osnabrugensi, quod D. Joanni consecravit.

Dietmari Osnabrugensis Præsulis integerrimi obitus. *Auctor vitæ Meinvv. Dithmarus. Ertmannus in chron. Osnabrugensi.*

Annus Christi 1024.

Joannis XX Pont. 1.
Henrici II Reg 23. Imper. 11.
Conradi II. Regis 1.
Meinwerci Ep. Pad. 16.

At longè majore luctu Imperij annus insequens Christi, nimirum MXXIV, Henricum Imperatorem sustulit. Hic postquam omnia per Imperium composuisset, incessit eum cupido invisendi Hungariam, ac cum Stephano sanctissimo Rege haud secus quàm cum Roberto Galliarum Rege fecerat, tractandi de Ecclesiæ, & Imperij tranquillitate. Sub exitum anni *Bambergam* concessit; quo in loco *Natalem Domini peregit*, ut auctor in Hodeporico Cæsaris scripsit: fallique cognoscas, qui Paderbornæ hoc anno Natalitia Christi celebrasse perhibent. Pergit idem scriptor: *Cæsar diversis doloribus vexatus, eodem loco diuturnas moras pertraxit, resumptisque demum viribus, citato cursu Parthenopolim ire proposuit. Tandem post longam deliberationem laboriosi itineris, diem Palmarum in loco, qui dicitur Alstide festivè celebravit: die verò reconciliationis exigente infirmitatis gravedine, remota à se, quæ convenerat, multitudine, paucis comitantibus Merseburgi cœnam Domini peregit. In sancto verò Sabbato, contracto totius senatus conventu, comitante Imperatrice Cunigunde Parthenopolim venit, ubi cum grandi honore susceptus est, Dominicæ quoque Resurrectionis gaudia celebri honore transegit. Deinde ab Antistite ejusdem loci Hunfrido videlicet, qui Geroni jam successerat, sericis ornamentis auro intextis donatus, Halberstadium adiit. Inde nihilominus Goslariam profectus est, ubi diebus decem peractis ad locum quandam Grona dictum properat, ibique gravi ægritudine depressus vitalem spiritum emisit.* Ita paucis scriptor exitum vitæ complexus

S. Henricus Gronæ moritur.

Chron. Sax. vetus. Brovverus in notis ad vitam Meinvv.

Auctor vitæ Meinvv. Vita Henrici apud Gretzerum & Surium. Wippo presbyt. Sigebertus.

plexus est; locumque mortis, pari brevitate auctor noster: Henricus Jmperator *pro laboribus hujus vitæ cœlesti bravio donandus, Gronæ decumbens* cum incredibili totius Christianitatis mœrore, anno vitæ suæ LII. Regni XXVI, imperij XI, Dominicæ Jncarnationis CIↃXXIV est defunctus; dies mortis 14 dies Julij consignatus. Urgente periculo mortis, ut Sigebertus est auctor, quod ex Cunigunda nullam prolem tulerat, consultus à proceribus, qui aderant, de Successore, Conradum Franconiæ Ducem, virum illustrem natalium splendore atque armis præstantem nominavit: præclaro ad posteros documento, quòd huic viro, quem, dum viveret, præ ceteris sibi adversarium habuerat, ante omnes Jmperij coronam deferri voluerit. Dein cùm supremam sibi diem adesse videret, convocatis Cunigundæ Consanguineis, recipite, inquit, quam mihi Conjugem dedistis, intactam à me Virginem. Quo prætereà pietatis sensu per extrema monentium subsidia, aut quibus Episcopis aut Sacerdotibus præsentibus excesserit, Scriptores non tradidêre: morte certò occupatus apparet, antequam Meinwercus ex vicinia accederet. Nam, ut auctor noster refert, audito ejus obitu per totam civitatem Paderbornensem omnemque Episcopatum sacrificia & preces indixit, multisque pecuniæ & vestium largitionibus in egenos effusis, animam Deo commendatam voluit. Gronam certè, quæ apud nos est, ad Visurgis citeriorem ripam & diœcesis fines, exitu etiam vitæ multò celebriorem fecit; qui locus sæpe ob amœnitatem, situmque ab Henrico Rege, ut diximus, frequentatus, illustrior etiam olim arce & oppido & majorum possessionibus, in quo & Henricus Dux Saxoniæ se aliquando inclusit, à Conrado Rege impetitus. Et modò Paderbornam visus Imperator properare, ut apud Meinwercum familiarissimum suum hospitem extrema ageret; sed morte præventus, inter Saxones tamen mortuus in natali majorum solo, quos inter maximam & dulcissimam vitæ partem habuit. Funus cum summo omnium luctu Gronâ Bambergam traductum conditumque, ut vivus jusserat, in Basilica Principis Apostolorum. Post obitum etiam miraculis clarior, ab Eugenio Pontifice in Cœlitum numerum est relatus, unus inter tot Germaniæ Jmperatores. Perhibent quidem nonnulli, cùm anima Henrici ad judicium Dei perlata periclitaretur de salute, D. Laurentium in lance appendisse calicem: verùm hæc alij inter fabulas reponere malunt; haud secus quàm & virginitatem Cunigundæ ignitis carbonibus probatam (quod alij Paderbornæ, alij Bambergæ accidisse volunt) cùm & Auctor noster, & Dithmarus, & æquales eorum temporum Scriptores hac super re sileant, & serò tandem post centum & triginta annos à Nonnosio Monacho hæc scripta deprehendantur. Verius cognomento Claudus est dictus, quòd in venatione à fera sauciatus nervum pedis contractum gesserit. Sed quoquo tandem

Successorem designat Conradum Franconum Ducem.

Otto Frising. in Conrado.

Virginitatem matrimonio raro exemplo sociat.

Vita Henrici. Wippo presbyt.

Vetus liber Cassinensium annal.

Nonnosius Vita Cunig.

hæc

hæc alij referant, certiora prorsus sunt, innumeris Scriptorum & tabularum monumentis probata, quæ de Imperatoris hujus præclaris virtutibus, ac singulari ejus in Ecclesiam, quam heredem scripserat, liberalitate accepimus. Quæ sanè cum in omnes per Germaniam Episcopatus, & Collegia, cœnobiaque se quàm latissime effudit, quod innumeræ donationum tabulæ commonstrant; tum de nulla Ecclesia magis meritus quam Bambergensi, Merseburgensi, & Paderbornensi. Bambergensem Episcopatum regia prorsus munificentia condidit; Merseburgensem & Paderbornensem ita in integrum restituit, ut alter utriusque conditor sit habitus. Quam in rem Paderbornenses Carolum M. & Henricum Imperatorem fundatores & Patronos suæ Ecclesiæ grata in hunc diem memoria cultuque venerantur.

Fuldensis Ecclesia vet. Membran.

S. Henrici in Ecclesias beneficentia.

Cunigunda Imperatrix, cujus benevolentia & precibus apud Imperatorem Meinvvercus pleraque bona impetravit, ab excessu Conjugis Confungam ad Sanctimonialium Virginum Collegium, haud procul Cassellis ad Fuldam amnem florens, secessit, in eoque, quod reliquum habuit vitæ, Deo consecravit. Altero etiam à morte Imperatoris anno, eodemque die, quo Imperator obierat, evocatis Archiepiscopis & Episcopis ad dedicationem Confungensis Ecclesiæ, sacro ritu purpura se ornamentisque augustalibus exuit; indutaque tunica & veste religiosa, quam laxiorem ipsa sibi pararat, ad altare processit; novaque Christo sponsa futura, inter Missarum solemnia, resectis etiam crinibus, sacro ritu ab Episcopis velata est, cooptataque in cœtum Virginum. Per quindecim deinde annos superstes, sanctissimam inter Virgines exegit vitam; ac tertio demum Martij die jejunijs, assiduis precibus, vigilijs, ac religiosæ vitæ exercitijs confecta, virgineam Cœlo animam transmisit, Sanctimonialis etiam quàm Imperatrix omni virtutum ornatu illustrior. Corpus, ut viva petierat, Bambergam celebri procerum ac populi comitatu transportatum, conditumque propè Henricum Imperatorem. Junctis sepulchris exinde Virgines Conjuges raro Principum exemplo posteritas coluit. Nec leve Meinwerci Episcopi solatium, vidisse Imperatricem Confungæ in Collegio Virginum suæ diœcesis tot annis secum superstitem, quam pro meritis & tot regijs donationibus Sanctimonialem non minus quàm Imperatricem omni obsequio & veneratione prosecutus est. Perstitit celebre illud Collegium Virginum Confungense seu Kauffungense, quod ad Ludovici Pij Imperatoris tempora originem suam refert, ad annum M. D. XXXI, quo à Philippo Landgravio Hassiæ abolitum, & Paderbornensis Episcopi jurisdictioni subtractum est. Et quando tandem reditura sæcula? ut Hassia Saxoniaq; illa sanctorum Principum exempla videat, quorum ne ipsa quidem monumenta ex avitæ pietatis aspectu, eversis tot collegijs Virginum amplius ferre potest.

S. Cunigundis Confungensium Sanctimonialium albo ascribitur.

Auctor vitæ Cunig. qui Nomosius creditur apud Gretserum & Surium 3. Martii.

Bambergæ propè S. Henricum sepelitur.

Haud

Haud leviter conturbatus est Meinwercus Episcopus morte Henrici Imperatoris, veritus cumprimis, ne quæ tanta Imperatoris atque Imperatricis gratia ac liberalitate acquisita erant Ecclesiæ suæ, ea recrudescente malevolorum invidia amitteret; quod magnas ministrorum animorumque commutationes tanquam per aulæ scenas videas consequi, & difficile sit gratiam in Successore retinere, quam in alio obtinueras. Sed Meinwercus, qua erat claritudine generis inter Optimates, auctoritate inter Episcopos, qua deinde ingenij amœnitate candoreque apud omnes, ita statim penetravit in animum Successoris, ut amissum Henricum in Conrado prope eundem expertus sit. Et commodum fuit Meinwerco, beneficio ac merito posse occupare animum novi Regis. Nam postquam Imperatoris mors vulgata, primi, qui ad novi Regis electionem convenêre, fuêre Saxones. Ij sibi congressum indixerant *in Castello quodam, quod Werla dicitur*, inquit auctor noster, in quo de novi Regis electione & publicis Regni negotijs pertractârunt. Locus & vetustate Imperialis Oppidi, & planitie fertilium agrorum, situque & frequentia Comitiorum Saxonicorum in Westfalia celebris, interque Ruram & Luppiam amnes, & Susatum ac Tremoniam urbes; Ubi Saxones quoque Ottonem III Regem, & Henricum elegerant. Igitur inter Episcopos & proceres Saxoniæ, qui Werlas convenêre, Meinwercus inter primos adfuit; & quia ab Henrico Imperatore, priusquam abiret è vita, Conradum sibi in Imperio Successorem nominatum sciebat, partes Conradi in conventu Werlensi (quo beneficio sibi animum Conradi demeruit) constanter egit.

Werlensibus Comitijs interest Meinwercus, & Conrado studet.

Auctor vitæ Meinvv. n. 91.

In hoc quoque Optimatum congressu Meinwercus causam Ecclesiæ suæ egit; nam quæ controversia intercesserat inter ipsum & Thietmarum Bernardi Saxoniæ Ducis fratrem de Abbatia Helmwardeshusana, ceterisque privatis offensionibus, ea omnia intervenientibus Sigefrido avunculo ejus, Hermanno de Westfalon, Bennone, Amelungo Comitibus, alijsque præsentibus composita sunt: reconciliatique ex integro Meinwercus & Thietmarus, bonam amicitiam coluerunt. Multum ab hoc Thietmaro vexatus Meinwercus Episcopus, haud secus quàm à Bernardo Duce ac fratre ejus ceteri per Saxoniam Episcopi. Nam, ut auctor est Dithmarus Merseburgensis Episcopus, *Meinvvercus Præsul à Thietmaro nepote meo, Bernardi Ducis fratre, dispoliatus est.* Quas injurias exactius retulit Auctor vitæ Meinvverci in autographo.

Transigit cum Thietmaro Duce, sibi ceterisque Ecclesijs infesto.

Thietmarus, inquiens, Senior frater Bernhardi Ducis Saxoniæ vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantum viciis plenus, quantum rebus, superbia tumidus, in acquirendis rebus avaritiæ facibus accensus. Denique contra jus et fas ubique fidelium res invadens et diripiens, inter cetera tyrannidis suæ opera quodam tempore iter suum ad Monasterium Herivordiæ direxit,

rexit, faciensque ibi magnam inunitatem, Sanctorum ibidem requiescentium, et suæ sororis Abbatissæ nomine Godestæ, et congregationis sanctæ Mariæ thesaurum confregit, et inde plus justo pecuniæ detraxit. Postea ad synodum secundum Canonicam constitutionem ab Episcopo Meinwerco vocatus ad corrigendum commissa est ammonitus. Quo salubriter compuncto et utiliter correcto, constitutum est, eum Episcopo dare xxx tal. denariorum. Illo autem pecuniæ pondus tantum non habente, omne prædium quod habuit in Brunincthorpe *cum omnibus appendiciis, cum consensu et voluntate sui heredis Bernhardi Ducis atque fratris sui, ad dominium Patherb. Ecclesiæ pro reconciliatione illius pecuniæ in proprium dedit. Hanc traditionem Episcopus banni sui munimine firmavit, Udone, Herimanno, Bernhardo, Lindero Comitibus, et aliis multis assistentibus.*

Transactum præterea in hoc conventu Werlensi cum Adela Domina Godezonis Comitis conjuge super bonis Hammonstedianis, arbitris hujus causæ Sigefrido, Udone & Bennone Comitibus; itaque res composita, ut Adela quatuor prædia cum LXXX familijs, dum viveret, retineret, quæ tamen morte ejus cederent Paderbornensi Ecclesiæ; ea vicissim conditione, qua Collegij Cathedralis Canonici anniversaria mortis die solennem Adelæ memoriam psalmis, Missæ sacrificijs, & largitionibus in egenos persolverent. Ac satis ex his etiam liquet Adelam hanc diversam esse à Meinwerci matre; qua super re quidam dubium nobis fecit in scriptis, tanquam ad hunc diem vitam prorogasset. Et cum Adela super bonis Hammonstedianis.

A conventu interim Werlensi per octo hebdomadas solium Regni vacuum. Ac magna per Germaniam Principes sollicitudo incessit, quem Henrico Imperatori subrogarent. Cùm Aribo Moguntinus Archiepiscopus per initium Septembris publica Imperij comitia ad Rhenum, loco inter Moguntiam & Wormatiam, quem Herimannus contractus Cambam vocat, indixit. Convenêruntque Archiepiscopi Piligrinus Coloniensis, Poppo Trevirensis, Guntherus Salisburgensis: Episcopi Theodericus Metensis, Werinharus Argentoratensis, Marcellinus Herbipolensis, Eberhardus Bambergensis, Heimo Constantiensis, Bruno Augustensis, Gebehardus Ratisbonensis, Albertus Frisingensis. Aderant & Saxonici Episcopi, quos Wippo presbyter se præterire dicit, quòd eorum cum alijs encomia sibi incognita essent. Penes illos, ut idem auctor scribit, prima Jmperij cura & potestas eligendi Regem; pro veteri Francorum more, erat. Accessit reliquis Principibus Benno seu Bernardus Dux Saxoniæ, Adelbero Dux Histriæ, Hezilo Dux Bojariæ, Ernestus Dux Alemanniæ, Fridericus Dux Lotharingiæ, Gozelo Dux Ripuariorum, Cuno Wormatiensis Dux Francorum, Udalricus Dux Bohemiæ, alijque Jmperij proceres. Adeo tum nondum certus Electorum numerus, quem institutioni Ottonis III tribuere volunt, receptus erat. Hi postquam ad Chambam convenêre, Comitia ab Archiepiscopo Moguntino indicta pro eligendo novo Rege.

nêre, Saxones, Boji, Francones, Norici, Alemanni, citeriorem Rheni ripam castris prætexuerunt; ulteriorem Mosellam Lotharingi ac Transrhenani flos Imperij. De multis delecti primum pauci: ex paucis demum duo Conradi patrueles, alter natu major, patre Henrico Duce Wormatiensi, & matre Adelhaide: alter natu minor Conrado Duce Carentinorum progenitus. Pro minore faciebant Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus, & Lotharingi; at majorem prætulit Aribo Moguntinus Archiepiscopus, cujus judicium traxit ceteros. Ac suffragijs ita pendentibus, quod licet Conradum Wormatiensem ob virtutes imperatorias præferrent, alterius tamen formidarent potentiam; impetratum tamen ab utroque, ut spes suas Principum arbitrio permitterent: raro sanè concordiæ ac modestiæ exemplo, quando alter alteri ultro etiam suffragium & honores deferre visus est. Ita omnium demum consensu delectus Conradus major cognomento Salicus; cujus originem Brunnerus & Miræus trahunt ex Ludolpho Ottonis M. filio; alij verisimilius à Conrado Sapiente Werneri filio, Ottonis M. genero, qui prælio adversus Ungaros anno 955 occubuit; quemadmodum id tradit Otto Frisingensis, auctorque vitæ Burchardi Wormatiensis Episcopi. Haud aliter Wippo presbyter Ottonem Conradi avum memorat inter Franconiæ Duces clarissimum; eoq; ceteri passim scriptores Conradum nominant Francum, Ostrofrancum, Wormatiensem, ac Salicum. Quanquam magna lis inter scriptores, unde cognomento Salicus sit appellatus; mihi opinari fas est, quando per id tempus duo Franconiæ Duces eodem Conradi, ut diximus, nomine, & magna gentis nostræ Reipublicæque gloriâ fuêre, huic Salici nomen adhæsisse, quòd per Thuringiam ad Salam gesserit ducatum, ubi celebris illa Imperatorum ac Regum Salica, quam Saltz dixêre. Igitur extincto Henrico Imperatore, postquam Regnum Germaniæ Imperiumque steterat supra centum annos, incredibili Ecclesiæ bono, in Widikindæa ac Saxonica familia, transijt ad Francicam, cujus initia in Conrado & Henrico III filio læta & prospera, in ceteris nepotibus turbida & funesta.

Conveniunt Electores in designando Conrado Majore. Salicus is unde dictus?

Jam verò postquam magna omnium concordia delectus est Conradus major, accessit & Cunigunda Imperatrix, protulitque augustalia insignia, quæ Henricus Imperator apud eam servanda deposuerat; Conradumque Aribo Moguntinus Archiepiscopus VI Idus Septembris, ipso natali Virginis die, solemni ritu Moguntiæ inunxit Regem. In hac ipsa celebritate inaugurationis, Conradus egregio diplomate confirmavit omnia jura & privilegia Werthinensi ad Ruram Monasterio, quod honori & venerationi D. Ludgeri datum.

Werthinensia jura confirmat Conradus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Conradus divina favente clementia Rex. Omnium Christi nostrorumque fidelium universitatem scire jubemus, quod fidelis noster Heithanricus Abbas monasterii, quod vocatur Werdina,

Werdina, insinuavit Celsitudini nostræ, qualiter ipsum Monachorum Cœnobium, sibi commissum, à beatæ memoriæ Liudgero Episcopo in propria ejus hæreditate fuerit constructum, Monachisque contraditum, ac gloriosissimorum Regum Luthevvici, filii magni Regis Karoli, ac successorum ejus, videlicet Heinrici, trium Ottonum, nec non Heinrici secundi Imperatoris invictissimi, pro æterna ipsorum, omnisque generis eorum memoriæ defensione ac tuitione hactenus fuerit conservatum. Quamobrem nostram imploravit clementiam, ut idem monasterium sub nostra tuitione suscipientes, omnes concessiones ab antecessoribus nostris sibi collatas nostræ præcepto auctoritatis firmaremus. Cujus rationabili ac justæ petitioni assensum præbentes decernimus atque jubemus, ut inprimis idem monasterium cum omnibus ad se pertinentibus plenissimæ immunitatis securitate perfruantur, neque publicis exactionibus eidem monasterio subjacentes Liberi vel Servi, sive à qualibet culpa rei, ab ulla potestate judiciaria constringantur, sed advocatus eorum, si quid inquirendum est aut corrigendum, inquirat ac corrigat. Præterea quod aliis quoque monachorum cœnobiis concessum est, ut ubicunque dominicatos mansus habuerint, in quocunque sint Episcopio seu præfectura, vel in omni regno à Deo nobis collato, decimas dent ad portam monasterii, nec ab ullo penitus alibi dare cogantur, sed ab eisdem pro nostra beatitudine perpetua supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur. Insuper et eidem fratrum Collegio ad eligendum Abbatem inter se regularis electionis potestatem concedimus; Abbas illius monasterii ad castra et in hostem ire non cogatur. Insuper fratres monasterii hominesque ipsorum ab omni vectigalium ac telonii inquisitione securi consistant. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hæreditas sancti Liudgeri ac propinquorum ejus, et Elemosinæ religiosorum hominum, ideo liceat Abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè possidere, quatenus eum cum fratribus Deo inibi famulantibus melius delectet pro nostra ac totius Ecclesiæ salute divinam jugiter implorare potentiam. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis permaneat eam manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Cunradi  *Regis invictissimi.*

Vthelricus Cancellarius ad vicem Aribonis Archicappellani recognovit. Data IIII Idus Septembris, MXXIIII. Indictione VII, anno verò Domni Cunradi secundi regnantis primo. actum Moguntiæ feliciter Amen.

Moguntia ingenti procerum comitatu Aquisgranum deductus Conradus, collocatusque in solio Caroli M. læta omnium acclamatione; ubi & Giselam Conradi conjugem, D. Henrici neptem, Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus, uti id ipse expetierat, II Calend. Octobris regia corona decoravit. Priscæ familiæ, & regij sanguinis Gisela. Testes hi versus à Wippone & Ottone Frisingensi producti. Giselæ Reginæ coronatio.

nêre, Saxones, Boji, Francones, Norici, Alemanni, citeriorem Rheni ripam castris prætexuerunt; ulteriorem Mosellam Lotharingi ac Transrhenani flos Imperij. De multis delecti primum pauci: ex paucis demum duo Conradi patrueles, alter natu major, patre Henrico Duce Wormatiensi, & matre Adelhaide: alter natu minor Conrado Duce Carentinorum progenitus. Pro minore faciebant Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus, & Lotharingi; at majorem prætulit Aribo Moguntinus Archiepiscopus, cujus judicium traxit ceteros. Ac suffragijs ita pendentibus, quod licet Conradum Wormatiensem ob virtutes imperatorias præferrent, alterius tamen formidarent potentiam; impetratum tamen ab utroque, ut spes suas Principum arbitrio permitterent: raro sanè concordiæ ac modestiæ exemplo, quando alter alteri ultro etiam suffragium & honores deferre visus est. Ita omnium demum consensu delectus Conradus major cognomento Salicus; cujus originem Brunnerus & Miræus trahunt ex Ludolpho Ottonis M. filio; alij verisimilius à Conrado Sapiente Werneri filio, Ottonis M. genero, qui prælio adversus Ungaros anno 955 occubuit; quemadmodum id tradit Otto Frisingensis, auctorque vitæ Burchardi Wormatiensis Episcopi. Haud aliter Wippo presbyter Ottonem Conradi avum memorat inter Franconiæ Duces clarissimum; eoq; ceteri passim scriptores Conradum nominant Francum, Ostrofrancum, Wormatiensem, ac Salicum. Quanquam magna lis inter scriptores, unde cognomento Salicus sit appellatus; mihi opinari fas est, quando per id tempus duo Franconiæ Duces eodem Conradi, ut diximus, nomine, & magna gentis nostræ Reipublicæque gloriâ fuêre, huic Salici nomen adhæsisse, quòd per Thuringiam ad Salam gesserit ducatum, ubi celebris illa Imperatorum ac Regum Salica, quam Saltz dixêre. Igitur extincto Henrico Imperatore, postquam Regnum Germaniæ Imperiumque steterat supra centum annos, incredibili Ecclesiæ bono, in Widikindæa ac Saxonica familia, transijt ad Francicam, cujus initia in Conrado & Henrico III filio læta & prospera, in ceteris nepotibus turbida & funesta.

Conveniunt Electores in designando Conrado Majore. Salicus is unde dictus?

Jam verò postquam magna omnium concordia delectus est Conradus major, accessit & Cunigunda Imperatrix, protulitque augustalia insignia, quæ Henricus Imperator apud eam servanda deposuerat; Conradumque Aribo Moguntinus Archiepiscopus VI Idus Septembris, ipso natali Virginis die, solemni ritu Moguntiæ inunxit Regem. In hac ipsa celebritate inaugurationis, Conradus egregio diplomate confirmavit omnia jura & privilegia Werthinensi ad Ruram Monasterio, quod honori & venerationi D. Ludgeri datum.

Werthinensia jura confirmat Conradus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Conradus divina favente clementia Rex. Omnium Christi nostrorumque fidelium universitatem scire jubemus, quod fidelis noster Heithanricus Abbas monasterii, quod vocatur

Werdina,

Werdina, insinuavit Celsitudini nostræ, qualiter ipsum Monachorum Cœnobium, sibi commissum, à beatæ memoriæ Liudgero Episcopo in propria ejus hæreditate fuerit constructum, Monachisque contraditum, ac gloriosissimorum Regum Luthevvici, filii magni Regis Karoli, ac successorum ejus, videlicet Heinrici, trium Ottonum, nec non Heinrici secundi Imperatoris invictissimi, pro æterna ipsorum, omnisque generis eorum memoriæ defensione ac tuitione hactenus fuerit conservatum. Quamobrem nostram imploravit clementiam, ut idem monasterium sub nostra tuitione suscipientes, omnes concessiones ab antecessoribus nostris sibi collatas nostræ præcepto auctoritatis firmaremus. Cujus rationabili ac justæ petitioni assensum præbentes decernimus atque jubemus, ut imprimis idem monasterium cum omnibus ad se pertinentibus plenissimæ immunitatis securitate perfruantur, neque publicis exactionibus eidem monasterio subjacentes Liberi vel Servi, sive à qualibet culpa rei, ab ulla potestate judiciaria constringantur, sed advocatus eorum, si quid inquirendum est aut corrigendum, inquirat ac corrigat. Præterea quod aliis quoque monachorum cœnobiis concessum est, ut ubicunque dominicatos mansus habuerint, in quocunque sint Episcopio seu præfectura, vel in omni regno à Deo nobis collato, decimas dent ad portam monasterii, nec ab ullo penitus alibi dare cogantur, sed ab eisdem pro nostra beatitudine perpetua supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur. Insuper et eidem fratrum Collegio ad eligendum Abbatem inter se regularis electionis potestatem concedimus; Abbas illius monasterii ad castra et in hostem ire non cogatur. Insuper fratres monasterii hominesque ipsorum ab omni vectigalium ac telonii inquisitione securi consistant. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hæreditas sancti Liudgeri ac propinquorum ejus, et Elemosinæ religiosorum hominum, ideo liceat Abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè possidere, quatenus eum cum fratribus Deo inibi famulantibus melius delectet pro nostra ac totius Ecclesiæ salute divinam jugiter implorare potentiam. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis permaneat eam manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Cunradi  *Regis invictissimi.*

Vthelricus Cancellarius ad vicem Aribonis Archicappellani recognovit. Data IIII Idus Septembris, MXXIIII. Indictione VII, anno verò Domni Cunradi secundi regnantis primo. actum Moguntiæ feliciter Amen.

Moguntia ingenti procerum comitatu Aquisgranum deductus Conradus, collocatusque in solio Caroli M. læta omnium acclamatione; ubi & Giselam Conradi conjugem, D. Henrici neptem, Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus, uti id ipse expetierat, II Calend. Octobris regia corona decoravit. Priscæ familiæ, & regij sanguinis Gisela. Testes hi versus à Wippone & Ottone Frisingensi producti. Giselæ Reginæ coronatio.

Haud leviter conturbatus est Meinwercus Episcopus morte Henrici Imperatoris, veritus cumprimis, ne quæ tanta Imperatoris atque Imperatricis gratia ac liberalitate acquisita erant Ecclesiæ suæ, ea recrudescente malevolorum invidia amitteret; quod magnas ministrorum animorumque commutationes tanquam per aulæ scenas videas consequi, & difficile sit gratiam in Successore retinere, quam in alio obtinueras. Sed Meinwercus, qua erat claritudine generis inter Optimates, auctoritate inter Episcopos, qua deinde ingenij amœnitate candoreque apud omnes, ita statim penetravit in animum Successoris, ut amissum Henricum in Conrado prope eundem expertus sit. Et commodum fuit Meinwerco, beneficio ac merito posse occupare animum novi Regis. Nam postquam Imperatoris mors vulgata, primi, qui ad novi Regis electionem convenêre, fuêre Saxones. Ij sibi congressum indixerant *in Castello quodam, quod Werla dicitur*, inquit auctor noster, in quo de novi Regis electione & publicis Regni negotijs pertractârunt. Locus & vetustate Imperialis Oppidi, & planitie fertilium agrorum, situque & frequentia Comitiorum Saxonicorum in Westfalia celebris, interque Ruram & Luppiam amnes, & Susatum ac Tremoniam urbes; Ubi Saxones quoque Ottonem III Regem, & Henricum elegerant. Igitur inter Episcopos & proceres Saxoniæ, qui Werlas convenêre, Meinwercus inter primos adfuit; & quia ab Henrico Imperatore, priusquam abiret è vita, Conradum sibi in Imperio Successorem nominatum sciebat, partes Conradi in conventu Werlensi (quo beneficio sibi animum Conradi demeruit) constanter egit.

Werlensibus Comitijs interest Meinwercus, & Conrado studet. *Auctor vitæ Meinvv. n. 91.*

In hoc quoque Optimatum congressu Meinwercus causam Ecclesiæ suæ egit; nam quæ controversia intercesserat inter ipsum & Thietmarum Bernardi Saxoniæ Ducis fratrem de Abbatia Helmwardeshusana, ceterisque privatis offensionibus, ea omnia intervenientibus Sigefrido avunculo ejus, Hermanno de Westfalon, Bennone, Amelungo Comitibus, alijsque præsentibus composita sunt: reconciliatique ex integro Meinwercus & Thietmarus, bonam amicitiam coluerunt. Multum ab hoc Thietmaro vexatus Meinwercus Episcopus, haud secus quàm à Bernardo Duce ac fratre ejus ceteri per Saxoniam Episcopi. Nam, ut auctor est Dithmarus Merseburgensis Episcopus, *Meinvvercus Præsul à Thietmaro nepote meo, Bernardi Ducis fratre, dispoliatus est.* Quas injurias exactius retulit Auctor vitæ Meinvverci in autographo.

Transigit cum Thietmaro Duce, sibi ceterisque Ecclesijs infesto.

Thietmarus, inquiens, Senior frater Bernhardi Ducis Saxoniæ vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantum viciis plenus, quantum rebus, superbia tumidus, in acquirendis rebus avaritiæ facibus accensus. Denique contra jus et fas ubique fidelium res invadens et diripiens, inter cetera tyrannidis suæ opera quodam tempore iter suum ad Monasterium Herivordiæ direxit,

rexit, faciensque ibi magnam munitatem, Sanctorum ibidem requiescentium, et suæ sororis Abbatissæ nomine Godestæ, et congregationis sanctæ Mariæ thesaurum confregit, et inde plus justo pecuniæ detraxit. Postea ad synodum secundum Canonicam constitutionem ab Episcopo Meinvverco vocatus ad corrigendum commissa est ammonitus. Quo salubriter compuncto et utiliter correcto, constitutum est, eum Episcopo dare xxx tal. denariorum. Illo autem pecuniæ pondus tantum non habente, omne prædium quod habuit in Bruuincthorpe *cum omnibus appendiciis, cum consensu et voluntate sui heredis Bernhardi Ducis atque fratris sui, ad dominium Patherb. Ecclesiæ pro reconciliatione illius pecuniæ in proprium dedit. Hanc traditionem Episcopus banni sui munimine firmavit, Udone, Herimanno, Bernhardo, Lindero Comitibus, et aliis multis assistentibus.*

Transactum præterea in hoc conventu Werlensi cum Adela Domina Godezonis Comitis conjuge super bonis Hammonstedianis, arbitris hujus causæ Sigefrido, Udone & Bennone Comitibus; itaque res composita, ut Adela quatuor prædia cum LXXX familijs, dum viveret, retineret, quæ tamen morte ejus cederent Paderbornensi Ecclesiæ; ea vicissim conditione, qua Collegij Cathedralis Canonici anniversaria mortis die solennem Adelæ memoriam psalmis, Missæ sacrificijs, & largitionibus in egenos persolverent. Ac satis ex his etiam liquet Adelam hanc diversam esse à Meinwerci matre; qua super re quidam dubium nobis fecit in scriptis, tanquam ad hunc diem vitam prorogasset. Et cum Adela super bonis Hammonstedianis.

A conventu interim Werlensi per octo hebdomadas solium Regni vacuum. Ac magna per Germaniam Principes sollicitudo incessit, quem Henrico Imperatori subrogarent. Cùm Aribo Moguntinus Archiepiscopus per initium Septembris publica Imperij comitia ad Rhenum, loco inter Moguntiam & Wormatiam, quem Herimannus contractus Cambam vocat, indixit. Convenêruntque Archiepiscopi Piligrinus Coloniensis, Poppo Trevirensis, Guntherus Salisburgensis: Episcopi Theodericus Metensis, Werinharus Argentoratensis, Marcellinus Herbipolensis, Eberhardus Bambergensis, Heimo Constantiensis, Bruno Augustensis, Gebehardus Ratisbonensis, Albertus Frisingensis. Aderant & Saxonici Episcopi, quos Wippo presbyter se præterire dicit, quòd eorum cum alijs encomia sibi incognita essent. Penes illos, ut idem auctor scribit, prima Imperij cura & potestas eligendi Regem; pro veteri Francorum more, erat. Accessit reliquis Principibus Benno seu Bernardus Dux Saxoniæ, Adelbero Dux Histriæ, Hezilo Dux Bojariæ, Ernestus Dux Alemanniæ, Fridericus Dux Lotharingiæ, Gozelo Dux Ripuariorum, Cuno Wormatiensis Dux Francorum, Udalricus Dux Bohemiæ, alijque Imperij proceres. Adeo tum nondum certus Electorum numerus, quem institutioni Ottonis III tribuere volunt, receptus erat. Hi postquam ad Chambam convenêre, Comitia ab Archiepiscopo Moguntino indicta pro eligendo novo Rege.

nere, Saxones, Boji, Francones, Norici, Alemanni, citeriorem Rheni ripam castris prætexuerunt ; ulteriorem Mosellam Lotharingi ac Transrhenani flos Imperij. De multis delecti primum pauci : ex paucis demum duo Conradi patrueles, alter natu major, patre Henrico Duce Wormatiensi, & matre Adelhaide : alter natu minor Conrado Duce Carentinorum progenitus. Pro minore faciebant Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus, & Lotharingi ; at majorem prætulit Aribo Moguntinus Archiepiscopus, cujus judicium traxit ceteros. Ac suffragijs ita pendentibus, quod licet Conradum Wormatiensem ob virtutes imperatorias præferrent, alterius tamen formidarent potentiam ; impetratum tamen ab utroque, ut spes suas Principum arbitrio permitterent : raro sanè concordiæ ac modestiæ exemplo, quando alter alteri ultro etiam suffragium & honores deferre visus est. Ita omnium demum consensu delectus Conradus major cognomento Salicus ; cujus originem Brunnerus & Miræus trahunt ex Ludolpho Ottonis M. filio ; alij verisimilius à Conrado Sapiente Werneri filio, Ottonis M. genero, qui prælio adversus Ungaros anno 955 occubuit ; quemadmodum id tradit Otto Frisingensis, auctorque vitæ Burchardi Wormatiensis Episcopi. Haud aliter Wippo presbyter Ottonem Conradi avum memorat inter Franconiæ Duces clarissimum ; eoq; ceteri passim scriptores Conradum nominant Francum, Ostrofrancum, Wormatiensem, ac Salicum. Quanquam magna lis inter scriptores, unde cognomento Salicus sit appellatus ; mihi opinari fas est, quando per id tempus duo Franconiæ Duces eodem Conradi, ut diximus, nomine, & magna gentis nostræ Reipublicæque gloriâ fuêre, huic Salici nomen adhæsisse, quòd per Thuringiam ad Salam gesserit ducatum, ubi celebris illa Imperatorum ac Regum Salica, quam Saltz dixêre. Igitur extincto Henrico Imperatore, postquam Regnum Germaniæ Imperiumque steterat supra centum annos, incredibili Ecclesiæ bono, in Widikindæa ac Saxonica familia, transijt ad Francicam, cujus initia in Conrado & Henrico III filio læta & prospera, in ceteris nepotibus turbida & funesta.


Conveniunt Electores in designando Conrado Majore. Salicus is unde dictus?

Jam verò postquam magna omnium concordia delectus est Conradus major, accessit & Cunigunda Imperatrix, protulitque augustalia insignia, quæ Henricus Imperator apud eam servanda deposuerat ; Conradumque Aribo Moguntinus Archiepiscopus VI Idus Septembris, ipso natali Virginis die, solemni ritu Moguntiæ inunxit Regem. In hac ipsa celebritate inaugurationis, Conradus egregio diplomate confirmavit omnia jura & privilegia Werthinensi ad Ruram Monasterio, quod honori & venerationi D. Ludgeri datum.

Werthinensia jura confirmat Conradus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Conradus divina favente clementia Rex. Omnium Christi nostrorumque fidelium universitatem scire jubemus, quod fidelis noster Heithanricus Abbas monasterii, quod vocatur Werdina,

Werdina, insinuavit Celsitudini nostræ, qualiter ipsum Monachorum Cœnobium, sibi commissum, à beatæ memoriæ Liudgero Episcopo in propria ejus hæreditate fuerit constructum, Monachisque contraditum, ac gloriosissimorum Regum Luthevvici, filii magni Regis Karoli, ac successorum ejus, videlicet Heinrici, trium Ottonum, nec non Heinrici secundi Imperatoris invictissimi, pro æterna ipsorum, omnisque generis eorum memoriæ defensione ac tuitione hactenus fuerit conservatum. Quamobrem nostram imploravit clementiam, ut idem monasterium sub nostra tuitione suscipientes, omnes concessiones ab antecessoribus nostris sibi collatas nostræ præcepto auctoritatis firmaremus. Cujus rationabili ac justæ petitioni assensum præbentes decernimus atque jubemus, ut imprimis idem monasterium cum omnibus ad se pertinentibus plenissimæ immunitatis securitate perfruantur, neque publicis exactionibus eidem monasterio subjacentes Liberi vel Servi, sive à qualibet culpa rei, ab ulla potestate judiciaria constringantur, sed advocatus eorum, si quid inquirendum est aut corrigendum, inquirat ac corrigat. Præterea quod aliis quoque monachorum cœnobiis concessum est, ut ubicunque dominicatos mansus habuerint, in quocunque sint Episcopio seu præfectura, vel in omni regno à Deo nobis collato, decimas dent ad portam monasterii, nec ab ullo penitus alibi dare cogantur, sed ab eisdem pro nostra beatitudine perpetua supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur. Insuper et eidem fratrum Collegio ad eligendum Abbatem inter se regularis electionis potestatem concedimus; Abbas illius monasterii ad castra et in hostem ire non cogatur. Insuper fratres monasterii hominesque ipsorum ab omni vectigalium ac telonii inquisitione securi consistant. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hæreditas sancti Liudgeri ac propinquorum ejus, et Elemosinæ religiosorum hominum, ideo liceat Abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè possidere, quatenus eum cum fratribus Deo inibi famulantibus melius delectet pro nostra ac totius Ecclesiæ salute divinam jugiter implorare potentiam. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis permaneat eam manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Cunradi  *Regis invictissimi.*

Vthelricus Cancellarius ad vicem Aribonis Archicappellani recognovit. Data IIII Idus Septembris, MXXIIII. Indictione VII, anno verò Domni Cunradi secundi regnantis primo. actum Moguntiæ feliciter Amen.

Moguntia ingenti procerum comitatu Aquisgranum deductus Conradus, collocatusque in solio Caroli M. læta omnium acclamatione; ubi & Giselam Conradi conjugem, D. Henrici neptem, Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus, uti id ipse expetierat, II Calend. Octobris regia corona decoravit. Priscæ familiæ, & regij sanguinis Gisela. Testes hi versus à Wippone & Ottone Frisingensi producti. Giselæ Reginæ coronatio.

 Quando

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo M. procedit Gisela prudens.

Conradi Regis virtutes. Wippo presbyter. Otto Frising. lib. 6.

Magnis encomijs utriusque virtutes, Regis non minus quàm Reginæ exornant Scriptores. Conradum certè inter optimos Reges & Jmperatores celebrat Germania à virtute bellica, civili prudentia, religione, pietate ac justitia. Egregium harum specimen in ipsa inauguratione dedit, condonando omnibus injurias, à quibus læsus erat. Nam, cùm multi, qui eum hactenus offenderant, sibi timerent, & reconciliandi gratiam quærerent, Rex ijs renunciari jussit, alias Conradi, alias Regis esse iras: se jam omnium injuriarum immemorem, ex quo Rex delectus esset. Digna Rege vox, quæ in omnium Regum & Principum animis imprimatur. Procedenti Moguntiæ ad augustalem cæremoniam tres infimæ sortis (quorum unus agricola, alter pupillus, tertia vidua erat) lamentantes occurrunt; quos cùm Palatini submoverent, Sinite, inquit Rex, accedere, *quo enim officio, possum imperium melius auspicari, quàm miserorum causas audiendo*?

Decisio litis Meinwercum inter & Abbatissam Gesekensem. Auctor vit. B. Meinvv.

Inter hæc pridie Idus Septemb. publicus Saxonicorum procerum conventus est habitus Hirtzveldiæ in Westfalia ad Luppiam (locus est à D. Jdæ monumento celebris) causam hujus conventus, ad quem & Meinwercus accessit, Scriptores non tradidére. Inter cetera composita est lis, quam Hildegunda Gesekensis Abbatissa movit Meinwerco de prædijs tribus à Sigebodone & uxore Embila Ecclesiæ Paderbornensi donatis. Cecidit causâ Hildegunda, prædiaque Paderbornensi Ecclesiæ asserta, judicio Bernardi Saxoniæ Ducis, Herimanni Comitis & filiorum Henrici, Conradi, Adelberti & Bernardi Comitum: præterea Ekkike, Erphonis, Amelungi, Theoderici Fresoniæ, Widekindi, Tammani aliorumque Optimatum. Quem hìc Hermannum Comitem quatuor filijs stipatum introducit auctor noster, Arensbergensem opinantur nonnulli; jam sæpius Hermannus ille Comes à nobis relatus.

Gelenius l. 3. hist. S. Engelb. p. 247.

Conradi virtutes regnandi.

Conradus posteaquam Aquisgrani inunctus Rex, publica istic Principum Comitia habuit; in quibus humana juxta ac divina, ut Wippo presbyter, utiliter sapienterque ordinavit. Ac licet literarum parum esset gnarus, cleri tamen disciplinam prudenter constituit, Princeps severus in malos, in cives benignus, in hostes acerbus, in milites liberalis: Nec passus est parentum ijs bona, quæ aut Cæsarum beneficio, aut virtute bellica obtinebant, per injuriam detrahi. Aquisgrano Leodium profectus, dispositisq; dehinc per Ripuariam provinciam rebus publicis, transitoq; Rheno, in Saxoniam descendit; *Ubi legem crudelissimam Saxonum secundum voluntatem eorum constanti auctoritate roboravit.* Quænam verò hæc durissima Saxonum lex confirmata à Conrado? haud aliam interpretor, quam ocultorum judiciorum à Carolo M. latam; nam ejus vestigijs insistere Conrado semper

Wippo presbyter. Chron. Mind.

semper unicè propositum fuit. Mindæ hæc acta esse pronum est existimare; nam ea in urbe ad Visurgim natalitia Christi celebravit, sacris operante Sigeberto Episcopo.

Auctor vitæ S. Godehardi c. 4.

Annus Christi 1025.

Joannis XX Pont. 2.
Conradi Salici Reg. 2.
Meinwerci Ep. Pad. 17.

Ac primum ibidem felicitatis annum MXXV est auspicatus, quemadmodum id præter Mindense chronicon retulit Auctor vitæ S. Godehardi. Celebrem quoque tunc Mindæ Episcoporum ac procerum conventum habuit Rex, in quo pro regia auctoritate de Republica finitimarumque regionum tranquillitate constitutum est. Ac magnanimus adeo Rex, ut Wippo est auctor, *à barbaris, qui Saxoniam attingunt, omne debitum fiscale recepit.* Tantum aberat, ut bellis Saxoniam lacessere auderent Sclavi, ceterique Septentrionales populi.

Chron. MS Hodep. Brouverus in notis ad vitam Meinv. Monum. Paderborn.

Conradus Paderbornæ à Meinwerco excipitur.

Aribo ad Moguntinam Ecclesiam Warburgensem comitatum avertit.

Mindâ Rex Paderbornam est profectus; quem Meinwercus omni honoris & obsequij genere cum Gisela Regina excepit. Quare, ut in Hodeporico Cæsarum traditur, *Epiphaniam Domini in urbe Paderbornensi more regio peregit.* Et qua pollebat auctoritate & gratia tractandi Principum animos Meinwercus, mirificè quoque novum Regem sibi devinxit, tantáque æstimatione & amore penetravit in Regis animum, ut altero anno Meinwercum Romam itineris Comitem sibi delegerit. Verùm hæc post discessum Regis turbavit aliquantulum Aribo Moguntinus Archiepiscopus, merito electionis & dignitate potentior apud Regem. Is enim postquam Henricus Imperator, cujus animum Meinwercus in potestate habebat, excesserat è vita, occultis artibus egit apud Conradum, & Comitatum Warburgensem à Dodicone donatum Paderbornensi Ecclesiæ, confirmatumque ab Henrico Imperatore, avertit; quem, rerum imperialium adhuc rudis, eóque facilè se ab Aribone circumveniri passus Conradus, Moguntinæ Ecclesiæ dedit. Nihil acerbius evenire poterat Meinwerco, quod & jure, multisque impensis, ut diximus, Comitatum hunc egenti suæ Ecclesiæ acquisivisset: sed id Meinwerco tolerandum aliquando fuit, donec Regem de iniquitate rei edoceret, ac fidis servitijs sibi demereretur, quibus tandem Comitatum recepit, Ecclesiæ suæ redditum.

Corbeia Hildesium ac Goslariam concedit Conradus.

Per hosce dies dum Conradus Rex Paderbornæ versatur, 3 Non. Januarij egregiam donationem fecit Tuitiensi ad Rhenum cœnobio, impetrante eam Gisela Regina & Pilegrino Archiepiscopo, quem in Comitatu sibi præsentem habuit. Recitat hanc donationem Gelenius. Paderbornâ Rex Corbeiam discessit, ut constat ex rescripto apud

Coccius in Dagoberto c. 8. Vita S. Godehardi. cap. 8. Hodepor. Cæsar. Brovverus in notis ad Meinvverc.

Coccium in Dagoberto. Inde Hildesium profectus S. Godehardum Episcopum invisit; sed & illi ab Aribone Moguntino lis vetus de Gandershemensis Monasterij jurisdictione mota; cujus tamen machinationes Rex Optimatum consilio diremit. Proximam dehinc urbem imperialem Goslariam petijt Rex, ubi XI Calend. Februarij Diethmaro Abbati Corbeiensi prisca cœnobij privilegia confirmavit, hisce videlicet auctoritatis regiæ tabulis.

Corbeiensia privilegia & bona confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chuonradus divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, qualiter venerabilis abbas nomine Truchtmarus nostram adiit excellentiam, suppliciter orans, ut nostra magnifica munificentia prospiceremus monasterio, cui praeesse videtur, quod est constructum super fluvium Wisera, in loco, qui dicitur nova Corbeia, in honorem Dei et S. Stephani protomartyris, ubi et beati Viti martyris pretiosa pignora servari noscuntur. Cujus petitioni rationabili propter divinum amorem et venerationem beatorum martyrum assensum præbentes, hos apices serenitatis nostræ circa ipsum monasterium fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, præcipuè, ut potestatem Monachi, si necessitas venerit, habeant abbatem eligendi de fratribus suis, et ut nullus Episcopus, aut Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, nisi solus illius loci provisor et advocatus prædicti monasterii; in Ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones præfati monasterii, quas moderno tempore justè et rationabiliter possidere videtur, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos, quàm et servos vel litos injustè distringendos ullo unquam tempore audeat ingredi, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere, aut actitare præsumat: sed et de dominicatis mansis, vel nunc habitis, vel post acquirendis, à reddendis decimis plenam idem monasterium habeat immunitatem; et, sicut hactenus fuit, ut dentur ad portam in susceptione hospitum, et peregrinorum in quibuslibet Episcopiis, pagis, vel territoriis, vel omnibus, quæ ibidem propter divinum amorem et illius sancti loci venerationem collata fuerint, ut liceat ibidem Deo famulantibus sub nostra immunitatis tuitione quieto ordine vivere ac residere, et melius illos delectet omni tempore pro nobis, et conjuge nostra, atque stabilitate regni à Deo nobis collati Domini misericordiam attentius exorare. Insuper etiam decimas, vel Decimales Ecclesias in quibuscunque Episcopiis ita teneant, atque disponant, sicut ab antecessoribus nostris Regibus videlicet et Imperatoribus tenere per præcepta visi sunt atque disponere; Episcopis verò quibus servitium et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persolvant. Et ut hæc auctoritas concessionis nostræ atque confirmationis firma habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus et futuris melius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter eam firmavimus, et sigilli nostri impressione assignari jussimus.

Signum

Signum Domini Chounradi  *Regis invictissimi.*

Udalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovi. Data XI. Calend. Februarii, Indictione VIII. Dominicæ incarnationis MXXV. anno verò Domini Chounradi secundi regnantis I. actum Goslare.

Lustrata Westfalia & Saxonia (quod priscorum Regum & Imperatorum erat) Conradus Rex in Thuringiam & ad fines Sclavorum Polonorumque promovit iter; quò regionibus illis adversus barbarorum incursiones consuleret, totamque Saxoniam & Thuringiam ex regia potestate recens adita in possessionem acciperet. Ac dum Merseburgi versatur, rogatu Giselæ conjugis & Sigeberti Mindensis Episcopi VI Idus Februarii Monasterium Virginum Keminatam, seu Cemnade ad Visurgim in Ducatu Brunswicensi (quod postea in Præposituram Corbeiensium commutatum, uti supra relatum est) in tutelam suscepit: qua super re hæ regiæ tabulæ consignatæ.

Auctor vitæ S. Godeh. c. 8.

Keminatensem Parthenonem in suam tutelam recipit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Chunradus divina donante clementia Rex. Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium præsentium ac futurorum comperiat universitas. Qualiter Domna Frideruna venerabilis abbatissa, ejusque soror Imma Comitissa, Gerone Comite adjuvante, construxerunt quoddam monasterium in villa Keminata, in pago Tilithi, in Comitatu Bernhardi Ducis situm, in honorem Dei genitricis sanctæ Mariæ Virginis dedicatum, ad quod omnem hæreditatem suam, curtes scilicet ac villas infra nominatas Keminata, Heigen, Hogen, Barigi, Tundiriun, Othere, Varstan, Rothe, Bardevvic, Hotmanessun, Wittorp, Britlingi, Biangibudiburg, Addunesthorp, Haterbiki, Bodanhuson, Sutherburg, Claniki, Wigmannesburgstal, Benedesthorp, Widila, Woldersidi, Kokerbiki, Holana, Aun, Setila, Hepstidi, Sinigas, gratissima voluntate tradiderunt. Unde nostram majestatem regalem aggressæ supplices rogaverunt, ut ipsum monasterium in nostro mundiburdio susciperemus; quod nos petitione Gislæ scilicet Reginæ dilectissimæ Conjugis nostræ, sed et interventu Sigebrahdi Mindonensis Episcopi, fecisse cognoscat universitas fidelium. Ad hæc statuimus, ut prædicti monasterii abbatissæ talis libertatis, legis ac regulæ primatu fruerentur, quali cæteræ Sanctimoniales in regno nostro sub regula S. Benedicti justè viventes utuntur. Insuper concedimus eidem Abbatiæ, ut nullus Marchio, nullus Comes, nullaque nostri imperii magna vel parva persona in ea placitum facere, vel publicam functionem exire, nisi advocatus, quem abbatissa, quæ tunc temporis fuerit, cum Sanctimonialium consensu eligere voluerit. In obitu verò Abbatissæ ejusdem monasterii, habeant arbitrium aliam eligendi juxta regulam S. Benedicti. Et ut hujus nostræ auctoritatis privilegium perseveret, hanc paginam manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum

Signum Domni Chounradi  *Regis invictissimi.*

Vdalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis * *MXXIIII.* * *Indictione VII. VI Idus februarii. Data est in Merseburg anno autem Domni Chounradi secundi regnantis I.*

*al. MXXV.
*al. VIII.

Auctor vitæ Godehardi c. 8.

Prædium Kemniense donat Ecclesiæ Mindensi.

Ordinata per Thuringiam Republica, Conradus in Franciam Orientalem & Bojariam, rigente adhuc hyeme, per Quadragesimam discessit, ac Pascha Ratisbonæ celebravit, magno Archiepiscoporum, Episcoporum, Principumque comitatu ac præsentia; quod satis perhibet diploma donationis Mindensi Ecclesiæ consignatum, eoque etiam hoc loco non prætermittendum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum perpendat universitas, Qualiter Sigebertus sanctæ Mindensis Ecclesiæ præsul venerandus nostram regalem supereminentiam humiliter adiit, atque interventu nostrorum fidelium, inprimis dilectissimæ contectalis nostræ Giselæ Dei gratia Reginæ, nec non Aribonis Moguntiacensis Archiepiscopi, Piligrimi Coloniensis Archipræsulis, Hunfridi, Parthenopolitanæ sedis Archiepiscopi, Unvvani Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Brunonis Augustensis Episcopi, Wiggeri Fardensis Episcopi, Bernardi ducis, Sigefridi et Hermanni Comitum, prædium quoddam Kemnium nuncupatum donari sibi atque mancipari rogavit. Quorum in commune jam coadjuvante voce petitioni ob amorem Dei, nostræque remedium animæ, ac statum regni libenti animo assensum præbentes, prædium jam dictum Kemnium in pago Valim collocatum, et in comitatu Dancinari Comitis, cum omnibus suis pertinentiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et reditibus, cultis et incultis, acquisitis et acquirendis sæpe jam dictæ Mindensi Ecclesiæ, suisque per successus temporum provisoribus per id temporis inibi commorantes ante altare S. Petri Apostolorum Principis, sanctique Gorgonii martyris, manu ad manum donavimus, ac perpetuo possidendum in proprium tradidimus. Quapropter sæpe jam dictum prædium cum omnibus illuc rite pertinentibus sub nostrum mundiburdium ac defensionem accipimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Mindensium Episcopo, et advocatis eis, quos ille elegerit. Et ut hæc nostræ donationis ac mundiburdii præceptum firmius magisque inconvulsum cunctis credatur, hanc chartam inscribi jussimus, sigilloque nostro signatam manu propria subtus firmavimus.

Signum Domni Conradi  *gloriosissimi Regis.*

Odalricus

Odalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovi. Data V. Non. Maji, Indictione VIII anno Dominicæ incarnat. MXXV anno verò Domni Conradi secundi regnantis I. actum Ratisbonæ.

Festo Pentecostes Constantiæ celebrato, auditisque Jtalorum Legatis, per æstatem deinde Rex Sueviam, & Carentinorum regiones adijt; & cùm jam totum prope Jmperium perlustrasset pro veteri Regum & Jmperatorum more, omnibusque provincijs & Regni populis se in conspectum dedisset, sub Autumni exitum in Lotharingiæ Regnum est reversus, natalemque Christi Leodij festum habuit, mansitque ijs in locis ad Purificationem B. Mariæ Virginis; quemadmodum id Arnoldus S. Godehardi discipulus in ejus vita tradit; quanquam is festus dies ab Auctore vitæ Burchardi Augustæ celebratus referatur. Ceterum annus hic, quod in fastis Corbeiensibus lego, sterilitate frugum, fame, & pestilentia Germaniæ fatalis fuit, quibus malis innumeri mortales absumpti. Quo facilè retulerim illam insignem Meinwerci nostri caritatem erga suos, de qua Auctor vitæ. *Facta in diebus ejus fame valida, missis nunciis frumentum comparari fecit in Colonia, et duas naves onustas ad inferiorem terram deferri.* Commissa frumenti dispensatio villicis per Velaviam & Theisterbandiam, eo præscripto, ut pars ipsorum familijs alendis, pars egenis, pars semini cederet; in quo cùm fraudem villici postea deprehendisset, sanxit ne quis in quartam usque progeniem ex ejus posteris ad villam admitteretur.

Wippo presbyter. Auctor vitæ S. Godeh. c. 8. Perlustrat fines imperii. *Arnoldus in vita S. Godehardi. c. 8.* Egenis in magna annonæ caritate subvenit Meinvvercus. *Auctor vitæ n. 44.*

Annus Christi 1026.

Joannis XX Pont. 3.
Conradi II Reg. 3.
Meinwerci Ep. Pad. 18.

Succedit Annus Christi MXXVI, celebratus ab auctoribus profectione Conradi Regis in Italiam, & Meinwerci Episcopi comitatu. Quippe Rex postquam per Lotharingiæ Regnum omnia composuisset ad tranquillitatem publicam, Leodio Treviros petijt; ubi rogatu Giselæ conjugis, Aribonis Moguntini & Piligrimi Coloniensis Archiepiscopi, rescripsit pro S. Maximini celeberrimo Monasterio. Dehinc Wormatiam & Triburiam contendit. Inde Augustam Vindelicorum digressus, ex consilio consensuq; Principum Henricum octennem filium Regni Successorem nominavit, cui datus est moderator ac tutor Bruno Augustanus Episcopus, Henrici Imperatoris frater. Hunc Regem dicere postulabat Regni incolumitas, quando Ernestus Dux Alemanniæ, Chuno Dux Franciæ, & Fridericus Dux Lotharingiæ, tractis simul alijs in conspirationem, multa per ambitionem machinari deprehensi sunt. At Rex comparato ingenti exercitu; quo omnibus hostibus formidabilis esset, iter Romanum intrepidè suscepit;

Nicol. Zilesf. in defens. Maximin. Sigebert. Herm cont. Marianus Scotus. Henricum filium designat successorem Conradus. *Wippo presbyter.*

Italiam comite Meinwerco petit.

pit; interque Episcopos & Regni Principes, hujus expeditionis comitem sibi delegit expetijtque Meinwercum Paderbornensem Episcopum, virum ætate gravem, generis claritudine non minus quàm auctoritate & sapientia eminentem; qui jam iter illud Romanum primo cum Ottone III, deinde cum Henrico Imperatore susceperat, Romanæque Ecclesiæ morem ac jura cognita habebat. Venientem ad se Meinwercum Episcopum Rex benignè & honorificè excepit; quocum inchoato verni temporis jejunio iter ingressus, transcensisq; Alpibus, Vercellis inter Mediolanum & Papiam Pascha celebravit; ac primùm Modochæ, revocato prisco Longobardorum more, deinde Mediolani coronari voluit: inde ad domandos Italos conversus, Papiam subegit. Quippe cives per interregnum vetus Regum Longobardorum ac Cæsarum palatium è fundamento subverterant: id quia, ut per legatos jussi erant, nondum restaurârant, vastatis circum rebellium castris & agris, non prius discessit, quàm restaurato palatio imperata facerent.

Papiam ad fidem & obsequium redigit. Wippo presbyt.

Auctor vitæ Meinw.

Ibi dum Rex moratur in Longobardia, Wolfangus Aquileiensis Patriarcha Regi obviam venit, prosperaq; omnia precatur, interq; Palatinos Regis primò salutat Meinwercum Episcopum Consanguineum suum. Adeo tum ætas illa ex hac illustri familia conspexit Meinwercum Episcopum, Unwanum Bremensem Archiepiscopum, & Wolfangum Aquileiensem Patriarcham. Lætus Meinwercus consanguinei Patriarchæ congressu non aliud ab illo petijt, quàm Divorum pignora, quibus Ravenna abundabat, pro Ecclesia sua Paderbornensi, & Monasterio Abdinghoviano, quod moliebatur. Annuit postulatis Patriarcha, ac postea transmisit Meinwerco corpus integrum S. Felicis martyris, quem auctor noster Diocletiano Imperatore unà cum Largo & Dionysio martyrium subijsse perhibet. Verùm cùm plures eo nomine martyres reperiantur apud Baronium in Martyrologio diversis in locis, & duo etiam Aquileiæ, quorum alter cum Fortunato 11 Julij Diocletiano Imperatore, alter Numeriano Principe Diocletiani antecessore, & Beronio præside unà cum Largo & Dionysio 16 Martij per equulei tormenta martyrio affectus est, postremi hujus corpus Meinvverco donatum accepimus, quod hodiedum in Monasterio Abdinghoviano apud nos servatur coliturque.

Meinwercus impetrat corpus S. Felicis Mart.

Wippo presbyt.

Ravennam subit Conradus & pacat.

Romam dehinc euntem Conradum Regem Ravennates lubenter in civitatem acceperunt. Verùm ut Italorum ingenia tum fluxa erant, excitato tumultu, Regis militem urbe ejicere aggressi sunt. Mox pugna inter cives & regios exorta; qua Germani superiores magna cæde grassabantur, extremum urbi exitium illaturi, nisi Conradus Rex è cubiculo excitus, conscensoque equo advolans furentem militem composuisset. Eo in conflictu Teutonico militi pes super talum abscissus; quo comperto petijt Rex militis ocreas ad se deferri, quas nummis

nummis impletas super saucii militis lectum ad solatium vulneris deponi jussit. Inde Rex ob calores ad montana concessit, & sub Autumnum compressis ceteris rebellibus, Longobardiam, & inferiotem Jtaliam est ingressus, celebratoque Jporeæ Natali Christi, Romam propius movit, quam sacra hebdomada intravit, lætis animis & studijs exceptus à Romanis.

Annus Christi 1027.

Joannis XX Pont. 4.
Conradi II Regis 4. Imper. 1.
Meinwerci Ep. Pad. 19.

Conradum exinde Joannes xx Pontifex Max. defuncti Benedicti frater & Successor, ipso Resurgentis Christi die, majorum more Imperatorem creavit: simul & Gisela Imperatrix coronata, præsentibus Rudolpho Burgundiæ & Cnutone Anglorum Rege, Henrico filio, multisque Jtaliæ & Germaniæ Principibus. Coronatio Conradi Imp. & Giselæ conjugis.

Aderat & in his omnibus Imperatori Meinwercus fidus obsequijs, & promptus consilijs; itáque sibi ob hæc devinxit Conradum Imperatorem, ut Romæ villam Ervete, quam vicum potius dixeris, quamque jam ante, ut supra relatum est, ab Henrico Imperatore ad aram oblatam acceperat, novi hujus diplomatis auctoritate confirmaret.

Cunradus divina gratia Romanorum Imperator augustus. Perpendimus atque consideravimus animas nostras peccatorum maculis obfuscatas hoc multum posse juvare, nos ad divini honoris & gloriæ majestatem Ecclesias Christi sublimare, ædificare, & de nostris rebus ditare; pariterque novimus ad nostræ imperialis potentiæ dignitatem pertinere, eis, qui nobis domi, vel militia bene servierint, condignam servitutis remunerationem exhibere. Proinde noverint Christi nostrique fideles universi, qualiter nos per interventum dilectissimæ Conjugis nostræ Gisle, nec non filii nostri Heinrici Regis, & Brunonis Augustensis Episcopi, & Hermanni Marchionis & Eggilhardi fratris sui, ad divinam gratiam & gloriam, pro remedio nostræ animæ, Paderbrunnensi Ecclesiæ in honorem sanctæ Mariæ Dei genitricis, & sancti Kyliani martyris, & sancti Liborii Confessoris consecratæ, ejusque provisori Meinverco, qui nobis sæpe & multum, frequenter & fideliter servivit, quandam curtem nomine Ervitte ad nostrum imperiale jus pertinentem in pago Engere, in Comitatu autem Marcvvardi sitam, perpetualiter habendam tradidimus, cum mancipiis utriusque sexus omnibus ad hanc jure pertinentibus, cum cæteris quoque universis appendiciis, scilicet areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, viis et inviis, exitibus & reditibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, quæsitis et inquirendis, cum banno & mercatu etiam, quod apud eandem curtem solet haberi, & cum omni utilitate, quæ inde poterit provenire. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas firma omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes jussimus insigniri sigillo. Confirmatur à Conrado donatio villæ Ervitensis.

Odalricus Cancellarius recognovit. Data VII Idus Aprilis, indict. X. anno Dominicæ Incarnat. M.XXVII. anno autem Domni Cunradi secundi regnantis III. Imperii vero I. actum Romæ.

Italiam comite Meinwerco petit.

pit; interque Episcopos & Regni Principes, hujus expeditionis comitem sibi delegit expetijtque Meinwercum Paderbornensem Episcopum, virum ætate gravem, generis claritudine non minus quàm auctoritate & sapientia eminentem; qui jam iter illud Romanum primo cum Ottone III, deinde cum Henrico Imperatore susceperat, Romanæque Ecclesiæ morem ac jura cognita habebat. Venientem ad se Meinwercum Episcopum Rex benignè & honorificè excepit; quocum inchoato verni temporis jejunio iter ingressus, transcensisq; Alpibus, Vercellis inter Mediolanum & Papiam Pascha celebravit; ac primùm Modochæ, revocato prisco Longobardorum more, deinde Mediolani coronari voluit: inde ad domandos Italos conversus, Papiam subegit. Quippe cives per interregnum vetus Regum Longobardorum ac Cæsarum palatium è fundamento subverterant: id quia, ut per legatos jussi erant, nondum restauràrant, vastatis circum rebellium castris & agris, non prius discessit, quàm restaurato palatio imperata facerent.

Papiam ad fidem & obsequium redigit. *Wippo presbyt.*

Auctor vitæ Meinw.

Ibi dum Rex moratur in Longobardia, Wolfangus Aquileiensis Patriarcha Regi obviam venit, prosperaq; omnia precatur, interq; Palatinos Regis primò salutat Meinwercum Episcopum Consanguineum suum. Adeo tum ætas illa ex hac illustri familia conspexit Meinwercum Episcopum, Unwanum Bremensem Archiepiscopum, & Wolfangum Aquileiensem Patriarcham. Lætus Meinvvercus consanguinei Patriarchæ congressu non aliud ab illo petijt, quàm Divorum pignora, quibus Ravenna abundabat, pro Ecclesia sua Paderbornensi, & Monasterio Abdinghoviano, quod moliebatur. Annuit postulatis Patriarcha, ac postea transmisit Meinwerco corpus integrum S. Felicis martyris, quem auctor noster Diocletiano Imperatore unà cum Largo & Dionysio martyrium subijsse perhibet. Verùm cùm plures eo nomine martyres reperiantur apud Baronium in Martyrologio diversis in locis, & duo etiam Aquileiæ, quorum alter cum Fortunato 11 Julij Diocletiano Imperatore, alter Numeriano Principe Diocletiani antecessore, & Beronio præside unà cum Largo & Dionysio 16 Martij per equulei tormenta martyrio affectus est, postremi hujus corpus Meinvverco donatum accepimus, quod hodiedum in Monasterio Abdinghoviano apud nos servatur coliturque.

Meinwercus impetrat corpus S. Felicis Mart.

Wippo presbyt. Ravennam subit Conradus & pacat.

Romam dehinc euntem Conradum Regem Ravennates lubenter in civitatem acceperunt. Verùm ut Italorum ingenia tum fluxa erant, excitato tumultu, Regis militem urbe ejicere aggressi sunt. Mox pugna inter cives & regios exorta; qua Germani superiores magna cæde grassabantur, extremum urbi exitium illaturi, nisi Conradus Rex è cubiculo excitus, conscensoque equo advolans furentem militem composuisset. Eo in conflictu Teutonico militi pes super talum abscissus; quo comperto petijt Rex militis ocreas ad se deferri, quas

nummis

nummis impletas super saucii militis lectum ad solatium vulneris deponi jussit. Inde Rex ob calores ad montana concessit, & sub Autumnum compressis ceteris rebellibus, Longobardiam, & inferiotem Italiam est ingressus, celebratoque Iporeæ Natali Christi, Romam propius movit, quam sacra hebdomada intravit, lætis animis & studijs exceptus à Romanis.

Annus Christi 1027.

Joannis XX Pont. 4.
Conradi II Regis 4. Imper. 1.
Meinwerci Ep. Pad. 19.

Conradum exinde Joannes xx Pontifex Max. defuncti Benedicti frater & Successor, ipso Resurgentis Christi die, majorum more Imperatorem creavit: simul & Gisela Imperatrix coronata, præsentibus Rudolpho Burgundiæ & Cnutone Anglorum Rege, Henrico filio, multisque Italiæ & Germaniæ Principibus. Coronatio Conradi Imp. & Giselæ conjugis.

Aderat & in his omnibus Imperatori Meinwercus fidus obsequijs, & promptus consilijs; itaque sibi ob hæc devinxit Conradum Imperatorem, ut Romæ villam Ervete, quam vicum potius dixeris, quamque jam ante, ut supra relatum est, ab Henrico Imperatore ad aram oblatam acceperat, novi hujus diplomatis auctoritate confirmaret.

Cunradus divina gratia Romanorum Imperator augustus. Perpendimus atque consideravimus animas nostras peccatorum maculis obfuscatas hoc multum posse juvare, nos ad divini honoris & gloriæ majestatem Ecclesias Christi sublimare, ædificare, & de nostris rebus ditare; pariterque novimus ad nostræ imperialis potentiæ dignitatem pertinere, eis, qui nobis domi, vel militia bene servierint, condignam servitutis remunerationem exhibere. Proinde noverint Christi nostrique fideles universi, qualiter nos per interventum dilectissimæ Conjugis nostræ Gisle, nec non filii nostri Heinrici Regis, & Brunonis Augustensis Episcopi, & Hermanni Marchionis & Eggilhardi fratris sui, ad divinam gratiam & gloriam, pro remedio nostræ animæ, Paderbrunnensi Ecclesiæ in honorem sanctæ Mariæ Dei genitricis, & sancti Kyliani martyris, & sancti Liborii Confessoris consecratæ, ejusque provisori Meinverco, qui nobis sæpe & multum, frequenter & fideliter servivit, quandam curtem nomine Ervitte ad nostrum imperiale jus pertinentem in pago Engere, in Comitatu autem Marcvvardi sitam, perpetualiter habendam tradidimus, cum mancipiis utriusque sexus omnibus ad hanc jure pertinentibus, cum cæteris quoque universis appendiciis, scilicet areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, viis et inviis, exitibus & reditibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, quæsitis et inquirendis, cum banno & mercatu etiam, quod apud eandem curtem solet haberi, & cum omni utilitate, quæ inde poterit provenire. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas firma omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes jussimus insigniri sigillo. Confirmatur à Conrado donatio villæ Ervitensis.

Odalricus Cancellarius recognovit. Data VII Idus Aprilis, indict. X. anno Dominicæ Incarnat. M. XXVII. anno autem Domni Cunradi secundi regnantis III. Imperii vero I. actum Romæ.

Imperator exinde, postquam Apuliam ingressus Beneventum, Capuam, ac ceteras urbes, alias deditione, alias armis subegit, iter suum comitante Meinwerco Paderbornensi & Brunone Augustano Episcopo in Germaniam relegit; quam per absentiam, conspiratione quorundam Principum, turbatam reperit, in quos primo convertit arma; & exinde ad obsequium rebelles redegit. Hos inter Ernestus fuit Dux Alemanniæ Principatu exutus, & in Saxoniam deportatus, castroque Gibichenstenio inclusus: Conradus Dux Franciæ Orientalis, Jmperatoris patruelis, in custodiam abreptus: Adelbero Dux Carentinorum cum filijs in exilium projectus. Idem Friderico Lotharingiæ Duci manebat, nisi mors subtraxisset; quibus Welfo Sueviæ Comes, ceterique territi se submisêre. His peractis Rhenum transijt. Ita Conradus cum Imperatorio statim nomine Imperatoriam majestatem, protritis simul potentissimis rebellium hostibus, asseruit. Qua etiam auctoritate Burgundiæ Regnum, in quo Henricus Jmperator toties laborârat, Imperio adjunxit (Rudolpho Burgundiæ Rege id dudum agitante) nihil Conradum Galliarum Regem ceterosque moratus. His in superiori Germania peractis, Rhenum transijt, Francofurtum aditurus: qua in urbe Aribo Moguntinus Archiepiscopus, præsente Jmperatore, celebrem XXIII Episcoporum Synodum habuit, quam nobis chronicon Hildesiense, Auctorque vitæ Meinwerci; at nemo explicatius, quàm Arnoldus in rebus gestis D. Godehardi, viri hujus sancti discipulus, tradit. *Pulcher erat ibi*, inquit ille, *et ordinatus tam regalis quàm Episcopalis consessus. Nam in Orientali parte ante altare Archiepiscopus Aribo cum suis Suffraganeis Wernero Argentinensi, Brunone Augustensi, Meginwerco Paderbornensi, Everhardo Bavenbergensi, Meginhardo Wirceburgensi, Godehardo Hildeneshemensi, Branthoo Halverstadensi, Wiggero Verdensi, Hazecone Wormatiensi consedit. In Occidentali verò parte Imperator consedit, et à dexteris ejus Piligrinus Coloniensis Archiepiscopus cum sibi subditis, Sigeberto Mindensi, Sigefrido Mimigardensi, Bennone Trajectensi. A Sinistris Hunfridus Parthenopolitanus Archiepiscopus cum suis, Hildevvardo Citizensi, Brunone Mersburgensi, Luizone Havelbergensi, Thiederico Misnensi. In australi autem plaga Episcopi Rambrechtus Wirdennensis, Rodolphus Slesvvicensis, Hiltolphus Mantuanus, Reginoldus Aldenburgensis assederunt. In Aquilonari etiam Abbates, Richardus Fuldensis, Reginboldus Loresheimensis, Arnolphus Hetveldensis, Gerbertus Moguntinus, cum aliis etiam ejusdem ordinis sex adfuerunt.* Magnifica Episcoporum synodus sub novo Jmperatore, quamvis acta interciderint. Nec dubium, quin de Cleri & Monachorum disciplina formanda conservandaque, quam Sigebertus per id tempus florentissimam fuisse memorat, sit actum ab Episcopis; multæque controversiæ sint compositæ; quemadmodum Auctor vitæ Godehardi causam Gandershemensis Monasterij, quam

Rebelles Germaniæ Principes domat Conradus.

Wippo presbyt.

Celebrem Francofurti synodum frequentat.

Chron. Hildes. Auctor vitæ Meinvv. num. 98. Vita Godehardi c. 9. Consil. Parisiens. edit. recent. tom. 9.

Qua in Synodo Gandersheimensis lis composita.

quam Aribo resuscitârat, in hac synodo septem Episcoporum testimonijs (quos inter Meinwercus noster) adjudicatam Episcopo Hildesiensi perhibet. In ea quoque Synodo, Episcoporum judicio, Sophia suas Sanctimoniales Virgines ab Archiepiscopo recepit: Et Gerhardus juvenis, Imperatoris frater, positis armis, animo licet alieniori, in clericum est attonsus: Quam hujus rei causam Imperator habuerit, incertum. Sanè per id tempus, cùm Henricus Bojariæ Dux, Cunigundis frater, in Septembri excesserat è vita, Conradus Imperator, Henricum filium ei subrogavit, adolescentem decem annorum, tanquam veritus, ne quid frater machinaretur conspiratione aliorum in filium. Quod verò Auctoris nostri exemplar referat, Imperatorem Werlis festum S. Joannis diem celebrasse, is compertus est error ex autographo, in quo legitur Imbupoli id factum, quam alij Herbipolim verius designant. *Auctor vitæ Meinvv. Lamb. Schaf.*

Annus Christi 1028.

Joannis XX Pont. 5.
Conradi II Reg. 5. Imp. 2.
Meinwerci Ep. Pad. 20.

Annus jam præsens in sequentem MXXVIII profluxerat, cùm Jmperator Leodij peractis Christi Natalitijs Aquisgranum discessit; qua in urbe denuo in frequenti Episcoporum ac procerum conventu Pascha celebravit. Ipso verò sacratissimo die Henricus Jmperatoris filius undecim annorum, adolescens egregiæ indolis, ut Wippo presbyter eum magnificè dilaudat, Romanorum Rex à Piligrimo Coloniensi Archiepiscopo est inunctus, collocatusque in regali solio, acclamante ingenti, qui convenerant, hominum multitudine; sapienter id Jmperator, consulturus Jmperij tranquillitati, Episcoporum ac Principum, quos invitârat, consensu fieri expetijt. Inde transito Rheno in Westfaliam est digressus. Nam Paderbornæ hoc anno versatum testatur diploma Osnabrugense, quo Gosmaro Osnabrugensi Episcopo nemus ex possessione superiorum Episcoporum, ac bona ejus Ecclesiæ, Conradus Jmperator ad fontes Paderæ confirmat: Successerat hic Gosmarus Monchero Episcopo (quem Crantzius prætérijt) hoc ipso anno defuncto, postquam annos duntaxat quatuor ab excessu Thiatmari Ecclesiam illam gubernârat. Dispositis per Westfaliam negotijs, in Ostfaliam ad Albim usq; profectus Jmperator; quem ea profectione Meinvvercus Episcopus noster Magdenburgum est comitatus; quod satis docebunt tabulæ Corbeienses, mense Julio consignatæ, quibus Conradus Jmperator Druthmaro Abbati prædium iniquè ablatum restituit, quas vel hic recitare juvat, ob testium Episcoporum præsentiam (inter quos Meinwercus) quos hic primùm in literis Jmperatorijs produco.

Auctor vitæ Godehardi. VVippo presbyt. Coronatio Henrici filii Conradi Imper. *Erwinus in chron. Osn.*

Prædium Godeleveshei-mense restituitur Corbeiensibus per Conradum Imp.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chounradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Si piis petitionibus fidelium nostrorum, maximè quas pro Ecclesiis sibi commissis auribus nostris infuderint, benignum præbuerimus auditum, hoc procul dubio et ad præsentis imperii nostri statum, et ad æternæ beatitudinis præmium profuturum credimus. Unde omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm et futurorum, noverit sollers industria, quia adiens excellentiam nostri culminis Druthmarus venerabilis novæ Corbeiæ abbas curtem quandam Godolevesheim nuncupatam, anteriori tempore eidem monasterio questus est injustè fore sublatam. Detulit præterea secum Arnolfi divi progenitoris nostri imperiale decretum, cui ejusdem curtis inerat Concambium inter eundem Imperatorem et Bovonem prædicti monasterii patrem peractam: Cujus suggestioni fidem accomodantes matronam quandam Alvered vocatam, quæ ipsam curtem velut hæreditario jure tunc temporis possedit, ad palacium nostrum evocari præcepimus: quæ dum prolata refellere nequivisset, præfatam curtem cum omnibus appendiciis, adnitentibus sibi filio Osdago, patronoque suo Comite Frithericho, prædicto venerabili Abbati absq; ulla controversia reddidit, atque hanc Hiddi monasterii advocatus jussu nostro recepit; post verò abbas clementia nostra provocatus eidem matronæ sæpe fatam curtem, alteramque Gimundiam vocatam, ac familias quasdam in villa Brumerinchtorp ea conditione beneficavit, ut si quid post obitum matronæ ejusdem possessionibus reperiatur, Abbatis arbitrio disponatur: Filio verò ejus curtem nomine Iminghuson eo pacto concessit, quatenus dum vivat hanc teneat, nisi hunc munificentia nostra alicubi prius promoveri contingat, post verò in jus monasterii redeat. Et ut hujus restitutionis auctoritas firmior perpetim credatur, manu propria subtus roboratum sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Chounradi  *invictissimi Romanorum Imperatoris augusti.*

*Odalricus Cancellarius vice Aribonis Archicancellarii recognovit. Data Calend. Julii, Indict. XI. anno Dominicæ Incarnationis MXXVIII, anno autem Chounradi secundi regnantis * IIII. Imperii verò * I. actum Magdenburch. feliciter Amen.*

*al. V. *al. 2.

Testes Hunfridus Archiepiscopus, Meinuvercus Episcopus, Godehardus Episcopus, Sigifridus Episcopus, Odalricus Cancellarius, Asculfus, Sigibertus, Bernhardus Dux, Adalbero Dux, Ernestus Dux, Liudulfus Comes et privignus Imperatoris, Hiddi, Amelungus Comes et frater ejus Ecbertus, Wigger, Gerlo, Uffo, Tiammo, Poppo, Bern, Thiathard, Brun, Gerlac.

Meinwercus cum Conrado in Thurin-

In Thuringiam inde concessisse Imperatorem Comite Meinwerco, fido in omnibus adjutore, iterum testatur magnificum Conradi Imperatoris diploma, quo XIII Calend. Septembris in Walahuson Oppido, omnia privilegia, Abbatias, Comitatus, nemora, telonia, jura

jura monetæ & mercatus, prædia, bonaque omnia, rogatu Giselæ Imperatricis, & Henrici filij Regis Meinwerco Imperatoria auctoritate stabilivit: id licet diploma temporum injuria interciderit, testimonio tamen auctoris, qui res gestas Meinvverci conscripsit, atque hæc ipsa ex eo retulit, certum habemus. giam concedit.

Annus Christi 1029.

Joannis XX Pont. 6.
Conradi II Reg. 6. Imp. 3.
Meinwerci Ep. Pad. 21.

Vertente anno Jmperator in Bojariam iter instituit, ac Paschate Ratisbonæ celebrato, Palithi seu Poledæ synodo Episcoporum, quam Aribo Moguntinus Archiepiscopus congregârat, interfuit. Eo in conventu Aribo veterem controversiam S. Godehardo de Gandershemensium jurisdictione movit, quam Episcoporum consilio tandem intermittere persuasus est; quæque proximo anno Mersebugi coram Imperatore sopita est; finemque habuit tam molesta lis, quam una Sanctimonialis incenderat. Mense Octobri rursum alius conventus Episcoporum, ac procerum habitus in Hirsfeldt. Utrumne eo loco auctor vitæ Meinvverci designet nobilem Abbatiam in Hassia, an Hertzfeldiam vicum ad Luppiam in Westfalia, monumento S. Jdæ celebrem, incertum habeas. In hoc conventu, uti Jmperatores tum publicos causarum ac litium judices agebant, Comes Bruncum neptæ Jda Meinvverco, qui aderat, possessionem trium prædiorum controvertere cœpit; at cùm Meinvvercus jure se tueretur, causa cecidit Comes, quemadmodum hæ veteres hac super re tabulæ nos docent.

Wippo presbyt. Herm. Contr. Auctor vita Godehardi c. 10.

Auctor vita Meinvv. num. 107.

Controversiam trium prædiorum vincit Meinvvercus.

Quidam Dominus nomine Brun cum nepte sua Ida vocitata ad Dominium sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Kiliani martyris Liboriique Confessoris, sua prædia in Sindersburch, et Betanun, Wallarstedi, cum omnibus illuc pertinentibus in proprium tradidit. Interea post quinquennium obitu Imperatoris secundi Heinrici adveniente prædicta Ida cum viro suo Brunone has omnes traditiones injustè renuere volebat; Episcopus verò Meinvvercus tanta prædia, quasi sapiens, nolens perdere, Domnæ Idan usque ad exitum vitæ suæ LXXX aratra ad reconciliationem tribuit, ea videlicet ratione, si ipse, aut aliquis Successorum ei subtrahere voluerit præsignata aratra, quatenus hæc prædia eidem penitus restituat, XVIII *Calend. Octobris actum in Hiratveldun. Hujus reconciliationis sunt testes Bernhardus Dux, Heriman Comes et filii ejus Heinric, Conrad, Adalbracht, Bernhard, Ekkica Comes de Aslan, Bernhard Comes, Erp Comes, Tiedric Comes, Fresonic, Widukin Comes, Amelonge Comes, et frater ejus Ekbracht, Ekkica Comes, Geha et filii ejus, Heinric, Cona, Volcherd, Benna et frater ejus, Godica, Uffa, Beva, Eppa, Ricdach, Engiza, Viza, Hildilin, Tamma, Rothard,*

Ehkica,

Ebkica, Tiedric miles Ekkiconis, Bennaca et frater ejus, Tiaza, Reinald, Godikin, Wizuca, Gela, Droga, Thiapbalt, Tiamma Comes, et frater ejus Esic, Iringe, Ova, Ecilin, Tiedric, Meinhard, Tiedric.

Auctor vitæ Meinvv. n. 103. Lemmonehusanum prædium recuperat.

Hoc ipso anno alius quidam Cæsaris & optimatum conventus collectus in Laem (locum Browerus Laene vocat) eo in congressu accepit Meinwercus à Berthilde matrona prædium Lemmonehusen à Cæsare vindicatum è manibus Hathaldi viri illustris, qui idem extorserat ab Hathumaro Berthildis filio, donaveratque pellici suæ ex Bernardo Comite genitæ, testes inter alios memorantur Hermannus, Udo, & Ekkihardus Comites, alijque complures è nobilitate Westfalica viri.

Adamus Bremensis in Unvvano. Unwani Bremensis Antistitis mors.

Subtraxit hic annus sub initium VI Calend. Februarij Unvvanum Archiepiscopum Bremensem, Meinvverci Episcopi nostri consanguineum, de quo supra memoratum est. Sidus ille erat Episcoporum per inferiorem Saxoniam, & columen christianæ religionis per Septentrionis partes. Vir qui & auctoritate apud exteros Reges pollebat, & missis per Daniam, Sueciam, Norvvegiam & Sclavorum regiones Apostolicis viris Evangelium Christi propagavit; quam in rem & ipse sæpius legationem pro Christo suscepit ad barbaras illas gentes. Corpus Bremæ ad sepulchrum primorum Episcoporum conditum. Successorem nactus est Libentium II virum pari religionis zelo commendatum.

Annus Christi 1030.

Joannis XX Pont. 7.
Conradi II Reg. 7. Imp. 4.
Meinwerci Ep. Pad. 22.

Annus trigesimus supra millesimum accesserat, quo Imperator, paschate Ingelhemij celebrato, habitaque Triburiæ Episcoporum synodo, in Saxoniam Orientalem movit. Imperatorem eò consecutus est Meinwercus Episcopus, assiduus, ut Auctor vitæ refert, ac fidus Comes, & servitijs indefessus: tantoque in amore apud Conradum & Giselam, quanto antè apud Henricum & Cunigundam Imperatricem. Neque minus Conradus obsequium Episcopi remuneratus; quippe dum Merseburgi Calend. Junij cum Imperatore agit ante Ungaricam expeditionem, prædium Patberg Bernhardi Comitis, uti id tum vici instar erat, cum circumiacentibus agris regia auctoritate Meinwerco donat; quam in rem ipsas donationis tabulas hîc producimus.

Wippo presbyt. Sigebertus. Prædium Patbergense Meinwercus à Conrado obtinet.

Conradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Notum sit omnibus Christi fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, qualiter nos ob interventum ac petitionem nostræ dilectæ Conjugis Gislæ, Imperatricis videlicet augustæ, et amantissimæ prolis nostræ Heinrici Regis, nec

nec non Meinwerci Paderburn. Ecclesiæ Episcopi, quoddam Bernhardi Comitis prædium, Patberch dictum, cum mansis decem circa eundem montem adjacentibus, in pago Nichterga, et in Comitatu Haboldi Comitis situm, quod ideo hæreditario jure in nostram potestatem successit, quia idem ipse B. comes spurius erat, quod vulgo Wanburtich dicunt, ad Paderbrun præscripti Episcopi Monasterium, in honore sanctæ Mariæ, et S. Kiliani martyris, sanctiq; Liborii Confessoris consecratum, tradidimus cum mancipiis utriusq; sexus, villis, areis, ædificiis, agris, terris cultis et incultis, viis et inviis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis; nec non cum omnibus appendiciis ad idem prædium jure pertinentibus, ea videlicet ratione, ut in præscripti monasterii potestatem perpetualiter existat. Et ut hæc nostra traditio stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam propriaque manu roboratam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

*Odalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Data Calend. Iunii anno Dominica Incarnat. MXXX. Indict. XIII. Anno Domni Counradi regnantis *VI. imperii verò IIII. actum Mersburg.* **al. VII.*

Nobilis hic ac celebris intra diœcesin locus, in adsito monte, in quo primùm Patbergenses nobiles, ac deinde Comites, postquam prædium ab Episcopis in feudum accepêre, castrum ac sedem familiæ suæ condidêre, multumque Episcopis infesti fuerunt: quemadmodum clientes ejusmodi, veterum beneficiorum immemores, obsequium in injurias vertere comperti sunt. Cessit demum Patberga Coloniensi Archiepiscopo, avulsa à diœcesi. Hæc illa Patberga, quæ Jordano Teutonico primo D. Dominici familiæ supremo Magistro ac præposito, viro sanctissimo, natale solum dedit; tametsi quidam Batbergæ in Episcopatu Osnabrugensi; alij Bortgenricæ, ex vicino diœcesis nostræ loco, natalium origines monstrare velint. Leander certè, qui res ejus scripsit, Botergæ in provincia Saxoniæ natum perhibet, & Cantipratanus Westfalum nominat.

Patberg natale solum Jordani, Generalis prædicatorum. *Fasti Episcop. Osnab. à Francisc. Wilhelmo editi in synod. Bolland. in vita Jordan. ad 13 Februar. Surius ad 13 Februar. Auctor vitæ Meinwu.*

Imperator dehinc Saxoniâ evocatus ad bellum Ungaricum; qua in expeditione Meinwercum sibi denuo Comitem adesse voluit inter fidos ministros & Consiliarios. Non detrectavit obsequium Meinvvercus, ut Jmperatorem sibi ad alia beneficia & largitiones demereretur. Igitur longum iter ingressus est cum Jmperatore & exercitu ad fines Germaniæ. Causa belli hæc traditur. Postquam anno superiore excesserat è vita Bruno Augustanus Episcopus, Henrici Imperatoris frater, Stephanus Ungariæ Rex, cui Gisela, Brunonis & Henrici Jmperatoris soror, in matrimonium data erat, Bojariam sibi pro filio Emerico, quem ex Gisela susceperat, jure hereditario vendicare cœpit, quam Conradus jam filio suo

Meinvvercus Conradum Imp. ad expeditionem

Hungaricam sequitur. *Wippo presbyt.*

suo Henrico dederat; ita Jmperator & Rex, optimi Principes, collisi armis; quibus Jmperator longè superior erat: quippe cum ingenti Germanornm exercitu Ungariam ingressus, vastatione terrorem intulit. Ac licet paludibus ac sylvis impeditus esset, quo minus in interiorem Ungariæ partem penetraret; Stephanum tamen Regem ad petendum pacem adegit, quam legatione ad Henricum Jmperatoris filium impetravit. Hic tanti belli intra hunc annum brevis finis; Bojariaque Henrico Regi, Conradi filio, relicta est. Pacis salutaris auctores Egilbertus Frisingensis Episcopus (qui Henrici adolescentiam post Brunonem Augustanum Episcopum moderabatur) Meinvvercus, ceterique Episcopi sunt habiti. Inde Meinwercus ex Ungaria cum Jmperatore in Saxoniam redijt, Jmperatoremque cum tota aula invitatum traxit ad Paderæ fontes, ubi Jmperator Christi natalitia cum Meinwerco celebravit. Adeo hoc præsule delectatus Conradus Jmperator. Paderbornam Jmperatorem secutus Aribo Moguntinus Archiepiscopus, qui ipso sacratissimo die conscensâ cathedrâ ad populum peroravit; ita enim veteri chronico memoratur: *Aribo Moguntinus Archiepiscopus, celebrante Cæsare festum Natalis Domini in Patherbrunna, sancto die inter Missarum solemnia publico sermone habito, licentiam ab Imperatore et fratribus Romam pergendi rogavit, simul à clero et populo indulgentiam sibi à Deo impetrari postulans; qui deinde iter post purificationem Beatissimæ Dei genitricis ingressus, Romam adiit, nec multùm pòst à reditu superstes fuit.*

VVippo.

Paderbornam invitat, ac perducit Imperatorem.

Auctor vitæ Meinvv. Chron. vetus apud Brovv. in notis. Arnoldus in vita S. Godeh. c. 10.

Annus Christi 1031.

Joannis XX Pont. 8.
Conradi Regis 8. Imper. 4.
Meinwerci Ep. Pad. 23.


Imperator per annum sequentem, sæviente licet hyeme, in Orientalem Saxoniam & Thuringiam profectus est, ad res earum provinciarum ordinandas, quod jam Misiconem Polonorum Ducem infesta machinari didicisset, quæ haud multò post à discessu Jmperatoris erupêre. Jmperatorem ad Saxoniæ & Thuringiæ fines comitatus Meinwercus, Alstedi prædium, in pago Paterga, & Comitatu Amelungi, 13 Calend. Febr. impetrat, qua super re hæ literæ extant.

Auctor vitæ Meinvv.

A quo impetrat prædium Alstedi.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chounradus divina disponente gratia Romanorum Imperator augustus. Omnium Dei nostrique fidelium universitati notum esse volumus, qualiter nos propter amorem cœlestis patriæ, atque ob interventum ac petitionem dilectæ Conjugis nostræ Giselæ Imperatricis augustæ, nec non cari filii nostri Heinrici Regis, et propter juge devotumque nobis servitium Meginvverci, sanctæ Paderbronnensis Sedis Episcopi, Ecclesiæ, cui ipse Deo donante præsidet, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatique Kiliani martyris, nec non Confessoris Christi Liborii

borii constructæ, illa prædia, quæ habuerunt Bernhart et soror ejus Hazecha, in locis Alflaan et Etlinun sita, in pago Paderga, in Comitatu Amulungi, cum aliis omnibus illuc pertinentibus, et cum omni utilitate quæ vel scribi aut nominari ullo modo valet, cum mancipiis utriusque sexus, cum areis, ædificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis perpetualiter habenda donavimus; ea ratione, ut præfatus Episcopus suique Successores de eisdem prædiis, nobis imperiali jure hæreditatis, liberam dehinc habeant potestatem, quidquid sibi placuerit faciendi, ad utilitatem tamen Ecclesiæ suæ, omnium contradictione remota. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigillo nostro insigniri jussimus.


Signum Domni Chounradi  *invictissimi Romanorum Imperatoris augusti.*

Odalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Data XIII Calend. Februarii, Indict. XIIII. anno Dominicæ Incarnat. MXXXI. anno verò Domni Chounradi secundi regnant. VII. Imperii autem IIII. actum Alstete.

Goslariam exinde comitatus Imperatorem Meinwercus Episcopus, novo liberalitatis dono, tria rursum prædia XI Calend. Martij consecutus est, ejus donationis tabulas hic denuo exhibemus. Et adhuc 3 alia prædia.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Chuonradus Dei ordinante providentia Romanorum Imperator augustus. Omnium Dei nostrique fidelium universitati notum esse volumus, qualiter nos ob divinæ mercedis intuitum, nec non per interventum dilectissimæ contectalis nostræ Giselæ Imperatricis augustæ, simul etiam dilecti filii nostri Regis Heinrici, et juge servitium Meynwerchi Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopi sæpissimè nobis fideliter impensum, eidem Ecclesiæ, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac sancti Kiliani martyris, et sancti Liborii Episcopi et Confessoris constructæ, prædium Bennanhusen, valabroch, dadanbroch, situm in pagis Wetiga et Tilithi, in Comitatu Widukindi, cum omnibus ad ipsum prædium jure ac legaliter pertinentibus, cum mancipiis utriusque sexus, cum areis, ædificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis, et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ vel scribi aut nominari ullo modo potest, in proprietatem donavimus, et de nostro jure ac dominio in ejusdem jus ac dominium omnino transfundimus; ea videlicet ratione, ut prænominatus Episcopus ejusque Successores de eodem prædio liberam posthac potestatem habeant tenendi, commutandi, vel quidquid sibi utilitatis Ecclesiæ placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa

per antiqua sæculorum curricula permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus sigillari.

Signum Domni Chuonradi  *invictissimi Romanorum Imperatoris augusti.*

Odalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Data XI Calend. Martii. indict. XIIII. Anno Dominicæ incarnat. MXXXI. anno verò Domni Chounradi secundi regnantis VII imperii IIII. Actum Goslare.

Mirus in versando Imperatoris animo Meinwercus; simul ad preces Giselæ Imperatricis & Henrici Regis filij, per id tempus Goslariæ octo simul prædia, munificentiâ religiosissimi Imperatoris, impetravit, eóque has tabulas rursùm sistimus.

Unà cum 8 alijs Goslariæ impetratis.

Conradus Dei ordinante clementia Romanorum Imperator augustus. Omnium Dei nostrique fidelium universitati notum esse volumus, qualiter nos ob interventum et petitionem dilectissimæ contectalis nostræ Giselæ Imperatricis augustæ, nec non et Henrici Regis dilecti nostri filii, et juge servitium Meynvverchi Patherburn. Ecclesiæ Episcopi sæpissime nobis fideliter impensum, eidem Ecclesiæ, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sancti Kiliani martyris, et sancti Liborii Confessoris constructæ, prædium Heinhusen, Winiden, Windelmuderod, Aldendorp, Rudbertessen, Sunderessen, Nisa, Hameressen, situm in pago Auga, in Comitatu Cunradi, cum omnibus ad idem prædium jure ac legaliter pertinentibus, Hathonem et Richaldum cum suis omnibus, cum mancipiis utriusque sexus, cum areis, ædificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ scribi, aut nominari ullo modo potest in proprietatem donavimus, et de nostro jure ac dominio in ejusdem Ecclesiæ jus, et dominium omnino transfundimus; ea videlicet ratione, ut idem Episcopus ejusq; Successores de eodem prædio liberam posthac potestatem habeant tenendi, commutandi, aut quidquid sibi utilitatis Ecclesiæ placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa per antiqua Sæculorum curricula permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus sigillari.

Odalricus Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Data XI Calend. Martii, indictione XIIII. anno Dominicæ incarnat. MXXXI. anno verò Domni Cunradi secundi regnantis VII, Imperii autem IIII. actum Goslare.

Nondum fons ille exhaustus; quandoquidem haud multò post mense Augusto opimum Sannanabiki regale prædium cum circumjacentibus villis, quas Wicilo in manu Regis reddiderat, Meinwerco donatum consignatumq; est. Servat hodiedum locus nomen Sannebeck, indeque in amplum pagum & parochiam excrevit.

Tabulæ

Tabulæ hæ vel eò nobis recitandæ sunt; quòd in ijs fateatur Imperator nullum ex omnibus Episcopis sibi magis assiduum & fidum adesse in omni aulæ servitio, quàm Meinwercum: igitur in hunc modum Imperator.

Ac plura alia, inter quæ Sannebecka.

Cunradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Si ulli ex nostris Pontificibus, sui fidelis servitii non immemores, aliquid ex his, quæ nostri juris deputantur, benigno animo impendimus, eum postea in nostro oramine et servimine perniciorem et multò studiosiorem existere procul dubio credimus. Quapropter omnibus Christi nostrique amatoribus, præsentibus scilicet ac futuris, perspicuum esse volumus, qualiter Wicilo nostram adiit Serenitatem, humiliter rogans, ut prædium Sannanabiki, dictum in istis villis Hornan, Frodinitorp, Vinesbiki, Raffen, Knechtahusen, Buckinhusen, Bennanhusen, Scum, Berchem, Homan, Holthusen situm, Sua Uxorisque suæ Odæ filiæque suæ Cæciliæ, nec non Gerburch, filiique ejus Hodonis petitione ac collaudatione, ad nostram imperialem manum recipere curaremus prædium Zurici, quod nostræ fuit proprietatis, illorum èċontra subjugantes ditioni. Horum igitur desiderio primatum nostrorum satisfacientes consilio, id quod illorum erat ad manum nostram recepimus et in illorum jus, quod nostri erat juris amabiliter remisimus. Transactis autem ita his omnibus prædictum prædium Sannanabiki, quod tunc nostræ judicabatur esse proprietatis, in Comitatu Widukini, in pago Wetiga situm, cum omnibus utilitatibus ad idem pertinentibus, areis, ædificiis, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis ob amabilem Conjugis nostræ Gislæ Imperatricis augustæ interventum, et ob minimè denegandam dilectissimæ prolis nostræ Heinrici Regis petitionem, nec non Hermanni Marchionis, Meinuuerco venerabilis vitæ Episcopo, suæque Ecclesiæ, in sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, et pretiosissimi martyris Kiliani, et gloriosissimi Confessoris Liborii honorem constructæ, eo tenore in proprium tradidimus, ut ipse suique Successores de eodem liberam deinceps habeant potestatem tenendi, tradendi, vendendi, commutandi, vel quidquid placuerit, sibi faciendi ad utilitatem tamen prædictorum Sanctorum Ecclesiæ; recordati sumus namque non in hoc tantum, sed in aliis sibi adhuc Deo volente à nobis tradendis prædiis, quod suum assiduum servitium devotius, et cæteris nostris Pontificibus frequentius non quasi uno, sed ferè in omni tempore anni habuimus. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa per labentia temporum curricula observetur, hoc præceptum inde conscriptum subtus manu propria confirmavimus et corroboravimus, ac sigilli nostri impressione diligentius insigniri præcepimus.

Odalricus Cancellarius recognovit. Data III Non. Augusti, indictione XIIII. anno Dominicæ incarnat. MXXXI. anno autem Domni Conradi secundi regnantis VII. imperii verò V. actum Immeteshusen.

Wippo presbyt. in vita Conradi. vetus chron. apud Brovver. in notis ad vitam Meinvv. Auctor vitæ Meinvv. n. 105. Herm. cont.

Tractabat per hæc bellum Polonicum magnis curis, magnoq; apparatu Imperator, ad Polonorum injurias ulciſcendas. Quippe Miſeco, qui Boleslao patri jam ſucceſſerat, auſus non modò regium nomen, citra Jmperatoris & Jmperij voluntatem ſibi ſumere, ſed &, comperto Thietmari Marchionis obitu, collecto ingenti Paganorum exercitu, in Chriſtianorum provincias irrumpere, inter Albim, & Salam centum villas incendijs cædibuſque vaſtârat, novemque millia & ſexaginta quinque virorum ac mulierum è Chriſtianis in captivitatem magna comploratione abduxerat, inter quos Liuzo Brandenburgenſis Epiſcopus captus, & vilis inſtar mancipij barbarum in modùm tractatus. Expugnatis arcibus, matronæ nobiles per vim abreptæ, proſtitutæque militum libidini; denique non templis, non altaribus, non ſacris parcitum. Non tulit hanc injuriam Imperator; comparatoque exercitu, expeditionem ſuſcepit in Poloniam, in qua & Meinwercum Epiſcopum ſibi adeſſe voluit; quòd & jam gnarus locorum ac gentis, Henrico Imperatore, caſtra in Poloniam ſecutus, & militiæ aliquando moderandæ impoſitus fuiſſet. Non poterat id detrectare Meinwercus, quem Imperator tanta ſibi beneficentia obſtrictum habebat. Igitur expeditione in Poloniam facta, caſtra ſecutus, Jmperatori obſequio ſacro & conſilijs adſtitit. Felix ejus belli expeditio fuit, qua Jmperator Martij fulminis inſtar Poloniam pervaſit, & vaſtatione cædibuſque ad obſequium tributumque compulit, & ſui juris fecit; quantumvis Cromerus, ſtudio gentis, & gloriæ Polonorum præreptus, hæc controvertere velit. Sed certi nobis auctores Hepidannus, Wippo, veteres chronici, & vitæ Meinwerci Scriptor. Quarè, & Miſico, detracto regio nomine, ejectus Polonia, ad Udalricum Bohemiæ Ducem confugere neceſſe habuit. Ibi cùm Miſico exul apud Udalricum ageret, qui & ipſe gratia Jmperatoris exciderat, Udalricus, ut ſibi Jmperatoris animum demereretur, obtulit Miſiconem ſe Jmperatori traditurum in manus. Ad quæ Jmperator: *Nolle ſe emere inimicum ab inimico*. Tandem Giſelæ Jmperatricis & ceterorum Principum rogatu pacatus Jmperator, Poloniam Tetrarchiam fecit, & tertiam Polonorum partem, accepto fidei juramento, Miſiconi dedit. Ceteris Poloniæ provincijs Marchiones & Præfecti impoſiti. Inde quietus tandem Miſico, tranſmiſſo Principatu in Caſimirum filium Jmperio magis fidum. Ea tum erat felicitas armorum, ea Jmperij majeſtas ex fortitudine bellica Jmperatoris.

Meinwercus Conradi Comes in expeditione Polonica.

Cromerus lib. 3. de rebus Polon. ſub finem.

Quam Conradus Imp. ſubjugat.

Meinwercus etſi per hæc belli initia Jmperatorem aſſecutus ſit in Poloniam, poſt tamen, ubi abſoluta Monaſterij Abdinckhoviani templique fabrica, eorum ſacrorum operum dedicatio revocabat, impetratâ redeundi veniâ, iter in diœceſin relegit, invitato etiam Jmperatore ad celebritatem, ſiquidem expediti belli cura ſineret. Igitur v Nonas Octobris Paderbornam ingreſſus, magnâque cleri populiq; lætitia

Dedicatio Eccleſiæ Abdinckhoffenſis.

lætitia exceptus. Et jam corpus D. Felicis martyris à Wolfango Aquilejensi Patriarcha donatum advenerat, quod novo Monasterio pignus destinârat. Atque ut in Divorum reliquiis admittendis cautus erat, ne quid dolo obtrusum interversumq; ex itinere, publicè colendum proponeret, rogum parari jussit, & in atrio (qui tum receptus explorandi mos) majori in Deum fiducia, quàm Ecclesia postea probavit, ossa martyris ter in ignem injecit, & ter ab igne intacta recepit, haud parum, qui aderant, obstupescentibus ad miraculi spectaculum. Subinde omni curâ versus in dedicationem magnifici templi, vicinos pro more Episcopos ad celebritatem invitavit. Ex quibus convenêre Paderbornam Hunfridus Magdenburgensis Archiepiscopus, Godehardus Hildesiensis, Sigebertus Mindensis, & Sigefridus Monasteriensis Episcopus, alijque quatuor, quorum nomina ab auctore præterita. Igitur his quatuor Episcopis præsentibus, cùm & innumera hominum multitudo omnis ordinis, ætatis ac sexus confluxisset, solemnem Monasterij templique consecrationem peregit. Dedicatumque templum cum Monasterio Beatissimæ Virgini Mariæ, Principibus Apostolorum Petro & Paulo, omnibusque Sanctis, quorum tum Octava agebatur. Consecratione peractâ, munificam dotem prædiorum, decimarum, aliorumque bonorum publicis tabulis consignatam ad altare obtulit, quibus maximam donationis partem complexus est, addita severa in violatores execratione, quemadmodum hæc ex ipsis Meinwerci fundationis libris, quos hîc reddimus, planius cognoscentur.

Ejusdem fundationis tabulæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Rerum omnium creatorem Deum summum & incommutabile esse bonum, omnium constat ratione fidelium: Cujus omnipotentiam aliquo indigere, superfluum est æstimare vel credere. Quomodo verò in libro Salomonis scriptum invenimus, Divitiæ hominis redemptio animæ illius; & ab ipso auctore mundi præceptum legimus: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis; restat ut ex beneficiis ab eo nobis collatis, ob redemptionem animarum nostrarum, qualiacunque possumus, in ejus servitio expendamus, pauperibusque ejus membris succurrendo, de mammona iniquitatis faciamus amicos, qui nos recipiant in habitacula æterna beatitudinis. Hac igitur ratione ammonitus Ego Megynuvercus, utinam Episcopus! consilio & auxilio beatæ memoriæ Henrici Imperatoris, pro remedio animæ meæ & parentum meorum in suburbio Episcopii mei monasterium construxi, & in honore omnium Sanctorum devotissimè consecravi, ejusdemque in dotem Ecclesiæ ex hæreditate parentum meorum, sive acquisitione propria, prædia subtus nominata cum omnibus suis pertinentiis solempniter tradidi, delegavi, & concessi; Vbydun cum Ecclesia Ghellendorp, Rumbeke, Metebeke cum Ecclesia Dotenhusen, Walmanninghuson, Rime, Driburi, Goltbeke, Havergo, Nedere, Balhornon cum decima, Lessethe cum decima, Wambeke, Hoënsele, Radengheim cum Ecclesia & decima, Putten cum Ecclesia & decima, & Ecclesiam in Vorthusen, Testerband cum Ecclesiis, Bulen, Hasthi, Gamberen, Hellevve, Nyvvele cum decimis eorum, Burchnon cum decima, & de Episcopatu meo, item Burchnon cum decima, Andepon cum decima, bonis meis centies restituta & redempta. Hæc igitur omnia præfato Monasterio à me collata cum omnibus suis pertinentiis, terris videlicet cultis & incultis, mancipiis utriusque sexus, villis, pascuis, pratis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, ceterisque omnibus, quæ quomodocunque donari possunt, utilitatibus in mundiburdium & tuitionem

tionem

tionem omnipotentis Dei, Sanctorumque omnium committo: ammonens, & contestans sub nomine Domini nostri Jesu Christi, ut nullus Successor meus, sive aliqua persona magna, sive parva, contra Ecclesias Dei saviens, foris & intus eidem Monasterio rebusque concessis seu concedendis aliquam violentiam, seu rapinam ulla temeritate inferre prasumat. Si quis autem de prafato Monasterio aliqua auferre, vel minuere de thesauris vel pradiis injustè temptaverit, vel Monachis ibidem constitutis vim aliquam sive molestiam intulerit, omnipotentis Dei Sanctorumque ejus iram atque offensam incurrat; & in die judicii, si non emendaverit, dominico maledicto subjaceat, Ite maledicti in ignem aternum, qui praparatus est diabolo & angelis ejus. Constituimus autem & volumus, non census vel debiti, sed inviolabilis causa dilectionis, ut Abbas prafati Monasterii omni anno in dedicatione Ecclesia sua Episcopum, si prasens est, Canonicosque suos ad convivium invitet, nihilque aliud prater quod caritas dictaverit, aliquando persolvere cogatur. Defuncto verò Abbate habeant Monachi potestatem secundum timorem Dei eligendi Abbatem, nec quisquam eis per violentiam aliquam, seu per malignum consilium in hac re obsistat. Hoc autem votum meum Domine Iesu Christe peto, ut clementer suscipias tribuasque, ut quicunque hanc traditionem nostram atque licentiam liberalem infringere vel permutare quolibet ingenio temptaverit, maledictioni & ultioni, quam invasoribus Ecclesiarum tuarum praparasti, incurrat. Actum in die consecrationis ejusdem Monasterii, anno ab Incarnat. Domini M. trigesimo primo, indictione quarta decima, quarto Non. Novembris, prasentibus & adjuvantibus authoritate sua Episcopis, Domno Hunfrido Parthenopolitano, Godehardo Hildenesemensi, Sigeberto Mindensi. Hanc autem traditionem Amelungus Comes, summus majoris Ecclesia advocatus manu sua suscepit & regia potestatis banno in Comitatu suo stabilivit. Super hys prasentium atque futurorum orationem bonis prodesse obsecramus, ut ipse mihi in die judicii mercedem restituat, pro cujus amore hac incepi atque perfeci.

Nihil sanctis viris sollicitius, quàm ut ea, quæ Deo donaverant & consecraverant, apud posteros integra intactaque manerent: hinc illæ frequentes imprecationes execrationesque, quibus ad divinum judicem ac vindicem provocant, tanquam præscij, quæ rapaces ac sacrilegæ manus aliquando accessuræ in spolium Ecclesiæ. Neque satis habuit Meinwercus ea, quæ his tabulis consignârat, palam recitare; sed singulos Episcopos ordine suggestum conscendere, ut ipse fecerat, & diras hasce ultrices in capita Sacrilegorum repetito carmine evocare voluit. Et quia templum Monasterij in formam crucis constructum erat, Hierosolymitani in modum, Meinvvercus in omnibus Monasterij ejus prædijs ad fores & vestigia ædium triumphale crucis signum præfigi jussit.

Auctor vita Meinvv. Marianus Scotus. Serrarius in Mogunt. histor.

Bardo Archiep. Moguntinus, ejus laus.

Invitatus fuerat ad hanc celebritatem Bardo quoque, Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus Ecclesiæ, sed nescio quibus impeditus sese excusavit; jam enim Bardo Ariboni Archiepiscopo viii Idus Aprilis defuncto in itinere Romano, Imperatricis favore successerat, primùm ex nobili Weteraviæ Monachus Fuldensis, ex eoque cœnobio Abbas Werthinensis apud nos ad Ruram postulatus. Inde rursum Abbas Hertzfeldiensis delectus. Vir ob argenteam vocem & facundiam dicendi ejus sæculi Chrysostomus appellatus: quas naturæ dotes cùm multis virtutibus exornatas haberet, ad fastigium Archiepiscopatus est provectus, vitamque exinde pari sanctitate conspicuam exegit, ut multis eum commendant Scriptores.

Antequam

Antequam ad sequentem progrediamur, juvat hunc annum claudere insigni Monasterij Abdinckhoffensis encomio, quod in veteri MS. sic legitur.

Monasterium SS. Petri et Pauli bonori sacrum, longe celeberrimum Cœnobium intra muros Paderbornenses, Monastica disciplina vigore et virorum eruditorum copia locuples, fundatum fuit à B. Meinvverco Episcopo Paderbornensi S. Henrici Imperatoris Cognato, Comite Teisterbandiæ in Geldriâ, Anno Christi 1015 et anno 1031 absolutum, illato S. Felicis Martyris sacro corpore insigniter dotatum, inque præsentia Hunfridi Archiepiscopi Magdeburgensis, et Episcoporum S. Godehardi Hildesimensis, Siberti Mindensis, Sifridi Monasteriensis 4to nonas Novembr. dedicatum à Fundatore; maximis deinceps Privilegiis à Romanis Pontificibus à Cæsaribus et Episcopis exornatum, eâ semper disciplinæ Regularis laude floruit, ut inde undique exemplaria Virtutum, ad diversa Cœnobia Abbates ac integræ Monachorum Coloniæ expeterentur, à nonnemine seminarium Abbatum appellatum. Et qua plura in laudem illius hic proferuntur, nosque deinceps suis locis prosecuturi sumus.

Annus Christi 1032.

Joannis XX Pont. 9.
Conradi II Regis 9. Imper. 6.
Meinwerci Ep. Pad. 24.

Bello Polonico prospere confecto, Imperator ex regressu in Saxoniam, à Meinvverco Episcopo Paderbornam invitatus accessit cum Gisela Imperatrice, Henrico Rege, Egilberto Frisingensi Episcopo Regis moderatore, totaque aula, & rursum Natalem Christi diem, ut priori anno fecerat, cum Meinwerco ad Paderæ fontes celebravit. Tum verò postquam Imperatorem introduxisset in Monasterium Abdingkhovianum à se magnificè constructum dotatumq;, ac præclaram cleri populique disciplinam objecisset Imperatoris oculis; Imperator omnia Monasterij Abdinghoviani privilegia, jura ac prædiorum bona ab Henrico Imperatore & Meinwerco Episcopo donata, præclaro, quod hic reddimus, diplomate rata habuit. *Auctor vitæ Meinvv.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Si loca Ecclesiasticis obsequiis deputata nostra imperiali auctoritate stabilire et confirmare studuerimus, id nobis regnique nostri statui profuturum fideliter et veraciter credimus. Quapropter omnium Dei nostrique fidelium universitati notum esse volumus, qualiter nos ob interventum ac petitionem dilectissimæ Conjugis nostræ Giselæ Imperatricis augustæ, et amantissimæ nostræ prolis Heinrici Regis, et Egilberti Frisingensis Episcopi, nec non devotum servitium Meinvverci venerabilis Patherburnensis Confirmatur fundatio Abdinckhoviana à Conrado Imp.

Patherburnensis Ecclesiæ Episcopi domi forisque nobis frequenter et fideliter impensum, talia bona, qualia tam ab eo, quàm à bonæ memoriæ prædecessore nostro Heinrico Imperatore secundo, seu aliis fidelibus sollempniter delegata sunt Monasterio, quod ipse in occidentali parte civitatis Episcopii sui, in honore sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum dedicando consummavit, in Ecclesijs, decimis, Villis, mancipiis, prædiis majoribus et minoribus, cum universis ad hæc legaliter aspicientibus, curtificiis, ædificiis, areis, terris, cultis et incultis, campis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, cæterisque omnibus, quæ quomodocunq; dici sive scribi aut nominari possunt, utilitatibus, quæ in eis sunt, vel deinceps fieri legitimè possunt, per hoc nostrum imperiale præceptum stabilientes confirmamus et corroboramus, eo videlicet tenore, ut hæc sub plenissimæ immunitatis tuitione consistant, et sub nostræ imperialis auctoritatis defensione præfatæ Ecclesiæ fratres sub B. Benedicti regula Domino famulantes ea possideant: Ita ut nullus Judes publicus, vel quilibet aliqua judiciaria potestate prædicta loca, vel possessiones eidem Ecclesiæ concessas, vel concedendas ad causas judiciario more audiendas, vel freda, tributa exigenda, mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsorum tam litos quàm ingenuos super terram eorum commanentes contra rationem distringendos ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ullas publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occasiones requirere vel exigere ullo modo præsumat, sed prænominatæ Ecclesiæ Abbas cum suo advocato, quem communicato fratrum suorum consilio in defensorem elegerit, causas rerum agendarum sagaciter prævidens, et sapienter disponens suis suorumque fratrum utilitatibus in omnibus fideliter et utiliter prospiciat. Hominibus quoque eidem Ecclesiæ collatis, qui vulgo Malmam dicuntur, prædictæ regiæ auctoritatis tuitionem nostram constituimus, et quidquid Fiscus regius de eis consequi debuit, totum nos pro æterna remuneratione, et nostra nostræque Conjugis, et prolis commemoratione prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum, et lumina continenda concedimus. Et ut hæc nostræ liberalis confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc Imperiale præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data XVII Calend. Februarii indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis MXXXII. anno verò Domni Chonradi secundi regnantis VIII. Imperii autem 5. actum Paderbrun in Dei nomine feliciter Amen.

Perstitit Imperator in Januarium cum Imperatrice & filio Paderbornæ apud Meinwercum; per quod tempus donatio areæ & quadraginta jugerum in pago Nitherga ac villa Holthusana, ab Hidelino nobili viro atque Oda ejus Conjuge antehac facta, Episcoporum & Comitum testimonijs corroborata est. Hasce literas, quia aliorum Paderbornæ præsentium Episcoporum ac procerum nomina exhibent, hîc interjungimus.

Jugerum 40 donatio rata habetur.

Notum

Notum sit omnibus fidelibus, præsentibus scilicet ac futuris, quòd quidam fidelis nomine Hildelin, per consensum suæ contectalis Ode, et justissimi hæredis Arnaldi, unam aream et XL jugera cum omnibus appendiciis in pago Nihterga, in villa quæ dicitur Holthusen, et Arnaldus scilicet cum consensu suæ matris ejusdem Ode, et prædicti Hildelini unum litum in pago Almunga, in villa quæ vocatur Barghusun cum sua uxore et filio, et cum omnibus ejusdem prædii appendiciis, ad dominium sanctæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii Confessoris atque Pontificis, pro decimatione super villam Emiggarothun acquirenda in proprium tradidit. Quod verò Meinvvercus Episcopus piè perpendens prædicto Hildelino et suæ Contectali, et Arnoldo omnibusque posteris ejus eandem decimationem super villam, quæ vocatur Emiggarothun, pro prædicto prædio per suum advocatum Amelung in proprium dedit. Hæc itaque traditio III nonas Novembris primùm facta, IIII Nonas Januarii in Paderbrun iterata atque confirmata est, consedentibus ibidem Archiepiscopo Hunfritho, et Episcopo Siberthò, et Hildivvardo, atque Liuzone Episcopis, et adstantibus Fritherico, Gerberto, Thiaderico Comitibus, Brun, Godebald, Erp, Rathuboda, Ecbert, Wilzin, Thiaderic, Haold, Offa, Haold, Godescalc, Bennaka, Folchard.

Festis nascentis anni diebus Paderbornæ transactis, Conradus Imperator, adscito itineris Comite Meinvverco, Hildewardeshusense Virginum cœnobium invisit. Diversum hoc Monasterium ab Helwardeshusano, de quo supra relatum est in Ottone III Imperatore; ad Dimolam fluvium ab Ekkardo Comite dotatum. Inter illustria Imperij Monasteria hoc virorum; illud verò, de quo hic agimus, Virginum fuit prope Mundam Brunswicense Oppidum ad Confluentes Werræ & Fuldæ, ac celebre quondam ac imperiale cœnobium; etsi origines nobis nondum compertæ. Fuerit ne Moguntini, an Hildesiensis jurisdictionis, incertum habeas, quando Tangmarus de Bernwardo Episcopo suo, Abbatiam, inquit, Hildevvardeshusensis Ecclesiæ, sibi ab Imperatore traditam, in qua matertera ejus præerat, solemni ritu dedicare voluit; quo in opere turbatus est ab Archiepiscopi Moguntini ministris, ejectusque non sine cæde suorum. Statua quondam in eo cœnobio fuit B. Virginis, miraculis clara, quæ ab Henrico Brunsvvicensi Duce catholico Foro Julium translata, magnoque cultu in templo Societatis reposita. Multis quoque fuit reliquijs Sanctorum dotatum, quas inter caput Elisabethæ matris Joannis Baptistæ, ab Erico filio Collegio Fuldensi donatum, antequam hæresis cœnobium in spolium traheret; nam ut Helvvardeshusanum Monasterium cessit Hassis, ita Hildevvardense Brunsvvicensibus. Longè sanè dispar religionis cultus, cùm Conradus Imperator Virginum eo in cœnobio florentium pietate invitatus cum Imperatrice, filio Rege, & Meinvverco eò diverteret. Ubi dum hospes, ageret Imperator, opima rursum villâ cum alijs minoribus prædijs donavit Meinvvercum nostrum.

Auctor vitæ Meinvv. n. 18.

Conradus cum Meinvverco Hildevvardeshusensem Parthenonem invisit.

Compluribus Prædijs Conradus Meinwercum donat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Noverit omnium Dei nostrique fidelium præsentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos fideli nostro Meynvverco Paderbrun. Episcopo et Ecclesiæ, cui ipse Deo donante præsidet, ob interventum et petitionem dilectæ Conjugis nostræ Gisle Imperatricis Augustæ, et amantissimæ nostræ prolis Heinrici Regis, et Egilberti Frisingensis Ecclesiæ venerabilis Episcopi, nec non ob suum frequens et devotum servitium, quandam nostræ proprietatis curtem Gardenebiki nominatam, sitam in pago Laeni, in comitatu Hermanni Comitis, cum omni sua integritate, vel quidquid prædii habuimus in villis Huvinadal, Molduggavel, Ludolvesbusen situm in eodem pago, et in comitatu prænominati H. cum omnibus ad idem pertinentibus, cum areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus inibi habitantibus, agris, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ aut scribi, aut nominari potest, in proprium tradidimus, et de nostro jure ac dominio in suum jus atque dominium omnino transfundimus, eo quoque tenore, ut prædictus fidelis noster M. Episcopus sive longè sive prope sit, nos, suæ servitutis non immemores esse recognoscat, et ut ipse suique Successores de supra nominatis prædiis liberam deinceps potestatem habeant tenendi, tradendi, commutandi, vel quidquid placuerit, faciendi, ad usum tamen prænominatæ Ecclesiæ, in honore S. Liborii constructæ et consecratæ. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni tempore perseveret, hoc præceptum inde conscriptum subtusque manu propria roboratum sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domni Chounradi  *invictissimi Romanorum Imperatoris augusti.*

Odalricus Cancellarius ad vicem Bardonis Archiepiscopi recognovit. Data XV Calend. Februarii Indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis MXXXII. anno autem Domni Chounradi secundi regnantis VIII. Imperii verò V. actum Hiltivvardeshusen feliciter amen.

Auctor vitæ Meinvv. n. 118. Integrum Comitatum largitur Conradus Meinwerco.

Post illa Conradus Imperator in Weteraviam digressus, Frislariam adijt, locum à D. Bonifacij, & primæ Christianæ religionis cultura celebrem. Assectatus hac profectione Cæsarem Meinvvercus Episcopus, tam grato Cæsari obsequio, tantaque gratia, qua comitatum Hermanni Comitis, situm in tribus pagis Auga, Netege, & Hessiga, ut Auctor vitæ retulit, à Conrado Imperatore donatum accepit. Tabulas hujus munificæ donationis temporum injuria subtraxit. Sensim Conradus Henrici Imperatoris liberalitatem in Ecclesiam Paderbornam exæquare visus, ita utriusque Imperatoris animum sibi demeritus est Meinvvercus, & mirificè supra omnes superiores Episcopos auxit bona Ecclesiæ suæ.

Sub

Sub Autumni tempus Jmperator Saxoniam ingressus, atque ad Albim, Meinvverco Comite, delatus, Magdenburgi ad preces Giselæ Jmperatricis & Henrici Regis filij sex mancipia, quorum hæc nomina sunt Thietmar, Liuza, Heregrini, Ethilier, Athalvvard, Wieburg cum omnibus eorum bonis XII Calend. Septembris novo liberalitatis munere Meinvverco donavit. His atque alijs opibus Meinvvercus, quæ partim donatione Cæsarum, partim aliorum privatorum hominum liberalitate ultro in manus ei oblatæ venerant (uti hac super re complures apud nos extant tabulæ) cœpit alia pro Dei honore & cleri augmento versare cum animo, ac novum Canonicorum Collegium Burstorfianum, novamque Collegij Basilicam moliri. Ad quod opus primùm Jmperatoris voluntatem expetijt; quâ impetratâ, quia ad formam templi Hierosolymitani, ac sepulchri Christi Basilicam meditabatur, misit in Palæstinam Winonem Abbatem, quem è Monachis Paderbornensibus præfecerat Helmvvardeshusano Monasterio, ad ideam ejus templi inspiciendam deferendamque ad se in Saxoniam.

Auctor vitæ Meinvv.

Meinvvercus, ad Hierosolymitani templi Ectypon ferendum Winonem ablegat in Palæstinam.

Inter hæc exemit hic annus è numero mortalium Sigefridum XIII Episcopum Mimigardevordensem, virum ea ætate non minus religione & omnium virtutum Episcopalium, quàm generis nobilitate illustrem, quocum Meinvverco magna necessitudo, ac familiaritas intercessit. Multa ille per decennium sacri sui muneris gessit in augendis Ecclesiæ bonis, in dotando Collegio Canonicorum, in exornanda Ecclesiæ suppellectili, quæ fasti eorum memorant. Inter ejus monumenta ostenditur hodiedum Xenodochium inter pontes fluvij ejus liberalitate dotatum. Eo Antistite Netmorda nobilis & opulenta matrona, ac filia ejus Frederenna magnam partem patrimonij dedêre Ecclesiæ, ex quo ædes sacræ in Bentlagen ad Amisin haud procul Reinæ Oppido, in Varloe, Appenhulsen, Hiltorpe, & Corde constructæ, & Sacerdotes eorum locorum dotati. Singulas hasce Ecclesias Sigefridus consecravit, Successorem nactus Hermannum ejus nominis primum Episcopum, Conradi Jmperatoris, quod opinari fas erit, studio impositum.

Sigefridi Monasteriensis Episcopi mors & encomium.

Annus Christi 1033.

Joannis XX Pont. 10.
Conradi Regis 10. Imper. 7.
Meinwerci Ep. Pad. 25.

Fine anni Conradus Jmperator cum Henrico filio Argentinæ Natalem Christi celebravit. Nam in superiorem Germaniam profectus est; quòd hoc anno Rudolphus Burgundiæ Rex, Giselæ Imperatricis avunculus, priusquam sine prole è vita abiret,

Burgundia Imperio accedit.

Wippo presbyt. Brovver. lib. 11. ann. Trev.

transmiserit Henrico filio Imperatoris diadema Regni unà cum Lancea Domini. Igitur ad Regni ejus possessionem adeundam cum exercitu, sæva licet hyeme, Burgundiam intravit, & Regnum filio Imperioque asseruit: expulso Odone Franciæ Comite, qui, quòd Sorore Rudolphi Regis genitus esset, Regnum illud hereditario sibi jure vendicabat. Id Regnum, quia Arelatense censebatur, non modò ejus insignia Imperator sibi sumpsit; sed titulum etiam Arelatensis Cancellarij ad Trevirenses Archiepiscopos pervenisse opinantur. Ita verò Burgundia in provinciæ formam redacta, postquam per annos plusquam centenos triginta gentis suæ Reges habuisset, Germanico Imperio adjungitur; quemadmodum Friderico Mosellano Duce sine prole extincto, subrogatus Gothelo inferioris Lotharingiæ Dux totam Lotharingiam vicario munere administravit. Ea hujus Imperatoris erat magnitudo animi, & Imperij majestas.

Marsveldense Prædium cum nonnullis mancipijs Meinvverco datur à Conrado.

Pascha dehinc Imperator Neomagi celebre habuit, quo in loco ac palatio regio, cùm res Frisiæ earumque regionum ordinaret, Imperatorem assecutus Meinvvercus, alio dono regale prædium Marsvelt cum mancipiis ad preces Giselæ Imperatricis & Henrici Regis filij impetravit; id hisce literis à Conrado impertitum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Conradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Omnibus Christi nostrique fidelibus notum esse volumus, qualiter nos ob interventum ac petitionem caræ Conjugis Gisele videlicet Imperatricis augustæ, nec non et dilecti filii nostri Heinrici Regis, et Meinvverci Paterbrunnensis Ecclesiæ Episcopi fidele servitium, nobis secundum nostrum votum frequentissimè impensum, quoddam nostri juris prædium in Marsvelde, in pago Rietega, et in comitatu Udonis comitis situm, cum mancipiis utriusque sexus, quorum hæc sunt nomina, Wiga et uxor ejus, Olika et filius ejus, Albern et soror ejus Athelhilt, Volclach et filius ejus Buna et soror ejus Gele, et cum omni lege ad idem prædium jure pertinente, areis, ædificiis, agris, pratis, terris cultis et incultis, pascuis, silvis, venationibus, exitibus et reditibus, viis et inviis, aquis, piscationibus, aquarumque decursibus, molendinis, quæsitis et inquirendis, omnique utilitate, quæ scribi aut nominari potest, ad Monasterium sanctæ Mariæ et sancti Kiliani sanctique Liborii tradidimus in proprium perpetualiterque ibi existendum; eo videlicet tenore, ut ejusdem sacræ Sedis Episcopus suique Successores liberam inde habeant potestatem tenendi, tradendi, vendendi, commutandi, vel quidquid sibi placuerit, faciendi, ad usum tamen ejusdem Ecclesiæ. Adhæc sub eadem præcepti auctoritate tria mancipia, quorum hæc sunt nomina, Emma, Sicca, Werthubrecht ad prædictum monasterium in proprium tradidimus. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa per omnium curricula annorum permaneat, hoc præceptum inde conscriptum, subtusque propria manu nostra confirmatum sigilli nostri impressione jussimus insigniri.


Signum

Signum Domni Conradi  *Romanorum Imperatoris augusti.*

Burchardus Cancellarius vice Bardonis recognovit. Data III Idus Maji, anno Dominicæ Incarnat. MXXXIII. indictione prima. anno autem Domni Chounradi secundi regnantis VIIII. imperii VI. actum Noviomago feliciter. Amen.

Eadem in urbe, eodemque prorsus die III Calend. Maji Geroldus Werthinensis ad Ruram Abbas omnia priorum Cæsarum privilegia Monasterio D. Ludgeri data, imperatoria non modo auctoritate confirmata, sed nova liberalitate à Conrado aucta consecutus est; quod diploma ob D. Ludgeri ac loci venerationem hic juvat referre. A quo & confirmantur privilegia Werthinensia.

In Nomine S. & Individuæ Trinitatis. Conradus divina favente Clementia Rex Imperator Augustus. Omnium Christi nostrorumque fidelium universitatem scire jubemus, quòd fidelis noster Geroldus abba monasterii, quod vocatur Werdina, insinuavit celsitudini nostræ, qualiter monachorum cœnobium sibi concessum à beatæ memoriæ Sancto Liudgero Episcopo in propria ejus hæreditate fuerit constructum, monachisque contraditum, ac gloriosissimorum Regum HLudevvici filii Regis Magni Karoli ac Successorum ejus, videlicet Henrici, trium Ottonum, nec non secundi Henrici Imperatoris invictissimi, pro æterna ipsorum omnisque generis memoria, defensione, ac tuitione hactenus fuerit conservatum. Quamobrem nostram imploravit Clementiam, ut idem monasterium sub nova tuitione suscipientes, omnes concessiones ab antecessoribus nostris sibi collatas nostræ præcepto auctoritatis firmaremus. Cujus rationabili ac justæ petitioni assensum præbentes, decernimus atque jubemus, ut idem monasterium imprimis cum omnibus ad se pertinentibus plenissima immunitatis securitate perfruatur, neque publicis exactionibus eidem monasterio subjacentes, liberi vel servi, sive à qualibet culpa rei ab ulla potestate judiciaria constringantur, sed advocatus eorum, si quid inquirendum est corrigendum inquirat aut corrigat. Præterea quod aliis quoque monachorum cœnobiis concessum est, ut ubicunque dominicatos mansos habuerint, in quocunque sint Episcopio, seu præfectura, vel in omni regno à Deo nobis collato, decimas dent ad portam monasterii, nec ab ullo penitus alibi dare cogantur; sed ab eisdem pro nostra beatitudine perpetua supervenientibus peregrinis ac hospitibus serviatur: insuper etiam eidem abbati & populis ad prædictum monasterium servientibus regali nostra potentia viam navigii concessimus de illo loco ubi Rura fluvius influit Renum; eo rationis tenore, ut omne per ævum, clausulis, nec ulla impediente causa liberam habeant potestatem navigandi sursum contra Ruræ fluvii decursum usque ad Werthinæ monasterium. Ad hæc quoque eidem fratrum collegio ad eligendum inter se abbatem regularis electionis potestatem concedimus. Abbas illius monasterii ad castra, nec in hostem ire cogatur. Insuper homines fratrum ipsorum ab omni vectigalium & thelonii inquisitione securi consistant. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi tantum hæreditas Sancti Liudgeri, ac propinquorum ejus, & eleemosynæ religiosorum hominum, ideo liceat abbati illud monasterium cum rebus ad se pertinentibus liberè possidere, quatenus eum cum fratribus ibi famulantibus melius delectet pro nostra ac totius Ecclesiæ salute divinam jugiter implorare Clementiam. Et ut hæc nostra auctoritas stabilis permaneat, eam manu propria roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Conradi  *Romanorum Imperatoris invictissimi.*

Burchardus Cancellarius vice Bardonis Archicancellarii recognovit. Data IIII Kal. maji. Anno incarnationis Domini millesimo XXXIII. Indict. prima, anno autem Domini Conradi secundi regni VIIII. Imperii verò VI. actum Huimago feliciter amen.

Ab

Ab inferiori Rheno Imperator in Saxoniam discessit: quippe aquilæ instar transvolabant Imperatores provincias Imperij, ubique præsentiam & majestatem circumferendo, quos postea ex abdito tanquam Reges Persarum venerari necesse fuit. In hac profectione Imperator XII Calendas Julii Northusæ Winoni, Helmwardeshusani Monasterij Abbati, quem in Palæstinam à Meinwerco destinatum dixi, jus dedit mercatus, cudendæ monetæ, & telonij, rogatu Imperatricis, Henrici filij Regis, ac Meinwerci Episcopi; quo denuo cognoscas Meinwercum adhuc Imperatori in obsequijs aulæ Comitem hæsisse: nec pro se tantum, sed & pro cœnobijs suis multum valuisse apud Imperatorem. Tabulas hîc referam, etsi imperiale illud Monasterium in potestatem hæresis & Hassorum cesserit.

Mercatus ac telonij jus Conradus concedit Helmwardeshusano Abbati ad preces Meinwerci.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Omnium nostri Christique fidelium tam præsens quàm et futura comperiat turba, qualiter nos ob interventum ac petitionem dilectæ Conjugis nostræ Gisele Imperatricis videlicet augustæ, et nostræ dilectissimæ prolis Heinrici Regis, nec non et fidelis nostri Meinvverci Episcopi, maximè verò ob amorem Dei, Winoni sanctæ Helmvvardeshusensis Ecclesiæ venerabili Abbati concessimus, largiti sumus, ac firmiter dedimus fas, licentiam atque potestatem in eodem loco Helmvvardeshusano dicto, in Comitatu Bennonis Comitis, et in pago Angera sito, faciendi, habendi, ac construendi mercatum, monetam constituendi, telonium accipiendi, ibique totius publicæ functionis negotium decrevimus colendum. Unde imperiali jubemus potentia, ut omnes negotiatores, cæterique ibidem mercatum excolentes, commorantes, euntes et redeuntes talem pacem talemque justitiam obtineant, qualem illi detinent, qui Moguntiæ, Coloniæ, et Trutmanniæ negotium exercent, talemque bannum persolvant, qui idem mercatum inquietare aut infringere præsumant: idem mercatum cum jam dicta functione, moneta, banno et telonio in proprium tradimus memorato cœnobio suisque rectoribus in perpetuum. Et ut hæc traditio firmior omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscriptam, propriaque manu corroboratam, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Chuonradi  *Romanorum Imperatoris invictissimi.*

Burchardus Cancellarius vice Bardonis Archicappellani recognovit. Data XII Calend. Julii, anno D. Incarnat. MXXXIII. indictione I. anno autem Domni Chuonradi secundi regnantis VIIII. Imperantis verò VI. actum Northuse feliciter Amen.

Pistorius ad Chron. Mindens.

Haud multò post Imperator Merseburgi commoratus in Thuringia VI Idus Julij Sigefrido Mindensi Episcopo amplum nemus Imperatoria liberalitate donavit, quod cum à Pistorio inter Mindensia diplomata publici juris sit factum, hîc prætermitto; ubique enim hujus

hujus Imperatoris non secus quàm D. Henrici vestigia liberalitatis in Ecclesias deprehendas.

Sed longè illustrius hujus Imperatoris beneficium, quo Comitatum Dodiconis, seu Warburgensem Meinwerco & Ecclesiæ Paderbornensi per id tempus Imperatoria auctoritate reddidit. Interverterat hunc Aribo Moguntinus Archiepiscopus, ut supra relatum est, gratia Imperatoris infirmoque jure à Paderbornensi Ecclesia, abstractum, transcripserat in suam diœcesin, Imperatore ab Archiepiscopo, quòd per initia Regni non satis exploratam haberet causæ æquitatem, facilè circumvento. Laboravit in septimum annum Meinwercus pro recipiendo Comitatu apud Imperatorem Conradum, nec vivo Aribone Archiepiscopo quidquam obtinere licuit, quòd Aribone ex prima Electione obligatus esset Imperator. Eo mortuo, continuis precibus, & expositis justæ causæ argumentis, Imperatorem tandem reflexit in aliam mentem, comitatumque nobilem Ecclesiæ suæ restitutum impetravit. Ac ne Bardoni Moguntino sanctiori Episcopo, qui Ariboni successerat, querelæ novæque discordiæ locus relinqueretur, alium illi imperialis juris Comitatum reposuit. Ejus rei gratia ipsum Conradi Imperatoris diploma, quo mirificè Meinwerci obsequia ac merita commendantur, hic juvabit recitare.


Auctor vitæ Meinvv. n. 121.

Recuperat comitatum Warburgensem Meinwercus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus, præsentibus ac futuris, qualiter antecessor noster beatæ memoriæ Heinricus Imperator, cujus semper animus in Dei Ecclesiis meliorandis et amplificandis invigilavit, Paderbrunnensis paupertatem miseratus Ecclesiæ, multa ei bona, tam in prædiis, quàm in aliis facultatibus, larga manu pro Dei amore, dilectique sibi præsulis Meginvverchi assiduo et devotissimo obsequio contulit, inter quæ etiam comitatum Duodiconis quondam Comitis eidem Ecclesiæ imperiali munificentia legitimè donavit, tradidit, delegavit: illo autem autem antecessore nostro defuncto, nos, qui loco illius in regnum successimus, per suggestionem Magontini præsulis eundem Comitatum à præfata Ecclesia tulimus, et in jus Moguntinæ Ecclesiæ, rudes adhuc in regno, injusto persuasi consilio, irrationabiliter transtulimus et transmutavimus: imperiali autem nostra potestate Dei gratia magis magisque in regno confirmata et corroborata, Meginvvercus præsul Imperatorum devotissimus servitor et amator, marthæ sedulis satagens obsequiis, non cessavit, nec quievit, supplicando, serviendo, quo ad usque nos omnipotentis Dei, in cujus manu corda sunt regum, commoniti, instinctu dilectæ conjugis nostræ Gisele, nec non Heinrici filii nostri magnifici Regis interventu, Ecclesiæ suæ, scilicet Paderbrunnensi, totum Bernhardi Comitis quondam Comitatum, qui situs est in locis Hesse, Nitergo, Nege, Bohteresgo, legitima traditione reddidimus, restituimus, redonavimus. Precaventes autem nos, et precogitantes, ne aliqua

qua

qua postmodum inter ipsas Ecclesias de hac re controversia fieret et discordia, Moguntinæ Ecclesie Comitatum, qui situs est in Cluinga propter pacis confirmationem, imperiali nostro jure concessimus, et hoc nostra parte ita est compactum, sicq; definitum, ut neutra Ecclesiarum illarum aliquod de prædictis rebus sibi inquisitis aliquo modo patiatur detrimentum. Si quis autem diabolica suasione seductus hanc nostram traditionem in aliquo infringeret, sciat se odium Dei Sanctorumque ejus habiturum, et M. libras auri puri compositurum, medietatem Cameræ nostræ, et medietatem prædictæ Paderbrunnensis Ecclesiæ rectori; quod ut verius credatur, et diligentissimè ab omnibus in perpetuum servetur, preceptum inde conscriptum manu propria subtus firmavimus, et sigillo nostro insigniri jussimus.

Signum Domni Chuonradi  *invictissimi Romanorum Imperatoris augusti.*

Burchardus Cancellarius ad vicem Bardonis Archicappellani recognovit. Datum IIII. Non. augusti. Indict. 1. anno Dominicæ Incarnat. MXXXIII. anno autem Domni Chuonradi secundi regnantis VIIII. Imperantis VII. actum Liutburg feliciter amen.

Lambert. Schafn. Brovv. lib. 11. ann. Trevir. Chron. Hildes. Chron. vetus apud Brovv. in notis.

Æquus Imperator, & justitiæ amantissimus; sed non minus religione & pietate, quàm armis præstans, qui per id tempus gentilitium intra Nemetes & Vangiones Limburgense castrum convertit in Monasterium Monachorum. Sub exitum huius anni Meinwercus denuo Imperatorem cum Imperatrice, & Henrico Rege filio, totaque aula Paderbornam traxit, quocum Natalitia Christi festivis gaudijs celebravit.

Annus Christi 1034.

Benedicti IX Pont. 1.
Conradi II Reg. 11. Imper. 8.
Meinwerci Ep. Pad. 26.

Wippo presbyt. Herman. Cont. Sigebertus.

Annus dehinc trigesimus quartus supra millesimum accedit, triplici bello, Burgundico videlicet, Bohemico, & Sclavico celebris. Burgundicum ipse Cæsar suscepit, eóque Ratisbonam profectus, peractoque istic Paschatis festo movit in Burgundiam cum Teutonico exercitu, cui Italicum occurrere jussit; junctisque viribus Odonem Comitem ex occupatis castris & provincijs ejecit, acceptisque obsidibus, & Regno in potestatem redacto, redijt per Alsatiam ad Imperatricem, quæ Argentorati reditum præstolabatur Imperatoris. Quo tempore Methilda Cæsaris filia, egregiæ pulchritudinis & virtutis virgo, eóque jam Henrico Gallorum Regi desponsata, moritur.

Conradus Imp. Burgundiam domat.

Bellum inter hæc Bohemicum gessit patris imperio Henricus Rex, & Udalricum Bohemorum Ducem, & cum eo conspirantes Sclavos, Polonosque Patri rebelles subegit. His per tyrocinia belli ac prima auspicia

Et per filium Bohemiam.

auspicia feliciter gestis, Patri occurrit, duplicique victoria Pater & filius Imperium recreârunt. Inde conjunctis armis, attractisque Saxonicis copijs, tertium inchoatum est bellum adversus Luttizios Sclavos, qui & Wilsi, & Velatabi dicuntur apud Helmoldum & alios, interque Albim & Oderam incoluêre. Nota gens, cui cum Redarijs quibusdam longa bella fuerunt: olim, ut Wippo presbyter scribit, Semichristiani, post ad Idololatriam relapsi, paganis ritibus vivebant; eóque per id tempus multa inter Saxones & paganos dissidia, prædæ, incursationes. Jam postquam Jmperator ad Albim pervenit cum exercitu, cœpit quærere Utri pacem primò violassent. Saxones ruptæ pacis culpam in Sclavos rejecêre: contra Sclavi in Saxones; cúmque litigando neutra pars alteri cederet, Sclavi duello rem decidi postulant à Cæsare: nec id detrectant Saxones. Igitur duo pugiles in medium prosiliunt, alter Sclavus conscientiæ veritatis innixus, alter Saxo confisus christiana sua religione. Verùm quòd malam causam sub patrocinio bonæ religionis susciperet, in congressu multis vulneribus confossus cecidit. *Bona*, inquit Wippo presbyter, *in christiano fides, sed quæ bonis operibus destituta erat.* His in tantam audaciam inflammati Slavi, ut mox ad arma provolarent, obtruncaturi Saxones; sed cohibuit furentes Jmperatoris auctoritas. Ita diremptis partibus Jmperator Werbinam castrum præmuniri jussit, impositoque præsidio militari, omnes Saxoniæ Principes Sacramento obstrinxit ad Sclavorum incursiones prohibendas, limitesque custodiendos. Inde Jmperator per Saxoniam in Franciam redijt, visurus, quid parte illa barbari molituri. Quippe æquissimus Jmperator, cum ruptæ pacis culpam penes Saxones esse intelligeret, pacta inter ipsos integra manere voluit, dum alia injuria belli daretur: præclaro ad posteros documento, fidem etiam Barbaris, quod juris gentium est, servandam esse. Hunc in modum Helmoldus quoque, quod & supra retulimus, magnam culpæ partem rejecit in ipsos Saxones: *Quippe eo tempore*, inquit, *ex quo Conradus Imperator Henrici Successor Winithos præliis attrivit, pax firma aliquamdiu fuit in Sclavia. Veruntamen christiana religio, et cultus domus Dei, parvum recepit incrementum, præpediente avaritia Ducis et Saxonum, qui omnia corradentes, nec Ecclesiis, nec Sacerdotibus quidquam passi sunt esse residui.*

Slavos inter & Saxones pacem firmat.

Helmold. lib. I. c. 2. Bangertus in notis.

Helmoldus lib. I. c. 19.

Inter hæc Meinwercus hoc anno omnia ad fabricam novæ Basilicæ, Collegijque Bustorffiani comparavit; eóque impensius, quòd senio ad extrema vitæ se urgeri animadverteret. Et verò quia per id tempus Wino Helmwardeshusanus Abbas, à Meinwerco in Palæstinam missus, redierat Hierosolymis, secumque templi Hierosolymitani descriptionem cum reliquijs retulerat, Meinwercus ad id exemplar Basilicam D. Virgini Genitrici, Apostolisque Petro & Andreæ extra vrbis mœnia in Orientali parte construere cœpit; additumque

Meinwercus Bustorffianum Collegium perficit.

que Collegium Canonicorum, quos & magno delectu status congregavit. Opus illud intra biennium contento operum labore ad fastigium assurrexit; quemadmodum illud ex solido lapide, & firma structura hodiedum aspicitur, intra urbis muros postea conclusum.

Annus Christi 1035.

Benedicti IX Pont. 2.
Conradi II Reg. 12. Imper. 9.
Meinwerci Ep. Pad. 27.

Chron. Hildes. Vetus chron. apud Brovver. in notis.

Hyeme jam propè exacta, Conradus Imperator Pascha cum Meinwerco Episcopo Paderbornæ celebravit, nihil S. Henrico Imperatori concessurus vel in Paderborna frequentanda, vel in Meinwerco exornando; quem virum ex omnibus Saxoniæ Germaniæque Episcopis ita sibi familiarem habuit, ut nec Meinwercus ab Imperatore, nec Imperator à Meinwerco avelli posset, veneratus in eo præter generis claritudinem, & canam sapientiam, cumprimis religionis vitæque sanctimoniam. Festum exinde Ascensionis Domini Selingenstadij, & Pentecosten Bambergæ coluit. Post illa Imperator in Saxoniam profectus adversus Sclavos; quòd jam Barbari castrum Werbinam dolo interceperant, trucidatoque magnam partem militari præsidio, quod Imperator imposuerat, spolijs & cædibus grassarentur in Christianorum capita & templa. Quibus injurijs exacerbatus Imperator contraxit exercitum, castraque ad Albim posuit. Objecêre se Barbari ex adversa ripa, transitum prohibentes. Ubi dum eminus certatur pro flumine, Imperator reperto vado, partem exercitus latenter traduxit in alteram ripam, hostesque inopinatos aggressus, in fugam abjecit. Inde immensis vastationibus ac cædibus regionem pervagatus victor, castra & arces, quibus se incluserant, expugnat. His cladibus subacti Sclavi, præter libertatem christianæ religionis, tributum etiam solito auctius pendere jussi sunt. Crebris ejusmodi pugnis Conradus cum Sclavis decertavit, quod Wippo aulæ Imperatoriæ Sacerdos à poëtis etiam celebratum, & in annalium memoriam, quæ post excidit, relatum perhibet. Subinde Imperator pro magnitudine animi visus ad femora usque paludibus immersus decertare, militemque in prælia hortari. Sed illud ad posteritatem longè memorabilius. Ligneam Christi è cruce pendentis effigiem detraxêrant Sclavi è templo Christianorum: hanc postquam sputo fœdarant, colaphis ceciderant, atque omni genere ludibriorum impiè tractârant, postremùm confossis oculis, manibus pedibusque truncatam, per summam Christi Servatoris contumeliam, abjecêrant in sordes. Quæ ubi comperta religiosissimo Jmperatori, zelo injuriæ ulciscendæ accensus è multitudine paganorum, quos captivos trahebat, magnam partem manus pedesque truncari jussit: tam acerbo supplicio, quàm salutari documento, ne Barbari eadem in

Wippo presbyt.

Conradus denuo Slavos impetit, ac subjugat.

Ulciscitur injuriam Crucifixo illatam.

in Christi contumeliam auderent in posterum. Quis hac hæresis ætate nobis Conradum Imperatorem in Jconoclastas vindicem reddat? quando & atrociora perpetrantur in Christi imagines, & Christiani etiam & Catholici Principes horum tutelam non suscipiunt. Conradus certè ob hanc egregiam vindictam alter Titus ac Vespasianus à Christianis appellatus; tanquam quod ille in judæos Christum vendentes, hic in Sacrilegos paganos, ut poëta eorum temporum cecinit, iusta pœna executus sit.

Inter bella hæc cum Sclavorum gente Conradus Cæsar mense Septembri Magdenburgi cum Jmperatrice & Henrico filio rege versatus. Nam istic Becellino Bremensi Archipiscopo, qui ex choro Coloniensi evocatus, Hermanno subrogatus erat, jus mercatus publici obsignavit. Is deinde Hamburgi consecratus Episcopus à provincialibus, & septem Saxoniæ Episcopis. Vir pro merito magnarum virtutum magnis laudibus exornatus ab Adamo Bremensi. Eo Archiepiscopo per Succiam, Nortmanniam, & Sclaviam, operâ Apostolicorum virorum & Concionatorum, Christi Evangelium mirificè propagatum est. Fine anni Jmperator Goslariam profectus est; quo in loco Christi Natalitia celebrare placuit, & animum tantisper à publicis curis relaxare. Culta jam Goslaria erat, ex quo ab Henrico Aucupe ex Molendino & tugurio venatorum, sedes Jmperatoria esse cœperat, & venationis oblectamentum.

Adamus Bremens.

Annus Christi 1036.

Benedicti IX Pont. 3.
Conradi II Reg. 13. Imp. 10.
Meinwerci Ep. Pad. 28. & ultimus.

Ingredimur post hæc annum trigesimum sextum supra millesimum, quo Jmperator per hyemem in superiorem Germaniam profectus, festum Purificationis B. Virginis Augustæ Vindelicorum peregit: habitoque istic procerum conventu, Adalberonem Carantanorum Ducem, publicæ quietis turbatorem, in exilium depulit, subrogato Conrado patruele. Inde peracto Argentinæ festo Annunciationis B. Virginis, Pascha 18 Aprilis celebratum Jngelhemij. Ab Rheno in Westfaliam profectus Jmperaror 27 Maji festum Ascensionis Domini Paderbornæ cum Meinwerco Episcopo nostro egit. Tam sibi carum habuit Jmperator Meinwercum, ut nullus penè annus transierit, quò non Paderbornam inviserit, & loci amœnitate venerationeque invitatus, & Præsulis familiaritate delectatus; quanquam hic postremus utriusq; congressus fuerit; tanquam & cœlitus hæc mens Jmperatori injecta, ut hac profectione extremùm salutaret Meinvvercum.

Wippo presbyt. Stengelius in histor. August.

Chron. Hild. Crusius in Ann. Suevicis lib. 6. p. 2. c. 8.

Ultimus Conradi cum Meinverco congressus.

Paderborna dehinc Imperator ad inferiores Rheni provincias festinatis itineribus profectus, Pentecosten Neomagi ad Vahalim celebravit; ubi in Natali Apostolorum Petri & Pauli, & frequenti Princi-

 pum

pum congressu, Cunihildis (quam Wippo Chunelindam vocat) Canuti Danorum & Anglorum Regis filia, solemnibus nuptijs Henrico Regi Cæsaris filio conjuncta est. Post hæc omnia ab Jmperatore ad Jtalicam expeditionem sunt apparata, quam in Autumno suscepit.

Inter hæc Meinvvercus Episcopus noster totus erat in fabrica Bustorfiani templi & collegij, quam à biennio cœperat, absolvenda, tanquam à superis monitus, ne quid mors, quæ imminebat, in hoc salutari opere interturbaret. Igitur cùm jam Canonicis in Collegium congregatis abunde de annona & honesta cleri vita prospexisset, templum pontificali ritu VIII Calend. Junij consecravit, evocatis ad eam dedicationem Bardone Moguntino, & Hermanno Coloniensi Archiepiscopis, & Brunone Wirceburgensi Episcopo, quorum consilio & voluntate opus illud cumprimis inchoârat. Consecratione peracta, post solemne Missæ sacrificium & concionem ad populum, tabulas dotationis verbis, ut ipse conceperat, prælectas, præsentibus Episcopis ac testibus, publicè Canonicis in manus tradidit, quas hîc ad Meinvverci perpetuum decus & posteritatis memoriam ex autographo exhibere juvat.

Dedicatio templi Bustorffiani.

Tabulæ fundationis Bustorffianæ.

In honore sanctæ Trinitatis, et individuæ Unitatis. Notum sit regiæ potestati, omnique Pontificali dignitati, cunctoque Ecclesiastico ordini, universoque populo christianæ fidei signato, quod Ego Meinvvercus peccator, anno ab incarnatione Domini Millesimo tricesimo sexto, licentia serenissimi Imperatoris Conradi, ac consensu Moguntini Archiepiscopi Bardonis, Coloniensis Archiepiscopi Hermanni, Wirceburgensis Episcopi Brunonis, cœpi construere Ecclesiam extra Paderburnen civitatem in Orientali parte positam, ad similitudinem sanctæ jerosolomitanæ Ecclesiæ, et ob honorem sanctæ Dei genitricis et perpetuæ virginis Mariæ, et beatorum Apostolorum Petri et Andreæ pro illa obtinenda cœlesti jerusalem. In hac autem Ecclesia Canonicos Deo servientes congregavi, quibus victum et vestitum de propriis bonis ministravi. In die autem sanctificationis Ecclesiæ, benedictione peracta, ante missarum solemnia sermone ad populum finito, more aliarum Ecclesiarum Deo consecratarum, dotavi eam, dans curtem unam in Theilden, quam ex hæreditate paterna possedi, duas precariè acquisitas, unam in Wellethe, alteram in Esbike, et unum Vorvverc in Essike, unam curtem in valle. Quia verò de prædio in confinio tantùm non habebam, ut sufficere posset ad usus Ecclesiæ Deo servientium in ea, consilio fidelium nostrorum accepto, decimas subterscriptas de dominicalibus curtibus ad me pertinentibus eidem Ecclesiæ dedi, quarum prima est Enenhus et tredecim Vorvverc ad eam pertinentes Stidenen, Benedeslo, Colstide, Dedinchusen, Hedinghusen, Dale, Henkeldere, Hylamare, Suaveren, Barckhusen, Brochusen, Balhornen, Patherburna: Suchem, et tres Vorvverc ad eam pertinentes Kercthorp, Holthem, Synnardissen: Nyenhus, et quatuor Vorcvverc ad eam pertinentes Elesen, Ascha, Burch, Tune: Bekena et quatuor Vorcvverc ad eam pertinentes,

Orlme-

Orlmehusen, Meginchusen, Burchusen, Hepim, Tkamanninckthorp, Bekeseten et tres Vorcvverc ad eam pertinentes Hysse, Unrikissen, Ekama: Heligenkerken, et duo Vorvverc ad eam pertinentes, Aldenthorp, Baramcthorp: Lugethe, et duo Vorvverc ad eam pertinentes Dodenbroke, Breka: Hegenhusen et quatuor Vorvverc ad eam pertinentes, Rothbagtissen, Berga, Holtyminne: duo Ogenhusen et sex Vorcvverc ad eam pertinentes Sandekebeke, Homa, Sastinthorp, Stenhem, Hardincthorp: Loysem et quatuor Vorcvverc ad eam pertinentes Malride, Leverincthorp, Pumesen, Baddenhusen: Herstelle; et quinque Vorvverc ad eam pertinentes, Wergis, Thesle, Bretal, Hemriadassen, Bussesen: Dasburch, et duo Vorvverc ad eam pertinentes, unam in ipsa villa Westnedere, Ostilagesen: Culete, et tres Vorvverc ad eam pertinentes Asle, Bylmchusen, Teninchusen: Curbike, et quatuor Vorvverc ad eam pertinentes Dalvvicensche, item ensche, Lenkevelde: Vilese, et unum Vorvverc ad eam pertinentem, vernethe, Ebike, quæ est juxta Horste. Ipsis autem villicis, qui domos hasce prædictas inhabitant, vel his qui post eas ponendi sunt, nihil omnino prætermittentes, nisi quindecim jugera pro vestitu, alia verò, quæ laboraverint in agro, vel nutrierint in domibus tam propria sua, quæ habent, aut postea Deo annuente possessuri sunt, quàm ad nostram potestatem pertinentes, quadrupedia, sive pennata, more solito, absque ulla contradictione addecimarent. Ut ergo nulla ex his prætermitterem, quæ mihi à Deo data erant, dedi etiam, decimam in Synatha super armenta mea, et super examina apum fideliter Deo et Domino Jesu Christo Sanctoque Spiritui offerens vota mea. Si quis autem eorum, qui videntur hys omnibus præesse, præsumptuosè hanc nostram traditionem pro mala voluntate, aut propter nequitiam cordis sui irritaverit, et secundum nostram dispositionem decimam non dederit, dicens se non justè daturum, et hoc à procuratore fratrum, vel ab ipso Præposito loci, vel quod majus est, à communi fratrum querimonia proclamatum fuerit, si ministerialis noster hujus rei rector est, juramento se in reliquiis nostris purgabit: si lito, judicio ferri igniti synodali sententia se liberabit. Ne verò alicui Successorum meorum non bonæ voluntatis viro, neq; amorem Dei in corde suo retinens mensæ suæ stipendia diminuisse videar, sciat has decimas me et de hæreditariis et de acquisitis bonis centies restituisse. Ponebam etiam terminum, ut unaquæque solet habere Ecclesia, audiente clero meo cunctoque populo congregato, nullo contradicente, sed magis voluntati meæ in omnibus consentiente, confitente universo clero hæc omnia sine ulla contradictione posse fieri, inprimis villam hanc, quæ dicitur Aspethera, aliam quæ vocatur Hildelmehusen, tertiam, quæ vocatur Haxsuitehusen, quartam Hohensile, quæ vulgari verbo dicitur Queden, quintam Esbegtinchusen, super hæc omnia cum non possent habere utilitatem ullam salva potestate Episcopali, dedi eis in Benedeslo et in Marthys Thornetorn, Rentinthuson, Hildelinchuson, Aspetharoz, in unaquaque ebdomada pondera sex plaustrorum. Dedi etiam ad honorem et utilitatem Ecclesiæ partem fundere mea in orientali plaga viæ, quæ vadit ab urbe ista usque in Esbegtinehusen; sciat namq; fidelis in Domino frater nostri ordinis locum nostrum possessurus omnisque Ecclesia catholica hys literis A, *et,* ↄTↄ, *à me privilegium hoc signatum propriis manibus meis sigillatum, peractaque benedictione sepulcri et altaris ante positi octavo Calend. Junii missa celebrata filiis Ecclesiæ traditum; ea videlicet ratione ut si quando tribulationem seu contradictionem harum rerum prænominatarum ab aliquo patiantur, scripturarum*

rarum testimonio veritas approbetur. Traditionem autem hanc si quis Successorum meorum aut consanguineorum seu posterorum eorum, à quibus precario partem quandam acquisieram, infringere voluerit, Beatorum Apostolorum Petri, et Andreæ, et Episcoporum Bardonis, Hermanni, Brunonis, quorum testimonium priori introduximus loco, nostroquo banno, et omnium animarum Deo consecratarum, in secundo cum venerit Dominus unicuiq; operum suorum præmia redditurus, cum Juda traditore anathemate feriatur perpetuo: qui autem post instinctum Dei Patris omnipotentis ex nostris interfuêre, quorum consilio auxilioq; hæc omnia perfecerim, paucis notabo nominibus. Sigehardus abbas Patherburnen. Wino abbas Helmvvardishusen, qui mensuras Ecclesiæ, et sepulcri de Jerusalem apportavit, Hosadus Præpositus matris Ecclesiæ, et frater ejus Uffo, Dodico Decanus, Bovo Præpositus loci istius, Betelinus Camerarius, Eppo Dapifer, Cizo, Geilo fratres, et Pincernæ, Eve et filii ejus, Landico, et Eve, Dudo, Tydman de Enenbus, Aldericus de Nyenhus.

Hæ tabulæ cum nobis VIII Calendas Julij præsentem sistant Hermannum II cognomento Pium Coloniensem Archiepiscopum, Piligrimi Successorem, falluntur ij, qui Piligrimum mense demum Augusto cum Gelenio obijsse scribunt, tametsi hoc anno excesisse è vita plurimorum scriptorum sit consensus. Præclarus uterq; Archiepiscopus, & in Coloniensium fastis mirificè commendatus, quales aurea illa Episcoporum ætas tulit; haud secus, quàm Bardo Moguntinus Archiepiscopus inter Divos à Scriptoribus accensetur.

Et jam Meinwercus, cùm extra urbis muros in suburbanis locis Cœnobium Monachorum ad Occidentem, & Bustorfianum Collegium Canonicorum ad Orientem condidisset, meditabatur versus Aquilonem extra mœnia cœnobium Virginum, aliamque ad Austrum Ecclesiam, eo consilio, ut in formam crucis Paderbornam religiosorum congregationibus tanquam cœlestibus vigilijs custoditam præmuniret: Sed hæc pia consilia mors haud multò post abrupit. Nam dedicatione peracta, celebratoque festo die Christi in cœlum ascendentis, cœpit postridie adversa valetudine tentari. Et cùm fatalem hunc morbum haud obscuris indicijs præsentiret, haud aliud egit; quàm ut assiduis precibus & meditationibus se ad mortem componeret. Et qui per omnem vitam largus fuerat in egenos, tum postremos hisce diebus omnia, quæ in ære supererant, effusè distribuit inter inopes. Quæ deinde annona in domo Episcopi reperta admodum copiosa, ea post obitum ejus per septem noctes erogata est. Urgente ad suprema morbo, Nonis Junij, in pervigilio Pentecostes, hora diei prima, deferri se jussit in ædem sacram, aulæ Episcopali contiguam, ac Divis martyribus Primo & Feliciano sacram, innixamq; quatuor columnis ad Cathedralem basilicam: ea in æde ad altare se collocari voluit; ac postquam Sacramento corporis Christi refectus fuit, sublatis in cœlum manibus, inter gemitus & preces animam Deo, à quo acceperat, placida morte reddidit. Eâdem prorsus horâ, quæ tertia diei

Meinwercus bina adhuc asceteria meditans occupatur à fatali morbo.

Sua in egenos partitur.

In S. Feliciani sacellum delatus piè moritur.

diei erat, S. Godehardus Hildesiensis Episcopus divinitus de morte S. Meinwerci edoctus, jussit quidem prandium sibi parari, sed non prius se accubiturum edixit, quàm nuncio quodam accepto: quo advenient & Meinwerci mortem nunciante, processit ad aram, & sacrificium pro Meinwerco obtulit. Post ubi ad prandium accessit paratum, arrepta utraque manu simila, quæ forte posita erat in mensa, *O Beate Meinwverce Episcope*, inquit, *quomodo te lata tua Simila à morte communi non liberavit? Et ego, inquit; quamdiu superstes fuero, de albo pane non gustabo*; id quod biennio, quod dehinc vixit, ex dicto præstitit. S. Godehardo revelatur eâdem horâ, mors Meinwerci.

Eodem momento, quo Meinwercus excessit è vita, Boso quoq; Corbeiensis Monachus, quem, ut supra diximus, ob injuriam sibi Corbeiæ in templo factam, ante viginti annos ad judicium Dei citaverat, vivere desijt. Nam cùm Corbeiæ in claustro sanus & incolumis raderetur sub tonsoris manu, & præsentes intueretur alloqueretürq;, repentina morte extinctus concidit. At tametsi hic Monachus facti poenitens, & Meinwercum Paderbornam consecutus delicti veniam expetierit, impetrâritq;, ut tamen Meinwercus provocationem ad divinum tribunal revocaret, adduci non potuit, asserens Dei decretum, ad quod semel appellârat, esse immutabile: quocirca ita vitam instituerit, ut se eodem simul momento coram judice sistere posset: quæ res postquam vulgata, formidabili exemplo mentes aliorum affecit. Boso in Meinwercum olim injurius eodem, quo ille momento extinctus sistitur judicio.

Vixit Meinwercus in Episcopatu annos XXVII, menses duos, dies XXIV. corpus dehinc, ut mandârat, deportatum est ad Ecclesiam Abdinghoviani cœnobij à se conditi, atque istic in crypta sub principe choro ante aram humo tectum; quemadmodum hæc omnia vivus præscripserat. Eo in tumulo, cùm per annos CCCXL quievisset, Conradus Allenhusanus Abbas XXII, anno Christi MCCCLXXVI, die S. Marco sacra, in superiorem chorum transtulit, & honorificè erecto super pavimentum tumulo inclusit; ut hodiedum aspicitur colitürq; ejus cœnobij conditor: & prodigij tum loco habitum fuit, vestẽ sacrificalem, qua tot sæculis corpus ejus involutum jacuerat, nec vermis contactu, nec ullo putredinis vitio læsam fuisse. Quapropter excepta è tumulo atque inter sacræ suppellectilis ornamenta reposita est, adeo hodiedum integra & tenax ævi, ut in anniversaria obitus Meinwerci die Abbas eo amictu sacrificium peragat. Tela ejus serica albi coloris, formaque pallij instar oblongi latique, ex omni latere clausi, quales ejus ævi erant sacrificales hæ vestes, quas vulgo nunc casulas dicimus: Nihil jam attinet ad laudes tanti Præsulis addere, quæ ex his, quæ de rebus ab eo præclarè pro Ecclesia sua gestis diximus, satis æstimari possunt. Vir sanè, dum vixit, omnibus fuit Episcopi virtutibus inclytus, ob quas à tribus Imperatoribus, Ottone III. Henrico sancto, & Conrado Salico tanto in honore & amore fuit: religione in Deum, caritate in suos, liberalitate in Ecclesias ac religiosorum familias, fortitudine adversus Ecclesiæ suæ hostes, patientia in adversis, au- Vestis sacrificalis cadaveri circumdata hodiedum integra. Virtutes eximiæ Meinwerci.

ctoritate

ctoritate apud Principes, castimonia vitæ, fervore in disciplina cleri & religiosorum conservanda, virtutum æstimatione, Germano candore animi, & nativo lepore ingenij magnus & fulgidus eo sæculo Episcopus, qui claritudinem familiæ & virtutum ornamenta conjunxit, quòd cum Deo conjunctissimus viveret. Quem ob hæc non ignobilis Scriptor Phænicem Paderbornensium Antistitum appellavit. Sane alter conditor Episcopatus hujus posteritatis judicio est habitus, quem, uti Conradus Imperator supra laudatus fatetur, ex paupere divitem fecit; primùm omne patrimonium, quod ex paternis bonis habuit amplissimum, in eum convertendo: Tum deinde gratia apud Cæsares, industria & parsimonia tantùm accumulando, quantùm nemo unquam Comes aut Princeps pro familia sua locupletando augendaque visus est laborare. In quo Dei honorem, & Ecclesiæ bonum, & animarum salutem unicè sibi propositam habebat; ut mirum sit, repertos esse postea degeneres Episcopos in Ecclesia nostra, qui hæc magnam partem prodigè in feuda consanguineorum Comitum convertêre, quibuscum omnia simul nostro ævo ad hæresin transierunt. Illustria hæc in Meinvverco; sed non minus misericordiæ erga pauperes & infimæ sortis homines veri Episcopi exemplum fuit; quam in rem multa produxit Auctor; è quibus illud etiam præclarum ad posteros documentum. Per id tempus, quo villici sub exitum anni decimas & census pendebant, stabat Meinwercus in vestibulo domus, viditq; puerum fune trahere porcum, quem mater multum amaréque flendo sequebatur: his commotus Meinwercus mulierem accessit, & cùm causam fletus interrogaret, respondit illa, viduam se esse, quæ amisso viro hunc porcum cum filio, pane & frumento ab alijs emendicato, aluisset, quem villicus per vim sibi abstractum jussisset duci ad domum Episcopi. Quo audito ingemuit Meinwercus, ac manu pectus tundens, obortis lacrymis, exclamavit: *Væ tibi Meinvverce Episcope, cujus animam miserabilium hominum lacrymæ ad tartara demergent: illis cibus et victus subtrahitur, qui nobis abundat.* Quare vocato ad se villico, non mòdo porcum viduæ reddi jussit, sed & ab omni servitio cum filio absolvit, addens mansum agri, quo liberè deinceps suo dono viveret. At ubi nunc illa sacrorum Antistitum & Principum commiseratio? Hunc in modum cum villas, in quo diligens erat, obeundo perlustrasset, notaretq; duram servitutem litorum, qua in messe laborarent, nullo cibo potuve à villicis suis subministrato, horum ille sortem miseratus jussit victum illis operariorum instar conductorum dari. Ex quo illud simul cognoscas, quod tantopere quæritur inter Scriptores, quale nimirum hominum genus Liti, Liddi, & Litones toties in vetustis literis nominati, homines videlicet hos esse in minoribus casis circum villas incolentes, & certo obsequij nexu adstrictos Dominis; quo servitio etiamnum obnoxij vivunt ejusmodi homines per Westfaliam. Oeconomus præterea,

Brovv. in præfat. ad Theod. Episc.

Auctor vitæ n. 44.

Porcum viduæ flenti reddi jubet Meinwercus.

Uti & servitia præstantibus dari cibum.

terea, quod Episcopi munus est, ut domui suæ bene præsit, diligentissimus fuit accuratissimusque: quam in rem, ut administrorum Villicorumque fidem exploraret, visus subinde sumpto mercatoris habitu villas in diœcesi incognitus obire, & minuta etiam in villis emendare. Sed idem largissimus in pauperes. Nam ut Auctor vitæ retulit, in domo regia quotidie per omnem vitam convocatis egenis stipem cibosque erogari jussit, quæ domus ob id, cùm post urbs tota anno MLVIII conflagraret, sola cum domo forensi intacta mansit. Magnum per id tempus studium & certamen inter Episcopos in fovendis pauperibus, quemadmodum D. Bernwardus Meinvverco æqualis centum quotidie pauperes in mensa habuit. Et tamen Fabricius & hæretici ex hoc sæculo nobis degeneres Episcopos falsò obtrudere audent, ac scribere, nullam egenorum, nullam hospitum fuisse curam, sed cupidine bonorum omnes repletos vixisse. Legant illi Adamum Bremensem & Helmoldum; legant fastos resque gestas singulorum Episcoporum, & longè aliud deprehendent ex tot Xenodochijs Episcoporum liberalitate conditis.

Incognitus obit ac perlustrat diœcesin.

Pauperes quot diebus reficit.

Accedunt ad has Meinvverci virtutes præclara pietatis opera, & posteritatis monumenta. Nam postquam Episcopi opes tot bonis & possessionibus, clerum, quem exiguo censu dotatum reperit, tot prædijs auxisset, Urbem quoque Paderbornensem, quam incendio deformatam ingressus est, veluti ex lateritia marmoream fecit. Nam primò Basilicam è fundamento novam, opere prorsus magnifico, exstruxit, & Collegium Canonicorum Cathedrale reparavit: deinde Cœnobium Abdinghovianum introductis primùm religiosis viris è familia D. Benedicti, post Collegium Canonicorum Bustorfianum condidit, utrumq; ex hereditarijs & conquisitis bonis largissimè dotatum. Binæ præterea ædes sacræ D. Alexij ac Bartholomæi opere Græcanico ab eo erectæ dotatæq; annuo Sacerdotum censu; adhæc domum Episcopi, quia malè materiatam invenit, novam exstruxit; demum ipsam urbem cum malè munitam reperisset, novo per circuitum muro munivit, quod & Bremæ, Hamburgi, Hildesij, Mindæ, atq; alijs civitatibus per id tempus factum; ut vel inde ex annalium memoria recognoscas, huiusmodi Urbes & Metropoles in Episcoporum jurisdictione & potestate à primis suis initijs & incrementis fuisse. Urbem deinde, quam civibus & mercimonijs florentem habuit, optimis legibus firmavit, & si quos inter cives atque incolas indigentia laborare comperit, hos ultro liberalitate occupatos juvit.

Monumenta Magnificentiæ sacræ à S. Meinvverco relicta.

Pari cultu studioq; per diœcesin exornatæ parochiæ templis, & sacris ædibus à Meinwerco exstructis, quas inter memoratur Ecclesia ad meridiem haud procul ab urbe in Sudborgnen, quæ Meinwerci simul impensis è solido lapide constructa; ne incolæ forensem in urbe Ecclesiam frequentare necesse haberent, quam Successor in honorem D. Galli consecravit; At longè illustriora sunt ornamenta sacrorum

Sacra dona templis illata à B. Meinwerco.

ac dona, quibus cathedralem Ecclesiam, Cœnobium Abdinghovianum, & Collegium Canonicorum Bustorfianum locupletavit; Si nimirum Divorum corpora & reliquiæ, si calices aurei & argentei, si vestes sacrificales, pallia, crucis signa, candelabra argentea, & omnis sacra supellex ab eo congesta, & ab auctore vitæ consignata percenseatur. Non ante eum Episcopus, neque ex Successoribus, qui majorem thesaurum Ecclesiæ suæ intulerit, aut bibliothecam principis Collegij librorum copia magnificentius exstruxerit; nam Scholas, quas Paderbornæ florentes excepit, eas omni studiorum genere & magistrorum præstantia celebriores reddidit, tantáque doctrinarum eo Episcopo fama sparsa erat, ut nobilissimi quique per Saxoniam viri, Comites & Marchiones filios suos Meinwerco, & Scholarum magistris in disciplinam darent. Ex horum numero S. Anno Coloniensis Archiepiscopus, Fridericus XVI Monasteriensis Episcopus Marchionis Misniæ filius, Imadus Meinwerci ex sorore nepos, & post Rothonem Meinvverci in Episcopatu Paderbornensi Successor. Hos tam arcta cum clericis in disciplina habuit Meinwercus, ut nunquam ex claustro exire ad parentes invisendos, aut eos alloqui permiserit, asserens pueros à primis annis intra rigorem disciplinæ continendos esse, ne parentum ac consanguineorum blandimentis emollirentur, qui ad virtutem & contemptionem rerum humanarum educandi essent. His rebus præclarè sanctèque in Episcopatu gestis Meinvvercus immortalem apud posteros famam reliquit, ut non immerito inter sanctissimos hujus Ecclesiæ Præsules numerandus sit. At tametsi D. Godehardus à morte statim, quam divinitus acceperat, Beatum pronunciârit, & Crantzius eum virum sanctum vocet, ac Surius etiam vitam ejus inter Divorum res gestas retulerit; nullis tamen publicè decretis Divorum honoribus exornatum reperio. Quanquam Meinwerci Successor Rotho Episcopus perpetuum lampadis lumen ad sepulchrum, ex certa donatione ad id facta, ardere voluerit; tanquam inter Divos veneratus, Divorum quoque honoribus exornandum duxerit. Quemadmodum crypta, in qua corpus ejus primùm quievit, supplicum accessu olim frequentata, ac multi etiam cœlesti ejus ope adjuti ferantur. Haud multò post per Autumnum excessit è vita Sigebertus Mindensium Episcopus, vir & Meinwerco familiaris, & Conrado Imperatori ob virtutum æstimationem percarus, præclarèq; de sua diœcesi meritus. Obijt festo D. Geronis Martyris, in Ecclesia S. Martini Episcopi à se condita humatus. Successor ei datus Bruno ex Collegio Canonicorum Magdenburgensi evocatus, Conradi Imperatoris commendatione. Ad hæc etiam tempora referunt Comitum Schavenburgensium origines ab Adolpho Santerslevio, qui Sigeberti Episcopi beneficio primùm emerserit, firmâritq; ejus Comitatus hereditariam sedem. Fatalis quoq; hic annus Corbeiensibus, quo & villa Huxtaria tota cœlesti igne, & Cœnobium pestiferâ lue prope absumptum est.

Scholas Paderbornenses florentissimas reddit.

Auctor vitæ Meinvv.

Rigor S. Meinvverci in scholares.

Crantzius lib 4. Metrop. c. 4. Surius in Junio.

Chron. Mind. Ertvv. in fastis Osnabr.

Obitus Sigeberti Episcopi Mindensis.

ANNA-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER VI.

B. ROTHO XI.

B. IMADUS XII.

POPPO XIII.

EPISCOP. PADERBORNEN.

ac dona, quibus cathedralem Ecclesiam, Cœnobium Abdinghovianum, & Collegium Canonicorum Bustorfianum locupletavit; Si nimirum Divorum corpora & reliquiæ, si calices aurei & argentei, si vestes sacrificales, pallia, crucis signa, candelabra argentea, & omnis sacra supellex ab eo congesta, & ab auctore vitæ consignata percenseatur. Non ante eum Episcopus, neque ex Successoribus, qui majorem thesaurum Ecclesiæ suæ intulerit, aut bibliothecam principis Collegij librorum copia magnificentius exstruxerit; nam Scholas, quas Paderbornæ florentes excepit, eas omni studiorum genere & magistrorum præstantia celebriores reddidit, tantáque doctrinarum eo Episcopo fama sparsa erat, ut nobilissimi quique per Saxoniam viri, Comites & Marchiones filios suos Meinwerco, & Scholarum magistris in disciplinam darent. Ex horum numero S. Anno Coloniensis Archiepiscopus, Fridericus XVI Monasteriensis Episcopus Marchionis Misniæ filius, Imadus Meinwerci ex sorore nepos, & post Rothonem Meinvverci in Episcopatu Paderbornensi Successor. Hos tam arcta cum clericis in disciplina habuit Meinwercus, ut nunquam ex claustro exire ad parentes invisendos, aut eos alloqui permiserit, asserens pueros à primis annis intra rigorem disciplinæ continendos esse, ne parentum ac consanguineorum blandimentis emollirentur, qui ad virtutem & contemptionem rerum humanarum educandi essent. His rebus præclarè sanctèque in Episcopatu gestis Meinvvercus immortalem apud posteros famam reliquit, ut non immerito inter sanctissimos hujus Ecclesiæ Præsules numerandus sit. At tametsi D. Godehardus à morte statim, quam divinitus acceperat, Beatum pronunciârit, & Crantzius eum virum sanctum vocet, ac Surius etiam vitam ejus inter Divorum res gestas retulerit; nullis tamen publicè decretis Divorum honoribus exornatum reperio. Quanquam Meinwerci Successor Rotho Episcopus perpetuum lampadis lumen ad sepulchrum, ex certa donatione ad id facta, ardere voluerit; tanquam inter Divos veneratus, Divorum quoque honoribus exornandum duxerit. Quemadmodum crypta, in qua corpus ejus primùm quievit, supplicum accessu olim frequentata, ac multi etiam cœlesti ejus ope adjuti ferantur. Haud multò post per Autumnum excessit è vita Sigebertus Mindensium Episcopus, vir & Meinwerco familiaris, & Conrado Imperatori ob virtutum æstimationem percarus, præclarèq; de sua diœcesi meritus. Obijt festo D. Geronis Martyris, in Ecclesia S. Martini Episcopi à se condita humatus. Successor ei datus Bruno ex Collegio Canonicorum Magdenburgensi evocatus, Conradi Imperatoris commendatione. Ad hæc etiam tempora referunt Comitum Schavenburgensium origines ab Adolpho Santerslevio, qui Sigeberti Episcopi beneficio primùm emerserit, firmâritq; ejus Comitatus hereditariam sedem. Fatalis quoq; hic annus Corbeiensibus, quo & villa Huxtaria tota cœlesti igne, & Cœnobium pestiferâ lue prope absumptum est.

Scholas Paderbornenses florentissimas reddit.

Auctor vitæ Meinvv.


Rigor S. Meinvverci in scholares.

Crantzius lib 4. Metrop. c. 4. Surius in Junio.

Chron. Mind. Ertvv. in fastis Osnabr.

Obitus Sigeberti Episcopi Mindensis.

ANNA-




ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER VI.


B. ROTHO
XI.

B. IMADUS
XII.

POPPO
XIII.

EPISCOP. PADERBORNEN.





B. ROTHO

XI9

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1036.

Benedicti IX Pont. 3.
Conradi II Reg. 13. Imp. 10.
Rothonis Ep. Pad. 1.



Rotho ex Stabulensi Monacho Abbas Hertzfeldensis, ac deinde Episcopus Paderbornensis.

MEinwerci in Episcopatu Successor Rotho; quem ab alijs Rothardum, ab alijs Rudolphum, à quibusdam etiam Ruodonem appellatum accepimus. Primùm is Monachi vitam professus in Stabulensi Cœnobio, quod per id tempus sub D. Poppone Abbate disciplinâ religiosâ & præstantibus viris celebre fuit. Nam istic Monachum egisse, atq; ex Monasterio traductum Hersfeldiam, eidemque Cœnobio, quod in vicinâ apud nos Hassiâ est, Abbatem fuisse impositum, tradit Auctor vitæ D. Heymeradi: *Rerum*, inquit ille, *tunc temporis potiebatur Conradus Henrici secundi Imperatoris Pater:* & quia discordia gliscebat inter Arnoldum Abbatem Hersfeldensem & fratres ejus, actum est, *ut Arnoldum deponerent, et piæ memoriæ Rudolphum de Monasterio, quod dicitur Stabulaus, postea Paderbornensem Episcopum, loco ejus subrogarent.* Ex hoc munere Rudolphus seu Rotho præclarum mox specimen prudentiæ & caritatis dedit; nam & Monachos in concordiam reduxit, & restitutâ disciplinâ, omnibus se amabilem præstitit: neque hi aliter exinde Rothonem, quod idem Auctor retulit, quàm religiosissimum Patrem suum venerati sunt. Eadem fere de Rothone memorat Everhelmus Abbas in vita B. Popponis Stabulensis Abbatis. Etenim ex quo Conradus Imperator Popponi moderationem omnium regalium Abbatiarum per Imperium commiserat, multos ille diversis Monasterijs Præsides imposuit, interque hos *apud Heresfeldiam Ruodonem, Pathalabornensem postea Episcopum, præfecit Abbatem*; & postquam Meinwercus excessit è vita, ejusdem Popponis consilio & studio, Conradus Imperator Rothonem

Auctor vitæ D. Heymeradi. Everhelmus in vita B. Poppon. c 9. Bollandus ad 25. Jan.

thonem mox ad præfecturam Paderbornensis Ecclesiæ provexit: ut tum frequens erat ex Abbatibus maturæ ætatis & probatæ virtutis deligere Episcopos. Atque ut hæc certa habemus, ita natalium origines haud parum controvertuntur in Rothone. Vetus obscurusque scriptor in libello de institutione Hersfeldensis Ecclesiæ. *Quo tempore* inquit, *Conradus successerat Henrico Imperatori, Arnoldus Abbas accusatus deponitur, in cujus locum Rudolphus Abbas instituitur, Italus genere, mitis pater et benevolus, in Dei servitio vigilantissimus: sed paulò pòst ab eodem Conrado in Episcopum Paderbornensem instituitur.* Congruenter hæc quidem alijs; sed quod Rothonem gente Italum scribat, cui verisimile? Alij Geldrum fuisse perhibent, ortumque è vetusta familia Burana; quos inter Bruschius & Kersenbrochius. Addunt hanc in rem Oppidum Buram, quod est in Batavia familiæ hujus illustris sedes. Hunc etiam in modum Burani hujus diœcesis antiqui Barones Rothonem suæ familiæ asserunt, sed quæ Geldricâ familiâ sit vetustior: ea quippe stirps, ex qua Geldrica propago in Bataviam propagata sit. Sanè genealogia Buranorum ab erudito & religiosissimo viro Mauritio Burano, stirpis hujus postremo, edita Rothonem Episcopum inter illustres & sanctos suæ familiæ viros collocat. Quæ res multò testatior est ex Rothonis sepulchro, quod in choro Cathedralis Ecclesiæ hodiedum spectatur; in hujus enim inscriptione legitur Rotho è familia Burana ortus, quemadmodum & gentilitium familiæ hujus signum commonstrat, lapidi insculptum. Sed hæc planius ex vetusto Epitaphio, quod in funere Rothonis dabimus cognoscentur. Quid verisimilius, quàm Conradum Imperatorem è nobilitate Saxonicâ & clarissimâ hac Buranâ familiâ Paderbornensibus dedisse Episcopum popularibus gratum; uti Carolus cùm Hathumarum & Baduradum, ac postremùm etiam D. Henricus Meinwercum è Saxonici generis nobilitate Episcopum imposuerat.

Apud Manderum inter vetera scripta.

Bruschius in Episc. Paderb.

Kersenb. in Episc. Paderb.

Burensium Baronum stirpe editus.

Igitur Rotho haud multò post obitum Meinvverci, eodem anno MXXXVI, subrogatus; falliturque Lambertus Schaffnaburgensis, qui anno MXXXV successisse perhibet, quo Meinvvercum adhuc vixisse constat; & Rotho hoc ipso anno MXXXVI ante festum Virginis in cœlum assumptæ Moguntiæ Conrado Imperatori, & Bardoni Moguntino Archiepiscopo adfuit; ubi verisimile est Episcopum consecratum fuisse à Metropolitano suo. Ibi dum ageret cum Imperatore, accessit Moguntiam Bruno Herbipolensis Episcopus, & Conradum Imperatorem, Bardonem Moguntinum Archiepiscopum, & Rothardum cum ceteris Regni Principibus invitavit Herbipolim ad celebritatem Virginis in cœlum assumptæ secum peragendam: datum hoc precibus Brunonis Episcopi, ut invitati venirent. Quippe Bruno Episcopus, quòd patre Conrado Carinthiæ Duce, matre verò Saxonici è veteri Querfurdiorum familia genitus esset, curiam amplamque habebat

Litera Brunonis Wirtz. Episcopi.

Bruschius in Episcop. Herbipol.

Consecratur Moguntiæ Episcopus.

Herbipoli interest donationi bonorum factæ à Brunone Episcopo isti Ecclesiæ.

habebat bonorum possessionem ex paterna hereditate intra diœcesin Paderbornensem, in Sonnenoh haud procul ab Oppido Borchianich (nunc Borgentrich.) Quæ ut Cæsaris auctoritate Ecclesiæ suæ Herbipolensi transcriberet, testes Bardonem Archiepiscopum, & Rothardum Episcopum nostrum expetijt, quibus præsentibus, & donationem probantibus, confectæ sunt tabulæ, quas hoc loco ob memoriam antiquitatis conjungere visum fuit.

Bruno annuente divina gratia Wirzeburgensis Episcopus. Notum esse volumus nunc et semper potestati regiæ, omnique Pontificali dignitati, pariterque illustribus viris, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibusque Christi fidelibus, maximè autem Successoribus nostris, quòd curiam quandam in Paderbornensi Episcopatu sitam ex re nomen habentem Sunrike, id est, regnum singulare, quam ex paterna possedimus hæreditate, ob æternæ remunerationis spem obtulimus Deo, sanctoque martyri ejus Kyliano cum omnibus appendicijs suis, videlicet ministerialibus, litonibus, mancipiis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, silvis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis usque in sæcula sæculorum. Hæc verò ex sincera devotione oblatio, et justa traditio nostra, quo ordine et tempore facta sit, quia non minus patere volumus, scriptis approbamus, quod in die nativitatis sancti Johannis Baptistæ, in Ecclesia, completo sermone ad populum, audiente clero et populo, à prædicta curia propositum deteximus, sed effectui mancipare usque in diem assumptionis sanctæ Mariæ Virginis induciavimus, ut si fortè quis per compositas rationes voluntati et deliberationi nostræ contradicere vellet, se tum præsentiæ nostræ exhiberet: super qua re accepto consilio ex prudentia fidelium nostrorum decrevimus annuatim, dum viveremus, confratribus nostris in festo beati patroni nostri martyris Kyliani, sex Salmones, et in festo S. Andreæ apostoli ad vestituram eorum quinquaginta marcas argenti procurare ex supradictis prædictæ curiæ utilitatibus, et de cæteris nondum expositis, nec in hac pagina exponendis, quia in duabus tabulis æreis concatenatis in capella Sunrike, locatis literis legibilibus insculptis semper quantitas reperitur. De exitibus et reditibus, de cultis et incultis, et de singulis supra nominatis, quæ Sacerdoti, qui eidem præsit capello Deo suisque serviendo, quæve nobis justitia, seu summo villico nostro debeatur, reperiuntur. Et attinentes proprietati nostræ ministerialium jure in iisdem tabulis suis nominibus, ne illorum posteritas à suo jure possit alienari. Illi quoque suis nominibus de utroque sexu, qui duos fundos ceræ quolibet anno persolvant, et de cetero ab omni exactione tam privata quàm communi liberi quamdiu vivant existant. Item litonum justitia, prout exigit utilitas et necessitas de singulis singula, ut sint in memoria à generatione in genenerationem. Præterea talem obtinere justitiam Litones non uxoratos statuimus, ut uno anno duobus solidis levis monetæ servitium suum redimant vel serviant, et altero anno non serviant nec servitium redimant, sed indigentiæ et utilitati suæ consulant; femineo autem sexui redemptionem XII levium

nummorum

nummorum statuimus. Ministerialibus verò nostris hoc officium injungimus, ut singulis annis tantum IIII ex eis in tempore messis ad prædictam curiam veniant, et villico consulant, ut una cum illo de reditibus universis debitum exquirant et suscipiant. Quorum unum nomine Richboldum præ ceteris nobis familiarem transtulimus in consortium et jus ministerialium Ecclesiæ nostræ. Cui cùm fœmina quædam libera, et liberis orta parentibus, nomine Richere legitimè nupsisset, mansos duos in Natesingan cum omnibus attinentibus utrisque in beneficium concessimus. Insuper quod et illa arbitrata fuit, ut libertate sua et eodem beneficio cum posteritate sua potiretur. Hys itaque præordinatis, circa quæ plurimum regni cœlestis desiderium studiosos nos reddidit et sollicitos, statuimus, ut post exitum vitæ nostræ fidelis in Domino frater Episcopalis dignitatis in Ecclesia Wirzeburgensi Successor quolibet anno in festo S. Michaelis cum duobus canonicis suis et X militibus Sunrich veniat, ibique tribus septimanis, et ultra ad placitum quæque pertractando permaneat. et villicus ei cum subditis villicis de omnibus Vorcvverken cum multa copia serviat, convocatisque ministerialibus, et tota familia in die S. Michaelis eos convivio participare faciat, et adductis secum canonicis II poledros dari jubeat, sicque quolibet anno incipiens à summis et prioribus Ecclesiæ suæ usque ad infimos eandem gratiam impendat. Ministerialibus autem, qui tempore messis cum villico exploratores totius reditus et debiti extiterint, similiter II poledros dari jubeat, In præmemoratis quoque tabulis æreis legendo jura et instituta nostra prævideat, et de CCCVIII mansis, et de quàm plurimis rebus eidem curiæ attinentibus universum debitum eodem tempore persolvendum exquirat, cujus summa CC III marcæ sunt. Inde VI Salmones magnos satis, et quinquaginta marcas prænotato tempore dominis et fratribus persolvat. Inde quoque XII pauperibus gratia et misericordia indigentibus quoquo anno in XLa et qualibet die cuique illorum pro remedio animæ nostræ panem unum similaceum sufficientem magnitudine, tres batarios valentis cerevisiæ, tria allecia, et in parasceve V ulnas linei panni, cingulum ex coreo cervino, cultellum et vaginam, calceos II ex coreo hircino procurabit, amplius duas marcas argenti, quas venerabili fratri nostro Rodhardo Episcopo, et omnibus ex divina gratia præfuturis Paderburn. Ecclesiæ Episcopis dandas, aut æquum tantum valentem disposuimus, eo videlicet tenore, ut omnia bona Ecclesiæ nostræ, quæ longe nimis à tuitione nostra remota, eis verò commodè sita sunt, tueantur. Postquam autem hæc omnia ex attentissimi cordis nostri præmeditatione fuerant contexta, communicato concanonicorum Ecclesiæ nostræ tam juniorum, quàm seniorum consilio, quia indictus à nobis terminus, dies videlicet assumptionis sanctæ Marie Virginis jam instabat, Dominum nostrum serenissimum Imperatorem Conradum, Archiepiscopum Bardonem confratrem nostrum, Rodhardum Paderburn. in Moguntina Ecclesia convenimus, et eos multa supplicatione ad hoc induximus, quòd ad celebranda predictæ diei solempnia venturos se Wirceburg promiserunt, quod et adimpletum est. Ipsa verò die assumptionis sanctæ Mariæ nobis missam

sam celebrantibus, finito sermone ad populum, sub testimonio et præsentia Christi et prædictorum Principum, scilicet Imperatoris Cunradi, Bardonis Archiepiscopi, et totius Ecclesiæ vota nostra Deo sanctoque Kyliano in oblatione sæpius denominata nulla hominum contradictione persolvimus, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, et jam dictorum Episcoporum, nostroque banno, et omnium animarum Deo consecratarum confirmavimus, Ita ut quicunque cujuscunque conditionis, et potestatis homo curiam Sunrinke, quæ oblatio nostra est, ab usu Ecclesiæ alienáre vel presumpserit, vel jura et instituta nostra, qualia continet præsens pagina et tabulæ areæ aliquo modo immutaverit, perpetui anathematis vinculo obligatus, æternæ dampnationi cum Juda traditore subjaceat. Quarè fratribus nostris tam præsentibus quàm futuris per virtutem obedientiæ injungimus, ut si quis tam temerariè, tam irrationabiliter agere presumpserit, ut oblationem nostram à domo Dei alienet, in illum datam excommunicationem auctoritati apostolicæ significent, et ut auctoritate apostolica rursum anathemate feriatur, elaborent. Volentes hujus itaque irreprehensibilis ordinationis nostræ firmitatem inconvulsam semper permanere, quid qualiter actum sit tabulis æreis jam sæpe dictis annotavimus, præsentis chirographi paginæ seriatim inscripsimus, et sigillo nostro per præsenti attestationi plumbeam impressionem confirmavimus, ut sit memoriale à generatione in generationem. Confratrem etiam nostrum R. Paderbrunnnensem Episcopum, virum per omnia probabilem, huic actioni nostræ in præsenti pagina subscriptionis suæ attestatione, et sigilli sui impressione testimonium perhibere rogavimus, ut ejus quoque sanctitatis confirmet auctoritas, quod suæ et nostræ Ecclesiæ contulimus. Ego Rodbardus Dei gratia Paderburn. Episcopus presentis paginæ actioni per omnia rationabiliter stabilitæ tam subscriptionis attestatione, quàm sigilli nostri impressione testimonium fidele perhibeo, banno Episcopalis auctoritatis, qua fungor, confirmo, ne hæc firmitas ab aliquo temerè violetur, nisi ejus transgressio anathemate puniatur. Acta sunt autem hæc anno Dominicæ Incarnationis MXXXVI, Indict. IV. Die verò sanctæ assumptionis Virginis Mariæ.

Celebris olim locus in fertili & frumentario solo; verùm ob temporum injurias nihil præter rudera & vestigia templi aspicias, incolis ad vicinum Oppidum Borgentrichium demigrantibus: omnia dehinc, qua transactione aut commutatione incertum, Episcopis Paderbornensibus cessêre. Adeo vetustate cuncta abolentur, ut nec in tabulis æneis, ad quas Bruno Episcopus appellat, monumentum posteritatis supersit amplius.

Nondum Germaniâ exierat Imperator, cùm Heithanricus, Werthinensis ad Ruram Abbas, in Monasterio D. Ludgeri, graves querelas detulit ad Imperatorem adversus Advocatum suum Hermannum Comitem, virum inter Westfalos potentem, quòd is multis injurijs tam se quàm familiam Monasterij sui divexârat; jam enim infestum hoc hominum genus sacris bonis inhiare, & deprædari

dari

dari cœpit. Adversus hunc Imperator VI Idus Octobris acre rescriptum dedit in Tuilide, certoque agrorum stipendio Advocatum jussit esse contentum.

Annus Christi 1037.

Benedicti IX Pont. 4.
Conradi II Reg. 14. Imper. 11.
Rothonis Ep. Pad. 2.

Inde pacatâ Germaniâ, ceterisque ad Italicam expeditionem comparatis, sub exitum anni, comitante Brunone Herbipolensi Episcopo, iter ingressus, Veronæ Natalem Christi celebrat. Jam enim tota Lombardia servili bello ardebat, plebe adversus Dominos rebellante, querenteque, nec leges, nec jura, nec ministrorum æquitatem per absentiam Imperatoris valere amplius. Quibus compertis respondet Imperator: Bene habet, *Italia leges esurit, quam Deo favente legibus satiabo.* Quare singulas Lombardiæ urbes obeundo ingressus, habitisque severissimis in factiosos quæstionibus, Papiæ totius gentis comitia indixit; ex quibus animadversum in reos; quos inter Heribertus Mediolanensis Archiepiscopus, & tres Episcopi, Vercellensis, Cremonensis ac Placentinus damnati proscriptique. Quod factum, teste Wippone, nec Henricus filius Rex, nec multi alij probavêre in Cæsare, supremum sibi judicium vendicante in Episcopos. Mediolanum cùm obsideret Cæsar, & Bruno Herbipolensis Episcopus Sacrificium missæ perageret, obtulit se illi S. Ambrosius, stricto gladio Cæsari & Germanis exitium minitando. Mox horrenda tonitrua & fulmina è cœlo missa exanimavêre castra. Quibus territus Cæsar obsidionem solvit, & Parmam in hiberna concessit, non sine præsenti vitæ periculo, quod ex civium tumultu per Natalitia festa adijt. Et quis Imperator Italiam seditionibus unquam vacuam tutò ingressus? quòd Italorum ingenia tam prona ad rebellionem, quàm ægre Germanorum imperia accepêre.

Wippo Presb. Sigebertus. Herm. contr. Sigon. lib. 8. Ursberg.

Lombardiæ intestina bella componit Conradus

S. Ambrosius à Mediolanensi obsidione Conradum absterret.

Eo anno ex Saxonicis Episcopis mors V idus Aprilis subtraxit Gosmarum XVI Osnabrugensem præsulem, virum Cæsari carum, dignum ea ætate Episcopi munere. Successor ei datus Elvericus, quem Mersæus refert Cæsarem in Italiam consecutum, fortè ut à clero electus, se Imperatori sisteret confirmandum.

Obitus Gosmari Osnabrug. Ep.

Ertvvinus in Chron. Osnabrug.

Annus Christi 1038.

Benedicti IX Pont. 5.
Conradi Regis 15. Imper. 12.
Rothonis Ep. Pad. 3.

Hærebat per hæc Imperator in Italiâ cum Imperatrice, Henrico filio Rege, & exercitu; castigatisq; Lombardiæ rebellibus, per Apen-

 ninum

Wippo presbyt. Sigebertus. Otto Frising.

ninum in Apuliam movit, Jmperatrice Roma interea pietatis causâ digrediente. Ac postquam Troja, Beneventum, Capua, ceteræque urbes lustratæ, optimis singulas firmavit legibus; & cùm per anni calores grassantemq; luem exercitus absumeretur (quo malo quoque Chunechundis Regina, Henrici Regis conjunx extincta) Jmperator reditum in Germaniam maturavit. Refecto in Bojaria exercitu, sub Autumnum Burgundiam ingressus, Regnum illud ex comitijs Henrico filio transcripsit, proceresque dicto Sacramento in fidem adegit. Subinde 4 Jdus Decembris in Nerestein, rogatu Giselæ Jmperatricis, & Henrici filij Burgundionum Regis, Becelino Hamburgensi Archiepiscopo, quem in omnibus sibi fidum dilaudat Jmperator, jus mercatus & telonij in pago Elangoa, & Stadæ, consignatis tabulis dedit; idque ob venerationem S. Viti martyris, cui Ecclesiam, & Sanctimonialium Virginum Collegium consecratum refert.

Conradus Burgundiæ Regnum Henrico filio consignat.

Privilegia Bremensis Ecclesiæ.

Illustris hic annus excessu D. Godehardi Hildeshemensis Episcopi, IV Nonas Maji emigrantis ad cœlitum numerum, quem Meinvvercus sibi per omnem ejus vitam familiarissimum habuit, eóque mors Meinwerci, ut supra diximus, illi cœlitus denunciata est. Meinwercum Godehardus à transitu mox Beatum pronunciavit. Godehardum verò, quòd in vita & à morte multis miraculis clarum, ac sidus Saxoniæ dederit Deus, Pontifex dehinc Innocentius II in Rhemensi synodo solemni ritu anno MCXXXI in Divorum numerum retulit. Ita verò Hildesimensis Ecclesia per id tempus Bernwardum & Godehardum in Episcopatu sibi succedentes sanctissimos Episcopos habuit; quando & D. Bernwardum Cœlestinus Pontifex sanctitate vitæ & miraculis non minus clarum anno MCXCIV Divorum fastis adscripsit. Vita utriusque S. Episcopi, præter ea, quæ annalibus nostris inspersimus, diligenter conscripta est à suis auctoribus, & à Christophoro Brovvero illustrata commentarijs, interq; sidera illustrium & sanctorum virorum unà cum Meinwerci Episcopi nostri vita, magno Saxoniæ & Christianæ Reipub. bono, vulgata legitur.

Godehardi Hildesiensis Episcopi sanctitas & mors.

Sub initium hujus anni, quem hic narrando sequimur, Rotho Episcopus noster pro sollicitudine eorum, quæ Meinwercus Episcopus constituerat, Abdinghoviani quoque Cœnobij jura, & bona pontificali auctoritate stabilivit; quam in rem hic ipsas Rothonis literas sistimus.

In nomine sanctæ, et individuæ Trinitatis. Rotho Dei gratia Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopus. Pastoralis officii cura nos ammonet de subjectorum quiete et salute sollicite cogitare, et Ecclesiarum commissarum profectui, augmento honestatis, prospecta utilitatis sollertes invigilare. Unde omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm et futurorum, noverit universitas, qualiter Domnus Meinvvercus, venerabilis hujus sanctæ Sedis Episcopus, prædecessor meus, se suaq; omnia divino servitio pro æternitatis amore mancipare

cipare gaudens, inter multimoda piæ devotionis et intentionis opera auctoritate, consilio, auxilio gloriosissimi Imperatoris Henrici secundi, monasterium in suburbio civitatis hujus construxit, quod in honore beatæ Mariæ perpetuæ Virginis, sanctorumq; Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum consecrans, et fratres sub beati Benedicti regula Domino famulantes in eo coadunans, in dotem et mundiburdium ipsius bona, quæ hæreditario jure possederat, vel aliunde sua instantia legitimè obtinuerat, solemniter tradidit, delegavit, concessit. Cujus laudabile studium ut numero et merito omni tempore habeat augmentum, et Ecclesiasticæ defensionis firmamentum, omnia eidem Monasterio canonicè collata et firmata in thesauro, ornatu, Ecclesiis, bannis, decimis, curtis, mansis, areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, cum omnibus adhæc legaliter pertinentibus, mobilibus et immobilibus, licentiam quoque liberam secundum Dei timorem eligendi Abbatem tam regulari quàm Episcopali auctoritate ipsius Monasterii fratribus concessam, animarumque curam, et sepulturam in hominibus duntaxat ad ipsum monasterium pertinentibus, sive etiam in possessione ejus degentibus nostra pontificali auctoritate et banno confirmamus et corroboramus, quatenus fratres inibi sub regulari norma Domino servientes, omnium hominum exactione et invasione remota, communi hæc usui et honori profutura possideant, et nostri nostrorumque Successorum in orationibus suis memores existant. Cujuscunque ergo conditionis vel religionis persona, quolibet modo et ingenio hæc violare vel annulare præsumpserit, anathema sit, et cum suis fautoribus, auctoribus, sequacibus à liminibus sanctæ Ecclesiæ tanquam Sacrilegus invasor et destructor segregatus, omnipotentis Dei Patris scilicet et filii et Spiritus sancti iram et offensam contra se sentiat, et beatæ Mariæ perpetuæ Virginis, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, quorum præsumit confundere Ecclesiam, in hac vita et in futura, si non velociter resipuerit, furorem reperiat. Omnes autem decreti hujus fautores, et præfati Monasterii defensores et tutores Omnipotens Dominus sua gratia benedicat, et meritis omnium Sanctorum, et peccatorum vinculis absolutos ad æterna gaudia perducat. Cunctis etiam in eodem loco pro æternæ beatitudinis desiderio militantibus veniat à Deo patre salus et protectio, et laborum suorum æterna remuneratio. Hujus confirmationis testes sunt Hosatus Præpositus, Dodico Decanus, Uffo, Bezelin, Heriman, Werinza, Tamma et cæteri fratres omnes tam Canonici quàm Monachi nostræ sedis. Laici verò Heinrici, Erp. Comites, Heriman tribunus, Bernard, Hunold, Heriman, Sibrath, Hiddi, Guntheri, Thiathard, Ekkihard, Ezelim, Atalbrath, Hoika, Hemaka, Azoko, Bennic, Wicil, Harhaltere, Widier, Tadeka, Horka, Ecelin, Hillin, Georad, Eila, Dudi, Eppo, Thiederic, Haald et frater ejus Gerald, Weimaa et alii plures. Data Patherbrun VIII Idus Januarii, in sancta die Epiphaniæ Domini. Anno ab Incarnatione ejus MXXXVIII. Indictione* VII. *al VI. regnante Conrado Romanorum Imperatore regni ejus XV, Imperii verò XII, Episcopatus autem nostri III.

Annus Christi 1039.

Benedicti IX Pont. 6.
Conradi II Reg. 16. Imp. 13. & ultimus.
Henrici III Reg. 1.
Rothonis Ep. Pad. 4.

Wippo presbyt. Sigebertus. Lambertus Schaf. Hermannus contract. Otto Frising. Beka in Episc. Ultraject. Chron. M. Belgii.

Conradi morbus & mors.

Posthæc Conradus Jmperator ultimum imperij vitæque annum ingressus Basilea in Franconiam Orientalem descendit; atque inde in Saxoniam profectus, statum utriusque Reipublicæ optimis legibus judicijsque composuit. Paschate apud Saxones celebrato, ex Westfalia per vernum anni tempus discessit in Frisiam, ut Wippo presbyter refert (nam Hollandiæ nomen scriptoribus ejus sæculi nondum usitatum reperio) ubi dum festum Pentecostes cum Jmperatrice & filio Rege perageret, & coronatus ad mensam procederet, cœpit invaletudinis dolore affligi; quo in præsens dissimulato, cùm altero die morbus ingravesceret, jussit Jmperatricem filiumque Regem è cubiculo exire, vocatisque Episcopis, petijt Eucharistiæ Sacramento refici. Id postquam cum crucis effigie & Sanctorum reliquijs est illatum cubiculo, facta peccatorum confessione multis cum lacrymis, acceptoque corpore Christi, ad suprema se composuit; nec multùm inde superstes, post salutaria monita ad Jmperatricem & Regem filium, inter preces & gemitus pridie Nonas Julij excessit è vita. Viscera Ultrajecti ante aram principem condita: Corpus Imperatorio cultu compositum, primùm Coloniam, deinde Moguntiam & Wormatiam, ac demum Spiram est deportatum ad tumulum. Funus per omnes vias deduxit Henricus filius Rex: & quoties ex itinere illatum in Ecclesiam aliquam, humeros feretro portando supposuit, insigni in patrem pietate. Nec minori totius Imperij luctu desideratus Conradus, quòd post Carolum & Ottonem M. non facilè Imperator, qui tranquillius & fecilius Imperium, debellatis circum hostibus, pietate, religione, & bellica fortitudine administrârit ampliâritque.

Ejus laus. Lessus ejus cum magno præconio vulgatus, in quo inter cetera hæc legas.

Regum sanguine genitus, omnes præcessit penitus:
Gloriosus in persona, pulcher fuit sua sub corona:
Sceptrum, regnum, imperium, nulli erat plus congruum.
Postquam replevit Franciam per pacis abundantiam,
Mitigavit Alemannos, et omnes regni Tyrannos,
Saxonibus et Noricis imposuit frena legis,
Vidit sua magnalia probabilis Jtalia,
Bellum intulit Paganis, ne nocerent Christianis.
Non defendit eos palus, nulla fuit in aquis salus.
Bene coërcebat Sclavos, barbaros, et omnes pravos.

Vel

Vel eo etiam hoc loco à nobis commemorandus, quòd post Carolum M. & S. Henricum nullus Regum & Imperatorum Ecclesiam Paderbornensem majori liberalitate dotatam auxerit, quàm Conradus Salicus Imperator. Ut non immerito tertius hujus Episcopatus conditor haberi possit: quemadmodum hæc ex ijs, quæ in Meinwerco diximus, satis constare poterunt.

In hoc itinere, cùm funus secundum Rheni ripam duceretur Moguntiam, Henricus Rex præclaro diplomate Brunoni Mindensi Episcopo Andernaci omnia jura & privilegia confirmavit. Id quia posteritatis memoria dignum, vel ob id etiam, quòd in eo incolas diœcesis Mindensis Francos liberos legas, hîc adjungimus.

Henricus III privilegia Ecclesiæ Mindensis confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum cognoscat industria, qualiter Bruno Episcopus sanctæ Minden. Ecclesiæ in honore sancti Petri principis Apostolorum, et sancti Gorgonii constructæ, in nostram attulit præsentiam piissimorum antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum scripta, in quibus continebantur, qualiter ipsius præfatæ Ecclesiæ res cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperunt Mundiburdio ac defensione, precatusque est Serenitatem nostram, ut hoc ipsum à nostræ regalis potestatis consensu fieri non recusaremus. Nos autem ob amorem Dei nostræque animæ remedium, nec non pro regnorum stabilitate, prædecessorum nostrorum mores sequentes, et ejus benignitati assentientes, ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones jamdictæ Ecclesiæ, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel quæ deinceps in jura ejus divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, mansiones vel paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ, francos liberos et Ecclesiasticos litones, maalman vel servos cujuslibet conditionis, seu colonos contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, aut bannum, sive heribannum, seu ea, quæ supra memorata sunt, ab illis penitus exigere præsumat; hominibus quoque famulatum ejusdem Ecclesiæ facientibus prædictum Mundiburdium constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, et advocatis ejus, quos ejusdem loci Episcopus elegerit. Insuper etiam bannum nostrum, et monetam teloniumque sive macellum publicum ibi construi licere, et quidquid ad nostram potestatem pertinere videbatur, eidem Ecclesiæ donavimus. Quidquid vero fusius exinde sperare potuerit, pro æterna remuneratione dictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria continuanda concessimus. Et per se Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio, et sub nostra constet defensione, uti cæteræ regnorum nostrorum Ecclesiæ, et Episcopi, quatenus ipsum fratresque ejusdem loci pro nobis dominum melius et jugiter orare delectet. Concessimus quoque eisdem fratribus licentiam eligendi inter se pastorem dignum et idoneum, salvo tamen Regis sive

sive Imperatoris consensu. Et ut hoc nostri Mundiburdii et concessionis præceptum firmius magisque inconvulsum cunctis credatur, hanc chartam inscribi jussimus, sigilloque nostro signatam manu propria subtus firmavimus.



Signum Domni Heinrici tertii Regis invictissimi.

Theodericus Cancellarius vice Bardonis Archicappellani recognovit. Data x. Calend. Julii Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIX Indictione VII, Anno autem Domni Heinrici tertii ordinationis XI, regnantis autem primo. actum Anternacho feliciter Amen.

Succedit patri in Imperio *Sigebertus. Ursberg. Herman. contract. Marian. Scot. Lambertus Schaf. Otto Frising. lib. 6. c. 32.*

Conrado Patri successit in Imperio Henricus filius, jam antè Rex appellatus, & Principum suffragiis Imperator acceptus, cognomento Niger, Regum eo nomine III, Imperatorum II, religione, moderatione Imperii, rerum gestarum gloria, ut Otto Frisingensis tradit, Patris virtutes supergressus: major etiam futurus, si, ut pater, scriptorem nactus fuisset. Hoc Imperatore gloriantur prisci scriptores Imperium ad Caroli M. stirpem redijsse, quòd Gisela Imperatrice sit natus; in quam rem hi versus circumlati olim.

Quando post decimam memoratur linea quarta,
De Carolo Magno processit Gisela prudens.

Justis parenti persolutis, Spiræ Henricus Imperator Regnum pacatum, nemine obtinente, adijt. Lustratáque superiore Germania, in Saxoniam discessit, more Patris & superiorum Cæsarum, quòd apud eam gentem magna Imperij majestas, metusque non levis esset, ne Saxones per affectationem Imperij, quod Conradus Pater primùm à Saxonica familiâ in Franconicam transtulerat, sub Principe filio publica turbarent. Hæc ut Henricus anteverteret, in Saxoniam maturavit, & per Autumnum Goslariæ Episcoporum ac procerum Conventum habuit; ad quem inter Abbates accessit Truthmarus Corbeiensium Abbas & duo ab Henrico Rege magnifica diplomata obtinuit, quorum primo Corbeiensibus firmat omnia jura ac privilegia, quæ à Ludovico pio ceterisque Imperatoribus data sunt, cumprimisque Ecclesiam in Eresburg, & Abbatiolam in Meppia ad Amasis flumen.

Confirmat privilegia Corbeiensia.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Si petitiones Servorum Dei justas et rationabiles ad effectum perduxerimus, et ad hanc vitam felicius transigendam et ad perpetuam felicius promerendam procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus, quoniam venerabilis Abbas Truchtmarus adiit Excellentiam nostram suppliciter orans, ut nostra munificentia prospiceremus monasteriis sibi commissis, quorum unum est nova Corbeia nuncupatum, ubi et ille regulari constitutione abbas extitit, et alterum est Sanctimonialium Herifordt dictum, et propriæ Abbatissæ, cujus nomen Godesdiu, subjectum; sed juxta consuetudinem, qua ancillarum Dei congre-

congregationibus procurari solent, præpositi ex Ecclesiastico ordine, jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in disciplina Abbatissa loci juvetur, quàm in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Is ergo petiit Celsitudinem nostram recordari, quod piæ memoriæ antecessor noster HLudovicus Imperator ambo hæc monasteria construi jussit, ad normam videlicet præcipuorum in regno Monasteriorum, novam Corbeiam in Saxonia ad similitudinem antiquæ Corbeiæ, Herivordense verò Cœnobium ad exemplum Monasterii Sanctimonialium in Suessionensi civitate constructum; et ut in eleemosynam suam, ac totius generis sui institutionem earundem perfectio compleretur, Abbatiolam juris sui, quæ vocatur Meppia, cum decimis et possessionibus suis, aliisque ad ea pertinentibus: et Ecclesiam Eresburc, quam Karolus Imperator construens in Saxonia decimis ditavit circumquaque habitantium per duas Saxonicas rastas, præfatus HLudovicus ad novam tradidit Corbeiam. Ad Herifurtensis autem Monasterii adjumentum dedit in Episcopatu Osnabrugensi Buginithi cum subjectis sibi Ecclesiis; in Parochia verò Mimigernafordensi Ecclesiam Hreni cum his, quæ ad eam pertinent Ecclesiis, ita sanè ut decimarum aliorumque redituum proventus omnes præfatis cederent Monasteriis, et ab his vicissim procurarentur subjectæ plebes in baptismate, in Eucharistia, in sepultura, in confessione peccatorum audienda, et presbyteri, qui principales ex his Ecclesias tenerent, Archipresbyterorum officio fungerentur ad omnia facienda, quæ solent fieri ab Archipresbyteris Episcoporum. Cum autem ipsi Episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur, quod in capitulis Antecessorum nostrorum præscriptum habetur. Ille igitur rata esse volens cætera omnia, tantum expensas ad ministerium Episcopi propter ægritudinem et senectutem ejus, qui tunc fuit, Gauzberti augere debuit. Quod juxta petitionem primi ejusdem loci Abbatis Warini ita moderari placuit, ut descripto, quantum satis sit ad servitium Episcopi, hoc nullo modo subtrahatur, et Episcopus vicissim ampliora non quærat, nec cum pluribus veniat, quam ut eis sufficere possint. In quibus satis esse consensit Episcopus coram antecessore nostro HLudovvico, et Archiepiscopo HRabano, cæterisque cum eo in synodo agentibus, id est, ut dentur ad singulas Ecclesias porci IIII *valentes singuli denarios* XII, *aut* VIII: *arietes tantundem valentes: porcelli quatuor, aucæ* IIII, *pulli* VIII, *situlæ* XX *de medone, de mellita cervisia* XX. *de non mellita* LX. *panes* CXX. *de avena modii* C. *manipuli* DC. *sitque in potestate Episcopi, utrum hæc per singulas Ecclesias ad unum mansionaticum, an ad duo velit habere. Ne autem in summa debiti his plus minus compleretur, hoc auctoritatis suæ decrevit atque jussit. His etiam adjungere placuit libera utrique loco concessione eligendæ de propria congregatione in regimen sui per futura semper tempora congruæ personæ. Quod et nos confirmamus et corroboramus. Et ut omnis hinc dubietas tollatur, manu propria subtus roborantes sigilli nostri impressione ea signari jussimus.*

Signum

 *Signum Domni Heinrici tertii Regis invictissimi.*

Theodericus Cancellarius vice Bardonis Archicappellani recognovit. Data III Nonas Septembris. Indictione VII. anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIIII. anno autem Domni Heinrici tertii ordinationis XII regni verò primo. Actum Goslare feliciter Amen.

Iisdem confirmat jus eligendi Abbatem.

Altero diplomate, quod eodem die & loco consignatum est Goslariæ, impetrat confirmationem eligendi Abbatem, & immunitatem subjectorum hominum, & bonorum, quod hoc tenore verborum concessum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, qualiter venerabilis Abbas nomine Truthmarus nostram adiit excellentiam; suppliciter orans, ut nostra magnifica munificentia prospiceremus monasterio, cui praeesse videtur, quod est constructum super fluvium Wisera in loco, qui dicitur nova Corbeia, in honorem Dei et sancti Stephani protomartyris, ubi et beati Viti Martyris pretiosa pignora servari noscuntur. Cujus petitioni rationabili propter divinum amorem, et venerationem beatorum Martyrum, assensum præbentes, hos apices serenitatis nostræ circa ipsum monasterium fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus præcipuè, ut potestatem Monachi, si necessitas venerit, habeant Abbatem eligendi de fratribus suis. Et ut nullus Episcopus, aut Judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, nisi solus illius loci provisor et advocatus prædicti Monasterii in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones præfati monasterii, quas moderno tempore justè et rationabiliter possidere videtur, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos, quàm et servos, vel litos injustè distringendos ullo unquam tempore audeat ingredi, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere, aut actitare præsumat. Sed et de dominicatis mansis vel nunc habitis, vel post acquirendis, à reddendis decimis plenam idem monasterium habeat immunitatem. Et sicut hactenus fuit, ut dentur ad portam in susceptione hospitum et peregrinorum in quibuslibet Episcopiis, pagis, vel territoriis, vel omnibus, quæ ibidem propter divinum amorem et illius sancti loci venerationem collata fuerint, ut liceat ibidem Deo famulantibus sub nostræ immunitatis tuitione quieto ordine vivere et residere, ut melius illos delectet omni tempore pro vita animæque nostræ perpetua felicitate, et pro remedio piæ memoriæ genitoris nostri Chuonradi, Romanorum videlicet Imperatoris augusti, atque pro stabilitate regni à Deo nobis collati Domini misericordiam attentius exorare. Insuper etiam decimas, vel decimales Ecclesias, in quibuscunque Episcopiis, ita teneant atque disponant, sicut ab Antecessoribus nostris, Regibus videlicet et Imperatoribus, tenere per præcepta

pta

pta visi sunt, atque disponere. Episcopis verò, quibus servitium ei mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persolvant. Et ut hæc auctoritas concessionis nostræ atque confirmationis firmiter habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus et futuris melius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter eam firmavimus, et sigilli nostri impressione assignari jussimus.



Signum Domni Heinrici tertii Regis invictissimi.

Theodericus Cancellarius vice Bardonis Archicappellani recognovit. Data III Non. Septembris. Indictione VII. anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIIII. Anno autem Domini Heinrici tertii ordinationis XII. regni vero primo. actum Goslare feliciter amen.

Tertium Goslariæ diploma impetravit Abbatissa in Kemnade, quo Monasterij illius ad Visurgim conditi privilegia & bona Henricus Rex rata confirmataque habet. Kemnatensis Parthenonis fundationem stabilit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Omnium sanctæ Dei nostrorumque fidelium, præsentium ac futurorum universitas noverit, qualiter Domna Frideruna venerabilis Abbatissa, ejusque soror Imma Comitissa, Gerone Comite adjuvante, construxerunt quoddam monasterium in villa Keminata, in pago Tilithi, in comitatu Bernhardi Ducis situm, in honorem Dei genitricis sanctæ Mariæ Virginis dedicatum, ad quod omnem hæreditatem suam, curtes scilicet ac villas infra nominatas, Keminata, Heigen, Hogen, Barigi, Tundirun, Othere, Varstan, Rothe, Bardevvic, Hotmannessun, Witthorp, Britlingi, Biangiburdiburg, Addunesthorp, Hatherbiki-Bodanhuson, Suotherburg, Claniki, Wigmannesburgstal, Benedestorp, Vuidila, vvaldersiti, Kokerbiki, Holam, Aun, Setila, Hepstidi, Sinigas gratissima voluntate tradiderunt. Unde Abbatissa Juditha nominata, quæ nostris temporibus eidem monasterio præfuit, nostram regalem excellentiam adiens suppliciter exoravit, ut præfatum Cœnobium more Antecessorum nostrorum in nostro mundiburdio susciperemus. Quod nos interventu Brunonis Mindonensis Episcopi fecisse cognoscat universitas fidelium. Ad hæc statuimus, ut ejusdem Monasterii Abbatissæ talis libertatis, legis ac regulæ primatu fruerentur, quali cæteræ Sanctimoniales in regno nostro sub regula S. Benedicti justè viventes utuntur. Insuper concedimus eidem Abbatiæ, ut nullus Marchio, nullus Comes, nullaque nostri regni magna vel parva persona in ea placitum facere, vel publicam functionem exigere præsumat, nisi advocatus, quem Abbatissa, quæ tunc temporis fuerit, cum Sanctimonialium consensu eligere voluerit. In obitu vero Abbatissæ ejusdem Monasterii liberum habeant arbitrium aliam eligendi juxta regulam S. Benedicti. Et ut hujus nostræ auctoritatis privilegium perseveret, manu propria roborantes sigillo nostro jussimus insigniri.



Signum Domini Heinrici tertii Regis invictissimi.

Theodoricus Cancellarius vice Bardonis Archicappellani recognovit. Data III Non. Septemb. Indictione VII. Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIX. Anno autem Domini Heinrici Tertii Ordinat. XII. regni vero I. Actum Goslare feliciter Amen.

Mirum tot Cæsarum ac Regum diplomatis tanquam adamantinis vinculis voluisse sacrorum præsules jura bonaque sua præmunire, quæ hæresis nostro ævo tam libere rumpit, quam impune ipsa sacrorum bona rapit.

Bohemia ad pendendum solitum tributum ab Henrico adigitur.

Ceterum Henricus Rex, compositis per Saxoniam rebus publicis, sub exitum anni in Bohemiam cum exercitu movit adversus Bretislaum Ducem, qui Udalrico successerat, dominatu inflatus. Quippe tributum regio fisco debitum, centum & viginti boum & quingentarum Marcarum solvere recusabat: At Bretislao satisfactionem spondente, Henricus Rex Ratisbonam ad Hiberna concessit.

Annus Christi 1040.

Benedicti IX Pont. 7.
Henrici III Reg. 2.
Rothonis Ep. Pad. 5.

Per initia hujus anni Henricus Rex Augustæ Vindelicorum versatus, mense Februario, Geroldo Abbati Werthinensi omnia Cœnobij D. Ludgeri privilegia, interque ea navigationem liberam in Rura fluvio, eo, quo Conradus pater ad annum hujus sæculi XXXIII, concesserat, tenore approbavit.

Dedicatio Basilicæ Stabulensis, cui cum Henrico R. interest Rotho.

Vita Popponis apud Surium & Bollandum tom. 2. Jan. Miræus in Notit. Belg.

Tum fallente, quam dederat, fidem Bohemo, resumptum ab Henrico bellum, quod præcedenti anno intermissum diximus, Bretislao Bohemorum Duce ac quæsitam satisfactionem Regi se offerente. Inde postquam Rex Ingelhemij pascha, & per paschatis ejus ferias procerum conventum celebravit, Nonis Junij Stabuletum à Poppone Abbate invitatus, ad dedicationem Basilicæ magno procerum Comitatu accessit. Celebris quoque ea dedicatio fuit Episcoporum conventu. Nam præter Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, intra cujus Diœcesin Stabuletum accensetur, interfuere Bezellinus Hamburgensis Archiepiscopus, Nithardus Leodiensis, Benno Trajectensis, Hermannus Mimigardevordensis, Richardus Virdunensis, Gerardus Cameracensis, Theodoricus Metensis Episcopi, ceterique, quorum præsentiam ex diplomate, quod Henricus Rex Nivellensi Virginum Collegio in ea dedicatione dedit, cognoscere licebit: additurque in eo Rudolphus Episcopus sine certa sede Episcopali; at Rothonem Episcopum, quod idem Rudolphus, ut supra diximus, vocetur facile intelligas, quippe qui ex Stabulensi monasterio per ipsum Popponem ad Abbatis & Episcopi dignitatem erat provectus, cui hunc ex invitatione honorem præstiterit. Mense

Mense demum Augusto, Henricus Rex triplici exercitu in Bohemos movit, quorum alter Saxonum Duce Ocardo jussus procedere in Bohemorum fines; alterum, quem ex Germania contraxerat, Rex ipse ex Bojaria duxit. At Bohemi, postquam de periculo suo edocti, stratis latè arboribus, transitus omnes viarum interclusêre; ad quos cum tecti præmunitique se objicerent, Rex ut per fauces montium penetraret, signa peditum inferre jussit: sed agmen illud mox magna clade rejectum, & circumfusum haud minori strage acceptum, occumbente inter primos Wernero Duce, ac Rege cum fugientibus ægrè discrimen evadente. Occardus Saxonum Dux, comperta regiorum clade, Bretislao suasit, ut Regis clementiæ se permitteret: id cùm à victore non impetraret, copias suas incolumes in Saxoniam reduxit, lingua quàm manu promptior. Rursùm hoc anno, ut in fastis Corbeiensium reperio, villa Huxteri deflagravit, paucis in vico ædibus servatis.

Sigebertus. Marianus. Lambertus Schaf. Herman. contr. Cosm. Prag. Naucler. Crantzius. Dubrav. Mutius. Fast. Corb.

Infelix Henrici cum Bohemis congressus.

Annus Christi 1041.

Benedicti IX Pont. 8.
Henrici III Reg. 3.
Rothonis Ep. Pad. 6.

Anno dehinc proximo Henricus Rex, ad ulciscendam à Bohemis cladem acceptam, contundendamque Ducis superbiam, verno primùm tempore Selingenstadij, deinde Aquisgrani Nonis Julij frequentem Episcoporum ac Principum senatum habuit, ubi rursum Nivellensi Collegio Virginum liberalitatis diploma consignat. Post illa, collectis Episcoporum & sanctorum hominum precibus, adscitisque Episcopis & Sacerdotibus, penes quos in castris esset divinorum procuratio, cum instructo exercitu perrupit in Bohemiam, cæsoque, quem Bretislaus objecerat, milite, totam regionem vastando urendoque libere pervagatur. Hoc calamitatis aspectu Bretislaus, cùm & à suis proceribus esset desertus, auctore Prágensium Episcopo, clementiam Regis impetrat, offerendo obsides, tributa, & fidum clientis obsequium. His placatus Rex jussit Ducem sese Ratisbonam sequi, ubi nudus pede, capite aperto, in frequenti Principum senatu prostratus ad pedes Regis in Sella considentis, receptus in gratiam ipso die festo Michaëlis Archangeli. Fasti nostri Corbeienses rem his verbis sunt complexi. *Henricus Rex Bohemos nobili victoria debellavit, Deique dono totam provinciam in occidentali parte Histri subegit.* Per id tempus Petrus Ungariæ Rex ab Ovone Tyranno pulsus accessit Ratisbonam, Henrici opem implorando; quem Rex in tutelam suscepit, pollicitus restitutionem.

Miræus in not. Belg.

Bohemia ab Henrico subigitur.

In præsens verò, invitatus ab Hermanno Mimigardevordensium Episcopo proficiscitur in Westfaliam. Nam quâ temporum felicitate

Chron. Monast. Kersenbrochius MS.

citate Henricus & Conradus Cæsares Imperium habuêre, magnum (quod à Scriptoribus observatum est) certamen erat inter Episcopos in construendis Basilicis, condendisque Collegijs, ac cœnobijs religiosorum hominum. Quare & Hermannus præclarus & magnificus XIV Monasteriensis Episcopus, cùm opibus abundaret & operis, Monasterij trans aquas, ut vocant, in antiquissima urbis parochia ad Alpham fluvium condidit Virginum sacrarum Collegium cum magnifica Basilica; quam cùm hoc anno absolvisset, invitavit ad ejus dedicationem Henricum Regem, & vicinos simul Episcopos. Quocirca Henricus Rex magno procerum comitatu venit Monasterium, & Natalitia Christi ea in urbe celebravit. Atque, ut vetus Saxonum chronicon refert, Suiderus, istic qui Everhardo Bambergensi Episcopo hoc anno defuncto successerat, à Bardone Moguntino Archiepiscopo, ipso natalis Christi die, Monasterij consecratus est Episcopus.

Dedicatio Ecclesiæ Transaquensis Monasterij.

At nihil ea dedicatione, quæ IV Calend. Januarij peracta est, per totam Saxoniam spectatu magnificentius; ad quam præter Henricum Regem Archiepiscopi quatuor cum suis provincialibus Episcopis convenêre. Ac postquam Basilica illa D. Virginis solemni primùm ritu consecrata est, aram principem consecravit Hermannus Coloniensis Archiepiscopus, adjuvante Becelino Alebrando Bremensium Archiepiscopo, & Brunone Mindensi Episcopo in honorem S. Crucis, & B. Virginis; Australis ara ad descensum chori initiata à Bardone Moguntino Archiepiscopo, Suitgero Bambergensi, & Dithmaro Hildesimensi Episcopis in honorem S. Joannis Baptistæ omniumque cœlitum. Aquilonare altare consecratum S. Joanni Evangelistæ ab Hunfrido Magdenburgensi Archiepiscopo, adsistentibus Cathelo, seu ut alij, Cedalo, Citizensi, & Avalrico Osnabrugensi Episcopis. Ara demum Occidentalis ab ipso Hermanno Mimigardevordensi, Nithardo Leodiensi, & Rudolpho Sleswicensi Episcopis in honorem S. Petri & Pauli dicata. Nam hunc Rudolphum Sleswicensem tunc fuisse Episcopum constat ex Alberto Stadensi, quo cum Becelinus, & Thiatmarus Hildesiensis Episcopus anno Christi M.XLII adiere Magnum Regem Daniæ, ut huic celebritati Rothonem, seu Rudolphum Paderbornensem Episcopum præsentem sistere non liceat; quamvis ut pronum sit suspicari ex vicinitate loci, & congressu tot Episcoporum. Ceterum Hermannus Mimigardevordensis Episcopus Collegio Virginum Sanctimonialium, quod condiderat, sororem suam primam Abbatissam imposuit, quales exinde ex Comitum familia delectæ. Ex qua verò ipse ac soror familia, tam præclari Collegij conditores fuerint, ex annalium memoria excidit. Templi verò hujus Transaquensiis non ipse Hermannus primus est Conditor; quando tempore D. Ludgeri istic Ecclesia B. Vir-

B. Virgini consecrata stetit, in qua corpus D. Ludgeri à morte depositum: hanc, quod vel angusta, vel collapsa, dejecit Hermannus, & ex fundamento novam Basilicam construxit, addito Virginum Collegio, ideoque sub patrocinio B. Virginis reliquit. Id quod assitum conspicitur Sacellum D. Ludgeri, veteris Ecclesiæ turris fuit. Illud verò grande admirandumq; turris opus inter Saxoniæ monumenta cumprimis spectabile Hermanno quoque Episcopo adscribitur conditori; quanquam Basilica hæc & Collegium Virginum anno 1071 mense Aprili conflagrârit. Ac postquam intra annos 14 ab Erpone Episcopo instauratum est opus, rursum anno 1121, injectis à Theodorico Wirtzenburgico in urbem ignibus, absumptum est. Ex his ruinis à Burchardo Episcopo restaurari est cœptum, in quo perficiendo Successores laborarunt. Quod verò ab hoc Monasterio Virginum urbi & diœcesi Monasteriensi nomen adhæsisse nonnulli cum Crantzio opinentur, falli eos dixerim; quando à Collegio Cathedrali eam nominis originem alij certius deducunt; quòd ejusmodi Collegia Clericorum passim Monasteria dicerentur. Sanè ex quo à Carolo M. Collegium illud primùm est conditum, non modò numero & disciplinâ clericorum florentissimum fuit, sed ab eo urbs ipsa parochiis, & civium frequentia amplificata in hanc demum magnitudinem excrevit, quibuscum nomen Monasteriense usu invaluit. Quarè post tempora Hermanni Episcopi, sub quo urbs mirifice exculta est, modò adhuc Mimigardevordenses, modò verò Monasterienses Episcopi appellati leguntur. Sed hæc ad illorum annalium conquisitionem spectant.

Kersenb. c. 2. Historia Anabaptist. & in chron. MS. Episcoporum. Tympius in catal. Episc. Monast. Brovverus in not. ad vitam S. Ludgeri.

Annus Christi 1042.

Benedicti IX Pont. 9.
Henrici III Reg. 4.
Rothonis Ep. Pad. 7.

Ceterum Henricus Rex non prius Monasterio discessit quàm insigni prædio Virginum Transaquensium Collegium dotasset, & magnis etiam privilegijs, Herivordensium aliorumque nobilium Virginum Collegiorum instar, exornasset, & publicum etiam tribunal (quod Magistratui post cessit) Abbatissæ dedisset. Sub hæc rigente hyeme in Burgundiam profectus, tumultuantium motus, compressit: acceptàque procerum fide Basileæ Henricum Luxenburgicum D. Cunigundæ fratrem ex Henrico fratre nepotem Bojariæ Ducem dixit. Inde secundo Rheno provectus 11 Aprilis Paschatis celebritatem Coloniæ habuit, quò & Germaniæ Saxoniæque proceribus evocatis, agitatum de bello Ungarico; omniumque mox suffragijs Petrus Rex exul in solium reponendus decernitur. Quare sub Autumnum suscepta expeditio, Germanorum Saxonumque viribus: ac

Brun. lib. 10. Ann. Boicorum. Histor. Boica p. 1. l. XVI. Lambert. Schaf. Herm. contract. Marian. Scotus Ursberg.

Henrici Reg. expeditio in Bohemos

ac primò statim in Ungariæ ingressu captæ aliquot populosæ urbes. Ac licet adversis prælijs fractus Otto Tyrannus, bellum tamen redintegrare est ausus. Et jam vergente in exitum anno, ex affecto magis bello quàm confecto Rex in Saxoniam ad hiberna concesserat.

Hermanni Monasteriensis Præsulis obitus.

Lambertus Schaf. in Chron.

Inter hæc 21 Julij Hermannus Mimigardevordensis præclarissimus Episcopus excessit è vita, anno gesti Episcopatus decimo. Tumulus ei datus ante aram principem in Basilica, quam priori anno dedicaverat, cujus tamen modò nulla vestigia supersunt. Tam ingrata, atque immemor beneficiorum ætas in posteris. Inter cetera hæc illi laus data, habuisse clerum non minus quàm Scholas florentissimas. Successor ei in Episcopatu datus Rudbertus, quem fasti Robertum vocant, uti hæc Lambertus Schafnaburgensis consignavit.

Mors Emmæ sororis Meinwerci.

Mortua quoque hoc anno Emma Meinwerci Episcopi nostri soror, Ludgero Comiti denupta, postquam per XL. annos vidua omnes thesauros in Ecclesiam Bremensem & pauperes erogasset, præclarâ sanctitatis fama apud posteros relictâ. Sed hoc ipso anno, uti Adamus Bremensis scribit. *Domus Ecclesiaque S. Petri Bremæ conflagravit, cujus incendii flamma, claustrum cum officinis, urbem cum ædificiis totam consumpsit, veterisque habitaculi nullum remansit vestigium. Ibi sacræ Ecclesiæ thesaurus, ibi libri et vestes, ibi omnia ornamenta sunt consumpta.*

Bremensis Ecclesiæ conflagratio & disciplinæ relaxatio hinc consecuta.

Quæ damna magna quidem reputat auctor; sed majora, quæ ex solutâ disciplinâ consecuta sunt; quando ex eo tempore Canonici, qui intra claustrum vixerant, vagari, & regulam SS. Patrum, quam per CCLXX annos in communis vitæ societate conservârant, primùm negligentius habere, ac deinde pravo aliorum Collegiorum cathedralium exemplo abjicere cœperunt; quanquam id Browerus jam ante complures annos Treviris factum observârit.

Annus Christi 1043.

Benedicti IX Pont. 10.
Henrici III Regis 5.
Rothonis Ep. Pad. 8.

Lambertus Schaf. Hermannus contract. Marianus Scotus. Ursberg. Avent. l. 5. Boico. Cleinsorg in chron.

Paderbornam adit Henricus, &

At Henricus Regum gloriosissimus, apud Saxones hyemando, Goslariæ Natalitia Christi celebrat. Ibi dum comitia Saxonicorum procerum agitantur, accessit Bohemiæ Dux, honorificè à Rege exceptus, & benignè dimissus: ibi legati Russorum auditi, & tristes dimissi, quòd Regis sui filiam, quam Henrico nuptui obtulerant, aspernatam audirent. Goslaria Rex ad Leodienses profectus, celebratoq; apud eos Paschate, cum Rege Francorum colloquitur. Inde postquam Aquisgranum adijsset, reflexo per Rhenum itinere, in Westfaliam digressus est; & magna procerum frequentia deductus, festum Pentecostes Paderbornæ cum Rothone Episcopo egit; patris cumprimis & Henrici sancti exemplo invitatus, quos Imperatores hic locus

cus non tam amœnitate fontium, & veneratione sacræ antiquitatis, quàm cleri & religiosorum hominum pietate oblectavit. Atque hic dum per complures dies versatur Rex, advenêre II Calend. Junij Ungarorum legati ab Ovone Tyranno missi, violatæ fidei veniam precantes; & quo fœdus & amicitiam impetrent, ultro etiam captivos se reddituros, aut certum pro ijs pretium soluturos sese pollicentur. At Rex, quoniam Bojos injurijs læserant, Ratisbonam rejecit, ibique præsentibus Bojis causam se cogniturum edixit. Postquam Ratisbonam perventum, Ungari eadem, quæ antè, promittunt: verùm cùm Henrico Regi fidem dare, & in præscripta pacta legesq; jurare detrectarent, Boicis finibus excedere jussi sunt. Quos Rex cum exercitu secutus; expugnatoque ad Rabonem fluvium castello, Ungari supplices imperata se facturos spondent, Petrumque in Regni partem admissuros. Sed fluxa, ut post compertum, fides, eóque bellum resumere necesse fuit. Rex inde in Sueviam reducto exercitu, Ulmæ conventum procerum, & Constantiæ Episcoporum synodum habuit, in qua memorabili ad posteros exemplo, ut Hermannus scribit, *Pacem multis sæculis inauditam per edictum confirmat*, ultro veniam omnium noxarum, quotquot unquam in regiam majestatem deliquissent, impertiendo. Post illa in Burgundiam perrexit, ad sponsam Wilhelmi Pictaviensis Ducis filiam excipiendam, quam Moguntiam deduxit, & magna celebritate Ingelhemij sibi matrimonio junxit. Ad eas nuptias cum magna histrionum multitudo confluexet, jussit eos Rex, præclaro ad posteros modestiæ ac pietatis exemplo, ejici, eorumque in locum egenos introduci, quibus cibi & largitiones præbitæ.

Ungarorum Legatos audit.

Fasti Corb. Sigebertus. Herm. Contr. Lambert. Otto Frising.

Pictaviensis Ducis filiam ducit uxorem.

E Saxoniæ Episcopis hoc anno ad superos transijt Becellinus Alebrandus Bremensis Archiepiscopus, insigni religione & spectabili virtute præsul. Postquam divino monitu extremum vitæ diem sibi imminere sensit, nudis pedibus Bremam ingressus est, & ad mortem se composuit. Subrogatus ab Henrico Rege Adalbertus cognomento Magnus, filius Friderici Comitis Palatini Saxonici. Primùm is Canonicus Bremensis fuerat, deinde Halberstadensis Præpositus, vir qui egregias naturæ dotes ac virtutes multis vitijs, magno cumprimis fastu & arrogantia, obscuravit, corruptor postea Henrici IV Regis, & Schismaticorum antesignanus, múltumque à sanctissimorum Episcoporum modestia ea in sede primùm degenerasse compertus; uti sæcula sensim post Henricum III cum depravatis Imperatoribus in vitia transierunt.

Adamus Bremensis. Albert. Stad.

Rotho per hæc Episcopus noster in restaurandis consecrandisque Parochiarum Ecclesijs occupatus; quas inter VI Calend. Augusti dedicavit Ecclesiam Horhusanam, quæ Eresburgi ad pedem montis Martis constructa est, quam in rem vetus monumentum consecrationis & donationis extat.

Rotho Horhusanam & Sudbergho-

In

vienſem Eccleſiam conſecrat.

In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis, regnante Henrico Imperatore, venerabilis Paderbornenſis Epiſcopus Rotho, petente Druthmaro Abbate, dedicavit hoc templum VI Calend. Auguſti, haſque ſacroſanctas hîc recondidit reliquias: de corporali S. Petri Apoſtoli, de cruce, de ſcutella ejus, de veſtimentis B. Pauli Apoſtoli, de lapide, quo lapidatus eſt Beatus Stephanus, de membris SS. Magni, Tiburtii, Valeriani, Clementis, Pancratii, Chryſogoni, Georgii, Joannis et Pauli, Stephani, et Viti, Dionyſii: item de veſtimento Innocentii martyris, Gregorii, Liborii, Benedicti, Adelberti, Petri Diaconi Confeſſorum: Agathæ, Cæciliæ, Afræ, Eugeniæ, Aldegundis Virginum. Statuit autem ad terminum iſtius Eccleſiæ has pertinere villas: Horrehuſen, Albertinghuſen, Albrachſinghuſen, Oſneti, Tvveſini, Siltzinghuſen, Helmeringhuſen. Dotata eſt autem decimis harum villarum: Widerdinghuſen, Huſtide, Herchinghuſen. Quæ ne quis infringere, aut detrahere præſumat, prædictus Epiſcopus Rotho terribili anathemate prohibuit.

Decimo ſeptimo dehinc Calend. Novembris Rotho Epiſcopus conſecravit Eccleſiam Parœciæ Sudberghoviæ in honorem S. Galli, quam Wolfangus ſecundus Abbas Abdinghovianus ex ſolido lapide in fundo ſui Cœnobij conſtruxerat, ex quo Meinwercus Parœciam illam ab urbica ſejunxerat, proprijque juris fecerat.

Auctor vitæ Meinvv. n. 48.

Annus Christi 1044.

Gregorij VI Pont. 1.
Henrici III Reg. 6.
Rothonis Ep. Pad. 9.

Lambert. Schaf. Brovver. lib. xi Ann. Trevir. Adam. Brem. lib. 3. in Adal.

Conſecratio Adalberti Archiepiſcopi Bremenſis.

Albert. Stad. Sigebertus.

Henricus Rex poſtquam Treviris Chriſti Natalitia peregerat, uti Lambertus ſcribit, ibique promulgatâ rurſum lege, quam Conſtantiæ in ſynodo ſanxerat, omnes, qui in regiam majeſtatem deliquerant, omni prorſus crimine abſolverat, Aquiſgranum perrexit ad conventum Principum. Qua in urbe Adalbertus Bremenſis Archiepiſcopus coram Rege & procerum multitudine conſecratus eſt, aſtantibus XII Epiſcopis, & ſingulis ordine manum imponentibus: quo facto homo vanus ita gloriari ſolitus eſt adverſus maledicos, ut diceret nihil ſibi omnium imprecationes nocere poſſe, cui tot Epiſcopi bene precando manum impoſuiſſent.

Aventin. lib. 5. Brund. 10. Herm. Contract. Lamb. Ann. Alth. Hiſto. Boic. p. 1. lib. 17.

Hungari ab Henrico debellantur.

Aquiſgrano Rex Neomagum ſe contulit ad inferiores Rheni provincias luſtrandas; celebratoque apud Friſones Paſchate, ab extremis Germaniæ finibus cum exercitu in Ungariam tranſvolat; ac tertia expeditione in Ovonem facta, viribus licet multum impar, conſerto ad Arabonem fluvium, quem nunc Rabam vocant, prælio, Tyrannum Ungaroſque ad internecionem delet. Tum verò Petrus in regnum reſtitutus. Ovo ex prælio elapſus, in tugurium ſe abdidit, ex quo à Petro extractus ad ſupplicia, dignas ſceleribus pœnas dedit. Henricus Rex Ratiſbonam reverſus, nihil ſollicitius habuit, quàm ut pro

pro victoria cœlesti beneficio parta grates Deo persolveret. Quare laneum sagum indutus excalceatusque, supplicum ritu, omnia templa, omniumque Divorum aras obivit, prostratusque ante Christi in cruce pendentis effigiem soli Christo triumphum detulit.

Lambert. Schaf. Herm. contract.

Sustulit hic annus Thiatmarum Hildesimensem Episcopum, virum qui nobilitatem generis pari virtutum splendore conjunxit, eóque apud Henricum Regem & Principes magnæ auctoritatis fuit. Successit Thiatmaro Azelinus. Per hæc pacatissima tempora laboratum sterilitate frugum, peste, & fame per Germaniam & Galliam (quod ab omnibus Scriptoribus notatum reperio) quibus calamitatum malis magnopere exercita Episcoporum caritas.

Lambertus. Sigebertus. Ann. Altah. Avent. l. 5. Histor. Boi. cap. 1. lib. 17.

Annus Christi 1045.

Gregorij VI Pont. 2.
Henrici III Reg. 7.
Rothonis Ep. Pad. 10.

Accessit inter hæc annus quadragesimus quintus supra millesimum, quo Henricus Rex cum exercitu in inferiorem Germaniam discessit, & Godefridum Lotharingiæ Ducem anno superiori rebellantem compressit. Is postquam hortatu religiosorum hominum supplex se ad pedes Regis abjecit, ita condonationem impetravit, ut tamen in custodiam abripi jussus sit. Inde Rex transito Rheno in Saxoniam profectus, Goslariæ Paschatis solennitatem celebrat. Advenerant per id tempus oratores Petri Ungarorum Regis, qui Henricum Regem in Ungariam invitaverant. Quare Rex itinere in Bojariam arrepto celebratóque Passavii festo Ascensionis Domini, secundo Danubio in Ungariam descendit, & in regia Albæ regalis urbe festum Pentecostes cum Petro Rege agit, tamque amicè ibi inter utrumque Regem actum est, ut Rex Ungariæ se clientem Henrico Regi, Regnumque submiserit. Ex Ungaria ad comitia Triburiensia, quæ indixerat, maturatum.

Francofurtum ubi pervenit, tam gravi morbo repente depressus jacuit, ut Principes de Successore consilia agitarent: at supra omnium spem sibi restitutus in Saxoniam properat adversus Sclavos Lutitios; quæ gens, ut Hermannus Contractus retulit, ausa per absentiam Regis, Saxonum fines populando ingredi; id licet Bernardus Saxoniæ Dux, homo ignavus, dissimularet; Rex tamen non ferendum ratus, contractisque Saxonum copiis, Albim transgressus, Sclavos primo incursu obtrivit, tributumque, quod ante eum Conradus Pater & Ottones Cæsares imposuerant, pendere jussit. Eo bello confecto, Goslariam ad hiberna concessit: qua in urbe Christi nascentis incunabula læta festaque habuit.

Slavi ad pendendum tributum ab Henrico adiguntur.

Annus Christi 1046.

Gregorii VI Pont. 3.
Henrici III Reg. 8.
Rothonis Ep. Pad. 11.


Fasti Corb. Lambert. Ruthardum Corbeiensem Abbatem confirmat. *Herm. Contract. Lamb. Schaf. Histo. Ultraject. Buchel. in not. Sigebertus.* Godefridum Ducem Lotharingiæ in gratiam recipit.

Sub initium dehinc anni proximi, mense Februario, Rex Corbeiam venit, ut fasti nos Corbeienses docent. Et verò, quia Druthmarus Abbas, vir religiosissimus, à Meinvverco Episcopo nostro ad disciplinam formandam evocatus, xv Calend. Martij excesserat è vita, statim vii Calend. Martij, præsente Rege, omniumque fratrum concordibus suffragijs, Ruthardus Abbas eligitur. Is deinde sequenti Dominica vi Nonas Martij Regem Tremoniam secutus, pro regia auctoritate confirmatur. Nec multò pòst vii Idus Martij Corbeiam reductus est, solemni ritu à Rothone Paderbornensi Episcopo, qui legatus tum Regis memoratur, collocatus in sede. Quanquam Ruthardus, ob quæ nescio delicta & dissidia biennio abhinc amotus à munere, & in ordinem redactus. Subinde Rex, perlustratâ Westfalia, transgressus in Frisiam, celebratoque Paschate Ultrajecti, navalem expeditionem fecit adversus Theodoricum Phlarditingæ Marchionem Cæsariq; rebellantem & Episcopos vexantem compescuit. Dehinc Aquisgranum movit, ubi inter festa Paschalia Godefridum Ducem in publico procerum conventu supplicem, prostratumque ad pedes suos, rogatu Principum, in partem Lotharingiæ recepit: in alteram Lotharingiæ partem Fridericus Luxenburgicus admissus frater Henrici Ducis Bojorum, seu filius, ut quibusdam placuit. Tanta tum Regum etiam Germanorum potestas erat in amovendis, reponendisque Ducibus, antequam hereditaria se possessione firmassent. At Godefridus haud multò post ad ingenium redijt, bellumque ex integro resumpsit tanta audacia, qua Neomagi palatium regium & Verdunensem Ecclesiam injectis ignibus absumpsit; sed ultro mox facti pœnitens se flagellis verberandum obtulit, interq; cæmentarios mancipii instar lapides in restaurationem fabricæ comportavit. Aquisgrani dum versatur Henricus Rex in congressu Episcoporum & Abbatum, ut ex sequentibus literis cognoscitur, Wolfango Abdinghoviano Abbati & Cœnobio ejus donat curtem & vineam: qua super donatione has tabulas prisca pietate plenas producimus.

Abdinckhoffensibus donat curtem ac vineta Poppartensia.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex. Nos qui antiquorum insignia Regum Deo jubente gestamus, egregia eorum merita ex scriptis in Ecclesia Christi frequenter audimus. Ea quippe à venerabilibus viris Episcopis vel Abbatibus ejusdem causa negotii in nostram collata præsentiam imitari decet, quibus divina inspirante gratia id animi sedet, ut Ecclesias Christi infra nostri contiguum regni constitutas de nostri abundanti copia, ubi ex toto non possumus, ex parte augmentemus. Quapropter

propter notum esse volumus sanctæ universitati Ecclesiæ, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, Agnetisque Reginæ dilectissimæ contectalis nostræ, nec non pro æterna parentum nostrorum requie, sanctæ Ecclesiæ sub honore sancti Petri omniumq; Sanctorum Bodarbrunno constructæ et consecratæ, ejusdemque Ecclesiæ Abbati Wolfango unum curtile cum omni integritate, et vinetis tres Karradas ferentibus, in villa Pobarto, situm in Comitatu Bertoldi Comitis, et in pago Trechira, in proprium tradidimus, ea videlicet ratione, ut prædictus Abbas omnesque Successores ejus de præfato curtili et vinetis liberam dehinc potestatem habeant obtinendi, commutandi, precariandi, et quidquid sibi placuerit, ad usum Ecclesiæ fratrumque inibi Deo servientium inde faciendi. Et ut hæc regiæ nostræ traditionis liberalis auctoritas stabilis et inconvulsa omni tempore permaneat, hanc cartam inde conscriptam, manu propria roborantes, ut infra poterit videri, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.



Signum Domni Heinrici Regis invictissimi.

Theodericus Cancellarius vice Bardonis Archicappellani recognovit. Data VII Calend. Jun. Anno Dom. Incarnat. M XL VI. Indict. XIIII. anno autem Domni Heinrici tertii ordinat. ejus XVIII. regni vero VIII. actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter Amen.

His trans Rhenum peractis, Henricus Rex Merseburgum in Saxoniam processit ad alia Episcoporum & procerum comitia. Magna hæc Principum celebritate & Regis majestate conspecta, in quibus VIII Calend. Julij Bohemorum, Polonorum, & Pomeranorum Legati adfuêre, tributum & munera Regi deferentes. Et quia expeditio in Italiam certa erat, Rex in Bavariam profectus Augustam adijt, ubi cum ingens exercitus ex Saxonia & Germania, ac flos nobilitatis ad initium Septembris convenisset, Rex majoribus, quàm antè quisquam Cæsarum, copijs iter Romanum est ingressus, interque Episcopos Adalbertus Bremensium Archiepiscopus Regem est assectatus, ad fædum, quod tribus simul Pontificibus electis intervenerat schisma, tollendum. Ad ingressum Italiæ substitit primùm Veronæ dies aliquot, mox Papiam progressus synodum Episcoporum convocavit: Inde Sutriæ haud procul ab urbe alia Synodus coacta, in qua Pontificum causa, qui per errores delecti fuerant, est cognita; exauctoratisque Benedicto, Sylvestro, & Gregorio, Suidgerus Bambergensis Episcopus, gente Saxo, quem antè Monasterij Episcopum consecratum diximus, tam Romanorum, quàm Episcoporum consensu, Romanus Pontifex deligitur; multumque licet reluctans, ipso Natali Christi die, in throno collocatur, Clemens II Appellatus. Is in ipsis Christi Natalitijs Henricum Regem & Agnetem solemni ritu Augustos coronavit. Peractis Missarum deinde solemnijs Pontifex & Imperator unà cum Imperatrice Agnete ad Lateranense palatium, applaudente populo Romano, processêre.

Lambertus Schaf. Hermannus Contr. Sigebertus. Ursberg. Otto Frising. Leo Ostiensis. Baronius.

Suidgerus Bambergensis Episcopus creatur Pontifex.

Et Henricum coronat.

Annus Christi 1047.

Clementis II Pont. 1.
Henrici III Reg. 9. Imper. 1.
Rothonis Ep. Pad. 12.

Lambert. Sigebertus. Herman. Contract.

Ad motus Germaniæ componendos properat Henricus

Imperator dehinc rebus Italicis compositis, in Germaniam maturabat, urgentibus publicis rebus. Nam & Rex Gallorum Henricus per Imperatoris absentiam in Germaniam molitus erat irruptionem, & Ungari excæcato Petro Rege Andream sublegerant, & Lotharingia inferiorque Germania motibus intestinis agitabatur. Quare Mantuæ Paschate, & Augustæ festo Ascensionis peracto, Spiram accessit ad Pentecostes celebritatem. Ubi Episcoporum & Procerum comitijs habitis, copias secundo Rheno in Frisiam deduxit adversus Godefridum Lotharingiæ Ducem, & Theodoricum Frisiæ occidentalis & Hollandiæ Comitem; captoque Renesburgo & Ulaendingo munitissimis oppidis, prohibitus est aquis & paludibus victoriæ insistere. Quocirca per Autumnum in Westfaliam digressus Susatum venit, occurrentibus eò Episcopis & Saxoniæ proceribus. Qua in urbe Imperator Ecclesiæ Paderbornensi lautum in pago Hessi prædium Everschutte dedit; quam donationem novi Imperatoris largitatemque in Ecclesiam nostram hîc ex consignatis tabulis exhibere placuit.

Prædium Evershuttense Paderbornensi Ecclesiæ donat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Noverint omnes fideles nostri, tam futuri quàm præsentes, qualiter nos ob divinum amorem, et ob remedium animæ nostræ, ac fidelis nostri Adalhardi ad Ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ semperq; Virginis, et sancti Kiliani martyris, sanctiq; Liborii Confessoris, et sanctæ Brigidæ virginis in eleemosina fratrum inibi Deo sub canonica regula servientium tale prædium, quale nos habuimus in Everschutte dicto; situm in pago Hessi, in comitatu Bennonis Comitis, cum omnibus ad idem pertinentibus scilicet areis, mancipiis utriusque sexus, ædificiis, agris, terris cultis et incultis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, per hoc nostrum imperiale præceptum in proprium concessimus atque condonavimus, et illud perpetualiter existendum tradidimus, eo quoque tenore, ut nullus Rex, Dux, Comes, vel ulla alia magna parvaque persona idipsum inde alienare, aut aufferre præsumat. Si quis autem hujus nostræ Kartæ temerarius violator extiterit, divinæ sententiæ periculum incurrere, et in die judicii inde reddere rationem se sciat. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni tempore permaneat, hanc Kartam inde conscriptam, subtusque manu propria corroboratam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum



Signum Domni Heinrici invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Data IIII Non. Sept. Anno Dominicæ Incarnationis MXLVII. Indict. 15. anno autem Domni Heinrici tertii Ordinationis ejus XVIII. Regnantis IX. Imperantis primo. Actum in Sosaet feliciter Amen.

Hartvvicus Cancellarius vice Bardonis Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.

Annus Christi 1048.

Damasi II Pont. 1.
Henrici III Regis 10. Imp. 2,
Rothonis Ep. Pad. 13.

E Westfalia Imperator in Thuringiam profectus, Poledæ Christi Natalitia celebravit: sub quod tempus accessêre Legati Româ missi, Imperatori obitum Suidgeri Romani Pontificis denunciantes; is quippe in Octobri excesserat è vita, & Bambergam ad sepulchrum deferri voluerat. Tum verò quia Successorem petierant Romani ab Imperatore, oblatus est Poppo, natione Bojus, Brixiensis Episcopus. Qui postquam à Romanis est delectus ac Damasus II appellatus, non ultra vigesimum diem cathedram tenuit. Post quæ consultus denuo Imperator, Brunonem Tullensem Episcopum, ex consilio Episcoporum, quos Wormatiæ convenire jusserat, designavit Romanum Pontificem. Gente is quoque Germanus erat, ex nobilissima Dagsburgicorum Comitum inter Alsatos familia; qui deinde cum honestissimo trium Episcoporum comitatu deductus in Italiam, & pontificali ornatu indutus, consilio Hildebrandi Cluniacensis Prioris, viri sapientissimi, se clero Romano eligendum obtulit, eoque comite & hortatore subrogatus est Romanus Pontifex, & Leo IX appellatus, vir magnarum virtutum, & miraculis clarus; quemadmodum hæc Desiderius Abbas Cassinensis, & Leo Ostiensis, & Wigbertus Scriptores testantur.

Lambert. Herman. Contract. Sigon. de regno Ital. Brunne. Histo. Bav. pag. 1. l. 13. Otto Frising. lib. 6. c. 33.

Mortuo Suidgero Pontifice sufficitur ab Imperatore Poppo, ac deinde Bruno.


Agebantur hæc anno, qui Christi numerabatur quadragesimus octavus supra millesimum; quo Imperator abruptis in Saxonia hybernaculis, in Bojariam secessit. Ac postquam Ulmæ Otto Dux Sueviæ impositus, & Pascha Ratisbonæ, festum Ascensionis Turegi, Pentecostes verò Soliduri celebratum ab Imperatore, per Franciam in Saxoniam Orientalem remeavit, ipsamque inferiorem Westfaliam ingressus, Mindæ Brunonem Episcopum invisit, virum quem Henricus per omnem vitam carum habuit, eoque novo & egregio diplomate Ecclesiam Mindensem exornavit: id quia mense Augusto Mindæ est consignatum, & illustre ad Episcoporum privilegia commemoranda, juvat hoc loco intexere.

Herman. Contract. Brunner. Aventin.

Mindensis Ecclesiæ privilegia confirmantur ab Henrico.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm et futurorum, cognoscat industria, qualiter Bruno Episcopus sanctæ Mindensis Ecclesiæ, in honore sancti Petri Apostolorum principis constructæ, in nostram attulit præsentiam piissimi nostri genitoris Chonradi Imperatoris Augusti, cæterorumque Antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum scripta, in quibus continebantur, qualiter ipsius præfatæ Ecclesiæ res cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperunt Mundiburdio ac defensione, precatusque est serenitatatem nostram, ut hoc ipsum à nostræ Imperialis potestatis consensu fieri non recusaremus: Nos autem ob amorem Dei, nostræque animæ remedium, nec non pro regnorum stabilitate, prædecessorum nostrorum et paternos mores sequentes, et ejus benignitati assentientes, ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ, quas nunc infra ditionem Regni nostri legibus possidet, vel quæ deinceps in jura ejus divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, mansiones vel paradas faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius Ecclesiæ francos liberos et Ecclesiasticos Litones maalman, vel servos cujuslibet conditionis seu colonos contra rationem distringendos, nec non ullas redibitiones, vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, aut bannum seu heribannum, seu ea, quæ supra memorata sunt, ab illis penitus exigere præsumat. Hominibus quoque famulatum ejusdem Ecclesiæ facientibus prædictum Mundiburdium constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, et advocatis ejus, quos ejusdem loci Episcopus elegerit; insuper et bannum nostrum et monetam teloneumque sive macellum publicum ibi construi licere, et quidquid ad nostram potestatem pertinere videbatur, eidem Ecclesiæ donavimus: quidquid vero Fiscus exinde sperare potuerit, pro æterna remuneratione dictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria continuanda concessimus. Et per se Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat Imperio et sub nostra constet defensione, ut cæteræ Regnorum nostrorum Ecclesiæ et Episcopi, quatenus ipsum fratresque ejusdem loci pro nobis Dominum melius, et jugiter orare delectet. Concessimus quoque eisdem fratribus licentiam eligendi inter se pastorem dignum, et idoneum, salvo tamen Regis sive Imperatoris consensu. Et ut hoc nostri Mundiburdii et concessionis præceptum firmius magisque inconvulsum cunctis credatur, hanc cartam inscribi jussimus, sigilloque nostro signatam manu propria subtus firmavimus.



Signum Domni Heinrici Regis invictissimi secundi Romanorum Imperatoris Augusti.

*Wintherius Cancellarius vice Bardonis Archicancellaerii recognovi. Data XIII Calend. Augusti Anno Dominica Incarnationis *MXLIX indictione I. Anno autem Domini Heinrici tertii Regis secundi Imperatoris, ordinationis ejus XX, regnantis quidem X, Imperantis autem II, in nomine Domini, actum Mindo feliciter Amen.*

* al. MXLVIII

Memorat

Memorat Adamus Bremensis Henricum Imperatorem ab Alberto Bremensi Archiepiscopo invitatum Bremam; quem & regio apparatu venientem excepit Archiepiscopus; nec minus liberalis Imperator, Archiepiscopo comitatum Frisiæ donavit. Inde Lismonam perveniens Imperator per insidias Dithmari Comitis, quem Lambertus fratrem Bernardi Saxoniæ Ducis scribit, prope circumventus fuit: ob quod facinus cùm postularetur reus, militi, qui id detulerat, ad singulare certamen se obtulit, in quo Dithmarus Comes occubuit, visusque est justas læsæ majestatis pœnas dedisse. Utrumne Cæsar ex hoc itinere Paderbornam adierit (quod etsi verisimile habeam, nullo tamen certo Scriptore compertum est) Rotho certè Episcopus noster magnæ per id tempus existimationis ob vitæ integritatem apud Cæsarem erat, vir qui in disciplinam cleri intentus, Ecclesiam, uti à Meinwerco acceperat, florentem habebat. Et quia pari religionis cultu numeroque Monachorum vigebat sub Wolfango Abbate Cœnobium Abdinghovianum, ipse Meinwerci vestigijs inhærens, hoc anno territorium cum salinis, quod ære suo coëmerat, Cœnobitis donavit, atque ex hac dote perpetuum lampadis lumen ad sepulchrum Meinwerci ardere voluit, tanquam Divorum cultu veneratus Meinwercum, Divorum quoque honoribus exornandum duceret; nam Cryptam, in qua conditus jacuit, supplicum accessu frequentatam ex tradita majorum fide accepimus. Hujus donationis literas, quæ Episcopi pietatem spirant, hîc reddimus.

Ab eodem donatur Comitatus Frisiæ Archiepiscopo Bremensi.

Et territorium Folcbettinghusanum Abdinckhoffensidus à Rothone.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Rotho Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Quia Salvatore nostro attestante, qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, seu justum in nomine justi, mercedem Prophetæ vel justi accipiet, expedit omnibus fidelibus obtemperare monitis Salvatoris, rebusque transitoriis acquirere sibi requiem celestis mansionis. Unde noverint omnes fideles Christi, tam præsentes quam futuri, qualiter nos divini amoris instinctu pro remedio animæ nostræ, prædecessorisque nostri venerabilis Domni Meinvverci Episcopi, Monasterio ab ipso in suburbio hujus nostræ Sedis in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli constructo, cui Wolfangus venerabilis Abbas præest, territorium quoddam in Folcbettinghusen ad amminiculum præbendæ fratrum contulimus, quod cum omnibus suis appendiciis viginti marcis à quodam homine libero Bernhardo nomine suisque hæredibus legaliter proprietario jure acquisivimus. Dedimus præter hoc locum Salis in Uflon, vas argenteum de decimis Episcopii nostri in Wilgadessun, triginta solidos singulis imposterum annis, de quibus continuum lumen ad sepulchrum prædicti Domni Meinvverci Episcopi provideatur, et in anniversario depositionis ejus et nostro, fratribus in refectorio caritas in nostræ commemorationis memoriam amministretur. Hæc Deo sanctisque ejus tali tenore, ut prædictum est, devota mente oblata banni nostri auctoritate confirmavimus

per

per terribile nomen, quia judicaturus est vivos et mortuos, et seculum per ignem: contestantes ut nulla persona magna vel parva, domestica vel extranea contra hujus rei seriem venire, agereve præsumat, præfati Monasterii fratribus quamlibet injuriam vel molestiam inferat. Quod si quis præsumptuosè attemptaverit, damnationem et ultionem invasoribus Ecclesiarum prædestinatam à Deo incurrat, et cum diabolo et angelis ejus sempiternæ maledictioni, nisi resipuerit, subjaceat. Ut ergo tam prædictarum rerum oblatio, quàm nostri Episcopalis banni confirmatio veraciter credatur, stabilisque et inconvulsa omni tempore habeatur, paginam hanc in testimonium veritatis conscribi jussimus, et eam impressione sigilli nostri signavimus. Hujus rei testes sunt tam Canonici, quàm Monachi nostræ civitatis; Laici vero Erp Comes, Esci, Heinric Comes, Eppa, Echilhard, Tyederic, Engilmar, Athalbald, Heriman, Goditra, Hunald, Godefridt, Warmon, Iba, Ethelric, Erilin, Unnmer, Tiaza, Wicman, Wicher, Azaka, Fiaza, Esza, Hisa, Luiza, Eika, Gela, Sicca, Tumma, Erika, Unecka, Ennika, Bennika, Emmika, Araka: item Azaka, Willica, Alatrant, Gerald, Becelin, Ebbika, Esic, Giezelin, Helmer, Bernheri, Wirmbruh, Gezelin. Data Paderborn V Idus Aprilis, Anno ab Incarnatione Domini MXLVIII, Indict. I. regnante Rege Henrico tertio.

Annus Christi 1049.

Leonis IX Pont. 1.
Henrici III Reg. 11. Imper. 3.
Rothonis Ep. Pad. 14.

Herm. Contract. Lambert. Adam. Brem. lib. 3. c. 30. Wibert. *in vita Leonis lib. 2 c. 2. Concil. Reg. tom. 9. Chapeaville to. 2. c. 1. Baronius. Brovverm in ann. Trevir. Hist. Boica. p. 1. l. 17.*

Goslariã Henricus exornat. Adalberti Bremensis Archiep. consilia de Patriarchatu condẽdo.

Cæsar postquam per Autumnum Saxoniam omnem perlustrasset, transito Rheno, Metas proficiscitur; collocutusque cum Henrico Galliarum Rege, fidem pactorum juramento magni principes sanxêre. Post illa Argentoratum atque Ulmam perrexit: celebratisque Frisingæ Christi Natalitijs, ac festo Purificationis B. Virginis Ratisbonæ peracto, per Quadragesimæ tempus in Saxoniam reversus, Goslariam contendit; quam urbem Henricus Cæsar, ingentibus ea tempestate divitijs abundans, uti Adamus Bremensis scripsit, è molendino & tugurio venatorio olim cultam, civium frequentia mirificè auxit, interque nobilissimas totius Saxoniæ urbes regio palatio, & duobus Canonicorum collegijs in ea conditis exornavit. Aderat tum simul Imperatori magnificus ille Bremensis Archiepiscopus Albertus, summæ apud Cæsarem auctoritatis ac potentiæ; quippe cujus consilio & prudentia Cæsar Imperium moderabatur, carus non minus Leoni Pontifici, à quo majora sibi pollicebatur. Is quemadmodum magna sperabat, ita inter Abbatias Laurissam & Corbeiam affectabat, præterque Plisnam, Groningam, Dispargum, & Lismonam, ceterasque à Cæsare donatas possessiones, etiam Comitatus Bernardi aliorumque bona ad se traxerat, augendæ Ecclesiæ causa,

causa, quo studio incomparabilis erat Præsul. Et quia sub id tempus per Regnum Daniæ Christi religio libere latèque increverat, meditabatur Archiepiscopatum suum augere in XII Episcopatus, præterque Episcopatus Daniæ adjicere XII Episcopatus, quorum primus esset in Palmis, secundus in Heiligenstat, tertius Razinburgi, quartus Aldinburgi, quintus Mechlenburgi, sextus Stade, septimus in Lismonia, octavus in Wildeshusen, nonus Bremæ, decimus Verdæ, undecimus Rambsolij, duodecimus in Frisia: ac si hæc procederent, consilium erat Hamburgi Patriarchatum, Metropolim omnium horum Episcopatuum instituere, ex quo se totius occidentis Patriarcham ferret. Sed magnis illis consilijs (quibus & Corbeiam complexus in spem Episcopatus) supra fortunam se erigens excidit. Ceterum Goslaria Cæsar Coloniam profectus, ubi magnificè ab Hermanno Archiepiscopo est exceptus.

Accessit per id tempus ex Italia Coloniam Leo IX Pontifex (uti Wibertus inter res ejus gestas memorat) ad pacem inter Galliarum Regem & Imperatorem firmandam, ac cleri disciplinam restaurandam. Is pari magnificentia ab Archiepiscopo & Imperatore exceptus. Ac postquam inter se collocuti Pontifices, Cæsar Aquisgranum est profectus ad Godefridum Lotharingiæ Ducem, & Balduinum Flandriæ Comitem, turbatores Reipublicæ subigendos. Pontifex verò postquam officium Cancellarij S. Romani Sedis, & Ecclesiam S. Joannis ad portam Latinam Archiepiscopo Coloniensi, ejusque Successoribus dedisset, Leodium, Trevirim, Tullos, ac postremò Rhemos est profectus; qua in urbe convocatis Galliæ Episcopis celebrem synodum habuit. Jam annus in Autumnum processerat, cùm Leo Pontifex & Imperator Moguntiam accessêre ad synodum, quam Pontifex indixerat. Celeberrima hæc synodus fuit, in qua præsidente Domno Apostolico, & præsente Imperatore, ut Adamus Bremensis scribit, convenêre Bardo Moguntinus, Everhardus Trevirensis, Hermannus Coloniensis, Adalbertus Hamburgensis, Engelhardus Magdenburgensis Archiepiscopi cum suis provincialibus Episcopis & Sacerdotibus, memoranturque universim XL Episcopi consedisse, quos inter Rothonem quoque Episcopum nostrum numeraveris. Multa in hac synodo celeberrima ad disciplinam cleri & populianciendam sunt decreta: ac nihil contentius actum, quàm ad Simoniæ malum, & nefanda Sacerdotum conjugia extirpanda. Quemadmodum ferventissimus Pontifex hanc in rem jam antè in Italia duo, & alterum Rhemis concilium convocârat. Quare & Adalbertus Bremensis Archiepiscopus, qui sapientia & virtutum merito fere omnes præcellebat, Clericorum pellices extra urbem ejecit. Eadem cura idemque ceterorum Episcoporum studium fuit. Synodum hanc,

Leo Pontifex in Germaniam concedit.

Celebrem Moguntiæ synodum habet.

ut nonnulli in sequentem annum rejiciant, probatiores tamen scriptores in hunc annum conferunt, quod & rerum gestarum series poscit, certique id temporum eorum scriptores tradunt Hermannus Comes, Sigebertus, Ursbergensis alijque.

Annus Christi 1050.

Leonis XI Pont. 2.
Henrici III Reg. 12. Imper. 4.
Rothonis Ep. Pad. 15.

Hermannus Contract. Lambert. Sigebertus.

Solutâ Moguntinâ synodo, Pontifex per Bojariam & Sueviam iter in Italiam repetijt, multos secum trahens Teutonicæ gentis nobiles & bellicosos viros, quorum ope Nortmannos in Apulia, Ecclesiæ Romanæ bona diripientes, oppugnare consultum habuit. Cæsar verò in Saxoniam regressus, exactâq; hyeme apud Saxones, Rhenum transijt, ad fumantis belli reliquias per inferiorē Germaniam extinguendas; Nam & Balduinus Flandriæ Dux datis obsidibus in fidem receptus: & postquam Theodericus Hollandiæ Marchio, junctis trium Episcoporum armis, Leodiensis & Metensis & Trajectensis, victus occubuerat, Hollandia pacata fuit. Trajecti dehinc Paschate celebrato Cæsar in superiorem Germaniam movit; habitoque Norembergæ Principum conventu, Imperator filio Henrico donatus est, quem Agnes Augusta III Idus Novembris in lucem edidit, patri avoque longè dissimilimum; id quod mater præsagijt; nam fassa in somno sibi Draconem oblatum, quem pareret; quanquam ortum hujus Regis pueri Hermannus ad hunc annum, Lambertus ad sequentem referat. Uterque tradit puero à Principibus fidem juratam, rogante Patre, & alter Poledæ, alter Goslariæ id factum perhibet. Auctor est Hermannus Contractus hoc anno rursum Leonem Pontificem ex Italia in Galliam & Germaniam venisse, quem Baronius ab Imperatore in Saxonia exceptum refert: quemadmodum in Goslariensium tabularijs annotatum traditur, Leonem Pontificem Goslariæ templum Simonis & Judæ Apostolorū consecrasse.

Belli Germanici reliquias extinguit Henricus.

Domnizo in vita Mathild. lib. 2. Baronius.

Filium mali ominis consequitur.

Annus Christi 1051.

Leonis IX Pont. 3.
Henrici III Regis 13. Imp. 5.
Rothonis Ep. Pad. 16.

Herm. Contr. Lambert. Domnizo in vita Mathildis lib. 2. apud Baron. Hildeb. Ar-

Sub initium anni sequentis, qui Christi fuit MLI, Cæsar è Saxonia in Bojariam contendit, & Augustæ solemnia Purificatæ Virginis cum Pontifice celebravit; ac Pontifice Romam repetente, Cæsar Spiram, atque inde Coloniam profectus, ibi filium quatuor mensium festo Paschatis Hermanno Coloniensi Archiepiscopo Baptismi undis abluen-

abluendum obtulit; sponsor, susceptorque è sacro fonte Hugo Cluniacensis Abbas, vir sanctitatis fama, & miraculis vivus etiam tum apud omnes clarus, quem ob id in Saxoniam evocârat Cæsar.

chid. in vita Hugon. Abb. Surius ad 29 Aprilis.

His Coloniæ peractis, Cæsar in Saxoniam redijt ad dedicationem Basilicæ, quam Goslariæ Genitrici Virgini construxerat, quam Hermannus Coloniensis Archiepiscopus præsente Imperatore, Bardone Moguntino, ceterisque Episcopis ac Principibus solemni ritu consecravit.

Dedicatio Basilicæ Goslariensis.

Goslaria deinde Paderbornam contendit Imperator cum Episcopis ad conventum Principum, & festum Pentecostes cum Rothone Episcopo peragendum. Nam ita Lambertus, qui hæc tradit. *Imperator Pentecosten celebravit Padelbrunnæ, ubi Bardo Archiepiscopus, ad Missam habito sermone, obitum suum instare prædicens; orationibus fidelium se commendavit. Qui eodem mense decessit*: Præsul, ut jam supra diximus, ob dicendi facundiam Chrysostomus appellatus; sed longè majori Sanctimoniâ vitæ, quam vel ipso vaticinio Paderbornæ comprobavit. Testes præterea ejus sanctitatis Marianus Scotus, Arnoldus in vita Godehardi, Trithemius, S. Anno Coloniensis Archiepiscopus, Serrarius, alijque Scriptores. Vitæ imitatorem habuit Rothonem Episcopum nostrum; quocum egisse Cæsarem hoc anno, & Paderbornæ conventum Principum habuisse satis testantur literæ apud Gelenium, quibus possessiones, ab Erenfrido Palatino donatæ Monasterio Browilerensi, juxta Imperij leges, Principum sententiâ, abjudicatæ sunt.

Paderbornam accedit Henricus.

Bardo Moguntinus Archiep. mortem suam prædicit.

Marianus Scotus. Arnoldus in vita S. Godehardi. Trithemius in chron. Serrarius in hist. Mogunt. Gelenius in Vindic. Richeza.

Annus Christi 1052.

Leonis IX Pont. 4.
Henrici III Reg. 14. Imper. 6.
Rothonis Ep. Pad. ult.

Nec multum ab hoc congressu Cæsaris in urbe Paderbornensi superstes Rotho Episcopus; altero mox anno Bardonem Metropolitanum suum consecutus est, felici ad superos transitu. Nam ita Lambertus ad hunc annum, *Rudolphus Podelbrunnensis Episcopus obiit, cui Immed successit.* Dies verò obitus in necrologio Bustorfiano, Abdinghoviano, Herisiensi & Paderbornensi notatus est VIII Idus Novembris. Primus inter Episcopos, qui in Basilica Cathedrali à Meinwerco Episcopo constructa sepultus est, conditusq; in navi templi, ex qua corpus postea ob præclaram sanctitatis famam translatum est ad chorum, collocatumque ad dextrum muri latus, ubi hodiedum monumentum aspicitur illustratum inscriptione, quam Henricus Buranus, Præpositus Cathedralis Ecclesiæ, ex eadem vetustissima Burana Rothonis familia, circa annum MCCCC sepulchro adjecit: eo ex inculto literarum ævo his versibus legitur.

Lambert.

Moritur Rotho.

Burana ejus stirps ex epitaphio asseritur.

Est hic translatus signis primo templo locatus,
De Buren natus Præsul qui Rotho vocatus,
Nos annis rexit ter quinis, bene protexit.
MLI decessit, quem Meinwerce sancte præcessit.

Fallit inscriptio in mortis anno qui MLII esse debebat. Accedunt Icones Divorum, quos inter media B. Virgo à Carolo M. Patrona data, amplectitur ceteros Patronos & Conditores: horum hæc inscriptio.

S. Leo hujus Ecclesiæ Consecrator.
S. Liborius hujus Ecclesiæ patronus.
S. Maria Patrona.
S. Kilianus Patronus.
B. Meinwercus reparator.
S. Karolus fundator hujus Ecclesiæ.





Apposita est Statua B. Virginis, ad cujus dexterum latus procumbit parens, adjecto insigni gentilitio: ad sinistrum mater, in cujus scuto insculpta est rosa: circum caput Rothonis pulvillo incumbentis depicti radij, quales in Divorum passim imaginibus cernuntur. Sane Rotho ex posterorum memoria inter sanctissimos hujus Ecclesiæ præsules est cultus; quanquam cetera virtutum decora, resque ab eo præclarè gestas ipsa vetustas longè subtraxerit. Monstratur hodiedum fons ad descensum Basilicæ, quem Rothonem benedicendo multis morbis salutarem fecisse, majorum traditione accepimus; eò Rothonis nomen adhuc retinet. Præsul certè fuit sanctissimus, qui vitæ genus, quod Monachus atque Abbas coluit, in clero continuavit, publicis haud multum se miscens; sed quia disciplinæ cleri, choro, precibus, ac caritatis operibus intentus, priscam Episcoporum modestiam intra claustra & Episcopalem domum continuit. Vir præterea doctus, carusque Cæsari, à quo præclara cum laude Episcopatus tranquillè in decimum sextum annum est administratus. Sed multò illustrius hujus Episcopi elogium est cum præclara sanctitatis fama conjunctum à Bernardo IV hujus Ecclesiæ Episcopo, quòd is ad tumbas Rothonis hujus Episcopi, & Imadi Successoris ejus cereum in anniversario ejus mortis die ardentem fundârit; ac tam Rothonem, quàm Imadum sancti nomine exornet, quorum ossa è sepulchro levata publicè exposita fuêre.

Fontem benedictione sua salutarem reddit. (beside "hodiedum fons ...")

A publicis abstinet suo intentus officio. (beside "cleri, choro, precibus ...")

Sanctitatis ejus fama apud posteros. (beside "Sed multò illustrius ...")

Hujus rei tabulas in Imado Episcopo producemus.

B. IMA-

B. IMADUS XII,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1052.

Leonis XI Pont. 4.
Henrici III Reg. 14. Imper. 6.
Imadi Ep. Pad. 1.

POst Rothonis excessum subrogatus, Henrici Imperatoris nominatione, Imadus; idque haud multò post, eodem adhuc anno, factum esse constabit ex diplomate Imadi, quod mense Decembri Abbati Cœnobij Abdinghoviani consignavit. Inde Imadus sub exitum hujus anni adhuc inunctus Episcopus, quemadmodum Lambertus Schafnaburgensis, certus eorum temporum scriptor, ad annum Christi MLIII, *Imperator*, inquit, *Natalem Domini Goslariæ celebravit, ubi et Immed consecratus est à Luitpoldo Archiepiscopo* Moguntino ac Metropolitano suo. Ac Cæsarem tum Goslariæ Natalitia Christi egisse in conventu nonnullorum Episcoporum ac Principum, testis est quoque Hermannus Comes. Ubi quosdam simul hæreticos, ut auctor ille perhibet, inter alia prava erroris dogmata ex Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne hæretica illa scabies latius serpens plures inficeret, ex patibulis suspendi jussit. Igitur Jmadus in celebri illo conventu Episcoporum ac Principum, præsente Jmperatore consecratus, inauguratusque est Paderbornensium Episcopus; tanto etiam majori splendore ac plausu ceterorum, quòd & ipse ex Principum ac Comitum Saxonicorum sanguine genitus, claritudinem familiæ ex virtutum merito conjunxerit cum Episcopi dignitate. Nam avus ei paternus fuit Jmadus Comes, maternus verò Hermannus Saxoniæ Dux. Patrem habuit Ludgerum Comitem, Bennonis Saxoniæ Ducis fratrem, Matrem Emmam, Senatricem illam Saxoniæ, ac benefactricem Bremensis Ecclesiæ, fœminam sanctissimam, Meinwerci Episcopi nostri sororem. Quemadmodum etiam in literis Abdinghovianis, quas mox referam, Jmadus ipse Meinwercum vocat avunculum suum, à quo Paderbornæ

Imadus Goslariæ consecratur Episcopus Paderborn.

Illustres Imadi natales.

A Meinwerco avunculo

rigidè educatur in Gymnasio Paderborn.

Paderbornæ à puero in scholis & clero enutritus, tam arctâ in claustro disciplinâ est habitus, ut, sicut Auctor vitæ Meinwerci refert, *nunquam patrem suum videre extra conventum specialiter, vel ei colloqui fuerit permissus*, quòd Meinwercus Episcopus diceret, *pueros et adolescentes cum districtione erudiendos esse, minimè vero mollibus illis blandimentis deliniendos*. Exculti tum cum Jmado in eadem claustri disciplina Anno Coloniensis, & Fridericus Monasteriensis Episcopi, multique Nobilium ac Comitum filij, præclari post Ecclesiæ præsules, & operarij in Christi vineâ. Et Jmadus omnibus artium disciplinis celebre uti Paderbornense Gymnasium à Meinwerco acceperat, ita omnium scientiarum genere florentissimum habuit. Nam ut Auctor vitæ Meinwerci memorat. Floruêre Jmado Episcopo Grammaticæ, Poëseos, Rhethoricæ, Dialecticæ, Physicæ, Matheseos, Astronomiæ, Geometriæ, Musicæ, & quod tum unicè spectabatur, sacrarum literarum, ac juris canonici studia, sub delectis magistris ac Doctoribus. Confluxêre ad eam celebritatem Scholarum Paderbornam ingenui ac nobiles adolescentes ex universa Westfalia ac Saxonia: horum omnium decus atq; invitamentum erat ipse Jmadus Episcopus, vir à juventute literis excultus, omniumque doctrinarum artibus præstantissimus; & quod doctis viris, eruditisque Ecclesiæ præsulibus commune est, eadem doctrinarum studia amabat promovebatq; in alijs. Hac Imadi celebritate provocatus Theodoricus Paderbornensis Canonicus, ac B. Landfranci discipulus, eruditum suum scriptum in orationem Dominicam, quod Romæ in Bibliotheca Palatina extat, Jmado Paderbornensi Episcopo dedicavit, fateturque se ob memoriam & honorem Jmadi venerabilis ac celebris ea ætate Episcopi, edidisse in lucem. Quemadmodum hæc Ferdinandus Episcopus noster Romæ inter cetera collegit atq; ad annalium nostrorum memoriam retulit.

Auctor vitæ Meinwerci n. 51. Panag. Paderb. lib. 2. c. 4.

Celebritas Gymnasij Paderborn. id temporis.

Confirmatur ab Imado emptio prædii Sturebrocensis.

Ita verò Jmadus & avunculi sui Meinwerci meritis, & doctrinarum virtutumque suarum famâ commendatus, delectusque ex clero Paderbornensi, Episcopatum suum est ingressus; & sub initium statim muneris, Meinwerci vestigijs inhærens, prædium, quod Wolfangus Abdinghoviani Cœnobij Abbas coëmerat, Pontificali auctoritate ratum habuit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Immadus Dei gratia Paderbrunnensis Ecclesiæ humilis minister. Officii nostri est et desiderii, paci Ecclesiarum nobis commissarum invigilare, et earum utilitatibus in futurum, Dei cooperante adjutorio, paterna sollicitudine providere. Unde noverint omnes fideles Christi, tam præsentes quàm futuri, qualiter Domnus Wolfangus venerabilis nostræ civitatis Abbas jugi vigilantia subditorum profectibus prospiciens, ut internorum curam in exteriorum occupatione non minuat, exteriorumque providentia interiorum sollicitudinem non relinquat, fraternæ unanimitatis

*nimitatis consensu et consilio, prædium quoddam in Sturibroh à quodam viro, Ricberto nomine, suisque legitimis hæredibus in Comitatu Erponis Comitis legali jure triginta marcis acquisivit, quod pro spe salutis suæ et incolumitatis, pro augmento communis utilitatis, rebus Monasterii, cui hactenus laudabiliter præfuit, utiliter adjecit; cujus suorumque fratrum supplici rogatu, tam etiam dilecti nobis avunculi nostri Domni Meinvverci venerabilis Episcopi ipsius Ecclesiæ fundatoris intuitu, ipsum prædium cum omnibus appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, viis et invijs, ceterisque rebus, quæ in eo sunt, vel fieri possunt, nostra pontificali auctoritate confirmavimus, et omnem hominem, qui contra hujus rei tenorem venire agereve temptaverit, anathematis innodari vinculo, quoadusq; resipiscat, censuimus. Ut autem hæc nostræ Pontificalis informationis auctoritas stabilis et inconvulsa à generatione in generationem jugiter permaneat, hanc paginam conscribi, et sigilli nostri impressione signari, et testes, qui affuerunt, fecimus assignari: Sunt autem hi Erp Comes, Herimannus Tribunus, Godica, Tiamma, Azala, Gela, Eiza, Meinza, Eica, Araka, Thiaza, Poppo, Waza, Afric, Esic, Waldric, Godefrid, Hunald, Ezelin, Voldkerd, Unumer, Godeschal, Eza, Ebbika, Wicman, Sibal, Wigand, German, Hager, Becelin, Luidric, Thiethard, Helmdach, Hunald junior, Waldric. Actum Paderborn. III Non. Decembris. Anno ab Incarnatione Domini MLII. Indictione V. Anno autem Domni Heynrici tertii Regis, Imperatoris autem secundi, ordinationis ejus vigesimo quarto, regni quidem * XIII, Imperii vero * V. Episcopatus autem nostri primo.*

*al. XIV. *al. VI.

Annus Christi 1053.

Leonis IX. Ponr. 5.
Henrici III Reg. 15. Imp. 7.
Jmadi Ep. Pad. 2.

Hyemem illam à consecratione Jmadi Episcopi, & conventu Episcoporum Henricus Imperator Goslariæ transegit, mirificè delectatus & loci opportunitate, & amœnitate regionis, inter medios Saxones, apud quos tanquam aspectabilem maximè & formidabilem gentem, constructo palatio, frequentissimam quoque Imperii sui sedem elegit. Et Martio adhuc mense substitisse Goslariæ docebunt nos piissimi Imperatoris tabulæ, quibus Cœnobio Abdinghoviano prædia eidem à Meinwerco donata, ob memoriam amoremq; tanti præsulis, quem sibi in vita carissimum habuerat, cæsarea auctoritate confirmat.

Uti & alia prædia Abdinckhoffensibus donata ab Henrico Imp.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator augustus. Si res Ecclesiasticas divino cultui condonatas pro amore Dei conservare; eas verò, quæ apud humanas leges aliquorum contradictione infirmæ videntur et instabiles, nostra imperiali auctoritate confirmare et corroborare studuerimus, et ad præsentis vitæ felicitatem,

citatem, et ad æternæ beatitudinis interminabile gaudium nobis profuturum fore non diffidimus. Unde omnium Christi nostrique fidelium, tam futurorum quàm præsentium, sollers industria noverit, qualiter nos ob spem divinæ retributionis quædam prædia Goltpeche, Totenhusen, Waltmanninchusen, Widen, Mercbeche, Reme in Comitatu Ducis Berenhardi sita, et Ratinchheim, Testerbant in Comitatu Gerhardi Comitis à Meginvvercho venerabili Bodrabrunnensis Ecclesiæ præsule ad Monasterium tradita, quod ipse in honorem Beati Petri Apostolorum Principis, et omnium Sanctorum devotissimè à fundamento construxit, hæredibus illius Luitboldo et Adalberto primùm quidem multum contradicentibus, et quod eadem bona hæreditario ad se jure devenirent juxta sæculare judicium, affirmare conantibus, ad ultimum ob nostræ voluntatis, et benignæ adhortationis excellentiam collaudantibus, eidem Monasterio, et Abbati Egilberto suisque Successoribus, et Monachis inibi Deo famulantibus auctorali nostra astipulatione confirmamus et corroboramus cum omnibus suis appendiciis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et reditibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, cum omni utilitate, quæ ullo modo poterit inde provenire; ea videlicet ratione, ut prædictus Abbas suique Successores de præfatis prædiis liberam dehinc potestatem habeant obtinendi, commutandi, precariandi, vel quidquid illis ad usum ejusdem Monasterii placuerit inde faciendi, cum consensu Episcopi. Insuper etiam firmum et stabile perpetuo jure sancimus, ut nullus Dux, aut Comes, aut aliqua persona parva vel magna præfatum Abbatem ejusque Successores super ejusdem bonis inquietare, molestare, aut divestire præsumat. Et ut hæc nostræ imperialis confirmationis auctoritas stabilis et inconvulsa per succedentium temporum monumenta permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.



Signum Domni Heinrici tertii Regis, secundi Romanorum Imperatoris invictissimi.

*Wintherius Cancellarius vice Luitbaldi Archicancellarii recognovi. Acta X. Calend. Aprilis, anno dominicæ Incarnationis MLIII. Indictione VI. anno autem Domni Heinrici tertii Regis, Imperatoris autem secundi, ordinat. ejus XXIII, regni quidem *XIII, Imperii verò *VI. Actum Goslare in Dei nomine feliciter amen.*

*al. XV. *al. VII.

Herman. Comes. Adamus Bremi. lib. 3. c. 17. Alb. Stad.

Progressus Evangelij in Dania & Suecia.

Goslaria Cæsar Merseburgum discessit, qua in urbe cum Rege Danorum Pascha celebravit. Salutaris his communi paci, & Catholicæ religioni Principum congressus, quando per id tempus Sueno Danorum & Sueonum Rex, cognomento Magnus, præclarè de Ecclesia meritus, ubique per vasta Septentrionis regna Christi religionem proferebat, submittente Evangelij doctores Adalberto Bremensi Archiepiscopo: quos inter Adalwardus ex Decano Bremensi

Sueonum

Sueonum Episcopus, doctrina & miraculis clarus, Wirnilanorum & Scritifingorum gentes ad Christi fidem perduxit. Sub hæc Cæsar celebre Principum concilium Triburiæ convocat, in quo Henricus filius Rex salutatus: & in locum Conradi Dux Bojariæ repositus; ejus rei gratia in Bojariam ad hiberna concessit, celebratis Otingæ Natalitiis Christi. Mersburgi præterea Conradus Bojariæ Dux postulatus in judicium, & ob delicta Ducatu dejectus; tametsi & Saxonum querelæ adversus ipsum Cæsarem auditæ, quod justitiam remissius tractaret.

Annus Christi 1054.

Leonis IX Pont. *6.*
Henrici III Reg. *16.* Imper. *8.*
Jmadi Ep. Pad. *3.*

Anno dehinc proximo Cæsar habito Ratisbonæ colloquio Principum, per Alemanniam prædonum receptacula exuri jussit: inchoatoque Turegi in castro Quadragesimæ jeiunio, per assitas Rheno urbes Moguntiam properavit, ad festum Paschatis diem celebrandum. Ubi in Leonis IX Pontificis defuncti, & in superum fastos relati locum, ex Episcoporum & Principum consilio, Gebehardum Eicstatensem Episcopum Romanis obtulit Pontificem. Is anno insequenti Romæ admissus, consecratusque, Victoris II, nomen sumpsit. Post illa Cæsar Aquisgranum contendit, quà in Augustali urbe, indicto Episcoporum ac Principum comitio, filium, puerumque vix dum quartum ætatis annum ingressum, Regem inaugurandum obtulit; non sine controversia duorum Archiepiscoporum; quòd Moguntinus ob primatum Sedis id sibi vendicaret, Coloniensis verò ex loco dioecesis, ut Lambertus perhibet, id pro antiquo jure sibi assereret. Cæsar demum impetrata Luipoldi Moguntini Archiepiscopi voluntate consecrationem Hermanno Coloniensi Archiepiscopo ob generis claritatem obtulit.

Hermannus Contr. Lambert. Henricus Gebehardum Eicstadensem Episc. Romanis Pontificem offert. Curat filium suum Coronari Regem.

Jmadus per hæc Paderbornensis Episcopus noster totus in lustranda ordinandaque dioecesi fuit, atque sollicitus, quod Meinwercus Episcopus Coenobium condiderat, atque optima religiosorum disciplina florebat, ne hominum injuriam pateretur. Quare hoc diplomate omnia ejus Coenobij privilegia ac bona præmunivit.

Jmadus Abdinckhoffensem fundationem approbat.

In deitate patris prolis sit honor generalis: In nato nati decus ac sapientia Patri. In vi Paraclitis virtus sit utrique perhennis. Cum totius bonitatis dator hilarissimus, humanam ita condiderit creationem, ut æternaliter ipsi possidendam paradisi disponeret mansionem, in unius conditionis natura hominem creavit, quem in sapientia sua uniuscujusque creaturæ materia innovavit. Sed postquam primi plasmatis transgressio suæ posteritatis filios in hujus mundi deputavit exilio, cernens Deus, quid esset in homine, cautelam scilicet discretionis boni et mali, sciens in homine fecit, ut qualitatis differentia seu

 conversatio-

conversationis merito inter hominem et hominem habitudinis haberetur discretio: hinc mos inolevit, ut homo homini praeesset, alter alteri subjaceret, servi et liberi haberentur, subditi Dominis famularentur. Inolevit adhac consuetudo, ut augmentaretur ubique religio, scilicet in Ecclesia Sacerdotes ovili praeessent dominico, Regum sublimitas decor ac terror esset in populo, legum jura Principes discernerent, dignitatem conditionemque Comitia sic statuerent, quo Praelati à subditis honorarentur, et cum timore et sollicitudine Dominis famulantes congruo solatu beneficii patrocinio clementer et sollerter tuerentur. Quocirca ego Immadus divina suffragante gratia Paderbrunnensis Ecclesiae Episcopus curam et diligentiam debitam impendere cupiens commissis ovibus, Ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quam in Suburbio hujus nostrae Sedis Domnus Meinvvercus venerabilis Episcopus avunculus meus, licentia et adjutorio Serenissimi Imperatoris Heinrici secundi, devotissimè construxit, cui vir vitae venerabilis Domnus Eilbertus Abbas dignè praeest, praesentis scripti auctoritate stabilivi et communivi, et de rebus tam Ecclesiasticis, quàm secularibus justè sibi concessis vel concedendis, canonicam possessionem et dispositionem Abbatisque regularem electionem banno Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum, ac nostro, ipsius Ecclesiae filiis confirmavi et corroboravi, ut et praesentes in Christo optatae defensionis patrocinio foveantur, et posteri nostrae dilectionis et sollicitudinis suffragium quietis, et pacis sua praesidio experiantur. Si qua ergo Ecclesiastica secularisque persona contra hujus nostrae constitutionis paginam venire agereve temptaverit, secundo ac tertio ammoneatur, et si posthaec reatum suum congrua satisfactione non correxerit, ab Ecclesia sancta segregatus tanquam sacrilegus anathemate feriatur. Cunctis autem eidem, et in eodem loco sua jura servantes gratia caelestis ab omni contagione peccati mundet, et muniat, quatenus et hic in fructu bonae actionis permaneant, et in futuro gaudia aeterna percipiant. Ut ergo haec apud posteros nostros nota, rata, et inconvulsa jugiter permaneant, hanc paginam inde scribi mandavimus, et eam impressione sigilli nostri in testimonium veritatis signavimus. Hujus confirmationis testes sunt Winbertus nostrae principalis Ecclesiae Praepositus, Hermannus Decanus, et ceteri omnes tam Canonici, quam Monachi hujus civitatis. Laici verò Bernhardus Comes advocatus Ecclesiae nostrae, Erp, Ekkibertus Comites, Escelin, Heriman, Godeka, Ecbraeb, Gothart, Gela et frater ejus Eiza, Esic, Araka, Waza, Sibrah, Cono, Azo, Reimar, Reirvald, Tamma, Oddo, Hunald, Unumar, Godescalc, Becelin, Hunald junior, Hebndag, Brumhard, Fritheric, Heio, Wicman, Waldric, Hamaka, Horko et alii multi. Data Paderbrunnon IIII Idus Maji, in sancto die ascensionis Domini, anno ab Incarnatione ipsius MLIIII. Indict. VII. regnante invictissimo Romanorum Imperatore Heinrico tertio. Imperatore autem secundo, regni ejus anno XV. Imperii verò *VII. Episcopatus autem nostri tertio.*

*al. XVI. *al. VIII. *Lambert. Chron. Hild.*

Subtraxit hic annus è Saxonicis Episcopis Azelinum Hildesiensem Episcopum, quem ante decennium Henricus Imperator ex aulae

Sacellano

Sacellano imposuerat. Hoc demum Episcopo, ut in fastis eorum notatur, soluta est communis Canonicorum vita, & claustri disciplina, singulisq; privatæ habitationes permissæ sunt. Causa hujus mutationis arrepta est ex incendio, quo sub priore Episcopo Dithmaro Basilica & Collegium conflagrârat. Magna quidem mole Azelinus novæ Basilicæ fabricam cœpit, qui tamen labor omnis frustra fuit, opere inter manus identidem procidente, tanquam Deus prius posceret claustrum Societalis vitæ instaurandum. Azelino subrogatus Hezelo, è Goslariensi Præposito à Cæsare provectus.

Dissolvitur communis vita & habitatio Canonicorum Hildesiens.

Annus Christi 1055.

Victoris II Pont. 1.
Henrici III Reg. 17. Imper. 9.
Imadi Ep. Pad. 4.

Et Cæsar sub exitum hujus anni, ut Lambertus scribit, Natalem Domini Goslariæ celebravit, statimque exactis solemnibus ferijs, in Italiam perrexit vocatus eò legatione Romanorum, denunciantium, nimium in Italia excrescere opes & potentiam Godefridi Lotharingiæ Ducis, quem exulem Leo Pontifex secum traxerat adversus Nortmannos debellandos; ac nisi turbatis rebus maturè consuleretur, ipsum quoque Regnum ab eo dissimulato pudore occupandum. Sed ubi Cæsar Italiam ingressus, occurrit Godefridus, & cum se insontem purgasset, absolutus est à crimine rebellionis. Beatricem interim conjugem ejus fœminam potentissimam, quod se inscio nupsisset, secum in Germaniam duxit; transitáque Bojaria, Turegi in castro, Christi nascentis solemnia peregit.

Herm. Contr. contin.

Annus Christi 1056.

Victoris II Pont. 2.
Henrici III Reg. 18. Imper. 10. & ultimus.
Henrici IV Regis 1.
Imadi Ep. Pad. 5.

Annum dehinc Christi MLVI, Henrico Imperatori fatalem atque ultimum ingredimur, qui tamen prius IV Idus Februarij sustulit Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, subrogato in ejus locum D. Annone, magno, ut Baronius inquit, totius Germaniæ bono, qui, ut Browerus scripsit, Germaniam & Italiam rerum gestarum magnitudine implevit. Haud leve ex eo viro sibi Paderbornensis schola decus vendicat, in qua à B. Meinwerco intra claustri disciplinam receptus, unáque cum Imado & Friderico Monasteriensi Episcopo, ceterisque ut diximus, ad maturam ætatem excultus vixit inter Canonicos. Inde Bambergam evocatus ob doctrinam & sapientiam, Gymnasio ejus Collegij moderando præficitur; ex quo mu-

Lambert. Auctor vitæ Anno. apud Sur. 4. Decemb.

S. Anno Archiep. Colon. in gymnasio Paderborn. educatus.

nere cùm se longè clariorem faceret, adscitus ab Imperatore ad aulam, & Præpositura Goslariensi est donatus, interque varias legationes postremùm missus ab Imperatore Coloniam. Sub id tempus Hermannum Archiepiscopum cum morte luctantem convenit, eoque mortuo ab Jmperatore Coloniensi Ecclesiæ datus est Episcopus. Alij gente Suevum, alij Saxonem ex Dalhusia Comitum prosapia volunt, virtute magis, quàm generis nobilitate provectum ad Episcopi dignitatem, quem ob hæc Jmperator ipse sibi conscientiæ arbitrum elegerat.

Crantz. lib. 5. Metrop. c. 2. Chron. Col.

Imperator ex Jtalia reversus postquam hyemem in superiori Germania, ac per Rheni urbes exegisset, in Saxoniam maturavit, atque ut Lambertus scribit, *Sanctum Pascha Podolbrunnæ celebravit*, lætè non minus, quàm magnificè ab Jmado Episcopo exceptus. Et Cæsarum adhuc nemo ullam Westfaliæ urbem frequentius invisit, quàm Paderbornam, seu amænitate & veneratione loci, seu opportunitate ad procerum comitia invitatus. Henricus certè, à quo Jmadus ob sua & Meinwerci merita impositus erat Episcopus, Conradi parentis erga hunc locum pietatem secutus, Deum sibi Paderbornæ festis solemnibus propitium quæsivit. Paderborna subinde Goslariam profectus, paucisque ibi diebus consumptis, transmissoque Rheno, Jvodium properavit ad congressum cum Rege Francorum. Is cùm multa Jmperatori contumeliosè objecisset, quod Lotharingiam magnamque Regni partem dolo abstractam teneret, Jmperator excandescens se Regi ad singulare certamen obtulit, ad quæ Rex proxima nocte fuga elapsus in Franciam redijt. Jmperator post illa, lustratâ Treviri & Wormatiâ, reditum in Saxoniam acceleravit, certus Pontificem, de cujus adventu edoctus erat, excipere. Nec multò post descendit in Saxoniam Victor II Romanus Pontifex Max. quem Natali festo B. Virginis Goslariæ magnifico apparatu excepit, & in palatium introduxit, *collectis* ut Lambertus scribit, *ad ornandam tantæ diei solemnitatem cunctis Regni opibus et Principibus.* Nondum tum Romanus Pontifex Saxonibus persuasus erat Antichristus, quem tanta magnificentia & lætitia excepêre Saxones. Sed haud multùm superstes Jmperator, qui præsente Romano Pontifice excessit è vita. Lambertum eo tempore fidum & disertum scriptorem hæc narrantem audire juvat. *Jmperator*, inquit ille, *post hæc profectus Botfelt, cùm ibi aliquamdiu venationi deditus moraretur, comperit Wilhelmum Marchionem Misniæ, et Diodericum Comitem cum infinita multitudine Saxonici exercitus, quos contra Luticios miserat, malè gestis rebus, occubuisse. Nec multò post ipse corporis molestia correptus, cum septem aut eo amplius diebus lecto decubuisset, diem clausit extremum. Præsentes erant, quasi ad officium tanti funeris ex industria evocati, Romanus Pontifex, Aquilegiensis Patriarcha, Patruus Imperatoris Ratisbonensis Episcopus: item alia innumerabiles tam Laici,*

Paderbornæ Pascha celebrat Henric9.

Regem Galliarum ad duellum provocat. *Lambert. Herm. Contr. contin. Marian. Scot. Ursberg.*

Victorem Pontificem magnificè excipit Goslariæ.

Moritur Henricus Imp. Budenfeldiæ in Diœcesi Paderborn.

Laici, quàm Ecclesiastici ordinis dignitates. Notatumque est, nulla retro majorum memoria, sine publica indictione, tot illustres personas in unum confluxisse. Felix religiosissimi Jmperatoris excessus, cui divino munere inter manus Pontificis & tot Episcoporum & Sacerdotum præsentium animam Deo conditori reddere concessum. Nec minus piè sese in mortem composuerat; nam postquam immatura filij ætas commissa Agneti Matri, Annoni Coloniensi, atque Everhardo Trevirensi Archiepiscopo, rarâ Principum modestiâ, veniam poposcit ab omnibus, si quos aliquando durius habuisset; eo compluribus bona in fiscum redacta restitui, multasque in egenos largitiones fieri jussit. Securius ita omnibus sacris christiano ritu provisus anno ætatis XXXIX, regni XVIII, Jmperij X. III Nonas Octobris mortalitatem implevit. Alij cladis, quam à Sclavis accepit, mœrore mortem acceleratam perhibent. Dodichinus immodico cervini jecoris esu extinctum tradit, à quo & locus Botfelt consignatus. *Pater ejus* (ita enim ille) *Henrici videlicet IV, apud Botfeld cum ægrotaret, rogando impetravit, ut filio suo jurarent Successionem in imperio; quod fecerunt Principes, cum octo esset annorum, ac nondum baptizatus.* Altero hoc Jmperatoris post Henricum excessu nobilitata Paderbornensis diœcesis, quòd Botfeldiam locum in Saxonia notatum à Scriptoribus, ex vetustis Corbeiensium literis, doceamur esse in diœcesi Paderbornensi; ita enim illæ habent. *Ecclesia Corbeiensis Anno MCCXC, auctoritate Gerhardi de Eppenstein Archiepiscopi Moguntini, acquisivit jus patronatus Ecclesiæ in Bodenfeld diœcesis Paderbornensis*, reddito jure patronatus Ecclesiæ in Dransfeldt, diœcesis Moguntini, monasterio Sanctimonialium in Lippoldesberg; perinde ut Botfeldia reperitur intra Archidiaconi Helmeswardeshusani nostri limites in priscis literis descripta. Sita vero Bottfeldia inter Heristallum & Mundam ex altera Visurgis ripa ad Solinganum saltum: haud procul inde Lippolderberga, & Sanctimonialium, ubi jurisdictione sacra fines Moguntini & Paderbornensis Episcopi sejunxêre. Hæc illa Botfeldia olim villa regia, in qua Ottonem III Jmperatorem Herivordense diploma dedisse diximus. Et quia hic locus ab alijs Budenfeld scribitur, verisimiliter idem est, in quo D. Ludgerus Hassiæ fines transiens, Budonem christianum hominem, quem Widekindus ob furtum equorum lapidibus necari jusserat, in vitam revocavit. Posita ob miraculi hujus celebritatem lapidea ab incolis crux eo in loco, & campus inde posteris Budenfeldt appellatus. Funus Jmperatoris 28 Octobris deductum Spiram, compositumque eodem die, quo natus erat, ad Patris & matris ossa, in æde D. Virginis à se constructa, præsente Romano Pontifice. Tumuli hæc brevis inscriptio legitur. *Anno Dominicæ Incarnationis, MLVI Henricus III Niger, III Nonas Octobris obiit.*

Marian. Scotus. Chron. Hildes. editum tom. 3. Franc. Script.

Dodich. ad an. Christi 1106.

Regni

Regni Successorem reliquit Cæsar Henricum IV puerum sexennem, quem ante biennium Aquisgrani inunctum diximus; tutela pueri, & Imperij administratio penes Agnetem matrem à Principibus relicta est. Puero Rege, ut pronum erat, Imperium in Principum discordias, procerumque factiones & turbas, quæ vivo patre exarserant, ire cœpit. Tum verò longa illa felicitatis, pacisque tempora in civilia bella, & turbulentissimum Imperij statum conversa sunt, magno religionis per Sclaviam & barbaras gentes proferendæ detrimento.

Henrico Patri in regno succedit Henricus filius, puer sexennis.

Jmadi per hæc beneficentiam memoriamque ex hoc anno testantur literæ, quibus Eilberto tertio Abdinghoviano Abbati prædium pontificali auctoritate confirmat.

Confirmatur ab Imado Episc. emptio prædij Hallensis.

*Jn nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Jmadus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Quotienscunque religiosorum virorum in suis oportunitatibus preces exaudientes quieti et utilitati eorum paterno affectu providemus, ab omnipotente Deo, quem in suis membris honoramus, præmium laboris nos recepturos, fideliter et veraciter speramus. Unde omnium Christi fidelum, præsentium et futurorum noverit devotio, qualiter Dominus Eilbertus venerabilis Abbas Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quam in occidentali parte suburbii civitatis nostræ Dominus Meinvvercus, dignè et laudabiliter memorandus Episcopus, avunculus noster devotissimè construxit, nos suppliciter adiit, ut prædium quoddam in Comitatu Bernhardi ducis, in villa, quæ Hallo dicitur, quod à quodam viro, Thancmaro nomine, suisque hæredibus viginti marcis comparavit, Episcopalis auctoritatis confirmatione corroboraremus, humiliter petijt. Cujus justis precibus gratuitò annuentes, ipsum prædium cum universis adhac legaliter pertinentibus, suis suorumque fratrum præsentium atque futurorum usibus banni nostri munimine confirmavimus, et præsentis Scripti paginam in monimentum et munimentum perpetuum sigilli nostri impressione insigniri mandavimus. Hujus rei testes sunt Adelbertus Comes, Friberch, Oddo, Cono, Erp, Hoico, Azo, Leiko, Hociko, Heio, Tammo, Hamaca, Uneka, Reynmar: item Rejnmar, Meingrim, Thiethard, Adelbrand, Astolf, Alvold, Sibrach, Ricvvald, Ecbrach, Helmdag, Reynold, Ekkibrach, Brunhard, Becelin, Wediko, Liefdag, Vulfheri, Thantmar. Acta sunt hæc Paderborn. Calend. Augusti, Anno ab Jncarnatione Domini MLXVI, Jndictione * VIII, regnante Heinrico Rege. IIII.*

**al. IX.*

Annus Christi 1057.

Victoris II Pont. 3.
Henrici IV. Reg. 2.
Imadi Ep. Pad. 6.

Mors Victoris Pont.

Consequens hinc annus Victoris II Pontificis funus conjunxit, in cujus locum Fridericus, Godefridi Lotharingi, Thusciæ Ducis frater extractus è Cœnobio Cassinensi, in quod religiosam vitam amplexus

plexus secesserat, delectus Romanus Pontifex. Ita verò tres ordine præstantissimi è Germanâ gente Romani Pontifices. Sed ille ultra annum superstes non fuit, Successorem nactus Nicolaum. Hoc ipso anno, ut auctor est Ursbergensis Abbas, Saxones egregiè ulti cladis ignominiam, quàm à Sclavis eos accepisse diximus: congregato enim exercitu sub Bernardo duce, efferam Luiticiorum gentem invaserunt, diversisque malis per spolia & cædes affligendo rursum imperio, subjecere acceptisque obsidibus ac tributis trans Albim Saxoniam ingressi sunt. Nec multò post Saxones, tanquam rebus à se præclarè gestis inflati, tumultuari cœperunt; jam enim crebris conventiculis agitârant inter se ulcisci injurias, quas ab Henrico III Patre moderni acceperant, Imperiumque revocare ad principem aliquem suæ gentis hominem familiamque. Ac nihil ad hanc rem opportunius, quàm infirma pueri ætas visa. Quæ dum agitantur, accessit è Bohemia, in qua à puero exulârat, Otho Wilhelmi Marchionis frater, vir ingenio & manu promptus, qui benignè à proceribus Saxoniæ exceptus, erectusque im spem Regni. Hoc periculo integriores in Republica perculsi, consultum habuêre Henricum Regem quantumvis puerum in Saxoniam evocare. Advolat Imperatrix cum filio puero Eresburgum, ubi intra diœcesin nostram festo Apostolorum Petri & Pauli conventus Principum indictus; ad quem dum ex tota Saxonia confluunt, accidit Regis patrueles, Brunonem & Egbertum, cum armata militum manu incurrere in armatum Othonem. Pugnatum utrimque pertinaciter, primóque congressu Bruno, & Otho mutuis vulneribus cecidêre. Ac postquam Otho factionis dux sublatus est, tota illa rebellio consopita quievit.

Lambert. Schaff. Ursberg. in chron.

Victoria Saxonum contra Sclavos.

Rebellio à Saxonibus mota contra Henricum Regem.

Annus Christi 1058.

Stephani X. Pont. 1.
Henrici IV Reg. 3.
Jmadi Ep. Pad. 7.

Ad hosce Saxonum motus continendos Imperatrix cum Rege filio sequenti anno in Saxoniam regressa; ac festum Natalis Domini, uti Lambertus perhibet, Merseburgi prius celebravit; aderatque Regi Hildebrandus Pontificis legatus (quem Roma post celeberrimum Pontificem sortita) vir eo sæculo religionis studio, eloquentiâ, & doctrinâ sacrarum literarum facilè præstantissimus. Verum si annales Episcoporum Eystadensiũ consulas, Poledæ festa hæc Natalitia peracta sunt in conventu trium Archiepiscoporum, multorumque Episcoporum, & Procerum Saxoniæ, præsente etiam Jmado Episcopo nostro, in quo Gundekarus Eystadensis Episcopus consecratus. Juvat hæc ex ipso Gundekari relicto memoriæ scripto apud Gretzerum referre. *Anno 1058, in die S. Joannis Apostoli, plus ceteris Deo dilecti,*

Gretzer. in Catal. Epis. Eystad.

Consecratio Gundekariin conventu Poledensi

lecti, in loco, qui dicitur Poleda, ad summum gradum provectus est Sacerdotii Gundekarus hoc nomine secundus Eystadensis Ecclesiæ Episcopus. Interfuit, etiam suæ consecrationi Dominus ejus quartus Henricus Rex, cujus mater dilecta Agnes Imperatrix ejus Augusta, cuncta ad ejus ordinationem necessaria disponens pro Capellano, quasi deberet pro filio. Interfuit etiam eidem consecrationi Dominus Hildebrandus sacræ Romanæ et Apostolicæ Sedis Cardinalis Subdiaconus, tunc temporis in has partes ad Regem Henricum Apostolica legatione functus. Insuper etiam adfuêre jam præfati Episcopi Confratres, fraternum et benignum in ordinando præbentes auxilium, Luitpoldus Moguntinus Archiepiscopus, Engelhardus Magdenburgensis Archiepiscopus, Adalbertus Bremensis Archiepiscopus, Rumaldus Constantiensis Episcopus, Chuonradus Spirensis, Guntherus Babenbergensis, Hecil Hildenesheimensis, Immedo Podelbrunnensis, Sizo Verdunensis (qui Lamberto est Sitto Verdensis, altero ab hinc anno mortuus) *Bruno Misenensis, Wulffo Merseburgensis, Anselmus Lucensis, Ermenfridus Situnensis, et unus de regione, quæ dicitur Bolani.* Est autem Poleda sæpe memoratus locus ex Cæsarum hospitio iu Eyxfeldia ad fines Thuringiæ inter Goslariam & Mulhusium, arce regia & cœnobio Monachorum ordinis D. Benedicti celebris, olim nomen à præterfluente amne Pulio sortitus.

Diploma Regis ex archi. Fuldensi. Aventinus. Lambertus.

Ad hunc ergo Regis ex Saxonia accessum, ex Procerum consiliis, uti Sigebertus est auctor, Saxonum armis aliquot Frisiæ castella expugnata, impositaque militum præsidia, quibus Frisonum insolentia rebellionem cœptantium est refrenata. Nam Mindam hoc anno Imperatricem cum filio descendisse, & Visurgis regiones perlustrasse constat ex rescripto Regis ex ea urbe v Martij consignato. Pascha deinde Merseburgi celebratum à Rege: inde in Bojariam profectio instituta, & festum Pentecostes Augustæ peractum. Longius post hæc iter suscepit ad fines Ungariæ, quo Sophia Regis soror deducta, ac Salamoni Andreæ Ungariæ Regis filio in matrimonium data: altera Regis soror Juditha Polono Principi denupta. Ita vicinorum Principum connubijs familiam præmunire visum.

Cathedralis & Abdinckhoffensis Ecclesiæ & Monasteria cum urbe igni absumuntur.

Ceterum hic annus Imado funestissimus fuit, quo & urbs ipsa, & duo celeberrima Monasteria Cathedrale videlicet Collegium Canonicorum, & Cœnobium Abdinghovianum cum Basilicis feria VI ante festum Palmarum miserabili incendio conflagrârunt. Ita verò opus illud pulcherrimum ac magnificum Basilicæ & Collegij, quod Meinwercus Episcopus ex prioribus incendij ruinis tantis impensis construxerat, Imado Consanguineo Episcopo, rursum consedit in cineres, nec ultra quinquaginta annos stetit incolume. Ingens & calamitosum incendium, quod fama commiserationis totam implevit Germaniam, eóque à Sigeberto Gemblacensi, Mariano Scoto, Petro Damiano, Antonino, Trithemio ac tot Scriptoribus memoratum. Hoc eodem fatali incendio, quod ijdem auctores inter memoranda referunt,

referunt, consumptus est Paternus Monachus, gente Scotus, diuque reclusus apud Abdinghovianos sui ordinis coenobitas; grassante enim flamma per omnes coenobij ruinas cùm rogaretur, ut è cella, quam aperuerant, exiret, per voluntariam mortem communi incendio involui maluit. Testis hujus rei Marianus, & ipse gente Scotus, reclususque Fuldæ ac Moguntiæ Monachus, qui haud multò post Paderbornam adiens, omnia coram inspexit: nam sic ille ad hunc annum, rudi quidem, sed candida narratione, quam ex codice bibliothecæ Palatinæ & Vaticanæ integrius, quàm passim Marianus, hìc damus. *Padelbrunna*, inquit, *Civitas cum duobus Monasteriis, id est, Episcopatus et Monachorum, feria* VI. *ante Palmas igne consumitur: in Monasterio autem Monachorum erat, Paternus nomine, Monachus Scotus, multisque annis inclusus, qui etiam combustionem prænunciabat; ambiens martyrium pro nullo foris exivit, sed in sua clausula combustus, per ignem transivit in refrigerium, de cujus etiam sepulchro quædam bona narrantur; ipsis verò statim diebus feria* II *post octavas Paschæ exiens de Colonia causa claudendi cum Abbate Fuldensi ad Fuldam, super mattam in clausula ipsius, ubi supra eandem mattam combustus, et passus est, ego oravi.* Auctor est Petrus Damiani Paternum jam ante divina monitione edoctum, nisi populus syncera sese poenitentia Deo reconciliaret, fore ut intra XXX dies urbs incendio absumeretur. Quamobrem Paterni consilio omnis sacra suppellex Coenobij Abdinghoviani exportata in tutum. Postquam verò hæc monita Paterni cassa fuêre, ignis repente ex septem urbis regionibus prorumpens, totam urbem miserabili strage depastus est. Cumque vorax flamma ad cellam Paterni serpendo pervenisset, rogatus à fratribus suis, ut egressu vitam servaret, renuit pedem efferre, quòd diceret se divino judicio vitam suam permittere, quàm voto cellæ consecrasset. Factum, quod in sancto viro magis admireris, quàm perscruteris, aut imitandum persuaseris; nec inter Scriptores reperi, qui non magis inter arcana rerum admirari, quam damnari visi sint. Quemadmodum Paternus etiam inter memorabiles atque illustres sui ordinis viros in vetusta Coenobii Abdinghoviani tabula depictus hodiedum conspicitur, qui tanquam vivam se hostiam absumi passus sit. Incendii hujus tempus non facile accuratius legas, quàm in scripto codice Vaticanæ Bibliothecæ, ex quo Ferdinandus Episcopus noster hæc omnia Romæ conscripsit: *Anno nimirum Dominicæ Incarnationis MLVIII. Indict. XI. regni autem quarti Henrici ···· Ordinationis verò Imadi Episcopi VII, Paderborna conflagravit Idibus Aprilis.*

Sigebert. in chron. Marian. Scot. in chron. Petrus Damian. Anton. p. 2. Chron. Magn. Belg.

Eodem incendio Paternus inclusus extinguitur.

Qui frustra illud Paderbornensibus prædixerat.

Non his incendiorum malis abjectus Imadus Episcopus, Basilicæ & Collegij instaurationem (quòd muri ex firma Meinwerci structura prope adhuc integri constiterant) ingentibus animis est aggressus, intraque decennium, ut tempore referemus, dedicatio-

Utrumq; opus restaurare aggreditur Imadus

nem renovati operis celebrare visus: tanquam alter Meinwercus obtigerit, qui ex incendij ruinis repararet omnia multò etiam magnificentius. Tantumque privatis abundavit opibus, ut hoc ipso anno liberali prædij donatione auxerit Cœnobium Abdinghovianum, quam hic dare visum.

A quo & Abdinckhoffenses donantur prædio Tuiltano.

In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Imadus Dei gratiâ Paderburnensis Ecclesiæ Episcopus. Quod ab Auctore mundi præceptum legitur, date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis: et in libro sapientiæ scriptum invenitur, divitiæ hominis redemptio animæ ejus, expedit omni christianæ animæ de rebus sibi temporaliter collatis pauperes Christi sustentare, et hujusmodi rebus amicos sibi facere, qui se, cùm defecerint, in æterna tabernabula recipiant. Quapropter fidelium Christi noverit universitas, qualiter nos ob spem divinæ retributionis quoddam prædium in Tuista, et vivarium piscium in Helsen propria instantia elaboratum, Cænobio in Suburbio civitatis nostræ à venerabili Meynwerco Episcopo avunculo meo constructo, cui Eylbertus venerabilis Abbas præest, legitima oblatione contulimus, ut sustentationi fratrum inibi Deo regulariter servientium in amminiculo..... Molendinum etiam juxta ipsum vivarium positum eidem cœnobio concessimus, pro molendino eorum meo rogatu in Balhorn destructo, à prædicto venerabili Meynwerco Episcopo eis cum curia collato. Hæc qualiacunque nostræ dilectionis et devotionis indicia cum utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, nostra Pontificali auctoritate eidem cœnobio confirmamus, et omnem hominem, qui præfatum abbatem cum suis fratribus eorumque Successores quolibet modo vel ingenio inquietare, molestare aut divestire præsumpserit, perpetui anathematis vinculo innodamus. Ut ergo hæc per succedentium temporum curricula rata et inconvulsa permaneant, paginam hanc inde conscriptam sigilli nostri impressione roboramus. Hujus rei testes sunt Tammo Abbas de Halmwardeshusen, Winbertus matris Ecclesiæ Præpositus, Herimannus Decanus, Egico Præpositus Jerosolimitanus, et Decanus Pulveres, Bernhardus advocatus, Reinwercus, Witheraldus de Ittora, Everhard, Reinbold, Luippalin, Cono, Tammo, Gherhard, Ascelin Dapifer, Gelo pincerna, Eizo frater ejus, et alii multi. Acta sunt hæc Paderburn V. Nonas Octobris. anno Incarnat. Dominicæ MLVIII. Indictione XI. regni Henrici Regis IIII. III.

Annus Christi 1059.

Nicolai II Pont. 1.
Henrici IV Regis 4.
Imadi Ep. Pad. 5.

Miræus in notis c. 89. Gelen. 4.

Henricus Rex cum Augustâ matre in Germaniam reversus, mense Februario Aquisgranum adijt; quod ipsum docent tabulæ à Myræo relatæ, quibus de prædijs Ecclesiæ Nivellensis disponit. Aquisgrano Trajectum descendit ad inferiores Rheni provincias lustrandas;

strandas; quo in loco, rogatu Agnetis Augustæ matris, mense Aprili, donationem Patris Tuitiensi Cœnobio factam comprobant tabulæ à Godehardo Cancellario consignatæ. At multò liberalius Rex ad Augustæ matris preces Imadum Episcopum nostrum Trajecti exornavit, qui per id tempus inter Episcopos aulam Regis & Jmperatricis affectatus, id merito & obsequio suo impetrasse refertur. Nam & Reineri silvam, vulgo Reinerswalt, in Hassia, quam Henricus pater permutatione prædij à Rothone seu Rudolpho Episcopo nostro obtinuerat, non modò gratis reddidit Paderbornensi Ecclesiæ, sed & prædia quædam in pago Westfalum largè donavit, tanquam his donis incendij damna sublevaturus.

Silva Reinerswaldia donatur Ecclesiæ Paderborn.

Jn nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Noverint omnes Christi nostrique fideles, tam futuri quàm præsentes, qualiter Antecessor noster, et amabilis pater, dignissimæ memoriæ Heinricus tertius Rex, et secundus Jmperator augustus, prædium quoddam dedit in concambium sanctæ Paderbrunnensis Ecclesiæ venerabili Episcopo Rudolfo pro uno foresto Reginhereshuson dicto eidem Ecclesiæ pertinenti, et hoc concambium, quamdiu uterque vixit, tamdiu ratam permansit; sed post Patris nostri lamentandum obitum, nos pro animæ illius æterna requie, et per interventum dilectissimæ matris nostræ Agnetis Jmperatricis augustæ, nec non ob devotum ac fidele servitium Immadi præfatæ Ecclesiæ post Rudolfum digni præsulis forestum reddidimus, atque ad altare Mariæ matris Domini, et S. Kiliani mártyris sanctique Liborij Confessoris hoc ipsum prædium, scilicet curtim unam dominicalem, Puningun dictam, cum tribus minoribus, Sumersedi, Bottesdorff, Calinbichi, quæ vulgo dicuntur Voravverch, cum viginti septem mansis ad easdem curtes pertinentes in pagis Westfalum et Treine situm, et in Comitatibus Bernhardi Ducis, et Rotgeri atque Bernhardi Comitum, cum omnibus suis appendicijs, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, exitibus et reditibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, et cum omni jure et utilitate, quæ ullo modo inde poterit provenire, in proprium dedimus atque tradidimus, ea scilicet ratione, ut jam dictus Immadus Paterbrunnensis sedis venerabilis Antistes, suique Successores de prænominato prædio liberam deinceps potestatem habeant tenendi, commutandi, præcariandi, vel quidquid sibimet tantum in usum Ecclesiæ placuerit, inde facieudi. Et ut hæc nostra regalis traditio stabilis et inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione, ut subtus cernitur, jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quarti Regis.



Gedehardus Cancellarius vice Luitpoldi Archicappellani recognovi. Data est VII Jdus Aprilis. anno Dominica Incarnat. MLIX. Indictione XII. anno autem ordinat. Domni Henrici IIII Regis V. regni verò III. actum apud Trajectum in Dei nomine feliciter Amen.

 Finis

Mors Luitdolphi Archiep. Moguntini.

Finis hujus anni, sextus videlico Idus Decemb. mors subtraxit Luitdolphum Moguntinum Archiepiscopum ac Metropolitanum, nostrum, in cujus locum Regis ac Imperatricis procuratione, repositus Sigefridus Fuldensis Abbas, & in Abbatis locum successit Wideradus ejusdem Cœnobij Monachus, eâdemque, quâ Sigebertus, familiâ oriundus.

Annus Christi 1060.

Nicolai II Pont. 2.
Henrici IV. Reg. 5.
Imadi Ep. Pad. 9.

Lambert. Moritur Sitto Episc. Verdensis. *Crantius lib. 5. Metrop. 28.*

Rex deinde Natalem Domini Wormatiæ celebravit, & hoc anno MLX (quem Lambertus, alijque passim à Natalitijs Christi consignant) Episcoporum synodum in eadem urbe indixit. Verum Episcopis, quòd pestifeta per Galliam & Germaniam lues grassaretur, sese excusantibus, conventus ille intermissus est. Obijtque hoc anno è Saxoniæ præsulibus Sitto Verdensis Episcopus, succedente Rucberto (Crantius Ricertum vocat) viro ex illustri Comitum familia, sedi illi ad multa commoda dato; quanquam nulli Episcopi magis in obscuro jaceant, quam diœcesis hujus, quæ nec Chronicon nec Scriptorem exhibet. Nec tum alij fere Episcopi per Germaniam & Saxoniam impositi, quàm ex Regis nominatione, quod bono quidem Ecclesiarum factum, dum Reges boni erant: postquam verò Reges aulæque Regum corruptæ, quanto id Ecclesiarum malo continuatum, docebunt hujus Regis facta.

Annus Christi 1061.

Alexandri II Pont. 1.
Henrici IV Reg. 6.
Imadi Ep. Pad. 10.

Baronius. Leo Ostien. Schisma in electione summi Pontificis.

Et jam res eò invaluerat per dissidia, ut Pontificum etiam nominationem sibi Reges Germaniæ sumerent. Quemadmodum anno insequenti, cùm mortuo Nicolao Pontifice 6 Calend. Augusti Cardinales eligerent Anselmum Lucensem Episcopum, factiosi quidam Romani Cadaloum Parmensem Episcopum, qui Honorium II se dixit, obtrusêre, missa ad Henricum Regem legatione, quâ coronam auream, & titulum patritiatus Regi offerunt. Quæ insignia Henricus Rex Basileæ in conventu Procerum admisit, actumque per Imperatricem & Guibertum Cancellarium, ut Cadalov Pontificatus confirmaretur fœdo Ecclesiæ Schismate. Hactenus prospera omnia Henrico Regi cessêre: at postquam in Romanæ sedis libertatem ac jura manus regias injecit, quæ non malorum initia aulam Regemque consecuta? ideò indignius, quòd in concilio Romano, jam ante biennium

ennium à Nicolao Pontifice habito, adversus prolapsam Sacerdotum castitatem, jus simul creandi Romanum Pontificem ad Cardinalium suffragia revocatum feratur.

Rex subinde Ratisbonam concessit, ubi Agnes Imperatrix, abdicata Bojariæ gubernatione, Ottonem Gottingensem, è clarissima Saxonum familia ortum, Bojis Principem dedit, virum civili prudentia, & disciplinà militari inclytum. Id eò consilio potissimum factum, quòd regijs negotijs opportunus, fidusque ante omnes fore crederetur. E Bojaria Rex Moguntiam atque ad inferiores Germaniæ provincias descendens, Stabulense Monasterium invisit. Otto Dux Bois datur. *Lambert.*

Annus Christi 1062.

Alexandri II Pont. 2.
Henrici IV Reg. 7.
Imadi Ep. Pad. 11.

Annus insequens, Christi MLXII, terræ motu, tonitruis, fulminum ictibus, mortalibus gravis; quo etiam urbs Minda ad Visurgim cum Basilicâ deflagravit, omnisque sacra supellex à Caroli M. ævo collecta, Henrico Rege præsente ac spectante, ipso die Vincentij M. ignibus simul absumpta perijt. Mense Martio Rex Goslariæ versatus in congressu Episcoporum & procerum; quos inter Imadus Episcopus noster, unà cum Egilberto Mindensi, & Hezilone Hildesiensi Episcopis, aulam regiam affectatis. Ac Imadum magnæ apud Regem & Imperatricem fuisse auctoritatis, docebit donatio, ejus inter ceteras rogatu, Heziloni Episcopo facta, quam idcirco subjicimus. Urbs Mindensis conflagrat. *Lerbeckius. Continuat. Herm. Contr. Chron. Mind. Cleinsorg.* Silva Hildesiensis ab Imper. donatur Heziloni Episcopo Hild.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Quotiens ex sumptibus, donis, et honoribus divinitus nobis collatis, commodum et honorem præstamus Ecclesiis Dei, et Sanctis ab eo honoratis, scimus et indubitanter credimus longam et stabilem præsentium bonorum tranquillitatem benigno studio et devoto animo assequi nos et comparare, et mansura atque æterna labentibus et deficientibus hujus sæculi rebus congregare et thesaurizare. Proindè omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, notum esse volumus, qualiter rogatu et ammonitione dilectissimæ genitricis nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, nec non continuo ac fideli servitio Hezilonis Hildeneshemensis Episcopi excitati, ad promerenda beatissimæ genitricis Dei et perpetuæ Virginis Mariæ beata suffragia, corde et animo exurgentes, tum consensu et favore Egilberti Mindensis Episcopi, et dilectæ sororis nostræ Adalheidæ Gandersheimensis Abbatissæ, nec non et Immitonis Podelbrunnensis Episcopi, et Sarachonis Corbeiensis abbatis, consentiente et confavente Ottone Bavvariorum Duce, cæterisque omnibus, quorum prædia et possessiones sitæ erant intra eos terminos, quos scribi jubemus, quoddam forestum et bannum eidem Ecclesiæ Hildeneshemensi, et prædicto Episcopo, suisque Successoribus in reliquum habendum,

et

et perpetualiter possidendum concessimus, et nostra regali potestate condonavimus, inter istos terminos situm à ponte fluvii Loine, qui porrigitur per medium amnem, ad villam Laide, per viam rectam, quæ tendit Choppenbrukke, de Choppenbrukke via recta usque Batsingehusen, de Batsingehusen via recta usque Ascheresbusen, de Ascheresbusen via recta ad Goltpecchi, de Goltpecchi via recta ad Pretensteina, de Pretensteina via recta ad Makkenhusen, de Makkenhusen via recta ad Luitharteßen, de Luitharteßen via recta ad Winethusen, de Winethusen via recta ad pontem Grene, rursum de ponte illo et medio alveo eundem fluvium Loinam deorsum usque ad pontem Laide. Jubentes igitur statuimus, et statuentes jubemus, ut infra præscriptos terminos nulla nostri regni major minorve persona venandi jus et potestatem sibi vendicare absque consensu et licentia prædicti Episcopi et Successorum ejus, sive eorumque provisores ejusdem foresti ab eis constituti fuerint, præsumat. Quod si aliquis hujus præcepti nostri temerarius transgressor exstiterit, velut regalis contemptor decreti justi sententiæ judicii subjacebit, et debita pro corrupto banno nostro pecunia scilicet sexaginta solidos de singulis feris persolvat. Et ut hæc nostra regalis successionis, donationis, confirmationis auctoritas per tempora successura stabilis et inconvulsa permaneat, hanc paginam nostræ voluntatis et facti indicem inde conscribi, et sigilli nostri impreßione jußimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quarti Regis invictißimi.

Fridericus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi. Data VII Idus Martii, anno Dominicæ Incarnat. MLXII. Indict. XV. anno autem ordinationis Domni Heinrici quarti Regis VIII. regni vero VI. vitæ XII. actum Goslariæ in Dei nomine feliciter Amen.

Chron. Herm. cont. Lambert. Sigebert. Ursberg.

Anno Henricum à matre abstrahit.

E Saxonia Rex inferioris Rheni provincias ingressus, *apud Trajectum Frisiæ urbem diem Paschæ cum matre Imperatrice egit*, uti hæc Auctor refert, qui Hermanni chronicon supplet. Trajecto Rex cum Augusta matre ad Insulam D. Suiberti, quæ post Cæsaris Insula appellata est, appulit, ubi Anno Coloniensis regium puerum dolo interceptum abstractumque à matre perduxit Coloniam. Hactenus Augusta mater Rempublicam sua auctoritate pro impubere filio administrabat, consilio atque opera cumprimis Henrici Augustani Episcopi, quod jam antè apud Henricum patrem atque Imperatorem Cancellarij munere perfunctus, Imperij res intimè cognitas haberet. Atque is cùm fere unus apud Augustam gratia atque potentia valere crederetur, invidia atque æmulatione aliorum venit in suspicionem inconcessi amoris, vulgi etiam famâ augente, familiaritatem non esse citra flagitium. Rem, quæ in multas turbas conjecit Germaniam, cùm Sigebertus, Hermanni Comitis continuator, Ursbergensis, alijque eorum temporum scriptores, tum Lambertus Schafnaburgensis enarrat. *Itaque Principes*, inquit, *indignitatem rei non ferentes, crebra conventicula facere, circa publicas functiones remissius agere, adversus Imperatricem popularium animos sollicitare, postremò omnibus modis niti, ut à matre puerum distraherent, et regni administrationem in se transferrent. Ad ultimum*

ultimum Coloniensis Episcopus, communicatis cum Egberto Comite, qui Saxo erat, & Regis patruelis, *et cum Ottone Duce Bavarorum consiliis, navigio per Rhenum ad locū, qui dicitur S. Suiberti Insula, venit. Ibi tum erat Rex. Qui dum quadam die post solennes epulas factus fuisset hilarior, hortari eum Episcopus cœpit, ut navim quandam suam, quam ad hoc miro opere instruxerat, spectatum procederet. Facile hoc persuasit puero simplici, et nihil minus quàm insidias suspicanti. Cumque navim ingressus fuisset, stipantibus eum his, quos Episcopus factionis suæ socios ac ministros paraverat, repente remiges insurgunt, remis incumbunt, navim dicto citius in medium fluminis impellunt. Rex nova rerum facie confusus, incertusque animi, nec aliud quàm vim et necem sibi paratam arbitratus, in flumen se præcipitem dedit. Citiusque eum aqua violentior suffocasset, nisi Egbertus Comes, dato post eum saltu, periclitantem, ipse quoque non minimùm periclitatus, vix et ægre morti eriperet, et navi restitueret. Exin blanditiis, quibus poterant delinitum, Coloniam perducunt. Cætera multitudo per terram subsequitur, criminantibus multis, quod regia majestas violata, suique impos facta foret. Episcopus, ut invidiam facti mitigaret, ne videlicet privatæ gloriæ potius, quàm communis commodi ratione hæc admisisse videretur, statuit, ut Episcopus quilibet, in cujus diœcesi Rex tum temporis moraretur, ne quid detrimenti pateretur Respub. provideret: et caussis, quæ ad Regem delatæ fuissent, potissimum responderet. Imperatrix nec filium sequi, nec injurias jure gentium expostulare voluit: sed in propria recedens, privatam deinceps ætatem agere proposuit. Nec multò post tædium passa ærumnarum seculi, domesticis quoque erudita calamitatibus, cogitavit sæculo renunciare.* Ac paulò post, hortatu Petri Damiani, posita purpura, Fruteriam in Monasterium secessit. Postremò Romam ad limina Apostolorum profecta, vitam ea in urbe clausit, condita in æde D. Petronellæ, marmoreoque sepulchro inclusa.

Et navi impositum abducit.

Henricus Rex vitæ discrimen adit.

Imperatrix privatam vitam eligit.

Sigebert. Chron. Herm. Contin. Otto Frising. lib. 6. c. 34.

Non defuêre post Adamum Bremensem Scriptores, qui Annonis factum incusârint: sed ille post in comitijs Episcoporum ac procerum ita rei à se gestæ rationem dedit, ut cunctorum assensu dilaudatus, dignusque sit habitus, cui Regis educatio, & Regni administratio committeretur. Quapropter & Petrus Damiani Annonem alterum Joadem Hebræorum Pontificem compellat, à quo regius puer servatus sit. Atque ipse Anno per filium in Augustæ matris gratiam redijt, quam & pudicissimam fœminam meliores scribunt, & ab omni intentatâ culpâ absolvunt; præterquam quòd per ceteros ministros Respublica malè administrata in dissidia & periculum venerit. Amisit hoc anno Saxonia Bernardum Ducem, virum bello egregium, à quo per XL annos Saxonia adversus Sclavos & Nortalbianos propugnata. Hereditatem partiti sunt Ordulphus & Hermannus filij, Ecclesiæ Bremensi infesti.

S. Anno Regis tutor.

Adam. Brem. Albert. Stad.

Bernard9 Dux Saxoniæ obiit.

Annus Christi 1063.

Alexandri II Pont. 3.
Henrici IV Regis 8.
Jmadi Ep. Pad. 12.

Lambert. Adam. Brem. lib. 3.

Abjecto Augustæ imperio, & Regis educatio, & rerum publicarum procuratio penes Episcopos erat; eminebatque inter eos, ut Lambertus scribit, Moguntini & Coloniensis Archiscoporum auctoritas, quibuscũ in partem consilij Adalbertus Bremensis Archiepiscopus assumptus, tum propter generis claritudinem, tum propter ætatis & Archiepiscopatus dignitatem. Igitur hi duo Episcopi, uti Adamus Bremensis scribit, consules Reipublicæ, Eberhardo Trevirorum Archiepiscopo se intra quietẽ continente. Donec per absentiam Annonis nactus opportunitatem Adalbertus occupandi & depravandi totum animum juvenis, ceterisq; Episcopis posthabitis, Monarchiam in regno usurpare visus est. Adscitus in hanc rem Wernher⁹ Comes, juvenis tam ingenio, quàm ætate ferox. His instructus præsidijs, nihil pensi habebat Episcopatus veluti hastæ venales subjicere, Monasteria optima distrahere, Ecclesiæ honores ad quæstum exponere: non meritorum, non virtutis rationem habere. Ac potentiores quidem Episcopi, metu factionis, mollius habiti; Sed eò majori insolentia cum minus validis actum, qui mancipiorum instar tractati sunt, Rege ad omnia, quæ jussus erat, puerili facilitate annuente. Itaq; Bremensis ille dictator, duas opulentas occupat Abbatias, Corbeiensem & Laurisheimensem; utque publicum hujus rapinæ odium à se averteret, atque æmulis obstrueret os, Regi persuasit, ut Coloniensi Archiepiscopo donaret Malmundariense atque Endanum Cœnobium, Moguntino Solingenstadianum, Rudolpho Suevorum Duci Campidonense, Wernero Comiti Kirckbergenses possessiones, Othoni Bojorum Duci Altahenses. At quo minus Corbeiensis Abbatia in spolium veniret, obstitit Otto Dux Bojariorum, multisque conatibus ægrè tandem effecit, ut tam Abbati, quàm Cœnobio Corbeiensi priscus suus honor & libertas servaretur. Laurisheimensis quidem Abbas regio edicto ejectus; sed is armis se tuitus est, dum procella illa disjiceretur. Ita verò per hanc mutationem gubernationis, dum charybdim evitare consultum habuerunt, incidere in scyllam longè voraciorem.

Adalbertus Bremensis Archiep. Regem depravat. Episcopatus & Abbatias distrahit.

Et quæ non legum dissolutio? quæ non Principum licentia, Rege puero, consecuta est? satis id certamen hujus anni inter Hildesiensem Episcopum & Fuldensem Abbatem docet; quod inter ceteros Lambertus disertissimus horum temporum scriptor denarrat. Rex, inquit, *Natalem Domini Goslariæ celebravit, ubi ipsa die, dum ad vesperam sellæ Episcoporum locarentur, inter Camerarios Hecilonis Hildesheimensis Episcopi, et Camerarios Wideradi Fuldensis Abbatis, gravis concertatio oborta est: et primo jurgiis, dein pugnis res gesta est: citóque ad gladios prorupissent, nisi Ottonis Bojariorum Ducis, qui causam Abbatis tuebatur,*

Concertatio Episcoporum ob sessionẽ.

batur, auctoritas intercessisset. Causa verò talis erat. Consuetudo erat in regno per multos retro majores observata, ut semper in conventu Episcoporum, Abbas Fuldensis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Sed Episcopus causabatur neminem sibi intra diœcesin suam post Archiepiscopum debere præferri: animatus ad hoc et opum gloria, quâ antecessores suos longè supergrediebatur, et temporis opportunitate. Quia Rege adhuc in puerilibus annis constituto, singuli, quod sibi animus suggessisset, facere impune poterant.

Successit mox alterum certamen inter utrumq; præsulem multò truculentius, quod ex eodem Lamberto referre juvat. *Rex enim dum hoc ipso anno Goslariæ Pentecosten celebraret, atque ad vespertinalem synaxin Rex et Episcopi convenissent, rursum de positione Sellarum Episcopalium tumultus exoritur, non fortuita, ut prius, conversione, sed præmeditata diu machinatione. Nam Episcopus Hildesheimensis acceptæ prius contumeliæ memor, Egbertum Comitem cum expeditis militibus retro altare occuluerat; hi audito tumultuantium Camerariorum strepitu, ocyus advolant, Fuldensium alios pugnis, alios fustibus cædunt, prosternunt, et de sacrario Ecclesiæ, inopinato periculo attonitos, facilè proturbant. Quibus illico ad arma conclamantibus, Fuldenses, quibus arma in promptu erant, facto grege Ecclesiam irrumpunt, in medio chori psallentiumque fratrum manus conserunt, rem jam non fustibus, sed gladiis gerunt. Pugna atrox committitur, atque per totam Ecclesiam pro hymnis et canticis spiritualibus vociferatio adhortantium, et ululatus morientium exauditur. Super altaria Dei tristes jugulantur hostiæ, passimque per Ecclesiam sanguinis currunt flumina, non legali, ut quondam religione, sed hostili crudelitate profusa. Episcopus Hildenesheimensis capto editiori loco, tanquam militari quodam classico suos, ut fortiter præliarentur, hortabatur, et ne loci religione ab armis terrerentur, suæ auctoritatis et promissionis titulum obtendebat. Multi utrimque vulnerati, multi occisi sunt. Inter quos præcipui erant Regenbodo signifer Fuldensis, et Bero Ecberto Comiti carissimus miles. Rex inter hæc vociferans, et sub obtentu regiæ majestatis populum adjurans, surdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus à suis, ut vitæ propriæ, pugna excedens, consuleret. Vixque inter constipatam arctius multitudinem eluctatus in palatium se recepit. Hildenesheimenses, qui instructi, præmeditatique ad pugnam venerant, superiores efficiuntur. Fuldenses, utpote quos inermes inopinatosque subitò exortæ seditionis procella contraxerat, fusi fugatique, atque de Ecclesia expulsi sunt. Fores illico obserantur. Fuldenses, qui primo tumultu ad arma tollenda paulò longius discurrerant, frequentes armatique adsunt, atrium Ecclesiæ occupant, aciem instruunt, ut de Ecclesia progressos statim adoriantur. Sed nox concertationem diremit. Postero die severissimè habitâ quæstione, Ecbertus Comes facilè crimen removit, non tantum juris et legum patrocinio, quantum favore et indulgentia Regis, cujus patruelis erat. Totum accusationis pondus in Abbatem versum est.* Quæ exinde Monachorum conturbatio, & in Ab-

Abbatis & Episcopi conflictus in sacra æde.

batem suum rebellio secuta sit, & quàm fortunæ ejus cœnobij, quod Cœlo se prope exæquârat, accisæ sint, multis deplorat Lambertus, qui Lipsij judicio, inter ejus ætatis scriptores facilè præstantissimus est.

Lipsius in not. ad 1. lib. Polit.

Hæsit fere per omnem illam æstatem Rex Goslariæ in congressu Episcoporum ac procerum; id quod satis commonstrat diploma XVI Calend. Augusti à Friderico Cancellario consignatum, quo Egilberto Mindensi Episcopo prædium Lashaggeri ad instaurandas incendij, de quo diximus, ruinas donat, præsentibus Annone Coloniensi, Alberto Hamburgensi, & Engelhardo Magdenburgensi Archiepiscopis: & Burchardo Halberstadiensi, ceterisque Episcopis. Quid verò Imadus Episcopus noster, qui per id tempus totus quoque erat in reparandis incendij damnis, obtinuerit, ex annalium nostrorum memoria excidit. Diploma illud recitatum legas inter Mindensia privilegia à Pistorio edita.

Roberti Episcopi Monast. mors.

Sub exitum hujus anni sublatus est è numero Episcoporum Saxonicorum Robertus XV Monasteriensium Antistes, gesti Episcopatus in summa tranquillitate & modestiæ fama per annos XXI. Multa ab hoc præsule ornamenta Ecclesiæ, quæ fasti eorum memorant; interque bona comparata, Comitatus Grevoniensis ab eo adjectus. Sed nihil ab Episcopo commendatius apud posteros, quàm optima cleri & Canonicorum inter claustrum disciplina, quæ tam florens eo præsule & numero Canonicorum, & opum copia, arctoq; prisci instituti vigore fuit, ut quæ antea Mimigardia urbs, sub eo Monasterium appellari cœperit, nomine Monasterij à celebritate Collegij Monasterijque in urbem & diœcesin transfuso; quanquam ex qua familia, aut instituto vitæ Robertus ad Episcopatum pervenerit, & quid per tot annos præclarè gesserit, parum sit in eorum fastis, aut ab alijs Scriptoribus notatum. Successor ei datus Fridericus, in Schola Paderbornensi excultus.

Annus Christi 1064.

Alexandri II Pont. 4.
Henrici IV Reg. 9.
Imadi Ep. Pad. 13.

Appendix Herm. contr.

Ablata restituuntur Trajectensi Ecclesiæ.

Miræus in Notit. Belg. c. 93. Heida in hist. Ultraject. in Wilhelmo Epis.

Rex anno postero Coloniæ Natalitia Christi peragit, & post Comitia Triburiæ habita, Leodij Pascha celebrat. Inde Werdam ad Insulam D. Suiberti redijt; ubi mense Majo auctoritate Regis, & Annonis Coloniensis, Sigefridi Moguntini, & Eberhardi Trevirensis, Adalberti Bremensis Archiepiscoporum, ac Burchardi Halberstadiensis Episcopi, possessiones à Comitibus Hollandiæ ablatæ Trajectensi Ecclesiæ redditæ. Duplex in hanc rem diploma recitat Heida in historia Ultrajectensi. Atq; hi Episcopi, uti Regem circumducebant, ita omnis penes illos administrandi Regni potestas erat. Per

Per id tempus, horum quoque Episcoporum auctoritate apud Regem, in locum Engelhardi Magdenburgensis Archiepiscopi, qui anno priori in Septembri excesserat, subrogatus est Wessilo, quem alij Wezilinum vocant, Annonis Coloniensis Archiepiscopi frater. Liberis quidem Canonicorum suffragijs delectus erat Fridericus Magdenburgensis Præpositus, quem à puero in Gymnasio Paderbornensi cum Imado educatum diximus; Sed cùm jus Regis obtenderetur in designandis imponendisque Episcopis, & Annonis apud Regem gratia accederet, Friderico cedendum fuit. Ne tamen præteritus omninò, exclususque esset ab Episcopatu, in locum Roberti Monasteriensium Episcopi, crearunt Episcopum; cumprimisq; quod Monasterienses, in quorum Collegio, captus amore florentis disciplinæ, vixerat Canonicus, suis eum suffragijs expeterent. Vir ingenij mitis, vitæque integerrimæ, & magnis naturæ dotibus præter generis nobilitatem cumulatus. Nam pater ei Theodoricus II Landspergensis Marchio, Welini Comes, è Widekindea stirpe: mater Mathildis, filia ac hæres Eccardi Misniæ Marchionis. Quem natu majorem habuit fratrem Timonem, Misniæ titulum, & matris hereditatem est sortitus; à quo Conradus I genitus, & à Lothario Imperatore Marchio Misniæ anno 1126 constitutus. Ab hoc Conrado Electores Saxoniæ ducuntur. Soror Friderici traditur Gertrudis, Ottholpho Saxoniæ Duci denupta.

Appendix Herm. cont. Crantzius lib. 5. Metrop. c. 8. Chron. Magd. vita Annon.

Friderici Episcopi Monast. electi laus.

Interpellatus hoc anno Rex à Romanis adversus Cadaloum, obtrusum & schismaticum Pontificem, multa indies molientem turbantemque. Quapropter rogatus Rex, ut Alexandro II rite electo, & laboranti Ecclesiæ subveniret. Quam in rem ex consilio Regis & Episcoporum Germaniæ missus est Romam Anno Coloniensis Archiepiscopus, à quo in concilio Episcoporum Italorum & Transalpinorum Mantuæ congregato Alexander firmatus in sede, & Cadalous damnatus. Tum verò per absentiam Annonis Adalbertus Bremensis Archiepiscopus totum juvenis Regis animum occupatum, ut diximus, depravare, omnemque regiam administrationem ad se cum Wernero Comite trahere, & proregem se ferre omnibus intolerabilem; ac ne Rex se publicis misceret, omnia vitæ ejus studia, ocio, venatione, & voluptatum illecebris occupavit; idque eò securius facere licuit, quòd sub exitum hujus anni Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus celebrem illam profectionem Hierosolymitanam ingressus: in quam Wilhelmus Trajectensis Episcopus, Guntherus Bambergensis, Otto Ratisbonensis, multique præsules, Sacerdotes, clerici, & ex omni hominum ordine viri ad septem millia convenêre. Quibus verò prædonum incursionibus, spolijs, & ærumnis iter illud peregerint, præter alios, multis describit Lambertus. Tantæ illa peregrinatio calamitatis fuit, quæ ex septem millibus altero abhinc anno

Petrus Damian. 7. epist. Baronius. Sigonius. Lambert. Vetus auctor chron. Saxon. Append. Herm. cont. Sigebert.

Corrumpitur Henricus Rex per Adalbertum Archiep. Bremens.

Profectio in terram sanctam.

Lambert. Append. Herm. cont. Ursberg. Sigebert. Marian.

Scotus. Trithem. in chron. Hirsaug. Vita Altmanni. Hundius in Metrop. l. 6. Berthold. Constant. Appendix Herm. Lambert. Brovver. in not. ad vitam Mein. n 52. Mersaus in Epis. Colon.

non nisi duo millia reduxit in Germaniam. In horum peregrinantium numero fuit D. Altmannus, ad illustriora Ecclesiæ munia servatus, vir qui à puero Paderbornæ in scholis fuit excultus, ac deinde Canonicus, & scholarum Paderbornensium præfectus; ex quo munere ob celebritatem doctrinæ ac virtutum merita ab Henrico III Imperatore Aquisgranensi Ecclesiæ Præpositus est datus: Unde ab Imperatrice post Cæsaris obitum evocatus ad aulam, inter aulæ Sacerdotes & Consiliarios, ob sapientiam & vitæ integritatem est habitus; quem absentem etiam, dum nondum ex Hierosolymitano itinere revertisset in Germaniam, in locum demortui Eilberti Pataviensium Episcopum, ut Lambertus est auctor, designavit. Columen exinde is hac tempestate perturbatæ per Germaniam Ecclesiæ, eóq; Apostolicus legatus à Pontifice post in concilio Triburiensi est constitutus. Vir, ut idem Lambertus perhibet, *Apostolicæ conversationis et magnarum in Christo virtutum.*

D. Altmanni egregiæ dotes.

Ita enim is cum Imado Episcopo nostro, Friderico Monasteriensi, ceterisque præstantibus viris in scholis & Collegio Paderbornensi excultus, in magnum Ecclesiæ bonum adolevit. Nec vanum hujus rei præsagium. Nam cum adhuc literis operam daret, supraque marginem fontis consideret cum Gebhardo & Adalberone condiscipulis, ac pauperem hi tres mensam familiari inter se colloquio condirent, Gebhardus exorsus, ego, inquit, Salisburgensis aliquando Episcopus sum futurus: excepit Adalbero, & ego Wirceburgensis Ecclesiæ præsul ero: post quæ Altmannus & ego Pataviensem Ecclesiam gubernandam accipiam. Præsagium probavit eventus. Enim vero hi tres ordine provecti ad eos, uti prædixêre, Episcopatus; exortoque inter regnum & sacerdotium schismate, communi inter se ope & constantia connixi Ecclesiam Germaniæ, partim præsulum ignaviâ, partim metu Regis prope perditam, & collabentem adversus Schismaticos sustentavêre, acerrimi defensores avitæ pietatis, ac sacerdotalis continentiæ. Sed utrum hoc præsagium acceperint Paderbornæ, aut Herbipoli, quòd eo in loco Altmannus studia literarum perfecisse narretur à Joanne Lambacensi Abbate, qui vitam Altmanni conscripsit, ambiguum feceris. Adalbero & Altmannus hoc fere tempore Episcopatus suos adiere. Omnes ex illustri Germanorum genere nati: Gebhardus è familia Helfensteiniorum Comitum in Suevia, Adalbero è Comitum Laymbacensium stirpe in Bojaria, Altmannus è primaria Westfaliæ nobilitate, quem Hundius Saxonem ac Westfalum memorat, ortum è Comitum Putinensium genere: Meibomius ex Comitibus Wertinensibus etiam longius produxit: Westfalum certò Joannes Lambacensis Abbas testatur, quem Gebhardus Episcopus consecravit. Quo deinde odio Henrici Regis, & quibus malevolorum injurijs jactatus, dum Apostolicæ sedi constantissimus adhæret, tempori memorandum.

Hundius in Metrop. in Archiep. Sal. Gebhard. Joannes Lamb. Abbas. Meibomius in not. ad Gobelin.

Annus

Annus Christi 1065.

Alexandri II Pont. 5.
Henrici IV Reg. 10.
Imadi Ep. Pad. 14.

Hibernis apud Saxones transactis, Rex Wormatiam ad Christi resurgentis festa celebranda tetendit. Ibi demum 4 Aprilis annum ætatis ingressus decimum quartum, seu ut alij memorant, decimum quintum, ense accingitur, Adelberti Archiepiscopi Bremensis consilio & arbitrio, penes quem tanquam Imperij consulem summa rerum moderatio erat. Ac vix arma induerat Rex, cùm in Annonem Archiepiscopum adolescentiæ suæ moderatorem insurgit, ferro incursurus, ni Augusta mater obstitisset; adeo tum igniculi audaciæ & improbitatis emicare visi sunt, quibus postea Imperium conturbavit. Verùm ut varius juvenis animus agebatur, Annonem modò inter amicissimos, modò inter infestissimos habuit, recrudescente memoriâ raptus è materno consortio. Wormatiâ dehinc Treviros abijt, ubi rogatu Adalberti, Annonis & Eberhardi Archiepiscoporum Cœnobio S. Maximini privilegia confirmat. Post quæ ab Adalberto Archiepiscopo in Saxoniam est retractus, qui per id tempus ex potenti dominatu mira machinabatur; statuerat enim omnes intra Bremensem Archiepiscopatum Comitatus aut pretio, aut Regis donatione in potestatem ac possessionem suæ Ecclesiæ redigere, paremque sese Herbipolensi Episcopo attollere, qui in Episcopatu suo neminem Comitum consortem haberet, Episcopatu in formam Ducatus redacto. Quam in rem auri argentique vasa, omnemque Ecclesiæ thesaurum conflavit, pollicitus se omnia in duplum restituturum Ecclesiæ suæ. Qua spe, quantum homo vanus sit delusus, ostendit egestas, & omnium odia, in quæ miser incurrit. Hoc præterea anno helluo ille bonorum sacrorum impetravit donationem Corbeiensis Cœnobij. Ejus rei gratia ipsas donationis tabulas hîc referam, ut posteritati constet planius de nundinatione sacrorum bonorum, qua Rex & Albertus ex certo illo dominatu se omnibus exosos fecere.

Henricus Rex primùm armis accingitur. *Lambertus. Append. Herman. vita Annon. lib. 4. c. 24.*

Zilesius in defens. S. Maximini.

Miræ Adalberti Archiepisc. Bremens. machinationes.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex. Cùm regiæ dignitatis sit, jus cuiquam servare suum, præcipuè tamen Ecclesiastica jura nobis observanda videntur, quia si peccandum, tolerabilius in hominem quàm Deum; si non peccandum, reverentius tamen Deo quàm hominibus obsequendum. Nos quidem patrum præcedentium vestigia imitari optantes, augere bona Ecclesiastica, aucta retinere, nostroque in quantum possumus patrocinio tueri debemus, quatenus nostra tenera ætas ad virile robur anhelans, promoveri, si promoverit, sperans, et dandi in Deo gloriam assequatur, et data inter homines confirmandi gratiam non amittat. Unde omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, notum esse volu-

volumus, qualiter bene erga nos promerentem, Adalbertum Hamburgensem Archiepiscopum digne remunerantes, ad archiepiscopalem Ecclesiam scilicet Hammaburch, in honore Domini, et Salvatoris nostri, ejusque intemeratæ genitricis Mariæ, et Beati Jacobi Apostoli, sancti quoque Viti martyris constructam abbatiam, Chorbeia dictam, in pago Angera, in Ducatu Ottonis Ducis sitam, cum omnibus appendiciis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, præposituris, Ecclesiis, decimis, villis, vineis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, forestis, venationibus, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus, vel reditibus, viis et inviis, quæsitis et inquirendis, omnique utilitate, quæ vel scribi, vel dici, vel ullo modo inde potest acquiri in proprium dedimus atque tradidimus: nec non omni jure ac libertate, qua nos eam habuimus, sibi habendam concessimus, perpetualiter tenendam confirmavimus. Ea videlicet ratione, ut prædictus Adalbertus, ejusdem sedis Archiepiscopus, suique Successores, eandem, quam de cæteris Ecclesiæ suæ bonis legaliter adquisitis, liberam et de hac Abbatia potestatem habeant tenendi, constituendi, vel quidquid ad communem utriusque Ecclesiæ utilitatem voluerint, faciendi. Et ut hæc nostra legalis traditio stabilis et inconvulsa omni permaneat tempore, hanc cartam inde conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici quarti Regis.

Sigehardus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi. Data XIV Calend. Novembris. Anno Dominicæ Incarnationis MLXV. Indictione III. Anno autem incarnationis Domini Heinrici quarti Regis XI. regni vero IX. *Actum Goslariæ in Dei nomine feliciter Amen.*

* *al.* X.

Simili diplomate Abbatiam Laureshaimensem Alberto donat, quod à Madero probatum legas. Coloniensis interim Archiepiscopus ad Ecclesiam suam reversus, Basilicæ & Collegio S. Mariæ ad gradus ultimam manum imposuit, itàque hoc Collegium ditavit, ut xxx Canonici in eo alerentur. Quam in rem hoc anno Collegium Canonicorum, quod Tremoniæ erat, Coloniam cum omnibus decimis & bonis transtulit: translatisque Tremoniam D. Reinoldi reliquiis, Collegii Ecclesiam in Parochiam mutavit, quæ etiamnum Reinoldi appellatur.

Annus Christi 1066.

Alexandri II Pont. 6.
Henrici IV Regis 11.
Imadi Ep. Pad. 15.

Rex Principibus Imperii invisus. *Lambertus. Adamus Bremens. Albertus Stadens. Helmoldus.*

Trahebat Rex post Natalitia Goslariæ celebrata hyemem in Saxonia, omnibus Saxoniæ principibus invisus, ob superbum rapacemque Adalberti Bremensis dominatum, qui Regem simulacri instar ostentabat; nec patiebatur Saxoniâ exire, ne alij Imperij Principes in Consilium & consortium regni venirent. Quibus illi offensi exacerbatique, primùm conventicula cogunt; deinde, adultâ jam conspiratione, Triburiæ conveniunt, Regique ex comitijs, quorum capita

capita Moguntinus & Coloniensis, denunciant, aut regno cederet, aut Bremensem Archiepiscopum exauctoraret. Quo consternatus Rex cum Wernero Comite Ingelheimium advolat, quem istic à saltatrice muliere clava percussum amisit. Rex concilium Episcoporum & Principum ingressus, torvo omnium vultu excipitur, jubeturque Bremensem Archiepiscopum regni turbatorem dimittere. Quo audito Bremensis suasit Regi, ut clam nocte cum Imperij insignibus profugeret in Saxoniam, dum procella hæc defervesceret. Fecit id Rex; sed fugâ maturè detectâ, in proxima villa reprehensus, custoditusque est, dum manè Principes accelerarent. Ac parum abfuit, quin in ipsum Archiepiscopum involarent, ni Rex se objecisset. Ita è villa cum perfidis aulæ ministris ejectus, profugusque Bremam rediit, ubi odijs & vexationibus Comitum jactatus, Ecclesiæ suæ magnum detrimentum intulit. Per id tempus postquam Godeschalcus Princeps, qui hactenus columen christianæ religionis fuerat, interemptus, Sclavia rebellare cœpit, & Joanne Episcopo per dira tormenta cum Sacerdotibus sublato, à Christi religione ad Idolorum cultum relabi; cæsisque christianis Hamburgensibus, Barbari diœcesin ferro & igne depopulantur. Quæ omnia in vindictam Archiepiscopi Deum permisisse perhibent, ex quo dissolutâ in claustro vitâ, Canonici in libertatem, ac depravatos mores transiêre. Exturbato ex aula Adalberto Archiepiscopo, Reipublicæ administratio rursus ad Episcopos reducta, ea qua antè potestate, ut quisque jus publicum in suis provincijs diceret. Rex dehinc Aquisgranum tetendit, atque inde Trajecti inter Frisios Pascha celebravit. Quo tempore dirum Cometæ sidus per quatuordecim noctes & 20 dies spectatum, fatale indicium, ut Scriptores memorant, schismatis inter Regnum & Sacerdotium, bellorumque, quæ consecuta sunt. Trajecto Rex Frislariam digressus; ubi fœdo morbo correptus est. Inde collectis viribus Pentecosten Herveldiæ egit. Nec multò post Triburiæ nuptias regio apparatu celebravit, ducta in matrimonium Bertha, Itali Marchionis filia. Mortuo Eberhardo Trevirensi Archiepiscopo, integerrimo præsule, Regis patrocinio subrogatus Conradus, Præpositus Coloniensis. Id cùm clerus & populus indigne ferret, urbem ingressuro occurrit Theodoricus Comes, juvenis ætate & ingenio ferox, captivumque Episcopum per carnifices ex altissima rupe dejecit in mortem. Ea tum insolentia & perturbatio erat in Imperio. Anno interim Coloniensis Archiepiscopus Sigebergense Monasterium, & Basilicam à se conditam consecravit; cui post Salveldiense, & Grafschafanum in Westfalia adjecit.

Vastatur Ecclesia Hamburgensis. *Lambertus. Sigebertus. Marianus Scotus.*

Lambert. Ursberg. Barthold. Presbyt. Annal. Trev. Brovv.

Conradus Archiep. Trevir. occiditur.

Annus Christi 1067.

Alexandri II Pont. 7.
Henrici IV Regis 12.
Imadi Ep. Pad. 16.

Rex

Lambertus. Bunsing. in chron. Brunsf.

Sclavorum irruptio in regiones Transalbianas.

Rex anno postero cum nupta Regina in Saxoniam regressus ad paternum palatium, Goslariæque, quæ Imperij sedes erat, festo D. Martini peracto, in morbum relapsus, toto fere anno decubuit. Nihil ex eo memorabile, nisi quòd Ottoni Thuringiæ Marchioni sine liberis excedenti subrogatus Egbertus Saxoniæ Marchio & Brunswici Dominus. Subtraxit & mors Ordulfum Saxoniæ Ducem, succedente Magno filio, à quo bellum adversus Sclavos sub exordia principatûs susceptum, sed exitu improspero. Sclavi quippe armis superiores, omnes prope Transalbianas regiones ad tributum & servitia redegêre, qua calamitate plusquam DC familiæ ex Holsatia ad Hercinios montes transmigravêre. Uti per dissidia regni Barbari semper in vindictam Christianorum invaluêre. Inter Episcopos Saxoniæ excessit Benno XVIII Osnabrugensis Episcopus (quem alij Werinherum vocant) multum vexatus à Godeschalco & Ottone filio, quos Comites Teclenburgenses fuisse volunt. Sublectus illi Benno eo nomine secundus, vir egregius, ac gente Suevus, ex ingenua familia, impetratusque è sterili matrimonio, parentum voto, ideoque etiam divino cultui consecratus, & Goslariam Hildesiumque transmissus; quibus in Gymnasijs ita semper eminuit, ut Hecilo Hildesij Episcopus eum primò Hildesiensium scholis moderandis præfecerit, ac totius deinde Episcopatus administrum delegerit. Ex quo munere ab Henrico Imperatore, dum Goslariæ hibernaret, die S. Clementis Osnabrugensium Episcopus est renunciatus; ob cujus divi memoriam cultumque, Iburgi postea Cœnobium ordinis D. Benedicti condidit ac sancto Clementi Patrono dedicavit. Accepto Episcopatus onere, Coloniam adijt, ubi proximo anno Calend. Januarij ab Annone Archiepiscopo ac metropolitano suo, Friderico Monasteriensi, atque Eilberto Mindensi Episcopis & ipse Episcopus consecratus est. Sed & D. Benno per id tempus è Saxonico Comite oriundus è Goslariensi Collegio, quod tum viris præstantibus florentissimum erat, Henrici patrocinio ad Misnensem Cathedram productus. Præsul quem ob vitæ sanctimoniam Saxonia coluit.

Moritur Benno Episc. Osnabrug. cui succedit Benno II.

Lambertus Ertvvin in chron Osnab. Wittius in chron. Crantzius lib. 4. Metrop. c. 38.

Annus Christi 1068.

Alexandri II Pont. 8.
Henrici IV Reg. 13.
Imadi Ep. Pad. 17.

Lambertus. Ursberg. Barthold. presbyt. Adam. Bremens. Albertus Stadens.

Corrupti Regis Henrici mores.

Annus dehinc MLXVIII cum turbulento Rege tanquam increscentibus tempestatum undis subit infestus. Nam, sicuti Ursbergensis memorat, Saxoniam Rex ex omni Romano Imperio sibi delegit, ac Regni sedem, quam Goslariæ fixit, ubi & natalitia Christi peregit, & hyemem traduxit. Tum verò laxato omni juventutis freno, despicere Principes, opprimere nobiles, infimæ sortis homines attollere honoribus,

honoribus, ocio, venationi, lusui, atque omnium voluptatum illecebris se permittere, filias illustrium hominum abjectis sordidisque collocare in matrimonium, neglectâ Republicâ dare se ocio, venationi, ludicris spectaculis, & in omnia corruptæ vitæ vitia ire.

Adhæc nova Castella diversis in locis erigere, ac vetera præsidijs firmare, quibus etsi Saxones intelligerent servitutem sibi intendi, eóque frequentes convenerint in cœtu; hæc tamen dissimulanda duxêre, quòd cum maturiore Regis ætate corrigenda confiderent. At nihil perniciosius à Rege, quàm quòd sacerdotia vel ad gratiam, vel ad quæstum in aula venalia haberentur, ac juvenes indignique ad Episcopatus proveherentur. Quos inter Henricus ex Goslariensi Canonico, ob juventutis consortium, Spirensis Episcopus, & Adalbero Wormatiensis obtrusus, Rudolphi Ducis frater ac Monachus S. Galli, uno pede claudus, & per omnia, ut Lambertus ait, dignus spectaculo; quippe homo edacitatis lupinæ, staturæ grandis, crassitudinis tantæ, quæ aspicientibus horrorem incuteret; nec ita centimanus Gigas, aut aliud antiquitatis monstrum, si ab inferis emergeret, stupentis populi oculos in se atque ora converteret. Magna horum omnium causa Adalbertus Bremensis Archiepiscopus creditur, qui post triennium ejectionis suæ irrepserat in aulam; ne tamen in priorem scopulum incurreret, Principes regni humanius tractare, interq; hos Coloniensem Archiepiscopum cumprimis sibi reconciliare studuit. Hactenus ab Henrico I. Saxone præclari & religiosissimi Reges ac Imperatores: nunc Henricus IV primus inter hos Germaniæ labes numerandus. Quapropter ob merita in Ecclesiam, & integerrimam fidem illis nominandi imponendique Episcopos facultas permissa, quos illi non nisi è clero delectos, ob virtutem dignissimos obtulêre, qui ab hoc Rege primùm, & corrupta ejus aula pessum iêre.

A quo indigni Episcopi præfecti

Inter hæc turbamenta Saxoniæ Imadus Episcopus noster, summæ apud omnes Principes & Episcopos auctoritatis, magna tranquillitate, & constantia virtutis Episcopatum suum administrabat, nihilque impensius habebat, quàm ut ex incendij ruinis Basilicam instauraret, eóque perduxit, ut hoc anno fastigium operi imponeret; quam deinde mense Junio cum Sigefrido Moguntino Archiepiscopo solemni ritu consecravit; ita enim Gobelinus noster. *Anno* MLXVIII. *Henrici regni* XII. *dedicata seu reconciliata est Ecclesia Paderbornensis anno undecimo post civitatis incendium, et hæc dedicatio servatur adhuc, videlicet* XXII *die mensis Junii.* Quanquam decimus magis, quàm undecimus ab incendio hic annus reputatus. Septimo deinde Idus Septembris Imadus primorum Episcoporum Paderbornensium corpora, quæ jam duplici incendio Ecclesiæ aut obruta, aut disjecta erant, insigni religione cultuque Antecessorum suorum diligenter investigavit, repertaque in vetustis sepulchris collegit, & in crypta,

Gobelin. æt. VI. c. 55.

Dedicatio Basilicæ Paderborn.

Et elevatio corporum primorũ Episc. Paderb. ab Imado facta.

Ferdinand. ex veteri codice.

quæ choro Basilicæ substructa est, honorificentissimè ante aram D. Stephani à Leone Pontifice consecratam condidit, ubi à posteris in magna veneratione fuerunt habita, quemadmodum hoc Ferdinandus Episcopus noster ex veteri codice Palatini manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ produxit. Ipse deinde Ferdinandus Episcopus noster, cùm disjecto lapide, & neglecto veteris pietatis cultu, memoria prope omnis sepulta jaceret, pristino decori cultuique, Imadi exemplo & pietate provocatus reddidit. Inscriptionem & monumentum hujus translationis in Hathumaro Episcopo dedimus. Quæ omnia ad hanc diem ignorata mansissent, nisi Ferdinandus Episcopus noster hæc ex Romana Bibliotheca protulisset in lucem. Solennis hæc translatio in cryptam hoc anno MLXVIII facta ex Indictione VI, & Henrici IV Regis anno XIII, Imadi vero Episcopi ordinationis anno XVI adscripto satis constare potest, licet fortè alius alibi annus consignetur. Ex eodem Vaticano codice adscripta accepimus ornamenta & largitionem, quam Imadus Ecclesiæ suæ fecit, quæ sic habet.

Ad imaginem sanctæ Mariæ Marca et dimid.
In aureo scrinio S. Liborii XXIIII Marc. auri.
In plenario aureo V Marc. auri.
Item in plenario VI. Marc. et quadrantem.
In altari aureo XVII Marc. auri.
In cruce minori V. Marc. et dimid.
In majori cruce XIIII. et una Marca ad decurandum.
Summa autem LXXI. et dimid.

Qui non est passus disciplinam vitæ communis inter Canonicos dissolvi.

Hæc tanquam ex naufragio antiquitatis de præstanti Episcopo servata. Sed longè illustrius Imadi Episcopi factum, qui ob incendium Monasterij majoris, Collegij videlicet Cathedralis, non est passus disciplinam communis vitæ inter clericos dissolvi; tametsi id jam Treviri, Bremæ, Hildesij, alijsque in locis indultum esset. Quare reparato simul Collegio in formam claustri, uti à Meinwerco & majoribus acceperat, intra societatis vitæ instituta Canonicos ac clericos retinuit.

Cleinsorg. Novo Comitatu ab Henrico donatur Hezilo Episc. Hildes.

Ceterum hoc ipso anno dum Rex Goslariæ versatur, regia donatione, Friderici & Conradi comitatum Heciloni Hildesimensi Episcopo dedit. Id liberalitatis diploma, quia hactenus lucem non aspexit, hîc interjungere placuit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Si loca divinis cultibus mancipata ex nostra regali auctoritate ditare et sublimare studuerimus, id ad prosperitatem vitæ nostræ, regnique nostri stabilitatem esse profuturum minimè dubitamus. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, notum esse volumus, qualiter nos ob nostram, felicisque memoriæ Patris nostri Heinrici Imperatoris perpetuam beatitudinem, et interventum contectalis nostræ

Berchtæ,

Berchtæ, nec non ob fidele servitium Hezilonis Hildinesheimensis Episcopi, Comitatum, quem Fridericus, ejusque filius Conradus Comites ex regali potestate in beneficium habuerunt, in illis pagis Valedungon, Aringe, Guttingon, et in his publicis Ecclesiarum parochiis, Alicga, Redun, Fredenon, Walehuson situm, ad altare dilectissimæ Dei genitricis perpetuæ Virginis Mariæ in Hildenesheim consecratum, ex nostra regali potestate cum omni jure et utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, dedimus, atque in proprium perpetuo jure possidendum tradidimus. Ea videlicet ratione, ut Hezilo prænominatus Episcopus, suique Successores eundem Comitatum, contradictione omnium remota, libera deinceps potestate habeant, possideant, et in perpetuum quietè fruantur. Et ut hæc nostræ donationis auctoritas firma et inconvulsa in omnia volventis mundi permaneat tempora, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quarti Regis invictissimi.

Bibo Cancellarius vice Sigefridi recognovi. Data Non. Augusti. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo sexagesimo octavo. Indictione sexta. Anno autem ordinationis domni Heinrici quarti Regis, regni * 11. actum Goslariæ in Dei nomine feliciter Amen. * al. 13.

Haud dissimiliter Anno Coloniensis Archiepiscopus magno comitatu Werthinense ad Ruram Monasterium invisens, præclaris tabulis Geroni Abbati & Monachis, ad venerationem D. Ludgeri, privilegia confirmat. Interque testes memoratur Adolphus advocatus de monte; habeturque is Comes de monte, Everhardi & Adolphi pater, à quibus post Aldenberga commutata in Monasterium Cistertiense.

Annus Christi 1069.

Alexandri II Pont. 9.
Henrici IV Reg. 14.
Imadi Ep. Pad. 18.

Henricus Rex quærit divortium à conjuge. *Lambertus. Sigebertus. Barthold. Adamus Bremens. Albertus Stadens. Ursberg. gensis.*

Hæsit in sequentem annum Rex inter Saxones, celebratisque Goslariæ natalitijs Christi, tandem aliquid martium est ausus; transito enim Albi per astrictas glacie paludes, Sclavorum provinciam ingressus, Luititios ex priori victoria insolentes magna clade attrivit, terramque eorum depopulatus, victor cum exercitu in Saxoniam redijt. Paschate dehinc Quidlenburgi peracto, Coloniæ Pentecosten celebrat. Post Wormatiam proficiscitur ad congressum Principum. Ubi in secretum colloquium vocato Sigeberto Moguntino Archiepiscopo, decimas illi totius Thuringiæ, quas ante promiserat, se præstiturum, addicit, modò conjugium, quod cum Bertha Marchionis Itali filia contraxerat, ejus opera dissolvi possit. Homo ex uno vitio præceps in aliud, obtendebat se nullum cum ea rei maritalis usum habuisse; re autem inter vagos amores fastidiens uxorem, pessimo Lotharij exemplo, conturbabat fœdabatque Ecclesiam. Moguntinus

Ferdinand. ex veteri codice.

quæ choro Basilicæ substructa est, honorificentissimè ante aram D. Stephani à Leone Pontifice consecratam condidit, ubi à posteris in magna veneratione fuerunt habita, quemadmodum hoc Ferdinandus Episcopus noster ex veteri codice Palatini manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ produxit. Ipse deinde Ferdinandus Episcopus noster, cùm disjecto lapide, & neglecto veteris pietatis cultu, memoria prope omnis sepulta jaceret, pristino decori cultuique, Imadi exemplo & pietate provocatus reddidit. Inscriptionem & monumentum hujus translationis in Hathumaro Episcopo dedimus. Quæ omnia ad hanc diem ignorata mansissent, nisi Ferdinandus Episcopus noster hæc ex Romana Bibliotheca protulisset in lucem. Solennis hæc translatio in cryptam hoc anno MLXVIII facta ex Indictione VI, & Henrici IV Regis anno XIII, Imadi vero Episcopi ordinationis anno XVI adscripto satis constare potest, licet fortè alius alibi annus consignetur. Ex eodem Vaticano codice adscripta accepimus ornamenta & largitionem, quam Imadus Ecclesiæ suæ fecit, quæ sic habet.

Ad imaginem sanctæ Mariæ Marca et dimid.
In aureo scrinio S. Liborii XXIIII Marc. auri.
In plenario aureo V Marc. auri.
Item in plenario VI. Marc. et quadrantem.
In altari aureo XVII Marc. auri.
In cruce minori V. Marc. et dimid.
In majori cruce XIIII. et una Marca ad decurandum.
Summa autem LXXI. et dimid.

Qui non est passus disciplinam vitæ communis inter Canonicos dissolvi.

Hæc tanquam ex naufragio antiquitatis de præstanti Episcopo servata. Sed longè illustrius Imadi Episcopi factum, qui ob incendium Monasterij majoris, Collegij videlicet Cathedralis, non est passus disciplinam communis vitæ inter clericos dissolvi; tametsi id jam Treviri, Bremæ, Hildesij, alijsque in locis indultum esset. Quare reparato simul Collegio in formam claustri, uti à Meinwerco & majoribus acceperat, intra societatis vitæ instituta Canonicos ac clericos retinuit.

Cleinsorg. Novo Comitatu ab Henrico donatur Hezilo Episc. Hildes.

Ceterum hoc ipso anno dum Rex Goslariæ versatur, regia donatione, Friderici & Conradi comitatum Heciloni Hildesimensi Episcopo dedit. Id liberalitatis diploma, quia hactenus lucem non aspexit, hîc interjungere placuit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Si loca divinis cultibus mancipata ex nostra regali auctoritate ditare et sublimare studuerimus, id ad prosperitatem vitæ nostræ, regnique nostri stabilitatem esse profuturum minimè dubitamus. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, notum esse volumus, qualiter nos ob nostram, felicisque memoriæ Patris nostri Henrici Imperatoris perpetuam beatitudinem, et interventum contectalis nostræ

Berchtæ,

Berchtæ, nec non ob fidele servitium Hezilonis Hildinesheimensis Episcopi, Comitatum, quem Friderihcus, ejusque filius Conradus Comites ex regali potestate in beneficium habuerunt, in illis pagis Valedungon, Aringe, Guttingon, et in his publicis Ecclesiarum parochiis, Alicga, Redun, Fredenon, Walehuson situm, ad altare dilectissimæ Dei genitricis perpetuæ Virginis Mariæ in Hildenesheim consecratum, ex nostra regali potestate cum omni jure et utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, dedimus, atque in proprium perpetuo jure possidendum tradidimus. Ea videlicet ratione, ut Hezilo prænominatus Episcopus, suique Successores eundem Comitatum, contradictione omnium remota, libera deinceps potestate habeant, possideant, et in perpetuum quietè fruantur. Et ut hæc nostræ donationis auctoritas firma et inconvulsa in omnia volventis mundi permaneat tempora, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quarti Regis invictissimi.

*Bibo Cancellarius vice Sigefridi recognovi. Data Non. Augusti. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo sexagesimo octavo. Indictione sexta. Anno autem ordinationis domni Heinrici quarti Regis, regni * 11. actum Goslariæ in Dei nomine feliciter Amen.* * *al. 13.*

Haud dissimiliter Anno Coloniensis Archiepiscopus magno comitatu Werthinense ad Ruram Monasterium invisens, præclaris tabulis Geroni Abbati & Monachis, ad venerationem D. Ludgeri, privilegia confirmat. Interque testes memoratur Adolphus advocatus de monte; habeturque is Comes de monte, Everhardi & Adolphi pater, à quibus post Aldenberga commutata in Monasterium Cistertiense.

Annus Christi 1069.

Alexandri II Pont. 9.
Henrici IV Reg. 14.
Jmadi Ep. Pad. 18.

Hæsit in sequentem annum Rex inter Saxones, celebratisque Goslariæ natalitijs Christi, tandem aliquid martium est ausus; transito enim Albi per astrictas glacie paludes, Sclavorum provinciam ingressus, Luititios ex priori victoria insolentes magna clade attrivit, terramque eorum depopulatus, victor cum exercitu in Saxoniam redijt. Pasehate dehinc Quidlenburgi peracto, Coloniæ Pentecosten celebrat. Post Wormatiam proficiscitur ad congressum Principum. Ubi in secretum colloquium vocato Sigeberto Moguntino Archiepiscopo, decimas illi totius Thuringiæ, quas ante promiserat, se præstiturum, addicit, modò conjugium, quod cum Bertha Marchionis Itali filia contraxerat, ejus opera dissolvi possit. Homo ex uno vitio præceps in aliud, obtendebat se nullum cum ea rei maritalis usum habuisse; re autem inter vagos amores fastidiens uxorem, pessimo Lotharij exemplo, conturbabat fœdabatque Ecclesiam. Moguntinus

Henricus Rex quærit divortium à conjuge. *Lambertus. Sigebertus. Barthold. Adamus Bremens. Albertus Stadens. Ursbergensis.*

spe decimarum illectus in hanc rem synodum post festum Michaëlis indixit Moguntiæ. At Thuringi postquam didicêre novum decimarum onus sibi intendi, tumultuari cœperunt. Quare Rex cum infesto agmine Thuringiam ingressus, expugnatisque duobus castellis, ad dedidionem eam compulit. Dedo Marchio ex Widekindi M. ut creditur, stirpe Thuringorum Dux, in custodiam abreptus, mulctatusque possessionibus, haud multò post libertati redditur. Non tamen his extinctum odium in Moguntinum. Rex deinde cùm ad ad Moguntinam synodum tenderet, comperit ex Italia advenisse Petrum Damiani legatum Apostolicum, virum eâ ætate doctrina & vitæ innocentiâ apud omnes celebrem. Nec alia de causa adesse, quàm ut divortium impediat. Ejus metu Rex Francofurtum secessit, quò & Legatus cum Episcopis & Principibus secutus, Regem gravi oratione à meditato scelere deterruit. Quapropter Rex quadraginta tantum militum comitatu stipatus citatis itineribus in Saxoniam est regressus, quem Regina secuta. Sed mox refrigescente amore, ad ingenium redijt. Hoc interim anno rursum Hecilonem Hildesimensem Episcopum, quem in comitatu habuit, Triburiæ Kalend. Septembris novo diplomate decoravit, quo eundem, de quo supra retulimus, Comitatum confirmat Ecclesiæ Hildesimensi.

Confirmatur donatio Comitatus Heziloni Ep. Hildes. facta.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Si loca Deo sanctisque ejus mancipata ex nostra regali auctoritate augere et sublimare, nostroque quantum possumus, patrocinio tueri studuerimus, id vitæ nostræ prosperitatem, regnique nostri stabilitatem esse minimè dubitamus. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, notum esse volumus, qualiter nos pro remedio patris nostri Heinrici secundi Romanorum Imperatoris Augusti, et ob interventum dilectæ nostræ contectalis Berthæ, nec non pro dilectione, et fideli servitio Hezilonis Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopi, Comitatus, quos Friderich ejusque filius Chonradus Comites juxta fluvios Loyna et Alera ex imperiali donatione in beneficium habuerunt, in pagis Valedungon, Aeringon, Guttingon, quemadmodum illi prænominati Comites scilicet Friderihc et Chonradus habuerunt, eodem jure eidem Ecclesiæ, quæ est in honore intemeratæ Dei genitricis perpetuæque Virginis Mariæ consecrata, ex nostra regali auctoritate cum omni utilitate, quæ ullo modo inde potest provenire, perpetuo possidendum, omnium præsentium vel succedentium contradictione remota, in proprium tradidimus atque donavimus. Confirmamus igitur munificentiâ regia eidem Ecclesiæ libertatem per omnia retinendam, et bona omnia, quæ à prædecessoribus nostris Romanorum siquidem Imperatoribus, vel Francorum Regibus, usque ad tempora nostra prænominatæ Ecclesiæ concessa sunt. Et nos ei habendum omni tempore, atque jure perpetuo possidendum per nostri præcepti paginam concedimus, omni nostra ac nostrorum successorum, cunctorumque mortalium minorum vel majorum inquietatione remota. Monasteria, Parochias,

Parochias, Ecclesias, Decimas, terras cultas et incultas, Comitatus, mercatos, monetas, thelonea, foresta, cum omni utilitate, quæ describi, vel qnoquo modo inde provenire poterit; insuper etiam bona, quæ à Christi fidelibus præfatæ Ecclesiæ largita sunt vel largiuntur, auctoritate regia confirmamus. Et ut hæc nostra regalis traditio stabilis et inconvulsa omni ævo permaneat, hanc cartam inde conscriptam, manu propria, ut infra videtur, corroborantes sigilli impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quarti Regis.

Bibo Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi. Data XVIII Calend. Septembris. Anno Dominicæ Incarnationis MLXVIIII. Indictione VII. Anno autem Ordin. Domni Heinrici IV Regis XV. regni verò XIII. actum Triburis in Dei nomine feliciter Amen.

Annus Christi 1070.

Alexandri II Pont. 10.
Henrici IV Reg. 15.
Imadi Ep. Pad. 19.

Rex postquam Natalem Christi Frisingæ peregerat, è superiori Germania in Saxoniam se retulit, & Pascha Hildesij cum Hecilone Episcopo, quem inter familiarissimos & aulæ Comites habuit, festis Ecclesiæ gaudijs peregit. Quidlenburgi posthæc Ascensio Domini peracta. Sub quod tempus augustum illud templum, opus tot Saxoniæ Ducum, flammis absumptum. Pentecoste Merseburgi peracta, iter ad Rhenum reflectit, aditoque Aquisgrano, Moguntiam properat ad conventum Principum, in quo Otto Dux Bojariæ ex compositæ invidiæ scena postulatus reus. Hic ut diximus, vir amplissimæ nobilitatis, multisque Saxoniæ proceribus consanguinitate junctus: bellicis præterea artibus, rebusque gestis tantæ apud omnes Principes erat auctoritatis, ut si Rex invisus dejiceretur, ipse solio proximus destinaretur. Id cùm Regem non lateret, æmulumque hunc remotum vellet, inter aulæ assentatores repertus est Egino quidam, homo obscuræ originis ac perfidus, quique Ottoni Regisq; vitæ insidiatus, crimen læsæ majestatis intendere est ausus. Ejus criminis diluendi causa Otto ad singulare certamen se obtulit. Dissensêre amici, indignum asserentes Ducem cum latrone congredi. Itaque absens, atque innocens, æmulorum etiam quorundam Principum invidia, à Rege damnatus, exutusque Ducatu Bojariæ. Tum verò alij gratificandi Regis causa, alij spoliorum cupidine, possessiones ejus, uxorisque, quas in natali Saxoniæ solo habebat amplissimas, diripere, igne in prædia grassari. Quibus ut Rex extremam manum adderet, collecto exercitu, primò castellum ejus Hamersteinium, deinde Tesenbergam (quod Desenbergum diœcesis nostræ reputatur, uti in monumentis Ferdinandi exhibetur) difficili obsidione tandem expugnat. His Otto exacerbatus, collectis selectorum militum copijs, in Thuringiam irrumpit, villas regias diripiendo exurendoque. Nec multò post

Lambert. Ursberg.

Otto Bojariæ Dux reus Majestatis damnatur.

Et Bojariæ Ducatu exuitur.

post Thuringos ac regios occurentes ad Hoschenowege, quod nunc Hassiæ est oppidum, ad internecionem prope delet. Qua clade ita territus est Rex, ut Goslariam se receperit, sollicitus ne, quod Otto minitabatur, regni sedem, & domicilium voluptatis in cineres quoque verteret. Otto vagus incertusque per superiorem Saxoniam proceres & Principes in societatem belli trahit, quos inter Magni Ottonis, Saxoniæ Ducis filium, juvenem æqui bonique servantissimum, sibi junxit. Hæc civilium & funestorum bellorum initia, quibus tot annis postea Germania conflagravit.

Friderici Episc. Monast. liberalitas in Collegium Mauritianum. *Berchorst. in vita D. Erponis.*

Inter has turbas Fridericus Monasteriensis Episcopus, religione & pacis studio egregius, hoc ipso anno Collegium Canonicorum extra urbis mœnia conditum ex largissimis patrimonij bonis, quæ illi ex hereditate Marchionis patris obvenerant, dotavit, attributis in hoc pium opus plusquam xx prædijs. Patronum Ecclesiæ illius esse voluit S. Mauritium (unde hodiedum Collegij Mauritiani nomen obtinet) quòd ex Collegio Magdenburgensi, S. Mauritio dicato, traductus esset ad Episcopatum. Cippo quidem veteri annus 1050 inscriptus; sed cum illo anno nondum Episcopus fuerit, ad hunc, de quo agimus, exordia revocantur.

Annus Christi 1071.

Alexandri II Pont. 11.
Henrici IV Reg. 16.
Imadi Ep. Pad. 20.

Lambertus. Ursberg. Adamus.

Increscentibus Saxoniæ motibus, Henricus Rex Goslariæ se continuit, ubi dum Christi natalitia ageret, consilio Rudolphi Suevorum Ducis, & Adalberti Bremensis Archiepiscopi, Welfo Azzonis Marchionis Jtali filio Bojariæ Ducatum dedit. Is verò cùm Ottonis exauctorati jam Ducis filiam in matrimonio haberet, socerumque proscriptum, ac Regis hostem intelligeret, rupto tori consortio, filiam patri remisit, Ducatusque dignitatem ante fidem amoremque conjugis habuit. Novus hic belli stimulus Ottoni fuit; quare montem Hasengunanum præmunijt, in eoque se cum militibus inclusit, latè circum prædas agendo. Quo comperto, Rex contractis ex Saxonia, Thuringia, & Hassia copijs, Ottonem expugnandum sumpsit.

Otto Dux Regi se subdit.

Intervenit hic Everhardus Comes, Ottonique persuasit, ut Regis se clementiæ permitteret. Quare fide utrimque accepta, factisque inducijs, jussus est Otto se Coloniæ circa Pascha sistere in conventu Principum. Rex autem in Bojariam profectus, quæ Ottonis Ducis sui desiderio in tumultus itura timebatur. Ea pacata, dum secundo Rheno Coloniam descendit, ex itinere castrum Hamersteinianum à D. Henrico Jmperatore dirutum instaurari jussit. Paschate Coloniæ peracto, prorogatisque Ottoni inducijs, Leodium advolat. Ac mox

festinatis

festinatis itineribus in Saxoniam regressus, Pentecosten Halberstadij celebrat. Ibi Ottonem Ducem, ceterosque ingenuos, qui cum eo arma contra Rempublicam sumpsisse arguebantur, in deditionem suscepit, & Principibus regni custodiendos dedit, ea tamen lege, ut statuto die sibi redderentur.

Mense Augusto allabente, Rex Moguntiam ad synodum Episcoporum contendit, quam Alexander II Pontifex ob Carolum Constantiensem Episcopum convocari jusserat. Erat is à Rege è Collegio Magdenburgensi provectus ad hunc Episcopatum; ac multa illi crimini data à clero Constantiensi, interque cetera, quòd simoniacâ labe infectus, prælio ad Episcopatum pervenisset, quòd plerosq; Ecclesiæ thesauros furtim subduxisset, quódque pro juvenilis ætatis insolentia omnia depravatè ageret. Quæ crimina postquam à Clero ad Apostolicam sedem delata sunt, mandatum dedit Pontifex Sigefrido Moguntino Archiepiscopo convocandi synodum, cognoscendique causam Caroli: simulque vetitum, ne priusquam se purgasset, consecrâretur Episcopus. Convenêre igitur ad hanc synodum Gebehardus Juvaniensis, & Udo Trevirensis Archiepiscopi, quibuscum consedêre Adalbero Wirtzeburgensis, Gundecharus Eystadensis, Embricho Augustensis, Herimannus Bambergensis, Wernherus Argentinensis, Heinricus Spirensis, Benno Osnabrugensis, Ermenfridus Sedunensis, Heribertus Mutinensis Episcopi, cum Abbatibus, & omnium ordinum Sacerdotibus, Imadus Paderbornensis Episcopus, ceterique legatos suo nomine miserunt, quòd aut invaletudine, aut alijs publicis negotijs se impeditos dicerent. Synodo, præsente Rege, præsedit Moguntinus Episcopus, sedis Apostolicæ legatus; nihilque sollicitius agebat, quàm ut crimina Carolo objecta dilueret; sed cùm accusatores è clero Constantiensi crimina probando intenderint, Episcoporum judicio damnatus est Carolus. Et cùm Rex virgam Episcopalem recepisset, multis promissis dolorem ejus solatus est. Episcopatum Ottoni Constantiensi Canonico dedit, ac mox Episcopum consecrari voluit, ne eodem quo alter impedimento traheretur in moras. Seminarium Episcoporum per id tempus Goslariense Collegium, ex quo Conradus & Henricus pater Imperatores dignos, ipse verò, quos gratos habuit, produxit Episcopos. Moguntiæ dum Regina adesset Regi, filium è partu sustulit, qui tamen mox â fonte baptismatis extinctus est, delatusque Harterburgum in Saxonia castellum, quem Saxoniæ postea furor è sepulchro ejecit.

Lambert. Tennagelius qui acta hæc dedit. Binius in concil. Baronius. Tom.9 concil. Paris. recent. edit.

Synodus Moguntina, in qua Carolus Constantiensis Episcopus depositus.

Anno Coloniensis Archiepiscopus alterum per id tempus cœnobium D. Benedicto donat dotaque Salefeldiæ ad fines Thuringorum & Sclavorum, ejectis inde Canonicis, quos prius imposuerat. Evocati ab eo Monachi è Cœnobio Sigebergensi & Pantaleonis.

Monachi D. Benedicti Salefeldiæ à D. Annone imponuntur.

Annus

Annus Christi 1072.

Alexandri II Pont. 12.
Henrici IV Regis 17.
Imadi Ep. Pad. 21.

Lambert. Vrsberg. Barthold. presbyt. Adam. Bremens. Albert. Stadens. Vita S. Annonis. Historia Brem.

Albertus Archiepiscopus Brem. recipitur in gratiam. Ejus mors, virtutes, & vitia.

Adhuc bellum Saxonicum hoc anno proximo tanquam fulmen inter tonitrua nubibus inclusum agitabatur. Et Rex, postquam Natalem Domini Wormatiæ celebrasset, Goslariam redijt, interque Saxones verni jejunij tempus exegit. Sub quod tempus, ut Lambertus scribit, Albertus Bremensis Archiepiscopus, qui triumphatis æmulis, à quibus ante aliquot annos è palatio erat expulsus, solus tunc Rege fruebatur, receptus non modò in gratiam & familiaritatem; sed pœne in regni consortium, & omnium, quæ publicè & privatè agebantur, societatem ac moderationem; ita enim Regem callidis artibus suum fecerat. Sed is morbo & ætate exhaustus, cùm diu per exquisitissimas medicorum operas morti obluctatus fuisset, quasi naturam arte illudere posset, in Quadragesima, XVI Calend. Aprilis, debitum conditori persolvit, & pertinacibus hominum odijs, quod nunquam poterat vivendo, tandem aliquando satisfecit moriendo. Vir planè admirandæ compunctionis, & potissimum, dum salutarem hostiam immolaret, totus in lacrymas effluebat: virginitatis deinde, ut ferebatur, à primis innocentiæ annis in mortem constantissimæ, multisque alijs præclaris virtutibus conspicuus erat, quas una jactantiæ levitas & arrogantia obfuscabat. Singula de hoc viro, si quis accuratius nosse velit, adeat Adamum Bremensem, quem ille & familiarem sibi habuit, & diligentem omnium scriptorem. Inter hæc publica negotia publicum tamen docendi munus concionandique non intermisit: interque multas lacrymas, & pœnitentiæ opera excessit è vita, magnus futurus, si ab aula & ambitu procul esse potuisset, & intra Episcopi munus se continere. Et cùm hoc aulæ servitio ingentia quæreret pro Episcopatu suo ditando, & ampliando, haud aliud consecutus est, quàm ut divites faceret ministros, se verò & Ecclesiam inopem & funditus exhaustam relinqueret. Corpus Goslaria Bremam delatum est ad sepulchrum.

Rex hoc caro ministro orbatus ad Rhenum discessit, consilium cum Annone Archiepiscopo collaturus. Palmarumque festo Coloniæ habito, Pascha Trajecti inter Frisones exegit. Aquisgrano exin inspecto, acceptisque aliquot Divorum reliquiis, quas Hartesburgum ad castellum deportari jussit, ipse in Saxoniam redijt, festumque Ascensionis Goslariæ, & Pentecosten Magdenburgi exegit; ubi Liemarum Archiepiscopum Bremensem, gente Bojum, virum eruditum & prudentem Adalberto subrogavit.

At

At dum Trajecti ageret Rex, ingens populi tumultus est exortus, vociferantis de injurijs & calamitatibus regni. Palam objectatum Regi, Monasteria & Ecclesias impune diripi, non pupillis, non viduis, nec oppressis justitiæ manum porrigi amplius. Quorum vocibus permotus Rex, Annonem Coloniensem Archiepiscopum exoravit, ut rerum publicarum administrationem susciperet. Diu ille restitit petenti, partim veterum injuriarum memoria, partim quia divinis, quàm profanis occupari malebat. Tandem & Regis & Principum flexus precibus, munus pristinum suscepit. Tum primùm Respublica in pristinum statum dignitatemque restitui cœpit: tum latronum & prædonum licentia coërcita, castella eorum & receptacula coeversa: tum causæ oppressorum auditæ: tum severitate animadversum in sceleratos; quos inter Egino, qui Ottonem Ducem falsis accusationibus oppresserat, catenis oneratus, & ad spectaculum circumductus: rursumque Otto in gratiam Regis receptus. Eginoni etsi vita condonata, is tamen post inter latrones deprehensus, effossis oculis pœnas dedit, visusque est per omnem vitam panem ostiatim mendicare: Giso Comes, structor calumniarum in Ottonem cum quatuor filijs interemptus, vindicem quoq; Dei manum est expertus.

Querelæ Trajectensium contra Henricum Regem. D. Anno administrationem Imperij denuo suscipere cogitur.

Interim Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, seu tædio malorum, seu salutis causa, clam in Cluniacense Monasterium secessit, Deo istic reliquum vitæ consecraturus; sed brevi is cleri & populi precibus victus retractusque Moguntiam ad pristinum Episcopi munus. Anno per hæc tertium ordinis D. Benedicti Cœnobium in Westfalia, quod Grafschaffense est, condidit; id quod hodiedum ex primo Monachorum instituto catholicæ religionis servatur intra Coloniensis Archiepiscopi limites sacros ac civiles.

Sigefridus Archiep. ad Monasterium Cluniacense secedit. Monasterii Grafschaffensis initia. *Cleinsorg. in literis fundat. Tabula in choro suspensa.*

Annus Christi 1073.

Gregorij VII Pont. 1.
Henrici IV Regis 18.
Jmadi Ep. Pad. 22.

Accedit nunc annus MLXXIII, quo bellum Saxonicum plenis flammis erupit. Vix dum Anno Coloniensis Archiepiscopus impleverat annum moderationis apud Regem, cum aulam pertæsus Bambergæ, ubi cum Rege Natalitia Christi agebat, vacationem petijt, & facilè à Rege impetravit, quòd tantum Rex frenum illud ætatis suæ fastidiret in Annone, quantum Anno Regis manus, & corruptam juventutem aversaretur in Rege, in quo corrigendo frustra desudaret. Igitur Pædagogo hoc amoto, Rex præceps ire in omnia flagitiorum genera, omnes Thuringiæ & Saxoniæ colles & montes præmunire Castellis, Saxones mancipiorum instar cogere ad operas, Castella fir-

Novæ in Imperio turbæ post abdicationem D. Annonis. *Lambert. Ursberg. Marian. Scotus. Bruno de bello Saxon. Auctor A-*

Lamb. in vita Henr. IV. Barthold. presbyt. Otto Frising. Albert. Stad. Chron. August.

mare præsidijs militum; quibus cùm stipendia dare non posset, libera permittere spolia, omniaque hostis instar perturbare deprædationibus. Atque ut speciem religionis obtenderet, Archiepiscopum Moguntinum impulit, ut renovata priore lite, decimas à Thuringis exposceret, se, si negarent, armis oppressurum; ea tamen lege, ut pars Regi cederet, pars Archiepiscopo. Quibus ille pellectus Erfurti VI Idus Martij synodum Episcoporum indicit. Accessêre præter Regem & Archiepiscopum Hermannus Bambergensis, Hecilo Hildesimensis, Eppo Citizensis, Benno Osnabrugensis Episcopi. Horum judicijs in gratiam Regis Thuringis decimarum pensitatio imposita, frustra Thuringis, Abbate Fuldensi & Hersfeldensi obnitentibus, frustra Thuringiæ populis toties Regis clementiam per querelas interpellantibus; quòd Rex armatus immineret, vetaretque etiam capitali pœna, ne ad Pontificem provocarent. His pro voto exactis, in Bojariam contendit, & Rudolphum Suevorum Ducem, ceterasque turbas machinantes in gratiam recepit. Ac Paschatis festo Ratisbonæ, & Pentecostes Augustæ celebrato, in Saxoniam accelerat, occultumq; fœdus cum Rege Danorum & Luititijs Sclavis contrahit, ad Saxones & Thuringos in servitutem deprimendos. Consilium erat non modò bona eorum fisco regio addicere, sed & omnem Saxoniæ gentem delere, & Suevos, quos adamabat, in eorum sedes reducere. Quam in rem contrahit exercitum, specie quidem expeditionis in Polonos, re autem ut Saxones opprimeret incautos. Quæ postquam Saxonibus comperta sunt, consuluêre in medium Principes, dictoque inter se Sacramento, convenit extrema prius subire, quàm acceptam à majoribus libertatem per dedecus amittere. Auctores hujus conspirationis Bucco Halberstadiensis Episcopus, vir eximia sanctitate, & boni publici amantissimus, Otto præterea, de quo diximus, exauctoratus Bavariæ Dux, suis injurijs exstimulatus, Hermannus frater Ottonis Ducis Saxoniæ, uti Lambertus appellat, quem Adamus Ordulphi fratrem dicit, quòd uterque Hermanni frater esset. Exacerbatus is erat, quòd Rex Magnum, Saxoniæ Ducem, nepotem suum, Ordulpho fratre genitum jam triennium in vinculis attineret, & Luneburgum arcem paternam Suevo militi insidendam tradidisset. Accessêre postea in conspirationem Wezilo Magdenburgensis Archiepiscopus, Annonis Coloniensis Archiepiscopi frater, Wernerus Merseburgensis, Imadus Paderbornensis Episcopus noster, Hezilo Hildesimensis, Eilbertus Mindensis, Fridericus Mimigardevordensis, Benno Misniensis Episcopi. Adhæc Uto, & Dedi Marchio, ejusque uxor Adela omni viro animosior, Egbertus Thuringorum Marchio, Fridericus Comes Palatinus, Diedericus, Adelbertus, Otto, Conradus & Henricus Comites: tum præter nobiles vulgus promiscuum supra LX millia armatorum, qui ad libertatem, tanquam ex oblata divinitus sibi

Henricus Saxones extinguere cogitat.

Saxonum conjuratio contra Regem.

ſibi opportunitate aſſerendam promptis lætiſque animis convolabant. Dux Saxoniæ à morte Bernardi nondum certus conſtitutus erat, quòd & Ottone paulò ante exſtincto; filius ejus Magnus Hartesburgi in carcere attineretur, & Rex bonis ejus inhiaret, Ducatumque alteri pro arbitrio deſtinaret. Inter Epiſcopos Regis partes ſecuti Liemarus Bremenſis Archiepiſcopus, Eppo Citicenſis, & Benno Oſnabrugenſis. Hi metu aliorum è Saxonia profugi, ad Regem ſe contulêre, cui & per omne bellum hæsêre Comites. Anno Colonienſis Archiepiſcopus, etſi palam neutri ſe parti addiceret; ceteris tamen Saxoniæ Epiſcopis, inter quos Magdenburgenſem habebat fratrem, & Bucconem Halberſtadienſem Conſobrinum, magis faviſſe ſcribitur à Lamberto & Urſbergenſi, juſtamque horum cauſam probaſſe.

Igitur adultâ jam & roboratâ conjuratione, Saxones ſub ipſas Calendas Auguſti miſêre ad Regem Goslariæ verſantem legatos, poſtulatum ut intermiſſa Polonica expeditione, arma vertat in Luiticios Sclavos, gentem Chriſtianis per Saxoniam infeſtiſſimam, ſe fidos illi belli ſocios primoſque in acie futuros, ſi modò Caſtella, quæ in ſingulis propè montibus ad ſervitutis terrorem ſtructa erant, diruat: ſi bona Saxonibus erepta ſecundum patriæ jura reddat: ſi relictâ Saxoniâ, in qua à puero per ocium & inertiam marceſſat, etiam ad alias Regni provincias, majorum inſtituto, ſedem transferat, ne ſolis Saxonibus alendo Regi ſit oneri: ſi viliſſimos ac perditos homines aula ejiciat, Regnumq; Principum conſilijs adminiſtret: ſi greges concubinarum, quarum conſuetudine & regium nomen defœdet, & oculos animoſq; Chriſtianorum illudat, ex aula exturbet, Reginamq; in tori conſortium admittat. Tandem flagitia, quibus ab adoleſcentia inſueverat, cum matura ætate corrigat, ne Deum juſtum omnium ſcelerum vindicem, tam ſe quàm Regem experiri neceſſe ſit: ſcire ſe civibus pacem, Regno juſtitiam, Regi obedientiā debere, ſed ante omnia petere, libertatem, quam à majoribus acceperint, ſibi integram relinqui. Poſtremùm per Deum ſe rogare, ut juſtis hiſce poſtulatis annuat; id ſi præſtet, promptis ſe animis omnia imperia ejus accepturos; ſed memorē ſimul eſſe velle, ut tanquam ingenuos non ſervilem in modum, quo hactenus habiti, ſe tractet; ſin minus, ſciret & Saxonibus quoq; arma in manu eſſe, quibus ex illa ſervitute ſe tandem in libertatem aſſerant, quibus pro religione Chriſtiana adverſus Regem tanquam barbarum hoſtem depugnaturi ſint. Vehementer permovit hæc legatio Regem, ut de pace cum Saxonibus ineunda cogitaret. Sed ea meditantem intervertêre, qui Regi aderant, Eppo Citicenſis, & Benno Oſnabrugenſis Epiſcopi, ceterique Conſiliarij; quòd dicerent hunc impetum eſſe ex ingenio Saxonum, qui ſi aliquamdiu ſuſtineri poſſit, aut eludi, ſponte caſurum. Quare legati & contemptim habiti, & ambiguo reſponſo ſunt remiſſi. At tanta majori concitatione

Eorundem ad Henricum legatio.

Henricus ad pacem pronus à quibuſdam intervertitur.

Saxonum expeditio contra Regem.

Saxones bellum ex senatu militari decernunt, armatique Goslariam movent, castris in vicina villa collocatis. Ac primo incursu urbs & Rex in potestatem Saxonum venire poterat, nisi Bucco Halberstadiensis Episcopus impetum ceterorum inhibuisset. Per hanc cunctationem Rex in vicinum Harteburgense castrum cum insignibus Imperij & thesauris se subduxit. Saxones comperta fuga è vestigio insequuntur, & circumposito milite, locum natura & arte munitum incingunt, rati Regem tanquam feram in cavea inclusam teneri. Aderat per id tempus Regi Bertholdus Carentorum Dux, ut se purgaret. Hunc, quòd virum sagacem & facundum sciret, mittit Rex legatum in castra Saxonum, omnem pacem & reconciliationem ostentando. Quare dum Saxones negligentius excubant, Rex per inobservatum tramitem elabitur, unàque Episcopi duo cum thesauris & insignibus Imperij. Triduum per vastissimam sylvam castro inhærentem ductu venatoris à jejunis itum, dum quarto die Eschenewegam pervenerunt. Ibi refecti paululum Herveldiam concitatis itineribus tendunt, ubi Adalberus Wirceburgensis, & Hermannus Bambergensis, atque alij quidam Principes occurrunt Regi, ab exercitu ad Polonicam expeditionem Moguntiæ ad Rhenum collecto præmissi, quorum præsentia recreatus, jubet Rudolphum Suevorum Ducem, ceterosque Rheni Episcopos cum exercitu ad se properare. Qui postquam advenêre, ad pedes eorum provolutus, per Deum & omnes superos orat, ne se deserant, nec regiam majestatem tanto probro Germanicæ nationis proteri sinant. Sed immemor, quali ipse probro primus, post tot præclaros & religiosissimos Germanicæ nationis Reges & Imperatores, flagitiosa sua vita sacram illam majestatem Imperij contaminasset. His tamen ille suis lacrymis milites, qui aderant, ad lacrymas commovit. Interim Episcopi & Principes, qui convenerant, alij, omissa expeditione Polonica, statim in Saxones eundum, vindicandamque Regis injuriam; alij non præcipitanter agendum censebant, quòd Saxones dicerent esse gentem bello acerrimam, & exasperatam, quorum causæ bellorum primum audiendæ & cognoscendæ essent; ideoque ad Rhenum prius redeundum, ut corroboratis viribus tutius peterentur armis. Quorum sententia cum prævaleret, ad Rhenum castra sunt reducta. Rex Triburiam concessit. Ceteri cum milite per Rheni provincias sunt dispersi, dum à Rege revocarentur in Saxoniam.

Rex principibus fit supplex.

Saxones omnia undique vastant.

Inter hæc Saxones expugnare Castella, & diruere frena servitutis suæ. Hermannus Saxoniæ Dux, expugnato Lunenburgo, minatus Regi, omnes se Suevos neci daturum, nisi Magnum, Saxoniæ Ducem, libertati redderet; quod hisce minis impetratum. In hunc modum ceteræ Saxonum copiæ ceteris Castellis admotæ; inter quæ præcipuum Hartesburgum, Heimenburgum, Mosceburgum, Sassesteinium,

um, Witganfteinium, Afenberga. Sollicitus Rex, ne omnia simul perderet, rogat Moguntinum & Coloniensem, ut rebus turbatis remedium adferrent. Hi etsi causam Regis minimè probarent, re tamen dissimulatâ, ad 9. Calend. Septembris proceres Corbeiam evocant. Ubi cum Moguntinus coram, & Coloniensis per legatos frustra Saxonum animos componere tentassent, alium conventum 13 Calend. Novembris in villa Gerstengum ad fines Hassiæ & Thuringiæ indixêre. Adsunt Saxones ad constitutum diem, 14000 armatorum comitatu; adsunt & à Rege (qui Herbipoli eventum præstolabatur) missi, Moguntinus, Coloniensis, Metensis, Bambergensis Episcopi: Godefridus Lotharingorum, Rudolphus Suevorum, & Bartholdus Carentinorum Duces. Regijs legatis Saxones advoluti supplices rogant cumprimis demissè, uti intenti cognitores, & æqui judices esse velint; tum singuli Regis injuriam & flagitia commemorare, obstupescentibus legatis mirantibusque, quæ cum propria uxore, quæ cum sorore Abbatissa Quidlenbergensi, quæ cum præstitutis passim matronis perpetrasset, qua patientia hactenus ista ferre potuerint, quin citius ad arma convolârint. Quare commune omnium consilium fuit, laboranti Reipublicæ alio Rege eligendo subveniendum esse. Id consilium, ut tegeretur, palam decernunt, Saxones pro admissa temeritate Coloniæ Regi in Natali Christi satisfacerent; Rex verò admissorum impunitatem, & injuriarum posthæc securitatem jurejurando certam redderet. Lætus hoc Senatus consulto Rex, Herbipoli Ratisbonam proficiscitur. At ubi comperit pro alio Rege eligendo consilia agitari, æstuare rursum cœpit, Moguntinumque & Coloniensem appellare, obnixè rogando, ut Saxones à Castellorum oppugnationibus abducant, ac breves saltem inducias impetrent. Hi etsi scirent parum se effecturos, ne tamen à Rege toti aversi apparerent, proxima post Epiphaniam hebdomada rursum conventum Principum ac procerum Corbeiæ indicunt.

Conventus Principum in villa Gerstengensi, ubi consilia de alio Rege eligendo agitata.

Ob sua etiam flagitia Henricus Rex postulatus est Romam ad dicendam causam ab Alexandro II Pontifice, quem maximè offenderat, quòd Abbatias & Episcopatus in aula venales haberet; sed hæc morte ipsius Pontificis abrupta, qui hoc anno 10 Calend. Maji excessit. Subrogatus illi Hildebrandus, omnium Cardinalium & Episcoporum consensu, ac Gregorius VII appellatus. *Vir sacris literis*, ut Lambertus scribit, *eruditissimus, et per omnem Ecclesiam jam ante virtutum fama celeberrimus*. Is Alexandri exemplo inhærens, duo cumprimis mala, Simoniam & concubinatum Sacerdotum (quæ vitia, pravo Regis exemplo, per Germaniam invaluerant) exstirpanda suscepit; ideo & cum Rege collisus, & multorum etiam Scriptorum Schismaticorum iniquis scriptis traductus. Quæ tanto plausu excipiuntur ab hæreticis nostrorum temporum, quanto illi hereditario suæ hæresis odio

Mortuo Alexandro II p. m. subrogatur Gregorius VII.

odio in Romanum Pontificem flagrant; cùm tamen Pontifex hic aliorum Scriptorum judicio, quos apud Baronium & Gretzerum legas, divino munere sit datus, qui constantia animi & religionis ardentissimo fervore, collapsam Ecclesiæ disciplinam, & Apostolicæ Sedis auctoritatem asseruerit. Ejus vel inde nobis memoria prætermittenda non fuit, quòd in epistola ad Annonem Archiepiscopum scribat, se in Ecclesia Coloniensi fuisse enutritum, commendetque illi castitatem cleri, & in alia etiam epistola, compositionem controversiæ; quæ ob decimas inter Osnabrugensem Episcopum & Corbeiensem Abbatem, atque Abbatissam quandam (Herivordiensem dixeris) dudum agitata, nondum decisa erat.

Annus Christi 1074.

Gregorij VII Pont. 2.
Henrici IV Reg. 19.
Imadi Ep. Pad. 23.

Conventus Corbeiensis, in quo actum de pace.

Jam dies anni insequentis aderat, quo Corbeiæ quoque conventus Episcoporum ac Principum constitutus erat. Convenêre post Epiphaniam Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi, hortatique magnopere sunt Saxonum oratores, ut ab oppugnatione Castellorum exercitum deducerent. Indignati adhæc Saxones, negant se facturos, objurgando vehementer Archiepiscopos, quòd quæsitis deliberationibus & inducijs sibi opportunitatem rei bene gerendæ subtraherent, ut Regis artem & audaciam alerent; ne qua tamen pertinacia viderentur pacem defœdare, pari omnium consensu, alius Frislariæ ad initium Februarij statutus est, in quo Rex præsens objecta crimina purgaret; id si non præstaret, omnium Principum sententia ad electionem novi procederetur. Rex qui Wormatiæ Natalem Christi agebat, & modico aulæ victu trahebat vitam, his Saxonum responsis offensus, omnium per Imperium vires, & arma implorat. Abnuunt illi (Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis, Argentinensis Episcopi: Dux præterea Lotharingiæ, Bojariæ, Sueviæ & Carentinorum) omnem opem, palam asserendo, fas sibi non esse pugnare contra innocentes, qui extrema necessitate adacti, arma induissent. Rex nihilominus collectis, quas licuit, copijs, 6. Calend. Februarij, frigidissimo cœlo, Wormatiam egressus, per rivos & constricta glacie flumina Herveldiam progressus est; cui obviam prodière 40000, castra metati in ripa Werræ amnis. Rex tanta armatorum multitudine territus, primò Abbatem Herveldiensem in castra Saxonum præmisit, sciscitatum de pace; ad quam cùm non alienos se ostenderent Saxones, haud multò post quatuor misit Episcopos; & hi retulerunt, non alia lege Saxones pacem velle, quam ut castella dirui juberet: Ottoni Bojariæ Ducatum redderet: Moguntino, Coloniensi,

Quæ tandem certis conditionibus positis coaluit.

Rudol-

Rudolpho Duci, omnibusque, à quibus hac dissensione offensus sit, impunitatem & libertatem daret. Dura hæc Regi visa, multumque obluctabatur; tandem persuasus à suis xv Episcopos (quos inter Imadum Paderbornensem numeres) convenire permisit, consulturos de pacis conditionibus; quas cùm omnes in congressu publico, ut Saxones proposuerant, æquas probassent, Rex quoque etsi ægrè in eas consensit. Tum verò Saxones Regem in Goslariensem urbem introducere & omnia fidei obsequia offerre. Sed lubricus ac fallax Rex cùm rursum pacta violare tentaret, parum abfuit, quin Saxones armati in urbem incurrerent. At obstitêre Liemarus Bremensis, Eppo Citicensis, & Benno Osnabrugensis Episcopi, assidui apud Regem Consiliarij, & jam ante sedibus suis exuti; qui ut sua retinerent, Regem intra pacta continuêre. Inde igitur pacata Saxonia, Rex Wormatiam repetijt; & Paschate Bambergæ exacto, Nurimbergæ legatis Pontificis occurrit. Aderant illi, ut secundum decreta Romanæ synodi impias sacerdotiorum nundinationes & Sacerdotum conjugia rescinderent, collapsamque Ecclesiæ disciplinam in integrum restituerent, quarum legationem Rex illusit, irritamque fecit.

Saxones in demoliendis castellis modum excedunt.

Saxones à Regis discessu exultantes, uno omnes nisu & conspiratione castella cervicibus suis imposita evertunt, interque hæc Hartesburgum duobus milliaribus Goslaria dissitum aggressi, modum excessêre. Nam cùm ex pacto muris tantum nudandum esset, vulgus & agricolæ ex circumpositis locis, aspectu prioris calamitatis exacerbati, conglobatique ferarum instar non modò, quod reliquum erat, muros dejiciunt, munimentum solo æquant: sed & in sacra debacchati, fractis altaribus, direptis thesauris, disjectis Divorum reliquijs, templum elegans, quod Canonicorum congregationi paratum erat, injectis ignibus exurunt, isque furor erat, ut Regis filij, quem istic humatum diximus, & regij fratris ossa tumulo extracta disjectaque. Adeo nihil moderatum apud plebem, laxatis semel justitiæ frenis. Magnopere hoc facinus populi perculit ipsos Saxoniæ Principes; quòd & se inconsultis & inscijs perpetratum esset, ne ex illo violatæ pacis Rex captaret vindictam publicam. Quare legatos misêre ad Regem, qui excusarent, seseque purgarent, pacem pollicendo se sanctè servaturos, & castigaturos reos. At Rex efferatus, omnia malignè interpretari, minitarique ultionem: & postremùm Pontifici scribere hanc violationem, qua suam simul causam adversus Saxones ostentaret æquam. Auctor est Bruno, plerosque Saxones per id tempus aut ad Regem desciviſſe, aut inter partes medios se quietosq; gessisse, præter Magdenburgensem, Halberstadiensem, Mersebургensem, & Paderbornensem, qui Imadus fuit, Episcopos, eóque non nisi tertiam Saxoniæ partem sustentasse bellum, quòd Westfali cumprimis, & qui circa Misniam incoluêre, auro corrupti in Regis partes secesserint.

Unde iterum exacerbatus Rex.

Bruno de bello Saxonico.

Crantzius l. 5. metrop. c. 8.

secesserint. Exaggerat id factum Crantzius in Westfalis, quod Saxonum nomen perosi, inter Saxones censeri noluerint; sed quo errore, aut quanta potius injuria gentis nostri id scripserit Crantzius, vel ex eo manifestum est, quod Westfali antiquissimi Saxonum censeantur: neque unquam nomen illud indecorum habuerint, ex quo primam gentis sibi gloriam vendicârunt. Ad pacem certe cum Rege plerosque proniores fuisse satis æstimes ex epistola Friderici Monasteriensis Episcopi ad Magdenburgensem Archiepiscopum, qui eum commonefacit, ut quocunque modo fas sit, pacem cum Rege componat.

Tumultus Coloniæ contra Archiepiscopum.

At fœda hoc anno Coloniæ seditio civium, & rebellio in Annonem Archiepiscopum suum, quæ ex factione Regis & pravo Wormatiensium exemplo, qui Episcopum suum ex urbe ejecerant, credita est audaciam sumpsisse. Prolixè eam eleganterque describit Lambertus. Aderat Archiepiscopo Fridericus Mimigardevordensis Episcopus ad celebritatem Paschatis pro familiaritate evocatus. Festis peractis, jubet Archiepiscopus per ministros navim parari ad evectionem Episcopi: illi dum obviam in littore prædivitis mercatoris navim arripiunt, & transportatis ex ea mercibus expediunt, obluctantur nautæ famulique, & rem ad mercatorem deferunt. Erat mercatori filius juvenis, audax, & magna apud cives gratia: is ad navim provolat, Archiepiscopi ministros per vim exturbat; tantoque mox tumultu urbem implevit, quo in ipsam primus Archiepiscopi cum Mimigardevordensi Episcopo cœnantis domum factus est impetus. Tela furiosè contorquent, saxa jaciunt, fores perfringunt, cæsisque obvijs omnia diripiunt. Inter hæc Episcopi clam elapsi in vicinam D. Petri Basilicam, fores vectibus, & magnis molibus obfirmant: insequuntur conglobati cives, Basilicam obsident, telis saxisque oppugnant. Ibi cùm Archiepiscopi ministri fortiter obsisterent, & Basilicam castelli instar defenderent, producta est in seram vesperam oppugnatio; dum beneficio noctis Archiepiscopus per angustum exitum elapsus, penetraret in ædes Canonici muro Civitatis inhærentes; repertoque istic ostio, quo per muros descensus patebat, noctu Novesium incolumis pervenit; quem Monasteriensis Episcopus eadem via per tenebras subsecutus est. Cives postquam inter spolia omnes Basilicæ angulos scrutati, didicère Archiepiscopum elapsum esse, Regem citatis nuncijs invitant ad urbem. Sed priusquam ille adesse posset, omnes per provinciam incolæ, audita tanti sui præsulis injuria, ultro accurrunt; quartoque post die Archiepiscopus stetit ad urbem cum exercitu. Quo conspecto, cives se ad arbitrium Archiepiscopi permisère; quos ille expiato per publicam pœnitentiam scelere, in gratiam recepit. Sexcenti mercatores, conscientia perpetrati facti, ad Henricum Regem profugerunt. Urbs exinde, tanquam

quam & Deus se vindicem hujus injuriæ in sanctissimum Episcopum ferret, in solitudinem propè redacta est.

Producunt Coloniensium scriptores præclaras tabulas ab Annone Archiepiscopo mense Octobri consignatas, quibus de controversis inter Colonienses & Novisienses Ecclesiæ bonis transactum. Testes hujus compositionis inter ceteros consignantur Aufridus Trajectensis & Meginhardus Paderbornensis Episcopus; cùm tamen ex omni Episcoporum nostrorum numero nullus inter hos Meginhardus; Meinwercus, opinor dicere voluerunt; sed nec ille, nec Aufridus hæc tempora attigit; obijt enim Aufridus anno Christi 1008, ut fasti Trevirensium Episcoporum docent, quocum Meinwercus etiam Ottone Imperatore vixit, ut in his Annonis literis error obrepserit, cùm non alius hoc anno Paderbornensis Episcopus, quàm Imadus noster, qui testis esse potuit. Quare verisimile habeas, bis in causa hac conventum fuisse, semel sub Heriberto Archiepiscopo circa annum 1008, cui tractationi Meinwercus interfuerit; iterum sub Annone Archiepiscopo, in quo congressu hæc controversia tandem decisa est.

Gelenius in auctar. ad vitam S. Engelberti.

Annus Christi 1075.

Gregorij VII Pont. 3.
Henrici IV Reg. 20.
Imadi Ep. Pad. 24.

Consequitur nunc annus MLXXV, Saxoniæ funestissimus, mitior Westfaliæ, quòd & Episcopus noster, & Fridericus Monasteriensis, ceterique Episcopi ac Comites per Westfaliam conjuratione Saxonum jam sese subduxerint: neque Henricus Rex tam Westfalis, quàm Ostfalis & Thuringis jugum servitutis intenderit. Rex superioris anni vastatione, qua Hartesburgum everterant Saxones, efferatus, per superiorem Germaniam Principes & populos ad bellum sollicitat; celebratisque Argentorati Natalitijs Christi, Moguntiam descendit. Inde Wormatiam digressus, ibidem Pascha peregit, convocatis in concilium Principibus Regni, quos ad VI Junij Herveldiæ cum instructis copijs adesse jussit, in Saxoniam ducendis. Horum alios precibus, alios promissis, quosdam minis attraxerat ad arma. Saxones & Thuringi, cùm crebris legationibus nihil ab obfirmato Rege, neque à ceteris Principibus obtinerent, sæpéque etiam eorum legati cum probro rejecti essent, denuo conjurant. Quos inter Principes Wicelus Magdenburgensis Archiepiscopus, Bucco Halberstadiensis, Otto exauctoratus Dux Bojariæ, Hermannus & Magnus Duces Saxoniæ: præterea Marchiones ac Comites, ac tota nobilitas cum conjuratis populis; offerebantque Luititij Sclavi Polonique, si quid interea Dani molituri essent pro Rege, Saxonibus suam operam: his recreati brevi ingentem contraxêre exercitum.

Lambertus. Bruno de bello Saxonico.

Regis in Saxones, & horum in Regem nova conspiratio.

Auctor anonym. de bello Saxon. Poëta de bello Saxon. Marian. Scot. Vrsberg.

Expeditio Regis in Saxones.

Pentecoste Wormatiæ celebratâ indixit Rex profectionem. Convenêre Rudolphus Dux cum Suevorum, Welfus Dux & Ernestus Marchio cum Bavarorum, Bartholdus cum Carentinorum, Godefridus cum Lotharingorum, Theodoricus cum Mosellanorum exercitu. Evocati & Episcopi cum suis copijs, quos inter Coloniensis se excusavit, quòd impium diceret bellum à se expeti contra fratrem Magdenburgensem, & Consobrinum Halberstadiensem Episcopum. Jussi & Abbates adesse cum milite subsidiario, adeoque Wideradus Fuldensis Abbas, etsi altero pede claudus, & paralysi dissolutus jaceret, ad castra vehiculo raptus. Aderat & Dux Bohemorum, tanto agmine militum stipatus, ut se solum bello huic Saxonico gerendo jactitaret parem. Utrumne Westfali copias suas submiserint, non reperio auctorem, præter Poëtam, qui hoc bellum carmine descripsit, à quo Ripuarij, Belgæ, Westfali, & Frisij memorantur accessisse. Tantus per hæc confluxit & Teutonicorum exercitus (ut Lambertus refert) quantus à nullis retro sæculis est numeratus. Quo impius primùm Rex per civilia bella ferrum contorsit in viscera Saxoniæ, quod in Barbaros circum hostes, majorum exemplo, distringendum erat.

Poëta lib. 3. de Bello Saxonico.

Varius Regis cum Saxonibus conflictus.

Pervenerat jam Rex cum exercitu ad fines Thuringiæ, missisque exploratoribus didicit, Saxones numero haud impares esse; verùm ita suis fretus erat, ut diceret, nec à ferrea, nec adamantina acie robur suæ multitudinis perfringi posse. Consistebant Saxones prope Neustadium ad Unstrutum flumen: bidui itinere aberant regia castra. Ibi cùm intelligeret Rex inter epulas & pocula Saxones belli curas tractare, præcipitavit iter, famamque adventus prævertens, constitit ante castra Saxonum; quæ omnia consilio Rudolphi Suevorum Ducis agebantur; Saxones inopinata re primùm consternati, mox resumptis animis, non exspectato signo, è castris prorumpunt, unoque in hostes impetu feruntur. Aliud eo die, quæ quinta Julij erat, consertum est prælium, qui Saxonum erat furor; ac primùm Suevi, post Bojarij aversi in fugam. Jam tota acies Regis inclinabat, cùm à Rege submissi Lotharingi, Bohemi, ceterique Germani multitudine Saxones obruunt, & in fugam compellunt, frustra obluctante Ottone Duce, Saxonum Hectore. Decertatum à meridie in vesperam, magna utrimq; strage; Victi quidem Saxones, & trans flumen Unstrutum compulsi; sed magna pars è nobilitate Regis desiderata. Quare & biduum Rex in sepeliendis militibus consumpsit. E Saxonibus occubuit fortissimè pugnando Gebhardus pater Lotharij Imperatoris, quem ante paucos dies in lucem susceperat. Sævijt à pugna Rex in Saxones; nec tamen ultra Halberstadium progressus, cùm Saxones & Thuringi haud multò post Magdenburgi rursum in acie consisterent. Hinc reducto è Saxonia exercitu, jussit ad 11 Calend. Novembris ad expeditionem convenire in Gestengen. Inter hæc Saxones Hecilonem Hildesiensem

Marianus Scotus.

sem Episcopum cum legatis mittunt ad Regem, atq; ad omnia æqua se offerunt. Rex ad ea obfirmatus rursum in Saxoniam movet, Rudolpho licet Suevorum, Welfo Bojariorum, & Bartholdo Carentinorum ducibus, bellum detrectantibus, quòd implacabile Regis ingenium aversarentur, & fundi Saxonum sanguinem, non æqua satis causa probare possent. Rex interim collectis ceterorum populorum copijs, cum exercitu progressus Gestringam, quod nunc oppidum est ad confinia Hassiæ & Thuringæ. Occurrêre armati Saxones & Thuringi ad Northusium, & numero Regi pares, & animis ad pugnam alacriores, uti Bruno perhibet; sed ne per ipsos civili sanguine misceretur Regnum, rursum Archiepiscopum Bremensem Liemarum, Hecilonem Episcopum Hildesiensem, & Udonem Marchionem legatos mittunt ad Regem, obnixè postulatum, ut in castra ad se mittat, qui de pace transigant, quòd pronos se paratosq; ad omnia offerrent, quæ æqua peti possent. Triduum ea Regis cunctatio tenuit; tandem missi à Rege Moguntinus & Salisburgensis Archiepiscopi, Augustanus & Herbipolensis Episcopi cum Godefrido Lotharingiæ Duce, à quibus per preces inducti, ut Regi se dederent, sanctè ex clementia Regis promittentes, quod à victoria sperare possent. Tandem post longam disceptationem Regi se dedunt; productique in castra regia venêre Wicelo Magdenburgensis Archiepiscopus, & Bucco Halberstadiensis Episcopus, Otto Gottingensis exauctoratus Dux Bojariæ, Magnus Dux Saxoniæ, Hermannus Comes patruus Magni, Fridericus Palatinus Saxoniæ, Theodoricus Comes de Cadalenburg, Adalbertus Comes Thuringiæ, alijque Dynastæ, & viri è prima nobilitate Saxonica, cum ingenuis, quos virtus bello claros fecerat. Hos Rex distributos inter Principes suos in custodiam abripuit; nec multò post violata, quam dederat, fide, in extremas Regni partes, vel extra Germaniam in exilium deportari jussit. In hunc modum fallendo magis artibus, quàm prælio victor, Castella reparari mandat; peractoque Wormatiæ D. Martini festo die, in Saxoniam redijt, & Christi Natalitia Goslariæ celebravit, tam invisus omnibus, quàm perfidus in subditos. Hic exitus belli Saxonici, de quo eorum temporum Scriptores pro partium studio diversa tradidêre, alijs Regis, alijs Saxonum causam attollendo, quos inter nemo mihi Lamberto vel æquior vel certior visus.

Belli Saxonici, conclusa pace, finis.

Annum præterea hunc, ut idem Scriptor perhibet, multis calamitatibus insignem, potissimum lugubrem fecit obitus Annonis Coloniensis Archiepiscopi, quem secundo Nonas Decembris mors subtraxit. Res ejus præclarè gestas sanctissimamque vitam cùm idem Lambertus, tum Sigebergensis Cœnobij Monachus diligenter perscripsit, quem uterque in vita & post obitum multis miraculis clarum exhibet. Sidus certè Germaniæ & columen religionis per hæc

Mors S. Annonis Archiep. Colon.
Lambert.
Sigebertus Monachus.
Surius in Decemb.

conturbata tempora; quem & Fridericus Monasteriensis, & Jmadus Paderbornensis, ceterique integriores Saxoniæ Episcopi ex intima familiaritate, ut sapientissimum magistrum, Archiepiscopum, ac patrem suum coluerunt; quando, ut Auctor vitæ Meinvverci memorat, hi tres Episcopi Anno, Fridericus, & Jmadus inter tyrones cœlestis militiæ Paderbornæ in claustro religiosæ disciplinæ sub Meinwerco & literis & sanctis moribus exculti simul adolevêre, & singuli postea lumina Ecclesiarum suarum proluxêre in clero & populo; quibus nihil unquam cum corrupta Regis aula, cum pessimis Regis consilijs bellisque commune fuit. Et Jmadus, qui totus erat in ordinanda Ecclesia sua ac disciplina cleri conservanda, hoc anno prædium Morongam, quod Meinwercus à D. Henrico Imperatore donatum, destinatumq; ad Clericorum sui Collegij alimenta acceperat, quodq; Rotho Episcopus secundum donantis mentem Clericis attribuerat, ipse verò, ut Meinwercus ante fecerat, ad Episcopi bona retraxerat, nunc cognito damnatoque tandem errore suo, Collegio fratrum ita reddidit, ut perpetua sanctione firmum maneret. Quam in rem ipsas Jmadi literas, quas in crypta ad primorum Episcoporum sepulchrum consignavit, hic exhibemus.

Auctor vitæ Meinvv. n. 52.

Imadus restituit Canonicis suis prædium Morongamum.

Notum sit omnibus tam futuris quàm præsentibus, qualiter Imadus Paderbrunnensis Ecclesiæ Episcopus, memor humanæ fragilitatis, & æternæ in Christo retributionis, pro animæ suæ suorumque prædecessorum, Meinvverchi scilicet & Ruodonis Episcoporum remedio, nec non & pro divæ memoriæ Heinrici Regis, & primi Imperatoris, piæ recordationis, affectu curtem Moronga, in pago Moronga sitam, & ab ipso Heinrico Imperatore eidem Paderbrunnensi Ecclesiæ ad vestitum fratrum jam traditam, à Meinvverco Episcopo retentam, à Ruodone verò Episcopo ejusdem Successore postea fratribus redditam, ab ipso autem hacusque injustè possessam, patris & filii & spiritus sancti tactus miseratione, & fraterna ammonitus caritate, salubri pœnitentia ductus, fratribus suis ipsius Ecclesiæ Canonicis ad vestitus sui supplementum absque omni contradictione reddidit. Ea videlicet ratione, ut unus fratrum præter Episcopum & Præpositum eligatur, cui cum fraterna electione, & Episcopali consensu, hujus obedientiæ cura ingeratur: qui fideli dispensatione fratrum commoditati provideat, & bene administrando æternæ retributionis præmia acquirat. Quod ut inconvulsum & stabile jugiter permaneat, bannis episcopalibus confirmavit, & manu propria subscripsit, ut si quis unquam hanc ratam confirmationem voluerit infringere, perpetuo cum Juda proditore feriatur anathemate. Ego Imadus divina favente clementia Episcopus manu propria subscripsi. Actum Dominicæ Incarnationis Anno MLXXV. Indictione XIII. Regni autem Heinrici IIII. XVIIII. Episcopatus vero Immadi XXIIII. XV Calend. Septembris in crypta Paderbrun. Ecclesiæ, juxta sepulchrum Episcoporum, coram omni cleri & populi conventu & præsentia feliciter Amen.

Satis hæ literæ insignem Episcopi, satis cleri sui disciplinam, quem in claustro adhuc, & in communi vitæ societate continebat, testari poterunt. Quemadmodum D. Annonis, Friderici Monasteriensis, ceterorumque integeriorum per Saxoniam Episcoporum cura ac studium in hoc eminebat. Nec multum hac dispositione, donationeque Clericis suis ad sepulchrum primorum Episcoporum facta, superstes fuit Jmadus; tanquam ad id monitum in cryptam ad ossa primorum Episcoporum, quæ ipse in unum tumulum collegerat, Clericos suos convocasset, ut mortem quoque suam brevi imminere,

præsago

præsago monitu, indicaret: aut tanquam sancti illi Episcopi, quorum ossa composuerat, è turbulentis hisce temporibus ad suum in cœlis consortium invitassent.

Annus Christi 1076.

Gregorij VII Pont. 4.
Henrici IV Regis 21.
Imadi Ep. Pad. 25 & ult.

Qui consequitur annus MLXXVI, sub initium III Nonas Februarij, ut in necrologio Abdinghoviano, Bustorfiano, & Herisiensi notatum est, Imadum ex hac mortali vita ad immortalem sustulit. Annum hunc obitus præterea consignavit Lambertus Schafnaburgensis, & Gobelinus, satisque ex Successore Poppone, de quo post referemus, constabit. Quapropter fallitur Bruschius & Kersenbrochius, qui mortem ejus ad sequentem annum referunt. Præstantissimus certè, ut Crantzius eum commendat, Episcopus per viginti quatuor annos, quibus Paderbornensem Ecclesiam administravit; quemadmodum hæc, quæ de illo hactenus perscripsimus, commonstrare poterunt. Nam & Clerum suum primarium intra claustrum communis vitæ, ut à Meinwerco Episcopo consanguineo suo, primisq; Episcopis acceperat, pro veteri instituto continuit, & scholas Gymnasiumque omni scientiarum, & virorum doctissimorum numero habuit florentissimum, supra, quam omnes fere superiores Episcopi; quòd & ipse præsul per id tempus omni literarum genere esset eruditissimus, amantissimusque studiorum; uti hæc supra ex auctore vitæ Meinwerci relata sunt. Quæ singula illustrabat perpetuæ castimoniæ decus, religionis conservandæ proferendæque fervor, vitæque per omnia virtutum ornamenta integritas, qua constantia animi ad senium pervenit; nec promissis, nec minis adduci unquam potuit, ut ad Henrici impij Regis partes transiret, aulamve sectaretur, qui à Meinwerco educatus in clero, sub alijs religiosissimis Imperatoribus ac Regibus ætatem traduxerat: nec ulla vitiorum monstra conspexerat, quæ hoc Rege primum Ecclesiam ingredi cœperunt. Multas quidem hujus Regis donationes Ecclesiæ Trajectensi, Hildesimensi, alijq;, quarum Episcopos Rex ille sibi familiares habuit, factas lego; nullam tamen Paderbornensis Ecclesiæ ab Henrici liberalitate reperio; tanquam Regem hunc Episcopus semper aversatus, nec muneribus ejus capi voluerit, ne in societatem depravatæ aulæ Regisque veniret. Ac mihi percensenti omnem Imadi vitam dignus is videtur, quem inter primos sanctissimosque Saxoniæ Episcopos numerem; quo prisca cleri disciplina, & vitæ sanctioris vigor servatus sit, quem suomet exemplo ipse prius omnibus impresserit. Eò nunc cum antiquitate querimur, tam rara de tam egregio Episcopo ad nos pervenisse, ut nec sepulchri locus amplius monstrari possit. Id tantum reperimus, in necrologio

Imadi obitus.
Lambert. Gobelinus ætat. 6. c. 55.


Ejus virtutes.

Inter sanctos Saxoniæ Episcopos meritò censendus Imadus.

crologio Cathedralis Ecclesiæ statutum, consuetumq; fuisse, in annuo mortis die sacrificium funebre ad aram sub turri constructam peragere, tanquam in proximo aliquo, & inferiori Basilicæ loco, aut ad limina turris humatum corpus fuerit. Lege veteri forsitan adhuc obtinente, ne templa mortuorum cadaveribus fœdarentur, dum sensim mos sepeliendi in interiora, atque ipsos etiam choros penetraret. Qua religione ipse Imadus ossa primorum Episcoporum collegit, & in crypta, choro substructa, condidit; ac Meinwercus etiam in crypta Abdinghovianæ Basilicæ humari voluit. Interim tanta Imadi apud posteros existimatio virtutum, famaq; sanctitatis relicta fuit, ut Bernardus Episcopus noster, eo nomine IV, perpetuum cereum in anniversaria mortis die ad tumbas Rothonis & Imadi Episcoporum accendi ardereq; voluerit. Quam in rem ipsas Bernardi Episcopi tabulas producimus.

Ejus sepulchrum cultu Divorum honoratum.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Bernardus IV Dei gratia Patherbornensis Episcopus. Universis Christi fidelibus hujus paginæ inspectoribus in perpetuum. Ne ea, quæ rationabiliter acta sunt, processu temporis evanescant, præsentibus ac futuris Christi fidelibus notum esse cupimus, quod ad frequentem instantiam Abbatis & conventus de campo S. Mariæ, & maximè propter Deum, & etiam propter temporale subsidium benignè annuimus & licentiamus, quod sylva sterilis & inutilis pertinens prædio curiæ in Stapelhagen, quæ dicitur Elmenebroke, ad usum prædicti conventus exstirpetur, hac conditione, quod pro decima, quæ inde provenire posset, quatuor libræ ceræ annuatim in festo S. Galli Custodi majoris Ecclesiæ præsententur, de quibus libris cereus de libra & media in anniversario sancti Rothonis, & alius cereus æqui ponderis in anniversario sancti Imadi Episcoporum ponentur ad eorum tumbas. Ne quis igitur factum nostrum per aliquam calumniam possit in irritum revocare; præsentem paginam, hujus rei seriem continentem, sigillo nostro in memoriale sempiternum fecimus communiri. Hujus rei testes sunt Hermannus Camerarius, Volbrat de Elsen, Conrad Custos, Magister Ioannes, Iohan de Elsen, Albertus presbyter, Bertholt Vicarius, Iohan Notarius, & alii quamplures. Actum hoc anno Domini M.CCXXXVII. Indictione X. Anno Pontificatus nostri nono. Idus Ianuarii.

Forma  Sigilli.

Præclarum hoc Bernardi Episcopi testimonium de Rothone & Jmado. Nam dum tumbam utriusque Episcopi, ad quam anniversarius ille cereus est positus; dum præterea sancto nomine utrumque decorari legimus, pronum est in eam cogitationem venire, jam altero ab obitu sæculo utriusq; ossa humo levata ac publico etiam honori & cultui proposita fuisse; quales ætas illa ex viva adhuc cœlestium beneficiorum memoria, ex publica veneratione, consensuq; populi, & Episcoporum judicio inter Divos coluit. Verùm ut segnius posteriusque ævum nobis primorum Episcoporum res gestas; ita hunc pietatis quoque cultum obscuravit: neq; hæc ipsa constarent nisi ex hisce antiquitatum tabulis Ferdinandi Episcopi nostri beneficio in lucem venissent.

POPPO

POPPO

XIII.

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1076.

Gregorii VII Pont. 4.
Henrici IV Regis 21.
Popponis Ep. Pad. 1.

Sublato Imado Episcopo, sedes per aliquot menses vacua sine Episcopo est relicta, per turbulenta, quæ intervenerant, Regis tempora: quòd subtractâ clero libertate eligendi Episcopum, ipse sibi, per Germaniam & Saxoniam cumprimis, vendicaret potestatem imponendi Episcopos, quos ad sua studia & consiliorum machinationes obnoxios haberet.

Rex verò à Natali Christi Goslariæ hyemem hoc anno 1076 agebat, solùm intentus ad vexandos Saxones, quos jam sub jugo servitutis tenebat, Ducibus eorum apud diversos suæ factionis Episcopos & proceres in castellis & captivitate detentis; nec illorum solùm vitæ insidiatus, sed Rudolphum Suevorum, Bertholdum Carentinorum, ceterosque, quos hactenus fidos habuerat, per insidias obtruncare molitus est. Uti hæc Bruno scribit; memoratque idem Auctor, Henricum Regem, dum quadam die cum scurris & mimis versaretur in cubiculo, & Episcopi ceterique primates excubarent in vestibulo, dixisse ad assentatores suos. *Ecce isti sunt, qui regni mei divitias habent, et me meosq; in paupertate reliquerunt; quod si illi de medio essent ablati, ego cunctique mei familiares, quantis opibus abundaremus? Quare si viri estis, et divitias petitis, istos nunc Episcopos fortiter invadite, et omnia quæ possident, accipite.* Dictum hoc magno plausu arripiunt hæretici nostri, haud secus quàm Bennonis & ceterorum Schismaticorum scripta attolluntur ab alijs, qui impij Regis patrocinium susceperunt. Sed immemor Rex hæc bona à Carolo M. Ludowico Pio, ceterisque religiosis Imperatoribus ac Regibus donata esse Episcopis, clero, & Abbatibus; ac nunquam bello paceque Imperatores ac Reges ante ipsum feliciores fuisse, quàm cùm Episcoporum opera & precibus pugna-

Henricus Rex pergit vexare Saxones.
Lambert.
Bruno.
Ursberg.
Marian. Scot.
Sigebert.
Berthold.
Domnizo presbyt. in vita Mathildis.
Auctor vitæ Anselmi Lucensis Episcopi.

pugnarent. Palam olim fassus Carolus M. plus se eorum patrocinio apud Deum, quàm omni militari manu adjutum in bellis. Sat potens futurus erat Rex, si scurras & mimos, si concubinas ac perfidos ministros, si bella civilia intermisisset. Verùm in quas nunc turbas & calamitates mox est conjectus? Goslariam quidem ille omnes Regni Principes convocárat ad comitia, ut consuleret, quid de deditorum Saxonum capitibus faciendum esset; sed præter Bohemiæ Ducem pauci convenêre, jam Regis perfidiam & crudelitatem aversati; id tamen à præsentibus obtinuit, ut filium, quem habebat admodum puerum, Regem acceptarent. Ibi ex deditis Saxoniæ Principibus Otto Gottingensis receptus in gratiam, quòd hunc virum plus ceteris ob bellicam virtutem & prudentiam vereretur. Sed Otto, quàm gratus exinde Regi, tam invisus ceteris Saxoniæ Principibus. Aderant per id tempus Goslariæ Coloniensium legati, à clero & populo missi, sollicitantesque in locum Annonis Archiepiscopi successorem. Quibus Rex Hildolphum quendam Goslariensem Canonicum obtulit, hominem statura parvum, vultu deformem, genere obscurum, omnibusque scientiæ & virtutum præsidijs destitutum, quibus tanti sacerdotij munus sustineret; quem cùm legati abnuerent, re infecta, rediêre Coloniam. Sed ejusmodi Episcopos quærebat Rex, quibus factionem suam præmuniret. Interque hos lascivos etiam juvenes Bambergensi, & Spirensi, alijsque Ecclesijs obtruserat, monstra potius Episcoporum quàm Episcopos; quod inter cetera quoque ejus crimina, quibus Ecclesiæ per Germaniam & Saxoniam defœdabantur, damnabat Romanus Pontifex, secus quàm parens & avus ceterique religiosissimi Imperatores fecerant, à quibus probati maturique in clero viri, aut præstantes Cœnobiorum Antistites, ob virtutem & sapientiam delecti Episcopi. Sed mox Goslariam accessêre ipsi Romani Pontificis Gregorij VII legati, qui Regem postulavêre Romam, ut de criminibus ipsi objectis causam diceret in Episcoporum synodo; id nisi faceret, fore ut publico Apostolicæ sedis judicio ab Ecclesiæ corpore abscinderetur. Hæc legatio vehementer perculit Regem; statimque abjectis cum gravi contumelia legatis Romanis, Wormatiæ synodum Episcoporum indixit, jussitque Dominica septuagesimæ præsentes esse; haud alio pravorum suorum ministrorum consilio, quàm ut in ea Gregorio VII Pontificatum abrogaret; tanquam cum regno supremum sacerdotium consecutus esset. Convenêre præter Abbates in hanc synodum XXIV Episcopi Germaniæ, quos inter Urspergensis, & Albertus Stadensis nullum Saxoniæ Episcopum interfuisse scribit. Quanquam ex his Liemarus Bremensis, & Benno Osnabrugensis præsentes fuêre, perpetui à latere Regis comites, aulæque ministri. Quòd verò Stumphius in historia Helvetica Imadum Paderbornensem Episcopum nostrum huic synodo præsentem sistat, magno-

In conventu Goslariensi filius ejus Rex acceptatus.

Hildolphum Henricus Coloniensibus offert Episcopum.

Postulatur Romam.

Synodum Wormatiæ convocat, in qua Gregorio Pontificatum abrogat.

magnopere hic scriptor fallitur, cùm jam ante Jmadus III Nonas Februarij, ut diximus, excesserit è vita, & Gregorij VII Pontificis & Apostolicæ Sedis studiosissimus fuerit. Igitur cùm in eo conventu, præsente Rege, complures essent Episcopi, quibus exosa esset Pontificis auctoritas, severitasque in castigando cleri concubinatu, & Simoniæ malo (ob quæ vitia tot Epistolas scripserat ad Moguntinum, Coloniensem, & Salisburgensem, ceterosque Archiepiscopos, & Episcopos) facilè Rex eos in suas partes attraxit. Et cui jam mirum, Deo vindice, tot calamitatibus Germaniam involutam, quam tot fœda libidinis & Simoniæ mala, corruptâ Ecclesiæ disciplinâ, vitiârant? Accessit per id tempus Hugo Blancus Cardinalis, à Pontifice ob pravos mores ejectus, Wormatiam, & congregatis Episcopis obtulit libellum, falsis in Pontificem accusationibus plenum. Episcopi, qui factionis erant Regiæ, pronunciârunt, Gregorium videri indignum, qui Pontificatum gereret, & cui ceteri per Germaniam Episcopi obedirent. Auctor horum Wilhelmus Ultrajectensis Episcopus, homo fictus factusque ad Regis ingenium; quantumvis id Scriptores ejus Ecclesiæ dissimulare velint. Obstitêre his acriter alij Episcopi, Gebehardus cumprimis Salisburgensis Archiepiscopus, Adalbero Wirceburgensis, Hermannus Metensis, Adalbertus Wormatiensis, Altmannus Pataviensis, Ellenhardus Frisingensis, Cibo Tullensis Episcopi, asserentes iniquum esse Episcopum aliquem nullis adductis testibus, nullis probatis criminibus condemnare: ne dum Romanum Pontificem, sacrosanctum Episcoporum caput, adversus quem, legibus & more malorum, neque Episcopi, neque Archiepiscopi reciperetur delatio. Quorum judicio, pressus Wilhelmus Ultrajectensis, non à se, inquit, exauctorari Pontificem, sed id agi, ut se ultro abdicaret. Stolida synodi sententia, primam sedem, quæ à nullo judicatur, paucorum in Germania Episcoporum judicio posse damnari. Interim ex hoc nefario decreto in gratiam Regis missi legati Romam, qui hæc Pontifici denunciarent: missæque per Imperium literæ, quibus vetitum ullam Pontifici obedientiam obsequiumque præstare. Ita verò fœdum illud & funestum schisma inter sacerdotium & regnum exortum, quod tot annis afflixit Germaniam.

Beka. Heida. Bucherius.

Rex è conventu Wormatiensi Goslariam redijt; ac veluti jam omnium securus, in Saxones sævire cœpit: deditos Principes in ultimas provincias relegare: bona eorum aut Fisco addicere, aut diripere; in ceterorum possessiones spolijs atque igne grassari. Castella alia super alia exstruere. Sed priusquam Goslaria discederet, pridie Nonas Martij Coloniensem Archiepiscopatum Hildeboldo, de quo ante relatum est, dedit, frustra obnitente clero Coloniensi. Ac ne quæ populi seditio interveniret, ipse Coloniam est profectus; & Wilhelmo Ultrajectensi Episcopo Hildeboldum consecrandum obtulit:

Hildolfum per Trajectensem Episc. consecrari curat.

Heida in Episcop. Ultraject. Chron. Gelriæ. Scrivenus. Bucherius in notis.

quem ut ad id promptum haberet, Consobrino ipsius Episcopatum Paderbornensem, jam Jmadi morte vacuum, promisit. Verùm an is Consobrinus Poppo fuerit, Jmadi Successor, Lambertus, qui id scripsit, non planè dixit; tametsi verisimile habeas. Fuit enim Wilhelmus, ut Heida scribit, frater Comitis Gelriæ, seu Wichardi Præfecti, quem Vernacula lingua Vochtetum dicimus, filius Widekindi præfecti.

Poppo ex familia Dynastarum de Holte.

Kersenbrochius. Bruschius. Northov. in chron. Marcano. Meibom. in not. Ertman. in chron. Osnabrug. Gelenius.

Poppo verò Episcopus noster, cujus magistratum sacrum hoc anno ordimur, ex familia Dynastarum de Holte traditur à scriptoribus nostris. Clara hæc per id tempus in diœcesi Osnabrugensi, multique ex ea viri sago togaque præstantes. Arx horum Dynastarum quinto ab urbe Osnabrugensi lapide olim sita, præmunitaq; ex qua multum molesti Osnabrugensibus vicinisque Episcopis fuére. Philippus Osnabrugensium Episcopus, adjutus ope Comitis Ravensbergensis, arcem septenni obsidione fatigatam expugnavit, fregitque potentiam familiæ, ex qua postea Ecclesia Coloniensis Wicboldum LXVII Archiepiscopum circa annum Christi 1297 sortita est. Sed Poppo noster hanc prius Episcopi dignitate illustravit. Erat is à primis annis in Clerum cooptatus, ac postremùm Bambergensis Præpositus factus. Vir inter suos magnæ auctoritatis, zelique pro clero conservando.

Præpositus Bambergensis, magni Zeli.

Nam cùm Hermannus Bambergensis Episcopus, homo illiteratus, multisque à juventute vitijs coopertus, ac postremùm etiam simoniæ labe infectus, Abbatias venderet, omniaque Ecclesiæ illius Collegia Canonicorum in cœnobia Monachorum, ad scelera sua pallianda, expulsis ubique Clericis, converteret, cum reliquo clero indignè hæc ferens Poppo Bambergensis Præpositus, missa ad Gregorium VII legatione (qua omnia Episcopi flagitia exponebantur) auctor actorq; primarius fuit, ut Hermannus sententia Pontificis Episcopatu suo dejiceretur; quemadmodum hæc copiose scripta sunt à Lamberto Schafnaburgensi, diserto ac præstantis fidei scriptore. Ita Poppo cleri Bambergensis fulcrum, à prudentia se apud Henricum Regem in aula commendatum reddidit. Igitur in locum Hermanni Episcopi, Regis auctoritate, anno superiori subrogatus Rupertus Goslariensis Præpositus, vir pessimæ existimationis in populo; quòd Regi familiarissimus, omnium, quæ per has regni turbas agebantur, incentor haberetur. Et quo Popponem Rex abstraheret ab Ecclesia Bambergensi (ne eadem adversus Rupertum agitaret, ijsdem quibus Hermannus vitijs obnoxium) Paderbornensem illi Episcopatum, morte Jmadi vacuum obtulit. Interea Rex Trajectum profectus, Pascha cum Wilhelmo Episcopo, omnium facinorum suorum Consiliario & patrono celebravit. Atque is cùm inter Missarum solemnia, rabido, ut inquit Lambertus, ore contra Gregorium Romanum Pontificem declamaret, haud multò post discessum Regis gravi morbo correptus, inter acerrimos cruciatus, & desperationis voces, quibus se justo

Designatur ab Henrico Episcopus Paderbornensis.

Dei

Dei judicio inferorum supplicijs adjudicatum vociferabatur, animam sine sacra communione & pœnitentia ejecit. Qua vindicta Godefridus quoque Lotharingiæ Dux fax belli adversus Saxones, Antwerpiæ intorto per viscera ferro, dum alvum solveret, confossus: qua vindicis Dei pœna multi alij, quos Bruno percenset, impij Regis Consiliarij interiere. Rex ad superiores Rheni partes digressus Conradum Moguntini Archiepiscopi Camerarium Trajectensi Ecclesiæ præfecit, & per id tempus Popponem etiam Paderbornensi Ecclesiæ imposuit Episcopum, uti Lambertus perhibet, Regis, & Moguntini, aliorumque consilio, quo utrumque Episcopum Conradum & Popponem in suas partes traherent; quod tamen Regem in Poppone Episcopo nostro fefellit. Quo exinde tempore, aut à quibus? utrumne à Sigefrido Metropolitano suo Moguntiæ, quò paulò post Rex accessit, Poppo sit consecratus Episcopus? in annalium memoria non reperio.

Sanè in conturbatissima Imperij tempora Episcopatus ejus incidit. Enimvero postquam legati ab Rege missi Romam venêre, ac synodi literas Pontifici tradidêre, verbis etiam contumeliosis denunciantes, ut se Pontificatu abdicaret; Pontifex atrocitate nuncij permotus, postera die synodum cleri congregat, lectisque palam literis, Regem primò, deinde Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum, Wilhelmum Trajectensem, Rupertum Bambergensem Episcopos, ceterosq; anathemate percutit (jam ante Ottoni Ratisbonensi, & quibusdam alijs Pontifex sacris interdixerat) Quæ postquam in Germaniam delata, Rudolphus Dux Suevorum, Welfus Bojariorum, Bertholdus Carentinorum, Adalbero Wirceburgensis, Hermannus Metensis Episcopi, ac plerique Principes, qui jam antè convenerant, animosiores conjurant in Regis caput, ut quos deditos habebat Saxones, ultro liberos dimitteret; Saxones, qui mœrore exulum suorum Principum contabuerant, læti arma repetunt, Castellaque Regis oppugnant, frustra Ottone Gottingensi, quem in partes Regis transiisse diximus, obnitente; quem eo etiam adegêre Saxones, ut abducto ex Hartesburgo, alteroque monte præsidio militari, ad socialem cum Saxonibus vitam rediret.

Excommunicantur à Pontifice plures Germaniæ Episcopi.

Iterum à Saxoniæ Principibus conjuratur in Regem.

Rex compertâ Saxoniæ & ceterorum Principum defectione, in extremas angustias conjectus, quo se verteret? primò Wormatiæ festo Pentecostes conventum Principum indicit, consulturus, quid factu opus. Eò cùm rari accederent, Moguntiam festo Apostolorum Petri & Pauli supplex convenire rogat. Sed ab eo etiam congressu se subduxêre Principes, palamque Uto Trevirensis Archiepiscopus, Roma regressus, detrectavit cum Moguntino, Coloniensi, ceterisque Episcopis anathemate percussis communicare. Igitur cùm ab omnibus se deseri conspiceret Rex, nec pro ferocia ingenij armis quoque

Rex captivos Principes libertati restituit.

perfringere posset, per meliora consilia omnes Saxoniæ Principes, qui cum Magdenburgensi, Mersseburgensi, Misniensi Episcopis adhuc in custodia servabantur, libertati reddi jubet. Bucco sive Burchardus Halberstadiensis Episcopus, quem in Ungariam deportari jusserat, & Salomoni affini Regi custodiendum tradiderat, cùm secundo Danubio veheretur in exilium, mira solertia elapsus è navi, incolumis ad suos Halberstadium rediit. Et quàm incredibili ille omnium gaudio exceptus, tam invisus erat ante omnes Principes Regi; sæpeq; Regis insidijs ad mortem est petitus. Vir qui heroica fortitudine hactenus pro libertate Saxoniæ, & religionis integritate decertavit. Inter illa dum Rex in Bohemiam profectus, sollicitatum Bohemorum auxilia: & Salefeldiam ad Thuringorum fines evocavit Ottonem Gottingensem, collocuturus de Saxonia compescenda; Episcopi ac principes regni primùm Ulmæ, deinde Triburiæ 17 Calend. Novembris conveniunt; quò jam accesserat Sigehardus Patriarcha Aquileiensis. & Altmannus Pataviensis Episcopus, Pontificis legati, Rege se intra Oppenheim villam continente. Ex eo conventu denunciatum Regi, ut cum Pontifice & Ecclesia se reconciliaret, in ejusque arbitrio jus Regni relinqueret; vitam interea privatam Spiræ agendo, pessimos Regni Consiliarios, cumprimisq; Episcopos à corpore Ecclesiæ præcisos, abs se dimitteret. Dura hæc Regi erant; sed quod desertus ab omnibus, in eam necessitatem venisset, Coloniensem, Bambergensem, Argentoratensem, Basileensem, Spirensem, Losannensem, Citicensem, & Osnabrugensem Episcopos, ceterosque pravorum consiliorum architectos aula egredi jussit. Veritus deinde ne Augustæ, quò Pontifex maximus à Germaniæ & Saxoniæ proceribus invitatus erat, coram infestissimis accusatoribus judicium subiret, prius ipse Italiam petere, & Pontifici se sistere decrevit, iterque illud mense Decembri ingressus est. Recognoscent, ex his, opinor, Saxones nostri Germanique, quam auctoritatem agnoverint majores ipsorum in Romano Pontifice, appellando toties ad Apostolicam sedem, quo impij & crudelis Regis dominatu, qui se lupum potius Saxoniæ, quàm Pastorem ferebat, liberari tandem possent, aliumque ex suprema ejus in Ecclesiam potestate subrogare.

Cum Ecclesia & Pontifice se reconciliare statuit.

Turbato in hunc modum Imperio, non modò Episcopi ceterique Principes, sed & Abbates ac Monachi in factiones abierunt, alijs pro Rege, alijs pro Gregorio Pontifice decertantibus; quos inter Corbeienses nostri ad Visurgim; ex quorum numero etiam Bernardus Monachus, vir eruditus, & Scholarum in illo Cœnobio moderator, prolixam accuratamque adversus schismaticum Regem, omnemque illam Regis factionem apologiam conscripsit, quam Hartwico postea Magdenburgensi Archiepiscopo dedicatam, publici juris fecit. Hoc studio Monachus quidam Hirsaugiensis, aliiq; Pontificis

Alij Pontifici, alij Regi adhærent.

Lesnerus in chron. Corb. Cleinsorg. in chron. MS.

tificis

tificis defensionem suscepêre. Contra alij regiæ factionis schismatici que multa calumniosè ac perfidè scripsêre in Gregorium Pontificem; quos inter scriptor Apologiæ pro Henrico Rege, quem ex Fuldensi bibliotheca malè protulit Ulrichus Hultenus, transfuga ex eodem Cœnobio ad Lutheranos Monachus. Accedit Benno Cardinalis (quem Ursbergensis perperam Brunonem vocat) Schismaticorum patronus & antesignanus, à quo vita Gregorij VII Pontificis per mendacia & calumnias conscripta, ex eoq; ab hæreticis nostris ista convitia Ursbergensi chronico inserta leguntur; tum quidquid istiusmodi Schismaticorum fuit. Ita verò alij gladio, alij calamo per id tempus depugnârunt, ut quemq; vel pro impio Rege, vel pro optimo Pontifice studium inflammârat; vidissesque in hoc fœdo schismate hæresis nostræ præludia; tantúmque deerat Lutherus aliquis, vel Calvinus, qui ex concubinatu Clericorum, Simonia præsulum, spolijs bonorum Ecclesiasticorum, & vitijs Monachorum ac populi, tubam hæresis inflaret, omniaque hæc libera esse doceret, quæ contra divina & humana jura tum agebantur.

Baron. ad hunc annum Christi 1076.

Annus Christi 1077.

Gregorij VII Pont. 5.
Henrici IV Regis 22.
Popponis Ep. Pad. 2.

Et jam Rex XXV Januarij ex Burgundia, sæva hyeme, per Alpes in Italiam pervenerat, ut intra constitutum anni tempus anathematis vinculo solutus, Ecclesiæ & Pontifici reconciliaretur, nec jus Regni amitteret. Protinus igitur ad Canusium, ubi tum Pontifex intra Castellum triplici muro cinctum morabatur, venit vulgari habitu, nudis pedibus, supplex veniam petiturus. Atque ad portam Oppidi intra primi muri septa, sub dio, perfrigidaque tempestate, jejunus exspectavit ad vesperum, quod cum iterum, ac tertiò fecisset, quarto tandem die, Mathilde potentissima Italiæ fœmina, Azzone Marchione, atque Hugone Cluniacensi Abbate, à quo Coloniæ è fonte baptismatis susceptus erat, pro Rege deprecantibus, ad Pontificem est admissus; & postquam jurejurando fidem dederat, se in Pontificis potestate futurum, atque in Augustano concilio objecta crimina deleturum, absolutus est sub ea conditione, ut, nisi promissa fecisset, jure Regni excideret. Non facilè illustrior pœnitentiæ species in Rege, quam advolutus ad pedes Pontificis fecit. Sed illa mox perfidiâ violata; nam ut primùm à Pontifice discessit, in ipsa Italia à Guiberto Ravennate Archiepiscopo, ceterisque Italicæ factionis Episcopis in transversum actus, ad ingenium & priorem pertinaciam redijt, multa adversus Pontificem, multa adversus alios molitus. Quam in rem Liemarum Bremensem, Bennonem Osnabrugensem, Epponem Citicensem

Henricus in Italiam profectus pœnitentiam agit.
Lambert. Bruno. Bertholdus Domnizo in vita Mathildis. Sigonius.

Sed mox ad ingenium redit.

ticensem, & duos Burchardos Episcopos Lausanensem & Basileensem, ceterosque factionis suæ proceres in Oppenheim ad aulam revocavit. Quibus cognitis, & Pontifici etiam significatis, Moguntinus, Wirceburgensis, & Metensis Episcopi: Rudolfus Suevorum, Welfus Bojariorum, & Bertholdus Carentinorum Duces 3 Idus Martij, Forchemij Comitijs indictis, Henrico imperium abrogant, & Rudolphum Suevorum Ducem, virum armis, pietate, & virtute præstantem, Regem creant, quem 7 Calendas Aprilis Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus in congressu Episcoporum ac Principum Moguntiæ Regem consecravit; ea lege, ne Sacerdotia venderet, nec coronam sibi hereditariam vendicaret. Rex novus haud multò post apud Augustam Paschate celebrato, & Principum conventu ad Ezzelingam habito, in Saxoniam digressus, convolantibusque ad signa ejus Saxonibus, cum exercitu Herbipolim petit, urbemque Henrico fidam unius mensis obsidione expugnat. Ibi dum in castris oppugnatione retardatur, mense Augusto lento gradu accedit Henricus Rex, resumpta Ulmæ coronâ, cum ingenti Bohemorum & Bojariorum multitudine. His Rudolphus Rex, motis castris, ad Nicrum flumen occurrit, hoste in altera ripa considente, nec auso prælium inire; ita tanquam per inducias discessit ab armis Henricus in Bojariam, Rudolphus in Saxoniam reduxit ad hiberna copias.

Henrico deposito, in Regem eligitur Rudolphus Suevorum Dux.

Hoc anno Henricus Rex Bennoni Osnabrugensi Episcopo, quem cum Liemaro ex Saxoniæ Episcopis sibi conjunctissimum habuit, decimas à Corbeiensibus & Hervordiensibus olim ablatas, publico diplomate Ratisbonæ consignato, reddi mandavit. Dignæ antiquitatis tabulæ, à Cleinsorgio relatæ; sed quia vernacula lingua hasce, uti ceteras, magno posteritatis damno exhibet: neque ipsum ex latina lingua exemplar pro prisca fide suppetit, rem paucis expediamus. Multis jam annis hæc controversia agitata, ex quo ob Goswini tertij Episcopi conspirationem contra Ludowicum Pium Imperatorem pleræque decimæ ejus Ecclesiæ Corbeiensi Abbati, & Herivordiensi Abbatissæ intra nostram dioecesin attributæ. Igitur ut consequentes Episcopi, ita Benno, cùm gratia apud Regem multum valeret, eas repetijt, annoque superiori in synodo Wormatiensi 20 Episcoporum & 10 Abbatum jus suum exposuit, omniumque consensu Decimæ Bennoni adjudicatæ sunt. Quam in rem produxit Hadriani, Leonis, aliorumq; Pontificum literas, Wihoni primo Osnabrugensi Episcopo haud secus, quàm ceteris per Saxoniam Episcopis, à Carolo M. omnes suæ dioecesis decimas esse donatas; neque adversus hæc Abbas Corbeiensis aliud proferre potuit, quàm Meppiam Cellam sibi à Ludowico Pio, & Herivordensi Abbatissæ Bimidi Ecclesiam esse datam. Adhæc Benno protulit Ludovici Pij, Henrici I, trium Ottonum, aliorumque Imperatorum tabulas; qubus ab Episcopis

Benno Episc. recuperat decimas Ecclesiæ Osnabrugensi olim ablatas. Ertvv. in chron.

& clero synodi lectis approbatisque, Henricus Rex Ecclesiæ Osnabrugensi decimas ex integro tandem reddi imperavit.

Annus Christi 1078.

Gregorij VII Pont. 6.
Henrici IV Regis 23.
Popponis Ep. Pad. 3.

At Rex ab æmulo suo per id tempus arduis magis obvolutus; cùm jam Germania duos Reges haberet, & scissa inter se civilibus armis dissideret, alijs Episcoporum ac Principum pro Rudolpho Rege, alijs pro ipso decertantibus. Eoque Henricus Rex, qui in superiori Germania partes suas firmabat, furore abripiebatur, ut Episcopos è tota Bojaria ac Suevia exturbaret, eos quos aut Romano Pontifici adhærere, aut sibi adversari comperiebat, & in eorum locum suæ factionis Episcopos & Schismaticos præsules obtuderet Ecclesijs. Quos inter Altmannus Pataviensis Episcopus exul, ut referemus, Paderbornam profugit, iniquo etiam odio præcipitatus in fugam. Nam cùm Altmannus Episcopus, pro egregia in Romanum Pontificem, & disciplinam cleri formandam religione, Pontificis literas è pulpito pro concione recitasset, quibus concubinæ interdicebantur, Engelbertus Præpositus & scholæ magister, tanto furore debacchatus est in Altmannum Episcopum, concitando clerum & auditores, ut, ni Deus singulari beneficio extraxisset periculo Episcopum, ex templo à Clericis discerptus perijsset; ita Henrici Regis patrocinio & exemplo, hæc vitia passim libera erant, quæ sub alijs religiosissimis Imperatoribus ac Regibus per Episcopos severissimis pœnis castigabantur. Nullique tum magis invisi erant, quàm boni synceriq; Episcopi, qui disciplinam cleri, & impios Regis mores corrigendos susceperant. *Bruno. Bertholdus. Paulus Bern.* Henricus plures Episcopos è sedibus suis pellit.

Verùm Rex, quo Rudolphum Regni æmulum, Saxonesque debellaret, quàm potuit validum contraxit exercitum, quocum in Saxoniam movit. Nec segnior Rudolphus, conspirantibus Saxoniæ Episcopis & Principibus, in aciem prodijt. At quo minus Suevi se jungerent Saxonibus, concursum prælio 7 Jdus Augusti in loco, quem alij Molrichstenheim in Franconia ad Strowam seu Stowim amnem, alij Stronawiam in Hassiæ finibus designant. Tessera militaris Saxonibus erat Sancti Petri; Eo alterum cornu Rudolphus, Wizelo Magdenburgensis, Sigefridus Moguntinus Archiepiscopi, Wernerus Merseburgensis, Adalbertus Wormatiensis Episcopi cum legato Pontificis: Alterum Otto Gottingensis exauctoratus Bavariæ Dux, qui jam ad Saxonum partes redierat, & Fridericus Palatinus ducebant. Coortâ pugnâ, Episcopi, in quos vis incumbebat, in fugam abjecti; quòd ad aram magis edocti stare, quàm in acie. Magdenburgensis in prælio cæsus, Moguntinus, Wormatiensis, ac legatus Pontificis ægrè Cum Rudolpho electo Rege confligit. *Bruno. Marian. Scot. Ursberg.*

se

se subduxêre, quo minus in hostium potestatem venirent. Rudolphus tot legionibus nudatus acie excessit paulisper. Sed tanto acrius pugnatum in altero cornu, Ottone & Friderico fortissimis Ducibus, quibus profugi ex altera ala sese conjunxêre Saxones, certi conjuratique per gloriosam mortem potius occumbere, quam turpi fuga servari. Protractum pertinacibus animis prælium, editaque immanis strages per Rudolphi legiones; quas cùm sustinere non posset Henricus, ipse totum agmen secum in fugam abstraxit, nec prius fugiendi finem fecit, quàm tredecim leucarum spatium emensus, Herbipoli intra mœnia consisteret. Moguntinus Archiepiscopus ex hostium manibus magno Saxonum gaudio retractus: Fridericus Palatinus cum victore milite ad castra diripienda se vertit: Otto fugientes continuata cæde insecutus. Subinde Henricus Rex collecto Ratisbonæ exercitu iteratam in Saxoniam expeditionem parat. Post ubi edoctus Saxones 60000 armatorum multitudine stare in campo, in Sueviam deflexit, in eaque per mensem Novembris miles omnia sacra profanaque depopulatus est.

S. Altmannus Episc. Patav. Paderbornæ exulat.

Inter hæc Altmannus Pataviensis ab Henrico & clero suo ejectus, exilij locum quæsivit Paderbornæ, ubi in clero enutritus erat, & scholarum moderatorem egerat; receptusque est benignè à Poppone Episcopo, & optimis in clero amicis suis. Tanto verò istic sanctissimo Episcopo jucundior vita erat, quanto clerum Paderbornæ integriorem, quàm Passavij inveniebat (stabat namque adhuc Paderbornæ intra claustrum vetus Cleri disciplina, qualem Meinwercus, Rotho, & Imadus formârant) Hi deinde duo Episcopi, Poppo & Altmannus, Ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli, quam ab incendio Monasterij Abdinghoviani Imadi & Popponis liberalitas instaurârat, solemni ritu consecrârunt, uti hæc Gobelinus, Crantzius & alij retulerunt. Satis opinor Altmanni exulantis apud Paderbornenses hospitium, & consuetudo cum Poppone Episcopo ostendit, tam Popponem, quàm Pderbornenses stetisse in communione cum Gregorio VII Pontifice, cujus legatum Altmannum tam libere humaniterque exceperunt: neque per has turbas se schismati Henrici Regis miscuisse; haud secus quàm universæ passim Saxoniæ Westfaliæque cum Episcopis suis Ecclesiæ fecerunt, præter Liemarum Bremensem, & Bennonem Osnabrugensem Episcopos, quos ob id factum Saxones passi non sunt intra suas diœceses consistere, eóque necesse habuêre aulam & castra Regis exulum in modum sequi.

Gobelinus ætat. 6. c. 55. Crantzius lib. 5. Metrop. c. 14. Auctor vitæ Altmanni.

Annus Christi 1079.

Gregorij VII Pont. 7.
Henrici IV Regis 24.
Popponis Ep. Pad. 4.

Proximo

Proximo abhinc anno Henricus Rex debilitatus clade superioris anni quievit; neque Rudolphus Rex, pacis amantissimus, arma intulit. Uterque interim Rex legatos suos Romam misit, quisque causam Pontifici probaturus. Ab Henrico missi Benno Osnabrugensis, & Verdunensis Episcopus. Pontifex coacto concilio, etsi Saxonum legati multa adversus Henricum Regem quererentur, nihil tamen statuere voluit, priusquam in comitijs Germaniæ coram legatis suis Henrici causa cognita, & facinora probata essent. Quod quàm ægre tulerint Saxones, constat ex epistolis eorum ad Pontificem missis, & à Brunone relatis. Excessit hoc anno Hildolphus Coloniensis Archiepiscopus, factionis Henrici tenax, homo parum frugi, & non nisi ad herbas domesticas datus, eóque, ut Conradus Monachus scribit, Deo vindice subtractus è vita; qualis plerorumq; Schismaticorum Episcoporum infelix exitus fuit. Subrogatus Sigewinus Archiepiscopus, Præsul innocentis vitæ, una tantum labe notatus, quod ad Henrici partes se incautius abduci passus.

Bruno. Berthold.

Defuncto Hildulpho Archiep. Colon. Subrogatur Sigewinus.

Per hæc pacis intervalla Poppo Episcopus Basilicam S. Michaëlis, rogatu Warini Corbeiensis Abbatis, quam ipse Abbas construxerat dotâratq;, in monte haud procul ab Oppido Huxtariensi solemnibus Ecclesiæ cæremonijs dedicavit. In qua celebritate Episcopus noster, præsente Ottone Duce & bellatore Saxonum, præclaram ad populum orationem habuit, in quam rem hasce antiquitatis tabulas proferre libuit.

Poppo consecrat Ecclesiam S. Michaëlis.

Conradus Monachus in vita Wolphel. Abbat. Brouvel.

Warinus Abbas Corbeiensis, Monasterij SS. Martyrum Stephani atque Viti, petitioni filii sui Humberti Monachi piè assentiens, Basilicam in monte quodam è regione nostræ civitatis in laudem Dei et venerationem S. Michaëlis Archangeli construxit, quam venerabilis Ecclesiæ Patherbrunnensis Episcopus Poppo dedicavit. Assignavit autem Abbas eidem Ecclesiæ pro sustentatione prædicti Humberti presbyteri, et Simonis conversi, cui Abbas piæ conversationis habitum tradidit, aliorumque ibidem Deo serviturorum cum consensu et consilio congregationis et familiæ sibi creditæ, de silva in qua Ecclesia sita est, ad XC jugera, et villulam Valahuson, et unum mansum in Averedessun, alterum in Aldenthorp, tertium in Werethon. Advocato Abbatis Ottone Duce assentiente, et traditionem hanc confirmante, ut et Episcopo Poppone in Dominica adventus sermonem ibi in conspectu totius cleri et populi habente, et prædicta Banno suo semel iterumque et tertio confirmante sub sigillo Episcopi et Abbatis 1079 ind. 2.

Annus Christi 1080.

Gregorij VII Pont. 8.
Henrici IV Reg. 25.
Popponis Ep. Pad. 5.

Bruno. Berthold. Ursberg. Marianus Scotus. Henricus à Rudolpho cæsus.

Annus posthæc insequens supra millesimum octuagesimus Saxones nostros è pace in cruentum bellum revolvit. Quippe Henricus Rex, non exspectato bellandi tempore, sub exitum Januarij cùm asperrima sæviret hyems, cum exercitu irruit in Saxoniam; constitique in acie apud Fladecheim (Bruno Flatecheim vocat) loco, ut alij, ad flumen Unstrutum, quò & Rudolphus Rex cum Saxonibus movit. Ekkebertus Marchio cum legione sua neutri Regi accedens, ex propinquo exitum belli exspectaturas consedit. Instructas acies rivus medius angusto quidem, sed profundo alveo dirimebat. Rudolphus Saxones in declivi montis jugo collocârat, quo in supinos hostes arma primùm opportunus verteret; primumque istic incursum Ottonem cum lectissimo milite excipere jubet. Id ubi Henricus inspecta hostium acie advertit, circumductis alis pugnæ formam immutat, Saxonum exercitum à tergo aggressus. Difficile erat momento temporis obvertere phalanges; id tamen tanta celeritate præstitum, tantáq; pugnandi alacritate, ut Henrici acies ingenti cum strage in fugam aversa fuerit. Profugi deinde ad arcem Wartberg collecti à Rege; ubi dum corpora curant, à Saxonibus ex arce erumpentibus oppressi denuo cæduntur. Ita Bruno & Bertholdus presbyter eorum temporum Scriptores; secus quam Urspergensis Schismaticus, qui Henrico victoriam adscribit, à quo Stadensis in errorem abreptus; edita est hæc pugna VI Calend. Februarij.

A Pontifice regia dignitate exuitur.

Interea Pontifex nonis Martij contestatus Petrum & Paulum Rudolpho Regnum confirmat, missa corona, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Henricum verò Regem regia dignitate exutum pronunciavit, omnesque subjectos juramento fidei absolvit. Quibus efferatus Henricus, ipsis Pentecostes ferijs cogit novendecim Episcoporum conventiculum, in quo Gregorio VII per insaniam Pontificatus abrogatus, & Guibertus Ravennatium Antistes, nondum anathematis vinculo solutus, Pontifex Clementis III nomine renunciatus. Is ille Pseudopontifex, qui supra XX annos, & ipsum Gregorium, & Successores dirum in modum vexavit. Ita verò teterrimum illud schisma inter Regnum & Sacerdotium recruduit. At Henricus Rex non contentus illo pravorum Episcoporum judicio, per quos Gregorium VII Pontificem exauctoratum volebat, aliam synodum Brixiæ in Tiroli, indicit, ad quam 7 Calend. Julij triginta ejusdem impiæ factionis Schismatici Episcopi ex Germania, & Italia convenêre; atque ut in Moguntino conventiculo fecerant, Gregorio VII denuo Pontificatum abrogârunt. Ad hanc pseudosynodum cùm è Saxoniæ Episcopis etiam accessisset Benno Osnabrugensis Episcopus, perpetuus à latere Regis Comes, nec metu Regis auderet ceteris palam reclamare, sacro quodam horrore percussus, ut Norbertus in ejus vita scripsit, cùm

Gregorio denuo Pontificatus abrogatur.

Benno Episc. Osnabrug. resipiscit.

cùm suffragia ceterorum expeterentur, retro altare latitans se abscondit, ne damnationis sententiam adversus verum Pontificem cogeretur pronunciare. Non destitit exinde Benno, conscientiæ stimulis agitatus, per saniora aliorum consilia inquirere modum, quo se Pontifici reconciliaret. *Northertus Iburg. in vita Bennonis.*

At Henricus tanto Episcoporum ad partes suas accessu, eorumque adversus Romanum Pontificem sententiâ accensus, literas furore respersas dedit ad Pontificem. Ejecti Episcopi & Abbates, qui Pontifici adhærebant, è sedibus; quorum alios ad gratiam, alios accepta pecunia reposuit; nec alios fere, quam vanos & indignos tanto munere homines: interque hos Hermannus quidam Lupoldi Ducis filius in locum Altmanni, Paderbornæ apud nos exulantis, obtrusus. Fœda Ecclesiarum ubique per Germaniam perturbatio: nec ulla pars Imperij integrior mansit quàm Saxonia, cujus Episcopi non minus, quàm Duces pro Pontifice, religione & libertate gentis suæ conjurati, stabant. Adversus hanc igitur expugnandam hoc ipso anno Henricus validum denuo exercitum collegit; traxitque secum XIV. Episcopos: horum Principes Coloniensis ac Trevirensis, quibuscum in Saxoniam est regressus. Nec segnior Rudolphus Rex cum ingenti Saxonum multitudine occurrit. Quo per exploratores renunciato, cùm Henricus Rex se numero imparem didicisset, ad callidas artes versus, partem equitatus immisit in agrum Goslariensem, qui obvia flammis absumeret, eóque distraheret Saxones; ipse cum robore militiæ Erfurtum perrexit, incensâque post spolia urbe, in superiorem Saxoniam movit: seu quòd jam bis fusus à Saxonibus, prælij aleam subterfugeret: seu quòd istic Bohemorum auxilia speraret. Objecit se ad Naumburgum Rudolphus, ratus cum Episcopis urbem peti in spolium. Quo cognito Henricus ad Elstram amnem deflexit, castris in ripa positis; ac postero die, decimo videlicet quinto Octobris, explorata Saxonici equitatus raritate, manè aciem instrui jussit. Idem facit Rudolphus, & cùm peditatus, qui nondum accesserat, debilior esset, partem equitum peditem agere jubet; indè lento gradu progressus est in hostem, Episcopis psalmum octuagesimum secundum decantantibus. Inter hæc perventum ad Gronam paludem, cujus interventu acies utraq; dirempta, dum Saxones corpora curarent. Instauratis viribus Saxones ad caput paludis circumgressi, pugnandi copiam offerunt, quò dum hostis occurrit, acre prælium est consertum. Primoq; impetu ala, in qua Henricus pugnabat, aversa est in fugam, Rege inter primos prælio excedente; sed tanto majus periculum urgebat in altera Saxonum ala; quam postquam Otto Dux integre restauravit, fulminis instar in hostes est invectus. Totus deinde Henrici exercitus est obtritus, ac pars è vestigio cæsi, pars pecudum ritu in Elstrad flumen acti. Tum verò in castra diripienda

Henrici furor in Episcopos.

Ejusdem expeditio in Saxones.

Bruno. Berthold. Ursberg. Marianus Scotus. Henricus à Rudolpho cæsus.

Annus posthæc insequens supra millesimum octuagesimus Saxones nostros è pace in cruentum bellum revolvit. Quippe Henricus Rex, non exspectato bellandi tempore, sub exitum Januarij cùm asperrima sæviret hyems, cum exercitu irruit in Saxoniam; constititque in acie apud Fladecheim (Bruno Flatecheim vocat) loco, ut alij, ad flumen Unstrutum, quò & Rudolphus Rex cum Saxonibus movit. Ekkebertus Marchio cum legione sua neutri Regi accedens, ex propinquo exitum belli exspectaturas consedit. Instructas acies rivus medius angusto quidem, sed profundo alveo dirimebat. Rudolphus Saxones in declivi montis jugo collocârat, quo in supinos hostes arma primùm opportunus verteret; primumque istic incursum Ottonem cum lectissimo milite excipere jubet. Id ubi Henricus inspecta hostium acie advertit, circumductis alis pugnæ formam immutat, Saxonum exercitum à tergo aggressus. Difficile erat momento temporis obvertere phalanges; id tamen tanta celeritate præstitum, tantáq; pugnandi alacritate, ut Henrici acies ingenti cum strage in fugam aversa fuerit. Profugi deinde ad arcem Wartberg collecti à Rege; ubi dum corpora curant, à Saxonibus ex arce erumpentibus oppressi denuo cæduntur. Ita Bruno & Bertholdus presbyter eorum temporum Scriptores; secus quam Urspergensis Schismaticus, qui Henrico victoriam adscribit, à quo Stadensis in errorem abreptus; edita est hæc pugna VI Calend. Februarij.

A Pontifice regia dignitate exuitur.

Interea Pontifex nonis Martij contestatus Petrum & Paulum Rudolpho Regnum confirmat, missa corona, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Henricum verò Regem regia dignitate exutum pronunciavit, omnesque subjectos juramento fidei absolvit. Quibus efferatus Henricus, ipsis Pentecostes ferijs cogit novendecim Episcoporum conventiculum, in quo Gregorio VII per insaniam Pontificatus abrogatus, & Guibertus Ravennatium Antistes, nondum anathematis vinculo solutus, Pontifex Clementis III nomine renunciatus. Is ille Pseudopontifex, qui supra XX annos, & ipsum Gregorium, & Successores dirum in modum vexavit. Ita verò teterrimum illud schisma inter Regnum & Sacerdotium recruduit. At Henricus Rex non contentus illo pravorum Episcoporum judicio, per quos Gregorium VII Pontificem exauctoratum volebat, aliam synodum Brixiæ in Tiroli, indicit, ad quam 7 Calend. Julij triginta ejusdem impiæ factionis Schismatici Episcopi ex Germania, & Italia convenêre; atque ut in Moguntino conventiculo fecerant, Gregorio VII denuo Pontificatum abrogârunt. Ad hanc pseudosynodum cùm è Saxoniæ Episcopis etiam accessisset Benno Osnabrugensis Episcopus, perpetuus à latere Regis Comes, nec metu Regis auderet ceteris palam reclamare, sacro quodam horrore percussus, ut Norbertus in ejus vita scripsit, cùm

Gregorio denuo Pontificatus abrogatur.

Benno Episc. Osnabrug. resipiscit.

cùm suffragia ceterorum expeterentur, retro altare latitans se abscondit, ne damnationis sententiam adversus verum Pontificem cogeretur pronunciare. Non destitit exinde Benno, conscientiæ stimulis agitatus, per saniora aliorum consilia inquirere modum, quo se Pontifici reconciliaret. *Nortbertus Iburg. in vita Bennonis.*

At Henricus tanto Episcoporum ad partes suas accessu, eorumque adversus Romanum Pontificem sententiâ accensus, literas furore respersas dedit ad Pontificem. Ejecti Episcopi & Abbates, qui Pontifici adhærebant, è sedibus; quorum alios ad gratiam, alios accepta pecunia reposuit; nec alios fere, quam vanos & indignos tanto munere homines: interque hos Hermannus quidam Lupoldi Ducis filius in locum Altmanni, Paderbornæ apud nos exulantis, obtrusus. Fœda Ecclesiarum ubique per Germaniam perturbatio: nec ulla pars Imperij integrior mansit quàm Saxonia, cujus Episcopi non minus, quàm Duces pro Pontifice, religione & libertate gentis suæ conjurati, stabant. Adversus hanc igitur expugnandam hoc ipso anno Henricus validum denuo exercitum collegit; traxitque secum XIV. Episcopos: horum Principes Coloniensis ac Trevirensis, quibuscum in Saxoniam est regressus. Nec segnior Rudolphus Rex cum ingenti Saxonum multitudine occurrit. Quo per exploratores renunciato, cùm Henricus Rex se numero imparem didicisset, ad callidas artes versus, partem equitatus immisit in agrum Goslariensem, qui obvia flammis absumeret, eòque distraheret Saxones; ipse cum robore militiæ Erfurtum perrexit, incensaque post spolia urbe, in superiorem Saxoniam movit: seu quòd jam bis fusus à Saxonibus, prælij aleam subterfugeret: seu quòd istic Bohemorum auxilia speraret. Objecit se ad Naumburgum Rudolphus, ratus cum Episcopis urbem peti in spolium. Quo cognito Henricus ad Elstram amnem deflexit, castris in ripa positis; ac postero die, decimo videlicet quinto Octobris, explorata Saxonici equitatus raritate, manè aciem instrui jussit. Idem facit Rudolphus, & cùm peditatus, qui nondum accesserat, debilior esset, partem equitum peditem agere jubet; inde lento gradu progressus est in hostem, Episcopis psalmum octuagesimum secundum decantantibus. Inter hæc perventum ad Gronam paludem, cujus interventu acies utraq; dirempta, dum Saxones corpora curarent. Instauratis viribus Saxones ad caput paludis circumgressi, pugnandi copiam offerunt, quò dum hostis occurrit, acre prælium est consertum. Primoq; impetu ala, in qua Henricus pugnabat, aversa est in fugam, Rege inter primos prælio excedente; sed tanto majus periculum urgebat in altera Saxonum ala; quam postquam Otto Dux integre restauravit, fulminis instar in hostes est invectus. Totus deinde Henrici exercitus est obtritus, ac pars è vestigio cæsi, pars pecudum ritu in Elstrad flumen acti. Tum verò in castra diripienda

Henrici furor in Episcopos.

Ejusdem expeditio in Saxones.

Bruno. Berthold. Ursberg. Marianus Scotus. Henricus à Rudolpho cæsus.

Annus posthæc insequens supra millesimum octuagesimus Saxones nostros è pace in cruentum bellum revolvit. Quippe Henricus Rex, non exspectato bellandi tempore, sub exitum Januarij cùm asperrima sæviret hyems, cum exercitu irruit in Saxoniam; constititque in acie apud Fladecheim (Bruno Flatecheim vocat) loco, ut alij, ad flumen Unstrutum, quò & Rudolphus Rex cum Saxonibus movit. Ekkebertus Marchio cum legione sua neutri Regi accedens, ex propinquo exitum belli exspectaturus consedit. Instructas acies rivus medius angusto quidem, sed profundo alveo dirimebat. Rudolphus Saxones in declivi montis jugo collocârat, quo in supinos hostes arma primùm opportunus verteret; primumque istic incursum Ottonem cum lectissimo milite excipere jubet. Id ubi Henricus inspecta hostium acie advertit, circumductis alis pugnæ formam immutat, Saxonum exercitum à tergo aggressus. Difficile erat momento temporis obvertere phalanges; id tamen tanta celeritate præstitum, tantáq; pugnandi alacritate, ut Henrici acies ingenti cum strage in fugam aversa fuerit. Profugi deinde ad arcem Wartberg collecti à Rege; ubi dum corpora curant, à Saxonibus ex arce erumpentibus oppressi denuo cæduntur. Ita Bruno & Bertholdus presbyter eorum temporum Scriptores; secus quam Urspergensis Schismaticus, qui Henrico victoriam adscribit, à quo Stadensis in errorem abreptus; edita est hæc pugna VI Calend. Februarij.

A Pontifice regia dignitate exuitur.

Interea Pontifex nonis Martij contestatus Petrum & Paulum Rudolpho Regnum confirmat, missa corona, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Henricum verò Regem regia dignitate exutum pronunciavit, omnesque subjectos juramento fidei absolvit. Quibus efferatus Henricus, ipsis Pentecostes ferijs cogit novendecim Episcoporum conventiculum, in quo Gregorio VII per insaniam Pontificatus abrogatus, & Guibertus Ravennatium Antistes, nondum anathematis vinculo solutus, Pontifex Clementis III nomine renunciatus. Is ille Pseudopontifex, qui supra XX annos, & ipsum Gregorium, & Successores dirum in modum vexavit. Ita verò teterrimum illud schisma inter Regnum & Sacerdotium recruduit. At Henricus Rex non contentus illo pravorum Episcoporum judicio, per quos Gregorium VII Pontificem exauctoratum volebat, aliam synodum Brixiæ in Tiroli, indicit, ad quam 7 Calend. Julij triginta ejusdem impiæ factionis Schismatici Episcopi ex Germania, & Italia convenêre; atque ut in Moguntino conventiculo fecerant, Gregorio VII denuo Pontificatum abrogârunt. Ad hanc pseudosynodum cùm è Saxoniæ Episcopis etiam accessisset Benno Osnabrugensis Episcopus, perpetuus à latere Regis Comes, nec metu Regis auderet ceteris palam reclamare, sacro quodam horrore percussus, ut Norbertus in ejus vita scripsit, cùm

Gregorio denuo Pontificatus abrogatur.

Benno Episc. Osnabrug. resipiscit.

cùm suffragia ceterorum expeterentur, retro altare latitans se abscondit, ne damnationis sententiam adversus verum Pontificem cogeretur pronunciare. Non destitit exinde Benno, conscientiæ stimulis agitatus, per saniora aliorum consilia inquirere modum, quo se Pontifici reconciliaret.

Northertus Iburg. in vita Bennonis.

At Henricus tanto Episcoporum ad partes suas accessu, eorumque adversus Romanum Pontificem sententiâ accensus, literas furore respersas dedit ad Pontificem. Ejecti Episcopi & Abbates, qui Pontifici adhærebant, è sedibus; quorum alios ad gratiam, alios acceptâ pecunia reposuit; nec alios fere, quam vanos & indignos tanto munere homines: interque hos Hermannus quidam Lupoldi Ducis filius in locum Altmanni, Paderbornæ apud nos exulantis, obtrusus. Fœda Ecclesiarum ubique per Germaniam perturbatio: nec ulla pars Imperij integrior mansit quàm Saxonia, cujus Episcopi non minus, quàm Duces pro Pontifice, religione & libertate gentis suæ conjurati, stabant. Adversus hanc igitur expugnandam hoc ipso anno Henricus validum denuo exercitum collegit; traxitque secum XIV. Episcopos: horum Principes Coloniensis ac Trevirensis, quibuscum in Saxoniam est regressus. Nec segnior Rudolphus Rex cum ingenti Saxonum multitudine occurrit. Quo per exploratores renunciato, cùm Henricus Rex se numero imparem didicisset, ad callidas artes versus, partem equitatus immisit in agrum Goslariensem, qui obvia flammis absumeret, eóque distraheret Saxones; ipse cum robore militiæ Erfurtum perrexit, incensáque post spolia urbe, in superiorem Saxoniam movit: seu quòd jam bis fusus à Saxonibus, prælij aleam subterfugeret: seu quòd istic Bohemorum auxilia speraret. Objecit se ad Naumburgum Rudolphus, ratus cum Episcopis urbem peti in spolium. Quo cognito Henricus ad Elstram amnem deflexit, castris in ripa positis; ac postero die, decimo videlicet quinto Octobris, explorata Saxonici equitatus raritate, manè aciem instrui jussit. Idem facit Rudolphus, & cum peditatus, qui nondum accesserat, debilior esset, partem equitum peditem agere jubet; indè lento gradu progressus est in hostem, Episcopis psalmum octuagesimum secundum decantantibus. Inter hæc perventum ad Gronam paludem, cujus interventu acies utraq; dirempta, dum Saxones corpora curarent. Instauratis viribus Saxones ad caput paludis circumgressi, pugnandi copiam offerunt, quò dum hostis occurrit, acre prælium est consertum. Primoq; impetu ala, in qua Henricus pugnabat, aversa est in fugam, Rege inter primos prælio excedente; sed tanto majus periculum urgebat in altera Saxonum ala; quam postquam Otto Dux integre restauravit, fulminis instar in hostes est invectus. Totus deinde Henrici exercitus est obtritus, ac pars è vestigio cæsi, pars pecudum ritu in Elstrad flumen acti. Tum verò in castra diripienda

Henrici furor in Episcopos.

Ejusdem expeditio in Saxones.

Bruno. Berthold. Ursberg. Marianus Scotus. Henricus à Rudolpho cæsus.

Annus posthæc insequens supra millesimum octuagesimus Saxones nostros è pace in cruentum bellum revolvit. Quippe Henricus Rex, non exspectato bellandi tempore, sub exitum Januarij cùm asperrima sæviret hyems, cum exercitu irruit in Saxoniam; constititque in acie apud Fladecheim (Bruno Flatecheim vocat) loco, ut alij, ad flumen Unstrutum, quò & Rudolphus Rex cum Saxonibus movit. Ekkebertus Marchio cum legione sua neutri Regi accedens, ex propinquo exitum belli exspectaturas consedit. Instructas acies rivus medius angusto quidem, sed profundo alveo dirimebat. Rudolphus Saxones in declivi montis jugo collocârat, quo in supinos hostes arma primùm opportunus verteret; primumque istic incursum Ottonem cum lectissimo milite excipere jubet. Id ubi Henricus inspecta hostium acie advertit, circumductis alis pugnæ formam immutat, Saxonum exercitum à tergo aggressus. Difficile erat momento temporis obvertere phalanges; id tamen tanta celeritate præstitum, tantáq; pugnandi alacritate, ut Henrici acies ingenti cum strage in fugam aversa fuerit. Profugi deinde ad arcem Wartberg collecti à Rege; ubi dum corpora curant, à Saxonibus ex arce erumpentibus oppressi denuo cæduntur. Ita Bruno & Bertholdus presbyter eorum temporum Scriptores; secus quam Urspergensis Schismaticus, qui Henrico victoriam adscribit, à quo Stadensis in errorem abreptus; edita est hæc pugna VI Calend. Februarij.

A Pontifice regia dignitate exuitur.

Interea Pontifex nonis Martij contestatus Petrum & Paulum Rudolpho Regnum confirmat, missa corona, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Henricum verò Regem regia dignitate exutum pronunciavit, omnesque subjectos juramento fidei absolvit. Quibus efferatus Henricus, ipsis Pentecostes ferijs cogit novendecim Episcoporum conventiculum, in quo Gregorio VII per insaniam Pontificatus abrogatus, & Guibertus Ravennatium Antistes, nondum anathematis vinculo solutus, Pontifex Clementis III nomine renunciatus. Is ille Pseudopontifex, qui supra XX annos, & ipsum Gregorium, & Successores dirum in modum vexavit. Ita verò teterrimum illud schisma inter Regnum & Sacerdotium recruduit. At Henricus Rex non contentus illo pravorum Episcoporum judicio, per quos Gregorium VII Pontificem exauctoratum volebat, aliam synodum Brixiæ in Tiroli, indicit, ad quam 7 Calend. Julij triginta ejusdem impiæ factionis Schismatici Episcopi ex Germania, & Italia convenêre; atque ut in Moguntino conventiculo fecerant, Gregorio VII denuo Pontificatum abrogârunt. Ad hanc pseudosynodum cùm è Saxoniæ Episcopis etiam accessisset Benno Osnabrugensis Episcopus, perpetuus à latere Regis Comes, nec metu Regis auderet ceteris palam reclamare, sacro quodam horrore percussus, ut Norbertus in ejus vita scripsit, cùm

Gregorio denuo Pontificatus abrogatur.

Benno Episc. Osnabrug. resipiscit.

cùm suffragia ceterorum expeterentur, retro altare latitans se abscondit, ne damnationis sententiam adversus verum Pontificem cogeretur pronunciare. Non destitit exinde Benno, conscientiæ stimulis agitatus, per saniora aliorum consilia inquirere modum, quo se Pontifici reconciliaret. *Nortbertus Iburg. in vita Bennonis.*

At Henricus tanto Episcoporum ad partes suas accessu, eorumque adversus Romanum Pontificem sententiâ accensus, literas furore respersas dedit ad Pontificem. Ejecti Episcopi & Abbates, qui Pontifici adhærebant, è sedibus; quorum alios ad gratiam, alios accepta pecunia reposuit; nec alios fere, quam vanos & indignos tanto munere homines: interque hos Hermannus quidam Lupoldi Ducis filius in locum Altmanni, Paderbornæ apud nos exulantis, obtrusus. Fœda Ecclesiarum ubique per Germaniam perturbatio: nec ulla pars Imperij integrior mansit quàm Saxonia, cujus Episcopi non minus, quàm Duces pro Pontifice, religione & libertate gentis suæ conjurati, stabant. Adversus hanc igitur expugnandam hoc ipso anno Henricus validum denuo exercitum collegit; traxitque secum XIV. Episcopos: horum Principes Coloniensis ac Trevirensis, quibuscum in Saxoniam est regressus. Nec segnior Rudolphus Rex cum ingenti Saxonum multitudine occurrit. Quo per exploratores renunciato, cùm Henricus Rex se numero imparem didicisset, ad callidas artes versus, partem equitatus immisit in agrum Goslariensem, qui obvia flammis absumeret, eóque distraheret Saxones; ipse cum robore militiæ Erfurtum perrexit, incensáque post spolia urbe, in superiorem Saxoniam movit: seu quòd jam bis fusus à Saxonibus, prælij aleam subterfugeret: seu quòd istic Bohemorum auxilia speraret. Objecit se ad Naumburgum Rudolphus, ratus cum Episcopis urbem peti in spolium. Quo cognito Henricus ad Elstram amnem deflexit, castris in ripa positis; ac postero die, decimo videlicet quinto Octobris, explorata Saxonici equitatus raritate, manè aciem instrui jussit. Idem facit Rudolphus, & cum peditatus, qui nondum accesserat, debilior esset, partem equitum peditem agere jubet; indè lento gradu progressus est in hostem, Episcopis psalmum octuagesimum secundum decantantibus. Inter hæc perventum ad Gronam paludem, cujus interventu acies utraq; dirempta, dum Saxones corpora curarent. Instauratis viribus Saxones ad caput paludis circumgressi, pugnandi copiam offerunt, quò dum hostis occurrit, acre prælium est consertum. Primoq; impetu ala, in qua Henricus pugnabat, aversa est in fugam, Rege inter primos prælio excedente; sed tanto majus periculum urgebat in altera Saxonum ala; quam postquam Otto Dux integre restauravit, fulminis instar in hostes est invectus. Totus deinde Henrici exercitus est obtritus, ac pars è vestigio cæsi, pars pecudum ritu in Elstrad flumen acti. Tum verò in castra diripienda *Henrici furor in Episcopos.* *Ejusdem expeditio in Saxones.*

versi sunt victores, in quibus omnis sacra supellex, multaque præterea vasa aurea XIV Episcoporum reperta, multaque in spolium congesta. Prospera hæc obscuravit casus Rudolphi, qui è prælio exportatus erat in castra, dextera manu amputatus. Is ubi victoriam didicit, cessitque suis, tanquam alter Epaminondas: Nunc lætus, inquit, patiar & moriar. Triduum superfuit, ex quo sacris omnibus rite provisus decessit. Corpus magno omnium luctu Merseburgi humatum.

Rudolphi post victoriosam pugnam obitus.

Post illa XII Novembris excessit è vita Egilbertus XVII Mindensium Episcopus, qui jam per annos XXV Ecclesiam suam præclara laude administrârat; quemadmodum Auctor vitæ D. Annonis eum decus sui sæculi appellat, & Henricus de Hervordia virum Pontificalis modestiæ, gravitatis, & innocentiæ celebrat. Corpus in Ecclesia D. Martini, quam à Sigeberto constructam ipse dotârat, humatum est; subrogatusque haud multò post Reinwardus ab Ottone Hostiensi Episcopo, legato Apostolico Gregorij Pontificis per Saxoniam, clero populoque acclamante; sed tanto post acerbius tractatus est ab Henrico Rege monarchiam Episcoporum per Germaniam affectante.

Mors Egilberti Episc. Mindensis.

Annus Christi 1081.

Gregorij VII Pont. 9.
Henrici IV Reg. 26.
Popponis Ep. Pad. 6.

Clade superioris anni, & Rudolphi Regis morte, in diversa actus Henricus Rex, expeditionem Italicam apparare cœpit; seu ut Pontificem sibi placaret, seu ut eundem è sede dejiceret, reposito Guiberto falso Pontifice, quem ad omnia facinora obsequentem haberet. Sed eam expeditionem improbârunt amici, qua Saxoniam victoria insolentem relicturus esset. Quapropter misit legatos ad Saxonum Principes congregatos, per quos petijt filium suum deligi Regem Saxoniæ, eumque ad gentis ingenium educarent; quod si facerent, nunquam se Saxoniam intraturum. Hos legatos Otto Dux facilè cum hoc responso dimisit, Ex feroci, inquiens, bove non nisi ferocem vitulum exspectari posse, ideo non alio se filij, quàm patris desiderio teneri. Quæ consilia cùm non procederent, misit Rex in Saxoniam, qui locum colloquij & tractandæ pacis peterent. Id etsi Saxones fraudulenter satis agi intelligerent, non tamen abnuerunt, condixeruntque sylvam Capuanam ad Visurgim. Eò sub initium Februarij ad constitutum diem ab Henrico missi convenêre quinq; Episcopi, Coloniensis, Trevirensis, Bambergensis, Spirensis, & Trajectensis. Totidem ex parte Saxonum aderant, interque hos tres Archiepiscopi, Moguntinus, Salisburgensis, & Magdeburgensis, duo præterea Episcopi Poppo noster Paderbornensis Episcopus, & Udo Hildesimensis,

Agitur de pace in conventu Capuano ad Visurgim.

Sigevvinus Colo. Egelbert. Trevir.

mensis, atque ingens Saxonicorum Procerum numerus; cúmque legati hi Regis rem secreto prius inter Principes tractari peterent, reclamârunt libera voce Saxones, eaque quæ pertractanda haberent, palam omnibus audientibus exponere voluerunt. Postquam consedêre, diu silentium fuit, neutris proloquentibus; quòd Saxones intentè exspectarent, quænam à Rege postularentur: nec se congressum hunc, sed Regem petijsse cogitarent. Tandem longas silentij moras abrupit Gebehardus Salisbergensis Archiepiscopus gravi, & digna ad posteritatem oratione, quam hic ex Brunone referre libet.

Conradus Traject. Rupert. Bamb. Herman. Spirens. Sigefridus Mogunt. Gebhard. Salisb. Hardevv. Magdeb. Poppo Paderb. Udo Hildesim.

Salisburgensis Archiep. oratio ad congregatos Episcopos & Principes.

Episcopi venerabiles, ceterique, quos videtis adesse, Principes Saxonici, hanc operam mihi dignati sunt imponere, quatenus animos omnium mei sermonis officio debeam vobis exponere. Unde vos omnes sacerdotes sancti, ceterique primates eximii, rogatos esse volo, ut me dignemini patienter audire, et causa communi, quam sum jussus agere, animum tranquillum, quo verum examinare possitis, adhibere; quod non plus nostra, quam vestra (si vultis) interest, quæ sum dicturus, agnoscere. Vestro ipsorum testimonio fidenter inde nitimur, quod vos, quanquam à nostra societate discessistis, à veritatis amore non discedere confidimus: vestro (inquam) testimonio probare volumus, quantis injuriis, quantis contumeliis simus affecti, dum toto animo, tota voluntate (sicut decebat) Regis eramus servitio subjecti. Vos ipsi scitis, quoties sigillatim vel communiter vestrum petivimus auxilium, quo pro benevola servitute nostra, vel hoc ex intercessione vestra redderet nobis præmium, ut à multarum, quæ nos importabiles premebant, levaret fasce calamitatum. Hoc quod sæpe postulavimus, optimè scitis: et quid postulando profecimus, similiter optime scitis. Inde vos non incusamus, quod vos pro nostra causa, quamvis parum nobis prodesset, sæpe laborasse cognovimus. Quale vero præmium nostræ devotioni dederit ultimum, quid opus est dicere: cum manifestum est, oculis omnium, quod hoc, quod habuit maximum, nobis rependit extremum. Sacerdotes namque non solum de nullo crimine convictos, sed nec legaliter accusatos, aut in vincula (sicut latrones) conjecit, aut à sedibus suis, quos capere non poterant, omnium rerum suarum nudos effugavit. Ecclesiarum bona, quibus Episcopi vel ipsi vivere, vel pauperes Dei sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus dissipanda concessit. Terram nostram multis jam vicibus igne ferroqne vastavit, cognatos sive milites nostros in nostris finibus innocentes occidit, cùm nulla fuisset ei causa bellorum, nisi quod servos habere volebat filios hominum liberorum. Sæpe ipsum, sæpe vos singulos et universos suppliciter oravimus, ut gladio deposito causam nobiscum judiciis ageret, et nos vestrum per omnia judicium secuturos animo libenti spopondimus. Quid his omnibus profecerimus, vos ipsos in testimonium vocamus. Ergo nos, qui nunc adsumus, cum omnibus, quos tenet Saxonica tellus, vobis ò sanctissimi Christi sacerdotes, et vobis ò nobilissimi Principes, et fortissimi milites humiliter supplicamus, ut memores omnipotentis Dei, vestrique officii, vos quod estis animarum pastores, non perditores vocati, vos verò, quod gladium

dium ad defensionem, non ad internecionem accepistis innocentum, cogitetis, et nos vestros fratres in Christo, vestros cognatos in carne, ferro et flamma amplius persequi ne velitis. Quod hactenus molestiarum à vobis perpessi sumus, vobis donantes peccatis nostris imputabimus, et correptionem divinæ pietatis appellabimus: dum posthac injuriarum de vobis securi esse possimus. Gladium et ignem deponite, et (sicut decet homines Christianos cum Christianis) causam rationibus, non cædibus agite, et quod ante cruoris effusionem postulavimus, nunc saltem vel cruore nostro satiati præstate. Multas quidem nobis ærumnas Dominus vester Heinricus crudeliter intulit, multis calamitatibus nos ultra modum fatigavit, et tamen ecce parati sumus, eum nobis Regem, sicut olim fuit, accipere: ecce parati sumus ei fidelitatem et subjectionem jurare, et juratam, fideliter et libenter servare. Tantum vos hoc veris assertionibus astruite, ut nos, salvo nostro ordine, et laici possint facere hoc sine fidei sacræ detrimento; nec nos ab isto campo recedemus, donec omnia, quæ dixi, compleverimus. Si verò nostras sententias dignati fueritis attendere, veris, et manifestis, et ex scripturarum testimonio firmis rationibus ostendemus, quod Dominum Heinricum nec clerici nec laici Regem habere possumus cum animarum nostrarum salute. Nunc ergo vel vos nobis, quod juste possit regnare, probabiliter ostendite, et nos sub ejus regnum socios fideles accipite; vel nobis, quod Rex ille esse non possit veraciter probare permittite, et nos contra rationem ut hostes persequi desinite. Quod si objicitis, sacramento, quod ei jurastis, vos esse constrictos, simili modo confirmabimus, nullo sacramento jure vos ad nostram persecutionem posse compelli. Hæc igitur est summa nostræ petitionis, ut Dominum Henricum, vel vos jure posse regnare nobis probabiliter ostendatis, vel nos nobis eum non posse veraciter ostendere sinatis, et cum res alterutra fuerit demonstrata, nos igne ferroque persequi cessetis.

Dicta Salisburgensis Archiepiscopi omnium Saxonum Episcoporum ac Principum consensu, magnoque plausu sunt excepta. Ad ea Henrici legati responderunt, non se ad decidendam hanc causam venisse, neq; eam potestatem habere, quæ ab Rege & cunctis Regni Principibus requirenda sit; eóq; petere se inducias in mensem Junium, quo interea Principum Imperij convocatio fieri posset. At satis intelligebant Saxones, has inducias ex compositis ipsorum dolis quæri, tantúmque hoc agi, ut quiescente Saxonia, Henricus per hæc in Italia res suas firmaret; dejectoque è sede Apostolica Gregorio VII, Clementem adulterinum Pontificem subrogaret; Eò magis exacerbati Saxones, fidi Apostolicæ sedis defensores. Hinc palam Otto Dux ad legatos Regis. *Itane*, inquit, *nos stolidos reputatis, ut non intelligamus, quod vestræ calliditatis sit consilium? securitatem à nobis petitis, ut securi Apostolicam sedem turbetis, eumque, qui nostrum et totius christiani orbis est caput, pro libidine vestra tractetis. Et quænam illa pax, velle corpori parcere et sævire in caput? si pacem, ut medici sanitatem, syncere vultis in corpore, integram date, quæ capiti et membris sit communis, aut nullam à nobis*

Legatorum Henrici astutia & tergiversatio.

nobis impetrabitis. Pergite nunc, quod cœpistis, iter tenete, nos brevi sequemur, et ingrati vobis hospites stabimus in finibus vestris: nec ab reditu ex Italia res vestras malè custoditas reponetis; certe tribus jam præliis victores Henricum fudimus, aderit ad alia prælia Deus. Quia scire vos volumus, nos per absentiam vestram Rectorem Regemque habituros, qui nos ab injuriis vestris sit vindicaturus. Ita proloquentem Ottonem miles & vulgus acclamando excepit.

His nihil commotus Henricus, mense Martio iter in Jtaliam ingressus est; quem nullus præter Liemarum Bremensem Archiepiscopum ex Saxonibus comitatus, cujus potissimum consilijs omnia Rex agebat. Paschate Veronæ celebrato, Jtaliam haud secus quàm Germaniam divexat; expugnatisque vicinis locis, Romam accedit, & Leoninam urbem, opere casso obsidet. Inter hæc Pontifex diversis literis cohortatus est Episcopos & Principes ad concordiam; quibus & Saxones animati, missis ad Germaniæ Principes literis, hortantur singulos ad alium Regem in locum Rudolphi communibus suffragijs eligendum. Mense Junio Franciam Orientalem ingressi vastant. Inde junctis Suevis, fidis semper bellorum suorum socijs, in conventu Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Marchionum, & Comitum Hermannum Lutzenburgicum Regem deligunt, quem alij Giselberti, alij Conradi Comitis filium volunt, Comitem Salmensem, virum, ut Marianus appellat, Lotharingum, sapientem, modestum, & bellica fortitudine insignem, cui opibus & armorum gloria per id tempus, Ursbergensis judicio, nemo par erat. Hunc pridie D. Laurentij regio titulo exornarunt. Is altero die cum exiguo suorum numero ad fines Bojariæ & Franciæ Orientalis, lætis Regni auspicijs, Fridericum Staufensem, quem Henricus Vicarium Regni reliquerat, fudit. Subinde Saxones domum regrediuntur, certi de Rege suo retinendo. At cum adversæ partis Principes electionem ægrè ferrent, timerentque Hermanni probatam virtutem, qui Conrado fratre pro Henrico pugnante, ipse caput suum pro Orthodoxis adversus Schismaticos opposuerat, per Ottonem Ducem omnia turbare aggressi sunt. Et ille jam pollicitationibus illectus, vacillare cœperat; cùm in plano campo equo excussus crus fregit; quo casu se à Deo monitum credidit, ne Saxonum causam desereret. Igitur Hermannus in Saxoniam invitatus incredibili omnium gaudio ante Natalem Christi excipitur Goslariæ, festoque D. Stephani die à Sigefrido Moguntino Archiepiscopo in corona Episcoporum ac Saxonicorum Principum Rex inungitur.

Henrici profectio in Italiam. *Bruno. Berthold. presbyt. Sigebert. Albert. Stadens.*

Saxones novum Regem eligunt Hermannum Lutzenburgicum.

In hac rerum mutatione Benno Osnabrugensis Episcopus civilia bella pertæsus, statuit desertis Schismaticis se cum Pontifice & Ecclesia reconciliare, ac tandem ad quietem redire, modò Regis rescriptum de recuperatis decimis integrum maneret. Qua super re Pontifex

Northbert. Abbas Iburg. in vita Benno.

Benno Ep. Osna-

brug. in gratiam cum Pontifice redit. Pontifex certior factus monuit per literas Altmannum Passaviensem Episcopum, Paderbornæ exulantem, legatum suum, uti eum benignè cum ceteris recipiat. Quam in rem ipsas Pontificis literas recitamus.

Tom. X. concil. Paris. edit. recent. lib. 9. epist. Gregor. *Quia vicem nostram in Teutonicis partibus prudentiæ tuæ commisimus, discretionem tuam diligenter monemus, sicut jam aliis literis ad te destinatis (si pervenerint) fecimus, ut consilio fratris nostri Saltzburgensis Archiepiscopi, et aliorum confratrum nostrorum Episcoporum, eos, quos adhærendo H. à proposito veritatis errasse cognoscitis, studiosè revocetis, et qui redire voluerint, fraternè suscipiatis, et maximè Osnaburgensem Episcopum, quem nobis velle fideliter adhærere audivimus, benignè suscipiatis, et fraterno auxilio contra quamlibet injuriam inferendam ei occurrere, ubi opportunum fuerit, non hæsitetis; et litem, quam de decimatione Ecclesiæ suæ habet cum Corbegense Abbate, vel justè antè vos terminate, aut absque læsione suæ Ecclesiæ certum tempus ipsius ante nos terminandæ ex utraque parte statuite. Vale.*

Ad hanc Pontificis commendationem per Altmannum obtentam, hoc anno Benno Episcopus in suam diœcesim, à qua multos annos exulârat, reductus est, multa exinde præclara pro Ecclesiæ suæ ornamento molitus. Auctor est Wittius, postquam Hermannus Rex intellexit, Bennonem Henricianæ factionis Episcopum redijsse ad Ecclesiam suam, haud multò post & ipsum Regem cum milite intrasse diœcesin, ac Osnabrugum, cui Episcopum incluserat, obsedisse: quem Eggebertus Marchio Saxoniæ & Udo Hildesimensis Episcopus ab urbis oppugnatione avertêre; quòd jam à Pontifice in gratiam receptus, Henrici partes ejurasse compertus esset.

Annus Christi 1082.

Gregorij VII Pont. 10.
Henrici IV Regis 27.
Popponis Ep. Pad. 7.

Henricus Italiam vastat. *Berthold. presbyt. Bibliothecarius.* Hærebat per hæc Henricus Rex in alterum annum in Italia; regressusque per quadragesimam ad urbis obsidionem, tanto furore impietatis, ut cùm vi expugnare non posset, submitteret sacrilegos auro conductos, qui Basilicam S. Petri incenderent, civesque à muris ad flammam restinguendam avocarent; at Gregorius Pontifex, facto signo crucis, momento totum incendium restinxit. Igitur cùm hæc non procederent, exercitum ob æstivos calores reduxit in Longobardiam, relicto in agro Romano Guiberto Antipapâ, qui urbem infestaret. Quæ postquam in Germaniam sunt perlata ad Hermannum Regem, nihil sollicitius habuit, quàm laboranti Pontifici subvenire. Et jam collectis ex Saxonia & Imperio copijs, in Italiam intendebat iter; cùm mors Ottonis, Ducis prudentissimi, renunciatur. Ottonis Ducis mors.

Hunc

Hunc quia totius Saxoniæ vicario munere præfectum constituerat, veritus, ne quid ejus excessu turbaretur in Saxonia, intermissâ Italicâ expeditione, in Saxoniam properavit; quam & pacatam, & in omnibus sibi fidam reperit. Ottonis corpus Northemium magno omnium Saxonum luctu deportatum ad tumulum; quapropter & Northemensis non minus, quam Gottingensis Dux appellatus est, quòd in utroque loco amplas, & hereditarias bonorum possessiones haberet: vir, ut Bertholdus in ejus obitu ad hunc annum scribit, prudentissimus, decus & columen Saxoniæ; quod & ea, quæ retulimus, satis commonstrant: Filij Ottonis tres numerantur, Henricus cognomento Crassus, Landgravius ac pater Rikecæ conjugis Lotharij Imperatoris, qui bello Frisico occubuit: alter Cuno Comes de Bichiling, tertius Sigefridus Comes Bomeneburgensis. Quatuor præterea filias habuit Otto recensitas ab Alberto Stadensi, quarum prima denupta est Thiemoni Marchioni Withinensi. Tres aliæ potentissimis in Westfalia Comitibus datæ in matrimonium: harum una Friderico Comiti Arnsbergensi, alia Ottoni Comiti de Cappenberg, alia Hermanno de Cavele Comiti Ravensbergensi, ultima, quam ex his quintam designare visus Stadensis, à famulo abducta. Ad hunc modum Otto Dux per connubia filiarum sibi Westfalorum proceres in societatem belli conjunxit. Clarissimi hujus Ducis stirpem, qui inquirunt, alij ex Henrico Ottonis M. fratre, alij ex Ludolpho Ottonis M. filio ac Suevorum Duce trahunt: omnes origine Saxonem statuunt, ex Ottonum Imperatorum familia. *Cranzius lib. 5. Sax. c. 15. Meibomius.*

Per hunc in Saxoniam reditum Hermannus Rex Goslariam ad palatium regium divertit, magno Episcoporum & procerum comitatu exornatus. Quo in congressu Marquardus Corbeiensium Abbas omnium sui Cœnobij, & Herivordensium privilegiorum, & decimarum possessionem à novo Rege confirmari petijt, ut adversus Bennonem Osnabrugensem Episcopum decimas ex Henrici Regis decreto repetentem se præmuniret. Et Rex Hermannus secundum postulationem Abbatis tam Corbeiensibus, quàm Herivordiensibus omnia liberaliter rata habuit, quam in rem ipsum diploma reddimus. Ab Hermanno Rege privilegia Corbeiensia confirmantur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Herimannus divina favente clementia Rex. Noverint omnes sanctæ Dei Ecclesiæ, atque fideles regni, tam præsentes quàm futuri, quod venerabilis Abbas Corbeiensis Marcvvardus exoravit clementiam nostram, ut cyrographa prædecessorum nostrorum duobus Cœnobiis sibi commissis olim collata, nostra quoque auctoritate firmaremus, nostræque illis confirmationis cartulam adjungeremus. Cujus rationabili et justæ petitioni coram Episcopis, ceterisque Principibus nostris assentientes, sicut in Apostolicis et Imperialibus assignatis scriptis concessum eis, et confirmatum est, decernimus atque jubemus, ut utrumque Cœnobium Corbeiense videlicet Monachorum, atque Herivordense Sanctimonialium,

cum omnibus ad ea pertinentibus, sub Apostolica, et Imperiali tuitione nostrâ plenissimæ libertatis jure fruatur. Volumus enim ipso donante, quo favente regni gubernacula suscepimus, omnium Ecclesiarum jura infra regna nostra firmiter stabilire; concessiones antecessorum nostrorum singulis Ecclesiis suas confirmare, omnibusque Deo famulantibus maximè Monachis ad divinum cultum debita solatia clementer impendere. Habeant igitur præfata Monasteria eandem, quam hactenus, et deinceps libertatem, ut nullus Successorum nostrorum ipsa, vel res eorum aut in beneficia dare, aut aliò injuste vertere præsumat; sed liceat prælatis res suas intus vel foris cum consilio fratrum, suorumve, regulariter et canonicè disponere, et sine cujuslibet contrarietate, vel contradictione liberaliter possidere. Decimas, vel Decimales Ecclesias, immo universas possessiones suas in quibuslibet Episcopiis, præcipuè in Bremensi, Osnabrugensi, et Paderburnensi, ubi plurimas habent: Et res aut Decimas ita integerrime teneant atque possideant, sicut ab antecessoribus nostris, Regibus videlicet et Imperatoribus, hactenus habuerunt atque possederunt. Aliter enim in Dei servitio persistere non poterunt, cùm præbenda eorum ex majori parte de decimis constituta sit; Episcopis verò, quibus servitia et mansionatica debent tempore circuitus sui, secundum scripta sua singulis annis persolvant. Proinde utrique congregationi regularis electionis potestatem concedimus, et qui ordinati fuerint, si fortè, quod absit, in aliquo deliquerint, non præter canonicam et regularem deponantur examinationem. Et ut hæc auctoritas concessionis atque confirmationis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora à cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus et futuris melius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter eam firmavimus, et sigilli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domni Herimanni Regis invictissimi.



Brun Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi. Data 3 Non. Augusti Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXII. Domni Herimanni Regis I. Indictione V. Actum coram multis Principibus in palatio regio Goslare in Dei nomine feliciter Amen.

Annus Christi 1083.

Gregorij VII Pont. 11.
Henrici IV Regis 28.
Popponis Ep. Pad. 8.

Henricus urbem Leoninam capit, & Gregorium Pont. pellit. *Bertholdus. Marianus.*

Annus inter hæc elapsus MLXXXIII, quo per absentiam Henrici Regis in Italia, Hermannus Rex magno Principum Catholicorum populique studio ac quiete imperabat; sed tanto funestius Henricus Rex tumultuabatur in Italia. Nam ut Bertholdus presbyter memorat præsens temporum inspector, Rex contracto ex hibernis exercitu, sub initium veris, majori quàm unquam conatu Leoninam urbem ante Pentecosten aggressus per civium socordiam cepit; quo belli impetu Basilica SS. Petri & Pauli direpta, & magna pars destructa.

Paulò

Paulò ante Pontifex cum Cardinali in Adrianam molem se receperat, habebatque in potestate Tiberinos montes, & loca urbis munitiora, hærebatque Pontifici fida nobilitas. Tum verò Henricus Rex Guibertum Pseudopontificem in Romana sede per vim collocavit; viditque Roma, quod nunquam viderat, monstrum in Cathedra Petri, vivo adhuc, & undecim annis regnante Gregorio VII Pontifice. Et cùm bestiam illam, ut Blondus vocat, nullus orthodoxorum Episcoporum initiare vellet, evocati Mutinensis & * Aretinus Pseudoëpiscopi, à quibus consecratus est; quamvis alij id ad sequentem annum referant, addantque Bononiensem, & Cremonensem schismaticos Episcopos. Unde & Rex sibi sacrosanctum illud orbis christiani imperium sumpsit in exturbandis per Italiam & Germaniam Catholicis Episcopis, quotquot Gregorio vero Pontifici, & Catholicorum Sacerdoti hærere deprehensi sunt. Hinc ut Bartholdus scribit, in Teutonicorum Regno Episcopi, clerici, & nobiles certatim latibula in Monachorum cellis quæsivêre; visique Marchiones, Comites, nobiles magno numero Monachi vitam amplexi, vilissima inter Laicos munia obire. Interim Roma nihil sub barbaris, nihil sub Regibus & Imperatoribus conturbatius viderat; neque fœdius Germania à Christiano Rege; sed in hac procella temporum Saxonia adhuc interrita, & in fide Pontificis immota stabat, suosque Episcopos, Collegia, & Cœnobia armorum dominatu tuebatur. Unus tantummodo Liemarus Bremensis & Hamburgensis Archiepiscopus, gente Bavarus, ex Saxonicis Episcopis Henrico adhuc à latere hærebat inter Schismaticos Episcopos; is quia invisus Regem in Italiam comitatus erat, interque horum pravorum consiliorum artifices habebatur, neque Saxones illum passi consistere apud se, nec ex bonis Episcopatus quicquam subministrari permiserunt. Hujus ergo tenuitati ut subveniret Rex, Eltenensem illi Abbatiam Sanctimonialium Virginum, quæ haud procul Embrica ad Rhenum ex hereditate Meinwerci Episcopi, ejusque sororis & consanguineorum opulenta erat, Liemaro donavit, perpetuo jure possidendam. Quam in rem extant Henrici Regis tabulæ hoc anno Romæ consignatæ; Et cùm in ijs Saxonum fides erga Romanum Pontificem, quàm impius Rex perfidiam vocat, extollatur, jubet hic adscribere.

Leo Ostiensis lib. 3. c. 49.

Sigonius l. 9. Regn. Ital.

**al. Ariminensis.*

Liemaro Bremens. Archiep. donat Abbatiam Eltenensem.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus Heinrici filius Imperatoris secundi divina favente clementia Rex. Exemplum justitiæ et honestatis à patribus nostris divæ memoriæ Augustis accipientes, tum ex proprio sensu per nos ipsos, quæ sint justa ac Deo placita intelligentes, regiam nostram Majestatem decere perspeximus, ut fideles nostros, fidem ac justitiam ad nos servantes, dignis retributionibus muneremur. Quamobrem Liemarum sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ venerabilem Archiepiscopum nominis nostri præcipuum amatorem, atque optimè de nobis merentem, dignum duximus, ut pro sua in nos fide egregia ac perpetua devotione magno munere donaremus. Cum enim gens Saxonum ob superbiam temeraria à nobis rebellione recederet, et bellum ad-

versum nos toto de ---- eo amplius sumeret, ille fidem semel nobis juratam purè et quam sanctè conservans, suos ac sua, certe divitias magnas reliquit, separatus ab illis, atq; ad nos veniens, lateri nostro fidus, et irremotus comes toto illo tempore adfuit: nisi forte nostræ jussiones ac publicæ actiones aliquo ablegassent, aut propriæ ipsius utilitates et rationes ad horam hoc expostulassent, ut abesset, non illum tenuitas rei familiaris, non laborum fatigationes, non vitæ discrimina aliqua dimovere. Eodem bello Saxonico duabus pugnis gravissimis maximo periculo nobis adfuit, sed et apud sedem Apostolicam, contra Hildebrandum perturbatorem orbis ---- magnis difficultatibus et anxietatibus legatione nostra functus est, tribus vicibus ad expugnandam urbem Romam et capiendam nobiscum venerat. Huic ob fidem in nos tantam et voluntatem quam optimam, spontanea consideratione benefacere volentes, Abbatiam Altene in honore sancti Viti martyris constructam juxta Rhenum fluvium in pago Hamaland, Gerardi Comitatu sitam, sanctæ Hammaburgensi Ecclesiæ in venerationem Salvatoris, atque ejus genitricis perpetuæ virginis Mariæ, nec non etiam supradicti S. Viti, pretiosissimi martyris consecratæ perpetuo jure possidendam tradidimus, eidemque Liemaro præfatæ Ecclesiæ provisori et pastori dignissimo, ac suis deinde successoribus in omne ævum perfruendam concessimus, quo tali libertatis nostræ exemplo facilius ceteros ad similem devotionem, et nostrum servitium attraheremus. Nos tamen à multis retro diebus Hammaburgensem Ecclesiam præ omnibus fere diligentes, temporibus Adalberti ejusdem sedis venerabilis Archiepiscopi, viri eruditissimi atque egregie fidelis curtem illi nostram Liesmundi dictam, complura alia prædia comitatus, et donaria multa atque ornamenta contulimus, quo ipsius Domini nostri Salvatoris petitionem, qua in re summa salus et vita est, atque ejusdem genitricis intemeratæ virginis opitulationem habere possemus. Dedimus autem eo more, quo Reges et Imperatores solent, cum omnibus appendiciis, ministerialibus, mancipiis utriusque sexus, nundinis, theloneis, monetis, mercatis, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, viis et inviis, exitibus et reditibus, forestis, venationibus, aquis aquarum decursibus, molis, molendinis, piscationibus, quæsitis et inquirendis, Ecclesiis, Capellis, decimis, et cum omni jure, quod ad hæc tempora habuit, et utilitate, quæ in futurum inde juste provenire poterit. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas omni tempore rata, et stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam facti nostri significatricem ac testem super ea re conscribi et sigilli nostri impressione signari jussimus. Data X Calend. Julii, Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIII Indict. VI. Anno autem ordinationis Domini Heinrici IV Regis XXIX regni XXVII actum Romæ post urbem captam feliciter Amen.

Annus Christi 1084.

Gregorij VII Pont. 12.
Henrici IV Reg. 29. Imp. 1.
Popponis Ep. Pad. 9. & ult.

Bertholdus presbyt. Sigonius. Baronius. Dodechinus.

Hærebat adhuc in quartum eumque sequentem annum Henricus Rex in Italia, nec quietus, dum sanctissimum Pontificem ex urbe & throno depelleret. Opportuna ad id fuit ingens vis pecuniæ, quam à Constantinopolitano Imperatore acceperat Henricus Rex, ad comprimendum Viscardum Apuliæ Ducem; hanc Rex perfidè avertit ad corrumpendos civium Romanorum animos. Igitur postquam ab his

his Rex invitatus, urbe integra potitur, eamq; 11 Calendas Aprilis antè sacrum palmarum diem cum suo Guiberto Pseudopontifice ingreditur; à quo Henricus festo Paschatis Imperatorem se inungi jussit, & cum Conjuge sua Bertha in Vaticano de more coronari. Tam vana coronatio, quàm profanus Pontifex. Quibus rebus peractis, Roma discessit Rex, relicto in ea Pseudopontifice cum præsidio militari. Haud multò post Robertus Viscardus Nortmannus, Apuliæ Dux, à Pontifice imploratus urbem armatus ingreditur, & Pontificem incensa urbe educit in Cassinum Cœnobium, atque inde Salernum, ubi in quiete sanctissimam vitam egit; ob quæ Rex simul, quod totum fere exercitum lues absumpserat, fugienti similis mense julio in Germaniam properat longè gravioribus defectionibus concussam.

Henricus à Pseudopontifice Imperator coronatur.

Nam Hermannus Rex majorem anni partem versatus in Saxonia, Christi Natalem & Pascha in ea celebravit; convocatisque Episcopis & Principibus primùm Saxones, deinde ceteros per Germaniam Catholicos Principes sibi fœdere illigavit adversus Henricum Regem ex Italia redeuntem. Stabatque non minus armata Suevia, quàm Saxonia, gens arcto hactenus vinculo sociata. Et Henricus Rex, postquam Germaniam ingressus, reperit Suevorum exercitum sibi objectum ad Lycum fluvium, nec ausus congredi, Ratisbonam deflexit. Unde Moguntiam petijt ob excessum Sigefridi Archiepiscopi. Huncquia ex Orthodoxis sibi adversantem habuerat, sollicitus erat de alio suæ factionis Archiepiscopo reponendo; in ejusque locum, congregata Schismaticorum Episcoporum multitudine, subrogavit Wecilonem Clericum Halberstadiensis Episcopi fugitivum, non ob alia merita, quàm quòd sibi in omni pertinacia adversùs Gregorium Pontificem, & sedem Apostolicam fidum adjutorem habuisset, qui idcirco jam dudum ob hæc facinora à Pontifice anathemate percussus erat; ita reliqua pars anni ab utroque Rege in attrahendis Episcopis & Principibus bellique provisu occupata.

Mortuo Sigefrido Archiep. Mogunt. substituit Wecilonem.

Hoc anno Poppo Paderbornensis Episcopus noster Metropolitanum secutus, felici morte excessit è numero mortalium, gesto in nonum annum præclara cum laude Episcopatus munere. Cujus hoc elogium inter cetera, quòd licet ab Henrico Rege ad Episcopatum provectus fuerit, nunquam tamen ejus consilia factaque probàrit. Quare Saxonico fœdere junctus constanter semper Orthodoxorum partes tenuit; Divumque Altmannum Pataviensem Episcopum Apostolicæ sedis legatum diu apud se Paderbornæ exulem magna caritate excepit, nihilque veritus Henrici Regis odia & minas, multis beneficijs coluit; à quo sanctissimo hospite quid aliud, quàm veterem in clero disciplinam à Meinwerco, Rothone & Imado traditam, ac Romanæ sedis observantiam discere poterat? Gobelinus & Crantzius licet ad hunc annum retulerint Popponis obitum, falluntur tamen, dum

Obitus Popponis Ep. Paderborn.

Gobelinus ætat. 6. c. 55. Crantzius lib. 5. Metrop. c. 23.

dum VII tantum annos præfuisse dicunt, qui novem in Episcopatu explevit, uti chronologia à nobis servata commonstrat. Mortis dies in necrologio Abdinghoviano notatur IV Calend. Decembris. Cetera de hoc Episcopo memoranda incuria Scriptorum, aut temporum injuria subduxit, à quibus nec sepulchri locum accepimus. Feliciter interea cum Poppone Episcopo actum, quem Deus ex turbulentissimis, quæ per Saxoniam inciderunt, temporibus ad quietiorem in cœlis vitam transtulit.

Et Friderici Episc. Monasteriensis.

Tertius, quem ex Catholicorum Episcoporum numero mors sustulit, est Fridericus Monasteriensis Episcopus. Nam proximo anno ex concilio Moguntino Erponem illi subrogatum commonstrabimus; quanquam an hoc anno, an sub initium proximi anni, aut antè etiam obierit, fasti Monasteriensium non satis docent. Fuit autem Fridericus ex illustri Marchionum Werthinensium familia, patre Theoderico II, ac matre Mathilde Marchionis Misnensis filia ortus. Censusque est inter sanctissimos Saxoniæ Episcopos Annoni per omnem ejus vitam conjunctissimus, multaque præclarè gessit pro religione in sua Ecclesia. Cujus pietatis ac liberalitatis monumentum est celebre illud Mauritianum Collegium Canonicorum extra muros urbis Monasteriensis ab ipso conditum & dotatum, in quo & sepulchrum ejus ad ingressum chori magnificè à Martino Schenckingio Decano erectum conspicitur; & cùm ab eo anno 1576 sarcophagus aperiretur, repertus est integra ossium junctura in Episcopi habitu. Ad caput procumbentis appositus erat calix cum patina, cui Episcopus pontificali ornatu insculptus erat; inventus & annulus aureus smaragdis distinctus, signa desponsæ Ecclesiæ suæ, quam bonis non minus hereditarijs, quàm virtutibus exornavit, ut hæc in fastis eorum multis commendantur; quippe totum patrimonium suum, quod habebat amplissimum in Ecclesiam suam locupletandam convertit. Friderico in Monasteriensi cathedra subrogatus Erpo è Collegio Canonicorum Goslariensium (quod per id tempus seminarium erat Episcoporum) sed studio ac favore Henrici Regis, eóque Schismatici labe notatus. Erat is ex sorore Friderici nepos, ex illustri quoq; Saxonum familia ac post Canonicus Rhemensis, in eoq; Collegio Scholarum moderator.

Exordium ordinis Carthusiani à D. Brunone instituti

Ceterum inter has Germaniæ turbas D. Bruno Teutonicus, civis Coloniensis filius, hoc anno abdicatis rerum humanarum curis in vastam eremum secessit, & sanctissimum Carthusianorum ordinem instituit, qui exin brevi se per Franciam, Germaniam, & totam Europam diffudit; id licet Baronius biennio post factum velit, Sigebertus tamen, atque ejus familiæ scriptores ad hunc annum certius referunt, diemque assignant natalem Joannis Baptistæ, quocum Eremitarum Patriarcha ac patrono Deus hanc admirabilis vitæ familiam nasci in Ecclesia voluit.

ANNA-


ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER VII.

HENRICUS I
Comes de Aslo
XIV9

HENRICUS II
Comes Werlensis
XV9

EPISCOP. PADERBORN.

HENRI-



HENRICVS I
Comes de Aslo
XIV.
EPISCOPUS PADERBORN.
Annus Christi 1084.

Gregorij VII Pont. 12.
Henrici IV Regis 29. Imp. 1.
Henrici I Ep. Pad. 1.

Conturbatus Germaniæ status propter diversa schismata.



Quem à morte Popponis prosequimur annum Christi MLXXXIV, is nos cum sequentibus duobus Episcopis deducit ad conturbata religionis tempora. Nam postquam Henricus, Rex impius, ausus est Gregorium VII, verum & Orthodoxum Pontificem, è Cathedra Petri, per vim armorum deturbare, & in ejus locum Clementem Pseudopontificem, ingemiscente toto orbe Christiano, obtrudere, ortum est fœdum illud & hactenus inauditum schisma inter Sacerdotium & regnum: vulnere nimirum per contagionem mali à Sede Apostolica, tanquam à capite per cetera Ecclesiæ membra manante. Nam passim per Italiam & Germaniam Saxoniamque nostram alibi Catholici Episcopi, alibi Schismatici conspecti sunt. Nec & Episcopi solùm cum Episcopis, sed & Abbates cum Abbatibus, Clerus cum Clero, & Monachi cum Monachis collisi sunt; quòd alij vero suo Pontifici, alij Pseudopontifici, & schismatico Regi per studia partium & dissidia hærerent. Ad hæc, quod multo detestabilius erat, in eadem Episcopi sede simul Catholicus à Clero electus, & Pontificis auctoritate confirmatus: simul Schismaticus, à schismatico Rege obtrusus spectabatur. Ejus fœdæ rei exemplum in nostra quoque Paderbornensi Ecclesia. Nam post obitum Popponis Episcopi nostri, Hermanni Catholici Regis nominatione, Cleri consensu, & Legati Pontificis auctoritate, quem Gregorius

Henricus I. Comes de Aslo eligitur Epis. Pad.

gorius VII Ottonem Ostiensem in Germaniam miserat, subrogatus est Henricus Comes de Aslo, vir in clero probatus, multisque virtutibus conspicuus; ob quas etiam pòst Màgdenburgensis Archiepiscopus est delectus; nec enim ultra Episcopatum quietè gerere licuit, quàm Hermanni Regis per Saxoniam res florerent. At postquam Henricus Rex didicit Henricum Aslonem Paderbornensi Sedi impositum, ipse Henricum Comitem Werlensem obtrusit Episcopum, gravem Asloni æmulum, quocum luctandum fuit. Uterque illustris per Saxoniam familiæ erat. Nam Asloënsium Comitum in Ostfalia & Hildesiensi diœcesi clara, eademq; cum Wincenburgicorum; quemadmodum in Chronico Bremensi Hermannus Wincenburgicus & Henricus de Aslo Comites nominantur fratres. Vetustior etiam illustriorque Comitum Werlensium in Westfalia stirps, claraque ab Imperiali Werlensi urbe, cujus toties supra meminimus. Quanquam Kersenbrochius hunc ex Comitum Waldecensium familia ortum velit, quòd Henrici hujus postremi insignia, quæ Paderbornæ in secretiori Cathedralis Ecclesiæ conclavi conspiciuntur, Waldecensium sint. Sed quoquo modo se habeant in utroque origines familiarum, causa Henrici Asloënsis melior fuit; quòd is cum Orthodoxis Episcopis Apostolicæ Sedi, & Ottoni Episcopo Ostiensi, quem Pontifex Legatum misit in Germaniam, conjunctiùs hæserit. Inde inter utrumque hunc Episcopum Paderbornensem Catholicum & Schismaticum, grave ad aliquot annos, cum magno Ecclesiæ Paderbornensis detrimento, ut Gobelinus noster scribit, certamen fuit. Et quantum ex illa temporum perturbatione & caligine rerum æstimare fas est, primis annis, dum sub Hermanno Rege res Saxonum prævalerent, Henricus Asloënsis in possessione Episcopatus mansit, donec per vim ab Henrico Rege dejiceretur. Interim Henricus Werlensis Schismaticus, ut aliorum Schismaticorum exemplo se in Episcopatu præmuniret, consecrationem maturavit, & hoc ipso statim anno est inunctùs. Nam in literis, quas anno 1100 Cœnobio Helmwardeshusano consignatas proferemus, annum XVI ordinationis suæ scribit; quemadmodum & ab hoc anno 1084 ad annum 1127, quo obijt, Gobelin⁹ noster XLIV annos ejus Episcopatus numerat, quibus eum huic Ecclesiæ præfuisse perhibet, primum omnino qui hanc Ecclesiam schismatis labe infecit. (Quo autem anno cum Pontifice Ecclesia reconciliata sit, tempore memorabitur) Contra Henricus Asloënsis, quòd minus certus esset, utrumne se contra Henrici Regis atque æmuli potentiam tueri posset in Episcopatu, consecrationem distulit: nec prius Episcopus est consecratus, quàm cùm Magdenburgensis Archiepiscopus deligeretur, uti ad annum 1102 memorabitur.

Cui ab Henrico Imp. opponitur Henricus II Comes Werlensis.

Gobelin. ætat. 6. c. 55. Crantzius lib. 5. Metrop c 23. Berthold. ad annum 1084.

Annus Christi 1085.

Gregorij VII Pont. 13.
Henrici IV Reg. 30. Imp. 2.
Henrici I Ep. Pad. 1.

Berthold. Ursberg. Auctor Apolog. Henriciana. Sigebert.

Gebhardus Salisburgensis Archiep. partes Orthodoxorum, Wecilo Mogunt. Shismaticorum tuetur.

Advenerat nunc annus MLXXXV, quo, postquam Hermannus Rex Natalem Christi Goslariæ celebravit, accessit Otto Ostiensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, post Epiphaniam in Saxoniam. Is convocatis Saxoniæ Principibus in colloquium, denunciavit in proxima Synodo Romana rursum à Pontifice anathema pronunciatum in Henricum Regem. Quod judicium Sedis Apostolicæ ita probavere Saxones, ut omnem Pontifici obedientiam obtulerint. Inde XIII Calend. Februarij Gestrungæ in Thuringia convenêre utriusque factionis Episcopi ac proceres, tam à Rege Henrico quàm Hermanno missi. Actum in congressu de concordia; & Catholicorum nomine prolocutus Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, vir canæ sapientiæ, exposuit causas ob quas Henricus à Sede Apostolica proscriptus sit; ideoque nec Regem suum agnosci posse, nec cum eo communicari votum, qui extra societatem fidelium sit positus. Contra Henrici causam egêre Wecilo Moguntinus Archiepiscopus, & Conradus Trajectensis Episcopus. Schismaticorum pars utrimque acerrimè per multas disceptationes altercationesque agitata; ventumque ad pugnam etiam, qua duo Theodorici consanguinei Comites periêre; ac nisi Udo Hildesiensis Episcopus, fraterque ejus Conradus fugâ sese subduxissent, nihil propius erat, quàm ut Saxonum quoque gladijs confoderentur; quòd communem religionis gentisque suæ causam deserere comperti essent. Quapropter & Udo haud multò post cum quibusdam Saxonibus ad Henrici & Schismaticorum partes transijt; eòque à Pontificis Legato omnibus illi sacris est interdictum.

Synodus Quideleburgensis, quæ in ea acta.

Orthodoxi igitur, ut extra adversariorum congressum se firmarent, Quidelenburgi communem omnium Episcoporum synodum indixêre, ad quam Hermannus Rex cum Legato Apostolico, & proceribus ipsis ferijs Paschalibus accessit. Interfuêre huic celebri Catholicorum Synodo Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus, Hartwigus Magdenburgensis Archiepiscopus, Adalbero Wirceburgensis, Altmannus Passaviensis, Adalbertus Wormatiensis, Burchardus Halberstadiensis, Wernherus Merseburgensis, Guntherus Citicensis, Benno Misnensis, Hartwicus Verdensis, Hermannus Metensis, Reginhardus Mindensis, Wigoldus Augustanus, Gebhardus Constantiensis, Henricus Paderbornensis, Episcopi. Hi postquam consedêre, prolata sunt in medium decreta conciliorum, & SS. Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ. Quibus prælectis auditisque, pronunciatum est ab omnibus libera voce pro Gregorio VII Pontifice: probataq; sunt omnia ejus acta; & damnatus Clemens Pseudopontifex, Wecilo Mo-

lo Moguntinus Archiepiscopus, ceterique schismatici Episcopi, qui ab Henrico Rege obtrusi erant adversus orthodoxos Episcopos; qualis in Augustana Cathedra Sigefridus, in Mindensi Folcmarus Canonicus Hildesiensis, in Paderbornensi Henricus Werlensis, alibi alij Pseudoëpiscopi. Multa præterea in hac synodo salubriter pro disciplina Cleri ac populi statuta. Præscripta presbyteris, Diaconis & Subdiaconis perpetua continentia: decretum ne Laici pallas & sacra vasa contingant: ne ijdem decimas sibi vendicent jure proprietatis: ne caseus & ova in Quadragesima comedantur: utque vernum jejunium à prima hebdomada Quadragesimæ, æstivum in Pentecoste servetur. Demum anathema pronunciatum, accensis cereis, in Guibertum Pseudopontificem, Liemarum Bremensem Archiepiscopum, Udonem Hildesiensem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basileensem, Hermannum Spirensem, Nortbertum Curiensem, ceterosque per Germaniam & Italiam Schismaticos, & obtrusos ab Henrico Rege, & Pseudopontifices Episcopos. Tantus in eo conventu Orthodoxorum Episcoporum fervor erat, ut facile intelligeres divino numine hanc synodum regi. Synodo subscripsêre ijdem Episcopi, qui supra relati; fallitque appendix Conciliorum regiorum, in qua loco Henrici Paderbornensis Episcopi ponitur Henricus Bambergensis Episcopus, qui eo tempore Rubertus erat, mox ex Conciliabulo Moguntino inter Schismaticos nominandus. Subscripsêre præterea Eckbertus Marchio, Henricus Crassus Ottonis Ducis filius, Conradus Comes Beuchlingensis. Ea quoque in synodo damnata Henriciana hæresis, qua asserebatur Imperatoribus & Regibus esse supremam potestatem non modò in res profanas, sed & in sacras. Damnata quoque Wecilana hæresis, quæ, auctore Wecilone Moguntino Archiepiscopo, contendebat Principem rebus suis spoliatum divinis legibus non teneri; ita à schismate in hæreses itum. Sed ea postquam ab Henrico Rege cognita sunt, vix tres hebdomadæ effluxêre, cùm & ille Moguntiæ ad S. Albanum pseudosynodum schismaticorum suorum Episcoporum congregavit, cui ipse cum Legatis Pseudopontificis interfuit. Accessêre ad hanc synodum Wecilo Moguntinensis, Eilbertus Trevirensis, Sigewinus Coloniensis Archiepiscopi, & Liemarus Bremensis per Legatum; adhæc Conradus Trajectensis, Henricus Leodiensis, Udalricus Eichstadensis, Meginwardus Frisingensis, Otto Ratisbonensis, Rubertus Bambergensis, Hermannus Spirensis, Otto Constantiensis, Sigefridus Augustanus, Gebehardus Pragensis, Udo Hildesimensis, Henricus Paderbornensis, Erpo Monasteriensis, (adeo jam nomen illud pro Mimigardevordensi receptum erat) Folcmarus Mindensis Episcopi: tres præterea Bibo Tullensis, Burchardus Basileensis, Otto Stratzburgensis Episcopi Legatos suos misêre. Multi ex his metu Regis potius,

Tom. X. Concil. Par. recent. edit. fol. 404. In append. fol 1831. Binius in not.

Conciliabulum Moguntinum, acta in eo.

quàm voluntate sua adfuêre, qui manu quidem & ore, ut Sigebertus retulit, Guiberto addicti, corde tamen Gregorio adhæsêre, ideoque à Synodo se deinceps subtraxerunt. Interim schismatici, qui convenerant Episcopi, præside Wecilone Moguntino Archiepiscopo, adversus Gregorium Pontificem pronunciârunt; tanquam paria relaturi synodo Catholicorum Episcoporum, ne horum judicium quicquam derogaret Henrico Regi suo. Quapropter umbratilem hanc synodum appellavit Bertholdus presbyter. Nihil armis violentius hoc anno tentatum à Rege, quòd Saxones quidam turpiter ab Hermanno Rege suo defecerint ad Henricum Regem. At postquam Henricus receptâ potestate pro ingenio suo sævire cœpit in Saxones, illi mox ad Hermannum Regem fidum Apostolicæ Sedi reversi, Henrici ministros ac milites è Saxoniæ finibus ejecêre.

Gregorij VII Pont. mors & sanctitas. *Berthold. Lambert. Anselm. Lucen. Baronius ad hunc annum.*

At multum hæc Saxonum & Catholicorum Episcoporum consilia conatusque obturbavit mors Gregoiij VII Pontificis, quem hoc anno VIII Calend. Junij Deus solatus ad immortalem quietem evocavit, postquam difficillimis ac turbulentissimis temporibus pontificatum gessisset annos duodecim, mensem unum, dies tres. Mortis præscius dixit. *Dilexi justitiam et odi iniquitatem, propterea morior in exilio*; quemadmodum hæc Otto Frisingensis, & Anselmus Lucensis scripsêre. Inter magnos & sanctissimos Pontifices meritò numerandus, qui pro libertate Ecclesiæ se murum hostibus objecit. Ab eo Episcoporum institutio erepta è manibus impij Regis & Principum, assertaque Clero; cùm illi Episcopatus venales haberent, & indignissimos imponerent Ecclesijs. Ejus constantia & fervore restaurata disciplina Cleri per Italiam & Germaniam; eòque bonis amori, impijs odio fuit. Ac nulla magis vitia, quàm simoniam & Cleri concubinas insectatus est, ut divino munere corrupto Cleri sæculo datus censeri debeat. Vir qui miraculis in vita & post obitum claruit (uti ab his eum etiam commendat Lambertus Schafnaburgensis, præter Anselmum Lucensem, aliosque eorum temporum Scriptores) & cujus corpus Salerni post quingentos annos compertum incorruptum. Nullus fere Pontifex ex omni numero Pontificum, quem magis criminantur hæretici nostrorum temporum; quem ex deforto nomine Hillebrandi vernacula nostra lingua Titionem inferni appellant. Sed hæc non magis nos movere debent, quàm ea, quæ Schismatici eorum temporum, Benno Cardinalis Apologiæ Henrici auctor, alijq; Henricianæ factionis pari calumniandi libidine de sanctissimo Pontifice scripsêre. Quo in genere nullum mihi certius veritatis argumentum est, quàm quòd omnes Episcopi, qui cum Gregorio Pontifice, & Sede Apostolica stetêre adversus Henricum Regem, viri sanctissimi fuerint, multique etiam ex his vivi, & mortui miraculis clari illuxerint: qualis D. Anno Coloniensis, Gebhardus Salisburgensis Archiepisco-

chiepiscopi: Benno Misnensis, Altmannus Passaviensis, Albero Wirceburgensis, Hermannus Metensis, Jmadus Paderbornensis, Egilbertus Mindensis, Fridericus Monasteriensis, alijq; Episcopi Orthodoxi. Contra qui Henrico Regi & Clementi Pseudopontifici hæserunt, aut vani, aut impij, aut suis criminibus notati; quorum plerique infelici morte vitam clausêre, ut eos Lambertus, Bertholdus, ceterique Scriptores percensent.

Rogatus ante obitum Gregorius Pontifex, quem Successorem vellet, nominavit Desiderium Cassinensem Abbatem, virum integerrimum; sed cùm is obluctaretur, electio Pontificis in sequentem annum prorogata est. Interea Clemens eo fallacius liberiusque ferre cœpit se Pontificem, & de Episcopis disponere. Quæ res multos etiam incautos in errorem abduxit, ut Clementem III verum Pontificem colerent; quos inter Erponem Monasteriensem Episcopum numeres. Quanquam post obitum Gregorij Pontificis, ut à Bertholdo relatum est, Catholici Clementem Roma ejecerint, & Ravennam redire compulerint. At nemo insolentior ob mortem Gregorij, quàm Henricus Rex cum suis Schismaticis Episcopis in turbanda Ecclesia; quando alios ex Episcopatu dejecit in exilium, alijs, quos pellere non licuit in Saxonia, alios Schismaticos Episcopos tanquam adulteros subrogavit; quemadmodum Paderbornæ, Mindæ, alijsq;, ut diximus, in locis factitavit. Et unde hoc fœdum Schisma ortum, sustentatumq;, nisi ex fœdis ejus vitijs, quibus per omnem vitæ licentiam insueverat? quemadmodum hæc Stephanus sive Herrandus Halberstadiensis Episcopus, apud Dodechinum & Scriptores Chronici Moguntini in Epistola ad Valtramum Naumburgensem Schismaticum Episcopum percenset, interque cetera prostitutam ab eo propriam uxorem, & sacrorum nundinationes Episcopatuum & Abbatiarum expostulat. *Enimvero*, inquit, *Episcopatum Constantiensem, Babenbergensem, Moguntinensem, et plures alias* dignitates *pro pecunia; Ratisbonensem, Augustensem, Strasburgensem pro gladio; Abbatiam Fuldensem pro adulterio; Monasteriensem Episcopatum* (*quod dicere et audire nefas est*) *pro sodomitica immunditia vendidit. Quæ si impudenter negare volueris, teste cœlo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes, Scioli concludent, Ergo Dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica Sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, qui Catholici sumus, poterit obtinere.*

Schisma ex Henrici Regis vitijs ortum.

Hic, ut ego nihil de ceteris Schismaticis Episcopis; magnopere laborant Monasterienses, uti Erponem Episcopum suum ab hoc crimine absolvant; quem tamen inter pijssimos & integerrimos Episcopos posteritas coluit, tumulo etiam ad ingressum templi elevato. Bochorstius, ut id diluat, ait de Burchardo ejus Successore hæc scripta esse. Sed obstat Episcopi Halberstadiensis epistola, quæ ad hæc potius tempora hæc Regis flagitia refert; Burchardus verò & Theodoricus (quorum

Erpo Ep. Monast. à vitio schismatis, quod pœnitentiâ diluit, vix potest absolvi.

rum alter Schismaticus, alter Orthodoxus) non nisi circa annum Christi 1097 Erponi subrogatus sit; quamvis Dodechinus hanc epistolam ad annum Christi 1090 recitet. Verisimilius dixerim (si tamen vera narret epistola) id flagitium vel ab inimicis confictum fuisse, vel certe alij hujus flagitij comperto Episcopatum ab Henrico Rege oblatum esse, qui tamen nunquam ad Episcopatum illum pervenerit. Quomodo se ista habeant, à labe Schismatis Erpo ægre excusari poterit, quem jam supra in pseudosynodo Schismaticum coram Moguntino præsentem audivimus, infraque cum Clemente Romæ communicasse referemus. Qualia demum illa delicta reputaveris, longè certius est, ea seria pœnitentia ab Erpone Episcopo, profectione cumprimis in Palestinam, expiata esse.

Abbatia Fredensis ab Henrico Reg. donatur Liemaro Archeip. Bremensi.

Illud interim non omiserim in Henrico Rege, qui, pro consueta sua nundinatione rerum sacrarum, hoc anno Liemaro, Bremensi Archiepiscopo, pravoque omnium consiliorum machinatori, Abbatiam Vredensem Sanctimonialium Virginum in diœcesi Monasteriensi donavit. Jam ante Eltenensem impetrârat à Rege, non immerito alter bonorum sacrorum post Albertum in sede illa helluo nominandus. Impiæ hujus donationis testes sunt hæ tabulæ, etsi velo pietatis prætextæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Ramanorum Imperator Augustus. Notum esse volumus et præsentibus et omnium seculorum populis, qualiter fidelis noster Liemarus sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopus, petitionem faciens nostræ Celsitudinis Serenitatem adiit. Habebat is ex nostra munificentia, qua utebatur, Abbatiam quandam, quam ei in rebellione Saxonum fidem nobis servanti, ac suis omnibus relictis arma nostra sequenti, in sustentationem indulsimus. Abbatia Fredena nuncupata, ad honorem sanctissimæ ac pretiosissimæ martyris Felicitatis, matris VII filiorum, sub Principe Christo constructa, ac canonicis monialibus commissa, in pago Westfala dicto, in comitatu Gerhardi Comitis sita est. Quam cùm præfatus venerabilis Archiepiscopus Liemarus Ecclesiæ suæ in honorem sancti Salvatoris, ejusque Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum Jacobi Apostoli, et Viti Martyris constructæ, concedi et perpetuo jure contradi summissis precibus postularet: Cui etiam Romæ ante biennium, captâ urbe Leoniana, Abbatiam aliam Eltene dictam, in pago Hamaland juxta Rhenum sub honore sancti Viti sitam, ac temporibus fidelis nostri sanctæ memoriæ Adalberti Archiepiscopi prædia multa nostris ex reditibus contulimus, nunc in hac petitione fidelissimos nostros Wecelonem Moguntinum, Egilbertum Trevirensem Archiepiscopos, Conradum Trajectensem, Robertum Babenburgensem, Meynhardum Wirceburgensem Episcopos, Fridericum Ducem Suevorum adjutores sibi adhibuit.

Nos

Nos ergo adjutorum dignitatem, fidem, devotionem considerantes, simul etiam ipsius Archiepiscopi Liemari juge servitium, et perpetuos pro nobis labores retractantes, voluntati eorum pro pietate nostra ac liberalitate deesse noluimus. Igitur decernentes eorum petitionibus acquiescere, eandem Abbatiam Fredena nominatam, sanctæ Hammaburgensi Ecclesiæ Imperatoria manu concessimus, ac in proprium tradidimus, ut eam jure perpetuo teneat, possideat, ordinet, et utatur, sperantes hoc factum in salutem, et vitæ subsidium nobis futurum. Dedimus autem, sicut mos est dare Regibus et Imperatoribus, cum ministerialibus, cum mancipiis utriusque sexus, cum Clericis, Ecclesiis, Ecclesiarum dotibus, decimis, terris cultis et incultis, quæsitis et inquirendis, sylvis, forestis, venationibus, pratis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, viis et inviis, molis, molendinis, pascuis, mercatis, theloneis, monetis adhæc cum omni utilitate, quæ exire eisdem ex bonis juste poterit. Sic autem illam tradentes, hanc cartam in testimonium posteritati conscribi, et sigilli nostri impressione signari jussimus, ne qua deinceps potestas hanc nostram traditionem temerare et convellere in perpetuum audeat. Data est autem V Calend. Jannuarii, Anno ab Incarnatione Domini MLXXXV Indictione VIII. Domni Heinrici Anno regni XXXII. Imperii II. Actum Wormatiæ feliciter Amen.

Annus Christi 1086.

Victoris III Pont. 1.
Henrici IV Regis 31. Imp. 3.
Henrici I Ep. Pad. 2.

At Henricus Rex confisus schismaticorum suorum Episcoporum numero, & Principum quorundam auxilijs, rursum altero anno tumultuari cœpit, sed suis cladibus infelix. Nam Boji, qui à Welfone discesserant ad Regem, Duci suo reconciliati, junctique Suevis, Ratisbonam, qua se incluserat Rex, incingere aggressi sunt. Rege profugo, urbs expugnatur; captusque Otto Schismaticus Episcopus. Castris inde in superiores regiones promotis, Gebhardus exul, Archiepiscopus Salisburgi, restituitur, quem Altmannus Passaviensis & Meginwardus Frisingensis Episcopus complexi, cum incredibili Cleri populique gaudio introduxerunt. His feliciter actis erecti Saxones cum Suevis & Bojis haud procul Herbipoli in colloquium veniunt, junctoq; armorum fœdere urbem obsident, quam Wecilo Moguntinus Archiepiscopus, Henrici Regis urbisque propugnator, tenebat. Rex, quò suis tempestivè subveniret, cum exercitu viginti millium advolat. Nec segnior Hermannus Rex cum Saxonum copijs se Bojis & Suevis conjungit; Regisque Hermanni, Welfonis Bojorum, & Bertholdi Suevorum Ducis auspicijs Orthodoxorum exercitus hosti obviam procedit, non tam armis, quàm patrocinio

Berthold. presbyt. Dodeching. Ursberg. Chron. Augusti. Sigebert.

Victoria Saxonum divinitus contra Henricum Reg. ad Herbipolim relata.

patrocinio Numinis confisus. Quam in rem magnam altamq; crucis effigiem plaustro imponunt, prælatoq; rubro vexillo, ad locum prælij læti properant; ac priusquam acie committantur, omnes prostrati in terram tam equites quàm pedites submissi Deum exorant, publicas preces Magdenburgensi Archiepiscopo inter lacrymas ordiente. Post quæ tantus pugnandi ardor incessit Orthodoxos, ut ad primum statim congressum acies Henrici Regis turbata eversaque, Rege inter primos fugiente. Ingens hostium strages facta, quam Sigebertus quatuor millium scribit. Ex Orthodoxis non nisi quindecim desiderati, & triginta saucij memorantur. Inter spolia castrorum reperta ingens Episcoporum supellex sacra. Auctor Apologiæ Henricianæ cladis acceptæ culpam refert in Coloniensis & Trajectensis Episcòpi milites, quòd hi primi ex acie profugerint. In hunc modum jam quintum turpiter prælio cæsus Henricus Schismaticus Rex. Victori mox etiam Herbipolis cessit, restitutusque Adalbero Episcopus, à Rege ejectus. Nam ob hanc causam hæc arma à fœderatis contra Regem suscepta erant, ut Episcopos ab Henrico Rege depulsos reponerent. Redditus tum etiam sedi suæ Altmannus, ad cujus conspectum Timo Schismaticus Passavij Episcopus miseranda morte inter desperationis voces animam è corpore ejecit.

Henricus regali prædio donat Udonem Ep. Hildesh.

Sed tanto contentius laborabat Henricus Rex, ut Schismaticos Episcopos in sua factione retineret; ejus quoque rei gratia Udonem Hildesimensem Episcopum, qui ex Saxonibus ad se transierat, regali prædio donavit, quod ex hisce tabulis cognosci poterit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus. Omnibus Dei nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos Ecclesiæ Hildenesheimensi mediante fideli nostro Udone ejusdem Sedis Episcopo curtem nostram nomine Werla et villas eodem pertinentes, nomine Immenrothe et Jehthere, cum omnibus appendiciis, id est, mancipiis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis et molendinis, campis, silvis et piscationibus, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde poterit provenire, in proprium dedimus, excipientes de hac ipsa donatione clientes nostros cum bonis eorum, et silvam, quæ dicitur Harz, cum forestali jure, et Goslariam cum bonis fratrum Goslariensis Ecclesiæ. Illa autem supra dicta bona pro mansis ducentis dedimus; ea videlicet ratione, ut si quid ibidem ultro ducentos mansos inveniret, nobis retineremus. Si quid minus, id supradictæ Ecclesiæ aliunde suppleremus. Et ut nostræ hujusmodi donationis auctoritas omni ævo stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi et sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti.

Herimannus

*Herimannus Cancellarius vice Wecelonis Archicancellarii recognovit. Data Calend. Januarii ab Incarnatione Domini MLXXXVI Indictione * VIII anno autem Domni Heinrici Imperatoris regni quidem XXXI imperii autem II. actum Wormatiæ feliciter Amen.*

* ind. VIIII. est.

Erpo interim Monasteriensis Episcopus, magno religionis studio sacra sibi sumpsit instauranda in sua diœcesi. Quam in rem Collegio Sanctimonialium Virginum Freckenhorstensium certa jura & privilegia donavit. Extant hac super re tabulæ apud Bochorstium. Subscripsere tabulis magno numero primùm Clerici, deinde Milites, postremùm Ministri ejus Ecclesiæ, quas ipse hoc primo ordinationis suæ anno Mimigardevordiæ consignavit. Ac tametsi Mimigardevordensem Episcopum se scribat ijs in literis, nomen tamen Monasteriensis Episcopi per id tempus invaluerat, uti ex auctore Apologiæ supra relato constat, à quo Monasteriensis Episcopus nominatur. Has autem Sanctimoniales Virgines ex instituto Canonicarum fuisse liquebit ex literis Erponis, quibus præter Abbatissam etiam Præpositam, Decanam, aliasque ex gradibus munerum nominat, cujusmodi pleraque fuêre Monasteria Virginum per Saxoniam.

Erponis Ep. Monast. studium in monasteria suæ diœcesis.

Erpo præterea magna liberalitate Monasterium Virginum Transaquensium, quod ejusdem instituti in urbe Monasteriensi celebre erat, quodque anno 1071 totum cum templo deflagrârat, & in rudera prope consederat, instaurandum sumpsit, altariaque ignibus deformata, chorumque Virginum iterato consecravit; templum verò à se instauratum altero mox anno solemni ritu dedicatum est.

Annus Christi 1087.

Victoris III Pont. 2.
Henrici IV Regis 32. Imp. 4.
Henrici I Ep. Pad. 3.

Fractum superioris anni clade Victores Henricum Regem Oppenheimium ad colloquium ex concilio invitant, acturi de concordia. Id cùm eluderet Rex, denuo Calend. Augusti haud procul Spira ad conventum sollicitant, omne rursum obsequium offerendo, modò cum Ecclesia in gratiam redeat; quòd dicerent religione se prohiberi communicare cum Rege, qui anathematis vinculo teneatur. At nihil ab obfirmato Rege impetratum. Quapropter novo fœdere conspiratum in Regem, in quod & Ladislaus Ungariæ Rex se ultro dedit, obtulitque xx millia Orthodoxis in auxilium. His pactis, constituêre octavum diem S. Michaëlis, quo prælio secum decerneret. At Rex postquam Bohemos sibi junxerat, omissis Bojis & Suevis, in Saxoniam cum exercitu irruit; cui Hermannus Rex, qui hunc

Berthold. Dodechinus.

Nova clade obteritur Henricus, novisq; Pontificum sententijs damnatur.

annum inter Saxones agebat, cum ingenti multitudine armatorum Saxonum occurrit, primoque incursu obtritum in fugam abjecit. Et haud dubiè Henricus captivus in potestatem Saxonum venisset, nisi Egbertus Saxonum Marchio æmulatione Hermanni Regis per fraudem elabi permisisset. Sexta hæc Henrici clades à Saxonibus accepta. Jam in xx prope annum ab hoc Rege omnibus viribus oppugnata Saxonia; at semper ille victus, quia ex flagitiosa vita Schismaticus, proscriptusque trium Pontificum judicijs, quibuscum Deus pugnavit pro Saxonibus. Quippe Desiderius Pontifex, qui Victoris III nomine subrogatus, statim ab electione, ut Bertholdus refert, pronunciavit anathematis sententiam in Henricum Regem ejusque consortes. Is verò, cùm Pontificatu se exueret, ad Cassinum regressus, nec ullis precibus & lacrymis flecti posset, ut resumeret, delectus est altero anno Otto Episcopus Ostiensis, Legatus Sedis Apostolicæ per Saxoniam, assumpto Urbani II nomine, vir religione & doctrina eo sæculo facilè præstantissimus; & is missis ad omnes Orthodoxos literis Henricum ejusque fautores proscripsit. Inde nondum cladium malorumque finis, quæ Regem ultrici pœna sunt consecuta. Memorat Gobelinus noster, quo veteri auctore incertum, hoc anno Conradum Henrici Regis filium à Sigewino Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani Regem inunctum.

Berthold. Leo Ostiens. lib. 3. c. 65. Baronius.

Annus Christi 1088.

Urbani II Pont. 1.
Henrici IV Reg. 33. Imp. 5.
Henrici I Ep. Pad. 4.

Hermannus Rex regno se abdicat, & paulo pòst obit. *Berthold. Dodechin. Ursberg. Sigebert. Albert. Stad. Auctor vitæ Henrici.*

Versabatur adhuc in septimum annum, Christi MLXXXVIII, Hermannus Rex in Saxonia, bellica virtute victorijsque clarus; cùm æmulatione Eckberti Marchionis, quòd & ipse regnum affectaret, agitari in aliorum invidiam cœpit; compertique Saxones nonnulli animis sensim alienores suæ gentis Regem quàm exterum malle. Quæ postquam animosus Rex didicit, posito ultro Regis titulo, in Lotharingiam redijt ad privatum vitæ genus; nec multum superstes, in Oppidi alicujus oppugnatione, dum muros propius subit, grandi in caput saxo projecto occubuit; quod in ludicra aggressione alij factum volunt, mulieremque fuisse, qui molarem lapidem in caput ejus devolverit. Nemo ea abdicatione regni lætior, quàm Henricus Rex, quem submoto æmulo Saxones quidam proni receperant; quos inter Henricus Marchio de Schaden. At cùm Rex cum imperio ferocem pro ingenio dominatum intenderet, & tot Episcopi in periculum schismatis venirent, pœnituit mox Saxones; hortatique sunt Eckbertum Marchionem, gentis fidem non desereret, neq; communione

Saxones, duce Eckberto, rursus Henricum cædunt.

nione schismatici Imperatoris gloriam fœdaret. Ille igitur spe regni pellectus Reipublicæ curam suscipit, militemque contrahit, & convolantibus Orthodoxis, Henricum è Castello quodam, quod obsederat cum clade depellit. Quæ ut Rex pudoris iræque plenus ulcisceretur, cum instaurato exercitu in Saxoniam redit, uxore ac sorore cum gynæceo Goslariæ relictis, ipse ad castrum Gliche, quod Eckberti Marchionis erat haud procul Erfurto, expugnandum digressus. Obsidio à pervigilio Assumptæ Virginis ad Natalem Christi producta; cùm Eckbertus Marchio, collecto Saxonum exercitu, advolat. Rex, adventu Marchionis per exploratores cognito, tumultuariam aciem componit, quam Eckbertus, homo audacissimus, ipse signifer & Dux aggressus, post dimicationem fugat cæditque. Pugna in noctem continuata. Captus eo prælio Liemarus Bremensis Archiepiscopus à Ludero sive Lothario Comite, quem postea Germania Imperatorem sortita est; Burchardus verò Losannæ Episcopus, qui regalem lanceam ferebat, interemptus. Innumera præterea cæsorum, sauciorum & captivorum multitudo fuit. Rex, amisso diademate & Regni insignibus, profugus non longè à Merseburgo cum reliquis copijs se in collem recepit, in quo, corona omni ex parte facta, incingitur, ne elabi possit; nec prius exire permissus est, quàm sanctè juraret, se cum Pontifice in gratiam rediturum, schismati renunciaturum, & pacem Ecclesiæ Germaniæque redditurum; quæ in toties fœdifrago Rege verba & doli fuerunt. Ubi primùm evasit, haud secus quàm fera à plagis dimissa ad ferociam redijt; quo constaret lupum, quem auribus tenuerant, pilum quidem non genium mutasse. Bertholdus Regem fugâ Bambergam dilapsum perhibet. Septima hæc infelicis Regis clades notatur.

Chron. Brem. Albert. Stad.

Has inter turbas excessit è vita sexto Calend. Augusti Benno, XVIII post D. Wihonem Osnabrugensis Episcopus, qui, postquam per Altmannum Apostolicæ Sedis Legatum ab anathemate ante septennium solutus Schismaticos deseruit, contemptáque Henrici aulâ, in qua magnâ Regis gratiâ eminebat, Catholicis hæsit, vitam exinde omnem in sacrorum administratione, in formanda Cleri & religiosorum disciplina, in pietatis operibus quàm religiosissimè insumpsit, tanquam prioris schismatis noxas cumulatè expiaturus. Duo ab illo Monasteria condita dotataque sunt; alterum Jburgense D. Benedicti familiæ, in quod primùm Monachos è Colonia & Panthaleone introduxit; quos cùm adverteret inter ædificij strepitus laxius vivere, Minda rigidioris instituti accersijt. Montem Jburgum, in quo à Caroli M. ætate castrum perhibetur fuisse, divisit in Episcopi Sedem & Monachorum Cœnobium, Monachosque amplis bonis dotavit, quibuscum religiosam vitam duxit (præterquam

Norbertus Iburg. Abbas in vita Bennonis.

Bennonis Ep. Osnab. mors & sanctitas.

quòd dominicis & festis diebus Osnabrugum profectus, in sua metropoli post solemne sacrificium ad populum perorarit) quo etiam in Monasterio honoratiore tumulo quiescit. Alterum Cœnobium in monte S. Gertrudis & urbis conspectu Virginibus instituti D. Benedicti condere cœpit. Id, quia morte præreptus, Successoribus absolvendum reliquit. Adeo pietatis & sanctitatis fama celebris, ut Embserus aliique Divorum numero adscribendum duxerint; quemadmodum res ab eo gestas Nortbertus secundus Jburgi Abbas pluribus conscripsit. Bennoni fasti Osnabrugenses substituunt Marquardum Corbeiensem Abbatem delectum Episcopum, qui tamen proximo ab hinc anno Corbeiæ Abbas refertur in eorum fastis: nam cum dubitatio esset injecta, utrumne corpus S. Viti Corbeiæ possideretur, Marquardus reliquias cum senioribus inspexit, integras reperit. Interim ab excessu Bennonis Osnabrugenses Marquardum sibi inter Orthodoxos suum Episcopum vendicant, sicuti Cœnobium illud semper in fide Apostolicæ Sedis perstitit.

Annus Christi 1089.

Urbani II Pont. 2.
Henrici IV. Regis 34. Imper. 6.
Henrici I Ep. Pad. 5.

Berthold. Post cladem ad Glicham castrum acceptam, proximo statim anno, Henricus Rex instaurato exercitu Saxoniam ingressus est. Magna ejus expeditionis spes erat, magnisq; Schismaticorum animis & armis Saxonia opprimenda sumebatur; verùm, ut Bertholdus scribit, spe omnium delusus Rex rejectusque, retro, unde venerat, sine honore redire compulsus est. Tanto nimirum terrore Saxones adhuc arma ex tot cladibus Regi illatis circumferebant. Principes tum Orthodoxorum Eckbertus Marchio & Lotharius Comes: hic Liemarum Episcopum Bremensem Schismaticorum antesignanum detinebat captivum; nec prius dimisit, quàm advocatiam urbis Bremensis & trecentas marcas argenti sibi daret. Ille Udonem Hildesimensem Episcopum, qui ad Henricum transierat, in vinculis tenebat, nec ante etiam liberum facere voluit, quàm urbem Hildesimensem, quam per multos dies oppugnaverat, sibi traderet. Ac dati quidem obsides ab Udone, non tamen urbs dedita, tametsi Marchio unum ex obsidum numero capite plecti jusserit. Ita verò inter ipsos Saxones pugnatum, dum alij Orthodoxorum, alij Schismaticorum cum Henrico Rege partes sectarentur. Quemadmodum ex hoc Saxonum dissidio ac seditione anno superiori Burchardus Halberstadiensis Episcopus Goslariæ occisus est, vir sago togaque clarus, qui magnâ animi constantiâ Catholicorum partes adversus Schismaticum Regem defende-

Chron. Brem. Albert. Stad. Fasti Corbej. Bertholdus.

defenderat. Hac rerum conturbatione Saxones, ceterique Catholicarum partium, pertæsi laborum, se ad concordiam & pacis studia Henrico Regi obtulerunt. Et res ad colloquium rursum devenit, in quo cùm iterato ab Rege peterent, ut si cum Pontifice & Ecclesia in gratiam rediret, Guiberto Pseudopontifice dimisso, pronos se ad omne Regis obsequium redituros, non multum abnuere visus est Rex; verùm Schismatici Episcopi ac proceres mox Regis mentem in diversa prorsus consilia abripuerunt, quòd per id tempus magnopere increvisset Schismaticorum Episcoporum numerus & potentia. Nam, ut Bertholdus presbyter est auctor, in Germania non nisi quinque Orthodoxi Episcopi censebantur, Wirceburgensis, Pataviensis, Wormatiensis, Metensis, & Constantiensis; eoque debilior pars eorum erat, quòd Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus Catholicæ partis acerrimus propugnator superiori anno abierat è vita, in cujus locum Apostolicæ Sedis Legatus à Pontifice Urbano nominatus est Gebhardus Constantiensis Episcopus; ausi tamen Catholici in ejus locum Salisburgensis subrogare alium Catholicum, qui mox, jubente Pontifice, ab Herbipolensi & Frisingensi Episcopo consecratus est. Sed extra hanc paucitatem Orthodoxorum Episcoporum supererant Orthodoxi per Saxoniam Episcopi, quorum magnus adhuc numerus; interque hos Hartwicus Magdenburgensis Archiepiscopus, Wernherus Merseburgensis, alijque in ea Metropoli: in Westfalia Henricus Paderbornensis, Marquardus Osnabrugensis, Hartwicus Verdensis, ac ceteri per Saxoniam inferiorem & Transalbianas regiones Episcopi. Quanquam, morientibus Orthodoxis Episcopis, sensim ab Henrico Rege obtruderentur Schismatici. Quemadmodum hoc anno post obitum Reinwardi, Mindensium Episcopi, acerrimique Catholicarum partium propugnatoris, ab Henrico Rege Mindensi Ecclesiæ vi armorum impositus est Volcmarus Hildesiensis Canonicus, qui jam ante à pseudosynodo Moguntina, vivo adhuc Reinwardo, intrudi cœperat.

Henricus Rex frustra invitatur, ut cum Ecclesia in gratiam redeat.

Obijt hoc quoque anno Sigewinus Coloniensium Archiepiscopus, in cujus vacuam sedem repositus Hermannus III, cognomento dives, potentis, sed incertæ familiæ; hæsit is quoque ut Sigewinus Henrico Regi, aucto Schismaticorum numero.

Annus Christi 1090.

Urbani II Pont. 3.
Henrici IV Regis 35. Imp. 7.
Henrici I Ep. Pad. 6.

Conturbatus rerum status per Saxoniam, quem conturbationem fecit anno proximo Eckberti Marchionis interitus. Is cùm

Bertholdus. Auctor vitæ Henrici. Sigebert.

ex

ex itinere ad molendinum Eisenbentelense quoddam quietis causa deflecteret; dolo Abbatissæ Quidenleburgensis, quæ soror erat Henrici Regis, circumventus per Satellites obtruncatur. Magna ille hactenus auctoritate & ingentibus animis juvenis bella gesserat, regium etiam nomen non secus quàm Eckbertus pater, Henrico Imperatore, affectare ausus, quòd ex veteri Saxonum Regum & Jmperatorum familia originem traheret; sed ut pater, ita & ille popularium studia adversa habuit. Capite & propugnatore sublato, Saxonia Henrico Regi sine armis cessit; nec prius victa est, quàm dissidijs divisa, spoliataque Duce armorum, ultro se submitteret Regi, compositaque pace, uti Sigebertus scribit, ab omni bellorum motu quiesceret. Quibus deinde pactis & legibus conventum sit, quove dominatu Saxoniam occupârit, aut cui administrandnm reliquerit, à Scriptoribus eorum temporum desideratur.

Eckberto mortuo Saxonia ultrò se Henrico subjicit.

Hac tempestate & mutatione rerum, cùm jam Schismaticorum potentia prævaleret, Henricus Asloënsis, Paderbornensis hactenus Episcopus noster, ejectus Magdenburgum concessit; ubi ab Hartwigo Archiepiscopo, Orthodoxorum insigni patrono, benignè exceptus, & in Collegium Clericorum admissus, privatam Canonici vitam egit, dum ob spectabilem virtutem & constantiam religionis, decennio abhinc, post obitum Hartwigi, Magdeburgensium Archiepiscopus eligeretur.

Pellitur à sua sede Henricus Asloënsis Ep. Pad.

HEN-

HENRICVS II
Comes Werlensis
XV9
EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1090.

Urbani II Pont. 3.
Henrici IV Regis 35. Imp. 7.
Henrici II Ep, Pad. 1.

POst depulsum ab Episcopatu Henricum Asloënsem, Paderbornensi Sedi impositus est Henricus Werlensis, Comitis Werlensis filius, is qui jam ante quinquennium ex Collegio Canonicorum Goslariensium ab Henrico Rege huic Ecclesiæ inter Schismaticos, ut diximus, obtrusus erat. Quod ad hæc tempora referimus, eò quòd Henricus Rex hoc anno Saxoniam cum pleno dominatu ingressus, libere de sacris ac civilibus disposuerit: &, quemadmodum Gobelinus noster scripsit, ordiendo Episcopatum à prima dissidij coronatione, per XLIV annos Paderbornensem Henricus Ecclesiam gubernârit. Eò verò sensim res deducta erat per Germaniam & Saxoniam, ut Episcopi, qui Shismatici ferebantur, ab Rege impositi, nulla conscientiæ religione tacti, Episcopatus adirent, quòd Episcoporum institutionem, pro recepto usu, Regum & Imperatorum crederent, & Pontificis abrogantis auctoritatem negligerent, incertique hærerent, quem certum Pontificem colerent, Guiberto adhuc Pseudopontifice omnia sibi Apostolicæ Sedis jura vendicante. Accedebat Wecilonis Moguntinensis, Sigewini, & post eum Hermanni hoc anno subrogati Coloniensis, Liemari Bremensis Archiepiscoporum, ceterorumq; Shismaticorum Episcoporum multitudo, quæ longè major quotannis invalescebat, quàm Orthodoxorum erat; ut jam tota Imperij potestas penes Schismaticos Episcopos & Henricum Regem esset. Fœda dissidij tempora, quibus impius & Schismaticus Rex Episcopos cum Episcopis, Clerum cum Clero, Abbates cum

Gobelinus ætat. 6. c. 55.

cum Abbatibus, Monachos cum Monachis, Scriptores Catholicos cum Scriptoribus Schismaticis commisit; fuitque è Catholicorum numero Bernardus Constantiæ Scholarum Magister, vir egregiæ eruditionis, multisque scriptis clarus, qui Schismaticorum Sacramenta irrita doceret, eòque ordinatos ab illis denuo consecrandos judicaret. Quam tamen sententiam reliqui Catholicorum improbaverunt, uti hoc Bertholdus presbyter retulit. Summus error crimenque Schismaticorum, quod pro vero Pontifice Guibertum Pseudopontificem colerent, & Ecclesiam scinderent.

Henricus Italiam ingressus prælio à Welfone superatur. *Donnizo in vita Mathild.* *Berthol. presbyt.*

At Regi hoc anno non plura in Saxonia turbare concessum, quòd in Italiam, urgente majore periculo avocatus, mense Martio susceperit expeditionem, eò deinde in regno per VII annos versatus. Graves istic motus erant; quippe Mathildis Godefridi Ducis vidua, & potentissima Bonifacij Marchionis filia, suasu Urbani Pontificis cum Welfone juniore, Welfonis Bojariæ Ducis filio, nuptias contraxerat; & ut Gregorium VII Victoremque Pontifices tutata fuerat, ita Urbani patrocinium suscipiebat. Veritus igitur Henricus Rex, ne cum novo marito, & bellicosi Ducis filio, totius Jtaliæ Regnum ad se traheret, Lombardiam armatus ingreditur, certus armis ejicere ex Jtalia Welfonem. Nec segnior Welfo Regi occurrit cum exercitu in campis Sobariæ, collatisque signis Henricum Regem superat. Adeo ubique Rex prælijs infelix; qui tamen instauratis copijs, adjutusque Jtalorum accessione bellum ulterius trahere ausus est.

Albertus Bochorst. ad vitam Erpon. Erpo Ep. Monasteriensem majorem Ecclesiam consecrat.

Hæc Regis absentia quietam fecit Saxoniam, in qua Erpo Monasteriensis Episcopus IV Nonas Novembris solemni ritu cum Hermanno Coloniensi Archiepiscopo, & Henrico Leodiensi Episcopo majorem Ecclesiam dedicavit, confluente innumera cleri & populi multitudine; quemadmodum ipse Erpo in publicis hac super re literis profitetur, quibus se indignum Monasteriensis Ecclesiæ Opilionem vocat. Extant quoque vetustæ præclaræque Erponis tabulæ, hoc anno, qui primus ejus ordinationis fuit, consignatæ, quibus disciplinam Freckenhorstensis Collegij Sanctimonialium Virginum à se instauratam, victumque earum tenuem liberalitate sua auctum testatur.

Annus Christi 1091.

Urbani II Pont. 4.
Henrici IV Reg. 36. Imp. 8.
Henrici II Ep. Pad. 2.

Bertholdus Henrici Reg. turbæ in Italia.

Cæterum Henricus Rex bello Jtalico inhærebat; captaq; Mantua, undecimo obsidionis mense, Romanos compulit Guibertum Pseudopontificem in urbem recipere. Nihilo dejectior Urbanus Pontifex Beneventi synodum Episcoporum collegit, pronunciata in Pseudo-

Pseudopontificem & quotquot illi perfida factione inhærebant, anathematis sententia. Ad hasce Italiæ turbas componendas Welfo Dux Bojariæ in Italiam secutus est filium; at cum nihil à pertinace Rege obtineret, rediit in Germaniam, multosq; Principes sibi in societatem fœderis junxit; agitataque sunt consilia inter Orthodoxos de alio Rege deligendo; quæ tamen ob potentiam Schismaticorum intermissa.

Vita communis in Germania apud Laicos.

Inter has turbas, quod mireris, innumera non modò Clericorum, sed & Cœlibum, & conjugatorum, tam in urbibus quàm agris rusticanorum juvenum puellarumque multitudo ultro in certas vivendi leges communemque bonorum usum convenit, quale vitæ genus in ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs floruerat. Quam vivendi rationem Urbanus Pontifex luculento diplomate confirmavit.

Obitus & laus D. Altmanni Ep. Passav. Paderb. Ecclesiæ quondam Canonici.

Subtractus hoc anno 7 Idus Sextilis è vita mortalium Altmannus Passaviensis Episcopus, vel eò nobis commemorandus, quòd inter Saxones apud nos natus, Paderbornæ, ut diximus, literis & disciplina Cleri excultus, interque Canonicos hujus Ecclesiæ adscitus, scholarum moderator ob insignem doctrinam sit delectus. Unde ob virtutum commendationem Præpositus Aquisgranensis, ex eoq; munere ad Pataviensem Episcopatum evocatus est; quem septem & viginti annos admirabili sanctitate, & fervore religionis gessit. Vir qui continentiam Cleri, Pontificis auctoritatem, & Catholicas partes insigni constantia propugnavit, eóque à Pontifice Legatus Apostolicæ Sedis per Germaniam constitutus, qui Cleri populique mores suo exemplo formaret. Hinc tot odijs Schismaticorum, tot Henrici Regis injurijs, tot exilij ærumnis agitatus est; donec postremis annis ad Episcopatum Catholicorum studijs revocatus in pace quiesceret, decus Episcoporum, & columen laborantis Ecclesiæ. Duo ab eo Monasteria condita, D. Nicolai Passaviense, & Gotwicense. Miracula quibus Altmannum in vita & post obitum Deus illustravit, conscripsit auctor à Tennagelio in lucem datus. His omnibus tantam apud posteros sanctitatis famam reliquit, ut Divorum numero adscribi meritus sit.

Annus Christi 1092.

Urbani II Pont. 5.
Henrici IV Reg. 37. Imp. 9.
Henrici II Ep. Pad. 3.

Alemanniæ Principes conventum habent adversus Schismaticos.

Tumultuante jam in tertium annum Rege per Italiam, quo & vires omnes adversus Welfonem & Mathildem conjugem contraxerat, Alemanniæ Orthodoxi Principes conventum habuere adversus Schismaticos; auspicijsque Gebhardi Constantiensis Episcopi Bertholdum totius Sueviæ Ducem sibi delegêre. Invitati ad hunc conventum Saxoniæ Principes. Verùm tanta fames Saxoniam consumpserat, ut plerique procerum in alias provincias concesserint. Hu-

Berthold. Ursberg. Sigebert.

jus calamitatis jam anno superiori prodigia antecessere. Nam visum cœlum alibi sanguine stillare, & bufones piscesque cum pluvia decidere; alibi locustarum agmina fruges depasci, ac per aliquot millia passuum volitando, explicata nube suâ solis lumen obtegere. Accedebat lues, qua innumeri homines extincti. Ita fame & peste Saxonia exhauriebatur; qua schismatis pœna cùm plurimi se castigari intelligerent, ad Catholicorum societatem rediêre.

Annus Christi 1093.

Urbani II Pont. 6.
Henrici IV. Regis 38. Imper. 10.
Henrici II Ep. Pad. 4.

Berthold. Dodechin. Albert. Stad.

Subinde Henricus Rex per Italiam publicis & domesticis malis tanquam furijs agitari cœpit. Nam Adelheidem conjugem, quam ante quadriennium, priori amissâ, Coloniæ duxerat, Ottonis Russorum Marchionis honestissimam filiam, aversatus, publicè aulæ proceribus prostituendam obtulit, etiam Conrado filio; ad quod flagitium cùm ille cohorresceret, diceretque se filium ejus esse, hanc verò novercam suam, illusit hæc Rex, negavitque eum filium suum esse. Interim Regina, quæ in custodia tenebatur, elapsa ad Mathildem & Urbanum Pontificem; à quibus benigne excepta est; quæ deinde tam impium maritum detestata in Monasterium secessit. Hoc eodem flagitio Patris aversus Conradus filius ad Pontificis & Welfonis ducis partes transijt; nec multò post, probante Welfone ac Pontifice, à Mediolanensi Archiepiscopo Italiæ Rex creatus, & cum Welfone Duce in Lombardiam digressus, patrem oppugnavit. Id verò tanto dolore acceptum à patre, ut per desperationis consilia mortem sibi consciscere cogitaret. Quæ postquam in Germaniam perlata, nova adversus impium Regem conspiratio exarsit inter Bojos, Suevos, & Teutoniæ populos, quorum capita Welfo Bojariæ & Bertholdus Sueviæ Duces. Saxones nostri per hæc in Barbaros vertêre arma; nam cùm Sclavi per hæc civilia nostrorum dissidia rebellassent, Magnus, Dux Saxonum, eos popularium viribus aggressus, prœlio commisso fudit, erectisque quatuordecim urbibus ad obsequium redegit; uti hæc priscus eorum temporum scriptor in Chronico Hildesiensi retulit. Qua interim ex causa incertum, Marquardus ex Abbate Corbeiensi ante quadriennium Osnabrugensium Episcopus delectus, è sede illa ejectus ad suum Monasterium, vitamque quietiorem redijt. Subrogatus Wido xx ejus loci Episcopus, haud dubiè schismaticæ factionis homo. Hæc nimirum illa calamitas, de qua Bertholdus presbyter questus, post sublatum anno superiori Wernherum Merseburgensem Episcopum, vix ullum in tota Saxonia repertum esse Catholicæ communionis Episcopum. Ac vix reperiò, præter Hartwigum

Conrad9 contra Henricum patrem insurgit.

Chron. Hildes. editum tom. 3. Franc. Hist.

Marquardus abdicato Episcop. Osnab. ad Monasterium redit.

gum Magdenburgensem Archiepiscopum, qui constanter in Apostolicæ sedis conjunctione perstiterit. Ceteri plerique in Henrici Regis partes transierant, quod non illud, quod res poscebat, per simplicitatem & ignorantiam discrimen facerent, Urbanumne an Clementem Pontificem sequerentur; & jam Urbanus Pontifex multa mitigârat in anathematum pœnis à Gregorio decretis, ut Bertholdus scribit. Inde libere omnia Episcopi munia nullo violatæ religionis metu peragebant. Quos inter Henricus Episcopus donationem Gumberto Abdinghoviano Abbati hoc anno factam publica auctoritate Episcopi ratam habuit. Ea sic habet.

Henricus Ep. Pad. bona quædam Monast. Abdinckhof. confirmat.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Henricus Dei gratia Paderbornensis Ecclesie Episcopus. Notum esse volumus universitati fidelium, quod tribus fratribus secundum carnem nobilibus dividentibus hereditatem, uni provenit in parte sua territorium Colstide, alteri superius Holthuson, tertio nomine Imiconi inferius Holthuson, quorum unus dedit partem suam scilicet Colstide S. Liborio ad principalem Ecclesiam in Paderb. alter suam partem videlicet superius Holthuson tradidit S. Liutgero in Werthen, quam traditionem ut ille tertius nomine Imico consentiendo laudaret, ei de sua parte lapidem agistersteyn in vicino nemore, et totum à cacumine ipsius lapidis usque in campos inferioris Holthuson, et usque ad campos vicini pagi Hornon in proprietatem dederunt, sicque idem Imico usque ad finem vite sue cum territorio Holthuson eundem lapidem usque ad prædictos fines singulariter possedit. Prædictus vero Imico moriens suum filium nomine Erphonem heredem reliquit, qui et predictam patris hereditatem absque contradictione tenuit. Ipse autem immatura morte preventus matri sue Ide sua omnia hereditavit, à quo videlicet Ida cum consensu filie sue nomine Witsuit, et generi sui nomine Everhardi de Veltheim, et aliorum heredum dominus Gumbertus venerabilis nostræ civitatis Abbas datis XIIII libris argenti cum aliis Xeniis Monasterio, cui prefuit, in honore sanctorum Apostolorum Petri et Pauli constructo, idem territorium cum lapide jam dicto, et cum vicino nemore pleniter, ut predictus Imico, et sui heredes tenuêre acquisivit, et VI solidos gravioris monetæ, qui inde omni anno solvuntur fratribus suis Monachis in refectorio ad caritatem servire constituit in anniversario Ottonis Comitis et item in anniversario ejusdem layci nomine Bosiconis fratris ipsorum quorum uterque quinque marcas ad coemptionem ipsius territorii impendit pro hac ipsa causa scilicet pro commemorando anniversario eorum. Hujus rei testes sunt Gerhard, Wolfhard, Walraf, Embrico, Meinger, Godescald, Sibertus, Trithemar, et alii multi. Hanc autem cartam istam traditionem scriptam tenentem Ego Heinricus Dei gratia Paderb. Sedis Episcopus rogatu præfati Abbatis et fratrum suorum sigillo nostro insigniri feci, anathematis sententia feriens omnem personam, quæ hæc bona prædicto Monasterio auferre temptaverit absque justa et utili commutatione. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominice MLXXXXIII Indictione II, regnante Heinrico Rege IIII.*

* al. I.

Berthold. Ursberg. Sigebert. jus calamitatis jam anno superiori prodigia antecessere. Nam visum cœlum alibi sanguine stillare, & bufones pisces que cum pluvia decidere; alibi locustarum agmina fruges depasci, ac per aliquot millia passuum volitando, explicata nube sua solis lumen obtegere. Accedebat lues, qua innumeri homines extincti. Ita fame & peste Saxonia exhauriebatur; qua schismatis pœna cùm plurimi se castigari intelligerent, ad Catholicorum societatem rediêre.

Annus Christi 1093.

Urbani II Pont. 6.
Henrici IV. Regis 38. Imper. 10.
Henrici II Ep. Pad. 4.

Berthold. Dodechin. Albert. Stad. Subinde Henricus Rex per Italiam publicis & domesticis malis tanquam furijs agitari cœpit. Nam Adelheidem conjugem, quam ante quadriennium, priori amissâ, Coloniæ duxerat, Ottonis Russorum Marchionis honestissimam filiam, aversatus, publicè aulæ proceribus prostituendam obtulit, etiam Conrado filio; ad quod flagitium cùm ille cohorresceret, diceretque se filium ejus esse, hanc verò novercam suam, illusit hæc Rex, negavitque eum filium suum esse. Interim Regina, quæ in custodia tenebatur, elapsa ad Mathildem & Urbanum Pontificem; à quibus benigne excepta est; quæ deinde tam impium maritum detestata in Monasterium secessit. Hoc eodem flagitio Patris aversus Conradus filius ad Pontificis & Welfonis ducis partes transijt; nec multò post, probante Welfone ac Pontifice, à Mediolanensi Archiepiscopo Italiæ Rex creatus, & cum Welfone Duce in Lombardiam digressus, patrem oppugnavit. Id verò tanto dolore acceptum à patre, ut per desperationis consilia mortem sibi consciscere cogitaret. Quæ postquam in Germaniam perlata, nova adversus impium Regem conspiratio exarsit inter Bojos, Suevos, & Teutoniæ populos, quorum capita Welfo Bojariæ & Bertholdus Sueviæ Duces. Saxones nostri per hæc in Barbaros vertêre arma; nam cùm Sclavi per hæc civilia nostrorum dissidia rebellassent, Magnus, Dux Saxonum, eos popularium viribus aggressus, prœlio commisso fudit, erectisque quatuordecim urbibus ad obsequium redegit; uti hæc priscus eorum temporum scriptor in Chronico Hildesiensi retulit. Qua interim ex causa incertum, Marquardus ex Abbate Corbeiensi ante quadriennium Osnabrugensium Episcopus delectus, è sede illa ejectus ad suum Monasterium, vitamque quietiorem redijt. Subrogatus Wido xx ejus loci Episcopus, haud dubiè schismaticæ factionis homo. Hæc nimirum illa calamitas, de qua Bertholdus presbyter questus, post sublatum anno superiori Wernherum Merseburgensem Episcopum, vix ullum in tota Saxonia repertum esse Catholicæ communionis Episcopum. Ac vix reperiò, præter Hartwigum

Conradus contra Henricum patrem insurgit.

Chron. Hildes. editum tom. 3. Franc. Hist.

Marquardus abdicato Episcop. Osnab. ad Monasterium redit.

gum Magdenburgensem Archiepiscopum, qui constanter in Apostolicæ sedis conjunctione perstiterit. Ceteri plerique in Henrici Regis partes transierant, quòd non illud, quod res poscebat, per simplicitatem & ignorantiam discrimen facerent, Urbanumne an Clementem Pontificem sequerentur; & jam Urbanus Pontifex multa mitigârat in anathematum pœnis à Gregorio decretis, ut Bertholdus scribit. Inde libere omnia Episcopi munia nullo violatæ religionis metu peragebant. Quos inter Henricus Episcopus donationem Gumberto Abdinghoviano Abbati hoc anno factam publica auctoritate Episcopi ratam habuit. Ea sic habet. Henricus Ep. Pad. bona quædam Monast. Abdinckhof. confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Notum esse volumus universitati fidelium, quod tribus fratribus secundum carnem nobilibus dividentibus hereditatem, uni provenit in parte sua territorium Colstide, alteri superius Holthuson, tertio nomine Imiconi inferius Holthuson, quorum unus dedit partem suam scilicet Colstide S. Liborio ad principalem Ecclesiam in Paderb. alter suam partem videlicet superius Holthuson tradidit S. Luitgero in Werthen, quam traditionem ut ille tertius nomine Jmico consentiendo laudaret, ei de sua parte lapidem agistersteyn in vicino nemore, et totum à cacumine ipsius lapidis usque in campos inferioris Holthuson, et usque ad campos vicini pagi Hornon in proprietatem dederunt, sicque idem Jmico usque ad finem vite sue cum territorio Holthuson eundem lapidem usque ad prædictos fines singulariter possedit. Prædictus vero Jmico moriens suum filium nomine Erphonem heredem reliquit, qui et predictam patris hereditatem absque contradictione tenuit. Ipse autem immatura morte preventus matri sue Jde sua omnia hereditavit, à quo videlicet Jda cum consensu filie sue nomine Witsuit, et generi sui nomine Everhardi de Veltheim, et aliorum heredum dominus Gumbertus venerabilis nostræ civitatis Abbas datis XIIII libris argenti cum aliis Xeniis Monasterio, cui prefuit, in honore sanctorum Apostolorum Petri et Pauli constructo, idem territorium cum lapide jam dicto, et cum vicino nemore pleniter, ut predictus Jmico, et sui heredes tenuêre acquisivit, et VI solidos gravioris monetæ, qui inde omni anno solvuntur fratribus suis Monachis in refectorio ad caritatem servire constituit in anniversario Ottonis Comitis et item in anniversario ejusdem layci nomine Bosiconis fratris ipsorum quorum uterque quinque marcas ad coemptionem ipsius territorii impendit pro hac ipsa causa scilicet pro commemorando anniversario eorum. Hujus rei testes sunt Gerhard, Wolfhard, Walraf, Embrico, Meinger, Godescald, Sibertus, Trithemar, et alii multi. Hanc autem cartam istam traditionem scriptam tenentem Ego Heinricus Dei gratia Paderb. Sedis Episcopus rogatu præfati Abbatis et fratrum suorum sigillo nostro insigniri feci, anathematis sententia feriens omnem personam, quæ hæc bona prædicto Monasterio auferre temptaverit absque justa et utili commutatione. Acta sunt hæc anno Jncarnationis Dominice MLXXXXIII Jndictione II, regnante Heinrico Rege IIII.* *al. I.

Berthold. Ursberg. Sigebert.

jus calamitatis jam anno superiori prodigia antecessere. Nam visum coelum alibi sanguine stillare, & bufones pisces que cum pluvia decidere; alibi locustarum agmina fruges depasci, ac per aliquot millia passuum volitando, explicata nube sua solis lumen obtegere. Accedebat lues, qua innumeri homines extincti. Ita fame & peste Saxonia exhauriebatur; qua schismatis poena cum plurimi se castigari intelligerent, ad Catholicorum societatem rediere.

Annus Christi 1093.

Urbani II Pont. 6.
Henrici IV. Regis 38. Imper. 10.
Henrici II Ep. Pad. 4.

Berthold. Dodechin. Albert. Stad.

Subinde Henricus Rex per Italiam publicis & domesticis malis tanquam furijs agitari coepit. Nam Adelheidem conjugem, quam ante quadriennium, priori amissa, Coloniae duxerat, Ottonis Russorum Marchionis honestissimam filiam, aversatus, publice aulae proceribus prostituendam obtulit, etiam Conrado filio; ad quod flagitium cum ille cohorresceret, diceretque se filium ejus esse, hanc vero novercam suam, illusit haec Rex, negavitque eum filium suum esse. Interim Regina, quae in custodia tenebatur, elapsa ad Mathildem & Urbanum Pontificem; a quibus benigne excepta est; quae deinde tam impium maritum detestata in Monasterium secessit. Hoc eodem flagitio Patris aversus Conradus filius ad Pontificis & Welfonis ducis partes transijt; nec multo post, probante Welfone ac Pontifice, a Mediolanensi Archiepiscopo Italiae Rex creatus, & cum Welfone Duce in Lombardiam digressus, patrem oppugnavit. Id vero tanto dolore acceptum a patre, ut per desperationis consilia mortem sibi consciscere cogitaret. Quae postquam in Germaniam perlata, nova adversus impium Regem conspiratio exarsit inter Bojos, Suevos, & Teutoniae populos, quorum capita Welfo Bojariae & Bertholdus Sueviae Duces. Saxones nostri per haec in Barbaros vertere arma; nam cum Sclavi per haec civilia nostrorum dissidia rebellassent, Magnus, Dux Saxonum, eos popularium viribus aggressus, proelio commisso fudit, erectisque quatuordecim urbibus ad obsequium redegit; uti haec priscus eorum temporum scriptor in Chronico Hildesiensi retulit. Qua interim ex causa incertum, Marquardus ex Abbate Corbeiensi ante quadriennium Osnabrugensium Episcopus delectus, e sede illa ejectus ad suum Monasterium, vitamque quietiorem redijt. Subrogatus Wido xx ejus loci Episcopus, haud dubie schismaticae factionis homo. Haec nimirum illa calamitas, de qua Bertholdus presbyter questus, post sublatum anno superiori Wernherum Merseburgensem Episcopum, vix ullum in tota Saxonia repertum esse Catholicae communionis Episcopum. Ac vix reperio, praeter Hartwigum

Conradus contra Henricum patrem insurgit.

Chron. Hildes. editum tom. 3. Franc. Hist.

Marquardus abdicato Episcop. Osnab. ad Monasterium redit.

gum Magdenburgensem Archiepiscopum, qui constanter in Apostolicæ sedis conjunctione perstiterit. Ceteri plerique in Henrici Regis partes transierant, quòd non illud, quod res poscebat, per simplicitatem & ignorantiam discrimen facerent, Urbanumne an Clementem Pontificem sequerentur; & jam Urbanus Pontifex multa mitigârat in anathematum pœnis à Gregorio decretis, ut Bertholdus scribit. Inde libere omnia Episcopi munia nullo violatæ religionis metu peragebant. Quos inter Henricus Episcopus donationem Gumberto Abdinghoviano Abbati hoc anno factam publica auctoritate Episcopi ratam habuit. Ea sic habet. Henricus Ep. Pad. bona quædam Monast. Abdinckhof. confirmat.

In nomine sanc̃te et individue Trinitatis, Henricus Dei gratia Paderbornensis Ecclesie Episcopus. Notum esse volumus universitati fidelium, quod tribus fratribus secundum carnem nobilibus dividentibus hereditatem, uni provenit in parte sua territorium Colstide, alteri superius Holthuson, tertio nomine Imiconi inferius Holthuson, quorum unus dedit partem suam scilicet Colstide S. Liborio ad principalem Ecclesiam in Paderb. alter suam partem videlicet superius Holthuson tradidit S. Luitgero in Werthen, quam traditionem ut ille tertius nomine Jmico consentiendo laudaret, ei de sua parte lapidem agisterfteyn in vicino nemore, et totum à cacumine ipsius lapidis usque in campos inferioris Holthuson, et usque ad campos vicini pagi Hornon in proprietatem dederunt, sicque idem Jmico usque ad finem vite sue cum territorio Holthuson eundem lapidem usque ad prædictos fines singulariter possedit. Prædictus vero Jmico moriens suum filium nomine Erphonem heredem reliquit, qui et predictam patris hereditatem absque contradictione tenuit. Ipse autem immatura morte preventus matri sue Jde sua omnia hereditavit, à quo videlicet Jda cum consensu filie sue nomine Witsuit, et generi sui nomine Everhardi de Veltheim, et aliorum heredum dominus Gumbertus venerabilis nostræ civitatis Abbas datis XIIII libris argenti cum aliis Xeniis Monasterio, cui prefuit, in honore sanctorum Apostolorum Petri et Pauli constructo, idem territorium cum lapide jam dicto, et cum vicino nemore pleniter, ut predictus Jmico, et sui heredes tenuêre acquisivit, et VI solidos gravioris monetæ, qui inde omni anno solvuntur fratribus suis Monachis in refectorio ad caritatem servire constituit in anniversario Otonis Comitis et item in anniversario ejusdem layci nomine Bosiconis fratris ipsorum quorum uterque quinque marcas ad coëmptionem ipsius territorii impendit pro hac ipsa causa scilicet pro commemorando anniversario eorum. Hujus rei testes sunt Gerhard, Wolfhard, Walraf, Embrico, Meinger, Godescald, Sibertus, Trithemar, et alii multi. Hanc autem cartam istam traditionem scriptam tenentem Ego Heinricus Dei gratia Paderb. Sedis Episcopus rogatu præfati Abbatis et fratrum suorum sigillo nostro insigniri feci, anathematis sententia feriens omnem personam, quæ hæc bona prædicto Monasterio auferre temptaverit absque justa et utili commutatione. Acta sunt hæc anno Jncarnationis Dominice MLXXXXIIII Jndictione II, regnante Heinricio Rege IIII.*

* *al.* I.

 Quæ

Quæ hic trium nobilium fratrum donatio, quarum una Cathedrali Ecclesiæ, altera Cœnobio Werthinensi D. Ludgeri ad Ruram amnem, tertia Monasterio Abdinghoviano facta memoratur, earum una continet rupem picarum, quæ patrio etiamnum vocabulo Egisterstein seu Exterstein appellatur, rarum atque admirabile naturæ opus ad angustum per montes Teutonicos transitum, haud procul Horna Oppido & loco varianæ cladis, in quo Drusus etiam à Visurgi redux prope ad cædem à Sigambris inclusus creditur; eoq; petra hæc à Ferdinando Episcopo in æs incisa intraque monumenta diœcesis nostræ relata est. Quippe rupes altissima & quadruplici vertice abrupta grandium turrium instar in plano montis educta consurgit. Inde postquam hic locus in possessionem Abbatis Werthinensis venit (ut literæ præterea Bernardi Abbatis Werthinensis docent, quas exhibere possumus) ædes sacra primùm Holthusen structa; deinde etiam in supremo rupis fastigio, quæ publicæ viæ imminet, Sacellum cum altari intra nativam lapidis structuram apparatum; olim etiam ex Monachis Sacerdos istic sacris operabatur, eratque Abbati Werthinensi Helmstadium proficiscenti statio & hospitium in adsita Villa Holthusana. Totus hic locus hisce donationum literis consignatus intra Comitatum Aholtinum ab Henrico Imperatore Meinwerco Episcopo nostro donatum situs, quo Dethmoldia, Lemgovia, Horna, totusque ille Teutonicorum montium ac nemorum tractus continetur. Posteaquam verò Comitatus hic fiduciario jure ad Comites Lippienses pervenit, Clientes Episcoporum Paderbornensium, omnia simul hæc sacra bona hæresi cessêre.

Frequens hoc præterea anno Episcoporum, Comitum ac procerum conventus Helingenstadij convocatus; ad quem à Metropolitano suo evocati accessêre tres quoque provinciales ejus per Saxoniam Episcopi, Paderbornensis, Hildesimensis, & Verdensis. Eo in congressu præter cetera, quæ salubriter pertractata sunt, Ruothardus Archiepiscopus, fundationem dotationemque Cœnobij Bursfeldiensis publicis tabulis ratam habuit, quas hoc loco, tam ob præclaram vetustatis memoriam liberalitemque majorum, quàm ob venerationem celeberrimi ejus Cœnobij, ex quo Bursfeldiensis post congregatio originem traxit, proferre consultum habuimus; idq; eò etiam magis à nobis requiretur, quod Bursfeldiense Cœnobium hisce tabulis asseratur Colonia florentissimi Corbeiensis Cœnobij nostri.

Ruthardus Archiep. Mogunt. confirmat fundationem Cœnobij Bursfeldensis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ruothardus Dei gratia sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Cum condignum nobis et salubre pro officii nostri dignitate videatur, rebus ecclesiasticis quaslibet commoditates impendere, religiosis institutis devota mente consentire proposuimus, ut quicquid ad honorem Dei et laudem sancitum, et ratum teneamus,

et

et privilegii nostri auctoritate corroboremus. Omnium itaque fidelium tam præsentium quam futurorum pateat industria, qualiter gloriosus Comes Heinricus filius Ottonis Ducis, ejusque inclyta conjunx Gerdrudis filia Ekkeberti Marchionis, pro animæ suæ remedio, heredum suorum consensu, fundaverunt Monasterium in ripa Wirre fluminis in villa, quæ Mimende vocatur, in prædio videlicet, quod ipse Heinricus adquisierat, à quodam nobili viro, qui agnominabatur Albertus de Insula. Facto itaque fundamento, ac congregatis ibi in servitium DEI Corbeiensis Ordinis fratribus, prædictus Heinricus cum conjuge dotavit ipsum Monasterium cum omni prædio, quod adquisierat ab Alberto cum omni jure et proficuo, quo idem Albertus ejusq; progenitores illud sine omni contradictione per multas ætates possederant, et usi fuerant, in villis, agris, silvis, campis, pascuis, cultis et incultis, exitibus et reditibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, mancipiis. Quamvis autem Comes hæc rite et legitime videretur facere, tamen quidam Magedeburgensis Canonicus, nomine Ludolfus, præfati Alberti Germanus, haud mediocriter Comitem exigendo hereditatem fratris coartavit, et tamdiu consultores legis, ac provinciarum rectores adversus Comitem in omni concilio interpellavit, donec jure gentis, et judicio legis omnem fraternam hereditatem ipsi Ludolfo coactus remisit. Ludolfus itaque sub occasione recipiendæ hereditatis invitatus à Comite venit in prædium, ubi prædictum fundabatur Monasterium, quem Comes per internuntios multifariam temptabat flectere, ut quod ipse causa animæ inchoasset, Ludolfus quoque pro æterna remuneratione ratum sineret esse ac stabile. Sed Canonicus ne quasi coacta sua videretur oblatio, nil conditionabiliter permittere voluit, sed omnem prorsus fratris hereditatem justo exegit famine, et cum cyrotheca de manu Comitis tandem recepit, ac tenuit libere. Sequenti vero die Ludolfus divino quodam nutu impulsus, sed et Episcopi Hartwigi, qui gratia consecrandi altaris nostra voluntate invitatus advenerat, fratrumque Sifridi et Cunonis Comitum oratione permotus, statuit voluntarius pro salute firmaque requie Comitis votum propria oblatione confirmare. Principalis igitur altaris consecratione ritè peracta, Ludolfus processit, et utrumnam profiteretur fratris hereditatem se libere recepisse, ac quod vellet inde fieri, libertatem habere, Comites perquisivit; Omnibus itaque annuentibus, ad altare processit, et primum donum post consecrationem his terminatis verbis cum cyrotheca obtulit, dicens. En ego Ludolfus offero Deo et Sanctis ejus Thomæ et Nicolao specialiter in usum fratribus hic Deo servientibus hereditatem meam, quam jure hereditario mihi à parentibus cessit, prædium scilicet in Miminde ex utroque fluminis litore cum ejus utilitate, allodium in Dransfelde cum ejus proficuo, bonum in Bertolderode cum ejus appendiciis, curtim in Heristede cum ejus juribus, villulam in Berge cum ejus usibus, curtim in Friderichshusen, curtim in Wittenburnen, curtim in Werithen, novem mansus Winithusen. Hanc oblationem solenniter factam Episcopus Hartwigus banno confirmare tam à Ludolfo, quam à Comitibus Heinrico, Sifrido, Cunone rogatus

gatus est. Qui ex more, si quis huic oblationi contradiceret, percunctatus, quum nullus contradiceret, imo omnes laudarent. Tunc in nomine Domini ex Apostolica et nostra omniumque Catholicorum ac sui ipsius interminatus est auctoritate, ne quis tam justæ donationi aliqua violentia, fraude, vel arte conaretur obviare, et qui aliter præsumeret, sententia Christi damnandus sub perpetuo jaceret, nisi resipisceret, anathemate. Quo dicto ab Episcopo Ludolfus quoque suam oblationem propriis confirmans verbis Comitem Heinricum terribilius contestatus est Sacramentis, ne cuiquam hominum libero vel servo de prænominatis bonis aliquod unquam præstaretur beneficium, nec aliquid inde vendicare, nisi advocatiam sibi suæque stirpi præsumeret. Quæ contestatio bannique interminatio à Comitibus Heinrico, Sifrido, Cunone cæterisque omnibus audita, comprobata, laudata est, ac scriptis tradita. Etiam Heinricus Comes, et ejus conjunx Gerdrudis Deo et Sanctis ejus Thomæ et Nicolao in dotem Ecclesiæ ad usus fratrum ibi Deo famulantium, hæc quæ subscripta sunt: Curtim in Wichlo cum suis appendiciis, curtim in Inre minori cum suis appendiciis, X mansos in Reynvvardeshusen, curtim in Bischoppeshusen cum suis appendiciis et Ecclesia, curtim in Gardelbic, villam Biscopeshusen Aliquantulas etiam possessiones in his villis, Haltmarthen, Vereldehusen, Wyrchin. Immesin, Burdala, Ammenhusen, Valeberge, Hukelhem, Adenhem, Kemestide, Belkeroth, Busteleve, Wertere, Steynbrucge, Sunthusen, Odenleve, Ascolfess, Wynethe, Dopstide, Berchge, Dalheim, vineam in VValkeroht, in Sothen tres salinas, in Hildegereshusen V solidos, in Honethen tres mansos, in Reynnethe IX mansos, in Kelvera Ecclesiam, et tredecim mansos et molendinum, in Nora XXII mansos, in Honetha unum mansum, in Hatzenroth quatuor mansos, in VVephleta quinque mansos, in Holbic unum talentum, villam VVilingeburin, possessiones in Holtzraten, Comes Sifridus obtulit X mansos in Asla. Adhæc nobilis ille vir Heinricus fundator hujus Cœnobii, quæcunque pia et justa sunt, et loco utilia, assensu et consilio nostro statuit, et statutum ab ipso Imperatore Heinrico confirmari obtinuit, scilicet ut nemo heredum suorum aliquid in Abbatia sibi usurpet præter Advocatiam, nulli Advocatia in beneficium præstetur, sed ad nutum Abbatis in absolutionem peccatorum commendetur, Advocatus in Abbatia absque permissu vel rogatu Abbatis nullam potestatem exerceat in aliquo. Ibi etiam publicum forum et percussura ad instar Goslariensis monetæ cum omni forensi jure pro Abbatis disponatur arbitrio, ut sit ibi Abbatis libera et canonica secundum regulam beati Benedicti electio. Si aliquis liber homo in quocunque degens comitatu se vel bona sua Ecclesiæ præfatæ tradere voluerit, liberam potestatem habeat, sine cujuslibet Comitis, Rectoris, Judicis, provinciæ contradictione. Facta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo tertio, Indictione I. II Idus Junii, imperante Heinrico IIII. Nobis autem eodem anno Idus Julii cum amicis nostris in Heilgenstat tenentibus conventum, cuncta hæc in nostri præsentia multis audientibus Clericis et Laicis sunt recitata, comprobata et laudata. Nos etiam pietatis affectu ejusdem loci

loci fratribus concessimus, et nostræ sedis auctoritate, Ecclesiastici juris legibus, ut libere videlicet infantes baptizare, infirmos visere, et omnes, qui se illi devoverint, et sepulturæ locum inibi elegerint, suscipere, et sine alicujus contradictione sepelire, et quidquid fideles Christiani pro animarum suarum salute obtulerint, seu tradiderint, liceat eis in suos usus, prout libuerit vendicare et disponere. Concessimus quoque ipsis per forestem nostram ubivis circa se libenter uti pascuis et piscationibus. Tandem rogatu Comitum Heinrici, Sigifridi, Cunonis omnia data vel statuta vel imposterum danda, vel statuenda ipsi loco profutura in verbo Domini ex Apostolica auctoritate banno nostro confirmavimus, atque ut rata et firma stabiliaque cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus perpetim credantur, ac diligentius observentur, hanc cartam scribi jussimus, et sigilli nostri impressione corroboravimus. Testes sunt Episcopi Heinricus Patelburnensis, Odo Hildenesheymensis, Hartvvigus Virdunensis: Abbates Marcvvardus Corbeiensis, Tiethmarus Helmvvardeshusensis, Gunterus Pathelburnensis: Præpositi Ludolfus Magedeburgensis, Betto de Luipp, Ordo Heilgenstadensis, Embrico Thorlensis: Comites Heinricus, Sigifridus, Cuno, Erpf, Ervvine: liberi homines Ludolfus, Godefridus, Geroldus, Wiboldus, Dede, Bertoldus, Unico, Helmericus: Ministeriales Rudolfus, Ludolfus, Sanctolfus, Hunoldus, Eskerich, Eppo et alii quamplures Clerici et Laici. Data in Heilgenstat Idus Julii per manum Etelgeri Præpositi Nortunensis.

Multum inter cetera antiquitatum monumenta disquiritur, ubi *Nimia* locus sit ad Visurgis ripas in annalibus Francorum toties memoratus; quem cùm nuspiam ex certis nominum vestigijs deprehenderint, alij Niemium Oppidum in Diœcesi Paderbornensi, alij Mindam, alij Remam ad Confluentes Wernæ & Visurgis designant. Sed hæ tabulæ multò verisimilius nobis monstrant in ipso fundo hujus Cœnobij Bursfeldensis, quod in villa Miminde conditum asseritur; Quippe locus, qui Nimia, Nimida, & Nimide consignatur in Francorum annalibus, is postea à nostris Mimende, Mimede, & Mimida appellatus fuerit. Regia olim istic villa fuit, in qua Ludovicus Germaniæ Rex conventum populi habuit & jus dixit; uti nos supra ad annum Christi DCCCLII memoravimus, in eoque nunc sub Henrico Rege & Ruothardo Archiepiscopo celebre hoc Bursfeldiense Cœnobium intra Wernæ, & Fuldæ Confluentes consurgit ad confinia Corbeiensium & Paderbornensis diœcesis, quæ istic terminos jurisdictionis Archiepiscopi Moguntini claudunt.

Annal. Francor. apud Reuberum. Incerti auctor. ex Bibli. Pithæi. Annal. Fuldens. à Frebero editi Adelmus.

Annus Christi 1094.

Urbani II Pont. 7.
Henrici IV Reg. 39. Imp. 11.
Henrici II Ep. Pad. 5.

Post

Berthol. Ursperg. Dodechin.

Post anni superioris prodigia malaque, aliæ calamitates; nam & luporum ferarumque incursus, ventorum turbines, continui imbres, fœdæque pluviæ, aquarum inundationes, tempestates horridæ, crebri fulminum ictus; præterq; hæc pestilentia, ac pestilentes morbi, quibus urbes, oppida, pagi, villæque exhaustæ. Agnoscebant passim homines his ultricibus Numinis pœnis Schismatis malum castigari; quare per expiationes maturè factas parati ibant in mortem: innumerique etiam Schismatici cum Ecclesiâ reconciliati sunt. Sed infelix exitus Volmari Mindensis Episcopi. Is quia sedem Episcopalem Schismaticus invaserat, repentina & lugubri morte perijt. Nam ut in fastis eorum (si quidem vera est narratio) memoratur; S. Gorgonius Ecclesiæ Mindensis patronus Episcopum hunc media nocte cubantem stricto gladio confodit, & sub primam lucem monuit custodes Ecclesiæ, signum æris pro mortuo Episcopo darent. Ad quæ cùm illi dubij hærerent, ostendit D. Gorgonius pallam altaris sanguinolentam, in qua gladium absterserat. Palla hæc in multos annos monumentum hujus rei asservata fuit in Mindensi Ecclesia. Refert eadem Crantius, quamvis narratio hæc suspectæ fidei ipsi visa sit, quæ vulgo persuasa fuerit. Verùm si quis aliorum Schismaticorum Episcoporum miserabiles ex hac vita excessus recolat, haud incredibile, Volmarum quoque aliquo miserabili mortis genere obijsse, sed quoquo se ista modo habeant, fallit certè nos Mindense hoc chronicon, quod eum hoc anno mortuum tradit; cùm literis à nobis producendis anno 1097 adhuc superstes subscripserit, ac Wedilo anno sequenti Episcopus memoretur. Quare Odalricus & Godeschalcus, qui Volmari Successores memorantur, aut expungendi ex numero eorum Episcoporum, ut Crantzius facit; aut intra annum extincti fuerint.

Infelix obitus Volmari Mindensis Episcopi.

Chron. Mind. Crantz. l. 5. Metrop. c. 35.

Henrico Regi hoc anno omnia adversa incurrebant per Italiam; hærebatque Veronæ cum suo Pseudopontifice Guiberto, omni prope regno Italiæ exutus; quantumque Urbanum Pontificem deprimere nitebatur, tantum ad Urbanum omnia Principum populique studia vertebantur; quem constat hoc anno etiam Natalitia Christi celebrasse Romæ, & sedem in Apostolica urbe repetijsse.

Infausta pleraque Henrico Reg. in Italia accidunt.

Annus Christi 1095.

Urbani II Pont. 8.
Henrici IV Regis 40. Imp. 12.
Henrici II Ep. Pad. 6.

Berthold. Dodech. Ursberg. Sigonius. Baron. Concil. Paris.

Accedit annus MLXXXXV apparatu belli sacri clarus, quo Germanorum Saxonumque animi à civilibus dissidijs versi in salubriora armorum consilia. Memorabilis hujus belli auctor tubaque Urbanus magnanimus Pontifex; ex quo enim Petrus, vitæ instituto eremi incola, ex Palæstina reversus cum literis Patriarchæ Hierosolymitani

tani

tani exposuit, afflictissimæ Orientalis Ecclesiæ statum, & Saracenorum in Christianos tyrannidem, Pontifex in Quadragesima primam Placentiæ synodum celebravit; ad quam præter Episcopos quatuor fere millia Clericorum, & plus quàm triginta millia laicorum convenére; actumque in ea potissimum de bello adversus Saracenos. Urbanum Cremonam accedentem Conradus Rex stratoris munere functus excepit, fidemque Romanæ Ecclesiæ juratus spopondit. Post illa Urbanus maritimo itinere in Galliam profectus, 18 Novembris Claromontanum in Alvernia concilium indixit, ad quod ipso præside Archiepiscopi XIII, Episcopi CXXV, Abbates XC convenêre, præter Cardinales & diversarum regionum Clericos & religiosos; in eaque multa, ut in Placentina, decreta. Sed nihil perorante Pontifice ferventius pertractatum, quàm bellum sacrum, quo Palæstina è manibus Barbarorum extraheretur. Quam in rem signum crucis sumptum in scapula dextra ab ijs, qui nomen huic militiæ dederunt.

Indicitur expeditio in terram sanctam.

Annus Christi 1096.

Urbani II Pont. 9.
Henrici IV Regis 41. Imp. 13.
Henrici II Ep. Pad. 7.

Patribus deinde ex consilio Claremontano sequenti anno reversis in provinciam, & ad signum crucis expeditionemque pro terra sancta recuperanda invitantibus, ex omnibus passim per Italiam, Galliam, Germaniam, Lotharingiam, Belgium, Saxoniam ingens se hominum multitudo obtulit; quorum supra trecenta millia fuisse memorantur. Designataq; Constantinopolis, aut Nicæa in Bithynia quò delectu habito convenirent; eò varijs itineribus & collectis militum agminibus itum. Primum agmen XV millium duxit Petrus Eremita per Germaniam & Bojariæ regiones in Ungariam. Alterum agmen XII millium ex Saxonia & Frisia collectum per Bohemiam traxit Volcmarus quidam presbyter. His aliud agmen junxit Godeschalcus presbyter, viâ per Franciam Orientalem institutâ, quos Emico Comes insecutus cum XX millibus peditum, & tribus equitum millibus ex Rheni accolis congregatis. Hi priusquam è Germania excederent, Moguntiæ, Wormatiæ, & Spiræ, alijsque in locis sævire in Judæos, trucidando, quotquot primo se furori obtulêre, tanquam his victimis litaturi Christo; ac specie quidem religionis & stipendiorum hæc agebantur, cùm per avaritiam bona eorum raperent in spolium. Sed fœdum non minus malum, miscuisse se hisce tumultuarijs copiis vagos Sacerdotes, profugos Monachos, & ingentem mulierum turbam, virili habitu libidinem tegentium. Igitur cùm post rapinas & flagitia sparsis cohortibus in Pannoniam penetrassent, ab Ungaris & Bulgaris ingenti clade accepta rediere. Ceteri quidem Duce Petro Eremita & Godeschalco presbytero se in

Expeditio in orientem.

Sævitur in Judæos in Germania.

Post varia passim patrata flagitia plurimi militum dissipantur.

Berthol. Ursberg. Dodechin.

Post anni superioris prodigia malaque, aliæ calamitates; nam & luporum ferarumque incursus, ventorum turbines, continui imbres, fœdæque pluviæ, aquarum inundationes, tempestates horridæ, crebri fulminum ictus; præterq; hæc pestilentia, ac pestilentes morbi, quibus urbes, oppida, pagi, villæque exhaustæ. Agnoscebant passim homines his ultricibus Numinis pœnis Schismatis malum castigari; quare per expiationes maturè factas parati ibant in mortem: innumerique etiam Schismatici cum Ecclesiâ reconciliati sunt. Sed infelix exitus Volmari Mindensis Episcopi. Is quia sedem Episcopalem Schismaticus invaserat, repentina & lugubri morte perijt. Nam ut in fastis eorum (si quidem vera est narratio) memoratur; S. Gorgonius Ecclesiæ Mindensis patronus Episcopum hunc media nocte cubantem stricto gladio confodit, & sub primam lucem monuit custodes Ecclesiæ, signum æris pro mortuo Episcopo darent. Ad quæ cùm illi dubij hærerent, ostendit D. Gorgonius pallam altaris sanguinolentam, in qua gladium absterserat. Palla hæc in multos annos monumentum hujus rei asservata fuit in Mindensi Ecclesia. Refert eadem Crantius, quamvis narratio hæc suspectæ fidei ipsi visa sit, quæ vulgo persuasa fuerit. Verùm si quis aliorum Schismaticorum Episcoporum miserabiles ex hac vita excessus recolat, haud incredibile, Volmarum quoque aliquo miserabili mortis genere obijsse, sed quoquo se ista modo habeant, fallit certè nos Mindense hoc chronicon, quod eum hoc anno mortuum tradit; cùm literis à nobis producendis anno 1097 adhuc superstes subscripserit, ac Wedilo anno sequenti Episcopus memoretur. Quare Odalricus & Godeschalcus, qui Volmari Successores memorantur, aut expungendi ex numero eorum Episcoporum, ut Crantzius facit; aut intra annum extincti fuerint.

Infelix obitus Volmari Mindensis Episcopi.

Chron. Mind. Crantz. l. 5. Metrop. c. 35.

Henrico Regi hoc anno omnia adversa incurrebant per Italiam; hærebatque Veronæ cum suo Pseudopontifice Guiberto, omni prope regno Italiæ exutus; quantumque Urbanum Pontificem deprimere nitebatur, tantum ad Urbanum omnia Principum populique studia vertebantur; quem constat hoc anno etiam Natalitia Christi celebrasse Romæ, & sedem in Apostolica urbe repetijsse.

Infausta pleraque Henrico Reg. in Italia accidunt.

Annus Christi 1095.

Urbani II Pont. 8.
Henrici IV Regis 40. Imp. 12.
Henrici II Ep. Pad. 6.

Berthold. Dodech. Ursberg. Sigonius. Baron. Concil. Paris.

Accedit annus MLXXXXV apparatu belli sacri clarus, quo Germanorum Saxonumque animi à civilibus dissidijs versi in salubriora armorum consilia. Memorabilis hujus belli auctor tubaque Urbanus magnanimus Pontifex; ex quo enim Petrus, vitæ instituto eremi incola, ex Palæstina reversus cum literis Patriarchæ Hierosolymitani

tani

tani exposuit afflictissimæ Orientalis Ecclesiæ statum, & Saracenorum in Christianos tyrannidem, Pontifex in Quadragesima primam Placentiæ synodum celebravit; ad quam præter Episcopos quatuor fere millia Clericorum, & plus quàm triginta millia laicorum convenére; actumque in ea potissimum de bello adversus Saracenos. Urbanum Cremonam accedentem Conradus Rex stratoris munere functus excepit, fidemque Romanæ Ecclesiæ juratus spopondit. Post illa Urbanus maritimo itinere in Galliam profectus, 18 Novembris Claromontanum in Alvernia concilium indixit, ad quod ipso præside Archiepiscopi XIII, Episcopi CXXV, Abbates XC convenére, præter Cardinales & diversarum regionum Clericos & religiosos; in eaque multa, ut in Placentina, decreta. Sed nihil perorante Pontifice ferventius pertractatum, quàm bellum sacrum, quo Palæstina è manibus Barbarorum extraheretur. Quam in rem signum crucis sumptum in scapula dextra ab ijs, qui nomen huic militiæ dederunt.

Indicitur expeditio in terram sanctam.

Annus Christi 1096.

Urbani II Pont. 9.
Henrici IV Regis 41. Imp. 13.
Henrici II Ep. Pad. 7.

Patribus deinde ex consilio Claremontano sequenti anno reversis in provinciam, & ad signum crucis expeditionemque pro terra sancta recuperanda invitantibus, ex omnibus passim per Italiam, Galliam, Germaniam, Lotharingiam, Belgium, Saxoniam ingens se hominum multitudo obtulit; quorum supra trecenta millia fuisse memorantur. Designataq; Constantinopolis, aut Nicæa in Bithynia quò delectu habito convenirent; eò varijs itineribus & collectis militum agminibus itum. Primum agmen XV millium duxit Petrus Eremita per Germaniam & Bojariæ regiones in Ungariam. Alterum agmen XII millium ex Saxonia & Frisia collectum per Bohemiam traxit Volcmarus quidam presbyter. His aliud agmen junxit Godeschalcus presbyter, viâ per Franciam Orientalem institutâ, quos Emico Comes insecutus cum XX millibus peditum, & tribus equitum millibus ex Rheni accolis congregatis. Hi priusquam è Germania excederent, Moguntiæ, Wormatiæ, & Spiræ, alijsque in locis sævire in Judæos, trucidando, quotquot primo se furori obtulêre, tanquam his victimis litaturi Christo; ac specie quidem religionis & stipendiorum hæc agebantur, cùm per avaritiam bona eorum raperent in spolium. Sed fœdum non minus malum, miscuisse se hisce tumultuarijs copiis vagos Sacerdotes, profugos Monachos, & ingentem mulierum turbam, virili habitu libidinem tegentium. Igitur cùm post rapinas & flagitia sparsis cohortibus in Pannoniam penetrassent, ab Ungaris & Bulgaris ingenti clade accepta rediêre. Ceteri quidem Duce Petro Eremita & Godeschalco presbytero se in

Expeditio in orientem.

Sævitur in Judæos in Germania.

Post varia passim patrata flagitia plurimi militum dissipantur.

Godefridus Bullionius cum alijs in Orientem pergit.

Bohemia conjunxêre, sed quòd nullius certo imperio se Regi sinerent, varijs ærumnis attriti dissipatique sunt. Tandem composito in militarem ordinem ac disciplinam exercitu, Godefridus Bullionius, Lotharingiæ inferioris Dux, cum duobus fratribus Eustachio & Balduino subsecutus est, cui se Robertus Flandriæ Comes, & lectissimi Franciæ & Belgij proceres junxerant; transitaque feliciter Pannonia, Bulgaria, & Mæsia 23 Decembris Constantinopolim pervenêre. Accessêre Hugo Magnus, Philippi Franciæ Regis frater, Robertus Normanniæ Dux, idemque frater Regis Angliæ: ex Italia Boamundus Apuliæ Comes cum Tancredo sororis filio, & Anselmus Mediolanensis Episcopus. Consecuti postremùm Frisij, Saxones & Nortmanni classibus suis per mare vecti ad castra Godefridi Ducis. His auspiciis cœptum est bellum sacrum, Henrico Rege in Italia tumultuante & luctante cum Conrado filio, ad cujus partes tota prope Italia & Lombardia accessit.

Redditur ab Henrico Rege Ecclesiæ Bremensi Comitatus Emesgowe.

E Saxoniæ Episcopis nondum quisquam in id bellum processit; neque Erpo Monasteriensis Episcopus, non nisi altero anno id iter ingressus. Nam hoc anno adhuc in Italia versatus cum Liemaro Bremensi Archiepiscopo inter Schismaticos Episcopos Henrico Regi Veronæ adhæsit, ut ægre hunc præstantissimum Episcopum à Schismatis labe absolveris. Quam in rem sistimus Henrici Regis & Imperatoris diploma quo Comitatum Emesgowe ad Amasim flumen in Westfalia situm Liemaro & Bremensi Ecclesiæ reddidit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Notum esse volumus universitati Christi nostrique fidelium, qualiter Dominus Adalbertus venerabilis Archiepiscopus serenitatem nostram adiit, petens et postulans, quod Ecclesiæ Hammaburgensi, cui ipse pastor et rector praeerat, donare vellemus Comitatum, quem in Emescovva et Westfale situm, Bernhardus Comes vir nobilis et nobis genere propinquus, regendum utendumque susceperat. Habuit secum adjutores in petendo complures: ex Principibus Sigefridum Moguntinum, Annonem Coloniensem, *Archiepiscopos; aliquos etiam ex Ducibus, et Marchionibus, numeravit suos pro nobis domi forisque labores, ostendit perpetuam ejus in nos voluntatem. Et quia ipsius Bernardi* Comitis *ad hanc rem quærendus erat assensus, ipsum vir sapiens pretio et precibus adduxit, ut præsens laudator et assensor existeret. Tunc nos ipsi Archiepiscopo Adalberto ob merita sua benevolenter ad hoc petitionibus fidelium nostrorum adquiescentes, maxime etiam cum remunerationem nobis speramus à Domino Salvatore et sanctissima ejus genitrice Maria, et sancto Vito martyre glorioso, à quibus locus ille evidenter incolitur,* Comitatum eundem, *ipso Bernardo* Comite *laudante et assensum præbente, Ecclesiæ ammaburgensi donavimus et tradidimus. Addidimus etiam ei, sicut mos est, nostræ auctoritatis scriptum, sigillum ei imprimentes, quod hoc in longum fieret posteritati testimonium.*

Verum

*Verum deinde procedente tempore, cum novæ in regno perturbationes surgerent, dolis et invidia quorundam factum est, ut Ecclesia supra memorata eodem comitatu ad aliquod tempus privaretur. Veniens autem successor ejusdem Domini Adalberti venerabilis Archiepiscopus Liemarus, qui non minus in nostro servitio laboravit, rem nobis in memoriam reduxit, preces adjungens, judicium postulavit; atque id sæpe faciendo tandem effecit, ut in Purificatione inter ipsa solemnia missarum eundem Comitatum Deo Salvatori et sanctæ Mariæ offerentes recognosceremus, ac in perpetuum redderemus. Factum est in Italia Veronæ in monasterio S. Zenonis, videntibus et cognoscentibus Erpone Monasteriensi Episcopo, atque aliis Episcopis, et Principibus compluribus, auxiliante etiam Domino Papa Clemente, quanquam tum præsens corpore non adesset. Itaque hoc facto jussimus hujus recognitionis et redditionis cartam fieri et signari, ut esset in omne tempus firmum et ratum, atque omnibus notum. Humbertus Cancellarius vice Archiepiscopi Moguntini Routhardi, atque Archicancellarii recognovit, Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXXVI Indictione IV Heinrico anno *XLIII regnante, Imperante vero XIII. Data est Patavii præsente et laudante, ac confirmante Domino Papa Clemente. Recognoscebant ex Principibus, Episcopus Monasteriensis Erpo, Episcopus Veronensis Wolftrigel, Vincentinus Episcopus Ecelo, Tarvisianus Episcopus Eumpoldus, Episcopus Veltrensis Aribo, Episcopus Faventinus Routpret; Marchiones Azo, Burchardus; Comites, Meginfridus, Wido, Houc, et alii complures.*

* N. Hi anni regni ducuntur ab inunctione ejus, quæ biennio ante facta est, quàm Patri suo succederet.

In hoc diplomate Erponem ceterosque Episcopos haud secus, quam in eo, quod mox adjungemus Imperij Principes appellat Henricus Imperator; tantum abest ut Friderico Barbarossa Imp. id Monasterienses requirant.

Annus Christi 1097.

Urbani II Pont. 10.
Henrici IV Reg. 42. Imp. 14.
Henrici II Ep. Pad. 8.

Henricus Rex in Germaniam redit. *Berthold. Dodechin. Ursberg. Chron. Hildesh.*

Desperatis in Italia rebus, Henricus Rex post hæc ex Lombardia armis depulsus, septimo postquam abfuerat anno cum paucis redijt in Germaniam, tam contemptibilis inter Italos, quàm inter Germanos fuerat. Ratisbonâ Moguntiam descendit, ubi 6 Idus Maji Ottoni Werthinensi Abbati omnia sui Monasterij privilegia consignavit, subscribente Humberto Cancellario vice Ruthardi Archicancellarij, & Moguntinæ sedis Archiepiscopi. Magnam deinde æstatis partem privati instar Spiræ exegit; ac prima illi cura fuit de securitate Judæis restituenda, quos Emicho Comes spoliârat. Subinde in Westfaliam ad Visurgim digressus, Gronæ in castro regio prædium Thietmaro Helmeswardehusano Abbati diœcesis Paderbornensis, quod nobilis matrona donarat, regia auctoritate ratum habuit, cùm

Et ingressus Westfaliam cõfirmat donationem prædij Abba-

ti Helmeswardehusano factam.

Regi tres Episcopi, quos Principes Regni vocat, Udo Hildesimensis, Henricus Paderbornensis & Volcmarus Mindensis, adessent, omnes Schismatici. Eorum memoriæ causa hasce publicas tabulas exhibere placuit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia quintus Romanorum Rex. Quoniam nos Rex Regum, et Dominus dominantium honoribus Romani Imperii sublimavit, et defensorem Ecclesiæ sua dispensatione constituit, fructuosum nostræ saluti non dubitamus, si donationem fidelium, mobilium rerum vel immobilium, quæ Ecclesiis Dei offerunt, nostræ auctoritatis privilegiis roborare studuerimus. Quapropter noverint omnes Christianæ fidei cultores tam futuri, quam præsentes, quod quædam nobilis matrona Cunihildis nomine cum consensu heredis, scilicet filii sui Reinoldi contulit Ecclesiæ beati Petri, quæ est in Helmvvordeshuson, prædium suum in villa, quæ vocatur Suthmeshere pro remedio tam suæ animæ quàm omnium progenitorum suorum et succedentium cognatorum, VIIII videlicet mansos, et I molendinum cum tribus mancipiis Gysone, Hagrd, Thietlevo colonis ipsius prædii. Testatus est autem memoratus R. XXXVI marcas ab eadem Ecclesia se accepisse pro ipso prædio ad profectionem jerosolymorum, quæ facta est in diebus nostris duce quodam Godefrido. Et ut hæc traditio firma sit et rata, et à nullo succedentium possit infringi, precibus Abbatis prædicti Monasterii Thietmari sæpe dicti Reinold hanc paginam manu propria roborante conscribi fecimus, et impressione nostri sigilli insigniri jussimus, præsentibus Principibus regni Udone Hild. Episcopo, Heinrico Patherbrun Episcopo, Volcmaro Mindensi Episcopo, Thiederico Com. de Catelenburg, Heinrico Com. de Reinehuson, Counrado de biun, Volcoldo de Malesburg Helmoldo de Hukilheim, et aliis quam multis coram astantibus.

Dodechin. Otto Frising. lib. 1. c. 9. Trithem. in chron. Serrarius in Ruthardo.

Ruthardus Archiep. Mogunt. è sede sua pellitur ab Henrico Reg.

E Saxonia Rex Moguntiam reversus est ad comitia, quæ Calendis Decembris indixerat, in quibus de pace Imperioque pacando pertractaretur; cùm in ipso limine pacis Ruthardum Moguntinum Archiepiscopum & Metropolitanum nostrum è sede ejicit in exilium, virum insignem, qui ex Abbate ad S. Petrum Erfurti ad illam dignitatem petitus erat. Proscriptioni obtenta calumnia, quasi cœdi Judæorum causam dedisset, venissetque in partem spoliorum, re autem, quòd Sedi Apostolicæ, veroque Pontifici inter Orthodoxos conjunctissimus hæreret. Octo exinde annos in Thuringia castroque Hartesburgensi exul permansit; per quod tempus Henricus Rex omnia Archiepiscopatus bona redituſque fisco regio addixit, ut suam ex ijs egestatem sustineret, regnumque illud Schismaticorum Episcoporum firmaret, idcirco etiam Adelbertus Regis Cancellarius Ruthardo subrogatus.

Captâ Niceâ Antiochia obsidetur.

Prosperis subinde initijs procedebant Christianorum arma & expeditio adversus Saracenos. Nam postquam classes accessêre, cum Italorum auxilijs promota sunt castra in Asiam duce Godefrido Bullionio,

lionio, capta post 52 obsidionis diem Nicæa 20 Junij, susóque Turcarum 200000 exercitu, variæ provinciæ peragratæ subactæque. Inde 13 Octobris Antiochia obsideri cœpta.

Ex Episcopis Saxoniæ hoc anno insecutus Erpo Monasteriensis Antistes; ac priusquam iter Hierosolymitanum ingrederetur, hæc de se memorat in diplomate: *III Idus Februarii, cum in majori Ecclesia Monasteriensi altare in honorem S. Joannis Baptistæ consecrarem; quo etiam die pœnitentes in Ecclesiam introduxi et reconciliationem, et indulgentiam totis votis, totisque animi viribus, quoad poteram, facere instíti, utpote sequenti die Hierosolymam iturus.* Publicus hic pœnitentiæ ritus erat ævo illo adhuc usitatus, de quo Celotius in Hierarchia. Ex quo facilè mihi persuaserim Erponem se suosq; cum Ecclesia reconciliasse, abjurata Schismaticorum societate, iterque illud pœnitentiæ causâ suscepisse. Expeditis demum omnibus, iter ingressus est cum Ludolpho Comite Præposito ad S. Mauritium, multisque è nobilitate Westfalica, qui ultro se in comitatum obtulêre. At quo exitu illa peregrinatio facta sit, perquam obscurum, quando nec ipsi Monasterienses id certo ex suis monumentis docere possunt. Sunt qui cum Crantzio Erponem ex Palæstina redijsse velint, & aliquot abhinc annos superstitem vixisse Episcopum; qui mihi errare videntur, quòd anno sequenti Successor ejus in diplomate memorabitur; nisi renunciato Episcopatu, quem non bona fama adierat, privatam vitam egisse dixeris. Sed verius reputo, quod vetustus liber Collegij Mauritiani indicat, eum in Palæstina obijsse, ossaq; ejus in diœcesin revecta esse. Honorifico certè tumulo elatoq; è terra in æde Mauritiana exornatus est, & Divûm etiam honore ob beneficia ope cœlesti præstita cultus, uti sepulchro ejus inscriptum erat, Sanctus Erpo. Multis largitionibus in egenos, in religiosas Virgines, & Ecclesiam effusus multisque virtutibus dum vixit clarus.

Diploma Erponis apud Bochorst. ad ejus vitam.

Erpo Monast. Ep. proficiscitur in terram sanctam.

Celotius lib. 8. c. 25.

Ab excessu Erponis conturbata Ecclesia illa duorum Episcoporum subrogatione (haud secus quàm in Paderbornensi, aliisque per Germaniam Ecclesiis acciderat) quorum alter Catholicus è Clero electus Theodoricus Wincenburgicus Comes, alter Schismaticus Burchardus de Holte ab Henrico Rege obtrusus. Multis ab his certatum pro adeundo retinendoque Episcopatu, nunc Burchardo nunc Theodorico prævalente.

Annus Christi 1098.

Urbani II Pont. 11.
Henrici IV Regis 43. Imp. 15.
Henrici II Ep. Pad. 9.

Anno insequenti cum Urbano Pontifice res Catholicorum per Italiam in integrum prope restitutæ. Celebrato enim in urbe Natali Christi

Berthold.

Christi & Paschatis festo, pacem cum urbe & finitimis provincijs composuit, Guiberto Pseudopontifice, qui apud omnes in contemptum venerat, Ravennam rejecto, inclusoque; Sed tanto per Germaniam validiores Schismatici Henrici Regis patrocinio, qui jam omnibus propè sedibus Schismaticos Episcopos obtruserat, interque urbes Leodium, Coloniam, & Aquisgranum etiam ad se attraxerat. Quare dum in ijs partibus moratur, Aquisgranensi Ecclesiæ nobile prædium cum tribus advocatijs donavit rogatu Henrici filij, & Schismaticorum Episcoporum suorum. Quam in rem hoc Miræus diploma produxit.

Henricus Imp. Ecclesiæ Aquisgran. donat prædium Harve.

Miræus in notis Belg. c. 121.

Henricus divina favente clementia tertius Romanorum Imperator. Notum sit omnibus, qualiter ob interventum filii nostri Henrici Regis, Oberti Leodiensis, Wittelonis Mindensis, Burchardi Monasteriensis Episcoporum, Burchardi, Werinneri Marchionum, ob servitium quoque Capellani nostri Godeschalci Aquensis Ecclesiæ Præpositi, quoddam prædium nomine Harve, situm in pago Harduenna, in comitatu Gietbaldi, cum omnibus appendiciis Dominicæ matri et perpetuæ Virgini Mariæ in proprietatem tradidimus. Dedimus quoque Dominæ nostræ Mariæ tres Advocatias. Data IV Idus Februarii Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo octavo. Indictione sexta. Anno Henrici III Romanorum Imperatoris regni XLII Imperii XIV. Actum Aquisgrani.

Satis ex hoc diplomate constat id quod supra indicavimus, & Burchardum Monasterij, & Wetilonem Mindæ Episcopos fuisse, interque Schismaticos numerandos. Refert quoque Cleinsorgius alias à se visas literas donationis, in quibus Burchardus annum Christi MCX dicit annum suæ ordinationis XII.

Ordinis Cisterciensis initia.

Cœpit hoc anno Ordo Cistertiensium auctore Roberto Molismensis Cœnobij Abbate, cum viginti & uno Monachis ejusdem Cœnobij, quod familiæ D. Benedicti erat in Lingoniensi provincia, rigidioris vitæ amore egressus Cistertium devenit, incultamque illam solitudinem vertit in Abbatiam; quamvis reposcentibus eum prioris Cœnobij Monachis, jussu Pontificis ad eosdem redire necesse habuerit, relicto Cistertiensibus Alberico viro religioso, quem sibi Abbatem delegêre; qua super re pluribus Sigebertus, alijque ejus familiæ Scriptores.

Et Cœnobij Bursfeldiensis.

Per id quoque tempus celebre in Saxonia Bursfeldiense Cœnobium conditum ab Henrico Crasso Northemij Comite, uxoreq; ejus Gertrude filia Eckberti Marchionis; ex quo conjugio Richeza Lotharij Imperatoris conjux, materque Henrici Leonis. Crantzius qui hæc cum alijs scribit, addit Hermannum Coloniensem Archiepiscopum ijsdem parentibus Henrico Crasso, & Gertrude natum, de quo tamen ceteri Scriptores silent.

Prospera

Prospera subinde ex Oriente relata; nam & Antiochia Syriæ urbs longa & difficili 9 mensium obsidione tandem 3 Junij expugnata, & felici non minus progressu 28 Junij innumerabilis Turcarum Persarumque multitudo profligata, cæsis 100000 Barbarorum. Læta hæc permiscuit fortuna adversis, quod rursum Antiochiâ obsessâ à barbaro hoste, Christianis cum fame & peste luctandum fuerit, quibus malis 50000 Christianorum absumptâ, præterque hos 4000 diversis congressibus desiderata; donec reperta lancea sacra, qua Christi corpus perforatum erat, animati Christiani recreatique ad Hierosolymam expugnandam progressi. Constantinopolitanus Imperator christianus Alexius, qui ab Urbano Pontifice enixè petierat subsidia, ubi prosperum hunc successum conspexit, ex amico hostis apparuit; nam urbes, quas nostri Barbaris eripuerant, ipse aut evertit, aut Barbaris reddidit, & eos, qui ex occidentis imperio subsidio venire vellent, inhibuit, viasque intercepit. Hoc illud vetus invidiæ & æmulationis malum, quo Oriens tandem amissus, & nunc religio ex dissidijs inter regnatrices domos in Occidente lenta tabe consumitur.

Prosperos in Oriente successus turbat Alexij Imp. æmulatio.

Annus Christi 1099.

Urbani II Pont. 12.
Henrici IV Reg. 44. Imp. 16.
Henrici II Ep. Pad. 10.

Ineunte anno proximo Henricus Rex Colonia Aquisgranum discessit ad comitia Principum, quæ indixerat haud alio consilio, quàm ut Henricum filium in locum Conradi filij Successorem Regni dicerent Principes; quam in rem multis accusationibus invectus est in Conradum: Hunc nimirum esse filium suum, qui naturæ oblitus insurrexerit in patrem, qui rebellis accesserit hostibus, qui regnum Italiæ expulso patre invaserit, & vitæ suæ insidiatus sit; ideo illum à se proscriptum ab omni hereditate; rogare igitur, si Rempublicam salvam velint, Henricum filium natu minorem regni Successorem dicant. Ad quæ in diversas sententias itum, alijs Conradi indolem compertamque virtutem anteferentibus Henrico; uti certè erat juvenis forma decora corporis, morum suavitate, pietate, religione in Apostolicam Sedem, & omnibus Cchristiani Principis virtutibus bellica etiam fortitudine egregius. Ut his Conradum proavum aut Henricum avum Imperatores polliceri posset; quemadmodum ab his eum etiam Ursbergensis schismaticus Scriptor commendare necesse habuit. Et tota Italia Conradum amplectebatur, amabilem Regem ac Principem suum. Contra alij, quòd plerique Schismatici essent, ac Regis assentatores, Henricum æqua postulare dicebant. Horum igitur sententia prævaluit, abdicatusque Conradus, quem tamen

Auctor vitæ Henrici. Sigebert. Ursberg.

Agente Henrico Imp. filius ejus Henricus eligitur regni successor, Conrado filio Rege repudiato.

tamen prius coronaverant, & Henricus junior patris heres & Imperij Successor pronunciatus. Sed priusquam ad coronam admitteret Pater juramentum exegit, quo sanctè sponderet nunquam se vivente Patre regnum sumpturum, nisi fortè id ipse juberet; quod tamen perfidus filius non præstitit, ipsumque haud multò post Patrem regno exuit. Igitur filius hic Henricus V. festo Epiphaniæ solemni ritu inauguratur Rex. A quo verò Archiepiscopo inunctus sit, nemo veterum Scriptorum satis prodidit. Ruthardo Moguntino Archiepiscopo in exilium projecto, verisimile est, id ab Hermanno Coloniensi Archiepiscopo factum; quamvis ex hoc schismatis notam Hermanno suo aspergi ægre patientur Colonienses, quem cognomento Pium quidam scripsêre. Nec multùm ab hac celebritate superstes Hermannus, obijt II Calend. Decembris, Successorem nactus Fridericum, favore magis Henrici Regis, quàm Cleri electione. Præpositum ante fuisse Bambergensem colligas ex epistola apud Gretzerum recitata: familia, ex qua ortus, incerta. Henricus Rex peracta filij coronatione perrexit in Saxoniam, fortè ut Monasterij Burchardum Episcopum imponeret, firmaretque. Inde Ratisbonam petijt; qua in urbe festum Paschatis exegit. Sub id tempus feria quinta Paschatis Conradus Ultrajectensis Episcopus Schismaticorum hactenus Signifer à Frisio negociatore domi suæ confossus interijt.

Ursberg. Gobelin. ætat. 6. c. 55.

Dodechinus.

Ursberg.

Trithem. in Chron.

Becka in Chron.

Heida in hist. Ultraject. Episc.

Hierosolyma capta in potestatem Christianorum redit.

Sigebertus.

Inter hæc læti bellorum successus continuati in Oriente obsessa Hierosolyma, & trigesimo obsidionis die, Idibus Julij, expugnata, feria sexta circa horam nonam, in potestatem Christianorum redijt; insigni virtute bellica Godefridi Bullionij, qui primus inter primos visus muros scandere, & in urbem penetrare. Tanta Barbarorum in ea strages edita, ut per cœsorum sanguinem equi trahendi fuerint. Octavo post die omnium suffragijs Godefridus Hierosolymorum Rex salutatus est. Verùm ille neque regium nomen, neque insignia sumere voluit, quòd diceret conveniens non esse ea in urbe auream coronam sumere, in qua Christus spineam gestasset. Post hæc itum Ascalonem adversus Saracenos cum exercitu centum millium equitum & quadringentorum millium peditum occursantes. Godefridus etsi non nisi quinque millia equitum, & quindecim peditum numeraret; ausus tamen, implorata ope divina, prælatoque signo crucis, cum hoste congredi; quem primo impetu in fugam abjecit, cæsis centum Saracenorum millibus. Interq; fugientes ad ipsas Ascalonis portas duo millia obtrita, præter eos, quos aut saltus, aut mare absumpsit. Quemadmodum hæc Ursbergensis expeditionis comes, & Archiepiscopus Pisanus Legatus Urbani Pontificis atq; ipse Godefridus Bullionius epistola apud Dodechinum conscripsêre. Hac insigni victoria potiti regnum suum firmant Christiani, multis exinde domum revertentibus, & palmas signum victoriæ secum in Germaniam

&

& Galliam reportantibus. Tam læta in Oriente rerum facies, quàm tristis in Occidente, Henrico Schismatico Rege Ecclesiam & Imperium conturbante. Godefridus altero post anno magno Christianæ Reipublicæ luctu obijt; cui subrogatus Balduinus frater II Hierosolymorum Rex.

Jam & Italia pacata erat Urbani Pontificis auctoritate, ad quem Episcopi & Jtaliæ Principes cum Conrado Rege accesserant. Quarè & Urban⁹ post Pascha synodum centum & quinquaginta Episcoporum convocârat, in qua sententia anathematis in Guibertum Pseudopontificem ejusque fautores, in Henricum Regem & Schismaticos repetita. Hoc eodem vinculo anathematis Episcopi nostri per Germaniam & Saxoniam arctius illigati proscriptique. Ipse deinde Urbanus Pontifex, postquam per XI annos Ecclesiam præclara constantiæ omniumque Pontificalium virtutum laude inter multiplices ærumnas administrasset IV Calend. Augusti excessit è vita; cui Paschalis gente Thuscus successit, egregius per omnia virtutum ornamenta commendatus Pontifex. Berthold.

Annus Christi 1100.

Paschalis II Pont. I.
Henrici IV Regis 45. Imp. 17.
Henrici II Ep. Pad. 11.

Paschalis eo nomine II Pontifex, ut primum electus, Italiam ab omni Schismaticorum labe purgare cœpit; ad quod opus opportune mors Guiberti Pseudopontificis consecuta est. Auctor est Ursbergensis dixisse Guibertum ante obitum, dolere se, quòd unquam Apostolici nomen tanto cum Ecclesiæ turbamento suscepisset; id quod ex ore ejus se audisse testatur is, qui Chronici Ursbergensis partem ante Ursbergensem scripsit; quando Ursbergensis anno 1198 adolescens fuit, & anno demum 1201 Sacerdos consecratus, ac paulò pòst Monachus Præmonstratensis sit factus. Morte Guiberti per Germaniam & Saxoniam cognita, multi religione & conscientia perculsi Episcopi aspirare cœperunt ad reconciliationem, quòd Paschalem Pontificem populi Romani desiderio, unoque Cleri consensu electum, à tota Europa coli viderent. Sed obstitit denuo Henricus Rex Schismaticus, & tres ordine Pseudopontifices Albertum, Theodoricum, & Maginulphum obtrusit; qui tamen mox tanquam abscissi à vite palmites sponte exaruêre. Tantum hujus impii Regis odium erat in Apostolicam Sedem; quod Schismaticis semper cum hæreticis commune fuit. Ac Rex postquam Moguntiæ Natalem Christi egerat, consilia pacis habuit ad Rempublicam componendam, prædonesque opprimendos. Quæ omnia frustra agebantur, cùm vulnus Schismatis eadem pertinacia refricaret; neque se, neque

Berthold. Ursberg. Dodechin. Bellarm. de script. Eccl. Spondanus in Not. ad Baron.

Morte Guiberti Pseudopontificis cognita, multi Schismatici Episcopi ad unionem aspirant.

Dodechin. Episcopos, ac Principes cum Ecclesia reconciliari pateretur. Saxones interim nostri Duce Udone Marchione rebellantes, populantesque, Sclavos, quos Luiticios dixere, aggressi, insigniq; victoria potiti, cum præda & triumpho rediere in Saxoniam.

Ecclesia Theslēsis ab Henrico Ep. Pad. donatur Cœnobio Helmwardeshusano.

Per id tempus Henricus Paderbornensis Episcopus noster, libera donatione sua ac Cleri, dedit Cœnobio Helmwardeshusano nostræ diœcesis Ecclesiam in thesle cum omnibus prædiis & bonis; id verò pœnitentia delictorum suorum se fecisse confitetur, tanquam jam Schismatis quoque eum pœniteret, & reconciliationem quæreret, cui haud multò pòst renunciavit. Et quia in his tabulis annum suæ ordinationis XVI non à prima adita possessione, sed Regis Henrici nominatione consignavit, juvat hic adscribere.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Heinricus ipsa propiciante sancte Paderburnensis Ecclesie Episcopus. Notum esse volumus tam futuris quam presentibus cunctis Ecclesie Christique fidelibus, nos penitentia peccatorum nostrorum, et spe future retributionis ductos esse, que in Helmvvardeshuson est Ecclesie, in honore Domini Salvatoris, nec non et beatissimi Apostolorum Principis Petri constructe, Ecclesiam, que est in villa thesle nuncupata, rogatu atque consensu Cleri sancte Paderburnensis Ecclesie contulisse, et jure perpetuo cum omnibus appendiciis, id est, decimis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, silvis et cunctis reditibus in proprietatem ad usum Deo illic servientium tradidisse, legasse, concessisse. Decimationem quoque in villa que Mulhen dicitur, eodem modo in possessionem perpetuam contulisse, pro salute corporis et anime nostre, et ob memoriam Popponis Episcopi antecessoris nostri, qui eidem Ecclesie bannum capelle in villa ipsius Monasterii cum septem adjacentibus Ecclesiis contulit, ut tali donatione restaurum piscationis faceret in Herstelle, quam ab ipso Monasterio petens acceperat, simulque ob recordationem felicis memoriæ Imadi Episcopi, et omnium predecessorum nostrorum. Restituimus autem per hanc eandem traditionem eidem Ecclesie crucem auream, quam inde cum consensu Thetmari Abbatis, aliorumque fratrum accepimus, atque ad ornatum et decorem nostre, que in Paderburne est, matri Ecclesie transtulimus, nec non et scrinium quod nostro sumptu frater ejusdem Ecclesie Rogkerus satis expolito opere in honorem sancti Kyliani atq; Liborii fabricaverat. Crucis vero atque scrinii banni ac piscationis ideo fecimus mentionem, ut noverint Succedentes nobis Deo traditum, quod accepimus, nec destruendum quod statuimus. Ut igitur hæc statuta perpetua firma nobis, nostre illique Ecclesie defunctis, et jam prenotatis permaneant, hec describi jussimus, et sigilli nostri impressione signavimus. Banno quoque Domini nostri Jesu Christi, et beatissimi Apostolorum Principis Petri, nostraque quam accepimus, ligandi atque solvendi auctoritate firmavimus, et firmamus. Si quis autem hec infringere, vel destruere presumpserit, sese cum omnibus sibi cooperantibus anathemate perpetuo, ab eo quem offendit beato Petro dampnatum noverit.

Data

Data XVIII Calend. Septembris, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo, Indictione VIII, Ordinationis verò Heinrici Episcopi anno XVI.

Accessit aliud ab hoc Episcopo nostro monumentum liberalitatis erga Cœnobium Abdinghovianum, quod hisce tabulis testatum reliquit.

In nomine Domini. Notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quàm futuris, quòd temporibus Regis Henrici quarti Dominus Gumpertus venerabilis Abbas Patherburn. Cœnobii prædium quoddam cum universis, quæ in eo erant, mancipiis, jumentis, et utensilibus in pago Ossentorp in advocatia Heinrici Comitis de Rietbeke à quodam Boddicone XX marcis comparavit, expendens ad coëmptionem illius calicem argenteum de suâ Ecclesia cum communi fratrum consilio certe satis utili, et fructuosa commutatione. Quæ coëmptio postea apud Thuneresberg in placito Erphonis præsidis regali banno confirmata est. Ego vero Heinricus Dei gratia Patherburn. Sedis Episcopus decimationem de eodem prædio illi Monasterio perpetualiter delegavi, tam pro remedio animæ nostræ, quàm interventu præfati Boddiconis, qui eam in beneficium eatenus possederat, sicque rogatu prædicti Abbatis, et fratrum ejus jam dictam coëmptionem, et hujus decimationis traditionem nostra pontificali auctoritate et banno stabilire, firmare, et roborare curavi, et ipsam cartam hanc constitutionem scriptam continentem sigilli nostri impressione insigniri feci æterna feriens maledictione omnes, qui hanc constitutionem ullo modo infringere presumpserint. Hujus traditionis et confirmationis Testes sunt tam Canonici quam Monachi hujus nostræ principalis sedis. Laici vero Elver, Gerhard, Egbrah, Hugo, Uffo, Ludolf, Eizo, Essiko, Herebold, et alii multi. Acta Patherburn XI Calend. Septembris anno ab Incarnatione Domini MC Indictione VIII.

Tradunt fasti Corbeienses corpora Ludolphi & Druthmari Abbatum suorum, quòd multis palam miraculis inclaruerant, humo levata, ac publicæ venerationi exposita fuisse. Fidum adhuc stabat Cœnobium illud cum Marquardo Abbate suo in Pontificis & Catholicorum societate; ausique Monachi sub Schismatico Imperatore per multos supplices libellos repetere decimas à Widone Schismatico Osnabrugensium Episcopo, quas Benno, ut diximus, traxerat ad suam Ecclesiam. Sed Widonem longè funestius malum hoc anno perculit. Quippe Basilica Cathedralis & urbs Osnabrugum miserabili incendio conflagravit. Extractæ tamen ex circumlabentibus flammis Sanctorum reliquiæ, quibus Ecclesia illa à Carolo M. largè donata erat; eæ verò cùm inter concursantium tumultus disjectæ abditæque essent, nec diu reperiri possent, divinitus rursum patefactæ sunt, & pristino cultui redditæ. Inde magnus in hunc diem adhuc sacrorum pignorum thesaurus servatur in prima illa Saxoniæ Ecclesia Carolina.

Fasti Corbeiens. MS. Cleusforg. Ertwinus in chron. Osnab. Crantz. l. 5. Metrop. c. 38.

Urbs & Basilica Osnabrug. conflagrat.

Annus Christi 1101.

Paschalis II Pont. 2.
Henrici IV. Regis 46. Imper. 18.
Henrici II Ep. Pad. 12.

Chron. Hildes. Dodechin. Ursberg. Sigebert.

Altera in Orientē expeditio suscipitur.

Imperator post illa Natalem Christi Moguntiæ celebravit. Qua in urbe multorum Principum conventus celebratus, & Imperatori suasum est, Legatos Romam pro concordia inter regnum & sacerdotium tandem ineunda mitteret; sed agitatum consilio simul Schismaticorum, ne alius Pontifex reciperetur, ac quem omnium Romanorum, aliarumq; Ecclesiarum consensu probatum, in locum Paschalis obtendere fas esset. Interim postquam ex Oriente prosper belli sacri successus est perlatus in Occidentales provincias, & Paschalis Pontifex haud secus quàm Urbanus omnes Reges, Principes, ac populos cohortari auditus est ad nova belli subsidia, altera expeditio, quæ priori etiam multitudine hominum ex Italia, Gallia, & Germania confluentium haud impar, in Palæstinam sumpta est. Ejus indicium fuisse volunt papilionum per tres continuos dies è Saxonia in Bavariam volitantium nubes; sed maxima pars hujus expeditionis fraudata est perfidia Alexij Constantinopolitani Imperatoris, qui cum Christianis simulando amicitiam, clam cum Turcis faciebat, proditor simul & hostis Christianorum. Multis hanc expeditionem, & felices Balduini Regis progressus descripsit Ursbergensis. Quinam verò ex Saxonum gente nube illa papilionum notati venerint in numerum hujus expeditionis in annalium memoria non reperio.

Imperator Moguntia Spiram concessit, atque inde Leodium; qua in urbe celebrato Paschate, Aquisgranum petijt, ubi præsentibus Friderico Coloniensi Archiepiscopo, Oberto Leodiensi, Alberone Metensi, Cunone Wormatiensi, & Burchardo Monasteriensi, Episcopis, ceterisque aulæ proceribus, Virginibus Andennensibus restituta est villa Andenna ab Alberto Namurcensi Comite, tabulas scribente Huberto Cancellario vice Rothardi Archicancellarij, Archiepiscopi videlicet Moguntini exulis. Actaq; hæc sunt XVIII Calend. Junij, anno Henrici III Jmp. ordinationis XLVIII, regni XLVI, Jmperij XVIII. Postridie in obsidione castri Limburgensis confirmata ab Henrico Rege privilegia Abbatiæ Laubiensis, rogantibus Henrico filio Rege, Friderico Coloniensi Archiepiscopo, Burchardo Monasteriensi, Conone Wormatiensi, Adalberone Metensi, Walchero Cameracensi, Episcopis, ceterisque Regni proceribus. Ex quibus æstimes Burchardum è Saxonicis Episcopis aulam Schismatici Jmperatoris assectatum esse, interque Consiliarios Regi adhæsisse.

Miræus c. 122 in Not. Belg.

Præclarum hoc tempore patrocinium Abdinghoviani Monasterij suscepit Henricus Episcopus noster in conventu cleri, Comitum

rum ac nobilium Paderbornæ præsentium, quod hisce tabulis posteritati testatum fecit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus Dei gratia Patherburn Ecclesie Episcopus. Quotiens à nobis subjecti ea postulant, que sic eorum profectui conveniunt, ut rationi per omnia competant, non solum quesita ultro offerre, sed et que proficua sunt eis paterna nos dilectione decet exhibere. Unde omnium fidelium Christi tam presentium quam futurorum cognoscat industria, qualiter Dominus Gumpertus venerabilis Abbas hujus civitatis cum suis fratribus nos adiit, et Ecclesie commisse calamitates super incensis ejus edificiciis, distractis prediis, advocatorum exactione, violentorum invasione conquerens, quarundem rerum à nobis in presentiarum canonicam correctionem et Ecclesiastice defensionis in futurum tuitionem rationabiliter et suppliciter expetiit. Nos autem ob honorem et amorem Dei, quo Ecclesiam ejus tuendam gubernandamq; suscepimus, et licet multo labore optatæ pacis et quietis in litore collocavimus, rationabili petitioni benignum assensum prebuimus, et primitus, que milites et homines nostri juri suo et beneficio vendicaverant, plenarie restituentes hec cum aliis hominibus, que eadem Ecclesia eatenus possederat, vel deinceps possessura est confirmantes, et corroborantes, presentis scripti auctoritate et banno stabilivimus et communivimus, sub anathematis interminatione statuentes, ut nulla persona parva vel magna, domestica vel extranea contra Dei Ecclesias seviens quemlibet Abbatem et fratres prefate Ecclesie super bonis concessis vel concedendis, mobilibus et immobilibus inquietare, molestare, aut divestire presumat. Quod si ausu temerario attemptaverit, et quicquam ipsius Ecclesie juris aut honoris, sive in Abbatis regulari electione seu in quacunque Ecclesiastice dignitatis et utilitatis provisione et dispositione imminuere vel infringere presumpserit, anathematis vinculo nisi velociter cum condigna satisfactione resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis sue periculum patiatur. Observantes autem eidem, et in eodem loco, que sua sunt misericordia divina custodiat, et post hanc vitam ad eternam feliciter pervenire concedat. Testes hujus confirmationis sunt Thietmarus Abbas de Helmvvardeshusen, Rotgerus Prepositus, Reinboldus Decanus, Conradus Prepositus, Bernhardus Cellerarius, Heinric, Godescalcus, Hizel, Volbrach, et ceteri omnes Canonici. Layci vero Karolus filius Regis Danorum, Erpho Comes, Luippold Comes, Conrad, Burghardus, Tiemmo, Gumprath, Wolo, Heinric, Bernhard, Thietmar, liberi homines. Ministeriales autem Elver, Echertus, Athelvvord, Eizo, item Eizo, Manegold, Hildebold, Herebold, Cosso, Hugo, Adelbrabt, Godika, Sibrech, Godescalc, Radolf, Brun, Herimar, et alii multi. Data Patherbrunnen Calend. Novembris Anno Dominice Incarnationis MCI. *Indictione* VIIII, *regnante Heinrico Rege* IIII.

Literæ Henrici Ep. Pad. de confirmatione Monasterij Abdinckhov.

Ratam quoque hoc anno habuit donationem Helmwardehusano Cœnobio factam Albertus Moguntinus schismaticus Archiepiscopus; qua super re tabulæ apud nos suppetunt. Sed illustriora, quæ

Flectorpiensis cœnobij initia.

Cleinsorg. Stangefol. Literatabularii Paderborn.

quæ ex Flectorpiensi Cœnobio primùm hoc anno apud nos inchoato, ac deinde alibi absoluto ex certis monumentis accepimus. Conditor ejus Erpo Padbergensis Comes, quem memorabili ad omnem posteritatem miraculo Deus ad hujus Monasterij fundationem pertraxit, quam in rem fundationis tabulas ab ipso Comite consignatas, quibus hæc exponuntur, referre juvat.

In nomine Domini. Erpo dictus Comes in Patbergh. Ad notitiam omnium fidelium pervenire desideramus, quod nos ad honorem Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Genitricis Virginis Mariæ, et super reverenda ossa beati Landolini Confessoris, quæ sanctæ memoriæ Paturadus Episcopus Paderbornensis de diœcesi Cameracensi transtulit, et in loco, qui dicitur Boke, integraliter deportavit, novellam plantationem religionis S. Benedicti construximus, super fluvium, qui dicitur Lippia, quod opus structuræ meæ consilio et adjutorio Domini Henrici Episcopi Paderbornensis inceptum Comites de Nytehe minis et terroribus, ne perficeretur, impediverunt, asserentes, se veros heredes loci illius esse post mortem Dominæ Beatricis conjugis nostræ. Unde inito consilio prædicti Domini Episcopi transmigravimus Abbatem et fratres ejus, qui cum ipso erant, in villam nostram, quæ vocatur Fletorp, et ibi incepimus structuram nostram consumare, Anno Gratiæ Millesimo centesimo primo, ad honorem piæ Matris: et ut ardentius instarem benignissimus Deus flagello suo me torpentem excitavit hoc modo. Quodam tempore opidanis in Herbusen forte injuste in tantum offensus, ut incendio Oppidum ipsorum totaliter destruere, et consumere vellem; et jam ignem immittenti quidam de ipsis Opidanis ad Ecclesiam S. Magni gloriosi Martyris fugientes imaginem crucifixi Domini rapuerunt, et eam ferentes obviam mihi jam furenti processerunt. At ego præ furore rationem non capiens ad portitores crucis evaginato gladio ut stultus miser inrupi, et quod crucifixo pro corona capiti impositum est, percussi, et partem in terra dejeci. Nec sine mora ultio divina defuit, nam digiti mei, quibus ferrum ad contumeliam SS. reliquiarum strinxeram, et manus in volam contracti, præsentiam interni judicis ibi adesse et iram perscrutati. Tunc igitur ejus flagello desperatus, et tamen de eo, quod scriptum est, flagellat omnem filium, quem recipit, fiduciam sumens, præsumebam à misericordia Dei me diligi, qui meretur affligi, præfatæ Ecclesiæ beati Magni de meis possessionibus mansum unum, et Monasterio meo Fletorpensi omnia mea, et me ipsum, ministeriales meos cum beneficiis, et possessiones, servos omnes mihi bene in hoc consentientes Dominæ meæ perpetuæ Virgini Mariæ contradidi. Constituo, et præsenti scripto sigillo nostro roborato jubeo, ut post mortem meam aliam personam Ecclesiasticam Abbas, et qui cum eo sunt fratres eligant, et ei proprietatem Monasterii mei tradant, et ejus consilio advocatum unius ad anni tempus, vel duorum si opus sit eligant, finito vero advocatiæ suæ termino, iterum si necesse sit, non de progenio prioris, sed alium, ut caveatur, ne aliquis in advocatia hæreditario jure succedere possit. Ministeriales mei, qui modo sunt Ministeriales Monasterii in quacunque

cunque Parochia moriantur, sepulturam in prædicto meo Monasterio eligant, et habeant, et optimum equum, quem quis habeat, ad arma ibidem offerat. Jura vero in accipiendis vel dandis hæreditatibus sedem jura Ministerialium, ubi se tradiderint, habeant.

Veteris memoriæ Comitatus Padberga, quem jam antè Conradus Imperator anno 1030 Meinwerco Episcopo dederat; uti supra à nobis relatum est; situsque ad Dimolam fluvium intra Montem Martis & Brielam Ducatus Westfaliæ oppidum, ad confinia Waldecensis Comitatus, sedes Comitum in monte edito, bona Comitatus à Meinwerci ætate Badbergenses fiduciario jure ab Episcopis sortiti. Inde per temporum injurias partim Archiepiscopo Coloniensi, partim Comitibus Waldecensibus per spolium cessêre. Certè Erpo primus Cœnobij Conditor intra Episcopi Paderbornensis jurisdictionem locum suo adhuc ævo agnoscit. Decessit is sine prole anno 1113, in hoc à se condito Cœnobio sepultus. Frater illi fuit Thietmarus, qui cùm sine liberis quoque esset, fertur Comitatum tradidisse in manus Archiepiscopi Coloniensis. Inde ex alia stirpe, ab Archiepiscopis Clientes Comites impositi, qui multis exinde injurijs & bellis afflixêre Paderbornensem diœcesin, Episcopis nostris, pro veteri jure & donatione Conradi Imperatoris, Comitatus bona reposcentibus. Fundatoris tabulis conjungo Henrici Episcopi nostri, quibus Cœnobium intra suam diœcesin confirmat. Situs Comitatus Padberg.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus Dei gratia S. Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopus. Et divinæ legis executio, et regiminis nostri exigit administratio, bonorum laboribus pro viribus assistere, juris æquitatem contra injustitiam defendere, ut cuique sua illibata conserventur, atque sibi cohæreat in compage unitatis ordinatio universitatis. Hujus intuitu rationis notificamus tam præsentibus quàm futuris Ecclesiæ filiis, qualiter fidelium nostrorum præcipuus Erpho Comes in Dyecesi nostra Cœnobium in honorem S. Dei Genitricis in fundo, qui Boka nuncupatur, super Lippiam fluvium sito, qui Conjugi ejus Domnæ Beatrici hæreditaria successione competebat, instituit, et prædia, quæ vel habebat, vel industriâ conquirebat, Monachis inibi Christo servituris delegavit, de nominato autem prædio novellæ institutionis Ecclesiam rogatu ipsius Domnæ initiari, fundari, dotari decrevit, et hæc sunt reliquæ possessiones, quas ipse Comes de proprio in usus fratrum separavit. In Flietorp Ecclesiam cum dote, et duo prædia cum mansis. In Langevorde Ecclesiam cum dote et prædium cum mansis. In Veerbol Ecclesiam cum dote et prædium cum mansis. In Mulenhus Ecclesiam cum dote et unum prædium Hassapa, Hoite, Loithar, Berdinghus, Mehkus, Winemarinchus, Gembike, Hulikissen, Holthus. Huic piæ inchoationi nos per omnia congaudentes, et in futurum rebus consulentes supra dictum prædium Boka cum Ecclesia et dote et cuncta superius memorata cum omnibus appendiciis suis, terris videlicet cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, Confirmatur ab Henrico Ep. Pad. Cœnobium ab Erpone Comite fundatum.

cursibus, molendinis, piscationibus, et omnium commoditatum generibus præsentis privilegii testamento eidem Monasterio perpetuo jure confirmamus, et ne aliqua persona Ecclesiastica, sive secularis infra terminos ipsius Parochiæ aliquid statuendi, vel commutandi habeat potestatem, quod commodis Monachorum officiat, aut quietem perturbet, vel utilitates impediat, sub anathemate interdicimus, sed ea quæ primum tradita sunt integritate libera et inconvulsa manere decernimus. Si quis autem temerario ausu aliquid de interdictis violare præsumpserit, authoritate Domini Paschalis PP. et nostræ animadversionis sententia, nisi resipuerit excommunicationis vinculo insolubiliter innodetur. Actum in ipsa Ecclesia, Anno singularis Nativitatis Millesimo centesimo primo, Indictione decima, Imperante Henrico IV. Testes fuerunt Abbates Eckenbertus Corbeyensis Abbas, Gumpertus Patherbrunnensis, Thietmarus Helmvvardicensis. Nobiles Thietmarus Fr. Comitis, Wydikindus, Volckmarus, Thietmarus, Bernhardus, Henricus. Ministeriales Adelvvardus, Godefridus, Godescalcus, Ermingerus, Gerhardus, Retherus, Thiedolfus, Berhardus, Rathvvardus, Reynhardus, et alii multi.

Perstitit Cœnobium illud à primis initijs ad hæresis tempora. Primus loci Abbas Fridericus, ab eo ordine consequentes Rothardus, Wicbertus, Hartwicus, Hermannus, Wigbertus, Uffo, Godefridus, Siffridus, Albertus, Rotgerus de Schaden, ceterique ad Balthasarem, qui exuto habitu Cœnobitico, ductaque uxore ad hæresin transijt, & miseram in ditione Corbejensi vitam clausit. Cranium D. Landolini Conradus Luderus, Archiepiscopi Coloniesis per eas partes moderator rerum sacrarum, clam ex Flechtorpiensi Cœnobio transtulit ex hæreticorum manibus in Cœnobium Odaccium, inscio Theodoro Paderbornensium Episcopo. Inde metu belli Christiani Halberstadiensis à Sanctimonialibus in Hirtzberge translatum, ac demum à Francisco Wilhelmo Osnabrugensi Episcopo incertum quo deportatum, frustra Paderbornensibus & Benedictinis reposcentibus.

Insignium multorum virorum obitus. *Ursberg. Chron. Hildes. Fasti Corbei.*

Ceterum hic annus multos illustres viros sustulit. Conradum Henrici Imperatoris filium, ac Regem Italiæ, cum incredibili omnium Orthodoxorum luctu. VI quoque Octobris clausit extremum diem D. Bruno in Calabriæ suæ eremo, vir sanctissimus, & Conditor familiæ sacræ Carthusianorum. E Saxoniæ Principibus occubuit Henricus cognomento Crassus, Comes Northemij, Ottonis Bojariæ Ducis, & Saxoniæ propugnatoris filius; redierat is jam in gratiam cum Henrico Imperatore, à quo & Frisonum Marchio impositus est; quam gentem cùm oneribus durius premeret, adversum se concitavit, tandemque uxore Gertrude, quæ soror erat Eckberti Marchionis Saxoniæ vix è periculo elabente, ipse prælio cum Frisijs congressus, magna victus ignominia cecidit. Periere & multi alij Saxonum hac Frisonum rebellione. Biennio post Cuno sive Conradus frater Bichlingæ Comes, vir omnibus naturæ donis ad miraculum ornatus, popularium

pularium quoq; conspiratione interemptus. Ita fortuna in clarissima Ottonum familia extinguenda sævire visa est. Duo præterea schismatici Archiepiscopi morte subtracti, Egilbertus Trevirensis & Liemarus Bremensis, tuba schismatis, & Henrici incentor; qui tamen posteris annis, ex quo à Lothario captus, aulæ & Schismaticorum consortio sese subtraxit. Egilberto Successor datus Bruno, Liemaro Humbertus, uterque schismatis labe infectus. Nihil Imperator sollicitius agebat, quàm ut schismaticis subrogaret schismaticos Episcopos; quantomque Regnum suum his artibus firmabat, tantum turbabat Ecclesiam.

Annus Christi 1102.

Paschalis II Pont. 3.
Henrici IV. Regis 47. Imper. 19.
Henrici II Ep. Pad. 13.

Non latebant hæc Paschalem Pontificem, vigilantissimum & cordatissimum Ecclesiæ rectorem; quare per Quadragesimam Romæ synodum indixit, ad quam omnes Italiæ Episcopi, multiq; etiam ex transmontanis convenêre. Ea in synodo, quòd, uti Bertholdus etiam scribit, priorum Pontificum anathemata in Schismaticos sensim in contemptum abirent, Pontifex congregatis in synodo Episcopis sententiam anathematis in Henricum Imperatorem & Schismaticos per Saxoniam & Germaniam Episcopos renovavit, ipsumque ejus schisma, ob contemptum Apostolicæ Sedis inter præcipuas hæreses annumerandum pronunciavit. Imperator, etsi sub initium anni, cum Moguntiæ rursum Natalem Christi celebraret, in conventu Episcoporum ac Principum promiserit, se Romam profecturum, & cum Pontifice tractaturum de concordia inter regnum & Sacerdotium, nihil tamen homo fallax præstitit. Post ubi intellexit, se rursum, omnesque schismaticos Episcopos, à Romano Pontifice in synodo proscriptos damnatosque esse, iram furoremque vertere cœpit in Catholicos Episcopos vexandos.

Ursperg. Baron. Concil. Rom. in causa Henrici Imp.

Ex horum Catholicorum Episcoporum numero, posteaquam hoc anno mortuus est Hartwigus Magdenburgensis Archiepiscopus, qui solus prope ex Saxonibus Episcopis ea tempestate in fide Apostolicæ Sedis perstiterat, Henricus Comes de Aslo, quem primò Paderbornensem Episcopum delectum diximus, Cleri populiq; suffragatione subrogatus est. Præsul non minus à pietate quàm constantia in defensione Catholicæ religionis commendatus à Scriptoribus. Quæ postquam Henrico Imperatori cognita, quòd sibi Episcoporum imponendorum potestatem vendicaret, Henricum insectatus est, omnique id opera egit, ut Schismaticum Episcopum Sedi illi obtruderet. Quapropter Henricus ab Episcopi munere ad annum

Dodechin. Gobelin. Crantz. l. 5. Metrop. c. 27. Henricus de Aslo eligitur Archiep. Magdeburg. quem Imperator persequitur.

pos rejectus est, nullo tamen alio in ejus locum subrogato (quemadmodum in locum Trevirensis obtrusit Brunonem Archiepiscopum) Saxonum, ut creditur, metu, ijs in locis prævalentium.

Gobelin. ætat. 6. c. 55. Bellum inter comitem Arensberg. & Archiep. Coloniensem.

Exarsit hoc anno bellum inter Fridericum Arensbergæ Comitem, cognomento Bellicosum, & Fridericum Coloniensem Archiepiscopum. Causa belli in obscuro relicta, nisi quòd per id tempus Robertus Flandriæ Comes Orthodoxus à Paschali Pontifice animatus bellum intulerit Leodiensi & Cameracensi Episcopis Schismaticis, qualis & Fridericus Coloniensis erat; incitabatque Arensbergensem Comitem ex sorore Henrici Crassi ortum vetus in Henricum Imperatorem odium. At Fridericus Archiepiscòpus, collecto exercitu, Westfaliam ingressus Arensbergam castrum obsedit, & ad deditionem compulit. Qua clade nihilo fractior Arensbergensis Coloniensem Episcopatum ferro & igne vastat. Quibus ad Cæsarem perlatis, citatur ad Cæsaris tribunal; at vadimonium deserit, eòque rebellis proscribitur. Sed ille confisus consanguineorum auxilijs Godefridi Cappenbergensis, & Hermanni Ravensbergici Comitum, qui Ottonis quoque Saxoniæ & Bojariæ Ducis filias duxerant, Henrici Crassi sorores, bellum redintegrat. Simul per id tempus à cliente nobili duo Cappenbergensium Comites, Godefridi fratres, ex insidijs occisi sunt. Ita Westfalia intestinis simul bellis flagrare cœpit.

Chron. Tremon. MS.

Fasti Corbej MS. Marquardus Abbas Corbeien. per Schismaticos expellitur.

Qua tempestate turbata est congregatio Corbeiensis Cœnobij, expulso Marquardo Abbate per Guntherum Heresfeldiensem Abbatem, qui per fraudem circumvenerat Corbeienses. Tam fœdum Schisma, quod & Monachos collisit. Guntherum altero mox anno divina ultio consecuta sustulit è medio, restitutusque est in integrum Marquardus, religiosissimus Abbas, & Catholicarum partium studiosissimus; uti ob hanc rem antè ab Episcopatu Osnabrugensi à Schismatico Imperatore dejectus redierat ad Monasterium suum.

Henrici Ep. cura pro clero & cœnobijs.

Henricus Episcopus noster, etsi schismatis adhuc malo implicatus hæreret, neque ob dominatum Jmperatoris se expedire posset, sedulo tamen procurationem Ecclesiæ suæ gessit, & tam Clero quàm Cœnobijs utiliter consuluit; quod inter cetera hæ literæ Abdinghoviani Monasterij ex hujus anni beneficio testabuntur; in quibus etiam ejus ætatis Cathedralis Ecclesiæ illustres viros, & antiquissimam Brenckiorum familiam, hodiedum inter nobiles claram, recognoscere licebit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Padebornensis Ecclesiæ Episcopus. Quod ad multorum notitiam pervenire congruum duximus, literarum monumentis mandare provida deliberatione curavimus. Presens ergo etas omnisque secutura noverit posteritas, qualiter duæ sorores secundum carnem libere Bertha et Walburch nomine cum consensu tutoris sui Friteboldi suorumque heredum Bernhardi et Frederici duos

mansos

mansos in villa Swinvelde, quos hereditario jure possederant, ad Padebornense Cœnobium in honore SS. Apostolorum Petri et Pauli constructum tradiderunt, ut non solum beneficium necessarie consolationis, sed etiam auxilium oportune experirentur defensionis. Hec traditio primo facta est in placito Walonis presidis, loco, qui dicitur Burc coram multitudine, quæ ad tribunal ejus convenerat, quam ipse regali banno confirmavit et roboravit. Secundo coram principali altari SS. Apostolorum Petri et Pauli presente Domino Gumberto Abbate cum omni congregatione Laycorumq́; multitudine, ubi et Henricus nostre Ecclesie advocatus predictam traditionem de altari suscepit, regieq́; potestatis banno postmodum in placito advocatie sue stabilivit. Postea prenominate sorores ab amicis suis ammonite se ipsas in proprietatem predicte Ecclesie dederunt, et prefatos mansos cum uno, qui erat Ecclesie in eadem villa, usibus suis quamdiu viverent profuturos in beneficium acceperunt. Hanc traditionem tam legitime factam bannique nostri auctoritate firmatam, si quis, quod absit, infringere temptaverit, vel aliquam lesionem seu injuriam præfati Cœnobii fratribus inferre presumpserit, iram et offensam Dei Sanctorumque ejus incurrat, de libro viventium memoria ejus pereat, æterne maledictioni cum dyabolo et angelis ejus subjaceat; que ne forte attemptare quis audeat, et ut memoriale in generationem generationum permaneat, paginam hanc inde scribi jussimus, et eam impressione sigilli nostri subter consignatis ydoneis testibus signavimus. Quorum nomina hec sunt Robertus Prepositus, Reynboldus Decanus, Conradus Prepositus, Godescalcus, Reynbertus, Foltbertus Canonici. Luppoldus Comes, qui ad placitum Walonis presidis presens erat, Worad vicedominus, Cizo, Ecbrath, Monegold. item Cizo, Rado de Brenken, Bernhardus Causidicus, Frittebold, Menigoz, Siffridus, Adalbero ac plures alii studio brevitatis omissi. Hec traditio et confirmatio facta est anno Incarnationis Dominice Millesimo CII, Indictione X. regnante Rege Henrico quarto.

Annus Christi 1103.

Paschalis II Pont. 4.
Henrici IV Reg. 48. Imp. 20.
Henrici II Ep. Pad. 14.

Sub anni sequentis initium Imperator, postquam Moguntiæ Christi Natales peregerat, conventum Episcoporum ac Principum habuit, in quo palam edixit, se, translato in Henricum filium regno, profecturum in Palæstinam, & sepulchrum Christi adoraturum, id quod per *Emehardum Herbipolensem Episcopum publicè pro concione denunciari jussit. Quæ postquam vulgata, mirum, quantum sibi Cleri populique favorem collegerit. Læti omnes spe pacis, qua civilibus dissidijs positis, arma tandem in recuperationem terræ sanctæ convertenda sint. Quapropter multi sacrorum antistites, nobiles, ac milites ad crucis vexillum convolárunt. Sed fallax homo ex inter-

Henricus Imp. translato in filium Imperio, Palæstinam petere cogitat.

*al. Meginardum. *Miræus in not. Belg. c. 120.*

intercalari pietate mox redijt ad ingenium & schisma confirmandum. Post illa cum schismaticis Episcopis Friderico Coloniensi, Brunone Trevirensi, & Burchardo Monasteriensi Episcopis, Spiram profectus est, quemadmodum id docent tabulæ Laurisheimensi Monasterio datæ, quas ijdem Episcopi cum Friderico & Sigefrido Palatinis consignârunt. Spirâ Leodium concessit; ubi in Principum conventu Robertus Flandriæ Comes supplex in gratiam receptus. Hinc transito Rheno in Westfaliam digressus Imperator cum schismaticis Episcopis (inter quos aulæ consul Burchardus Monasteriensis Episcopus) ad Saxoniæ motus, ut Sigebertus scribit, componendos. At quales hi fuerint, auctor non prodidit, nisi quod constet Fridericum Magdenburgensem cum Friderico Coloniensi Archiepiscopo gravi bello implicatum fuisse, & Henricum de Schaden Marchionem, Saxoniæ potentissimum ea tempestate Principem, obijsse. Pace in quadriennium transacta, redijt Henricus cum filio ad hiberna in Bojariam.

Sigebert. in chron.

Ursberg.

Ex Archiv. Werth.

Henricus Ep. donationes Abdinghovensibus factas in synodo comprobat.

Synodum interim celebravit Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, in qua ea sancita sunt, quæ cum Ottone Werthinensi Abbate controversa intervenerant, uti tabulæ ejus Cœnobij id exhibent. Haud minus indiligens Henricus Episcopus noster in Quadragesima proximis ante Pascha diebus synodum Vernam Cleri habuit; in qua publicis literis testibusque donationes Gumberto Abbati, & Monasterio Abdinghoviano factas comprobavit, quas hic adscribimus.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus Dei gratia Padeburnensis Ecclesie Episcopus. Quia juxta veridicam magistri gentium vocem unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, cum solatium denarii diurni laboris lato caritatis mandato etiam extraneis et inimicis impendere debeamus, maxime domesticis fidei et sub umbra alarum nostrarum habitantibus id impertiri debemus. Unde universe posterorum nostrorum fidelitati notum esse volumus, qualiter nos pro divini servitii augmento nostro nostrorumque successorum pie recordationis monimento fratribus Ecclesie beatorum Apostolorum Petri et Pauli in suburbio nostre civitatis degentibus, quibus Domnus Gumbertus venerabilis Abbas preest, ad altare eorundem Sanctorum Apostolorum diversis temporibus devota mente hec contulimus. unum mansum in Curbike in consecratione principalis crucis in eorum Ecclesia, que facta est V Novembris anno Dominice Incarnationis M. nonagesimo, Indictione XIII, presentibus fere omnibus in hac civitate commorantibus, quandam decimam in Liesmari, mancipium unum Meinhardum nomine cujus uxor nomine Gesike filia Joannis Rother ad nos pertinentes postea commutati sunt ad eandem Ecclesiam datis procis, muliere nomine Geseke, et filio ejus Bernhardo, vivarium piscium juxta hanc civitatem in loco, qui dicitur Rimbike, mansum unum hic in civitate cum area interventu cujusdem Cizonii nostri ministerialis ipsum mansum eatenus in beneficio possidentis,*

**an porcis?*

possidentis, tum autem secularibus negotiis renunciantis, et emendationis vite gratia Monachorum in prefato Monasterio cohabitationem expetentis, filiis ejus presentibus, nostrisque ministerialibus pluribus in testimonium assistentibus. Item mansum unum in villa, que dicitur Balhornon, interventu Hugonis de Gladebach ministerialis nostri, qui eum à nobis eatenus in beneficio habuerat. Itidem mansum unum in Hatheberninchusen, tali tenore, ut quamdiu in hac vita Deo disponente subsistimus in die ordinationis nostre, post mortem vero nostram in die anniversarii nostri fratribus in refectorio in memoriam nostri caritas prompta exhibitione amministretur. Duo quoque predia, que sunt in Bedinthorp et in Erpinthorp eidem Monasterio tradidimus pro calice argenteo triginta marcarum, quem annuentibus fratribus in usus nostros sumpsimus et expendimus. Hec omnia ob animarum remedium collocata usibus Deo servientium banni nostri auctoritate firmavimus, et omnes, qui predicte Ecclesie fratres super eisdem bonis inquietare, molestare, aut divestire presumpserint, eterne dampnationis et maledictionis cum dyabolo et angelis ejus perpetuis gehenne ignibus cruciandos, nisi velociter resipuerint, tradentes, paginam hanc in testimonium horum conscriptam sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Testes confirmationis traditionum istarum sunt Rotherus Prepositus, Reinboldus Decanus, Conradus Prepositus, Bernhardus, Folcbertus, Reinbertus, Godescalc, Hezelinus Canonici. Liberi homines Conrad de Wartberghe, Tiemmo, Burghard, Gumbracht, Conrad de Everschutte. Ministeriales Ecclesie Elver Comes, Uffo, Hugo, Egbrech, Hildebold, Luidolt, Henric, Manegold. Ministeriales Ecclesie beatorum Petri et Pauli Sibrech, Trithemar, Brun, Godescald, Rotholf, Heriman, Liesdag. Ministeriales Prepositi Rother, Folcbrach, Altman, Adalbrach, Albern, Everhard, Friddo. Ministeriales de Budecon, Altmar, Anshelm, Meinger, Heribold, Becelin. Ministeriales in Herese, Witman, Conrad, Udo, Cono, Witherold, Bernhard. Cives Brun, Rother, Thancmar, Heribold, Thiederic, Welrico et alii quam plures, qui ad synodum convenerant, anno Dominice Incarnationis MCIII, Indictione XI, regnante Henrico Rege quarto. Actum Paderb. in cena Domini VII Calend. Aprilis.

Annus Christi 1104.

Paschalis II Pont. 5.
Henrici IV Reg. 49. Imp. 21.
Henrici II Ep. Pad. 15.

Cæsar ex quo superiori anno in Saxoniam descenderat, gentem Saxonum multò quàm antè non solùm mitius, sed & honorificentius in aula habere cœpit, ad invidiam Bojariæ gentis. Qua super re, dum Ratisbonæ post Natalem Christi celebratum versatur, palam querelæ & seditionis voces auditæ. Incentor horum Sigebertus Comes Borchusanus, in quem ob id aulicorum conspiratio coorta, quique deinde Ratisbonæ in hospitio ab hora tertia ad nonam obsessus, fractisque

Ursperg. Dodechin. Interimitur Sigebertus Comes.

Auctor vitæ Henrici. fractisque tandem foribus captus (postquam tamen prius sacramento corporis Christi se munijsset) obtruncatus est. Quo tempore Boto, Erbonis Comitis frater, vir grandi corporis statura, & militari fortitudine adversus Pannones clarus, excessit è vita; cujus maternum genus Ursbergensis deducit ex Immidingorum Saxonum stirpe, quæ & Meinwerci Imadique Episcoporum nostrorum fuit, & à Widekindo M. descendit, Imperatoriæ per Mathildem Ottonis Magni matrem familiæ agnata. Ratisbonâ Cæsar Moguntiam petijt, celebratoque Paschate, cum Henrico filio Rege in Saxoniam progressus est ad motus, quos Orthodoxi in spem libertatis erecti concitârant, componendos. At ea expeditio mox irrita recidit, quòd Henricus filius saniori mente imbutus, patrem aversatus, noctu clam è castris in Sueviam profugus, se à patris consortio subduceret, quem trium Pontificum sententiis proscriptum, intelligebat indies pertinaciorem. Filium pater per Legatos nunc blanditijs, nunc minis revocare conatus est; sed frustra hæc agebantur, quòd is jam aliorum procerum consilijs in partes Catholicorum transijsset. Quare Pater, omissâ expeditione Saxonicâ, iter Moguntiam relegit ad Christi Natalitia ea in urbe celebranda. Tandem sera numinis pœna Regem, qui per 40 annos Rempublicam & religionem turbaverat, consecuta, æmulum in filio objecit, à quo regno mox exutus est.

Obit Boto Comes ex Immidingorum Saxonum familia.

Deseritur Henricus à filio.

Has inter turbas Henricus Episcopus noster VI Calend. Martij, rogatu Erckenberti Abbatis, Cœnobio religiosorum virorum, quibuscum bonam amicitiam colebat, omnes decimas, quas Hoxtariæ vicinisque locis, & per totam diœcesin controversas habere poterant, liberaliter confirmat; idque se pro instituto Antecessorum suorum, ac pro animæ suæ bono facere profitetur. Qua super re apud nos tabulæ extant anno 1104 consignatæ; quo jam, mortuo Marquardo Abbate, Erckenbertus successerat; nisi eo vivo adhuc subrogatus, quòd Marquardi mortem fasti eorum referant ad annum 1106. Sanè Henricus Præsul conscientiæ integerrimæ, nisi quòd uno schismatis malo adhuc obvolutus hæreret.

Annus Christi 1105.

Paschalis II Pont. 6.
Henrici IV Regis 50. Imp. 22.
Henrici II Ep. Pad. 16.

Ursberg. Dodechin. Auctor vitæ Henrici. Sigebert. Otto Frising. Albertus Stad. Sed nunc annus sequitur MCV Germaniæ quidem turbulentissimus, sed quo primum afflicta Catholicorum causa respirare cœpit. Henricus enim Rex filius Cæsaris, qui in Sueviam discesserat, mense Januario, à Gebehardo Constantiensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, abjurato Schismate, Ecclesiæ communioni restituitur. Mox in Bojariam conscendit; ad quem magno numero Norici, Suevi, & Franciæ

Franciæ Orientalis proceres ultro confluxêre; cum his in Saxoniam properat, certus se ob veteres Henrici patris inimicitias non alienos Saxonum animos habiturum. Neque spes irrita fuit; ab his cum ingenti honore & incredibili lætitia exceptus, Pascha magno nobilium concursu Quidlenburgi peragit. Ubi Ruthardum exulem Moguntinum Archiepiscopum consilij auctorem adjutoremque nactus est; cujus auctoritate totam prope Saxoniam, exactis Schismaticis Episcopis, ad obedientiam Romani Pontificis adduxit. Henrici Imp. filius Saxoniam ad obedientiam Rom. Pontificis reducit.

Concilium inde IV Calend. Junij apud Northusium regiam villam advocat, confluentibus ex tota Saxonia Episcopis, Abbatibus, & ingenti Clericorum & Monachorum multitudine. Eo in concilio, cui præfuêre. Ruthardus Moguntinus Archiepiscopus & Gebhardus Constantiensis Episcopus Apostolicus Legatus, proscripta Simoniæ hæresis, damnatus Clericorum concubinatus, multæq; salutares Ecclesiæ leges sancitæ sunt. Decretum etiam ut à Schismaticis Episcopis consecrati per Catholicam manuum impositionem reconciliarentur cum Ecclesia. Intererat huic synodo Henricus Rex juvenis; nec prius accessit, quàm ab Episcopis vocatus, habitu vultuque ad modestiam composito. Inde è loco consurgens, allocutusque præsentem senatum palam edixit, omnia se Pontificum & Principum decreta approbare: nulla regnandi cupiditate Rempublicam capessere; nec alio consilio discessisse à patre, quàm ut omnes conjungeret cum Apostolica Sede, & Orthodoxorum societate; quòd si pater S. Petro, & Successoribus satisfaceret, & cum Ecclesia in gratiam rediret, extemplo se in omnibus patri cessurum, & famuli in modum serviturum: scire se, quid naturæ, quid sanguini, quid carissimo parenti & regiæ majestati deberet. Plura proloquenti obortæ sunt lacrymæ, quæ tanto Saxonum motu accepta sunt, ut complures cum regio juvene in fletum solverentur. Acclamatum ab omnibus, votaque & preces conceptæ pro salute utriusque Regis. Concilium Northusanum. Quæ in eo egerit Henricus V.

Tum verò Udo Hildesimensis, Henricus Paderbornensis Episcopus noster, & Fridericus Halberstadiensis, Schismatici Episcopi, ad pedes Ruthardi Moguntini Archiepiscopi ac Metropolitani, simulq; Regis provoluti, erroris sui veniam precantur, & coram universo sacræ synodi senatu Paschali Romano Pontifici & Apostolicæ Sedi fidem jurant, recepti tum in gratiam & communionem Catholicam; verùm ea lege, ut tantisper se à munere Pontificali continerent, donec Paschalis Pontifex eorum causam cognosceret probaretque. His rite peractis, solutoque concilio, novus Rex Merseburgum processit cum Episcopis ac Principibus Saxoniæ ad festum Pentecostes celebrandum. Ea ex urbe missi legati Romam, qui Paschalem Pontificem in Germaniam invitarent, ad præsentem Imperij & Ecclesiæ statum pro Apostolica auctoritate componendum. Ibi Henricus Asloënsis Episcopi schismatici cum Ecclesia reconciliati.

Auctor vitæ Henrici. fractisque tandem foribus captus (postquam tamen prius sacramento corporis Christi se munijsset) obtruncatus est. Quo tempore Boto, Erbonis Comitis frater, vir grandi corporis statura, & militari fortitudine adversus Pannones clarus, excessit è vita; cujus maternum genus Ursbergensis deducit ex Immidingorum Saxonum stirpe, quæ & Meinwerci Jmadique Episcoporum nostrorum fuit, & à Widekindo M. descendit, Imperatoriæ per Mathildem Ottonis Magni matrem familiæ agnata. Ratisbonâ Cæsar Moguntiam petijt, celebratoque Paschate, cum Henrico filio Rege in Saxoniam progressus est ad motus, quos Orthodoxi in spem libertatis erecti concitârant, componendos. At ea expeditio mox irrita recidit, quòd Henricus filius saniori mente imbutus, patrem aversatus, noctu clam è castris in Sueviam profugus, se à patris consortio subduceret, quem trium Pontificum sententiis proscriptum, intelligebat indies pertinaciorem. Filium pater per Legatos nunc blanditijs, nunc minis revocare conatus est; sed frustra hæc agebantur, quòd is jam aliorum procerum consilijs in partes Catholicorum transijsset. Quare Pater, omissâ expeditione Saxonicâ, iter Moguntiam relegit ad Christi Natalitia ea in urbe celebranda. Tandem sera numinis pœna Regem, qui per 40 annos Rempublicam & religionem turbaverat, consecuta, æmulum in filio objecit, à quo regno mox exutus est.

Obit Boto Comes ex Immidingorum Saxonum familia.

Deseritur Henricus à filio.

Has inter turbas Henricus Episcopus noster VI Calend. Martij, rogatu Erckenberti Abbatis, Cœnobio religiosorum virorum, quibuscum bonam amicitiam colebat, omnes decimas, quas Hoxtariæ vicinisque locis, & per totam diœcesin controversas habere poterant, liberaliter confirmat; idque se pro instituto Antecessorum suorum, ac pro animæ suæ bono facere profitetur. Qua super re apud nos tabulæ extant anno 1104 consignatæ; quo jam, mortuo Marquardo Abbate, Erckenbertus successerat; nisi eo vivo adhuc subrogatus, quòd Marquardi mortem fasti eorum referant ad annum 1106. Sanè Henricus Præsul conscientiæ integerrimæ, nisi quòd uno schismatis malo adhuc obvolutus hæreret.

Annus Christi 1105.

Paschalis II Pont. 6.
Henrici IV Regis 50. Imp. 22.
Henrici II Ep. Pad. 18.

Ursberg. Dodechin. Auctor vitæ Henrici. Sigebert. Otto Frising. Albertus Stad.

Sed nunc annus sequitur MCV Germaniæ quidem turbulentissimus, sed quo primum afflicta Catholicorum causa respirare cœpit. Henricus enim Rex filius Cæsaris, qui in Sueviam discesserat, mense Januario, à Gebehardo Constantiensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, abjurato Schismate, Ecclesiæ communioni restituitur. Mox in Bojariam conscendit; ad quem magno numero Norici, Suevi, & Franciæ

Franciæ Orientalis proceres ultro confluxêre; cum his in Saxoniam properat, certus se ob veteres Henrici patris inimicitias non alienos Saxonum animos habiturum. Neque spes irrita fuit; ab his cum ingenti honore & incredibili lætitia exceptus, Pascha magno nobilium concursu Quidlenburgi peragit. Ubi Ruthardum exulem Moguntinum Archiepiscopum consilij auctorem adjutoremque nactus est; cujus auctoritate totam prope Saxoniam, exactis Schismaticis Episcopis, ad obedientiam Romani Pontificis adduxit. Henrici Imp. filius Saxoniam ad obedientiam Rom. Pontificis reducit.

Concilium inde IV Calend. Junij apud Northusium regiam villam advocat, confluentibus ex tota Saxonia Episcopis, Abbatibus, & ingenti Clericorum & Monachorum multitudine. Eo in concilio, cui præfuêre. Ruthardus Moguntinus Archiepiscopus & Gebhardus Constantiensis Episcopus Apostolicus Legatus, proscripta Simoniæ hæresis, damnatus Clericorum concubinatus, multæq; salutares Ecclesiæ leges sancitæ sunt. Decretum etiam ut à Schismaticis Episcopis consecrati per Catholicam manuum impositionem reconciliarentur cum Ecclesia. Intererat huic synodo Henricus Rex juvenis; nec prius accessit, quàm ab Episcopis vocatus, habitu vultuque ad modestiam composito. Inde è loco consurgens, allocutusque præsentem senatum palam edixit, omnia se Pontificum & Principum decreta approbare: nulla regnandi cupiditate Rempublicam capessere; nec alio consilio discessisse à patre, quàm ut omnes conjungeret cum Apostolica Sede, & Orthodoxorum societate; quòd si pater S. Petro, & Successoribus satisfaceret, & cum Ecclesia in gratiam rediret, extemplo se in omnibus patri cessurum, & famuli in modum serviturum: scire se, quid naturæ, quid sanguini, quid carissimo parenti & regiæ majestati deberet. Plura proloquenti obortæ sunt lacrymæ, quæ tanto Saxonum motu accepta sunt, ut complures cum regio juvene in fletum solverentur. Acclamatum ab omnibus, votaque & preces conceptæ pro salute utriusque Regis. Concilium Northusanum. Quæ in eo egerit Henricus V.

Tum verò Udo Hildesimensis, Henricus Paderbornensis Episcopus noster, & Fridericus Halberstadiensis, Schismatici Episcopi, ad pedes Ruthardi Moguntini Archiepiscopi ac Metropolitani, simulq; Regis provoluti, erroris sui veniam precantur, & coram universo sacræ synodi senatu Paschali Romano Pontifici & Apostolicæ Sedi fidem jurant, recepti tum in gratiam & communionem Catholicam; verùm ea lege, ut tantisper se à munere Pontificali continerent, donec Paschalis Pontifex eorum causam cognosceret probaretque. His rite peractis, solutoque concilio, novus Rex Merseburgum processit cum Episcopis ac Principibus Saxoniæ ad festum Pentecostes celebrandum. Ea ex urbe missi legati Romam, qui Paschalem Pontificem in Germaniam invitarent, ad præsentem Imperij & Ecclesiæ statum pro Apostolica auctoritate componendum. Ibi Henricus Asloënsis Episcopi schismatici cum Ecclesia reconciliati.

Henricus Asloënsis consecratur Sacerdos & Episcopus.

loënsis, Paderbornensium Episcopus noster, quem ab Henrico Rege Schismatico ejectum diximus delectumq; Magdenburgensium Archiepiscopum, auctoritate Ruthardi Moguntini Archiepiscopi, & Gebhardi Constantiensis Episcopi, Apostolici Legati, sacerdos & Episcopus consecratur, atque ex Regis simul voluntate Sedi Magdenburgensi imponitur. Quid reliquis per Saxoniam schismaticis Episcopis, & ab Henrico Rege obtrusis, Witeloni Mindensi, Joanni Osnabrugensi, ceterisque factum sit, neque scriptores eorum temporum, neque fasti singulorum meminère. Verisimile habeas eos similiter & sacrorum munijs prohibitos esse, dum se cum Ecclesia & Apostolica Sede reconciliârent.

Antistites Mogunt. & Herbip. sedibus suis restituuntur.

Quæ postquam in Saxonia quietè peracta sunt, Rex contractis militaribus copiis, Moguntiam movit, ut Ruthardum Archiepiscopum jam octavum annum exulem, moderatoremque horum salubrium consiliorum, in sedem suam reponeret. Erat in eadem urbe Henricus pater colligendo militi intentus. Eò cùm armatus filius procederet, Rheni transitu prohibetur. Quare Herbipolim deflectit, depulsoque illic Erlungo Schismatico Episcopo, Rupertum Orthodoxum, & à Clero electum, auctoritate Moguntini Archiepiscopi, & Apostolici Legati, imponit. Herbipoli Rex dimissis, quos secum adduxerat, Saxonibus, Norimbergense castrum duorum mensium obsidione expugnat, captivis Ratisbonam secum abductis. Eò pater jam milite auctior, insecutus filium, receptusque in urbem, factione civium, filium conjecit in fugam, interemptoque per Sicarios Gebhardo Antistite, Ulricum adolescentem subrogat.

Henricus Imp. à filio in fugam actus.

In hac rerum perturbatione uterque copias auget, & castra castris ad Reginum amnem magnis partium iris opponuntur. Jamque parricidialis pugnæ dies aderat; cùm Cæsar nusquam non infelix de suorum proditione, quâ in prælio deserendus esset, clam admonitus, noctu cum paucis profugit ad confluentes Rheni & Mosellæ; ad cujus fugam dilapsus & miles. Quo postridie cognito, Henricus filius Ratisbonæ castra admovet, urbem recipit, dejectoque Ulrico, Hartwicum Catholicum præsulem reponit. Inde Herbipolim progressus Erlungum Schismaticum Episcopum proturbat, restituto Ruperto. Eodem fortunæ processu Spiræ potitus, Gebhardum Hirsaugiensem Abbatem præfecit Episcopum. Hinc Moguntiam digressus, Ruthardum introduxit Archiepiscopum, magno Cleri populique gaudio post octennij exilium receptum. Ita omne certamen inter patrem & filium pro Episcopis, quòd in horum patrocinio maximum Regni momentum versaretur; quantumq; pater pro Schismaticis Episcopis introducendis, tantum filius pro Orthodoxis laborabat.

Reducuntur ad Ecclesias suas ab Henrico filio Episcopi Catholici, ab Henrico patre & Imp. pulsi.

Cùm jam in eas angustias conjectus esset Henricus Cæsar, à filio,

filio,& prævalentibus Catholicis ægre se sustineret, filius Moguntiam descendens, patrem Confluentia Bingam invitat ad colloquium; atque ibi per omnia pietatis nomina cum fletu eundem rogat, velit tandem cum Deo & Romano Pontifice redire in gratiam, nec turbare tot calamitatibus Ecclesiam; id si faceret,& se & totum Imperium rediturum ad omne ejus obsequium. Ad quæ pater, id nonnisi in publico Principum conventu fieri posse respondit. Igitur factis inducijs, communi consensu indicuntur comitia Moguntiæ per dies Natales Christi agenda: ad quæ sub exitum hujus anni ingens Episcoporum & Principum multitudo confluxit; nam præter Albanum Episcopum Legatum Apostolicum, quinquaginta duo Principes convenêre. Ducturus erat & filius Patrem ad comitia; verùm postquam ex urbe Moguntina relatum est filio hærenti apud patrem, recusare Episcopos colloquium communionemque cum patre, priusquam Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi reconciliatus esset, suasit patri filius, ne se Moguntiam daret turbidis rebus, sed Ingelhemij consisteret; quod & fecit. Additi interim patri custodes præsidij causa.

Otto Frising. lib. 7. c. 10.

Concilium Moguntinum indictum ob Henricum Imp.

Interea placuit Patribus concilij mitti qui cultum omnem Imperatorium,& insignia Imperij reposcerent. Missi in hanc rem Archiepiscopi Ruthardus Moguntinus,& Fridericus Coloniensis, cum Episcopo Spirensi; eosque cum filio secutus est Legatus Pontificis, & alij proceres, qui cum Ingelheimij eum adijssent, pavidum atque omnis consilij inopem invenerunt. Quare miscendo blanditijs minas, facile in eam mentem impulêre, ut augustalia ornamenta, coronam, sceptrum, crucem, lanceam,& gladium, licet ægre admodum, permitteret ad filium transferri. Hisce impetratis, adigunt sponte renunciare imperio: loca munita, quæ præsidio teneret, restituere: publicè detestari schisma: scelera in Ecclesiam commissa fateri,& Sedi Apostolicæ satisfactionem polliceri. Quæ cùm metu adactus fecisset, recedente Moguntiam filio, clam à suis est monitus, Ingelheimio se subduceret in tuitiorem locum; uti mox horum consiliis obsecutus, secundo Rheno Coloniam profugit. Miserabile, inquit Otto Frisingensis, relinquens hominibus exemplum ac spectaculum, cùm ex tanto fastigio dejiceretur, exueretur que omnibus augustalibus ornamentis; quod tragicum in modum factum scribit Helmoldus, Stadensis, alijque, tanquam per vim Episcopi coronam detraxerint è capite,& de sede protractum vestimentis augustalibus spoliârint; & cùm extremam inopiam circumspiceret, rogârit à Spirensi Episcopo, ut Clerici portionem sibi daret, quò vitam aleret, quod vulgi fabula aspersum dixeris.

Henricus Imp. Augustalibus ornamentis & imperio exuitur.

Helmoldus lib. 1. c. 38.

Id verò ex his constat Brunonem Trevirensem, & Fridericum Coloniensem Archiepiscopos à Schismaticis ad orthodoxos redijsse, quòd hosce Archiepiscopos sibi adversos habuerit in Concilio

Ceteris Saxoniæ Episcopis ad unionem re-

versis, Burchardus Monast. Episc. in Schismate permanet.

Moguntino. Jam & plerique Saxoniæ Germaniæque Episcopi, mutato rerum statu à schismate recesserant; quo tamen in numero Burchardum Monasteriensem Episcopum non facilè comprehendas, quòd is compertus sit Imperatori pertinaciter ad mortem ejus hæsisse, consiliorum omnium arbiter, & tanquam alter aliquis Albertus, aut Liemarus, aulæ moderator. Quare, ut Gobelinus noster refert, sententia proscriptionis in Burchardum ab Albano, Episcopo & Legato Apostolico renovata; & conspirantibus in eum ministerialibus Ecclesiæ, ope Friderici Arensbergensis, ejectus è sede sua, captusque ad Henricum Regem, patris tum æmulum, deductus, à quo & in vinculis habitus sit. Tum verò Theodoricum Winceburgicum Orthodoxum, & à Clero electum Episcopum restitutum volunt. Quod verò Gobelinus scribat, hoc ipso statim anno Burchardum ab Imperatore in Westfaliam descendente repositum esse, nulli verisimile videri poterit, qui secum reputaverit, in quas angustias conjectus ipse Imperator fluctuârit.

Annus Christi 1106.

Paschalis II Pont. 7.
Henrici V Regis 1.
Henrici II Ep. Pad. 17.

Ursberg. Otto Frising.

Henricus V Germaniæ Rex inauguratur.

Enim verò anno proximo post abdicatum à Patre imperium, Henricus filius, eo nomine Regum quintus, in celeberrimo, de quo diximus, Episcoporum ac Principum conventu Moguntiæ iterum Rex Germaniæ inauguratus est, anno post primam inaugurationem Aquisgrani factam septimo. Confirmato post fidem juratam Rege novo, Episcopi ac Principes de constituenda rebub. quæ tot annis miserè fluctuârat, hactenus solliciti, consultum habuêre, mittere legatos ad Paschalem Romanum Pontificem, ut ejus auctoritate firmaretur concordia Imperij, & si vacaret, ipse Pontifex ad fulciendas Ecclesiæ res in Cisalpinas provincias veniret. Delecti ad hanc legationem præstantissimi ex synodo Episcopi, qui & prudentia, & splendore natalium, & honore tum temporis eminebant. Missi igitur à Lotharingis Bruno Trevirensis Archiepiscopus: à Saxonibus Henricus de Aslo, antè Paderbornensis, nunc verò Magdenburgensis Archiepiscopus: à Franconibus Otho Babenbergensis, à Bois Everhardus Eistadensis, ab Alemannis seu Suevis Gebehardus Constantiensis, à Burgundis Curiensis Episcopus. Intercepit hanc legationem Adelbertus, ferox ac perfidus juvenis Tridenti, Legatosque in castrum abduxit captivos, uno tantum Gebehardo Constantiensi Episcopo Romam penetrante; sed quarto post die à Welfo Bojariæ Duce liberati, in provincias quique suas rediêre. Henricus de Aslo Magdenburgensis ad Regem se retulit, magnoque & in aula

aula, & in castris loco fuit apud Henricum Regem, cujus consilio ob canam sapientiam, & religionem postea in legationibus ad patrem, & constituenda Repub. multum usus est, uti id Ursbergensis referre visus.

Interim Henricus exauctoratus Imperator, postquam Ingelhemio Coloniam fidam sibi urbem intrârat, non exulis in modum, sed regio apparatu exceptus est à civibus. Paucis ibi diebus commoratus, Leodium abijt; ex qua urbe scripsit ad Regem Galliarum, variosque Principes; & miseriam suam deplorando, opem sollicitat; reperitque Henricum Lotharingiæ Ducem, & Henricum Leodiensem Episcopum, qui auxilia polliciti in spem pristinæ fortunæ erigerent. Accessêre Colonia, Leodium, Bonna, Juliacum, vicinæque urbes, miseratione, ut præferebant, ad partes exauctorati Cæsaris. Insequitur patrem filius; verùm ubi ad pontem ad ulciscendam cladem accessit, retrogressus est Bonnam: mox cum exercitu 20000 redit, & Coloniam casso labore in quartam hebdomadam obsidet. Urbis capiendæ spe dejectus, Mosam versus movet; cùm nuncij adferuntur Cæsarem 7 Augusti die Leodij extinctum esse. Cadaver filij jussu Spiram transvectum, & lapideo sarcophago inclusum per quinquennium jacuit extra templi limina (quòd Imp. vivus nunquam Ecclesiæ reconciliatus erat) tandem Pontificis indulgentia, majorum mausolæo illatum est. Morte Cæsaris, qui supra quadraginta annos auctor schismatis ac turba Ecclesiæ fuerat, repente omnis rerum scena mutata est, positisque concitatoris armis Imperium in Henrico filio conquievit; & ille nihil antiquius habuit, quàm ut Episcopos per Germaniam & Saxoniam schismatis dominatu ejectos reponeret in sedes suas.

Henricus Imp. exauctoratus plures principes & civitates ad commiserationem movet.

Moritur Leodij, ejusque cadaver sacra diu sepultura caret.

Excessit hoc anno ex humanis Magnus, Dux Saxoniæ, Westfaliæ, & Angariæ, ultimus Bilinganæ stirpis, bellicosus per omnem vitam Princeps, multisque adversus Sclavos victorijs clarus; non alia prole relicta, quàm binis filiabus: quarum altera Eilica Ottoni Comiti Ballenstedii & Anhaltij, altera Walfildis Henrico Nigro Duci Bojariæ denupta. Ex priori conjugio natus Albertus, cognomento Ursus, Marchio Brandeburgicus: ex posteriori Henricus superbus seu Catulus, Pater Henrici Leonis, potentissimi per Bojariam & Saxoniam Principis. At verò Ducatus Saxoniæ & Westfaliæ Angariæque ab Henrico Rege datus Lothario Comiti. Natus is erat Gebehardo, Supplenburgensi prope Helmenstadium Comite; dataque jam erat Lothario in matrimonium Rikesa, filia Henrici Crassi, & Gertrudis Brunswici dominæ. Quarè ex matrimonij bonis, & Ducatus possessione ingens illi opum & potentiæ accessio facta est; viro, qui religione & bellica virtute omnia meritus, & gradu facto ex Duce post Henricum V Imperator delectus.

Obitus Magni Ducis Saxoniæ.

Chron. Pegavien. Et Marquardi, Abbatis Corbeiensis.

Obijt & hoc anno Marquardus Corbeiensium Abbas, ut fasti eorum tradunt, vir religione, pietate, ac constantia adversus Schismaticos ea tempestate conspicuus. Præclarum ejus elogium præter ea, quæ diximus, est in Chronico Pegaviensi; nam cùm anno MC. Wigbertus Saxoniæ Marchio Pegaviense Cœnobium in diœcesi Merseburgensi conderet, Marquardum Corbeiæ adijt, *quòd eo tempore regularis disciplina, ut auctor refert, præceteris Saxoniæ Cœnobiis apud Corbeiam vigeret, cui tum Marquardus Abbas, vir veneratione et memoria dignus præsidebat.: petiitque ab eo religiosos viros, quibus Cœnobium suum inchoaret et formaret; datus ei vero Windolphus venerabilis Monachus ad hoc opus perficiendum. Nec immerito; is enim ob vitæ continentiam, et religionis observantiam tunc cellæ cuidam præstitutus erat, antea etiam scholarum magister apud suos Corbeiæ in Cœnobio, scientia clarus. Vir præterea, qui dimissa inter Canonicos Præpositi Hilgenstadiensis dignitate, amore sanctioris vitæ, Monachi institutum inter Corbeienses amplexus, quem Marquardus D. Viti, aliorumque Sanctorum reliquiis, ac sacra etiam suppellectile donatum Wigberto transmisit.* Cui Luidgerus ceterique Monachi ad novam hanc Coloniam inchoandam additi. Inde Windolphus primus ejus loci Abbas brevi Cœnobium illud quadraginta religiosis viris impletum, formatumque vidit. Adeo inter hæc turbulenta schismatis tempora religio sua incrementa habuit. Marquardo successit in Abbatis dignitate Erckenbertus, vir ob præclara virtutum ornamenta à nobis sæpius memorandus.

Annus Christi 1107.

Paschalis II Pont. 8.
Henrici V Reg. 2.
Henrici II Ep. Pad. 18.

Ursperg. Dodechin. Albertus Stadens. Gobelin. Brovverus lib. 13.

A patris excessu Henricus Rex liberam Imperij administrationem adeptus. Ratisbonæ Christi Natalitia peregit, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis. Constitutis per superiorem Germaniam publicis rebus, Moguntiam descendit, eaque in urbe cum Ruthardo Archiepiscopo Pascha celebravit. Post illa in Saxoniam profectus, Goslariæ conventum Episcoporum & Saxonicorum Principum habuit, in quo de Saxoniæ tranquillitate disposuit. At mira ibi res evenit Regi; dum enim noctu quiescit in aula, horrida tempestas fulmen excussit in cubiculum Regis, quo ensis Regius tactus, & mucro cum baltheo absumptus, simul clypeus contractus in rugas: nec intactum Regis corpus; nam digitus grandior pedis vulnere perstrictus, quod nulla deinde medicorum ope sanari potuit. Tanquam his monitis doceretur parentis casus formidare. Eo simul in conventu Abbati & Monasterio Helmwardeshusano, quod tum in diœcesi Paderbornensi nostra, religiosâ disciplinâ,

Henricus V Rex confirmat Privilegia Helmwardeshusana.

plinâ, numeroque Monachorum florebat, majorum suorum privilegia hoc ipso, quod hic sistimus, diplomate confirmavit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia quintus Romanorum Rex. Notum fieri volumus omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris quam præsentibus, qualiter nos causa Dei, et pro felici stabilitate regni nostri, et ob æternum remedium animæ nostræ, nostrorumque parentum, immo et pro dilectione clavigeri regni cœlorum, et etiam digno interventu, et humili petitione nostrorum dilectorum Principum Othonis videlicet Babenbergensis Episcopi, Burchardi Monasteriensis Episcopi, Udonis venerabilis Hildenesheimensis Ecclesiæ Pontificis, Liudigeri Ducis, Herimanni Comitis, et aliorum multorum nostrorum fidelium, Ecclesiæ Dei in honore beati Petri principis Apostolorum constructæ, in loco, qui dicitur Helmvvardeshuson, omnia bona tam prædia, quam cætera adquisita nostrorum antecessorum Regum vel Imperatorum temporibus, nostrique tempore, Successorumque nostrorum, quamdiu durabit sæculum, adquirenda sibi, sive per precariam, sive per emptionem, sive per oblationem, vel quolibet alio rationabili modo per hanc præceptalem paginam concessimus, ac jure perpetuo possidenda regia maturitate firmavimus. Dedimus quoque præceptum stabiliter regio more, ut nulla deinceps persona, magna vel parva, cujuscunque sit ordinis vel officii, audeat dictam Ecclesiam aliqua arte molestare, vel inquietare, vel tributum inde, vel aliquod regale servitium exigere, sed per omnia et in omnibus ex regali concessione utatur perpetua libertate. Ut autem hujus nostræ pietatis concessio ab omnibus credatur, et stabilis et inconvulsa omni ævo permaneat, hanc inde cartam conscriptam, et manu propria corroboratam impressione nostri sigilli insigniri jussimus.

Signum Domni Heinrici quinti Regis Romanorum invictissimi.



*Albertus Cancellarius vice Mogontini Archiepiscopi Rothardi Archicancellarii recognovi. Data VII Calend. Augusti * Indictione XIIII anno ab Incarnatione Domini M.CVII regnante Henrico V Rege, Romanorum anno II, ordinationis ejus VIIII Actum est Goslaria feliciter in Christo Amen.*

* *Ind. XV.*


Goslaria Rex propius diœcesin nostram ingressus, Corbeiam adijt; lustratoque antiquissimo ac celeberrimo Monachorum per Saxoniam Cœnobio, in quo tot Cæsarum quot antecessorum suorum pietatis monumenta admiratus, Erckenberto Abbati decimas ab Ezelino invasore quodam interversas magno religionis zelo in integrum restituit; id quod hisce regijs tabulis testatum reddimus.

Restituit Corbeiensibus decimas, ab Ezelino interversas.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia quintus Romanorum Rex. Auctoritate SS. scripturarum, et maximè ex diversis verbis in Evangelio didicimus, quod domum Dei, quæ ipso testante domus orationis vocatur, nunc hilariter dando, nunc vota persolvendo,

vendo, nunc justitiam faciendo debemus honorare, atque sublimare, ut hoc modo Deum Creatorem nostrum hic et in futuro propitium habere mereamur, cui servire vere regnare est. Cujus rei consideratione nostram pensantes salutem, et Successorum nostrorum, Ecclesiæ Corbeiensi subvenire in his, quæ necessario postulavit, decrevimus. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus nunc et semper notum fieri volumus, qualiter nos causa Dei, et beatorum Martyrum Stephani, Viti, et Justini, et aliorum Sanctorum ob salutem nostram nostrorumque parentum, digno interventu Fritherici Coloniensis Archiepiscopi, Burchardi Mimigardefordensis Episcopi, Everhardi Eystadensis Episcopi, Benedicti Mutinensis Episcopi, Herimanni Comitis, Godefridi Comitis, Sigefridi advocati, Ludovvici Comitis, Wicberti, et aliorum nostrorum fidelium, Et præcipue digna petitione venerabilis Erkenberti Abbatis, officium, quod quidam Ezelinus sibi pro hæreditario beneficio vendicabat, judicio contubernalium suorum ei ablatum, congregationi remisimus, et nisi prædictus Abbas cum fratribus suis intercessisset, digna ipsum ultione pro injustitia ei illata punivissemus. Quam abominabili enim injustitia hoc non dico beneficium sed maleficium sibi vendicaverit, ipsius rei argumento probatur, omnem quippe annonam fratrum extra canonice addecimatam suscipiens, adhuc decimabat, et quod scelestius est, etiam septimabat, et hoc suum beneficium nefarie affirmabat. Omnibus ergo nostris fidelibus idem injustum et sacrilegum acclamantibus et probantibus, ipsum ex toto officium congregationi remisimus, et confirmavimus, ut præpositus loci jussu et consensu Abbatis, qui pro tempore fuerit, provisorem annonæ fratrum, quem cautiorem judicaverit, habeat, nec ipsi Abbati, vel cuiquam Successorum ejus, seu alicui potestati magnæ vel parvæ eidem commutare liceat. Qui vero hæc temeraverit, pro contemptu regiæ majestatis Fisco nostro CCCta talenta persolvat. Ut autem hæc nostræ pietatis concessio omni ævo inconcussa permaneat, hanc cartam inde conscriptam impressione nostri sigilli jussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quinti Regis invictissimi.



*Adelbertus Cancellarius vice Rothardi Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi. Data II Calend. Octobris, Indictione XV, Anno Dominicæ Incarnationis MCVII, regnante Heinrico V Rege Romanorum, anno II ordinationis ejus * VIII, actum est Corbeiæ in Christo feliciter Amen.*

* *VIIII.*

Ex utrisque hisce tabulis non incongrue confeceris Burchardum Monasteriensem Episcopum, quod & fasti eorum docent, penetrasse in aulam & gratiam Henrici filij, quemadmodum id à parente sub extremum vitæ rogatum volunt.

Henricus peragratis Sax-

Peragratis Saxoniæ provincijs, quod Ursbergensis refert, aditáq; Paderbornâ, alijsque Westfaliæ locis, Rex trans Rhenum ad superiores Germaniæ provincias se retulit, quò propius cognosceret ea, quæ à Ponti-

à Pontifice acta eſſent (nam is ſuperiori anno à Patribus concilij Moguntini invitatus erat in tranſalpinas regiones) ſed veritus fluctuantibus adhuc Germaniæ rebus ſe miſcere, in Gallias deflexit; ubi ab omnibus, quod Urſbergenſis ſcribit, tanquam angelus è cœlo lapſus exceptus eſt. Indicta ſubinde Trecis ſynodus, ad quam Germaniæ Epiſcopi invitati. Multa in ea ſalubriter decreta, interque alia repetitum, quod jam antè ſtatutum, ut electio Epiſcoporum libera eſſet apud Clerum, nec inſtitutiones Epiſcoporum, quas inveſtituras dixêre, admitterentur à Laico Principe; quo cùm ſe læſum diceret Rex, eò quòd id privilegium à Carolo M. ceteri Reges ac Cæſares ſibi vendicaſſent, cui ipſe renunciare non poſſet, provocavit ad concilium, quò ſe anno proximo acceſſurum promiſit. Sed neſcius Rex, quot Caroli M. Ludovici Pij, aliorumque Cæſarum diplomata poſſideantur per Germaniam & Saxoniam de libera electione Epiſcopi Clero facta. His igitur omiſſis, proceribus expeditionem indixit adverſus Robertum Flandriæ Comitem, quæ in Octobri ſuſcepta, quâ Flandria vaſtata, Comes ad proximum conventum poſtulatus.

[Margin: oniæ provincijs in Gallias ſe confert.]

[Margin: Reſtituitur in ſynodo Trecenſi libera Epiſcop. electio Clero, quod ægre fert Henric9.]

Donata hoc anno illuſtrataque Paderbornenſis diœceſis ingenti ſanctorum pignorum theſauro, quæ in hunc modum deſcribit Brovverus in annalibus Trevirenſibus. Annuente Brunone Archiepiſcopo, & Clero Trevirenſi, ſanctiſſimi Modoaldi corpus per Thietmarum Abbatem ad Monaſterium Helmwardeshuſen, quod Epiſcopo Paderbornenſi paruit, honeſto pompæ ſpectaculo tranſlatum eſt, atque ibi in oratorio B. Petri Apoſtoli, cum duobus è Thebæa legione corporibus honorificè collocatum. At multò diſtinctius largiuſque hæc retulit Heribertus Roſweidus Societatis noſtræ presbyter, vir ſacrarum antiquitatum ſolertiſſimus indagator. Nam indictione XII, id eſt biennio abhinc, miſſum narrat à Thietmaro Abbate Cœnobitum, qui à Brunone corpus S. Leontij depoſceret; quod cùm ille renueret, pridie Idus Maji obtinuiſſe cum alijs reliquijs brachium S. Auctoris, qui celebris fuit inter Epiſcopos Trevirorum; at indictione XV. IV Idus Maji eum integrum corpus S. Modoaldi, lingua modò, corde & carne demptis, & duo Thebæorum pignora impetraſſe: poſt hæc verò, auctuarij loco accepiſſe mandibulam S. Aprunculi, & brachium S. Bonoſi Epiſcopi.

[Margin: *Brovverus ad hunc annum in annal Treviren.* *In not. ad vitam S. Meinvv.*]

[Margin: Plures SS. reliquiæ Treviris deferuntur in Diœceſin Paderborn.]

Nec ſatis adhuc munificus Bruno Archiepiſcopus eadem indictione duo dedit membra S. Auctoris, addiditque teſtam ſuperioris capitis, ita ut modica tantum S. Auctoris portio remaneret Treviris. Dentem præterea adjecit; denique & coſtam S. Beati Confeſſoris. Diu hæc poſtulata repulit Bruno Archiepiſcopus, antequam has D. Auctoris reliquias permitteret, multum licet Paderbornenſi Epiſcopo rogante, quòd Clerus obſiſteret, ne in Saxoniam, aut aliò tranſportarentur. Tum ipſe præterea Bruno religionis metu perculſus hærebat,

hærebat, propterea, quòd ante complures annos D. Auctoris ossa se loco moveri passa non essent, exemploque Hermanni Metensis Episcopi terrebatur, qui vitæ discrimen adierat, quòd S. Clementis ossa, primi illius Sedis Episcopi, transferri sivisset; nihilo tamen minus Bruno Archiepiscopus totum hunc thesaurum transportari permisit, quem in Saxonia magno gratulantium occursu, & psallentium agminibus, sub vexillis & crucibus, accensis luminibus & thymiamatum odoribus, Clerus, Monachi & omnis sexûs ætas excepêre, multisque simul Deus miraculis illustravit.

Postquam igitur Thietmarus noster, sextus Helmwardeshusani Cœnobij Abbas, hunc præclarum thesaurum impetrasset, & in oratorio B. Petri Apostoli, quod in Cœnobio illo constructum erat, publicæ venerationi exposuisset, multique ad corpus supplices cœlestibus beneficijs juvarentur; misit Thietmarus religiosum ordinis sui Sacerdotem Treviros, & ad vicinas provincias, qui Modoaldi originem, vitam, & res ab eo gestas perquireret, & colligeret. Venit is postremo Leodium ad Stephanum Abbatem Cœnobio D. Jacobi præpositum, virum ea ætate religiosissimum, & sacrarum antiquitatum peritissimum; qui cognitâ Thietmari petitione, vitam illi S. Modoaldi, qualis apud Surium refertur, accuratè à se prolixeque tribus libris descriptam, ipsique Thietmaro dedicatam transmisit; uti hæc ex Stephani ad Thietmarum præfatione constant. Vicissim illi Thietmarus ἀντιδώρου loco remisit translationem Modoaldi à se conscriptam; quemadmodum hæc in epistola Thietmari ad Stephanum Abbatem apud Surium mira sanè narratione exponuntur. Quare uterque Abbas à Possevino & Vossio inter Scriptores latinos relatus, tanquam præclara ea ætate eruditorum virorum lumina; opinaturque Possevinus vitam & miracula S. Remacli à Thietmaro Abbate nostro conscriptam esse; fallitur autem Possevinus, dum ætatem Stephani Abbatis refert ad annum DCCXL, quem liquet Thietmaro nostro æqualem vixisse, sub Henrico IV. & V. Regibus; quemadmodum hæc translatio D. Modoaldi à Thietmaro nostro consignatur anno MCVII facta.

Abbas Helmwardeshus. plures SS. reliquias donat Abdinghoviano Abbati & Cœnobio.

Jam verò quàm munificus fuit Trevirensis Ecclesia in Thietmarum, & Saxones: tam largus quoque fuit Thietmarus in Cœnobium Abdinghovianum, & Ecclesiam Paderbornensem, magnamque sacrorum pignorum partem Gumberto Abdinghoviano Abbati donatam transmisit. Hoc nimirum illud ex Abdinghoviano tabulario scriptum docet. *Thietmarus Helmvvardeshusanus Abbas cum unanimi fratrum suorum consensu concessit Abbati Gumberto, suisque fratribus, et universæ Paderbornensium Ecclesiæ ex sacrario B. Petri Apostoli pretiosissimas Sanctorum reliquias, quæ sibi divina dispositione et ordinatione collatæ sunt ab Ecclesia Trevirensi, atque Coloniensi, auctoritate, præcepto, atque licentia*

licentia Archiepiscoporum atq; Abbatum, cæterorumq; Priorum utriusq; Metropolis, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, et augendum atq; dilatandum honorem et venerationem ac servitium eorundem Sanctorum omni cultu solemni. Integrum corpus unius Sanctarum Virginum. De corpore S. Probi Episcopi et Martyris, qui fuit ductor earum. De corpore S. Modoaldi Trevirorum Archiepiscopi. De corpore S. Auctoris Archiepiscopi, Bonosii, atq; Abrunculi Archiepiscoporum. De stola et pallio S. Maximini Archiepiscopi, brachium cum capite et costa unius Sanctorum Thebeorum. De corpore S. Pamphili Episcopi et Martyris, costa unius Sanctorum Maurorum. S. Kyliani Martyris.

Demum omnis ille sacrorum thesaurus, postquam fatali Lutheri ætate postremus Helmwardeshusanus Abbas cum Monachis, ductâ uxore; transijt ad hæresin, Erici Episcopi Paderbornensis industriâ subtractus servatusque cessit Paderbornensi Ecclesiæ, ut tempore memorabitur. Ipsum verò celebre Cœnobium jacet nunc inter rudera ab Hassis disjectum, ex quo primum Lutherana, post Calviniana hæresis omnia turbare cœpit.

Omnis ille SS. reliquiarum thesaurus demum cessit Paderb. Ecclesiæ.

Auctor est Gobelinus noster Friderico Coloniensi Archiepiscopo una cum suis provincialibus à Pontifice interdicta fuisse munia Episcopi, eo quòd Trecas ad concilium non venerit: eademq; pœnâ Ruthardum Moguntinum Archiepiscopum, & Constantiensem Episcopum mulctatum, eò quòd nonnullos Episcopos contra Canonum statuta instituissent; at Serrarius ex fastis suis refert absentem Ruthardum ex eadem, quâ Coloniensem causâ fuisse ab officio prohibitum; is tamen, postquam se purgavit Pontifici, restitutus est muneri suo. Adhæc Gobelin[9] perhibet, Mindensem & Halberstadiensem ab Episcopatu remotos, Paderbornensem verò Episcopum Henricum Romam profectum, & Cleri rogatu ac commendatione à Pontifice Ecclesiæ suæ restitutum fuisse. Nam etsi in conventu Northemensi ante biennium reconciliati Episcopi cum Ecclesia per Ruthardum Moguntinum Archiepiscopum, & Legatum Apostolicum; ea tamen reconciliatio hac lege facta erat, ut Pontifici satisfacerent. Ac Pontifex licet Orthodoxos Episcopos à Clero electos, ejectosque per Schismaticum Cæsarem, reponi probaret, non perinde tamen probari poterat Schismaticos Episcopos confirmari in sedibus suis; seu quòd ab Henrico IV Rege per vim obtrusi essent, seu quòd indigni ac inutiles censerentur, ac malis artibus intrassent in ovile Christi.

Extulit hic agnus è vita mortalium Henricum de Aslo Magdenburgensem Archiepiscopum, sicuti fasti Monasterij Bergensis, & Magdenburgensium notârunt, 15 Aprilis, secundo die Paschatis, dum pro more exspectaretur venturus ad Cœnobium, mortuus ad idem exportatus. Crantzius quatuor annis Sedi illi præfuisse tradit, alij septem; at cùm Dodechinus anno 1102 Hardwico subrogatum scribat, non multum supra quinquennium Pontificatus ejus

Henrici de Aslo Archiep. Magdenburg. obitus & laus.

prorogari poterit. Integerrimus ea ætate præsul, in Apostolicæ Sedis fide inter Orthodoxos Episcopos constantissimus, pietate, liberalitate in egenos, gubernandi prudentiâ egregius, qui per 23 annos multis ærumnis afflictus, multisque injurijs agitatus à Schismaticis. Ex quo primùm Paderbornensis Episcopus à Clero electus, ac deinde ab Henrico Cæsare in exilium projectus est, Magdenburgi, unde transumptus erat, ad primam Canonici vitam redijt, donec ipse virtutum aspectus rursum ad Archiepiscopi munus ac dignitatem proveheret.

Annus Christi 1108.

Paschalis II Pont. 9.
Henrici V Reg. 3.
Henrici II Ep. Pad. 19.

Ursberg. Dodechin. Otto Frising. lib. 7. c. 13. Chape. tom. 2. Episcopi Leodiens.

Tranquillè adhuc ibant res per Germaniam Saxoniamque cum Henrico V Rege, postquam Schismatici Episcopi aut reconciliati cum Ecclesia, aut depulsi è sedibus suis, & jam ubique Orthodoxos receperant dioeceses. Natalem Christi à Rege Moguntiæ celebratum refert Ursbergensis, Aquisgrani Dodechinus; certò Calendas Januarij Leodij versatus est, ubi Cleri Leodiensis privilegia confirmavit, auctoritate Friderici Coloniensis Archiepiscopi, Herbipolensis, & Spirensis Episcoporum. Inde in superiorem Germaniam movens Spiræ Conventum Principum egit. Affectati Regem Fridericus Coloniensis, Bruno Trevirensis Archiepiscopi: Cuno Argentoratensis, Burchardus Monasteriensis, Wito Curiensis Episcopi: Fridericus Dux Sueviæ, ceterique Comites, quos in diplomate XIV Calend. Aprilis consignato producit Guillimannus. Tam nunc perpetuus aulæ Comes Burchardus Monasteriensis Episcopus in aula filij, quàm Patris, intimorumque conciliorum arbiter, vir expediti inter Saxonicos Episcopos ingenij, multisque naturæ dotibus exornatus, ex familia Holtiorum, quæ in dioecesi Monasteriensi clara erat. Subinde magno apparatu bellum Ungaricum susceptum adversus Colomannum Principem, à quo Alinus frater ejectus, & Christiani, qui in Palæstinam tetenderant, multis injurijs affecti erant. Regem in hanc expeditionem comitatus Erckenbertus Corbeiensium ad Visurgim Abbas. Verùm, sicuti Ursbergensis est auctor, nulla memorabili re perpetrata, id bellum Rex gessit, quod ex irrita obsidione Posonij lacerum exercitum reducere in Germaniam coactus sit.

Bellum Ungaricum nullo fructu ab Henrico susceptum.

Feliciori cursu procedebant bella Orientis, Balduino Rege, à quo pleno jure Hierosolymitanus Patriarcha impositus; ab eoque pijssimo Rege, quod fasti Corbeienses nostri memorant, transmissæ advenêre Corbejam reliquiæ de S. cruce, de sepulchro Domini, multaque alia præclara SS. pignora.

Fasti Corbej. MS.

Jam & Henricus Episcopus noster Româ reversus Paderbornam, confirmatus Paschalis Pontificis auctoritate in Episcopatu, animum

mum multò ferventius adjecit ad Ecclesiam suam excolendam; multisque largitionibus, in pauperes & religiosorum Cœnobia factis, Deum sibi propitium quæsivit, palam testatus se pro expiatione delictorum hæc donare. Hujus pietatis indices vel hæ tabulæ, quibus exemplo Popponis, Jmadi, aliorumque Episcoporum Paderbornensium Monasterio Helmwardeshusano tum disciplina & cœtu Monachorum florentissimo benefecit.

Henrici Ep. in Monasterium Helmwardeshus. beneficentia, cui donat villam Wilmeressen.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus ipsa propitiante sanctæ Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopus. Notum esse volumus tam futuris quam præsentibus cunctis Ecclesiæ Christique fidelibus nos pœnitentia peccatorum nostrorum, nec non et spe futuræ retributionis ductos, sanctæ quæ in Helmvvardeshuson est Ecclesiæ, in honore Domini Salvatoris, nec non et beatissimi Apostolorum Principis Petri constructæ, nobis commissæ, quicquid proprietatis Ecclesia nostra possederat in villa, Wilmeressen nuncupata, rogatu precipuè Ottonis Comitis, qui dicebatur debilis, atque consensu Cleri sanctæ Patherbrunnensis Ecclesiæ contulisse, et jure perpetuo cum omnibus appendiciis, id est, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, silvis, et cunctis reditibus in proprietate ad usum Deo illic servientium tradidisse, legasse, concessisse, pro salute corporis et animæ nostræ, et memoria antecessoris nostri Popponis Episcopi, atque felicis memoriæ Immadi Episcopi, et omnium prædecessorum nostrorum. Hujus rei testes Erpo Comes, Alverus, Manegoldus, Hildibold, Rebbertus, Hugo, Luipold, Waltberg, et alii quamplures. Ut igitur hæc firma illi Ecclesiæ, defunctisque prænotatis permaneant, hæc describi jussimus, et sigilli nostri impressione signavimus. banno quoque Domini nostri Jesu Christi, et beatissimi Apostolorum Principis Petri, nostraque quam à Deo accepimus ligandi atque solvendi auctoritate firmavimus et firmamus. Si quis autem hæc infringere vel destruere præsumpserit, sese cum omnibus sibi cooperantibus anathemate perpetuo ab eo quem offendit, beato Petro dampnatum noverit. Data XV Calend. Octobris, Anno Dominicæ Jncarnationis Millesi. cent. VIII. Jndict. I ordinatione vero Heinrici Episcopi anno XXIIII.

Annus Christi 1109.

Paschalis II Pont. 10.
Henrici V Reg. 4.
Henrici II Ep. Pad. 20.

Inter hæc pacata adhuc Germaniæ tempora Henricus Rex, postquam Moguntiæ Natalitia Christi peregerat Francofurtum ascendit. Ubi in publicis Imperij comitiis Sigefridus Comes Palatinus in custodiam abreptus, quòd in Regis caput conspirasse ab Henrico Limburgo delatus esset. Ibi & Godefridus Fuldensium Abbas ejectus è munere, subrogato in ejus locum Wolfelmo ejusdem Cœnobij Monacho, haud alia ex causa, quàm quòd schisma-

Ursberg. Dodechin. Brovver. in Fuld. Antiq.

Variæ Regis Henrici expeditiones. *Cromtrus lib. 5.* tis malum recrudesceret, & Regis gratia excidisset. Abbas Coloniam in exilium abijt; quam & urbem Rex ingressus, prioremque patris offensionem bello ulciscens præda & incendio exhausit. Posthæc in Polonos expeditio suscepta ab Rege, quòd tributa negassent, & superiori bello Ungaris suppetias misissent. Facta etiam in Bohemiam irruptio; sed improspero rursum successu. Nam amissa ad Glogoviam (quam cassa obsidione aggressus) magna parte Bojorum, Bohemorum, & Saxonum, majoribus inde cladibus ad Uratislaviam attritus, in Germaniam redijt. Tributariam interim reliquisse Poloniam tradit Ursbergensis.

**Dodechin. Ursberg. Trithem. in Chron. Serrar. Chron. Mogunt.*

Mortuo Ruthardo Mogunt. Archiep. substituitur Albertus Henrici Reg. Cancellarius. *Naturæ hoc anno concessit, 6 Nonas Maji, Ruthardus Moguntinus Archiepiscopus, ac Metropolitanus noster, vir, qui magna constantia, & religione ardore res Catholicorum per Saxoniam & Germaniam erexit. In ejus locum subrogavit Rex Albertum Cancellarium suum, gente Lotharingum, seu Sarapontanum magis, quem hactenus primum atque intimum consiliorum suorum moderatorem habuisse scribit Otto Frisingensis Episcopus; ubi tamen postea contra Paschalem Pontificem, & libertatem Ecclesiæ res agi cœpta hunc eundem Rex acrem adversarium expertus est.

Annus Christi 1110.

Paschalis II Pont. 11.
Henrici V Regis 5.
Henrici II Ep. Pad. 21.

Ursberg. Dodechin. Otto Frising. Anno dehinc proximo Rex, celebratis Bambergæ Christi Natalitijs, Ratisbonæ per Epiphaniæ ferias celeberrima Episcoporum ceterorumque Principum comitia habuit. In his Rex palam edixit, sibi constitutum esse in Italiam proficisci; nec aliud hujus expeditionis esse consilium, quàm ut pro veteri more corona Imperij donaretur à Pontifice, Italiam in societatem Germanici regni componeret, & quæ pro defensione Ecclesiasticæ libertatis poscerentur, ad voluntatem ac nutum Romani Pontificis acciperet. Quàm hæc speciosè ac magnificè exponebantur, tam pronis omnes Imperij Principes animis assensêre; totumque Germaniæ robur cum nobilitate confluxit ad signa. Læta hæc omnia obturbavit feralis cometæ aspectus, à 6 Julij in Austrum protensus, triste, ut quidam opinati, schismatis signum.

Henricus Rex profectionem in Italiam indicit, ad quam multi Principes & Comites se offerunt.

Paschalis Pontifex, ubi per Legatos certior factus de expeditione Regis, veritus, ne sub larva hac, ut res aperuit, alia fraudis scena lateret, Italiæ Principes, clientesque Apostolicæ Sedis monuit, rogavitq; ut si res posceret, præsto essent. Inde ab Rege per Autumnum expeditio cœpta; ad quam præter reliquam militiæ servorumque turbam convenêre triginta millia selectorum equitum, tanto castrorum ambitu, quem oculis nemo metiri poterat. Inter Episcopos Germaniæ,

Chron. Hild. Gobelin.

qui

qui Regem comitati, Fridericus Coloniensis, Bruno Trevirensis, & Conradus Salisburgensis, Archiepiscopi: Burchardus Monasteriensis, ceterique in Germania Episcopi, quibus Corbeienses fasti adjungunt Erckenbertum Abbatem suum. Ingens præterea Principum ac Comitum procerumque multitudo ex tota Germania convolavit. E Saxonicis etiam Hermannus Winceburgicus Comes, & Henricus frater Comitis Friderici Arnsbergensis memorantur. Ceteri nostrates Scriptorum silentio ignorantur. Evocavit Rex quoque in comitatum Davidem, gente Scotum, virum eruditione præstantem, qui pro historici munere omnia hujus expeditionis acta consignaret facili & populari stylo; id quod tribus libris, qui intercidere, præstitit. Hac multitudine per Alpes Cottias, & fauces Tridentinas penetravit Rex in Lombardiam, expugnatisque castellis aliquot & Oppidis, Florentiæ Christi natales celebravit.

Sclavi hoc anno irruptionem fecêre in Transalbinas Christianorum regiones, prædis & cædibus grassando. Quod ubi Lothario Duci renunciatum, Saxonum ille militiam contraxit, Sclavorumque provincias hostiliter ingressus, latè omnia spolijs & cædibus vastavit; expugnatisque novem Sclavorum opulentioribus urbibus, acceptisque ad tributi pensitationem obsidibus, victor in Saxoniam redijt. Fortis, felixque Dux Lotharius, qui omnem belli gloriam & fortunam è religionis & pietatis cultu habuit.

Annus Christi IIII.

Paschalis II Pont. 12.
Henrici V Regis 6. Imp. 1.
Henrici II Ep. Pad. 22.

At Rex anno Christi MCXI ineunte propius Romam movit. Sed priusquam in urbem admitteretur, actum per Legatos utrimque; convenitque in certa pacta, sanctè jurata, & datis etiam obsidibus firmata; sicuti hæc multis recenset Petrus Diaconus, Dodechinus, alijque. Ex his Otto Frisingensis, id quod tum maximè agitabatur, refert; convenisse nimirum, ut Rex institutioni Episcoporum, seu investituræ renunciaret, Pontifex autem regalia Episcoporum permitteret Regi. Quæ pacta cùm uno tantùm Alberto Cancellario sciente convenissent, ceteris tum Germaniæ Episcopis ignorantibus, mox ingentes motus dedêre. His interim constitutis, Rex *III Idus Februarij solemni pompa Romam est ingressus, receptusque extra urbem à populo, in porta à Clero, ad superiores verò gradus S. Petri ab ipso Paschali Pontifice, Episcopis & Cardinalibus. Cùm verò ad ingressum Basilicæ rogaretur à Pontifice, an quod pollicitus erat, abjuraret institutionem Episcoporum, Rex attonito similis hæsit. Mox dolos suos retegens, non modò institutionem Episcoporum negavit, sed

Otto Frising. lib 7. Petrus Diaconus. Domnizo. Baronius. Acta Paschalis.

** al. pridie*

Henricus Rex Urbem solenniter ingreditur.

Paschalem Pont. captivum detinet. Motus ob hoc excitati.

sed & eundem Pontificem (quòd, nisi pactis stare Rex vellet, recusaret coronationem) cum Cardinalibus ac magno Clericorum numero in custodiam abripi jussit. Ob id sacrilegum Regis facinus Romani in furorem versi, Germanos, quotquot in urbe occurrêre, trucidârunt; & mox impetu etiam in exercitum Regis facto, ipsum Regem ex equo dejectum, sauciumque in facie, ab urbe repulêre.

At non minus ipsi Germani Episcopi offensi, obnunciârunt pacto, postquam didicêre jura eorum regalia cessasse. Nam quantum Rex provocabat, pro investitura & institutione Episcoporum, ad Carolum M. ceterosque Imperatores: tantùm Episcopi contendebant jus regalium à Francorum Regibus, eodemque Carolo M. ceterisque Imperatoribus donatum, confirmatumque ipsorum Pontificum auctoritate. Itane, inquiebant, deinceps in potestate Imperatoris & Regis erit, ut comitatus, præfecturas, prædia, tributa, telonia, ac bona Episcoporum omnia, à Regibus & pijs hominibus donata, aut Rex ad se trahat, aut pro arbitrio profanis hominibus donet? ita verò Episcopos Marchionum, Comitum, nobilium, & suorum etiam clientum servos faciet? quo hæc demum cessura? nisi ut Episcopi omnibus privilegijs & honoribus exuti, ne jus quidem retineant veniendi ad comitia Imperij; qui tamen semper primi in Imperio, ante Duces & Comites consederunt, ipsosque Reges à se electos in throno collocarunt. Quæ non odia in Regem, quæ turbæ in Imperio consecuturæ? si hæc ad aures ceterorum per Saxoniam & Germaniam Episcoporum perveniant. Incertum erat, majori ne exacerbatione in Pontificem hæc indulgentem, an Regem hæc sollicitantem acceptantemque ferrentur.

Pontifex liber dimissus Henricum Reg. Imperatoria Corona donat.

Interim Paschalis, pontificalibus vestibus exutus, ad castrum quoddam abductus cum Episcopis & Cardinalibus, per sexaginta & unum dies in arcta custodia hæsit. At cùm Regis animum in nullam partem inflectere posset, ac Rex barbarum in modum omnia circa urbem vastaret, victus suorum ærumnis ac lacrymis, Henrico jus investituræ indulget. Rex vicissim Pontifici juramento securitatem facit, omnia se Apostolicæ Sedis jura & bona intacta relicturum. Quam in rem suam fidem dedêre Fridericus Coloniensis, Burchardus Monasteriensis, Tritentinus, & Spirensis Episcopi: Albertus Cancellarius, & Hermannus Comes. Ita demum Pontifex liber remissus ad urbem; quem Rex, tanquam sceleris conscientia & pœnitentia agitatus, multis muneribus sibi conciliare studuit. Idem in civium animis placandis fecit, dum Idibus Aprilis à Pontifice solemni ritu Imperator coronaretur. Unus ex omnibus Germaniæ Episcopis Conradus Salisburgensis Archiepiscopus, cùm videret Pontificem in custodiam abripi, sacrilegum facinus palam improbavit, Regem objurgando; & cùm ob id Regius minister educto gladio mortem

Otto Frising.

mortem Archiepiscopo intentaret, stetit immotus, & utinam, inquit, mihi ex tam justæ causæ patrocinio mori obtingeret. Omnium horum, quæ in Pontificem acta sunt, auctor Albertus Cancellarius, gente Lotharingus, post Moguntinus Archiepiscopus, quem haud multò post Rex captivum in carcerem conjecit, & diversis tormentis & incredibili fame afflixit. Capitales exinde ad mortem hostes Rex & Archiepiscopus; quæ justè, & vindice Deo, omnes fieri testabantur. Sed & Henrico eo nomine quinto Regum, Jmperatorum quarto, ab hoc perfido & sacrilego in Pontificem facto omnia adversa incurrêre. Et quia patre violentior, regnum & Ecclesiam turbare cœpit; omnia etiam odia, rebelliones, & iras patris in suum caput traxit: ut rectè olim dixerit Otto Northeimensis, Bavariæ Dux, cùm de ejus subrogatione in regnum sollicitaretur à Patre, scire se ex malo bove non nisi malum vitulum nasci.

Imperator postquam coronâ potitus, reditum in Germaniam acceleravit; convocatisque mense Augusto Episcopis & Abbatibus, patrem, qui jam à quinquennio inhumatus steterat, majorum sepulchro quàm honorificentissimè intulit; id enim à Pontifice simul impetrârat, ut soluto anathematis vinculo justa illi funebria deferrentur. Magnam Episcoporum in his exequijs præsentiam exhibet diploma, quo Henricus Imperator VI Jdus Augusti Cœnobio D. Maximini apud Treviros privilegia confirmat. Memorantur in eo testes Bruno Trevirensis, Fridericus Coloniensis, Bruno Spirensis, Burchardus Monasteriensis, Othbertus Leodiensis, Burchardus Trajectensis, Atlongus Wirceburgensis, Otto Bambergensis, Eberhardus Eichstadensis, Hermannus Augustanus, Odalricus Constantiensis, Rudolphus Basileensis, Cuno Strasburgensis, Vido Curiensis, Richardus Virdunensis Episcopi: adeo ex Saxonicis nullus, præter Monasteriensem perpetuum aulæ Comitem, præsens fuit.

Corpus Henrici IV Reg. hactenus inhumatum sepelitur.

Zilesius in defen. S. Maximini

Spiræ Imp. Moguntiam profectus est: ubi in celebri Episcoporum ac Principum congressu Albertum, Cancellarium suum, Archiepiscopum sedi illi ab Ruthardi obitu vacanti imponit; sed brevis illa amicitiæ scena. Sub exitum deinde anni Jmperator in Saxoniam digressus, Goslariæ Christi Natalitia egit. Redijt & tunc ex Jtalia Erckenbertus Corbeiensis Abbas ad suum Monasterium, retulitque secum magnificum Paschalis Pontificis diploma, quo omnia Cœnobij illius privilegia confirmata sunt.

Annus Christi 1112.

Paschalis II Pont. 13.
Henrici V Reg. 7. Imp. 2.
Henrici II Ep. Pad. 23.

At

Ursberg. Baron. Sigon. Chron. Hild. Fasti Corbej. Petrus Diacon.

Concilium Roman. in causa Henrici Imp.

At vix dum Jmperator in Germaniam redierat, cùm Romani, cumprimisque Cardinales, qui abfuerant, acta Imperatoris cum Pontifice detestati, omnia improbârunt; & Pontifex, ut vulneri mederetur, Episcoporum concilium Romæ in Basilica Lateranensi mense Martio indixit; ad quod præsidente Pontifice convenere Archiepiscopi duodecim, Episcopi centum & quatuordecim, Cardinales presbyteri quindecim, Cardinales Diaconi octo, Abbates complures, & innumera Clericorum, diversorumque ordinum multitudo. Eo in concilio graves dictæ sunt sententiæ in Henricum Jmperatorem, quibus privilegium investituræ, quod Jmperator extorserat, ab omnibus una consensionis voce damnatum est, actumque ut Pontifex Jmperatorem anathemate feriret; id verò detrectavit Pontifex, quod non censeret illico damnare, quæ ante probasset. Perfidiæ alioqui reus traducendus apud Germanos Principes. Exulcerati interim mansêre omnium Orthodoxorum per Galliam animi adversus Jmperatorem; quos inter Guido Archiepiscopus Viennnensis, Legatus Sedis Apostolicæ, qui Paschalis Successor Calixtus est appellatus, convocata Viennæ Episcoporum synodo, è communi Patrum sententia privilegium investituræ à Pontifice extortum damnavit, ipsumque Jmperatorem è communione Catholicorum proscripsit. Ea re permotus perculsusque Adelbertus Moguntinus Archiepiscopus à Rege tanquam diris devoto secessit, factionique Saxonum se adjunxit.

Conspiratio Saxonum in Imperat.

Ursberg. Chron. Hildes. Fasti Corbej.

Nam, Vindice Deo, cœpit hoc anno conspiratio Saxonum in Imperatorem. Udalrico nimirum Saxonum Principe ex humanis excedente, Sigefridus sanguine propinquior, dum justam debitamque sibi hereditatem adire parat, intervenit Imperator, & luculentas opes in Fiscum, & jus regni attrahit. Exacerbatus Sigefridus totam Saxoniam querimonijs implevit. Eæ tanto pronius acceptæ, quo altius hærebat inveteratum patris odium. Et quia rei iniquitas patebat, qua Saxoniæ libertas lædebatur, accessêre in partes Lotharius Dux Saxoniæ, Rudolphus Marchio, Fridericus Palatinus, Wigbertus & Ludowicus Comites, Ludowicus Thuringus: ex Episcopis Rheinardus Halberstadiensis, & cum his Gertrudis Princeps fœmina, & opibus potens, compluresque alij, qui per quæstores Imperatoris querebantur possessiones suas accidi rapique pro libidine.

Annus Christi 1113.

Paschalis II Pont. 14.
Henrici V Reg. 8. Imp. 3.
Henrici II Ep. Pad. 24.

Imperator Saxoniam vastat.

Adulta nondum conspiratione, Imperator præveniendum ratus, Erfurtum accedit, interque festa Natalitia Christi Principum, quem indixerat, conventum celebrat; quò cùm Saxoniæ Principes non

non accederent, indignatione commotus, jubet per ipsas sacras ferias bona eorum diripi, prædia incendijs vastari, possessiones distrahi. Haud multò post contracto exercitu Saxoniam armatus ingreditur, Halberstadium absente Episcopo accedit, urbeque relictâ, Horneburgum arcem intra diœcesin Halberstadiensem præmunitam obsidione cingit, deditamque evertit. Jam & copias suas contraxerant conjurati Reinhardus Halberstadiensis Episcopus, Sigefridus Comes Palatinus, Wigbertus, & Ludowicus Comes pugnaturi cum Cæsare; castris haud procul positis à Cæsareis. At postquam deditio urbis facta est, & Episcopo dies dicta, quo se purgaret, bellicus ille furor nonnihil quievit; maximè quòd Cæsar ad Rhenum evocaretur ad Burgundiæ tumultus componendos, quos Reginoldus Comes Cæsaris consanguineus concitârat. Dum hæc aguntur, capitur per insidias Wigbertus, Sifridus Palatinus occiditur, Ludowicus ad deditionem compellitur. Quibus Cæsar lætus; tanquam, conjuratorum capitibus oppressis, bellum omne confectum esset. Pacata deinde Burgundia, Wormatiam digressus est ad celebrandum Pascha; quò & Moguntinum Archiepiscopum ad se deduci jussit, rursumque in arctam custodiam retrusit, in qua jam biennio cum fame, & squalore conflictabatur. Inde in Saxoniam profectus, Goslariæ consedit, ut Saxonum consilia motusque propius inspiceret. *Chron. Hild.*

Annus Christi 1114.

Paschalis II Pont. 15.
Henrici V Regis 9. Imp. 4.
Henrici II Ep. Pad. 25.

Quiescente verò Saxonia, Cæsar Bambergam concessit, celebratisque istic Natalitijs Christi, post Epiphaniam Moguntiam properavit ad conventum Principum, quem omnium procerum præsentia voluit esse celeberrimum. Enimvero, quam ante biennium sibi desponderat Mathildem Regis Angliæ filiam, hanc sibi solemni nuptiarum ritu conjunxit. Publicam illam hilaritatem obscuravit Lotharij Ducis Saxoniæ accessus. Is quia consilia & arma conjuratis Saxonibus anno superiori junxerat, Cæsarem adijt supplex, nec prius in gratiam est receptus, quàm assumpto reorum cultu, nudis pedibus, & vili sago tectus humi fusus ad Henrici Cæsaris pedes se abjiceret, & perduellionis veniam spectante procerum corona exoraret. Hac demissione Lotharius ferocem Cæsaris animum mitigavit, ne quid acerbius in eum statueretur. Sed divina ille ordinatione ad Imperij fasces, & magnum Reipub. Ecclesiæque bonum servatus est; & quo severitatis spectaculo, in Lotharium Ducem statuto, Cæsar terrorem nominis sui quærebat, id summam illi omnium Principum offensionem peperit. Nam in eo opportuno & frequentissimo congressu

Ursberg. Dodechin. Chron. Hild. Fasti Corb. Otto Frising. lib. 7. c. 15.

Lotharius Dux Saxon. Henrico supplex in gratiam recipitur.

Fœdus à Saxoniæ Principibus initum contra Imperat.

Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, Godefridus Lovaniensis Dux Lotharingiæ, Gerhardus Juliaci Comes, Fridericus Arensbergensis Comes, multique cumprimis Westfaliæ Saxoniæque proceres clam inter se fœdus iniêre adversus Henricum Cæsarem pro tuenda libertate, quam ubique à Cæsare opprimi videbant; qui tam exosus sensim ob fastum dominandi, ut omnes Imperij Principes, præter Conradum & Fridericum Suevos ex sorore genitos, præterque Godefridum Palatinum, ab eo desciscentes arma induerent. Accendit fœderatorum animos, quòd Cæsarem in Gallia ab Orthodoxis Episcopis anathematis pœna proscriptum, & Romanis invisum intelligerent. Præclarè hujus fœderis causas scribit Fridericus Coloniensis Archiepiscopus ad Ottonem Bambergensem Episcopum, virum ea ætate sanctissimum, qui ob id Cæsari aliquamdiu suspectus fuit, quòd ex aula ejus se subduceret. Ea in epistola exponit, quæ Cleri, quæ Ecclesiarum, quæ libertatis oppressio se ad id fœdus traxerit: memoratque Henricum Cæsarem, Burchardum Episcopum Monasteriensem, & Herbipolensem à Cunone Prænestino Episcopo, ac Sedis Apostolicæ Legato, in concilio Belluacensi, iterumque in concilio Rhemensi, Dominica, quæ Lætare insignitur, publicè diris devotum. Auxit exacerbationem Ludovici Comitis captivitas, quem contra datam fidem Cæsar in vincula abripuit. Quinam ex Saxoniæ Episcopis in id fœdus præter Coloniensem transierint non reperio; Theodoricus certè Monasteriensis Episcopus, qui à Burchardo hactenus exclusus creditur, Lothario Duci ceterisque pro sede sua occupanda accessit.

Chron. Hild.

Ursberg. Gobelin. Imperator, Coloniâ frustra oppugnatâ, omnia latè devastat.

Id fœdus Saxonicorum Principum tum demum se aperuit, cùm Henricus Cæsar bellum Frisijs illaturus secundo Rheno descenderet; ubi enim Coloniam delatus, reperit urbem rebellem, & Westfalos conspirationi civium illigatos; quorum Dux Fridericus Arensbergensis Comes. Omissa idcirco expeditione Frisica, arma convertit in urbem Coloniensem. Ac magnis animis irisque cœpta obsidio; sed omnes hosce conatus elusêre cives fortitudine & munimentorum fiducia. Quare solutâ obsidione Cæsar exercitum diffundit in populationem agrorum, cunctaque circum spolijs & incendio pervastat. Direpta Oppida, eversa castella, Juliacum in favillas redactum, Comes abductus captivus. Exhaustis omnibus, in superiorem Germaniam reducit exercitum, instaurandum novis viribus fidorum sibi adhuc Principum. Interea Fridericus Coloniensis Archiepiscodus cis Rhenum Andernacum ceteraque castella & Oppida, quæ Cæsaris præsidio tenebantur, expugnat, & munitiones, quæ Cæsarei juris & fisci erant, solo æquatas diruit.

Conjurati, Tremoniâ

Nec minus segnes trans Rhenum Saxones ac Westfali, Duce Lothario conjuratorum Principe, & Friderico Arensbergensi bellicoso ea tem-

ea tempestate viro, Tremoniam Imperatoriam urbem ardenter expugnant, arce, quam Cæsar ibi construxerat, munieratque eversa. Inde ad urbem Monasteriensem convertuntur, quam Burchardus schismaticus Episcopus in partes Cæsaris traxerat, & novis mœnibus præmunierat; eam obsidione incingunt, adiguntque fœderi Saxonico subscribere, jussi quoque Monasterienses, ejurato Burchardo, Theodoricum Winceburgicum, Orthodoxum Episcopum, admittere; ut jam ab hoc anno demum Theodorici Episcopatus numerandus appareat; tametsi Burchardus solo deinceps Episcopi titulo fortunam suam solatus sit. *Expugnatâ, urbem Monaster. obsident.*

Redit tandem Imperator mense Octobri cum instructo exercitu in Westfaliam, omnem simul vim & iram profundendo in Fridericum Arensbergensem Comitem, evastatoque ejus comitatu, Susato, quæ Coloniensis Archiepiscopi urbs erat, ingentem pecuniæ summam extorquet; & disjectis hostibus, in medio regionis Westfaliæ, inquit Ursbergensis, firmum castrum exstruit, quod milite, armis, stipendijs implevit, gentis frenum futurum. Id verò ubi constiterit, auctor non prodidit. Sunt qui Wefelsburgum velint intra diœcesin Paderbornensem, ducti fortè conjectura, quòd hanc arcem à Friderico Arensbergensi ante obitum ejus circa annum 1123 instauratam legerint; quemadmodum hæc Ferdinandus Episcopus in Monumento ejus loci explicatius tradidit. *Cæsar Comitatum Arensberg. vicinaq; loca perpopulatur.* *Gobel. Crantz. Monumenta Paderborn. p. 226.*

Sanè Cæsar, postquam Arensbergensem Comitatum vastasset, ex his provincijs Visurgim est transgressus, circumlatoque terrore, regiones trans Visurgim depopulatus. Urgente hyeme militem paululum ad hyberna per vicina loca recreatum dimisit: ipse Goslariæ consedit, sequentem annum magna clade exorsurus. Has inter turbas è Saxonicis Episcopis Udo Hildesimensis morte subtractus est; in cujus locum subrogatus Cleri electione Bruningius, Decanus Goslariensis, à Crantzio omissus, vir egregia pietate & doctrina, qui quadriennio post posito Episcopatu ad privatam vitam secessit. *Chron. Hildes.* *Moritur Udo Ep. Hildes. cui subrogatur Bruningius Decanus Goslar.*

Annus Christi 1115.

Paschalis II Pont. 16.
Henrici V Reg. 10. Imp. 5.
Henrici II Ep. Pad. 26.

Hærebat Cæsar, ut diximus, in Saxonia, Goslariæ in palatio majorum, tanquam ex eo patris exemplo dominatum in Saxones firmaturus. Per festa Natalitia, quæ Goslariæ agebat, conventum Principum indixit; ac licet non defuerint ex Saxonibus, qui facta popularium secessione, ad signa Cæsaris transirent: Lotharius tamen Saxoniæ Dux, Reinhardus Halberstadiensis Episcopus, Fridericus Palatinus Comes, Rudolphus Marchio ceterique fœderati, veriti Cæsaris *Ursberg. Dodechin. Chron. Hild. Crantz. l. 5. Saxon. c. 36. Gobelin. Albert. Stad. Trithem. in*

 ferociam,

Chron. Hirsaug. ferociam, ad conventum non accessêre: & quia de periculo suo agi videbant, circa Walbecam castrum copias suas contraxêre, palam per Legatos denunciantes, non se oppugnandi animo convenisse, nec prælium inituros, nisi provocatos necessitas urgeret. Cæsar interim rigente hyeme Brunswicum occupat, Halberstadium vastat, Orlagemundum obsidione incingit, propiusq; ad fœderatorum castra movet. Jam & Lotharius dux copiis Westfalorum auctus erat; quibuscum accesserat Fridericus Comes Arensbergensis cognomento bellicosus, Hermannus frater ejus & Rheinardus, Mechtildis sororis filius, primusque arcis Furstenbergicæ in Westfalia conditor, familiæq; propagator, Hermannus de Cavela, Ravensbergensis videlicet Comes, quos Lotharius Dux sibi aut consanguinitate aut affinitate conjunctos fidosque habebat. Nam Arensbergensis & Ravensbergensis Comites, haud secus quàm Cappenbergensis Comes, Ottonis Northeimensis & Bojariæ Ducis filias in matrimonio, ut diximus, habebant; ipse vero Richesam Ottonis ex Henrico Crasso filio neptem duxerat conjugem. Accessêre Henricus Limburchus, & maxima Westfaliæ nobilitas, roburque militiæ Lotharij. Jam castra castris opposita erant, detrectantibus pugnam fœderatis; cùm Hogerus Mansfeldiæ Comes, cui Ducatus Saxoniæ à Cæsare promissus erat, moræ impatiens selectam militiæ Cæsareæ juventutem educit in aciem, qua in Saxones invectus cruenti prælij initium facit: certatum utrimque ferocibus animis, cùm in ipso ardore pugnæ Hogerus inter primos confossus occumbit. Ad ejus casum turbati Cæsarei, & in fugam inclinati. Saxones incumbunt, & miserabili cæde grassantur in fugitivos, Lothario inter acies obvolante. Hoc illud miserabile prælium ad Catulanam seu Welfonis sylvam III Februarij editum, celebratumque tanto Saxonum triumpho à Scriptoribus; perinde ut hisce verbis etiam consecrata prælij memoria.

Saxonum contra Imperat. prælium & victoria.

Anno milleno centeno, ter quoque quinto.
Ad Catuli saltum belli cruor exit in altum.

Crantz. lib. 5. Saxon. l. 36. Onomast. Pyrm. Reinec. in not. ad Staden. Lindebroch. in Chron. Caroli M.

Eo in conflictu occidit Hogerus Comes Mansfeldicus Sigefridi Palatini interfector. Monstratur verò sylva Welfonis in Comitatu Mansfeldico prope Gerbstede, quo in loco hodiedum visitur Sacellum prælij hujus monumentum. Cæsar hac clade consternatus cum laceris copiis ad Rhenum properavit; interque fugæ comites non prius constitit, quàm Moguntiam attigisset, fatis iisdem quibus pater adversis cum Saxonibus pugnando jactatus. Saxones in loco prælij rei gestæ monumentum erexêre, columnam videlicet in modum trophæi, cui armati viri statuam imposuêre, dextera cœstum, sinistra clypeum gestantis. Vulgus Jodut dixit; & quia per superstitionem agrestes homines colere cœperant, Wernerus Merseburgensis Episcopus dejecit. Captus hoc bello Erkenbertus Corbeiensis

ensis Abbas à Burchardo milite, jussusque ducentas marcas in redemptionem pendere, odio Cæsaris, quem hactenus sectatus fuerat.

Victor Lotharius mox alium felicitatis nuncium accipit, videlicet ex clade duorum millium Sclavorum, quos Otto Ballenstedius, gener Magni Ducis, in subsidium Cæsaris properantes ad internecionem delevit; qua victoria Saxonia simul à Barbarorum incursionibus metuque liberata est. Lotharius deinde Theodoricum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem & Apostolicæ Sedis Legatum invitavit in Saxoniam, quem frequenti Saxonum Principum comitatu festo Natalis Virginis Goslariam introduxit. Multa cum eo de Catholica religione adversus Schismaticos & disciplina Cleri pertractata. Paucis post diebus Goslariam est deductus; ubi de statu regni in conventu Principum transactum. Quippe Saxones omnium per Germaniam gentium Romanæ Sedis, & Orthodoxæ religionis studiosissimi obstruxere schismati, quod Henricus Cæsar pravo exemplo patris jam tum moliebatur, nacti ad hanc rem Lotharium religione non minus, quàm fortitudine bellica egregium Ducem, qui per Legatum Apostolicum id sollicitè agebat, ut Episcopos in fœdere Catholicorum & Apostolicæ Sedis fide contineret.

Lotharij Ducis studium pro orthodoxa religione conservanda.

Helmold. lib. 1. Chron. Hild.

Cæsar interim Moguntiæ hærebat, ubi inglorius, & ab omnibus prope desertus tristem dolore cladis æstatem agebat; auctusq; dolor, postquam Theodoricus Legatus auctoritate Romani concilij anathema in Henrici caput repetijt. Primus inter Saxoniæ præsules Magdenburgensis Archiepiscopus, qui hanc in Cæsarem sententiam proclamare ausus, cui ceteri Episcopi accessêre. Quibus auditis, perculsus Cæsar, Moguntiæ Principum conventum indixit, pollicitus se omnium factorum rationem daturum singulis. Sed pauci præter Brunonem Trevirensem Archiepiscopum dignati sunt accedere. In quam contemptionem cùm notaretur venisse Cæsar, ausi sunt Moguntini cives facta seditione insurgere in Cæsarem, palatium armata manu obsidere, irrumpere dissono clamore in atrium, reposcere Archiepiscopum suum Albertum, quem Cæsar in carcere tenebat, liberum sibi reddi. Cæsar, ne furentis populi minas in caput suum traheret, jubet extemplo Archiepiscopum vinculis solutum reduci in sedem suam, quem cives & Clerus fame confectum, umbræque hominis, quàm homini similiorem incredibili cum lætitia exceperunt. Is deinde Coloniam, vetante licet Cæsare, ex voluntate Theodorici Legati Apostolici profectus, ab Ottone Bambergensi Episcopo festis Christi Natalitijs Episcopus consecratur. Hunc deinde Archiepiscopum, olim Cancellarium suum, ex intima amicitia nactus est perpetuum exinde adversarium, defensoremque Orthodoxorum; quo ostenderet hic alium oportere se Episcopum in Ecclesia Dei, quàm Cancellarium agere in aula Cæsaris.

Henricus Imp. anathemate denuo feritur.

Seditio Civium Moguntin. ob Archiep. suum, quem restitui in libertatem volunt.

Annus

Annus Christi 1116.

Paschalis II Pont. 17.
Henrici V Regis 11. Imp. 6.
Henrici II Ep. Pad. 27.

Vrsperg. Dodechin. Chron. Hild.

Conventus Episcop. & Principum Coloniens. adversus Henricum Imp.

Sub id tempus, quo hæc agebantur, simul Coloniæ Episcopi ac Principes convenerant, tractatum cum Theodorico Cardinale, Apostolico Legato; cum hic in itinere extinguitur. Funus Coloniam delatum, & à XIV Episcopis, ut auctor Chronici Hildesiensis scribit, deductum ad tumulum. Ex quo magnam Episcoporum præsentiam æstimes; licet à ceteris tantùm memorentur Fridericus Coloniensis, & Albertus Moguntinus Archiepiscopi. Inter Principes Lotharius Saxoniæ Dux cum Saxoniæ proceribus adfuit. Ibi Traverhonarij cum Saxonibus in idem fœdus Orthodoxorum pro Apostolica Sede adversus Cæsarem convenêre, Moguntino totam propè Germaniam concitante. Quæ cùm Cæsar Spiræ intelligeret, misit Erlongum Herbipolensem Episcopum, seu ut consilia de alio Rege eligendo turbaret, seu ut anathema in se pronunciandum impediret. Verùm Erlongus non prius admissus in congressum ceterorum, quàm se ab anathemate, quod in Cæsarem & ejus fautores pronunciatum erat, absolvi pateretur. Hinc ad Cæsarem reversus cum Cæsare communicare detrectavit, coactus interim morte intentata sacrificium Missæ circa Cæsarem peragere. Cæsar ubi didicit Erlongum in Orthodoxorum partes transijsse, ducatu eum Orientalis Franciæ, qui à Regum Francorum memoria Episcopatui conjunctus fuerat, per vim exuit, transtulitque in Conradum Suevum ex sorore sua genitum. Erlongo Coloniam ad Fridericum Archiepiscopum in exilium abeunte. Nihilo tamen minus in hoc Episcoporum, & Principum conventu anathematis sententia in Henricum Cæsarem ob pertinaciam pronunciata est, firmatumque Catholicorum fœdus, schismate jam novo per Imperium invalescente.

Cæsaris in Italiam profectio.

Cæsar tædio adversantium sibi rerum victus cum Mathilde Imperatrice in Italiam profectionem instituit, quem, præter Constantiensem, Tridentinum, & Virdunensem antistites, assectatus Burchardus Monasteriensis Schismaticus Episcopus, & ob id jam ante sede sua depulsus. Acceleravit iter Mathildis præpotentis in Italia Principis mors, quæ Lombardiam, & Thusciam D. Petro Romanæque Ecclesiæ ultimis tabulis legaverat, id quod S. Petri patrimonium hodie appellatur. Ad hereditatem adeundam, quòd propinquitate contingeret, invitatus erat ab Jtalis nonnullis, à quibus simul spes adjecta erat reconciliandi Paschalem Pontificem, sensitque Cæsar ingens sibi malum imminere, nisi cum Apostolica Sede in gratiam rediret. Jam enim ob fœdum facinus, abrepti in captivitatem Pontificis,

ficis, non modò ab Episcopis Italiæ, Galliæ, Ungariæ, & Germaniæ, quòd Ursbergensis scribit; sed ab Ecclesia Hierosolymitana anathematis sententia proscriptus erat.

Accessit ad schisma nefanda hæresis, quæ Belgium, Trajectensem, Coloniensem, vicinasque provincias fœdare cœperat. Auctor Tanchelmus, quem alij Tanchelinum vocant, qui licet hoc anno impiam evomuerit animam, ut Bucherus scribit, multos tamen reliquit discipulos hæresin illam disseminantes, quorum aliquot à Friderico Coloniensi Archiepiscopo in carcerem conjecti sunt. Quemadmodum id præclara illa epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum Metropolitanum suum scripta, atq; ex Cæsarea bibliotheca à Tennagelio edita præter auctorem vitæ D. Nortberti aliosq; commonstrat. Impia hujus hæresiarchiæ dogmata erant, Pontificem, Episcopos, presbyteros, & Clericos Larvas Ecclesiæ esse sine ulla potestate munerum suorum: Sacramenta quæ ab illis administrentur, vana esse atq; irrita, quibus homines contaminentur: augustissimum Christi corpus in Eucharistia, quod Sacerdotum consecratione, & ministerio præbetur, commentum esse: ceteras Ecclesias, præter suam Ecclesiam, quam solum veram dicebat, Lupanaria reputandas esse. Multis ejusmodi insanijs, mendacijs, dolisque rudem plebem adeo dementârat, ut aquam balnei, qua se lavârat, loco sacratæ in Ecclesia aquæ populo potandam daret. Ac ut se à Deo missum persuaderet populo, nescio quam divinitatem sibi tribuerat. Homo præterea sceleratissimus, qui trium millium armatorum hominum caterva stipatus, prælato vexillo & gladio, prodibat in campos, congregando cætus hominum; ad quos tanto verborum lenocinio perorabat, tantaque cupiditate audiebatur, ut angelus è cœlo submissus crederetur à seductis; cùm ipse interim flagitiosissimam vitam quotidie in consuetudine meretricum ageret, & filias in conspectu parentum constupraret, urinamque suam inter Divorum reliquias suis offerret; ut jam Adalbertus Gallus, & Clemens Scotus, spurcissimi illi per Germaniam tempore D. Bonifacij hæresiarchæ, ab inferis redijsse videri potuerint. Et quæ unquam hæresis, quæ non evangelium suum ex nefandis libidinum sceleribus per omnem vitæ libertatem exorsa sit?

Nefaria Tanchelini hæresis hoc tempore exorta.

Hæresi huic, quam in conventu Coloniensi ab Episcopis damnatam reputo, objecit per hæc tempora Deus D. Nortbertum. Gente is erat Teutonicus, ut auctor vitæ præ ceteris verisimilius scribit, ex municipio Xantensi ad Rhenum in Clivia, in cujus Oppidi celebre Collegium cooptatus Canonicus erat. Juvenem ex illustri apud suos nobilium familia ortum, egregia morum indole, formaq; corporis, dicendi facundia & literis ornatum, Fridericus primus Coloniensis Archiepiscopus adscivit in aulam; ex qua ad Henricum V. Cæsarem traductus, ità se probavit, ut Cæsar illi Cameracensem Episcopatum deferret.

Cui Deus D. Nortbertum objecit.

Vita Nortberti apud Surium Robert. de monte.

Annus Christi 1116.

Paschalis II Pont. 17.
Henrici V Regis 11. Imp. 6.
Henrici II Ep. Pad. 27.

Ursperg. Dodechin. Chron. Hild.

Conventus Episcop. & Principum Coloniens. adversus Henricum Imp.

Sub id tempus, quo hæc agebantur, simul Coloniæ Episcopi ac Principes convenerant, tractatum cum Theodorico Cardinale, Apostolico Legato; cum hic in itinere extinguitur. Funus Coloniam delatum, & à XIV Episcopis, ut auctor Chronici Hildesiensis scribit, deductum ad tumulum. Ex quo magnam Episcoporum præsentiam æstimes; licet à ceteris tantùm memorentur Fridericus Coloniensis, & Albertus Moguntinus Archiepiscopi. Inter Principes Lotharius Saxoniæ Dux cum Saxoniæ proceribus adfuit. Ibi Traverhonarij cum Saxonibus in idem fœdus Orthodoxorum pro Apostolica Sede adversus Cæsarem convenêre, Moguntino totam propè Germaniam concitante. Quæ cùm Cæsar Spiræ intelligeret, misit Erlongum Herbipolensem Episcopum, seu ut consilia de alio Rege eligendo turbaret, seu ut anathema in se pronunciandum impediret. Verùm Erlongus non prius admissus in congressum ceterorum, quàm se ab anathemate, quod in Cæsarem & ejus fautores pronunciatum erat, absolvi pateretur. Hinc ad Cæsarem reversus cum Cæsare communicare detrectavit, coactus interim morte intentata sacrificium Missæ circa Cæsarem peragere. Cæsar ubi didicit Erlongum in Orthodoxorum partes transijsse, ducatu eum Orientalis Franciæ, qui à Regum Francorum memoria Episcopatui conjunctus fuerat, per vim exuit, transtulitque in Conradum Suevum ex sorore sua genitum. Erlongo Coloniam ad Fridericum Archiepiscopum in exilium abeunte. Nihilo tamen minus in hoc Episcoporum, & Principum conventu anathematis sententia in Henricum Cæsarem ob pertinaciam pronunciata est, firmatumque Catholicorum fœdus, schismate jam novo per Imperium invalescente.

Cæsaris in Italiam profectio.

Cæsar tædio adversantium sibi rerum victus cum Mathilde Imperatrice in Italiam profectionem instituit, quem, præter Constantiensem, Tridentinum, & Virdunensem antistites, assectatus Burchardus Monasteriensis Schismaticus Episcopus, & ob id jam ante sede sua depulsus. Acceleravit iter Mathildis præpotentis in Italia Principis mors, quæ Lombardiam, & Thusciam D. Petro Romanæque Ecclesiæ ultimis tabulis legaverat, id quod S. Petri patrimonium hodie appellatur. Ad hereditatem adeundam, quòd propinquitate contingeret, invitatus erat ab Jtalis nonnùllis, à quibus simul spes adjecta erat reconciliandi Paschalem Pontificem, sensitque Cæsar ingens sibi malum imminere, nisi cum Apostolica Sede in gratiam rediret. Jam enim ob fœdum facinus, abrepti in captivitatem Pontificis,

ficis, non modò ab Episcopis Italiæ, Galliæ, Ungariæ, & Germaniæ, quòd Ursbergensis scribit; sed ab Ecclesia Hierosolymitana anathematis sententia proscriptus erat.

Accessit ad schisma nefanda hæresis, quæ Belgium, Trajectensem, Coloniensem, vicinasque provincias fœdare cœperat. Auctor Tanchelmus, quem alij Tanchelinum vocant, qui licet hoc anno impiam evomuerit animam, ut Bucherus scribit, multos tamen reliquit discipulos hæresin illam disseminantes, quorum aliquot à Friderico Coloniensi Archiepiscopo in carcerem conjecti sunt. Quemadmodum id præclara illa epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum Metropolitanum suum scripta, atq; ex Cæsarea bibliotheca à Tennagelio edita præter auctorem vitæ D. Nortberti aliosq; commonstrat. Impia hujus hæresiarchiæ dogmata erant, Pontificem, Episcopos, presbyteros, & Clericos Larvas Ecclesiæ esse sine ulla potestate munerum suorum: Sacramenta quæ ab illis administrentur, vana esse atq; irrita, quibus homines contaminentur: augustissimum Christi corpus in Eucharistia, quod Sacerdotum consecratione, & ministerio præbetur, commentum esse: ceteras Ecclesias, præter suam Ecclesiam, quam solum veram dicebat, Lupanaria reputandas esse. Multis ejusmodi insanijs, mendacijs, dolisque rudem plebem adeo dementârat, ut aquam balnei, qua se lavârat, loco sacratæ in Ecclesia aquæ populo potandam daret. Ac ut se à Deo missum persuaderet populo, nescio quam divinitatem sibi tribuerat. Homo præterea sceleratissimus, qui trium millium armatorum hominum caterva stipatus, prælato vexillo & gladio, prodibat in campos, congregando cætus hominum; ad quos tanto verborum lenocinio perorabat, tantaque cupiditate audiebatur, ut angelus è cœlo submissus crederetur à seductis; cùm ipse interim flagitiosissimam vitam quotidie in consuetudine meretricum ageret, & filias in conspectu parentum constupraret, urinamque suam inter Divorum reliquias suis offerret; ut jam Adalbertus Gallus, & Clemens Scotus, spurcissimi illi per Germaniam tempore D. Bonifacij hæresiarchæ, ab inferis redijsse videri potuerint. Et quæ unqnam hæresis, quæ non evangelium suum ex nefandis libidinum sceleribus per omnem vitæ libertatem exorsa sit?

Nefaria Tanchelini hæresis hoc tempore exorta.

Hæresi huic, quam in conventu Coloniensi ab Episcopis damnatam reputo, objecit per hæc tempora Deus D. Nortbertum. Gente is erat Teutonicus, ut auctor vitæ præ ceteris verisimilius scribit, ex municipio Xantensi ad Rhenum in Clivia, in cujus Oppidi celebre Collegium cooptatus Canonicus erat. Juvenem ex illustri apud suos nobilium familia ortum, egregia morum indole, formaq; corporis, dicendi facundia & literis ornatum, Fridericus primus Coloniensis Archiepiscopus adscivit in aulam; ex qua ad Henricum V. Cæsarem traductus, ità se probavit, ut Cæsar illi Cameracensem Episcopatum deferret.

Cui Deus D. Nortbertum objecit.

Vita Nortberti apud Surium Robert. de monte.

deferret. Quo spreto, cùm anno ætatis trigesimo, uno famulo stipatus, Vredenam versus per diœcesin Monasteriensem iter ageret, fulmine dejectus ab equo, & D. Pauli exemplo illustratus aulicam vitam mutavit in Apostolicam; abjectoque omni vanitatis cultu, humili & puniceа toga indutus à Friderico Coloniensi Episcopo Sacerdos consecratur. Inde admirabili vitæ rigore ac spiritu circumeundo oppida, pagos & provincias palam docere, populumque ad pœnitentiam perducere, longè diverso, quàm Tanchelmus, spiritu. Et qua erat canora voce dicendi, facundiæ sanctitatisque exemplo, innumerabilem hominum multitudinem ad melioris vitæ formam, & Clericos, religiososque viros ad sui imitationem attraxit: oraculum per id tempus sapientiæ, in quem Episcopi & Principes, Clerus & populus tanquam in Apostolicum vitæ exemplar oculos convertebant, audiebantque tanquam è cœlo submissum Doctorem. Ita brevi hæresis illa Tanchelini extincta, & clarissimus ille Præmonstratensium ordo, Nortberto auctore, in subsidium Ecclesiæ institutus est.

Annus Christi 1117.

Paschalis II Pont. 18.
Henrici V Reg. 12 Imp. 7.
Henrici II Ep. Pad. 28.

Ursberg. Dodechin. Petrus Diaconus. Baron. Petrus Bibliothec. in Vita Pont.

Non destitit interim turbare Ecclesiam & Rempublicam Henricus Cæsar. Is cùm anno superiori Italiam intrasset cum Burchardo Monasteriensi, ac ceteris Schismaticis Episcopis, armaque perduellium Italorum sibi sociasset, Romam movit, & Paschalis Pontificis clientibus bellum indixit. Pontifex de adventu certior factus, ne sibi cum fallaci homine denuo negotium esset, ex urbe Beneventum secessit. Cæsar exinde magno apparatu Romam ingressus, petijt à Cardinalibus iterato coronari. Id cùm absente Pontifice fas non esse responderent, multisque simul exprobarent, quæ in Apostolicam sedem patrasset; Cæsar indignatus, Mauritium Burdinum Bracarensem Archiepiscopum evocat, à quo coronam suscepit, qui jam ante à Paschali vero Pontifice augustalibus Imperij insignibus decoratus erat. Petit deinde à Paschali in Christianorum cœtum recipi. Respondit Pontifex, sibi integrum non esse, restituere communioni, qui in tot concilijs, & à tot Episcopis anathemate perculsus esset; alia ad id opus esse Cardinalium & Episcoporum convocatione. Ita irritus Cæsar recessit.

Henrico Romæ iterum coronari petenti magnis animis obsistunt Cardinales.

Calamitosus Germaniæ status.

Inter hæc in ipsa Germania multò turbulentius agebatur. Quippe Friderius & Conradus Sueviæ Duces, quos Henricus vicario munere reliquerat Imperij procuratores, omnia Basileam inter & Moguntiam seditionibus, spolijs, & vastatione agrorum miscere; flamma

ma etiam, & cædibus grassari per provincias eorum, qui à Cæsare discesserant. Contra per inferioris Rheni provincias Godefridus Palatinus, Albertus Moguntinus, Fridericus Coloniensis Archiepiscopi, cæterique in eam societatem attracti, infestis armis insurgere in Cæsareanos, urbes eorum, munitiones, castella expugnare & subvertere. Per has Principum factiones & arma civilia, non Cœnobijs, non Collegijs parcitum; florentissimum Fuldense Cœnobium ad extremam inopiam redactum; & barbarum in modum, ut inquit Ursbergensis, à Christianis in Christianos sævitum. Felicior Saxonia, quæ Lotharij Ducis & Saxonum potentia se intactam servabat. Inter has procellas temporum Erckenbertus Corbeiensis Abbas, multique Saxonum, ut è conspectu malorum abirent, in Palæstinam profecti, Hierosolymam adiêre. *Fasti Corbej.*

Tantæ calamitatis tristia non minus prodigia intervenêre; cùm superûm irâ terra horribili motu per Italiam & Germaniam concussa, quo & montes collisi, urbes & Oppida multorum mortalium nece quassata: Unstroti fluminis aqua terræ hiatu absorpta, alveo ad longum spatium & tempus desiccato: insoliti ventorum turbines, tempestates, cum sæva grandine incussa: tremenda ubique tonitrua, crebri elisorum fulminum ictus. Leodij pridie Ascensionis, cùm vespertinæ horæ canerentur, tres Clerici igne cœlesti percussi in templo. Tantus denique terror homines invaserat, ut mente propemodum attoniti novissimam mundi noctem circumspicerent. Quod idem D. Nortbertus denunciasse ferebatur, nisi scelera Cleri & populi corrigerentur. Apud Cremonam infans in cunis, & pannis involutus palam loqui, & edicere auditus, sibi Virginem Mariam oblatam, quæ apud filium supplex intervenerit, ne ob peccata mortalium genus extingueret. *Varia prodigia, extremam calamitatem minantia. Ursberg. Chron. Hild. Dodech. Robert. de monte. Fasti Corb.*

Annus Christi 1118.

Gelasij II Pont. 1.
Henrici V Reg. 13. Imp. 8.
Henrici II Ep. Pad. 29.

At his prodigijs nec Henricus Cæsar, neque Germani schismatici, velut omni calamitatis sensu amisso resipiscere visi; nam cùm post mortem Paschalis Pontificis Gelasius eo nomine secundus è Cardinalium numero subrogaretur, qui jam per multos annos Cancellarij munere functus erat apud Pontificem Paschalem, vir magnarum virtutum, & senio conspicuus; ausus est Cencius Frangipanius armatorum globo stipatus, effractis Basilicæ foribus, Pontificem è solio detractum, calcatumque pedibus, abripere in carceres; donec Optimatum ac populi Romani facto in capitolium impetu, Pontifex è Frangipanij manibus eriperetur. Ijsdem injurijs tractati Cardi- *Ursberg. Pandulphus. Baronius.*

deferret. Quo spreto, cùm anno ætatis trigesimo, uno famulo stipatus, Vredenam versus per diœcesin Monasteriensem iter ageret, fulmine dejectus ab equo, & D. Pauli exemplo illustratus aulicam vitam mutavit in Apostolicam; abjectoque omni vanitatis cultu, humili & puniceâ togâ indutus à Friderico Coloniensi Episcopo Sacerdos consecratur. Inde admirabili vitæ rigore ac spiritu circumeundo oppida, pagos & provincias palam docere, populumque ad pœnitentiam perducere, longè diverso, quàm Tanchelmus, spiritu. Et qua erat canora voce dicendi, facundiæ sanctitatisque exemplo, innumerabilem hominum multitudinem ad melioris vitæ formam, & Clericos, religiososque viros ad sui imitationem attraxit: oraculum per id tempus sapientiæ, in quem Episcopi & Principes, Clerus & populus tanquam in Apostolicum vitæ exemplar oculos convertebant, audiebantque tanquam è cœlo submissum Doctorem. Ita brevi hæresis illa Tanchelini extincta, & clarissimus ille Præmonstratensium ordo, Nortberto auctore, in subsidium Ecclesiæ institutus est.

Annus Christi 1117.

Paschalis II Pont. 18.
Henrici V Reg. 12 Imp. 7.
Henrici II Ep. Pad. 28.

Ursberg. Dodechin. Petrus Diaconus. Baron. Petrus Bibliothec. in Vita Pont.

Non destitit interim turbare Ecclesiam & Rempublicam Henricus Cæsar. Is cùm anno superiori Italiam intrasset cum Burchardo Monasteriensi, ac ceteris Schismaticis Episcopis, armaque perduellium Italorum sibi sociasset, Romam movit, & Paschalis Pontificis clientibus bellum indixit. Pontifex de adventu certior factus, ne sibi cum fallaci homine denuo negotium esset, ex urbe Beneventum secessit. Cæsar exinde magno apparatu Romam ingressus, petijt à Cardinalibus iterato coronari. Id cùm absente Pontifice fas non esse responderent, multisque simul exprobarent, quæ in Apostolicam sedem patrasset; Cæsar indignatus, Mauritium Burdinum Bracarensem Archiepiscopum evocat, à quo coronam suscepit, qui jam ante à Paschali vero Pontifice augustalibus Imperij insignibus decoratus erat. Petit deinde à Paschali in Christianorum cœtum recipi. Respondit Pontifex, sibi integrum non esse, restituere communioni, qui in tot concilijs, & à tot Episcopis anathemate perculsus esset; alia ad id opus esse Cardinalium & Episcoporum convocatione. Ita irritus Cæsar recessit.

Henrico Romæ iterum coronari petenti magnis animis obsistunt Cardinales.

Inter hæc in ipsa Germania multò turbulentius agebatur. Quippe Friderius & Conradus Sueviæ Duces, quos Henricus vicario munere reliquerat Imperij procuratores, omnia Basileam inter & Moguntiam seditionibus, spolijs, & vastatione agrorum miscere; flamma

Calamitosus Germaniæ status.

ma etiam, & cædibus grassari per provincias eorum, qui à Cæsare discesserant. Contra per inferioris Rheni provincias Godefridus Palatinus, Albertus Moguntinus, Fridericus Coloniensis Archiepiscopi, ceterique in eam societatem attracti, infestis armis insurgere in Cæsareanos, urbes eorum, munitiones, castella expugnare & subvertere. Per has Principum factiones & arma civilia, non Cœnobijs, non Collegijs parcitum; florentissimum Fuldense Cœnobium ad extremam inopiam redactum; & barbarum in modum, ut inquit Ursbergensis, à Christianis in Christianos sævitum. Felicior Saxonia, quæ Lotharij Ducis & Saxonum potentia se intactam servabat. Inter has procellas temporum Erckenbertus Corbeiensis Abbas, multique Saxonum, ut è conspectu malorum abirent, in Palæstinam profecti, Hierosolymam adiêre. *Fasti Corbej.*

Tantæ calamitatis tristia non minus prodigia intervenêre; cùm superûm irâ terra horribili motu per Italiam & Germaniam concussa, quo & montes collisi, urbes & Oppida multorum mortalium nece quassata: Unstroti fluminis aqua terræ hiatu absorpta, alveo ad longum spatium & tempus desiccato: insoliti ventorum turbines, tempestates, cum sæva grandine incussa: tremenda ubique tonitrua, crebri elisorum fulminum ictus. Leodij pridie Ascensionis, cùm vespertinæ horæ canerentur, tres Clerici igne cœlesti percussi in templo. Tantus denique terror homines invaserat, ut mente propemodum attoniti novissimam mundi noctem circumspicerent. Quod idem D. Nortbertus denunciasse ferebatur, nisi scelera Cleri & populi corrigerentur. Apud Cremonam infans in cunis, & pannis involutus palam loqui, & edicere auditus, sibi Virginem Mariam oblatam, quæ apud filium supplex intervenerit, ne ob peccata mortalium genus extingueret. *Varia prodigia, extremam calamitatem minantia. Ursberg. Chron. Hild. Dodech. Robert. de monte. Fasti Corb.*

Annus Christi 1118.

Gelasij II Pont. 1.
Henrici V Reg. 13. Imp. 8.
Henrici II Ep. Pad. 29.

At his prodigijs nec Henricus Cæsar, neque Germani schismatici, velut omni calamitatis sensu amisso resipiscere visi; nam cùm post mortem Paschalis Pontificis Gelasius eo nomine secundus è Cardinalium numero subrogaretur, qui jam per multos annos Cancellarij munere functus erat apud Pontificem Paschalem, vir magnarum virtutum, & senio conspicuus; ausus est Cencius Frangipanius armatorum globo stipatus, effractis Basilicæ foribus, Pontificem è solio detractum, calcatumque pedibus, abripere in carceres; donec Optimatum ac populi Romani facto in capitolium impetu, Pontifex è Frangipanij manibus eriperetur. Ijsdem injurijs tractati Cardi- *Ursberg. Pandulphus. Baronius.*

deferret. Quo spreto, cùm anno ætatis trigesimo, uno famulo stipatus, Vredenam versus per diœcesin Monasteriensem iter ageret, fulmine dejectus ab equo, & D. Pauli exemplo illustratus aulicam vitam mutavit in Apostolicam; abjectoque omni vanitatis cultu, humili & puniceа toga indutus à Friderico Coloniensi Episcopo Sacerdos consecratur. Inde admirabili vitæ rigore ac spiritu circumeundo oppida, pagos & provincias palam docere, populumque ad pœnitentiam perducere, longè diverso, quàm Tanchelmus, spiritu. Et qua erat canora voce dicendi, facundiæ sanctitatisque exemplo, innumerabilem hominum multitudinem ad melioris vitæ formam, & Clericos, religiososque viros ad sui imitationem attraxit: oraculum per id tempus sapientiæ, in quem Episcopi & Principes, Clerus & populus tanquam in Apostolicum vitæ exemplar oculos convertebant, audiebantque tanquam è cœlo submissum Doctorem. Ita brevi hæresis illa Tanchelini extincta, & clarissimus ille Præmonstratensium ordo, Nortberto auctore, in subsidium Ecclesiæ institutus est.

Annus Christi 1117.

Paschalis II Pont. 18.
Henrici V Reg. 12 Imp. 7.
Henrici II Ep. Pad. 28.

Vrsberg. Dodechin. Petrus Diaconus. Baron. Petrus Bibliothec. in Vita Pont.

Non destitit interim turbare Ecclesiam & Rempublicam Henricus Cæsar. Is cùm anno superiori Italiam intrasset cum Burchardo Monasteriensi, ac ceteris Schismaticis Episcopis, armaque perduellium Italorum sibi sociasset, Romam movit, & Paschalis Pontificis clientibus bellum indixit. Pontifex de adventu certior factus, ne sibi cum fallaci homine denuo negotium esset, ex urbe Beneventum secessit. Cæsar exinde magno apparatu Romam ingressus, petijt à Cardinalibus iterato coronari. Id cùm absente Pontifice fas non esse responderent, multisque simul exprobarent, quæ in Apostolicam sedem patrasset; Cæsar indignatus, Mauritium Burdinum Bracarensem Archiepiscopum evocat, à quo coronam suscepit, qui jam ante à Paschali vero Pontifice augustalibus Imperij insignibus decoratus erat. Petit deinde à Paschali in Christianorum cœtum recipi. Respondit Pontifex, sibi integrum non esse, restituere communioni, qui in tot concilijs, & à tot Episcopis anathemate perculsus esset; alia ad id opus esse Cardinalium & Episcoporum convocatione. Ita irritus Cæsar recessit.

Henrico Romæ iterum coronari petenti magnis animis obsistunt Cardinales.

Calamitosus Germaniæ status.

Inter hæc in ipsa Germania multò turbulentius agebatur. Quippe Friderius & Conradus Sueviæ Duces, quos Henricus vicario munere reliquerat Imperij procuratores, omnia Basileam inter & Moguntiam seditionibus, spolijs, & vastatione agrorum miscere; flamma

ma etiam, & cædibus grassari per provincias eorum, qui à Cæsare discesserant. Contra per inferioris Rheni provincias Godefridus Palatinus, Albertus Moguntinus, Fridericus Coloniensis Archiepiscopi, ceterique in eam societatem attracti, infestis armis insurgere in Cæsareanos, urbes eorum, munitiones, castella expugnare & subvertere. Per has Principum factiones & arma civilia, non Cœnobijs, non Collegijs parcitum; florentissimum Fuldense Cœnobium ad extremam inopiam redactum; & barbarum in modum, ut inquit Ursbergensis, à Christianis in Christianos sævitum. Felicior Saxonia, quæ Lotharij Ducis & Saxonum potentia se intactam servabat. Inter has procellas temporum Erckenbertus Corbeiensis Abbas, multique Saxonum, ut è conspectu malorum abirent, in Palæstinam profecti, Hierosolymam adiêre. *Fasti Corbej.*

Tantæ calamitatis tristia non minus prodigia intervenêre; cùm superûm irâ terra horribili motu per Italiam & Germaniam concussa, quo & montes collisi, urbes & Oppida multorum mortalium nece quassata: Unstroti fluminis aqua terræ hiatu absorpta, alveo ad longum spatium & tempus desiccato: insoliti ventorum turbines, tempestates, cum sæva grandine incussa: tremenda ubique tonitrua, crebri elisorum fulminum ictus. Leodij pridie Ascensionis, cùm vespertinæ horæ canerentur, tres Clerici igne cœlesti percussi in templo. Tantus denique terror homines invaserat, ut mente propemodum attoniti novissimam mundi noctem circumspicerent. Quod idem D. Nortbertus denunciasse ferebatur, nisi scelera Cleri & populi corrigerentur. Apud Cremonam infans in cunis, & pannis involutus palam loqui, & edicere auditus, sibi Virginem Mariam oblatam, quæ apud filium supplex intervenerit, ne ob peccata mortalium genus extingueret. *Varia prodigia, extremam calamitatem minantia. Ursberg. Chron. Hild. Dodech. Robert. de monte. Fasti Corb.*

Annus Christi 1118.

Gelasij II Pont. 1.
Henrici V Reg. 13. Imp. 8.
Henrici II Ep. Pad. 29.

At his prodigijs nec Henricus Cæsar, neque Germani schismatici, velut omni calamitatis sensu amisso resipiscere visi; nam cùm post mortem Paschalis Pontificis Gelasius eo nomine secundus è Cardinalium numero subrogaretur, qui jam per multos annos Cancellarij munere functus erat apud Pontificem Paschalem, vir magnarum virtutum, & senio conspicuus; ausus est Cencius Frangipanius armatorum globo stipatus, effractis Basilicæ foribus, Pontificem è solio detractum, calcatumque pedibus, abripere in carceres; donec Optimatum ac populi Romani facto in capitolium impetu, Pontifex è Frangipanij manibus eriperetur. Ijsdem injurijs tractati Cardi- *Ursberg. Pandulphus. Baronius.*

Gelasio Pontif. ritè electo alium Imperator Pseudo-pontificem subrogat.

nales aliquot. Cæsar comperta Paschalis morte, & Gelasij Successoris electione, Romam advolat. Quæ res Gelasium movit ex Patrum consilio, ut ex urbe secundo Tyburc profugeret, insectantibus Germanis (ut è fuga reprehenderent) frustraque è ripa fluminis tela in navim jactantibus. Barbarum hoc erat, si repetantur ea, quæ Francorum Reges, quæ Carolus M. quæ ceteri Christiani Imperatores pro veneratione ac defensione Apostolicæ Sedis fecerunt. At postquam Cæsar didicit elapsum Pontificem, salvumque Cajetam advenisse, Burdinum, gente Hispanum, Pseudopontificem, à quo coronatus erat, Apostolicæ Sedi obtrusit, paternaque impietate schisma in Ecclesia renovavit. At verò ubi Gelasius comperit, Burdinum Pseudopontificem in sedem suam à Cæsare intrusum, literas, quas circulares vocant, ad Galliæ Germaniæque Episcopos dedit, vitandi schismatis causa; Regisque Francorum, aliorumque Principum auxilia imploravit, interque legatos suos misit Cunonem Prænestinum Episcopum in Germaniam. Ipse Pontifex cùm ex consilio Cardinalium, fidorumq; amicorum didicisset, sibi nec Romæ, nec in Italia tutum esse commorari, mense Septembri in Franciam profectus est; ubi pro veteri Francorum in Apostolicam Sedem fide & observantia, honorificentissimè à Ludowico Rege & Episcopis exceptus est.

*Plures Episcopi & Principes ab Imperatore abstrahuntur operâ Cunonis Legati Apostolici.

*Et Cuno Legatus postquam in Germaniam penetravit, Brunonem Trevirensem Archiepiscopum, qui Cæsari in Italia haud vulgarem operam navârat, aliosque Principes ad saniorem mentem revocavit. Extant hac super re præclaræ Cunonis literæ ad Brunonem, jam ex Italia à suis Archidiaconis revocatum ob fœdus, quod illi cum Coloniensi & Moguntino Archiepiscopis, quodque cum Lothario Duce Saxonibusque pepigerant, uti & jam Bruno coram Imperatori exprobrârat turbas, quas in Italia adversus Pontificem concitârat.

Brovver. l. 13. antiq. Trevir.

Studio ejusdem Cunonis conventus Episcoporum indictus Coloniæ.

Ursberg. Gobelin. Brovver. l. 13. annal. Trev.

Igitur Cuno cum horum trium Archiepiscoporum Principumque studia in Pontificem accensa haberet, Coloniæ festis Rogationum diebus celebrem Episcoporum synodum convocavit; ad quam præter alios accessêre Adelgotus Magdenburgensis Archiepiscopus, Henricus Paderbornensis, Halberstadiensis, ceterique Saxoniæ Episcopi. Ea in synodo Imperator communi Episcoporum sententia proscriptus è cœtu Orthodoxorum. Colonia Cuno Legatus Apostolicus in Saxoniam profectus alteram synodum Frislariæ indixit, (quanquam, ut ex Epistola Archidiaconorum Trevirensium ad Brunonem colligas, Corbeiæ etiam per id tempus conventus Principum indictus erat.)

Et Frislariæ, ubi rursum Henricus

Frislariam igitur convenêre ad synodum Albertus Moguntinus, & Fridericus Coloniensis Archiepiscopi: Trajectensis, Monasteriensis, Osnabrugensis, Citizensis, Merseburgensis, Spirensis, Episcopi, quos Gobelin⁹ recensuit, ceteriq;. Ac Monasteriensis haud alius, quàm

Wince-

Winceburgicus esse potuit, quòd Burchardus Schismaticus eorum Episcopus Constantinopolim legatus missus abierat. Hac rursum in synodo sententia anathematis in Henricum Imperatorem,& Idolum ejus Burdinum Pseudopontificem repetita est, decretaq; totius Germaniæ comitia Herbipolim convocanda, in quibus Cæsar præsens causam diceret; sin minus, regno exueretur. Utrique huic synodo Nortbertus interfuit, munus suum docendi Legato Apostolico & Episcopis probaturus; quòd satis intelligeret, neminem eo rite perfungi posse,nisi cum legitima potestate missus esset. Verùm quòd vitia Cleri non minus quàm populi vehementius perstrinxerat, habituque novo incederet, plerosque Episcopos adversos habuit; donec tandem viri synceritate & sanctimonia perspecta, tuba Evangelij,ut S. Bernardus eum vocat,Pontificis & Episcoporum voluntate totam Germaniam personaret. Quod animadvertere velim hæreticos nostros, quorum auctores haud secus quàm Tanchelmus hæresiarcha nulla publica Ecclesiæ auctoritate missi se populo ad turbandam Ecclesiam obtrusêre. Ursbergensis hæc ad sequentem annum gesta refert, cùm tamen hoc anno Nortbertus ex his synodis, media hyeme ac nudis pedibus, in Gallias ad Gelasium Pontificem profectus sit, & publicam docendi potestatem ab eodem Pontifice impetrârit.

excommunicatus.

D. Nortbertus utrique synodo præsens munus prædicandi obtinet.

Inter hæc,ut Gobelinus noster tradit,Burchardus Monasteriensis Episcopus,quem Imperator Constantinopolim direxerat,in via mortuus est. Ac tertio anno post, quod & nos referemus, Monasterium Lothario Duce expugnatum exustumq; est. Mortem Burchardi in legatione Constantinopolitana per id tempus tradidit ante Gobelinum Ursbergensis. Oriundus erat Burchardus ex veteri Holtiorum nobilium familia inter Osnabrugenses,vir præstantis ingenij, & multis naturæ dotibus ornatus,quibus in aula Henrici IV & V. Imperatorum claruerat;eò in multis publicis conventibus & legationibus ejus opera usi Cæsares: quorum favore ac præsidio multa pro Ecclesia sua utiliter præstitit. Nam & aream Basilicæ Paulinæ, quam Campum dominicum ex circumpositis Canonicorum domicilijs vocant, novo firmoq; muro primum inclusit. Urbs quoq; ab eo ampliata,præmunitaq; adversus Comites Arensbergenses & Teclenburgenses,nobilesq; Meinhovelianos Monasteriensibus hactenus infestos; locis deinde novos patronos dedit, Michaelem Archangelum & D.Georgium, quorum in ipso murorum ambitu supraque portam aditus adhuc sacella memoriam operis servant. Inde nomine Mimigardevordiæ, abolito Monasterium appellari cœpit; eòque in omnibus diplomatis & Scriptorum monumentis legitur Burchardus Monasteriensis Episcopus: tametsi jam à celebri Canonicorum Basilica & Collegio id nomen antè invaluerat. Dulmaniam ipse quoque primùm

Gobelin. ætat.6. c.58. Annal. Monast.
Crantzius lib.5. Metrop.c.33.
Ertwinus in Chron. Osnabrug.
Kersenbroch. in catal. Episc. Mon.

Burchardi Ep. Monast. obitus & gesta.

ita præmunijt, ut ei natales suos Oppidum & castrum debeat. Multis præterea possessionibus auxit veterem D. Pauli Canonicorum Ecclesiam, & Collegium, ex quo à Dudone Episcopo Canonici in novam Basilicam & Collegium Cathedrale translati erant, veteri prope Collegio obscurato & attenuato, Mauritianum Collegium Canonicorum extra muros ita porticu, sacello, & bonis locupletavit, ut post Fridericum & Erponem alter conditor sit habitus. Hæc atque alia in Burchardo præclara, quæ una schismatis labes, in quo ad obitum hæsisse creditur, multum contaminavit. Cadaver peregre extinctum fertur Monasterium deportatum, & in S. Mauritij Ecclesia conditum, cujus tamen rei nulla vestigia supersunt. Inde jam Theodoricus Winceburgicus, quem errore nominis Ursbergensis Henricum vocat, pleno certoque jure post sublatum æmulum Episcopatum adijt.

Mors Godeschalci Ep. Osnabrug. Mense Decembri post Burchardum ex Saxoniæ Episcopis hoc anno obijt Godeschalcus XXII Episcopus Osnabrugensis. Præsul hic è nobili Diepholtiorum familia, & è Præposito Mindensi delectus erat, octoque annos gesserat Episcopatum præclara cum laude; eòque etiam commendatur, quòd Orthodoxorum partes secutus, Frislariensi, ut diximus, synodo interfuerit. Tumulum delegit Jburgi in Cœnobij Ecclesia; quod ille Monachos beneficijs & largitionibus sibi demeruerat.

Henricus Episc. Conventum quorundam Comitum Paderbornæ instituit. Per id tempus Henricus quoque Episcopus noster è Comitum Werlensium familia, quatuor Comitum & duorum Tribunorum congressum habuit Paderbornæ, in quo simul donationem, Hamakoni Abdinghoviano Abbati ejusque Cœnobio factam, Episcopi auctoritate ratam habuit, præsente Friderico, Widekindo, Theodorico, Elpone Comitibus, multisque nobilibus, quos in concilium evocârat, & Lothario Duci in fidem collegerat adversus Imperatoriam factionem.

Annus Christi 1119.

Callisti II Pont. 1.
Henrici V Regis 14. Imp. 9.
Henrici II Ep. Pad. 30.

Ordines Templariorum, Hospitalariorum, & Teutonicorum instituuntur. Referunt ad hunc annum mortem Balduini Hierosolymitani Regis, in cujus locum sublectus Balduinus alter prioris affinis. Tres præterea religiosorum ordines in Palæstina exorti. Templariorum equitum, auctore Hugone & Godefrido, qui nomen inde sortiti, quòd in palatio regio ad templum Hierosolymitanum excubarent, ad peregrinos tutò deducendos propugnandosque. Hospitalariorum D. Joannis, quorum institutum erat peregrinos hospitio suscipere. Teutonicorum à Germanis institutus ordo, qui utrumque munus mixto

mixto vitæ genere complexi ad excipiendos peregrinos, tuendosq; Christianos. Latè hi ordines per Galliam, Germaniam, & Saxoniam nostram postea propagati, magno Ecclesiæ bono floruerunt.

Gelasio Pont. mortuo substituitur Calistus II, quod male habet Imperatorem.

Nondum per hæc Germania eluctari poterat ex civilium bellorum fluctibus. Enimvero Gelasio sub initium anni hujus MCXIX in Gallijs mortuo, electus est Guido Viennensis Archiepiscopus, regij sanguinis & S. R. E. Cardinalis, ob præclara in Ecclesiam merita, qui Callistus eo nomine II. appellatus; ac Gregorio VII ceterorumque inde Pontificum instituto, jura Romanæ Ecclesiæ adversus Imperatorem tutanda suscepit. At postquam Jmperatori hæc renunciata sunt in Jtalia degenti, nullamque Jdoli sui Burdini habitam rationem: simulque didicit, quæ per Cunonem Legatum Coloniæ & Frislariæ in conventu Episcoporum ac Principum acta erant; repente in Germaniam advolat, & omnes latè provincias direptionibus, cœdibus, & incendijs fœde miscet. Quibus cùm malorum vulnera recrudescerent magis, quàm sanarentur, ad mitiora consilia à suis deductus Cæsar, obtulit Triburiæ conventum, in quo de Republica & concordia ageretur. Eò accessit Imperator, multique Principes Germaniæ festo Apostolorum Petri & Pauli. Aderant & Legati Apostolici à Calisto missi. Henricus ut animos Principum sibi conciliaret, jussit per totum regnum bona, & possessiones hisce bellis interversas suis dominis restitui: Legatis Pontificum spopondit se Rhemos ad concilium venturum, in quo ex Episcoporum & Principum judicio Ecclesiæ reconciliaretur. Spem etiam fecit se investituras, scopulum omnium discordiarum, remissurum; sed fallacia hæc tantùm verba comperta sunt, cùm in conventu Mosomiensi promissorum fides posceretur ab Imperatore.

Ursberg. Robertus de monte. Dodechin. Pandulphus. Baronius. Tom. X concil. Paris. recent. edit. Binius in not. Hesso Schol. à Tennagelio editus.

Concilium Rhemense, in quo Henricus Imp. & Burdinus Pseudopont. excommunicati.

Quare Pontifex Rhemos ad concilium processit; ad quod Archiepiscopi XV, & plus quàm CC Episcopi, præter Cardinales, Abbates, ducentosque præsules accessere ex Italia, Gallia, Germania, Hispania, Britannia. E Germania Moguntinus quingentorum militum globo stipatus, VII secum Episcopos adduxit. Interfuit & Ludowicus Galliarum Rex. Magna celebritate hæc synodus peracta; in eaque damnata simoniaca hæresis: proscriptæ investituræ per Laicos factæ: renovatæ decretæ pœnæ in concubinatus Clericorum, multaque alia salubriter constituta sunt. Ibi cùm Albertus Moguntinus, Fridericus Coloniensis, & Conradus Salisburgensis Archiepiscopi gravissimis querelis invecti essent in Cæsarem, Pontifex accensis extinctisque totidem cereis, quot Patres eo in consessu præsentes erant, in Henricum Cæsarem, & Burdinum Pseudopontificem anathematis sententiam pronunciavit.

Hesso Scholasticus. Sugerius in Ludovvic. Rogerius in Annal. Angl. Genebrardus in Chron. Trithem. in

Accessit ad hanc Rhemensem synodum Nortbertus, omniumque Episcoporum oculos in se convertit, postquam jam Apostolicus

ejus

Chron. Hirsaug. Platina in Callisto.

ejus spiritus, mirifici laboris fructus, & vitæ sanctimonia cognita erant; plenaque docendi potestate à Callisto etiam Pontifice accepta, commendatus est Laudunensi Episcopo, in cujus diœcesi locus ille desertus, quem Præmonstratum dixêre, datus est ad culturam, in quo prima ordinis & nominis fundamenta jecit.

Variæ in Ecclesijs German. turbæ ab Henrico Imp. excitatæ.

At postquam Cæsar didicit, quæ in Rhemensi synodo adversus se pronunciata essent, iram in Pontificem, arma in Episcopos vertit; cœpitque fœdum patris schisma recrudescere; successêre & civilium dissidiorum mala, Episcoporum proscriptiones, piorum exilia, sacrorum violatio, seditiones, ac populationes agrorum; Colonienses, quòd Henricum Imperatorem omni honoris genere excepissent, à Friderico Archiepiscopo sacris interdicti. Turbata Leodiensis Ecclesia, in qua post Oberti mortem Cæsar, reluctante Cathedrali Collegio, obtruserat Alexandrum Gerhardi Juliæ Comitis filium, quem Godefridus Lotharingiæ Dux à fœderatis ad Henricum desciscens per vim induxerat. Alexander cùm Coloniam ad synodum sæpius vocatus se non sisteret, facta est Clero potestas eligendi alium, à quo Fridericus Godefridi Namurci Comitis filius cooptatus in Episcopum.

Dithmarus Ep. Osnab. rite electus non patitur è sede sua se depelli.

Eadem conturbatio in Ecclesia Osnabrugensi suborta post Godeschalci, ut diximus, obitum. Electus est à Clero pro veteri jure Dithmarus; quo ejecto, Henricus Imperator intrusit Conradum Hildesheimensem Præpositum, cujus patrocinium, intentatis armis, suscepit Fridericus Arensbergensis Comes, qui à fœdere Saxonum ad Cæsaris partes transierat, qua ex causa incertum. At Clerus, & Ministeriales, & Oppidorum incolæ pro Dithmaro arma sumpserunt, suumque præsulem Coloniam deduxêre ad Fridericum Archiepiscopum, à quo Dominica Palmarum (anno reor proximo) consecratus Episcopus. Tum verò Arensbergensis barbarum in modum grassari, spolijs, & incendijs per Osnabrugensem diœcesin. Haud segnior Dithmarus, arma suorum clientum vicinorumque Saxonum collegit; quibus instructus, Arensbergensem aggressus justo prœlio vicit, quo & Godeschalcus Diepholtus inter Arensbergenses milites occubuit. Bellum id in quinquennium extractum est, ac morte demum Arensbergensis abruptum. Inde Dithmaro quieta Episcopatus possessio fuit, Conrado nudum tantummodo nomen Episcopi relictum.

Moritur Adelgotus Archiep. Magdenburg. cui succedit Rutgerus. Dodechin. Ursberg.

Mors hoc anno è Saxonibus Episcopis subtraxit Adelgotum Magdenburgensem Archiepiscopum, virum magna liberalitate in pauperes, & religione in Deum, decus Saxoniæ, ob constantiam erga Sedem Apostolicam, qui fidus semper Catholicorum fœderi adhæsit. Genere hunc Comitem de Loe tradunt: ut ex ejusmodi illustribus familijs plerique Saxoniæ Episcopi per id tempus delecti adversus insolentiam potentiorum. Subrogatus illi electione Cleri Rutgerus è nobili Veltheimorum familia, pari constantia præsul, qui

qui neglecto Imperatore, institutionem à Legato Apostolico adeptus est. *Chron. Magdenb.*

Annus Christi 1120.

Callisti II Pont. 2.
Henrici V Reg. 15. Imp. 10.
Henrici II Ep. Pad. 31.

Enimvero, quod ad insequentis hujus anni narrationem refert Ursbergensis, Imperator postquam Natalem Christi Wormatiæ celebrasset, invitatus à Friderico Arensbergensi Comite Saxoniam ingreditur. Verùm Episcopi ac Principes Saxoniæ, qua erant religione erga Sedem Apostolicam, omnem cum Cæsare, extra societatem piorum proscripto, congressum subterfugêre: nullus illi honor, nulla aulæ obsequia delata; nec ausus est gentem lacessere, quàm ipse & pater toties cladibus infestam experti erant: in qua per id tempus Lotharius regiam potentiam obtinebat, omnesque Episcopos ac proceres uno secum fœdere conjunctos trahebat. Quare abjectus & inglorius per Rhenum in Lotharingiam redijt, ubi nonnullis quidem acceptus, plerisque tamen invisus erat. Et Saxones Rempublicam inter se componentes frequentes conventus habuêre, in quibus sublatis dexteris fides jurata, lites ac dissenssiones compositæ, fœdus adversus quoslibet hostes firmatum, prædæ & latrocinia punita: tanquam ad veterem aristocratiæ formam Saxonia redijsset. Postremum ipsos Cæsareanos, qui Thuringiam vastabant, in castellum Wassenburgum compulsos, & inopia rerum afflictos deditosque ejecêre. Confirmati præterea literis Pontificis sacram non minus Rempub. ordinabant, imponendo vacuis Episcoporum sedibus, qui à Clero electi erant, exturbando, quos Imperator Schismaticos obtruserat. Quam in rem Alberto Moguntino Archiepiscopo, qui apud Saxones ab Imperatore ejectus exulabat, datum Legati Apostolici munus, à quo Episcopi introducti & consecrati sunt. Nulla in his publicis negotijs Imperatoris auctoritas memorata. Hunc in modum Ursbergensis. Verùm auctor Chronici Hildesimensis ad hunc annum: Dux Luitgerus, inquit, Fridericus Palatinus, Comes Rodolphus, & plures alij Imperatori reconciliantur Goslariæ; quod haud aliter factum fuerit, quàm ut ipse Cæsar prius se cum Pontifice & Ecclesia reconciliaret; eò quòd majori religionis vinculo Apostolicæ Sedi, quàm proscripto ab eo Cæsari hærere se profiterentur.

Ursberg. Chron. Hild. litera Abdingh.

Saxonum cura pro Repub. & Ecclesijs bene ordinandis.

Grata præterea ex hoc anno memoria Henrici Episcopi nostri, qui pro augmento pietatis collapsam B. Virginis Ecclesiam in Atlon dedit Hamakoni Abbati Abdinghoviano reparandam; quo in loco ampla post parochia populique cœtus collectus, uti hæ tabulæ ostendent, quibus vetus simul Malsburgiorum nobilium familia, hodiedum ex hac stirpe propagata, commonstratur.

Henricus Ep. Pad. jubet Ecclesiam in Atlen ab Hamakone Abbate reparari.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus Dei gratia Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopus. Noverit omnium fidelium Christi tam præsentium quam futurorum universitas, qualiter Ecclesia, quæ est in Atlon, venerit in proprietatem Patherbrunnensis Cœnobii. Antiquiores nostri dixerunt ibidem quondam fuisse congregationem in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ coadunatam, in cujus honore eadem basilica est dedicata; nunc verò peccatis hominum, ut putatur, exigentibus vix parva quædam vestigia dinosci possunt. Unde Dominus Hamako venerabilis Patherbrunnensis Cœnobii Abbas temporalibus rebus pro subditorum necessitatibus explendis sedulò deditus beatæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ amore provocatus, et fratrum et fidelium suorum consilio et auxilio animatus, Bernhardum Comitem fratrem Volcoldi de Malesburg, cui propria fuit Ecclesia, cum amicis suis adiit, et conventionem cum eo faciens sedecim ei marcas spopondit, qui veniens cum herede suo unico scilicet filio nomine Amulungo tradidit Ecclesiæ Beatorum Petri et Pauli in Patherbrunnon ipsam Ecclesiam cum agris et mancipiis, pascuis et pratis, et cum omnibus attinentiis, Widikindo advocato Ecclesiæ astante, et cum Abbate et fratribus suscipiente, Abbate autem memoratum argentum persolvente rursum venit prædictus Comes Bernhardus in placitum memorati Widikindi advocati, et hanc traditionem laudavit, stabilivit et firmavit legitimo herede suo unico filio astante, laudante, atque una tradente. Unde nos supernæ remunerationis intuitu, ac præfati Abbatis et fratrum suorum rogatu ipsam Ecclesiam cum omnibus suis appenditiis, acquisitis seu acquirendis nostra pontificali auctoritate Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Petri et Pauli in Patherbrunnon confirmamus et corroboramus æterna ferientes maledictione omnem hominem, qui quemlibet Abbatem et fratres ipsius Monasterii super hac inquietare, molestare, aut divestire præsumpserit. Ut autem hæc confirmationis nostræ auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, paginam hanc inde conscriptam sigillo nostro insigniri fecimus. Hujus traditionis et confirmationis testes sunt tam Canonici, quam Monachi, Laici vero Thiederic de Vorde, Erpo, Wezelus, Uffo, Hugo, Heinric, Liudold, Athelbero, Altman, Folbrath, Altmar, Frithemar, Welciko, Sigebodo, Sibrath, Warmund, Sibrath, Reinzo, Filbrath, Gerlac, Godescalc, Conrad. L. S. *Acta sunt hæc in Balbornon XIIII Kal. Decemb. Anno ab Incarn. D.M.C.XX. Indict. II. regnante vero Henrico Imperatore.*

Annus Christi 1121.

Callisti II Pont. 3.
Henrici V Reg. 16. Imp. 11.
Henrici II Ep. Pad. 32.

Ursberg. Chron. Hildes. Robert. de monte. Gobelin. Stadensis.

Volvebatur adhuc inter fluctus suos totum Imperium ex schismate Cæsaris, sed ubique prævalentibus Orthodoxis, quorum potentia Cæsar ubique oppressus jacebat. Romæ & per Italiam Callistus Pontifex, postquam incredibili gaudio, & omnium Principum studio,

ſtudio, in Petri ſolio collocatus erat, Burdinum Pſeudopontificem urbe depulſum, ac Sutrij hærentem, obſidione cingit, expugnatoque Oppido, in poteſtatem accipit. Captum milites vervecina pelle intectum, verſaque in caudam fronte, camelo impoſitum Romam infami ſpectaculo deduxêre. Ægre Pontifex inter populi ludibria & maledicta à nece ſervavit, dum in Campaniam ad perpetuum carcerem, attonſus in Monachum, traheretur. Hac ipſa Idoli ſui infamia haud leviter notatus Cæſar in majorem apud Germanos contemptionem venit. Et jam Albertus Moguntinus & Fridericus Colonienſis Archiepiſcopi, juncto cum Saxonibus fœdere, univerſam inferioris Germaniæ gentem Romanæ Eccleſiæ conciliârant, armarantque in ſchiſmaticum Cæſarem.

Burdinus Pſeudopontifex captus ad perpetuos carceres damnatur.

Per hunc Saxonum dominatum Lotharius eorum Dux ultus eſt Monaſterienſium injurias, à quibus Theodoricus Epiſcopus ſuperiori anno ejectus erat. Auſi id facinus cives, & Miniſteriales, conſpiratione cum ſchiſmatico Imperatore & Friderico Arensbergenſi Comite, homine ferocis ingenij, cui ludus erat, ut quidam ſcribit, inſultare Eccleſiaſticis viris; hærebatque Burchardus ſchiſmaticus Epiſcopus ex longo imperio & magna conjunctione in animis civium. At Lotharius Dux eo incitatior ad urbis caſtigationem, quòd ante annum in fidem Saxonum metu armorum adducti, eam rurſum violaſſent; quòdque Theodoricus ex Winceburgicorum Comitum familia ſibi conſanguineum haberet, fratremque Hermannum Comitem Winceburgicum tot annis ſecum militantem adverſus Cæſarem, agereturque communis in hoc Saxonum ex fœdere cauſa, quo convenerat, expulſis ſchiſmaticis Epiſcopis, Orthodoxos & à Clero electos ſedibus ſuis per univerſam Saxoniam imponere. Quare pronis omnium Saxonum animis & viribus obſidionem aggreſſus eſt, quæ hoc anno urbi in ſui propè excidio fatalis fuit. Tres eorum temporum Scriptores hanc commemorant, quos inter Robertus de monte. *Major*, inquit, *Eccleſia Monaſterienſis, eò quod Epiſcopum repudiaſſet, ab ipſo Epiſcopo et Duce Saxoniæ cum tota civitate exuritur.* Auctor Chronici Hildeſimenſis, qui ſub hæc tempora ſcripſit. *Dux Luitgerus, et Comes Hermannus de Winceburg cum numeroſa, et forti manu vadunt pro reſtituendo Theodorico Epiſcopo, in qua reſtitutione inpante templum S. Pauli nobiliter conſtructum incendio conflagravit cum omni pene urbis loco. Prædictus Dux fere omnes urbis defenſores, tam nobiles quàm miniſteriales captos abducit. His actis Dulmine Urbem munitam in deditionem accepit.* At ceteris explicatius Urſbergenſis Abbas. *Anno Domini 1121 Henricus Epiſcopus* (Thedoricum dicere debebat) *qui Burchardo Ruſo dudum in legatione Henrici Imperatoris apud Conſtantinopolim defuncto per electionem Eccleſiaſticam in Cathedram Monaſterienſem ſucceſſerat, à ſuis indignè tractatus, Saxonicis Principibus querimoniam ſuam inju-*

Urbis Monaſterienſis excidium, ob ſchiſma & injurias ſuo Epiſcopo illatas.

Auctor vitæ Godefridi Cappenberg.

Chron. Hirsaug. Platina in Callisto.

ejus spiritus, mirifici laboris fructus, & vitæ sanctimonia cognita erant; plenaque docendi potestate à Callisto etiam Pontifice accepta, commendatus est Laudunensi Episcopo, in cujus diœcesi locus ille desertus, quem Præmonstratum dixêre, datus est ad culturam, in quo prima ordinis & nominis fundamenta jecit.

Variæ in Ecclesijs German. turbæ ab Henrico Imp. excitatæ.

At postquam Cæsar didicit, quæ in Rhemensi synodo adversus se pronunciata essent, iram in Pontificem, arma in Episcopos vertit; cœpitque fœdum patris schisma recrudescere; successêre & civilium dissidiorum mala, Episcoporum proscriptiones, piorum exilia, sacrorum violatio, seditiones, ac populationes agrorum; Colonienses, quòd Henricum Imperatorem omni honoris genere excepissent, à Friderico Archiepiscopo sacris interdicti. Turbata Leodiensis Ecclesia, in qua post Oberti mortem Cæsar, reluctante Cathedrali Collegio, obtruserat Alexandrum Gerhardi Juliæ Comitis filium, quem Godefridus Lotharingiæ Dux à fœderatis ad Henricum desciscens per vim induxerat. Alexander cùm Coloniam ad synodum sæpius vocatus se non sisteret, facta est Clero potestas eligendi alium, à quo Fridericus Godefridi Namurci Comitis filius cooptatus in Episcopum.

Dithmarus Ep. Osnab. rite electus non patitur è sede sua se depelli.

Eadem conturbatio in Ecclesia Osnabrugensi suborta post Godeschalci, ut diximus, obitum. Electus est à Clero pro veteri jure Dithmarus; quo ejecto, Henricus Imperator intrusit Conradum Hildesheimensem Præpositum, cujus patrocinium, intentatis armis, suscepit Fridericus Arensbergensis Comes, qui à fœdere Saxonum ad Cæsaris partes transierat, qua ex causa incertum. At Clerus, & Ministeriales, & Oppidorum incolæ pro Dithmaro arma sumpserunt, suumque præsulem Coloniam deduxêre ad Fridericum Archiepiscopum, à quo Dominica Palmarum (anno reor proximo) consecratus Episcopus. Tum verò Arensbergensis barbarum in modum grassari, spolijs, & incendijs per Osnabrugensem diœcesin. Haud segnior Dithmarus, arma suorum clientum vicinorumque Saxonum collegit; quibus instructus, Arensbergensem aggressus justo prœlio vicit, quo & Godeschalcus Diepholtus inter Arensbergenses milites occubuit. Bellum id in quinquennium extractum est, ac morte demum Arensbergensis abruptum. Inde Dithmaro quieta Episcopatus possessio fuit, Conrado nudum tantummodo nomen Episcopi relictum.

Moritur Adelgotus Archiep. Magdenburg. cui succedit Rutgerus.

Dodechin. Ursberg.

Mors hoc anno è Saxonibus Episcopis subtraxit Adelgotum Magdenburgensem Archiepiscopum, virum magna liberalitate in pauperes, & religione in Deum, decus Saxoniæ, ob constantiam erga Sedem Apostolicam, qui fidus semper Catholicorum fœderi adhæsit. Genere hunc Comitem de Loe tradunt: ut ex ejusmodi illustribus familijs plerique Saxoniæ Episcopi per id tempus delecti adversus insolentiam potentiorum. Subrogatus illi electione Cleri Rutgerus è nobili Veltheimorum familia, pari constantia præsul, qui

qui neglecto Imperatore; institutionem à Legato Apostolico adeptus est. *Chron. Magdenb.*

Annus Christi 1120.

Callisti II Pont. 2.
Henrici V Reg. 15. Imp. 10.
Henrici II Ep. Pad. 31.

Enimvero, quod ad insequentis hujus anni narrationem refert Ursbergensis, Imperator postquam Natalem Christi Wormatiæ celebrasset, invitatus à Friderico Arensbergensi Comite Saxoniam ingreditur. Verùm Episcopi ac Principes Saxoniæ, qua erant religione erga Sedem Apostolicam, omnem cum Cæsare, extra societatem piorum proscripto, congressum subterfugêre: nullus illi honor, nulla aulæ obsequia delata; nec ausus est gentem lacessere, quàm ipse & pater toties cladibus infestam experti erant: in qua per id tempus Lotharius regiam potentiam obtinebat, omnesque Episcopos ac proceres uno secum fœdere conjunctos trahebat. Quare abjectus & inglorius per Rhenum in Lotharingiam redijt, ubi nonnullis quidem acceptus, plerisque tamen invisus erat. Et Saxones Rempublicam inter se componentes frequentes conventus habuêre, in quibus sublatis dexteris fides jurata, lites ac dissensiones compositæ, fœdus adversus quoslibet hostes firmatum, prædæ & latrocinia punita: tanquam ad veterem aristocratiæ formam Saxonia redijsset. Postremum ipsos Cæsareanos, qui Thuringiam vastabant, in castellum Wassenburgum compulsos, & inopia rerum afflictos deditosque ejecêre. Confirmati præterea literis Pontificis sacram non minus Rempub. ordinabant, imponendo vacuis Episcoporum sedibus, qui à Clero electi erant, exturbando, quos Imperator Schismaticos obtruserat. Quam in rem Alberto Moguntino Archiepiscopo, qui apud Saxones ab Imperatore ejectus exulabat, datum Legati Apostolici munus, à quo Episcopi introducti & consecrati sunt. Nulla in his publicis negotijs Imperatoris auctoritas memorata. Hunc in modum Ursbergensis. Verùm auctor Chronici Hildesimensis ad hunc annum: Dux Luitgerus, inquit, Fridericus Palatinus, Comes Rodolphus, & plures alij Imperatori reconciliantur Goslariæ; quod haud aliter factum fuerit, quàm ut ipse Cæsar prius se cum Pontifice & Ecclesia reconciliaret; eò quòd majori religionis vinculo Apostolicæ Sedi, quàm proscripto ab eo Cæsari hærere se profiterentur.

Ursberg. Chron. Hild. litera Abdingh.

Saxonum cura pro Repub. & Ecclesijs bene ordinandis.

Grata præterea ex hoc anno memoria Henrici Episcopi nostri, qui pro augmento pietatis collapsam B. Virginis Ecclesiam in Atlon dedit Hamakoni Abbati Abdinghoviano reparandam; quo in loco ampla post parochia populique cœtus collectus, uti hæ tabulæ ostendent, quibus vetus simul Malsburgiorum nobilium familia, hodiedum ex hac stirpe propagata, commonstratur.

Henricus Ep. Pad. jubet Ecclesiam in Atlen ab Hamakone Abbate reparari.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Heinricus Dei gratia Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopus. Noverit omnium fidelium Christi tam præsentium quam futurorum universitas, qualiter Ecclesia, quæ est in Atlon, venerit in proprietatem Patherbrunnensis Cœnobii. Antiquiores nostri dixerunt ibidem quondam fuisse congregationem in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ coadunatam, in cujus honore eadem basilica est dedicata; nunc verò peccatis hominum, ut putatur, exigentibus vix parva quædam vestigia dinosci possunt. Unde Dominus Hamako venerabilis Patherbrunnensis Cœnobii Abbas temporalibus rebus pro subditorum necessitatibus explendis sedulò deditus beatæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ amore provocatus, et fratrum et fidelium suorum consilio et auxilio animatus, Bernhardum Comitem fratrem Volcoldi de Malesburg, cui propria fuit Ecclesia, cum amicis suis adiit, et conventionem cum eo faciens sedecim ei marcas spopondit, qui veniens cum herede suo unico scilicet filio nomine Amulungo tradidit Ecclesiæ Beatorum Petri et Pauli in Patherbrunnon ipsam Ecclesiam cum agris et mancipiis, pascuis et pratis, et cum omnibus attinentiis, Widikindo advocato Ecclesiæ astante, et cum Abbate et fratribus suscipiente, Abbate autem memoratum argentum persolvente rursum venit prædictus Comes Bernhardus in placitum memorati Widikindi advocati, et hanc traditionem laudavit, stabilivit et firmavit legitimo herede suo unico filio astante, laudante, atque una tradente. Unde nos supernæ remunerationis intuitu, ac præfati Abbatis et fratrum suorum rogatu ipsam Ecclesiam cum omnibus suis appenditiis, acquisitis seu acquirendis nostra pontificali auctoritate Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Petri et Pauli in Patherbrunnon confirmamus et corroboramus æterna ferientes maledictione omnem hominem, qui quemlibet Abbatem et fratres ipsius Monasterii super hac inquietare, molestare, aut divestire præsumpserit. Ut autem hæc confirmationis nostræ auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, paginam hanc inde conscriptam sigillo nostro insigniri fecimus. Hujus traditionis et confirmationis testes sunt tam Canonici, quam Monachi, Laici vero Thiederic de Vorde, Erpo, Wezelus, Uffo, Hugo, Heinric, Liudold, Athelbero, Altman, Folbrath, Altmar, Frithemar, Welciko, Sigebodo, Sibrath, Warmund, Sibrath, Reinzo, Filbrath, Gerlac, Godescalc, Conrad. L. S. Acta sunt hæc in Balbornon XIIII Kal. Decemb. Anno ab Incarn. D. M.C.XX. Indict. II. regnante vero Henrico Imperatore.

Annus Christi 1121.

Callisti II Pont. 3.
Henrici V Reg. 16. Imp. 11.
Henrici II Ep. Pad. 32.

Ursberg. Chron. Hildes. Robert. de monte. Gobelin. Stadensis.

Volvebatur adhuc inter fluctus suos totum Imperium ex schismate Cæsaris, sed ubique prævalentibus Orthodoxis, quorum potentia Cæsar ubique oppressus jacebat. Romæ & per Italiam Callistus Pontifex, postquam incredibili gaudio, & omnium Principum studio,

studio, in Petri solio collocatus erat, Burdinum Pseudopontificem urbe depulsum, ac Sutrij hærentem, obsidione cingit, expugnatoque Oppido, in potestatem accipit. Captum milites vervecina pelle intectum, versaque in caudam fronte, camelo impositum Romam infami spectaculo deduxêre. Ægre Pontifex inter populi ludibria & maledicta à nece servavit, dum in Campaniam ad perpetuum carcerem, attonsus in Monachum, traheretur. Hac ipsa Idoli sui infamia haud leviter notatus Cæsar in majorem apud Germanos contemptionem venit. Et jam Albertus Moguntinus & Fridericus Coloniensis Archiepiscopi, juncto cum Saxonibus fœdere, universam inferioris Germaniæ gentem Romanæ Ecclesiæ conciliârant, armarantque in schismaticum Cæsarem.

Burdinus Pseudopontifex captus ad perpetuos carceres damnatur.

Per hunc Saxonum dominatum Lotharius eorum Dux ultus est Monasteriensium injurias, à quibus Theodoricus Episcopus superiori anno ejectus erat. Ausi id facinus cives, & Ministeriales, conspiratione cum schismatico Imperatore & Friderico Arensbergensi Comite, homine ferocis ingenij, cui ludus erat, ut quidam scribit, insultare Ecclesiasticis viris; hærebatque Burchardus schismaticus Episcopus ex longo imperio & magna conjunctione in animis civium. At Lotharius Dux eo incitatior ad urbis castigationem, quòd ante annum in fidem Saxonum metu armorum adducti, eam rursum violassent; quòdque Theodoricus ex Winceburgicorum Comitum familia sibi consanguineum haberet, fratremque Hermannum Comitem Winceburgicum tot annis secum militantem adversus Cæsarem, ageretur que communis in hoc Saxonum ex fœdere causa, quo convenerat, expulsis schismaticis Episcopis, Orthodoxos & à Clero electos sedibus suis per universam Saxoniam imponere. Quare pronis omnium Saxonum animis & viribus obsidionem aggressus est, quæ hoc anno urbi in sui propè excidio fatalis fuit. Tres eorum temporum Scriptores hanc commemorant, quos inter Robertus de monte. *Major*, inquit, *Ecclesia Monasteriensis, eò quod Episcopum repudiasset, ab ipso Episcopo et Duce Saxoniæ cum tota civitate exuritur.* Auctor Chronici Hildesimensis, qui sub hæc tempora scripsit. *Dux Luitgerus, et Comes Hermannus de Winceburg cum numerosa, et forti manu vadunt pro restituendo Theodorico Episcopo, in qua restitutione incautè templum S. Pauli nobiliter constructum incendio conflagravit cum omni penè urbis loco. Prædictus Dux fere omnes urbis defensores, tam nobiles quàm ministeriales captos abducit. His actis Dulmine Urbem munitam in deditionem accepit.* At ceteris explicatius Ursbergensis Abbas. *Anno Domini 1121 Henricus Episcopus* (Thedoricum dicere debebat) *qui Burchardo Ruso dudum in legatione Henrici Imperatoris apud Constantinopolim defuncto per electionem Ecclesiasticam in Cathedram Monasteriensem successerat, à suis indignè tractatus, Saxonicis Principibus querimoniam suam inju-*

Urbis Monasteriensis excidium, ob schisma & injurias suo Episcopo illatas.

Auctor vitæ Godefridi Cappenberg.

riarum detulit. Et quia vir illustris natu, et virtutibus famosus extitit, per Lotharium Ducem congregato exercitu, sedem suam etiam contra Regis voluntatem repetit. Contigit autem occulto Dei judicio, dum inimicas acies videndo cives terrentur, ac pro imminenti periculo singuli sua molirentur, casas aliquot incaute succendi, paulatimque dominante flamma etiam basilicam majorem, quæ sedes erat illius Ecclesiæ, funditus comburi. Sic quoque miserabili potiti victoria, Pontificem pulsum restituunt, multam autem pecuniam ad restaurationem Ecclesiæ conferunt: interpretantes nonnulli causam tanti excidii non esse, nisi quod defuncti præsulis Burchardi, qui multa illic ex iniquitate comportasset, oblatio manifestaretur Deo non placuisse. Multis quoque hoc urbis excidium, quod VI Maji, festo D. Joannis ante portam latinam, accidisse volunt, descripsit Crantzius; quemadmodum & fasti eorum cum Wittio, alijsque Scriptoribus; quanquam urbs tum nondum in eam, qua conspicitur, amplitudinem excreverat; præter eam partem, quæ trans Alpham fluvium veteri & ampla parochia celebrique illo Virginum Monasterio continetur, in qua annales eorum tradunt templum D. Ludgeri servatum ab incendio, ædes nimirum sacra, quæ grandi turri adjacet, & ipsa ex turri veteri formata, in qua guttæ, quæ ex naribus D. Ludgeri post obitum stillârunt, adhuc servantur. Cetera omnia templa cum urbe in unum bustum convoluta consedêre. Quam vindicis Dei pœnam verisimilius referas in schismatis pertinaciam, qua ausi cives nobiles & ministeriales Episcopum suum & orthodoxum pastorem, virum tot virtutibus spectabilem, & rite Apostolici Legati auctoritate introductum, rursum ex urbe ejicere, quem jam ante tot annorum injurijs male tractârant. Lotharius Dux, qua insigni erat religione in Deum, palam contestatus est dolorem ex incendij ruina, quæ nullo suo dolo malove mentis acciderat. Quapropter omnem pecuniam, ex captivorum nobilium & ministerialium redemptione collectam, in templorum & urbis instaurationem ultro convertit; ut quorum culpâ acciderant, eorum pretio compensarentur. Exinde majori etiam caritate Theodoricus Episcopus omnes in gratiam recepit: omniumque injuriarum immemor, nihil impensius habuit, quàm ut ædes sacras urbemque pristino splendori, & quieti restitueret. Lotharius Dux postquam expugnata etiam Dulmania omnem diœcesin in obsequium composuisset, in Saxoniam regreditur, animumque & militem ad graviores Reipublicæ curas convertit. Enimvero Henricus Cæsar exacerbatus adversus Moguntinos eorumque Archiepiscopum Albertum, validum quem in Alsatia & superiori Germania contraxerat exercitum, Moguntiæ sub exitum Junij admovere cœpit. Ea postquam Alberto Moguntinorum Archiepiscopo, qui apud Saxones Apostolici Legati munere exul fungebatur, renunciata sunt, nihil ille sollicitius habuit, quàm Saxonum opem implorare. Et

Crantz. in Saxon. lib. 5. c. 41.

Henricus Imp. bello Archiep. Moguntin. ejusque diœcesin aggreditur.

prompti ex fœdere ad auxilium Saxones; cumprimisque Lotharius Dux exercitum, quo urbem Monasteriensem subegerat, Westfalorum ceterorumque Saxonum copijs auctum, ad superiorem Rheni ripam adversus Cæsarem producit in campum. Accendebat Episcoporum ac Principum per Saxoniam animos, quòd Spirensis, Wormatiensis, alijque præsules à Cæsare sedibus suis ejecti, extorres desertique omni mortalium ope oberrarent; metusque erat, si hæc Cæsari procederent, ne totam Saxoniam, patris exemplo, schismaticis Episcopis turbaret. Quam in rem per totam Saxoniam indictæ publicæ preces ab Episcopis, jejunia, supplicationes, litaniæ. Jam Cæsaris & Saxonum exercitus in mutuum conspectum ad Moguntiam venerant, stabantque castra castris opposita, ex quibus utrimque itum in præliantium acies. Ibi cùm legiones classicum pugnæ operirentur, intercessêre nonnulli principes viri, progressique in medium, per colloquia iras mitigarunt; quòd dicerent per civilia bella & arma sat sanguinis jam fusum; nec belli causam hîc aliam esse, quæ non prius consilijs quàm armis transigi debeat. Quibus & Cæsar permotus, belli pacisque arbitrium permisit duodecim viris, consensu delectis. Indicta eam in rem ad III Calend. Octobris Herbipoli comitia, ad quæ Henricus Cæsar cum numeroso comitatu venit. Nec minore apparatu accessêre Lotharius Dux, & Albertus Moguntinus cum alijs Episcopis & Regni Principibus. Castris ad Wernam itinere unius diei ab urbe positis, dataque fide publica, post triduum à Cæsare extra urbem & populi concurrentis multitudinem sunt excepti admissique ad tractandum. Tum verò intra unam hebdomadam, qua continuis diebus est consultatum, omnis illa controversia inter regnum & sacerdotium composita, conventumque in has pacis leges. Omnes capitis periculo pacem colant. Quæ regalia & Fisci sunt, regno salva maneant. Ecclesijs sua jura & bona serventur integra; quæ adempta sunt, reddantur. Prædia spoliatis, & hereditates heredibus restituantur. Prædones, raptores, & turbatores coërceantur pœnis. Causæ omnes publicæ privatæque discordiarum jure finiantur. Una anathematis causa, quo Cæsar tenebatur, Pontifici integra servata est. His transactis, decreta in urbem legatio, qua Spirensis Episcopus Bruno, & Fuldensis Abbas Ehrloffus defuncti sunt: missique præterea Otto Bambergensis Episcopus, & Henricus Comes Beringensis, qui hæc conventa Noricis, ceterisque superioris Germaniæ Principibus, Ratisbonæ congregatis, denunciarent, ut & illi in communem pacis societatem transirent.

Pax Imperatorem inter & Saxones certis conditionibus coalescit.

Annus Christi 1122.

Callisti II Pont. 4.
Henrici V Regis 17. Imp. 12.
Henrici II Ep. Pad. 33.

Ursberg. Dodechin. Robert. de monte. Chron. Hild. Otto Frising. lib. 7. c. 6. Albert. Stad.

Concilium Romanum, in quo laboratum pro pace Ecclesiæ.

Annus tandem MCXXII post diuturnum schisma, ac civile bellum, jucundissima pace affulsit. Callistus Pontifex, postquam ex Legatis didicit, quæ Herbipoli feliciter transacta essent, ad propitiandum numen Romæ in laterano trecentorum Episcoporum concilium celebravit; in quo multa salubriter pro restituenda pietate ac disciplina sunt decreta; & post auditos à Patribus Germaniæ legatos missi in Germaniam tres Cardinales Legati Lambertus Ostiensis Episcopus, Saxo S. Stephani, & Gregorius S. Angeli. Hi postquam ad Cæsarem deducti sunt, invenêre pacis negotium novo dissidio propè turbatum; quòd post Erlongi Herbipolensis Episcopi obitum Cæsar Gebhardum adolescentem, vix dum è Scholis mancipatum, nominasset Successorem; cùm jam Clerus delegisset Ruggerum, virum in suo Collegio enutritum, probatumque. Hæc dissensio partium studio tantum exarserat, ut metus esset, ne totum pacis negotium ad pristinum scopulum dissolveretur. Inter hæc etiam Albertus Moguntinus Archiepiscopus Aschaffenburgum munierat, magna Cæsaris indignatione. Sed hæc duo Pontificis Legati singulari industria ac prudentia composuêre: actumque ut Ruggerus à Clero electus Episcopus reciperetur. Hac dissensione, quæ inter duos illos Episcopos intervenit, offensi Fridericus & Conradus Sueviæ Duces, fratresque ex sorore Cæsaris geniti, ab ipso Cæsare avunculo suo discesserunt; quos Saxones in colloquio ad Visurgim ad commune pacis studium attraxerant.

Henricus Imp. immutatus, ad pacem & conciliationem cum Ecclesia se offert.

Inde igitur, quod Herbipoli omnia turbida essent, Principum conventus Wormatiam traductus est. Atque hîc postquam multis diebus inter Principes de concordia regni disceptatum est, Imperator demum ad omnia insperata descendens, omnia, quæ pacem distinere possent, ultro se remissurum affirmat; itaque cor Regis immutavit Deus, ut totum se in potestate Pontificis futurum promitteret; quæ oratio dici non potest, quantum exhilarârit animos Legatorum Romanorum, ac Principum. Quare nono Calend. Octob. Imperator cum tota Schismaticorum multitudine anathematis vinculo exsolutus, & in communionem Ecclesiæ receptus est: simulq; jus instituendorum Episcoporum & Abbatum, pro quo hactenus tot dissidijs & armis decertatum erat, in manus Lamberti, Ostiensis Episcopi, & Apostolici Legati dimisit; ea tamen lege, quod Otto Frisingensis scribit, ut electi, tam Cisalpini, quàm Transalpini, non prius ordinentur Episcopi, quàm regalia de manu Imperatoris per sceptrum suscipiant. Scriptis ex omnium ordinum Imperij sententia tabulis, Imperator tale Sacramentum, quod ab Ursbergensi relatum, dixit.

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei et S. Romanæ Ecclesiæ, et Domini Papæ Callisti, et pro remedio animæ meæ dimitto Deo, et Sanctis ejus Apostolis Petro et Paulo, et sanctæ Catholicæ

lica Ecclesia omnem investituram per annulum, et baculum, et concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, et liberam consecrationem. Possessiones, et Regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ, usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam aliarum Ecclesiarum, et Principum, et aliorum tam Clericorum quàm Laicorum, concilio Principum, et justitia, quæ habeo, ut reddantur fideliter juvabo.

Pontifex verò per Legatos suos in hæc verba pactus fidem invicem appromisit.

Ego Callistus Servus servorum Dei dilecto filio suo Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo electionis Episcoporum, et Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia, et aliqua violentia: ut si, qua inter partes discordia emerserit: Metropolitani, et Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum et auxilium præbens. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur; et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus inter sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò querimoniam mihi feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, et omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ, Data anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Calend. Octobris. Callisti Pont. concessio pacta Imperatori.

Imperatorijs tabulis, quemadmodum Baronius scribit ex vaticano codice, subscripsêre Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus, Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, idemque Cancellarij nomine. Otto Bambergensis, Spirensis, Augustanus, Trajectensis, Constantiensis Episcopi. Abbas Fuldensis, Fridericus Dux Sueviæ, ceteriq; Principes, Marchiones, & Comites, quibus Hartwicus Ratisbonensis Episcopus additur. Ex Saxonibus nullum reperio præsentem. *Baron. ad annum 1122.*

Expositæ hæ tabulæ fuerunt in plano ad Rhenum campo, quòd multitudinem excluderent urbis angustiæ. Secundum hæc Lambertus Cardinalis, quem post Callistum Roma Pontificem Honorij nomine habuit, solemne Missæ sacrificium peregit, Imperatoremque post donatum pacis osculum, sacramento Eucharistiæ refecit. Quibus tam feliciter actis, effuso populi gaudio, discessum est. Neque à multis retro annis lætior Germaniæ Saxoniæque lux illuxit; quando post annum quinquagesimum, & tot schismatis mala cladesque civilis belli, pax tandem intra regnum & Sacerdotium est firmata. Missi etiam ad Pontificem oratores, qui Apostolici sedi Cæsaris obsequia deferrent. Tum redditus est splendor Ecclesiis, reducta in Imperium tranquillitas, revocati ad sedes suas Episcopi alias proscripti; quos inter Conradus Salisburgensis Archiepiscopus, quem Baronius sanctum virum appellat, à septennij exilio reductus est. At Pax Imperio reddita.

At quæ tam omnium sapientum virorum judicio laudabilia fuere, omniumque scriptorum consensu probata sunt; nunc heterodoxis nostris tam detestabilia sunt, ut scribere audeant, institutionem Episcoporum Cæsari per tyrannidem Pontificis extortam esse; è quorum numero Reineccius, alijque ex adversa religione. Quasi idem privilegium instituendi Episcopos & Abbates, quod Cæsares à Pontificibus accepêre, cùm res & necessitas Ecclesiæ posceret, Pontifices pro suprema in Ecclesiam auctoritate revocare non possent. Permisit hæc sedes Apostolica ob merita Regum & Imperatorum: post ubi Henricus IIII, & hic filius ejus Henricus V. sacerdotia vel auro vel ad gratiam venalia habere cœperunt, & per summa etiam flagitia obtrudere juvenes, indoctosque, & nec gradu quidem Cleri dignos, tanta cum jactura disciplinæ Ecclesiasticæ, & perturbatione omnium sacrorum; Pontificis fuit pro vicario Christi munere hæc mala tollere: haud secus quàm pastoris est, lupos ab ovili gregis arcere. Non unquam à Caroli M. ævo Ecclesia per Germaniam & Saxoniam nostram tot Cleri vitijs, cumprimisque concubinatu, fœdata, quàm horum duorum Cæsarum imperio. Nec alia hujus mali causa, quàm quòd ex corrupta Cæsarum aula corrupti & indigni Episcopi, plerique juvenes vafrique homines obtruderentur, sub quibus passim disciplina Cleri soluta jacebat. Cui malo, ut Gregorius VII Pontifex occurreret, & tanquam à radice revelleret, cœpit admirabili constantia & magnitudine animi institutionem Episcoporum ad Cleri electionem revocare. Nec id insolens videri poterat; cùm is antiquus Ecclesiæ mos sit, & jam ante tot Imperatores Episcoporum electionem liberam fecissent; uti id diversorum Episcopatuum diplomata commonstrare possunt: quemadmodum etiam anno DCCCLXXXV Carolus Crassus Imperator Paderbornensis Ecclesiæ Clero jus eligendi Episcopum juxta pristinum morem permittit. Longum per ceteros Saxoniæ Episcopatus ire; quando Caroli M. etiam ac Ludovici Pij decretum extat, quo electio Episcopi secundum antiquum Ecclesiæ morem Clero populoque asseritur. Et quid mirum hæc traduci ab heterodoxis nostris, qui translationem Imperij à Græcis ad Francos & Saxones, qui electionem ipsam Imperatoris Germanis concessam criminantur; quorum tamen utrumque singulare Pontificum Romanorum beneficium est erga nationem nostram. Sed his omissis ex hujus anni narratione, Westfaliam potius contingamus.

Auctor vitæ D. Norberti. Surius in vita Godefridi ad 13 Jan.

Illustrata enim hoc anno Westfalia novo Præmonstratensium ordine introducto, miraque Godefridi Cappenbergensis Comitis ad sanctiorem vitam conversione. Jam D. Nortbertus, ut supra relatum, tuba Apostolicæ doctrinæ, & forma disciplinæ religiosæ, fama quoque sanctimoniæ suæ totum Belgium Germaniamque impleverat;

pleverat; atque is postquam anno superiori Coloniam intraverat, magnoque hominum concursu pro concione ad populum dicendo audiebatur; accessit etiam Godefridus Comes Cappenbergensis, vir sanctissimus, cùm Divorum reliquias divinitus sibi ad S. Gereonem monstratas colligeret. Ibi Comes ex congressu colloquioque cum D. Nortberto tanto divini ignis ardore ac spiritu afflatus est, ut ad Divi hujus exemplum constituerit, se atque castrum suum cum omnibus possessionibus Deo consecrare. Quare domum reversus nihil impensius habuit, quàm ut Ottonem fratrem, ac conjugem suam Juditham, Friderici Arensbergensis Comitis filiam in eam secum mentem vitæque institutum pertraheret: quam in rem D. Nortbertum Cappenbergam invitat. At postquam Godefridus salutare hoc animi sui consilium aperire cœpit, incredibile, quantum obnixi Otto frater, conjux, ministeriales omnes, & cumprimis Fridericus Comes Arensbergensis, Godefridi socer, & homo ferox, osorq; Cleri & omnium Religiosorum. Evocatus & Theodoric⁹ Winceburgicus Monasteriensis in consilium Episcopus: is, licet vir cetera pius, ac religionis augendæ amantissimus, non tamen probavit tam vetus ac nobile castrum commutare in religiosæ vitæ domicilium; locum, ajebat, natura munitum, celebremque tanta majorum gloria, diœcesi potius relinquendum propugnaculum: alium se illi multò opportuniorem condendo Cœnobio daturum pollicebatur. Versabatur in omnem partem Godefridi animus, amicorum consilijs, fratris precibus, uxoris lacrymis, soceri minis; nec tamen à proposito se abduci passus est. Tanta erat viri constantia, qui tum annum agebat XXVIII ex flore ætatis & primis connubij amoribus; sed jam ante præclarus pietate, & indole, magnisque virtutibus paratus, quibus hæc omnia vinceret: tam per omnem vitam modestus, deditusque operibus pijs, ut pauperibus à lepra infectis assideret, cibos potumque ministraret, & quæ hujusmodi inter res ab eo sanctè gestas memorantur. Post hanc cum suis luctam, accessit Cappenbergam D. Nortbertus. Ejus tandem sacris exhortationibus, & sanctitatis aspectu, immutati adversantium animi; quos inter Otto Comes & frater Godefridi idem vitæ institutum amplexus, socium se adjutoremque dedit. Juditha conjux, spreta omni vanitate, obtulit se ad sacrum inter Sanctimoniales ordinem suscipiendum, & ut, quod maritus religiosorum virorum, hoc illa Virginum Cœnobium conderet. Quæ postquam 31 Maji transacta convenêre coram D. Nortberto; celebre illud Cappenbergense castrum (tot Comitum antiquorum sedes) conversum est in religiosorum hominum claustrum: quod deinde festo Virginis in cœlum assumptæ, seu, ut alijs placuit, octavo Calend. Octob. solemni ritu à Theodorico Monasteriensi Episcopo dedicatum est. Consecrata ad id sacra simul ædes B. Virginis, quæ divinis tantisper subservi-

Nicolaus Serrar. in vita Godefridi. Bolland. tom. 1. ss. ad 13 Jan. Gamansius in not. Martin. Merzig. Chron. Monast.

B. Godefridus Comes Cappenberg. ordinem Præmonstrat. ingredi statuit.

Quod ejus propositum variè oppugnatur.

D. tandem Nortberti interventu rejectis remoris, ipse ordinem ingreditur.

Et Castrum Cappenbergense in monasterium

commutur.

subservivit. Nam Theodoricus Episcopus, ut hæc simul probaret, permotus est auctoritate Friderici Coloniensis Archiepiscopi, qui pro insigni religionis studio patrocinium D. Nortberti & Godefridi Comitis suscepit: nec sine magno Monasteriensis Ecclesiæ emolumento ac lucro id fecit Theodoricus; quippe Godefridus Comes centum ac quinque Ministeriales, quos sibi hereditario jure obnoxios habebat, cum uxoribus, liberis, servis ac bonis dedit Ecclesiæ D. Pauli, quod & testantur hi antiqui versus.

Centum quinque viros tibi Paule dedêre ministros
Munere perpetuo Comites Godefridus et Otto.

Ex bonis Comitum Cappenberg. septem monasteria constructa.

Ceteræ Comitum hereditates cessêre Præmonstratensibus, quemadmodum id ex Werneri Episcopi literis, anno 1131 consignatis, constare potest. Tantæ verò horum Comitum possessiones, tum in Monasteriensi diœcesi, tum in alijs provincijs fuêre, ut ex ijs septem, qua virorum, qua Virginum Monasteria constructa ac dotata sint. Ex ijs celebriora Cappenbergense, Valariense, & Ilmstadense in diœcesi Moguntina. Quanquam Valariense haud procul Coesfeldia Ottonis potius donum sit; is enim primus ejus loci Præpositus prædium hoc pretio à nobili matrona emptum ordini suo adjecit. Cui eo in munere successit Henricus Coesfeldiæ Comes, alter loci Præpositus, à quo fundis & prædijs Colonorum ex Patrimonio munificè auctum.

Comite Arensberg. frustra obsistente, commutatio Cappenberg. in monasterium ab Imperat. comprobatur.

Hanc rerum mutationem ubi Fridericus Arensbergensis Comes didicit, viditque sacros illos inquilinos insidere vetus nobilitatis castrum; tum verò homo bellicosus ac ferox queri cum nobilitate de circumventa filia, & dote interversa, indignari, advolare cum armatis Cappenbergam, extremaque minitari, ac ni castrum in pristinum statum restitueretur, sese Nortbertum cum suo asino, quo vehebatur, ex infelici arbore suspensurum. Intervenêre his furijs Episcopi ac Principes, hortati, ne ira se præcipitem daret in grande malum; & cùm ille furere non desisteret, religiosi in castro viri Nortbertum implorarunt. Atque is, cognito suorum periculo, Rhenum transijt, asinoque vectus, inermis prorsus ac interritus non dubitavit Comitatum Arensbergensem ingredi, Deo ferocis hominis animum ad mitiora flectente; donec tandem ipse Cæsar imploratus patrocinium Nortberti & Godefridi susciperet, & castri commutationem in religiosorum congregationem, omnemque donationem in senatu Episcoporum, & Principum, hoc quod à ceteris intermissum est, diplomate ratam haberet.

Henricus divina favente clementia IV Romanorum Imperator Augustus. Notum fieri cupimus tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus, quod Godefridus Comes et frater ejus Otto castrum Cappenberg, quod jure allodiali possidebant cum adjacentibus quatuor curiis Nette, Werle, Heyle, Alstede Deo patri omnipotenti, et B. Dei genitrici Mariæ, et B.B. Apostolis Petro

*Petro et Paulo, sanctis omnibus spe futuræ retributionis animati obtulerunt, tradentes hoc venerabili fratri Nortberto, suisque fratribus sibi subjectis, eorumque Successoribus in Canonica professione secundum Apostolica instituta ibidem degentibus. Nos ipsis fratribus ad imperiale patrocinium confugientibus traditionem hanc ratam et inconvulsam permanere statuimus. Decernimus etiam et firmamus ex rogatu eorundem fratrum, quod nullus Episcopus, vel ejus Ecclesiæ futurus prælatus, potestatem habeat regulam, professionem, institutionem assumptam immutare, vel indulgentia laxioris licentiæ corrumpere. Advocatus ibi nullus sit, nisi quem fratres ipsi unanimiter elegerint, qui si incommodus, vel inutilis sit, si semel, secundo, vel tertio correptus non emendaverit, alium eligendi liberam habeant facultatem. Hoc et fideles Dei scire volumus, quod eidem Godefrido, ejusque fratri pro redemptione animæ meæ supradicto sacerdote pro eis intercedente regiam offensam condonamus, obsides earum manumittimus, et quidquid causæ vel exactionis in ipsos habuimus, vel habere possemus, æternaliter postponimus. Ad hanc vero nostram traditionem testes idoneos adhibuimus Adalbertum Moguntinum Archiepiscopum, Fridericum Archiepiscopum Coloniensem, Hartvvicum Ratisponensem. Ottonem Bavenbergensem, Brunonem Spirensem, Hermannum Augustensem, Gebehardum Herbipolensem Episcopum. Alii quoque Principes Henricus Dux Bavariorum, Fridericus Dux, Simon Dux, Bertolfus Dux, et frater ejus Conradus, Marchio Lupoldus, Engelbertus Marchio, Berengarius Comes. Ut autem hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inviolata omni permaneat ævo; hanc inde cartam conscribi, et sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Præterea quæcunque possessiones, quæcunque bona in terris, vineis, mancipiis, censibus, decimis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, campestribus, montibus, collibus, vallibus, aut quibuslibet aliis rebus, prædicta Cappenbergensis Ecclesia in præsentiarum possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, omnia ei Imperatoria auctoritate confirmamus, in quibus propriis vocabulis duximus exprimenda Mengede, Curede, Sorbecke, Wisele, Wesheim, cum mansis et mansionibus, et universis usibus ac justitiis suis. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, indignationis nostræ pœnam sentiet. Signum Henrici IV Romanorum Imperatoris. Philippus Cancellarius vice Archicancellarii recognovi. Data Anno Dominicæ Incarnationis MCXXIII, Indict. * XIII, apud Lobvvissen, quando Dominus Imperator annulum et baculum remisit durante adhuc eo anno.* *al. I.

Haud obscurè hæ Cæsaris tabulæ indicant, Godefridum & Ottonem fuisse in fœdere Saxoicno, de quo supra diximus, adversus Henricum Cæsarem, obsidesque etiam ab iis imperatos fuisse. Qui deinde Fridericus Dux Sueviæ his tabulis nominatus, ei ab his fratribus duo castra in Suevia cessêre, quæ Beatrix eorum mater, Ducis

At quæ tam omnium sapientum virorum judicio laudabilia fuere, omniumque scriptorum consensu probata sunt; nunc heterodoxis nostris tam detestabilia sunt, ut scribere audeant, institutionem Episcoporum Cæsari per tyrannidem Pontificis extortam esse; è quorum numero Reineccius, alijque ex adversa religione. Quasi idem privilegium instituendi Episcopos & Abbates, quod Cæsares à Pontificibus accepêre, cùm res & necessitas Ecclesiæ posceret, Pontifices pro suprema in Ecclesiam auctoritate revocare non possent. Permisit hæc sedes Apostolica ob merita Regum & Imperatorum: post ubi Henricus IIII, & hic filius ejus Henricus V. sacerdotia vel auro vel ad gratiam venalia habere cœperunt, & per summa etiam flagitia obtrudere juvenes, indoctosque, & nec gradu quidem Cleri dignos, tanta cum jactura disciplinæ Ecclesiasticæ, & perturbatione omnium sacrorum; Pontificis fuit pro vicario Christi munere hæc mala tollere: haud secus quàm pastoris est, lupos ab ovili gregis arcere. Non unquam à Caroli M. ævo Ecclesia per Germaniam & Saxoniam nostram tot Cleri vitijs, cumprimisque concubinatu, fœdata, quàm horum duorum Cæsarum imperio. Nec alia hujus mali causa, quàm quòd ex corrupta Cæsarum aula corrupti & indigni Episcopi, plerique juvenes vafrique homines obtruderentur, sub quibus passim disciplina Cleri soluta jacebat. Cui malo, ut Gregorius VII Pontifex occurreret, & tanquam à radice revelleret, cœpit admirabili constantia & magnitudine animi institutionem Episcoporum ad Cleri electionem revocare. Nec id insolens videri poterat; cùm is antiquus Ecclesiæ mos sit, & jam ante tot Imperatores Episcoporum electionem liberam fecissent; uti id diversorum Episcopatuum diplomata commonstrare possunt: quemadmodum etiam anno DCCCLXXXV Carolus Crassus Imperator Paderbornensis Ecclesiæ Clero jus eligendi Episcopum juxta pristinum morem permittit. Longum per ceteros Saxoniæ Episcopatus ire; quando Caroli M. etiam ac Ludovici Pij decretum extat, quo electio Episcopi secundum antiquum Ecclesiæ morem Clero populoque asseritur. Et quid mirum hæc traduci ab heterodoxis nostris, qui translationem Imperij à Græcis ad Francos & Saxones, qui electionem ipsam Imperatoris Germanis concessam criminantur; quorum tamen utrumque singulare Pontificum Romanorum beneficium est erga nationem nostram. Sed his omissis ex hujus anni narratione, Westfaliam potius contingamus.

Auctor vitæ D. Nortberti. Surius in vita Godefridi ad 13 Jan.

Illustrata enim hoc anno Westfalia novo Præmonstratensium ordine introducto, miraque Godefridi Cappenbergensis Comitis ad sanctiorem vitam conversione. Jam D. Nortbertus, ut supra relatum, tuba Apostolicæ doctrinæ, & forma disciplinæ religiosæ, fama quoque sanctimoniæ suæ totum Belgium Germaniamque impleverat;

pleverat; atque is postquam anno superiori Coloniam intraverat, magnoque hominum concursu pro concione ad populum dicendo audiebatur; accessit etiam Godefridus Comes Cappenbergensis, vir sanctissimus, cùm Divorum reliquias divinitus sibi ad S. Gereonem monstratas colligeret. Ibi Comes ex congressu colloquioque cum D. Nortberto tanto divini ignis ardore ac spiritu afflatus est, ut ad Divi hujus exemplum constituerit, se atque castrum suum cum omnibus possessionibus Deo consecrare. Quare domum reversus nihil impensius habuit, quàm ut Ottonem fratrem, ac conjugem suam Juditham, Friderici Arensbergensis Comitis filiam in eam secum mentem vitæque institutum pertraheret: quam in rem D. Nortbertum Cappenbergam invitat. At postquam Godefridus salutare hoc animi sui consilium aperire cœpit, incredibile, quantum obnixi Otto frater, conjux, ministeriales omnes, & cumprimis Fridericus Comes Arensbergensis, Godefridi socer, & homo ferox, osorq; Cleri & omnium Religiosorum. Evocatus & Theodoric' Winceburgicus Monasteriensis in consilium Episcopus: is, licet vir cetera pius, ac religionis augendæ amantissimus, non tamen probavit tam vetus ac nobile castrum commutare in religiosæ vitæ domicilium; locum, ajebat, natura munitum, celebremque tanta majorum gloria, diœcesi potius relinquendum propugnaculum: alium se illi multò opportuniorem condendo Cœnobio daturum pollicebatur. Versabatur in omnem partem Godefridi animus, amicorum consilijs, fratris precibus, uxoris lacrymis, soceri minis; nec tamen à proposito se abduci passus est. Tanta erat viri constantia, qui tum annum agebat XXVIII ex flore ætatis & primis connubij amoribus; sed jam ante præclarus pietate, & indole, magnisque virtutibus paratus, quibus hæc omnia vinceret: tam per omnem vitam modestus, deditusque operibus pijs, ut pauperibus à lepra infectis assideret, cibos potumque ministraret, & quæ hujusmodi inter res ab eo sanctè gestas memorantur. Post hanc cum suis luctam, accessit Cappenbergam D. Nortbertus. Ejus tandem sacris exhortationibus, & sanctitatis aspectu, immutati adversantium animi; quos inter Otto Comes & frater Godefridi idem vitæ institutum amplexus, socium se adjutoremque dedit. Juditha conjux, spreta omni vanitate, obtulit se ad sacrum inter Sanctimoniales ordinem suscipiendum, & ut, quod maritus religiosorum virorum, hoc illa Virginum Cœnobium conderet. Quæ postquam 31 Maji transacta convenêre coram D. Nortberto; celebre illud Cappenbergense castrum (tot Comitum antiquorum sedes) conversum est in religiosorum hominum claustrum: quod deinde festo Virginis in cœlum assumptæ, seu, ut alijs placuit, octavo Calend. Octob. solemni ritu à Theodorico Monasteriensi Episcopo dedicatum est. Consecrata ad id sacra simul ædes B. Virginis, quæ divinis tantisper subservi-

Nicolaus Serrar. in vita Godefridi. Bolland. tom. 1. ss. ad 13 Jan. Gamansius in not. Martin. Merzig. Chron. Monast.

B. Godefridus Comes Cappenberg. ordinem Præmonstrat. ingredi statuit.

Quod ejus propositum variè oppugnatur.

D. tandem Nortberti interventu reiectis remoris, ipse ordinem ingreditur.

Et Castrum Cappenbergense in monasterium

commutur. subservivit. Nam Theodoricus Episcopus, ut hæc simul probaret, permotus est auctoritate Friderici Coloniensis Archiepiscopi, qui pro insigni religionis studio patrocinium D. Nortberti & Godefridi Comitis suscepit: nec sine magno Monasteriensis Ecclesiæ emolumento ac lucro id fecit Theodoricus; quippe Godefridus Comes centum ac quinque Ministeriales, quos sibi hereditario jure obnoxios habebat, cum uxoribus, liberis, servis ac bonis dedit Ecclesiæ D. Pauli, quod & testantur hi antiqui versus.

Centum quinque viros tibi Paule dedêre ministros
Munere perpetuo Comites Godefridus et Otto.

Ceteræ Comitum hereditates cessêre Præmonstratensibus, quemadmodum id ex Werneri Episcopi literis, anno 1131 consignatis, constare potest. Tantæ verò horum Comitum possessiones, tum in Monasteriensi diœcesi, tum in alijs provincijs fuêre, ut ex ijs septem, qua virorum, qua Virginum Monasteria constructa ac dotata sint. Ex ijs celebriora Cappenbergense, Valariense, & Ilmstadense in diœcesi Moguntina. Quanquam Valariense haud procul Coesfeldia Ottonis potius donum sit; is enim primus ejus loci Præpositus prædium hoc pretio à nobili matrona emptum ordini suo adjecit. Cui eo in munere successit Henricus Coesfeldiæ Comes, alter loci Præpositus, à quo fundis & prædijs Colonorum ex Patrimonio munificè auctum.

Ex bonis Comitum Cappenberg. septem monasteria constructa.

Hanc rerum mutationem ubi Fridericus Arensbergensis Comes didicit, viditque sacros illos inquilinos insidere vetus nobilitatis castrum; tum verò homo bellicosus ac ferox queri cum nobilitate de circumventa filia, & dote interversa, indignari, advolare cum armatis Cappenbergam, extremaque minitari, ac ni castrum in pristinum statum restitueretur, sese Nortbertum cum suo asino, quo vehebatur, ex infelici arbore suspensurum. Intervenêre his furijs Episcopi ac Principes, hortati, ne ira se præcipitem daret in grande malum; & cùm ille furere non desisteret, religiosi in castro viri Nortbertum implorarunt. Atque is, cognito suorum periculo, Rhenum transijt, asinoque vectus, inermis prorsus ac interritus non dubitavit Comitatum Arensbergensem ingredi, Deo ferocis hominis animum ad mitiora flectente; donec tandem ipse Cæsar imploratus patrocinium Nortberti & Godefridi susciperet, & castri commutationem in religiosorum congregationem, omnemque donationem in senatu Episcoporum, & Principum, hoc quod à ceteris intermissum est, diplomate ratam haberet.

Comite Arensberg. frustra obsistente, commutatio Cappenberg. in monasterium ab Imperat. comprobatur.

Henricus divina favente clementia IV Romanorum Imperator Augustus. Notum fieri cupimus tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus, quod Godefridus Comes et frater ejus Otto castrum Cappenberg, quod jure allodiali possidebant cum adjacentibus quatuor curiis Nette, Werle, Heyle, Alstede Deo patri omnipotenti, et B. Dei genitrici Mariæ, et B.B. Apostolis

Petro

Petro et Paulo, sanctis omnibus spe futuræ retributionis animati obtulerunt, tradentes hoc venerabili fratri Nortberto, suisque fratribus sibi subjectis, eorumque Successoribus in Canonica professione secundum Apostolica instituta ibidem degentibus. Nos ipsis fratribus ad imperiale patrocinium confugientibus traditionem hanc ratam et inconvulsam permanere statuimus. Decernimus etiam et firmamus ex rogatu eorundem fratrum, quod nullus Episcopus, vel ejus Ecclesiæ futurus prælatus, potestatem habeat regulam, professionem, institutionem assumptam immutare, vel indulgentia laxioris licentiæ corrumpere. Advocatus ibi nullus sit, nisi quem fratres ipsi unanimiter elegerint, qui si incommodus, vel inutilis sit, si semel, secundo, vel tertio correptus non emendaverit, alium eligendi liberam habeant facultatem. Hoc et fideles Dei scire volumus, quod eidem Godefrido, ejusque fratri pro redemptione animæ meæ supradicto sacerdote pro eis intercedente regiam offensam condonamus, obsides earum manumittimus, et quidquid causæ vel exactionis in ipsos habuimus, vel habere possemus, æternaliter postponimus. Ad hanc vero nostram traditionem testes idoneos adhibuimus Adalbertum Moguntinum Archiepiscopum, Fridericum Archiepiscopum Coloniensem, Hartvvicum Ratisponensem, Ottonem Bavenbergensem, Brunonem Spirensem, Hermannum Augustensem, Gebehardum Herbipolensem Episcopum. Alii quoque Principes Henricus Dux Bavariorum, Fridericus Dux, Simon Dux, Bertolfus Dux, et frater ejus Conradus, Marchio Lupoldus, Engelbertus Marchio, Berengarius Comes. Ut autem hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis et inviolata omni permaneat ævo; hanc inde cartam conscribi, et sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Præterea quæcunque possessiones, quæcunque bona in terris, vineis, mancipiis, censibus, decimis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, pratis, pascuis, nemoribus, campestribus, montibus, collibus, vallibus, aut quibuslibet aliis rebus, prædicta Cappenbergensis Ecclesia in præsentiarum possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, omnia ei Imperatoria auctoritate confirmamus, in quibus propriis vocabulis duximus exprimenda Mengede, Curede, Sorbecke, Wisele, Wesheim, cum mansis et mansionibus, et universis usibus ac justitiis suis. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, indignationis nostræ pœnam sentiet. Signum Henrici IV Romanorum Imperatoris. Philippus Cancellarius vice Archicancellarii recognovi. Data Anno Dominicæ Incarnationis MCXXIII, Indict. XIII, apud Lobvvissen, quando Dominus Imperator annulum et baculum remisit durante adhuc eo anno.* *al. I.

Haud obscurè hæ Cæsaris tabulæ indicant, Godefridum & Ottonem fuisse in fœdere Saxoicno, de quo supra diximus, adversus Henricum Cæsarem, obsidesque etiam ab iis imperatos fuisse. Qui deinde Fridericus Dux Sueviæ his tabulis nominatus, ei ab his fratribus duo castra in Suevia cessère, quæ Beatrix eorum mater, Ducis

Sueviæ filia, Godefrido parenti in dotem attulerat. Per id tempus, cùm Nortbertus ac Præmonstratenses adhuc incerti hærerent, quam vivendi formam deligerent, obtulit se D. Augustinus Nortberto, aureum libellum è dextero latere porrigens, & quem hic vides, subjungens, Hipponensis olim Episcopus sum Augustinus: Hujus instituti leges si filijs tuis præscripseris, & illi servârint, recta in cœlum via ibunt. Hic D. Augustini conspectus, etsi Præmonstrati oblatus indicetur, in codice tamen scripto Cappenberga locus memoratur. Certè repertæ sunt literæ D. Bernardi, sub id tempus ad Nortbertum Cappenbergæ versantem scriptæ. Simul enim duo illa sidera Apostolicæ vitæ per Germaniam Bernardus & Nortbertus conspecta, ille Cistertiensium propagator, hic Præmonstratensium auctor. Quemadmodum Deus laboranti Ecclesiæ ejusmodi novorum ordinum conditores, novasque religiosorum virorum familias adversus hæreses, & labentem Cleri populique disciplinam submittere semper visus est. Fuit autem Cappenbergæ illustrissima sub exordia Præmonstratensium congregatio, multorumque Cœnobiorum seminarium; ex ea enim per Westfaliam Claholtanum, Scheidanum & Wedinghusanum Cœnobia tanquam coloniæ novæ deductæ. Mirum deinde in modum hic sanctissimus ordo propagatus per Belgium, Germaniam, Galliam, & Angliam; qui intra 80 annos ab suo ortu 34 provincias, mille Abbatias, trecentas Præposituras numeravit. Cetera quæ ad D. Godefridi Cappenbergensis fundatoris res gestas hic desiderari possent, nihil attinet referre; quando tam præclari hujus sæculi Scriptores Laurentius Surius, Nicolaus Serrarius, & Joannes Bollandus eas in lucem dedêre; & Bollandus unà cum Gamansio erudito Commentario illustravit, quibus nos diploma Imperatoris ab ijs prætermissum adjecimus.

Cappenberga seminarium plurium monasteriorum.

Annus Christi 1123.

Callisti II Pont. 5.
Henrici V Reg. 18. Imp. 13.
Henrici II Ep. Pad. 34.

Ursberg. Gobelin.

Subit nunc annus Christi MCXXIII Henrico Cæsari totique Imperio, post conditam pacem, longè quietior. Atque ut Regnum tot tempestatibus jactatum ad pristinam serenitatem rediret, pulcherrimum Cæsaris & Principum negotium fuit in prædonibus coërcendis puniendisque. Quam in rem Imperator Trajectum concessit, celebratisque istic Natalitijs Christi, conventum Principum indixit: quò & Fridericus Arensbergensis Comes postulatus ad dicendam causam; quòd multis querimonijs fatigatus Imperator, ob prædas & injurias, quas Episcopis & Godefrido Cappenbergensi intulerat. Acres illic in Arensbergensem Principem accusationes auditæ; quas inter

Fridericus Comes Arensberg. in conventu Traject. graviter accusatur.

inter Sueviæ quidam Dux vehementer invectus in Arensbergensem; nihilque acerbius crimini datum, quàm quòd Godefridum Cappenbergensem indignè tractasset. Nam adeo Nortbertum & Godefridum afflixerat, ut apertis castri portis, tanquam oves ad lanienam se cum religiosis viris offerrent. At Cæsaris & Principum objurgationibus ita mitigatus est, ut postquam Arensbergam reversus, Godefridum invitârit, & amicè exceptum circumduxerit per arcem, multaque supra vota pollicitus sit; at cùm Godefridus vinctos, quos tenebat, relaxari primùm peteret, elusit postulata: post ubi ad prandium accessit, & lautæ accubuit mensæ, rupto ventris thorace crepuit, & cum visceribus simul effudit animam. Hæc justa vindicis Dei pœna consecuta hominem, qui tot spolijs sacrorum non poterat explere avaritiam. Gobelini nostri hoc de illo testimonium est. *Fridericus Comes Westfaliæ de Arensberg, homo ferocissimus, hoc anno moritur, qui castrum Wevelsburg antiquitus ab Hunnis constructum, ac vetustate collapsum uno ante obitum anno restauravit, ex quo totam viciniam incursionibus et prædis vexare non destitit*: Id castrum cùm intra diœcesin Paderbornensem sit, prope Bodecense Cœnobium à D. Menolpho conditum, gravis quoque Henrico Episcopo & diœcesi Paderbornensi incubuit. Auctor est Gelenius Nortbertum haud ita pridem captum à Friderico Arensbergensi Comite in hoc castro Wevelesburgensi inclusum fuisse; quod priori anno factum fuisse oportuit. Filias ex conjuge, quam Ottone Northemensi Bojariæ Duce genitam diximus, reliquit Arensbergensis duas Juditham Godefridi, ut diximus conjugem: & Sophiam, quæ denupta fertur Bernardo Comiti Lippiensi. Filium præterea unicum Conradum, à quo familia propagata ad Godefridum, postremum stirpis heredem. Is ille est, qui anno 1368 Comitatum Arensbergensem vendidit Cunoni Coloniensi Administratori; cessitque tota hereditas in patrimonium Coloniensis Ecclesiæ; quemadmodum Wevelsburgum transijt à Buranis Dynastis ad Paderbornenses Episcopos.

Subitaneâ mensæ accumbens morte extinguitur.

Gobelin. ætat. 6. c. 58.

Ferdinand. in monument. Paderb.

Gelen. in Engelb. lib. 3. c. 42.

Haud leve interim periculum Imperator Trajecti subijt. Quippe levi ex causa lis orta inter Cæsaris aulicos & Godebaldi Episcopi Ministeriales utrosque pugnis & armis collisit; intraque Monasterium Episcopi alij capti, alij trucidati. Cœco, ut fit, increscente tumultu, tota civitas convolavit ad arma; interque cohortium pugnas Episcopus captus, & in custodiam abreptus. Quanquam seditionis auctor post cognitus, Giselbertus quidam, Episcopo infestus, capitalis pœnæ sententiam subierit. Ursbergensis qui Episcopum reum facit, refert Friderici Coloniensis Episcopi patrocinio Godebaldum libertati redditum.

Seditio Trajecti exorta.

Visa per id tempus in agro Wormatiensi equitum militumq; spectra pleno die spectabili omnibus forma ire & redire velut ad

Frequentia circa Worma-

tiam spectra.

conventum publicum celebrandum, inde sub vesperum omnes intra montem abscondi. Quæ cùm totam viciniam attonitam haberent, ausus est quidam è colonis fronte signo crucis armatus unum ex equitibus è cœtu ceterorum abeuntem percunctari, quid sibi velint hi frequentes umbrarum congressus velut ad comitia euntium. Ad quæ ille, non phasmata nos sumus, sed militum nuper interfectorum manes; arma, habitus, & equi, qui nobis fuêre instrumenta peccandi, modò sunt tormenta pœnarum; totique nunc urimur, etsi oculos vestros hæc fugiant.

Annus Christi 1124.

Callisti II Pont. 6.
Henrici V Regis 19. Imp. 14.
Henrici II Ep. Pad. 35.

Ursberg. Chron. Traject. Heda.

Redijt altero mox anno post celebrata Aquisgrani Natalitia Christi Trajectum Imperator, expeditionemque in Hollandiam suscepit, quam Petronella, soror Lotharij Ducis Saxoniæ, virilis animi mulier pro Theodorico filio administrabat, Hollandos adversus Imperatorem armare ausa: multumque Imperatori negotij fuit, priusquam gentem inter amnes & paludes ad obsequium revocaret. Inde per quadragesimam Wormatiam petijt, indictisque Bambergæ Principum comitijs, Nonis Maji eodem concessit; specie quidem, ut bello Lotharium Ducem aggrederetur, quem res novas ad vindicandam sororis injuriam moliri obtendebat; re tamen apparatus non aliud spectabat, quàm bellum adversus Ludowicum Crassum, Galliarum Regem. Ab hoc enim cùm Rex Angliæ Nortmanniam repeteret, socero suppetias ferre maturabat; at ubi didicit Regem totamque Franciam in armis stare, & Germanorum adventum operiri, dissimulato consilio retro flexit, aggressusq; Wormatiam, quòd Buggonem Episcopum in sedem receperat, difficili eam obsidione pressam ad gravem mulctam compulit.

Comitia Principum Bambergæ celebrata.

Ursberg. Andreas Abbas in vita Otton. apud Surium. Canis. tom. 2. antiq. Lect. 7.

Celebris hic annus Pomeraniæ ad Christi fidem accessione. Gentem hanc jam antè bellis subegerat Boleslaus Poloniæ Dux, religione non minus, quàm fortitudine bellica egregius; eaque lege admiserat ad pacis fœdera, ut Christi religionem libere pateretur doceri. At cùm non invenirentur, qui barbaram gentem adire vellent, expetitur per literas à Duce Otto Bambergensis Episcopus, quòd jam antè in Patris aula Sacerdotem egerat, & per id tempus nemo facilè per Germaniam Episcopus fervore propagandæ religionis & Apostolico spiritu præstantior inclaruerat. Nam & multis legationibus functus erat, & quindecim Monasteria suis propè sumptibus diversis Germaniæ in locis erexerat. Vir ob rerum humanarum contemptionem Principibus gratus, ac Cæsari etiam formidabilis. Is lætus

Pomerania per D. Ottonem ad fidem Christianam adducitur.

lætus se à Poloniæ Duce invitari ad Apostolicum munus, primùm ab Honorio, seu ut verius scribit Baronius, à Callisto Pontifice petijt facultatem docendi barbaras Pomeraniæ gentes. Qua impetrata, per Bohemiam ad ipsum Poloniæ Ducem se contulit; à quo benignè exceptus, instructusque ritualium libris, omnique sacra suppellectile, cum adjunctis Sacerdotibus & Clericis, Pomeraniam ingreditur: primoque accessu intra vicenos dies in Pirissa civitate septem millia hominum ad fontem baptismatis adduxit. Inde Caminam profectus intra quadraginta dies longè etiam majorem Evangelij fructum fecit; tantaque se obtulit multitudo ad baptismum, ut ijs abluendis manus & vires fatigarentur. His tam prospere succedentibus Julinam, Stetinam aliasque urbes docendo, sacrificando, fana Idolaque subvertendo peragravit; & quæ Apostolicorum virorum experimenta esse solent, multis etiam plagis, contumelijs, & injurijs non sine præsenti vitæ periculo tractatus est; donec auxilio & auctoritate Ducis libera & firma Christianæ religionis sedes in Pomerania figeretur, atque Otto primam christianæ Ecclesiæ formam introduceret, qui ob id Pomeranorum Apostolus est appellatus: quemadmodum res ab eo præclarè sanctèque gestas Andreas Bambergensis Abbas quatuor libris conscripsit.

Sub finem quoque hujus anni febri exstinctus Callistus Pontifex præclarè de Saxonia Germaniaque meritus, subrogato Lamberto Cardinale & Episcopo Ostiensi, quem Callistus, ut diximus, in Germaniam Legatum miserat, dictusque Honorius eo nomine secundus. Quo cognito, Nortbertus iter Romam instituit, ab eoque Pontifice facile Ordinis confirmationem altero abhinc anno impetravit, qui intimè Nortbertum sibi familiarem ex publica sanctitatis fama commendatum habebat. Eo in itinere divinitus cognovit se Magdenburgensem Archiepiscopum à Deo destinari. Auxit novo miraculo Deus viri famam. Nam dum ex reditu Herbipoli sacrificium publicè celebrat, cœca mulier post celebrata mysteria oris ejus afflatu repente oculorum lumen recepit.

Obit Callistus Pont. Succedit Lambertus Episcopus Ostiensis, Honorius II dictus.

Annus Christi 1125.

Honorij II Pont. 1.
Henrici V Reg. ultimus.
Lotharij II Reg. 1.
Henrici II Ep. Pad. 36.

Ursberg. Robert. de monte. Ansel. Gemb.

Subinde Imperator fatalem extremumque vitæ annum ingressus est, qui & multis mortalibus confatalis fuit. Quippe post varia ostenta, passim per Germaniam edita, tertia ferè pars hominum absumpta; alijque fame, alij pestifera lue, alij alijs malis interiêre. Imperator postquam Leodij Pascha celebravit, Aquisgrani dracunculi morbo,

Mors Henrici V. Reg. & Imp.

morbo, qui à primis annis illi adhæserat, vehementius excruciatus, post aliquot dies Neomagum, mox Trajectum ad Pentecosten celebrandam transijt. Paucis post diebus aggravata invaletudine, imperium cum vita posuit, nulla virili stirpe relicta. Ingentem quidem auri argentique vim congesserat, tanquam majora patraturus; sed nec pacis, nec bello, neque rebus pro Ecclesia gestis clarus fuit, qui, pravo patris exemplo, fœdo schismate ad extremos vitæ annos laceravit Ecclesiam, hoc uno laudabilis, quòd turbulenti impijque regni finem quæsierit honestum & pium. Nam ad extremùm deductus, vocata Mathilde conjuge, & proceribus, de statu Reip. disposuit, insigniaque Imperij in arcem Hammersteinianam custodienda misit, dum ordines in delectum à se Regem convenirent. Subinde sollicitus de anima, Eucharistiæ Sacramento refectus, X. Calend. Junij excessit. Corpus more regio curatum, & ut jusserat, Spiram ad majorum sepulchra delatum, qui hoc versu notati singulis conspiciuntur.

Filius hic, Pater hic, Avus hic, Proavus jacet istic.

Abrupta cum hoc Cæsare Salicorum seu Wormatiensium Ducum stirps, postquam centum annos imperium gesserat. Quam boni proavus & avus, Conradus & Henricus III; tam pravi pater & filius, quartus videlicet & quintus eo nomine Henrici Cæsares. Adeo fortuitum nasci bonos Principes: electio optimum quemque extra hereditaria jura invenit. Longè illustrior Saxonum gens in suis Regibus, & Cæsaribus, Henrico Aucupe, Ottonibus Magnis, & Henrico Imperatore, quibus nunc accedit Lotharius, Imperatorum religiosissimus.

Cui electione Principum Germaniæ, succedit Lotharius Dux Saxoniæ. *Otto Frising lib. 7. c. 17. Ursberg. Dodechin. Robert. de monte. Chron. Hild.*

Quippe post excessum Henrici Imperatoris, Episcopi ceteriq; Imperij Principes convenêre Moguntiæ ad Comitia regni. Multi istic candidati, Fridericus cumprimis Sueviæ, & Conradus Franconiæ Duces, penes quos insignia Imperij erant; & quòd Henrici Cæsaris consobrini essent, rati sunt jure hereditario sibi deberi sceptrum. Præter hos Leopoldus Austræ Marchio, & Carolus Flandriæ Comes oblati. At Principes Germaniæ, studio cumprimis Alberti Moguntini Archiepiscopi, & Legatorum Pontificis, qui aderant, Romani, mense Augusto una omnium consensione elegêre Lotharium Ducem Saxoniæ, virum, ut inquit Robertus, sapientem, industrium, Ecclesiastici juris amantem, præpotentem divitijs, & multis victorijs clarum. Nec dum facilè repertus, aliorum etiam Scriptorum judicio, qui pietate, religione, & fortitudine bellica Lotharium anteierit. Quare mense Septembri à Legatis Pontificis, Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis, octo Episcopis, multisque Abbatibus, & Principibus deductus Aquisgranum, Idibus Septembris à Friderico Coloniensi Archiepiscopo solemni ritu ac pompa Rex inungitur, acclamante Clero ac populo.

Subtraxêre

Subtraxêre sese inaugurationi Sueviæ & Franconiæ proceres cum suis Ducibus, quòd sibimet præ Saxonibus imperium despon-derant. Quare, ut ceteris Imperatoribus evenit cum Sueviæ Ducibus regni æmulis, primò per civilia aliquot bella obluctandum fuit; & hoc ipsos, quod Otho Frisingensis notat, varijs postea malis, justo Dei judicio, afflixit: ut quæ stirps tot calamitatibus affecerat Ecclesiam, lueret progenitorum delicta. Nec tamen impeditum, quin Conradus Sueviæ Dux post Lotharium subrogatus sit Imperator, & Friderico Duce genitus Ænobardus ad imperium quoque pervenerit, pari, quo hi progenitores, odio Romano Pontifici infestus.

Lotharius, mox ut inauguratus fuit, Ratisbonam se contulit ad ad conventum Principum, quem indixerat, regnum exorsus à justitiæ legibus formandis. Interq; cetera decerni voluit, proscriptorum bona utrumne in fiscum regium, an ærarium cujuscunque provinciæ redigenda essent; probavitque sententiam Principum, *qua cujusque regionum ærario potius cederent, quàm Regis proprietati,* ut Dodechinus retulit, interea Legatos misit Romam, ut quod Principes de se statuerant electione in Regem, id Pontifex ratum esse vellet. Adeo etiam à veneratione Pontificis, ejusque auctoritate regni exordia capessenda censuit. Auspicata Imperij Lotharij initia.

Annus Christi 1126.

Honorij II Pont. 2.
Lotharij II Reg. 2.
Henrici II Ep. Pad. 37.

Proximum deinde annum, qui Lothario regni secundus erat, bello Bohemico auspicatus est; celebratis enim Argentinæ Christi Natalitijs, in Saxoniam redijt; magnoque popularium studio & lætitia exceptus, media hyeme in Bohemiam movit adversus Sobeslaum eorum Ducem, quem Bohemi post obitum Uladislai citra Regis voluntatem Ducem sibi imposuerant: consiliumque erat Othonem Moraviæ Ducem submoto Sobeslao introducere, quòd is iniquè se inclusum quereretur, & magnis se promissis militum auriq; offerret Lothario. Quare raptis ex Saxonia, ac non nisi trium millium copijs, adversus hostem xx millibus instructum mense Februario processit, audacia supra vires sumpta. Submisit ad hanc expeditionem Hildesimensis ceterique Episcopi suos milites. Præmissi trecenti milites, qui sylvarum angusta quibus Saxonia & Bohemia dirimitur, occuparent; cùm ex abdito nemorum recessu Sobeslaus improvisus prorumpit. Saxones ex insidijs circumventi, impeditiq; altis nivibus, & sylvarum angustijs, quo minus justa pugna congredi liceret, post acrem primi agminis conflictum in fugam vertuntur. Harlungus Adolphi

Dodechin. Robert. de monte. Ursberg. Chron. Hild. Chron. Mont. Sereni. Dubravius lib. II. Histor. Bohem. Albert. Stadens. Meibomig.

Lotharius in Bohemos movet, & infaustè cum ijs confligit.

Adolphi Schawenburgensis & Holsatiæ Ducis filius, Arnoldus Merseburgensis Episcopus, multique nobiles desiderati. Captus Albertus Marchio Brandeburgensis, cognomento Ursus. Nec levis hostium jactura fuit, uti hæc præter Chronicon Montis Sereni, & Hildesiense memorant alij. Passim hanc cladem XVIII Februarij acceptam exaggerant Scriptores ad probrum Lotharij, cùm tamen Robertus de monte non ultra quinquaginta milites occubuisse scribat. At Sobeslaus, etsi victor, veritus tamen, ne Lotharius hanc cladem totis Imperij viribus ulcisceretur, per Henricum Saxoniæ Marchionem ex sorore nepotem ea lege pacem impetrat, ut ad pedes Regis prostratus clientis sacramentum diceret.

Lotharius ut à clade reficeret vires, in Saxoniam redijt, celebratisque Magdenburgi festis Paschalibus, Spiram contendit cum proceribus Saxoniæ, ad comitia Principum. Quæ in ijs sancita sunt, etsi Scriptorum incuria desideremus; haud tamen dubium est, quin in ijs actum sit de tranquillitate Imperij, quam Fridericus & Conradus Sueviæ Duces, regni potentes æmuli, conturbabant. Accessit ad hæc quoque comitia D. Nortbertus privatas ob causas, cùm Magdenburgensium Legati advenirent, petitum dari sibi Archiepiscopum, qui in locum demortui Rutgeri subrogaretur. Aderant cum Lothario Rege Legati Pontificis, multique Episcopi ac Principes. Ac in consultationem accepta, tres oblati sunt Legatis, è quibus quem vellent, deligerent; cùm ecce hæsitantibus illis, accedit Adalbero primicerius Metensis, post Trevirensis Archiepiscopus, & Nortbertum digito ostendit; quem illi nihil opinantem reluctantemque vi arripiunt, ac Regi offerunt. Gratum id erat Regi, Legato Pontificis, ceterisque Episcopis. Quapropter Magdenburgum abductus Nortbertus, 20 Calend. Augusti, nudis pedibus, Archiepiscopi palatium vili amictus pallio ingreditur, atque ipso D. Jacobi festo die ab Udone Citicensi solemni ritu consecratur.

Vita S. Nortberti apud Surium.

D. Nortbertus fit Archiep. Magdenburg.

Felix Saxonia tam sancto præsule & doctore, à quo tum Belgium, Gallia, & Germania Apostolicæ vitæ exemplo, cœlesti doctrina, & miraculis illustrata erat. Nec aliud ille lumen fructumque in Saxoniam intulit, Cleri populique mores ad avitæ religionis formam redigendo, ut multis exponit auctor rerum ab eo gestarum.

Celebres per hæc tempora Scholæ Paderbornenses sub Henrico Episcopo nostro; ex quibus Vicelinum alium Apostolicum virum, & ab ipso D. Nortberto consecratum, Sacerdotesque producimus. Natus Vicelinus honestis parentibus Quernhamaliæ ad Visurgim in Mindensi diœcesi. Prima literarum rudimenta edoctus à Canonicis ejus loci, cum jam matura ætate esset, cumque in ca-

Helmold. lib. 1. c. 42. 43. 44. 45. Albert. Stad. ad ann. Christi 1133. Crantz. lib. 6. Metrop.

in castello Eversteinianorum Comitum aleretur impensis Dominæ, rogareturq; à Sacerdote arcis, quos in scholis libros prælegi didicisset? Statij, inquit, Achilleides libros; quærente autem Sacerdote, quod librorum istorum argumentum esset, respondit ignorare se; id cùm omnium risu exceptum esset, pudor juveni stimulos addidit, ut Padernbornam se conferret, quòd ibi studia literarum præ ceteris locis, cumprimis nobili Magistro Harthmanno, florere audiret. Et ille juvenis indole ingenioq; captus ita intra paucos annos in eodem secum contubernio excoluit, ut in docenda regendaq; juventute adjutorem sibi sumeret; nam præter studia, quæ dies ac noctes diligentissimè cum periculo valetudinis procul ab omni vanitatis consortio tractabat, deditus cumprimis erat pietati ac precibus, interq; Divos Nicolaum impensè colebat; cumq; ad ejus cultum festumq; diem socios invitaret, auditæ sunt aliquando Angelorum voces in sacello. D. Brigittæ alternis vicibus decantantium. His alijsque sanctimoniæ indicijs Paderbornæ cognitus Vicelin⁹; qui deinde ob doctrinæ famam Bremam evocatus ad Scholarum præfecturam; ubi cùm juventutem solutioris vitæ nactus esset, prima illi cura fuit ad Christianæ disciplinæ vigorem adstringere, quòd pietatem ante literas à Christiano exigi diceret.

c. 14. & lib. 5. Saxo. 29. Herm. Lerbeck. in Chron. Henricus de Hervorda Histor. Archiep. Bremens. in Adalberone. Chron. Sclavor. c. 16. & seq.

Vicelini in scholis Paderborn. instructi vita & res gestæ.

Qua severitate licet multos offenderet, gratus tamen erat Friderico Archiepiscopo, ac primarijs in Collegio viris; quòd Gymnasium eo moderatore discipulorum numero, pietatis cultura ad formam Paderbornensium Scholarum efflorescere conspicerent. Eo in munere dum Bremæ versatur Vicelinus, captus prisca pietate, quàm Paderbornæ hauserat, petijt ab Hamukone Abbate Abdinghoviano admitti in congregationem, quæ fraternitatis nomine tum celebris erat Paderbornæ apud Abdinghovianos, in quam & receptus est. Tam id grato animo accepit Vicelinus, ut ex consensu Friderici Archiepiscopi sui dono transmiserit Abdinghovianis reliquias D. Willehadi, Anscharij, & Remberti, unaq; librum, quo Divorum istorum res gestæ conscriptæ erant. At Vicelino longè altior mens injecta à Deo ad Apostolicum munus, quàm ut intra scholasticos parietes se contineret; quam in rem cum Dithmaro discipulo in Franciam profectus est ad altiora sacrarum literarum studia comprehendenda. At postquam triennio Rudolphum & Anshelmum summos per id tempus Theologos audisset, Bremam cum Dithmaro redit; recusataq; Canonici dignitate in cathedra & Collegio, Magdenburgum se ad Nortbertum Archiepiscopum contulit fama sanctitatis celebrem, ab eoq; confirmatus in Apostolicæ vitæ proposito Sacerdos consecratur. Inde Bremam regressus est ad Adalberonem Archiepiscopum, qui jam anno MCXXIII Friderico successerat. Ejus consilio Vicelinus cum Rudolpho Hildesimensi & Ludolpho Verdensi Canonicis ad Henricum Sclavorum Principem christianum mittitur, quòd is jam domitis barbaris operarios in horrida illa vinea expetere cognitus esset. Horum Sacerdotum adventu Principi nihil gratius accidere potuit, à quo Lubecæ excepti, & Ecclesia ea in urbe donati sunt ad excolendos populos. At cùm haud multò pòst morte Henrici Principis omnia turbarentur, ab Adalberone

rone Archiepiscopo Falderæ ad confinia Sclavorum collocatus est. Ibi peragrando regiones, docendo per vicos & Oppida, brevi totam viciniam ad Christi fidem & baptismatis Sacramenta adduxit. Ad hanc famam Vicelini & prosperos labores accessêre Ludolphus, Eppo, Luthmundus, Volckardus, alijque complures è Clero Sacerdotes, ultro se in Apostolici muneris partem offerendo. Per quos viros ostium Evangelij, quod supra 80 annos clausum fuerat, Sclavis aut ad Idololatriam relapsis, aut armis prævalentibus, latè per Sclaviam rursus apertum est: aggregatiq; innumeri Barbarorum ad Ecclesiam Christi; quorum rector ductorq; Vicelinus, inter hæc multis laboribus multisq; periculis perfunctus cum socijs, multis Barbarorum injurijs vexatus, sæpius loco pulsus, & ad mortem quæsitus, demum post 30 annorum labores Aldenburgensis Ecclesiæ Episcopus creatus; quo in munere post quinquennium anno Christi 1154 sanctissimè excessit, vivus & post obitum miraculis clarus; quemadmadum res ab eo gestas accuratè prosecutus est Helmoldus presbyter, alijq; Scriptores. Uti verò per Lotharium Imperatorem, cui peracceptus fuit Vicelinus, christiana religio per Sclaviam restituta fuerit, tempori memorandum erit.

Annus Christi 1127.

Honorij II Pont. 3. Lotharij II Reg. 3. Henrici II Ep. Pad. 38. & ultimus.

Dodechin. Chron. Hild. Annal. Suevia. Chron. montis Sereni.

Lotharius Nurenbergam obsidet.

Adhuc dum Lotharius bellis intestinis involutus, anno sequenti, post celebrata Coloniæ Natalitia Christi, Nurimbergam obsidione incinxit; quòd urbs illa Friderico & Conrado, Sueviæ Ducibus, regniq; æmulis, fidem jurasset. Tracta est ad bimestre hæc obsidio opere casso. Quippe cognito civium periculo, Sueviæ Duces cum exercitu in subsidium venêre: nec ausus est Lotharius pugnam aleæ committere, fidem nimirum fallente Bohemo, qui cum copijs suis promiserat se Lothario accessurum. Quare Herbipolim regressus est insequentibus Suevis; ubi sub ipsis mœnibus cum regio milite concursum ad modum singularis certaminis; ex quo militares illas equestrium congressiones, quas posteri Torneamenta dixêre, originem traxisse volunt.

Filiam suam Gertrudem Mersseburgi in matrimonium dat Henrico Duci Bavariæ.

Paschatis festum Rex Goslariæ, & Pentecostes Merseburgi peregit: ubi festo Pentecostes Lotharius, quod ad hunc annum retulit Dodechinus, unicam quam habebat filiam Gertrudem Henrico Bojariæ Duci in matrimonium dedit; obtulitq; in dotem Ducatum Saxoniæ, & amplissimas, quas habebat opes ac possessiones in Saxonia & Westfalia, quarum magna pars, ut supra retulimus, dote quoq; Richesæ conjugis ad eum pervenerat. Erat Henricus Welfi postremi ejus nominis frater, cognomento Catulus, quod patria lingua Welfum quoque notat, ab alijs etiam superbus appellatus, pater Henrici Leonis celeberrimi ac potentissimi per Germaniam Ducis, ex quo utrumque Ducatum Bojariæ & Saxoniæ in hac patris hereditate adijt; licet indignè post tulerint alij Imperatores ac Principes quidam, utrumq; Ducatum præter receptum Imperij morem in uno Principe conjungi. Nuptiæ magna Principum frequentia magnaq; celebritate inter Fridbergam & Meungum in campo genialibus epulis peractæ sunt.

An-

Annus hic confatalis fuit multis Germaniæ Episcopis; morte enim subtracti Udalric⁹ Constatiensis, Ebhard⁹ Argentin. Peroldebertus, seu Petraponti⁹ Leodiensis, Godeschalc⁹ Trajectensis, Theodoric⁹ Monasteriensis Episcopus; sicut hos ordine recenset Dodechin⁹; quanquam Leodiensium annales sui Episcopi mortem ad an. 1129 rejiciunt. Plures hoc anno Episcopi defuncti.

Ac Theodoricus quidem Monasteriensis Episcopus, Comes Winceburgicus ac Lotharij consanguineus, de quo & supra relatum est; vir à pietate, modestia, & mansuetudine magnopore commendatus in fastis Monasteriensium. Quæ omnia mirificè exornavit constantia ejus adversus Schismaticos; quippe qui multorum annorum ærumnis & injurijs exagitatus à Burchardo, exclususque ab Episcopatu ferventissimè Cathlicorum partes est tuitus. Ac licet ex hoc dissidio æmuli vrbs expugnata exustaque conflagrârit; has tamen ruinas ita ex patrimonio, piorum oblationibus, & bonis Ecclesiæ suæ brevi in integrum restituit; ut, quod Crantzius scribit, vix ullum Ecclesia detrimentum senserit. Primus deinde fuit, qui Præmonstrantensium ordinem magno religionis bono in diœcesin introduxit. Theodorici Ep. Monast. laus. Crantz. lib. 5. Saxon. c. 41.

Crantzi⁹, Tympi⁹, Kersenbrochi⁹, Bochorsti⁹, alijq; Monasteriensium Scriptores Theodorico subrogant Burchardum, à quo urbem templis & ædificijs reparatam volunt; sed magnopere hos falli dixeris, quòd Burchard⁹ jam dudum in legatione Constantinopolitana mortuus asseratur ab Ursbergensi. Successor ejus Egbert⁹ 20 Episcopus ex Decano Coloniensis Ecclesiæ delectus, qui Valariensem fundationem anno mox MCXXIX publicis, quas Bolland⁹ recitat, tabulis confirmavit. Bolland. in vita Godefridi Capenb. § XII.

Accedit ad hunc numerum, quos mors hoc anno subtraxit, Henricus Episcopus Paderbornensis, pridie Idus Octob. defunctus. Diem hujus mortis consignant Necrologia, Herisiense, Abdinghovianum, & Bustorfianum: annum scriptor Chronici Hildesimensis, Gobelinus, Crantzi⁹, & Trithemi⁹; isque trigesimus octavus est, post aditam possessionem ab Episcopatu. Perhibet quidem Gobelinus Henricum per XLIV annos administrasse Paderderbornensem Ecclesiam; sed is à primo schismatis anno & ab ipsa consecratione eos numerat, quibus subtrahendi sunt anni Henrici de Aslo Orthodoxi Episcopi, quem annos quinq; ante hunc Ecclesiam Paderbornensem ab obitu Popponis gubernasse diximus. Ac licet Henric⁹ hic Werlensis principio schismati adhæserit; haud multò post tamen ad Catholicorum partes transijt, animo inter omnes ærumnas & procellas constanti. Nec satis habuit per Legatum Pontificis reconciliari, nisi & ipse Romam adiret, ultroq; se Pontifici ad omnia obsequentem offerret, erroremque schismatis deinde multis largitionibus in pauperes, & religiosos viros, cumprimisque Abdinghovianos Monachos expiaret. Vir indole humanus, modestus, pius, qui cum Clericis chorum magis, quàm Regis aulam amavit; eòq; & Cleri disciplina adhuc intra claustrum viguit, & Scholæ juventutis floruêre, & diœcesis, bono religionis cultu ac tranquil- Chron. Hildes. ad hunc annum. Gobelin. ætat. 6. c. 59. Crantz. in Metrop. Trithem. in Chron. Hirsaug. Henrici Ep. Paderb. obitus.

 litatis

litatis statu, conservata est. Cetera rerum ab eo gestarum vetustas subtraxit, quæ & locum sepulchri posteris abscondidit.


Sancta Godefridi Cappenberg. mors, cœlestibus etiam signis condecorata.

At memorabili cumprimis excessu illustravit hunc annum D. Godefrid⁹ Cappenbergensis, quem Idibus Januarij Deus ad immortalem vitam evocavit, primum, ex quo à D. Nortberto Præmonstratensium familiæ adscriptus, Cappenbergensium Canonicorum Præpositum. Is postquam sub exitum anni 1125 cum Ottone fratre Præmonstratum abijsset, sacrisq; istic ordinibus initiatus esset; altero post anno, quo 18 Julij Nortbertum Archiep. introductum diximus, Magdenburgum quoq; à D. Nortberto evocatus. Paruit sanctissimi magistri sui postulato; sed brevi aulæ splendorem ac strepitus pertæsus, petijt remitti Cappenbergam ad quietioris vitæ institutum. Accepto redeundi potestate, in itinere, quo Ilmstadium deflectebat ad Cœnobium à se in Wetteravia conditum cœpit lento morbo confici; ubi cùm mira quadam dulcedine & desiderio cœlestis vitæ animum perfundi sentiret, convocatis fratribus petijt sibi ignosci, si quem unquam è suis offendisset. Post omnibus sacris rite provisus placidissima morte innocentis vitæ animam cœlo transmisit. Nec cœlestia signa defuêre sanctitatem viri testantia; quippe sub idem tempus nivei splendoris corona ornatus, multaq; luce circumfusus, obtulit se Gerbergæ, sanctimonialium Virginum in Transaquensi Collegio apud Monasterienses Abbatissæ, quæ Ottonis patrui filia erat, ac vivo etiam Godefrido vitæ mutationem prædixerat. Inde Ilmstadij in medio choro sepultus, tumulo supra terram erecto, hodiedum aspicitur; quanquam magna pars sacrorum ossiũ multis illustrata miraculis Cappenbergam post translata, gemino nunc mausoleo honoretur. Vastatum à Barbaris ac postremò à Suecis sepulchrum, tamen ab omni hostili manu, ut mihi coram aliquando intueri licuit, intactum. Godefrid⁹, quamvis solemni apotheosi, quod Moguntin⁹ Archiepiscopus sollicitârat aliquando, non sit in Divorum numerum relatus; Fasti interim & Scriptores cum Baronio & Serrario Sancti appellatione exornant; multisq; etiam in locis, cumprimisq; in Hispania, à sui ordinis cœtibus festus ejus dies solemni ritu est habitus.

Plures per hoc tempus Comites & Nobiles Godefridi exemplum secuti, religiosæ vitæ se mancipant.

Mirum quot illustrium per Westfaliam familiarum Comites ac nobiles ex utroq; sexu mox ad Godefridi exemplum per contemptionem rerum humanarum se suaq; bona Deo consecrârint; quos inter post Ottonem fratrem, & Juditham conjugem, Beatrix Godefridi soror, Adelheidis Oldenburgensis Comitis filia ac Godefridi consanguinea, Henric⁹ Arensbergæ Comes, Hermann⁹ Comes de Are, materq; ejus Hildagundis, & soror Hedwigis, Ludowicus Arnsteinius Comes, unaq; Cuda conjux. Longum ceteros eodem religionis spiritu per id tempus afflatos referre. Juditha Godefridi conjux primùm ad pedem Cappenbergensis montis, constructo Virginũ domicilio, cum Beatrice Godefridi sorore, Adelheide Oldenburgica, alijsq; Virginibus inclusa vixit, sub moderatrice Hedwige sanctissima Virgine, multisque ut fertur, cœlestibus prodigijs illustrata.

ANNALIUM




ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER VIII.

BERNARDUS I


è familia Dynaſtarum de Oſede

XVI9

EPISCOP. PADERBORN.



BER-



BERNARDUS I XVI, EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1128.

Honorij II Pont. 4.
Lotharij II Reg. 4.
Bernardi I Ep. Pad. 1.

Dodechinus. Gobelinus. Bruschius. Auctor vitæ è Monachis Hardehusanis.

Bernardus è nobili familia de Osede eligitur à Clero Episc. Paderb.



AB excessu Henrici Antistitis libera cleri electione subrogatus est Bernardus, eo nomine primus hujus Ecclesiæ Episcopus. Ortus is erat ex illustri Dynastarum in Ossedi familia, quæ Osnabrugum inter & Iburgum claram priscæ nobilitatis sedem habebat. Hanc ipsam Ludolphus de Osede haud multò post, anno videlicet 1174, cùm liberos non suscepisset convertit in Monasterium virginum, quale hodiedum aspicitur, coliturque: in quod tum à Philippo Osnabrugensi Episcopo introductæ sunt Virgines. Fallitur proinde Bruschius, alijque, qui Bernardum è familia nobilium de Disede deducunt; cùm Auctor vitæ ejus è Monachis Hardehusanis ex familia nobilium de Osede ortum scribat. Igitur Bernardus vir, qui, præter familiæ splendorem, omnia virtutum ornamenta ad Episcopi munus attulit; quippe à primis annis traductus ad scholas, & cooptatus in clerum Paderbornensem, multos jam annos sese doctrinâ, pietate, fervore religionis, vitæque integritate commendârat. Hinc postquam ex aula & manu Imperatoris electio Episcopi ad clerum est traducta, virum hunc in Collegio probatum ac dignissimum selegerunt Canonici, ostenderuntque, optimum quemque synceris suffragationibus inveniri. Quod res ab eo laudabiliter per XXXII annos pro Ecclesia sua gestæ docebunt, quarum hoc ipso anno primo Episcopatus sui præclarum initium dedit.

Cum Widekindo Comite

Nam cùm per id tempus Widekindus Comes Swalenbergensis, Bernardi Episcopi consanguineus, & conjux ejus Luthrudis, ex heredi-

hereditarijs bonis & heredum consensu cœpissent condere Monasterium ordinis D. Benedicti, sub patrocinio S. Mariæ, quod inde patrio vocabulo Marienmunster appellatum est. Bernardus Episcopus, qui ejus sacri operis hortator semper fuerat apud consanguineum Comitem, idem etiam in partem fundationis pari liberalitatis dono venit, itaque decimis, alijsque bonorum largitionibus auxit, alter ut Monasterij conditor sit cultus: quod ut fundationis tabulæ, ita religiosi ejus loci viri ex diversis donationum literis profitentur. Sed nunc ipsas fundationis tabulas, quæ insignem Bernardi Episcopi religionem pietatemque spirant, & hæc ipsa planius exponunt, hic proferamus.

Swalenbergensi fundat & dotat Cœnobium Marienmünster.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Bernardus divina favente clementia paderbornensis Episcopus. Quoniam ex divina misericordia temporalibus bonis fide recta, et pia spe, et sancta charitate Deo oblata æterna bona comparantur; noverit tam futurorum quam præsentium fidelium Christi universitas, qualiter Comes Widekindus, vir nobilis et catholicus, nobis propinqua consanguinitate conjunctus, et uxor ejus Luthrudis nobilis fæmina Deo devota, tam necessaria exhortatione ipsorum salutem desiderante, quam spontanea ipsorum voluntate ad cœlestem patriam suspirantes cum consensu hæredum suorum cæperunt in propria sua hæreditate fundare Ecclesiam in honorem Dei ac sanctæ genitricis ipsius Mariæ Virginis, insuper et claustrum, officinas quoque, et omnia claustralia spiritualibus viris, et monasticæ vitæ ac conversationis aptissima: Et quia piis semper adjutor est Deus, honeste incepta perfecta constructione consumarunt, collectisque in ea consilio Ecclesiæ nostræ Christi pauperibus monasticæ vitæ personis, quos non solum summæ perfectionis fama Deo et hominibus, sed et ipsa religionis res et opera commendant: Abbatiam in eodem Cœnobio liberam, et ab omni sæcularis obsequii jure absolutam auxiliante Deo instituerunt, imponentes ei vocabulum sanctæ Mariæ Monasterium. Igitur præbendam fratrum ex propria hæreditate disponentes de libera et Deo digna Abbatis electione hoc decretum auctoritate Ecclesiastica firmaverunt: ut si inter rosas hujus novellæ plantationis oliva fructifera excreverit, inter humiles paupertatis martyrio florentes persona idonea reperta fuerit, summa cum libertate assumatur sua obedientia cæteris pater præficiendus, et omnino careat ministerialibus, careat beneficiatis hominibus, nulla propinquorum dilectione ductus res Ecclesiæ dilapidet, nihil nisi hospitalitatis et charitatis causa dispertiat; quod si inutiliter res dissipaverit, anathema sit. Si autem Abbas alius quæri convenerit, ejusdem ordinis pater eligatur: qui si venire contradixerit, consiliis et auxiliis nostræ obtineatur Ecclesiæ. Secundum quem religionis tenorem Dominus Gerardus primus hujus Ecclesiæ Abbas electus et consecratus est. Nos igitur circa Dei cultum studium nostris quoque consiliis et auxiliis promovere cupientes, partemque aliquam in æterna remuneratione habere desiderantes, quia exhortatio nostra usque adeo processerat, hanc eandem

pauperum

pauperum Christi congregationem decrevimus hoc ordine adjuvari; ut si quis fidelium nostrorum sive liberorum hominum, sive ministerialium Ecclesiæ nostræ, tactus spiritus sancti inspiratione et visitatione intrinsecus, sive beneficia, sive hæreditatem pro æterna remuneratione minuere sibi, et sanctæ Mariæ in prædicta Ecclesia conferre voluerit, liberam ex nostra concessione et auctoritate hoc perficiendi habeat potestatem. Quod ut nullius æmuli molimine retractetur, quin omnibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, magis gratum efficiatur, exemploque nostri emolumenti Successores nostri ad similia provocentur, præsertim, quia plurimum decoris Ecclesiæ nostræ inde provenire prævidemus, quædam beneficia nobis libera facta in pago Bredenborne sita cum decima ei adhærente prædictæ Ecclesiæ contulimus cum omnibus pertinentiis sive adhærentiis, videlicet servis et ancillis, areis, ædificiis, terris cultis et incultis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et inquirendis, silvis, pratis, pascuis, aquis, piscationibus, molendinis, et omnibus rebus mobilibus et immobilibus, ac cæteris, quæ et quoquo modo nominari possunt utilitatibus, et hac nostræ auctoritatis Episcopalis pagina communi consilio, et unanimi totius Ecclesiæ nostræ consensu, pro salute nostra et omnium Fratrum nostrorum Canonicorum et Antecessorum, Successorumque nostrorum æterna beatitudine proprietavimus. Insuper carratam vini ad sacrificium Domini singulis annis largiti sumus, ita ut quicunque in eadem Ecclesia fuerit Abbas canonice electus, liberam habeat potestatem tenendi, possidendi, et ad honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ, sicut placuerit disponendi. Pro hujus benevolentiæ gratia et simili per Successores nostros Episcopos, adjuvante Deo, eidem Ecclesiæ imposterum exhibenda nostræ petitionis interventu à prædicto Comite Widekindo, quod multi etiam Episcopi et Abbates petebant, obtinuimus, ut videlicet eadem Abbatia, sicut dictum est, libera, et ab omni secularis obsequii aliena, Ecclesiæ nostræ fraterna charitate devincta in spiritualibus negotiis sit subjecta. Abbas obedientiam Panerbornensi Episcopo faciat. Consecrationem suam et Fratrum suorum ad sacros ordines promovendorum ab Ecclesia nostra expectet: ad Synodum, et alios spirituales conventus invitante Episcopo familiariter veniat, et per impensam Episcopi ei familiariter exhibitam cum decore procedens conventui deserviat. Judicia approbanda una cum Ecclesia nostra admittat, reprobanda contemnat; denique consolationes et consilia in suis causis inveniat. Postremo omnia spiritualia tam ipse, quam Fratres ipsius tanquam filii piæ matris ubera sugentes petant et accipiant; ut et nos orationum et eleemosynarum ipsorum, et ipsi nostrarum in Christo jugiter sint participes. Ad hunc Fraternitatis in Christo amorem confirmandum statuimus, ut si quando visitationis seu exhortationis gratia ad locum advenerit Episcopus, portio præbendæ, quæ uni ex Fratribus provenire poterit, ei proponatur, ut ex hac devotione in Domino gaudens Episcopus de sua abundantia inspirante Deo Fratrum si quando possit, vel quomodo possit, supplere cogitet inopiam. De electione autem Advocati, qui in rebus Ecclesiæ quæsitis et quærendis sive defendendis

defendendis seculari lege sollicitus sit, hoc statuimus; ut si in cognatione Widekindi Comitis idoneam et sibi placentem personam invenerint, ipsam eligant in Advocatum, donantes ei beneficium, honorem videlicet, quo major esse non potest, fraternitatem suam in Christo, et orationes, et si digne administraverit officium suum, æternam remunerationem. Si vero rapax et negligens exstiterit, sine dilatione amotus careat et officio et honore concesso, aliumque sibi Ecclesia ubi voluerit, et quem voluerit provideat, qui petitione et patrocinio Paderbornensis Episcopi regali bono investiatur, et secundum justitiæ tenorem utilitati fratrum defensionis vires non subtrahat, et æternam remunerationem, quâ nihil est felicius, accipiat. Et ut hæc traditio, et Widekindi Comitis, et hæredum suorum rata atque inconvulsa permaneat in perpetuum, hanc auctoritatis nostræ paginam inde conscribi, manuque nostra propria confirmantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Hujus autem rei facto interfuit Sivvardus Mindensis Episcopus, Sichardus Ossenburgensis Episcopus, et Dominus Erckenbertus Corbeiensis Abbas, Hammuco Paderbornensis Abbas, Gerardus primus Abbas hujus loci, Wino præpositus, Esic præpositus: Widekindus Comes, Bernardus, Hermannus, et alii quamplures. Actum Anno Incarnationis Dominicæ MCXXVIII. XVIII *Calendas Septembris.*

In hoc Episcoporum & Comitum congressu introductus primus Abbas Gerhardus; Monasteriumque illud, quod adhuc flore religionis, ac magno Episcopatus ornamento bonoque conspicitur, Deo ac B. Virgini consecratum est. Quantum verò ex præsentia Erckenberti Corbejensis, & Hamuconis Abdinghoviani Abbatum æstimare fas erit, Monasterium hoc utriusque aut alterius Colonia apparet. Sed nec multum ab hoc congressu Episcoporum superstes Erckenbertus (quem Abbas fastorum montis sereni scriptor hoc ipso anno obijsse tradit) Præsul magnæ auctoritatis apud Reges & Principes, qui & Cœnobium religiosa disciplina florentissimum habuit, & quod superûm largitione consequi solet, multis possessionibus auxit: quas inter Castrum Itere cum omnibus prædijs amplisque bonis adjecit; fautoremque egregium habuit, sub hæc ipsa initia Episcopatus, Bernardum Episcopum nostrum, à quo pontificali auctoritate omnia hæc secundum legem Angariorum, ut tabulæ habent, Erckenberto Cœnobioque confirmata sunt. Testes adscripti Reinboldus Comes, Conradus Comes de Eberstein, ac Poppo Comes. Successorem nactus est Erckenbertus Volckmarum Abbatem, quem Bernardus Episcopus pari benevolentia amoreque complexus est.

Chron. montis sereni.

Obitus Erckenberti, insignis Corbeiens. Abbatis.

Meibomius in chron. Corbeiens.

Celebris eo tempore per Marquardum & Erckenbertum, religiosissimos Corbeiensium Abbates, est instituta congregatio Fraternitatis, eaque sub patrocinio D. Viti martyris longè lateque per Saxoniam & Aquilonares provincias diffusa: in quam ex omni hominum ordine certatim quique sua nomina dedêre; eo cumprimis fine,

Fraternitatis, bono defunctorum, à Corbei-

episibus instituta congregatio.

fine, ut morientium securitati solatioque post obitum consuleretur; quemadmodum hoc in Corbeiensium monumentis reperio. Leges, in quas conventum, hæ fuere. Admissus solidum unum pendat, & in festo D. Viti Corbeiæ, aut etiam quocunque alio in loco hæc congregatio instituta fuerit, sacra frequentet. Quidquid liberè oblatum fuerit, in pauperes erogetur, qui eo die pascentur. Obitus dies renuncietur, mittanturque III solidi, ex quibus per xxx dies erogatio in pauperes fiat. Sacerdotes ac Monachi tenebuntur ex hoc pro fœdere sacrificium offerre pro defuncti anima, ceteri divinis interesse, & preces pro defuncto persolvere. Demum nomina defunctorum in certas tabulas referentur, ut eorum memoria repetatur.

Annus Christi 1129.

Honorij II Pont. 5.
Lotharij II Reg. 5.
Bernardi I Ep. Pad. 2.

Ursberg. Chron. Hild. Dodechin. Tritbem. Histor. Bavar. Chron. montis sereni. Brovver. in Ann. Trevir. Otto Frising. lib. 7.

Conradus Dux Sueviæ Imperium turbat.

Valuêre hæc maxime per Saxoniam, Lothario Imperatore, quocum prisca Imperatorum pietas & religio, post turbulenta utriusque Henrici Imperatoris tempora tanquam ex exilio redire visa est; seu ut quidam Saxonum scriptor memorat, *veritas de terra orta, et justitia de cœlo prospexit.* Sed bono quoque Regi adhuc cum Friderico & Conrado æmulis luctandum erat. Ausus est interim Conrado Ducatum Franconiæ, quem Henricus Imperator illi dederat, eripere, & Herbipolensi Episcopo suo reddere. Inde Spiram denuo aggressus est ex prioris anni obsidione; quòd Friderico & Conrado hostibus suis hæreret, & post datos obsides fidem violasset. Iram præterea Lotharij accendit, quòd Conradus, relicto Friderico fratre ad extrahendum in Germaniam bellum, ipse in Italiam ad turbandas istic res transcenderat, & * Modochæ sumpta Regni corona, plerasq; Lombardiæ civitates in suam factionem traxisset, novo Imperij turbamento. Qua super re questus Lotharius cum Episcopis & Principibus Imperij, commovit Moguntinum, Trevirensem, & Magdenburgensem Archiepiscopos, ut in Conradum, turbatorem Imperij, anathematis sententiam pronunciarent. Quam in rem Rex sub initium Junij frequentissima Principum comitia Goslariæ habuit; quibus & Bernardus Episcopus noster interfuit. Ut verò ceterorum præsentia hactenus nondum patefacta cognoscatur, operæ pretium erit Lotharij tabulas, Friderico Palatino eo in conventu datas, proferre, quas recens Ferdinando Episcopo nostro submisit Joachimus Maderus, vir antiquitatum studiosissimus.

** Modoyci.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Lotharius tertius, divina favente clementia Romanorum Rex. Notum facimus omnibus, quod Fridericus Palatinus de Putelendorff, cum consensu Agnetæ uxoris suæ, et Friderici

rici filii sui, vendidit Gevehardo de Lochtenem hæreditatem suam, videlicet totam curtem Abbenrod dictam, in pago Hartingo, sitam in Ducatu Ducis Henrici, cum omnibus attinentiis, agris, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, viis, inviis, exitibus et reditibus, adhæc quæsitis, et futuris temporibus inquirendis, cum omni utilitate exinde quovis modo percipienda: hac interposita ratione, ut prædictus Gevehardus inposterum liberam et plenam de bonis istis statuendi, vendendi, commutandi, donandi, vel successoribus suis relinquendi, et quidquid ipsis placuerit, de iis faciendi, habeant facultatem. Postquam igitur præterlapso tempore prædictus Fridericus Palatinus defunctus est, Agnes uxor sua, et Fridericus filius suus in nostra præsentia hanc emtionem et cessionem prædicto Gevehardo recognoverunt, et eam cum consensu Ludovici de Wippere, sub cujus mundiburdio erant constituti, confirmarunt. Nos vero, exigente illud justitia, nostraque benevolentia, propter fidele servitium ejus, et multorum intercessionem fidelium nostrorum, illud auctoritate regia nostra stabilivimus et confirmavimus. Ut igitur nemo inposterum et sempiternis temporibus factum illud immutare audeat, sive præsumat convellere, hanc literam conscribi, et sigillo nostro confirmari jussimus. Hujus rei testes sunt Archiepiscopi, Moguntinus Adelbertus, Adelbertus Bremensis, Northbertus Magdeburgensis, Conradus Saltzburgensis: Episcopi, Bertoldus Hildenesheimensis, Sigevvardus Mindensis, Ecbertus Monasteriensis, Bernhardus Paderbornensis, Udo Citizensis, Meingotus Merseburgensis. De Laicis, Fredericus Palatinus, Comes de Somerischenberg, Hermandt Landgravius, Conradus Marchio, Adelbertus Marchio, Comes Sifridus de Homburg, Udo, Ludevvicus, Conradus de Plötzke, Burcardus de Lucca, Burcardus de Werdere, Albertus de Wernigerod, Ludolfus de Valckenstidde, Henricus Wiperti, Widekindus de Sualenberg, Burcardus de Cunradesberge, Wernerus de Veltheim, Marquardus de Ordio, Conradus de Eikstede, Gero de Stockhunseke, Ekehardus de Wegenleve, VVernerus de Quenstede, Hermannus et Otto Milonis. De ministerialibus et servis Ludolfus de Dalem, VVillerus, Odalricus, Ludericus, Volcvvardus, Theodorici ambo de Tingelstede, Arnoldus de Anderbike, Theodericus de Hessenem, et Gerhardus, et alij plures, qui hoc audiverunt, et viderunt.

Signum Domni Lotharii tertii Dei gratia Romanorum Regis invictissimi.



Ego Thiemarus Regis Notarius ad vicem Adelberti Archicancellarij recognovi. Datum Id. Junij. anno Incarnationis Dominicæ 1129 Indictione VII anno II regni Lotharij III Romanorum Regis IV. Actum Goslariæ in Dei nomine Amen.

Spira Lothario se dedit.

Spira subinde longâ obsidione, quæ ab Idibus Julij in hyemem trahebatur, fameque & desperatione subsidij ad extrema malorum deducta, Regis clementiam implorat, & Moguntini Archiepiscopi precibus perduellionis veniam impetrat. Quare Calendis Januarij Rex victor urbem ingressus, cives denuo Sacramentum dicere jussit, & Sigefridum Episcopum recipere. Spirensium exemplo Nurenberga, ceteræque urbes se Lothario Regi submisère.

Bernardus Ep. jura & privilegia Abdinghov. confirmat.

Inter hæc Episcopi libere per Saxoniam collapsæ religionis jura ac disciplinam restaurârant; quòd cum Lothario Rege aurea Caroli M. & Ottonum tempora redire visa. Et Bernardus Episcopus noster, postquam, lustrata diœcesi, omnia rite composuisset, vernalem, sub exitum quadragesimæ, synodum cleri pro recepto more habuit; sub quod tempus Hamuconi Abbati, & Cœnobio Abdinghoviano omnia jura & privilegia ac bona Paderbornæ, magno religionis fervore, confirmat: quam in rem hîc tabulas proferre libuit.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Bernhardus Dei gratia Patherbrunnensis Ecclesiæ humilis minister. Quia habundante iniquitate multorum caritas refrigescit, et Ecclesiarum jura disturbantium et bona diripientium malicia et insolentia ubique invalescit, Episcopalis auctoritatis et defensionis subjectis conferre subsidium, credite, dispensationis nos ammonet officium. Unde omnium fidelium Christi tam presentium quam futurorum noverit universitas, qualiter nos divini amoris instinctu, venerabilisque Abbatis Hamukonis Ecclesie beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quæ in prenominati civitate sita est, et fratrum suorum, aliorumque fidelium nostrorum interventu talia bona, qualia eidem Ecclesie liberalitate Regum, largitione Principum, concessione Pontificum, oblatione fidelium delegata sunt in Ecclesiis, bannis, decimis, curtis, mansis, areis, ædificiis, mancipiis, novalibus, aliisque rebus majoribus et minoribus, mobilibus et immobilibus, et quæ diversi Abbates ipsius Ecclesiæ diversis temporibus sua suorumque fratrum instantia et industria, precariando, comparando, commutando legitimè acquisierunt, nostra pontificali auctoritatate et banno stabilimus et confirmamus; ea videlicet ratione, ut prenominatus Abbas cum suis fratribus, eorumque Successores ea cum omnibus suis appendiciis, acquisitis, seu acquirendis libere et quiete possideant, et quæ communi consilio de eis rationabiliter disposuerint, ad utilitatem et dignitatem Ecclesie sue cum consilio, et testimonio Episcopi legaliter faciant, fratribus autem licentiam eligendi Abbatem vita et moribus idoneum concessam, animarumque curam, et sepulturam tam de Ecclesie ipsius indigenis, quam cum eis habitantibus advenis salva Ecclesie nostre auctoritate, ei parrochiani presbiteri canonica justitia firmam et ratam nihilominus permanere decernimus, et ab omni hominum invasione, direptione, exactione ipsis eorumque rebus possessis, seu possidendis, Ecclesiastice pacis tranquillitatem, et nostre pontificalis tuitionis securitatem impendimus. Quicunque ergo hec fraudulenter violare vel violenter annullare presumpserit, anathemate feriatur, et si non felociter resipuerit cum diabolo et atrocissimis pompis ejus gehenne ignibus damnandus à sancte Ecclesie gremio omniumque fidelium consortio expellatur. Cunctis autem

tem

tem in eodem monasterio per iter disciplinæ regularis gradientibus gratiam cœlestis perseverandi instantiam, et perfectionis usque ad finem victoriam conferat, quæ ipsorum intercessionibus quietis et utilitatis suæ auctores et provisores fructu laborum suorum in æterna gloria participari concedat. Testes hujus rei sunt Wino præpositus, Bernhardus Decanus, Conradus præpositus, Reinbertus, Elicus, Gernand, et reliqui omnes Canonici: layci vero liberi homines VVidekindus de Sualenberg, Bernhardus de Lippia, et frater ejus Herimannus, Othelric, Thietmar, Volkmar, Bernhard, Heinric, Luidold, Manegold, Heinric, fratres, Ecbrath, Altman, Adelbrath, Anshalm, Bernhard, Sibrath, VVinand, Godescalc, Sigebodo. VVelzico, VVizo, Rother, Thancmar, Thiederic, et alii multi. Data Paderbrunnen III Idus Aprilis in cena Domini, anno Incarnationis ejus MCXXVIIII Indictione VII. regnante Lothario Rege regni ejus anno V. Episcopatus nostri secundo.

Pari religionis studio Egbertus Monasteriensis Episcopus publicis literis ratam habuit Valarensem fundationem, ab Ottone D. Godefrido factam; probatque ut pio instituto D. Augustini Canonici istic ex familia Præmonstratensium religiosam perpetuò vitam agant sub Præposito, quem Episcopus sua etiam auctoritate introducat. Literæ multorum Canonicorum, Comitum, & Ministerialium consignatæ leguntur apud Bollandum in vita D. Godefridi: & quod adhuc usu valuit, Egbertus se Mimigardevordensem Episcopum inscribit. Et quantum non Saxonia Orientalis illustrata formataque ad veterem cleri, populique disciplinam per D. Nortbertum Magdenburgensem Archiepiscopum? à quo hoc anno Magdenburgum introducti sunt ejus ordinis religiosi Canonici, submotis è templo B. Virginis Clericis vitæ solutioris. Sed, quæ omnium Sanctorum fuit, patientiâ est exercitus; dum enim pellices exturbat, clericos sibi hostes: dum polluta templa & altaria repurgat, cives expertus rebelles; à quibus cum Misnensi, & Havelbergensi Episcopo, & Præposito Cathedralis Ecclesiæ in suo Monasterio est obsessus: quem mira Dei providentia ex sævientium civium manibus extraxit. Nec impune fecère id cives, censuris Ecclesiæ à Nortberto perstricti, & Lotharii auctoritate ad obsequium deducti. Acerrimus quippe juris Ecclesiastici & libertatis vindex Lotharius, qui hoc ipso anno Giselbertum Trajectensem capite plecti jussit, quod Trajectensem Ecclesiam spolijs & injurijs vexasset.

Bollandus in vita S. Godefridi.

D. Nortbertus à perversis, Clericis & civibus patitur.

Chron. montis sereni.

Chron. Hildes. Chron. Gozecen. Dodechin.

Annus Christi 1130.

Innocentij II Pont. 1.
Lotharij II Regis 6.
Bernardi I Ep. Pad. 3.

At nunc sequitur annus MCXXX, quo Ecclesia in ipso capite sauciata, & schismate divelli cœpit. Mortuo enim Honorio Pontifice, XVI Calendas Martij, major meliorque pars Cardinalium & Episcorum eodem die elegit Innocentium II, patria Romanum. Huic ab alia

Ursberg. Otto Frising. Dodechin. Robertus de monte.

Baronius aliique. Schisma in Ecclesia post mortem Honorij.

alia factione pravorum Cardinalium objectus Petrus Leonis, dictusque Anacletus II, potentissimi civis Romani filius, homo maculosus, quem D. Bernardus indignum scribit, cui ne unius quidem vici cura committi debeat; quique adversus Catholicum à Catholicis canonice electum ausus sit locum sanctum armis & pecunia invadere, nullo unquam vitæ virtutumque merito commendatus. Alius longe Innocentius, in quo omnia virtutum Pontificalium ornamenta concurrebant. Innocentij causam suscepêre Lotharius Germaniæ, Ludovicus Franciæ, & Henricus Angliæ, Reges. Tuba hujus patrocinij D. Bernardus. Pro Petro Leonis stetere factiosi Romani & Rogerius Dux Apuliæ; quorum sententia oppressus Innocentius in Galliam abijt. Sed eo major tranquillitas in Imperio exorta. Nam, ut Abbas Ursbergensis memorat, per id tempus Bambergæ in conventu Principum D. Bernardus, cujus tum summa erat ob sanctimoniam vitæ auctoritas apud Reges & Principes, Fridericum & Conradum Sueviæ Duces hactenus infestos Regni æmulos Lothario Imperatori reconciliavit. Quam in rem multum contulit Henrici Bavariæ Ducis ac generi Regis studium ac potentia, qui per Bavariam superioremq; Germaniam prævalentibus armis dominabatur. Tum & Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, qui triennium cum Lothario Rege inimicitias gesserat, in gratiam redijt. Ita bellis civilibus compressis, omnia Lothario Regi ad votum & potentiam accessêre.

Pax in Imperio, hostibus sibi operâ D. Bernardi conciliatis.

Ursberg. de Lothario. Trithem. in chron. Hirsang.

Nec aliud fuit Episcoporum per Saxoniam studium, quàm ubique religionem, præclaris institutis & exemplis firmare: è quorum numero Egbertus Monasteriensis Episcopus, clarus ea tempestate præsul, ac D. Bernardo familiaris carusque, Leisbornense Monasterium in meliorem formam deduxit. Vetus quidem illud Sanctimonialium Virginum Collegium, à Carolo M. in fundo Botonis præstantissimi & potentissimi viri conditum, cui & Caroli M. Rotschwindam sororem, aut certe consanguineam primam Abbatissam impositam volunt; at postquam cum labentibus annis simul prolapsa disciplina Virginum conspecta, & quæ paucæ supererant Virgines dissolutæ viverent, Egbertus Episcopus, impetrata ad id Apostolica potestate, convertit in Cœnobium religiosorum virorum, introductis Monachis è D. Benedicti familia. Primum eis Abbatem præfecit Balduinum, virum religione & doctrina præstantem, quem & 12 Calend. April. in templo Virginum Freckenhostensium consecravit. Tanto id bono diœcesis factum est, quàm præclari postea viri ex illo Cœnobio prodiere, & in hæc usque tempora florem religiosæ vitæ deduxere.

Bernard. Wittius in chron. Leisborn.

Leisbornensium Sanctimonialium monasterium ab Egberto Ep. Monast. traditur viris religiosis è D. Benedicti familia.

Haud dissimili religionis proferendæ studio Adelbertus, Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus Ecclesiæ nostræ, rogatu Bernardi Episcopi nostri, Cœnobij Mariæ Virginis, quod anno superiori conditum diximus, jura ac privilegia pontificali auctoritate roboravit: testes hæ tabulæ.

Confirmantur ab Archiep. Mogunt. jura Cœ-

In

*In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Adelbertus Dei gratia Moguntinus Archiepiscopus, & Apostolicæ sedis legatus. Notum facio omnibus tam futuri quam præsentis temporis Christi fidelibus, qualiter annuente & concedente venerabili fratre nostro Paderburnensi Episcopo Bernhardo, Widekindus Comes fundavit Ecclesiam in sua propria hæreditate in honorem Dei & sanctæ genitricis Mariæ. Itemque propria hæreditate dotavit eam collectis in ea fratribus monasticæ professionis ad serviendum Deo & sanctæ Mariæ, pro salute animæ suæ & antecessorum suorum, & pro universa Ecclesia Catholica. Item liberam fecit eandem Ecclesiam suam, ita ut sit ab omni subjectione absoluta, nisi quod in spiritualibus tantum quærendis, accipiendis, & disponendis Paderburnensi Episcopo & Ecclesiæ sua sit subjecta. Item liberam habeat electionem in eligendo spirituali patre, in eligendo advocato, qui eis sit necessarius, et non gravis. Hanc etiam concessionem habeat ab Episcopo Paderburnensi cum consensu totius Ecclesiæ suæ, ut si quis vel liberorum hominum, vel Ministerialium Paderburnensis Ecclesiæ de rebus suis, sive de beneficio suo æternæ retributionis amore sibi minuere, vel illi quippiam conferre voluerit ad ampliandam rem fratrum, hoc licitum sit et ratum, & perpetuo maneat inconvulsum. Et nos igitur præfati patris nostri piam concessionem testamenti auctoritate ab ipso stabilitam, et sigillo ejus communitam approbantes, bonæque voluntatis ac meriti ipsius participes fore desiderantes, præsentis paginæ seriem conscribi, & sigilli nostri impressione precepimus consignari, sub perpetuo anathemate Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Domni Papæ Honorii, & nostro interdicentes, ne quis eam dolo vel ullo ingenio impetere, aut infringere audeat, sed dum vita hujus tempus volvitur, rata & inconvulsa permaneat. Testes fuêre Præpositus de Frideslaria, Godeboldus Præpositus de Jecheburch, Heinricus Præpositus de Heilegestat, Godescalcus Comes, Ernestus, & frater ejus Lambertus, & alii quamplures, qui viderunt, & audiverunt. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXXX, Indictione octava, regnante Lothario secundo anno regni ejus *septimo. Datum Frideslariæ, XII Calendas Julii feliciter Amen.*

Fundatio Cœnobij Mariæmunstensis.

* *annus sextus est.*

Ad hunc quoque modum Bernardus Episcopus noster totus fuit in alijs religiosorum virorum Cœnobijs fovendis augendisque, quod & literæ testantur, quibus hoc anno Abdinghovianis Cœnobitis extra muros civitatis nova largitione bona in Nethesungen & Atlon adjecit, brevi cum Egberto Monasteriensi Episcopo à privatis ad publicas regni curas à Lothario Rege avocandus.

Annus Christi 1131.

Innocentij II Pont. 2.
Lotharij II Regis 7.
Bernardi I Ep. Pad. 4.

Postquam anno superiori Innocentius Pontifex in Gallias pervenerat, Claromonti, quod præter ceteros Otto etiam Frisingensis tradit, concilium Episcoporum indixit, ad turbatæ Ecclesiæ & schismatis vulnus persanandum; ad quod Lotharius haud secus, quàm Henricus Angliæ Rex suos legatos præmisit, Conradum Saltzburgensem atque Egbertum Monasteriensem, Episcopos, per quos Innocentium in Germaniam invitavit, nihil honoris auxilijque prætermissurus erga Pontificem, quòd à Rege Galliæ & Angliæ deferebatur. Inde celebrato Gandershemij Natali Christi, per initia hujus anni MCXXXI è Saxonia ad Rhenum transijt; & cum didicisset Pontificem ad se venire, ipse cum omnibus Regni Principibus, Archiepiscopis,

Otto Frising. lib. 7. c. 18. Dodechin. Chron. Hildes. Chron. montis sereni. Trithem.

Lotharius Rex Leodij ab Innocentio coronatur.

scopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Palatinis, & flore nobilitatis Germaniæ Leodium obviam progressus, XI Calend. Aprilis honorificentissimè excepit. Rursumque Pontifex in corona XXXII Episcoporum, LIII Abbatum & magna procerum multitudine Regi & Richezæ Reginæ diadema imposuit. Peracta est hæc celebritas in Basilica Cathedrali D. Lamberti, quæ per id tempus, & numero, & dignitate Canonicorum adeo floruisse perhibetur, ut IX Regum, XIV Ducum, XXIX Comitum, ac VII Baronum, aliorumque nobilium filios censuerit. Eo igitur in conventu Episcoporum Germaniæ Saxoniæque, qui in Quadragesima præsente Lothario Rege agebatur, damnata sunt acta Petri Leonis, atque ipse pseudopontifex anathemate percussus. Post quæ Lotharius Rex Pontifici omne subsidium & operam promisit adversus pseudopontificem. At cùm investituras ausus est repetere Rex à Pontifice, haud leviter conturbati sunt Romani. Verùm eam petitionem D. Bernardus, qui magna auctoritate pollebat, facilè discussit, persuasitque ne veterem litem tanto labore compositam novo Ecclesiæ turbamento resuscitaret. Duos enim sanctissimos viros istic præsentes habuit Lotharius Rex, D. Bernardum & Nortbertum, quos in arduis rebus sibi arbitros esse voluit, quorum judicijs conscientiam suam permisit. Delecti præterea præstantissimi Episcopi, aulæ Consiliarij; quos inter & Bernardus Paderbornensis Episcopus noster, præclarè tum etiam de Innocentio Pontifice meritus, cujus rei gratia postea Romæ, ut referemus, Rationalis usu donatus.

Bernardus Ep. Pad. inter aulæ Consiliarios à Lothario adsciscitur.

Accessit ad hunc quoq; conventum Bernardus Hildesimensis Episcopus, vir per id tempus inter Saxoniæ Episcopos præstans. Is cum D. Nortberto Innocentium adijt, oblatoque libello, quo vita D. Godehardi, & illustria miracula sanctitatem ejus testantia exposita erant, publico illum Pontificis & Episcoporum judicio in Divorum numerum referri petijt. Quæ causa ex hoc conventu in synodum Bremensem rejecta est, in quo apotheosis illa mense Octobri decreta est; ut multis hæc auctor ad vitam D. Godehardi retulit: fallique comperti sunt, qui Rhemensem synodum ante Leodiensem collocant, quod & à Browero observatum est.

Appendix ad vitam S. Godehardi de Canonizat. *Brovver. in notis.* Agitur in conventu Leodiensi ut D. Godehardus in Divorum numerum referatur. Quod post in conventu Rhemensi factum. *Vita D. Bernhardi.*

Soluto Leodiensi conventu, in quo & in clericos concubinis fœdatos severis pœnis animadversum est, D. Bernardus Innocentium Pontificem Clarevallem deduxit, spectandamque obtulit Monasterij, sive sanctissimæ vitæ disciplinam, & modestiam Monahorum. Pontifex subinde cum Bernardo ad Rhemensem synodum 14 Novembris indictam profectus; ad quam ex diversis nationibus convenêre Episcopi; interque hos Nortbertus & Bernardus Hildesimensis Episcopus cum Ecclesiæ suæ Sacerdotibus, apotheosin D. Godehardi sollicitando. Ac postquam in senatu Patrum acta omnia, quibus

bus apotheosis D. Godehardi petebatur, diligentissimè sunt expensa, una omnium Episcoporum sententia cœlitum numero est adscriptus; id quod Innocentij diplomate mox confirmatum. Quare magno totius Saxoniæ triumpho magnoque populi concursu in Westfalia ossa humo levata, & publicæ venerationi exposita: miraculis deinde ad Divi cultum tota Germania illustrata.

Acta Concilii Rhemens. tom. X concil. Reg. Sirmond. Baronius. Vita D. Northb. Brovver. l. 13. annal. Trever. Dodechin. Chron. Mogunt. Serrarius.

Lotharius Rex à conventu Leodiensi cum Matthæo Albanensi Legato, & magna procerum Regni pompa Trevirim discessit, ut solemni ritu istic lætissimum Paschatis diem coleret. Transitum inde cum eodem Apostolico Legato Moguntiam fecit; ubi provincialem synodum convocavit Adelbertus Archiepiscopus, eiq; præsedit Matthæus Albanensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus cum ipso Archiepiscopo, præsente Lothario Rege, Ottone Bambergensi, Buggone Wormatiensi, Sifrido Spirensi, Embrichone Herbipolensi, Augustano, Eystadensi, Hildesimensi, pluribusque alijs Episcopis, ut vetus auctor scribit, quibus & Bernardum Episcopum Paderbornensem tanquam provincialem ejus metropolis comprehenderis. Ea in synodo Bruno Argentinensis à clero & populo accusatus, quòd per vim sibi obtrusus esset; quare Episcopatu se abdicare coactus. Haud dissimile justitiæ exemplum in Hermannum Wirceburgensem Comitem ipsius Lotharij consanguineum editum. Occiderat is Burchardum Locheimium, fidum Regis Consiliarium, fraude circumventum. Ob id facinus ad judicium postulatus, à Rege proscriptus, exutusque Comitatu; castrum, quod in abrupto diœcesis Hildesiensis monte conspicitur, expugnatum funditusque eversum; Comitatus ejus Ludowico Comiti Reginæ consanguineo donatus. Bellum deinde Lotharius, vindex justitiæ, ab Rheno in Saxoniam regressus, adversus Danos collecto exercitu suscepit, ob Kanuti Sclavorum Regis necem. Hunc enim Erici Daniæ Regis filium, ob egregias virtutes, Lotharius, post interemptos Henrici Sclavorum Christiani Principis degeneres filios, Wentepoldum & Kanutum, Obotritorum & Sclavorum Regem dixerat. Et is opera Vicelini, quocum illi magna familiaritas fuerat, subsidioque aliorum Sacerdotum, quos Vicelinus introduxerat, Christi religionem per Nortalbingiam ceterasque Sclaviæ regiones prope restituerat; cum ante non nisi uno in Lubecensi Comitatu Christi religio coleretur. Inter hos felices progressus Kanutus optimus Rex à patrui Nicolai Regis Danorum filio Magno, perfidè interficitur. Quam necem adeo acerbe sensit Lotharius Rex, ut concitâ totâ Saxoniâ in Danos moveret, cui Bardewici occurrit Vicelinus, salutatoque Rege & Regina Richesa, opem pro libertate christianæ religionis implorat; consiliumque dedit castrum in monte Sigeberg construendi, cujus præsidio Christiani adversus Barbaros tuti essent. Inde Lotharius Sclefwicum progressus ad Danorum fines.

Dodechin. Chron. Hildes. Chron. Gozense. Chron. montis Sereni. Trithem.

Helmold. l. 1. c. 50. Albertus Stadens. Chron. Sclav. c. 17.

Lotharij expeditio adversus Sclavos.

Dani ad conspectum Teutonici exercitus territi, cùm prælio non auderent congredi, auro in pœnam dato, & fœdere cum Lothario transegêre. Lotharius ut Christianorum securitati prospiceret, castrum Sigeberg in Waginorum terra construit, & præsidio firmat: templo ad pedem montis condito, cui sex oppida, & amplas possessiones adjecit. Nova hæc congregatio Sacerdotum, structuraque Vicelino commissa à Rege. Idem Lubecæ fecit Rex, severeque Pribislavo, ceterisque Sclavorum Principibus mandat, liberam ut relinquant Sacerdotibus & populo christianam religionem; secus si fecerint, se ferro, & igne ulturum perfidiam. Nec, eo Imperatore, se deinceps commovere ausi Sclavi. Vicelino præterea Apostolico viro totius Sclavicæ gentis cura à Rege commendata; quam ille magno deinde Evangelij fructu inter multas ærumnas ad Christi sacra perduxit, ut multis narrant Septentrionalium rerum Scriptores, à quibus etiam ob res inter Barbaros præclarè gestas magnus earum regionum Pontifex appellatur. Vel eò hæc à nobis commemoranda, quòd Vicelinus è scholis & clero Paderbornensi à Deo ad hoc Apostolicum munus evocatus. His salubriter constitutis Lotharius in Saxoniam reduxit exercitum ad hiberna.

Moritur Egbertus Ep. Monast. *Trithemius in chron. Hirsav. Wittius. Cleinsorg. Crantz. lib. 6. Metrop. c. 32. D. Bernardi ep. 126.*

E Saxoniæ Episcopis hic annus morte subtraxit Egbertum Monasteriensem Episcopum, virum Lothario Regi à prudentia & pietate percarum, à D. Bernardo inter sanctissimos ejus temporis Episcopos commendatus. Præter ea, quæ in publicis ab eo gesta retulimus, majorem Basilicam sub Theodorico exustam, plumbo texit: multaque ex ruinis illius incendij ab eo reparata sunt, quibus pristinus templi nitor, clero vitæ integritas, Cœnobijs disciplina restituta est. Ille ut Leisbornense Cœnobium ad meliorem formam reduxit, ita vagas post incendium virgines Sanctimoniales ex Monasterio in urbe trans aquas hærentes apud consanguineos anathematis pœna retraxit ad claustrum. Gesto per quinque annos Episcopatu, Coloniæ circa festa Natalitia obijt. Corpus Monasterium transvectum, conditumq; in Basilica. Successor ei cleri electione datus Wernherus Halberstadiensis Canonicus, consanguineus S. Annonis Archiepiscopi, ut auctor chronici Montis sereni scribit.

Annus Christi 1132.

Innocentij II Pont. 3.
Lotharij II Reg. 8.
Bernardi Ep. Pad. 5.

Dodechin. Trithem. in chron. Hirsav. Gelenius in sacr. lib. 1. synt. 6.

Jam ante Egbertum 8 Calend. Novemb. seu ut alij 25 Augusti, ipse Coloniensium Archiepiscopus Frideric⁹ eodem anno excesserat, præclarè per XXXI annos de Ecclesia sua meritus. Successoris electionem inter dissidias reliquit, alijs Godefridum Præpositum Sanctensem, alijs Brunonem

nonem Præpositum S. Gereonis deposcentibus. Vix institutio Episcoporum è manibus Imperatorum tanto molimine extorta erat, cùm ipse clerus & populus fœdè diffidere cœpit. Imperator, ut tumultuantem urbem componeret, Coloniam se transtulit; celebratisq; apud Ubios Natalitijs Christi egit, ut Bruno, licet invitus, Archiepiscopus acceptaretur, patre Adolpho Comite Altenacio & Montensi natus. Consuluerat Bruno D. Bernardum de Episcopatu suscipiendo: Bernardus, cùm multis vertisset in omnem partem consilij sui rationem dubius, tandem rescribit, horrere sese Episcopi onus alicui suadere; quare ad D. Nortberti consilium remittit, & suis se precibus rem à Deo postulaturum pollicetur. Tantæ columnæ sub onere trepidant; & quo nunc ambitio prensatur? & cùm unus Episcopatus impetratus, mox alter, tertiusque pari ambitione quæritur. Bruno posthæc Coloniensis, & Albero Trevirensis, Archiepiscopi à Wilhelmo Cardinali simul consecrantur.

Bruno, agente Lothario R. fit Archiep. Colon.

Bernard. Epist. 8s.

Lotharius Coloniâ, quo redierat, Aquisgranum digressus ad comitia Principum; id quod ex tabulis Leodiensi Ecclesiæ istic consignatis constare poterit, quibus Wilhelmus Prænestinus Episcopus Cardinalis, Matthæus Albanensis Episcopus Cardinalis, Joannes de Crema presbyter Cardinalis, Wido Diaconus Cardinalis, Albero Trevirensis Archiepiscopus, alijque Episcopi, ac Principes subscripsêre. Aderant haud dubiè hi Legati Apostolici Lothario Regi, ut expeditionem in Italiam ad collocandum in sede Innocentium sollicitarent. Quapropter Lotharius Paschate Aquisgrani celebrato, compositisque ijs, quæ ad Imperij tranquillitatem petebantur, in Saxoniam est regressus; lustratâque Paderbornâ, ceterisque Episcoporum sedibus, Mulhusij conventum Principum indixit, in quo de expeditione in Italiam maturandi consilia agitata. Consignatæ etiam Mulhusij regiæ tabulæ, quibus Walckenrodensis Cœnobij fundationem ratam habuit. Inde profectionem Romanam ad festum Virginis in cœlum assumptæ edicit, ad quam magno numero se Saxonici Principes ac nobiles obtulêre: rogatuque Cæsaris ex Saxoniæ Episcopis accessêre D. Nortbertus Magdenburgensis Archiepiscopus, Bernardus Paderbornensis Episcopus, ceterique Episcopi, & Abbates Germaniæ, quos ex epistola Lotharij mox recitabimus, quibus se D. Bernardus adjunxit, alterum per id tempus cum D. Nortberto oraculum Germaniæ. Inde Lotharius 18 Calend. Septembris cum exercitu Augustam Vindelicorum movit, qua in urbe pacificè agentem bello lacessunt cives. Nec impunè; Cæsaris quippe milite prævalente, urbs incensa, multiq; civium captivi abducti. At postquam Conradus Jtalici regni invasor, de Lotharij expeditione certior factus; per viarum ambages in Germaniam recurrit. Eò Lotharius partem exercitus in Germania relinquere coactus, ad conatus ejus reprimendos,

Miræus in Not. Belg. c. 143.

Lotharius expeditionem in Italiam decernit.

Otto Frising. Dodechin. Robertus de monte. Chron. Montisse-reni. Sigonius l. 11 de regno Ital. Auctor ad-dit ad Lamb. Petrus Clun. 11. & 3. epist. Bernard. in epist. 139 Vita D. Northb. Baron.

servandosque amicos; cum altera parte exercitus, quæ paucarum legionum erat per Tridentinas valles in Jtaliam penetravit, Jnnocentio Pontifice alia via ex Gallijs occurrente.

Annus Christi 1133.

Innocentij II Pont. 4.
Lotharij II Regis 9. Imp. 1.
Bernardi I Ep. Pad. 6.

Lotharius Romam ingressus Pont. Innocentium restituit.

Postquam Lotharius apud villam, quam medicinam dixêre, Natalem Christi celebrârat, ac pleraque per Jtaliam loca munita occupasset, tandem II Calend. Martij urbem ingressus est, castris ad portam S. Agnetis positis; tum, quia Genuenses & Pisanos latium simul littus occupari jussit; tanta trepidatio incessit Petrum Leonis, ut in Basilicam S. Petri, & vaticanum munimentum se cum suis reciperet, alij etiam ad turres refugerent; ita Pontifex unà cum Lothario pacato agmine Romam ingressus, secessit in Lateranum, Lotharius verò Aventinum montem insedit. Tum verò primò tractatum est consilijs cum pseudopontifice; quæ cùm ille fautoresque ejus eluderent, institutum judicium Episcoporum à Lothario, damnatusque Petrus Leonis, sentententia cumprimis Episcoporum Germaniæ & Saxoniæ, id quod ex epistola ipsius Lotharij, quam recens produxit Lucas Dacherius, cognoscere licebit; eòque hîc gratior, opinor, erit, quòd in ea Bernardus Episcopus noster, ac ceteri Saxoniæ Episcopi memorentur Romæ judices ac defensores Apostolicæ sedis, quorum nomina hactenus ignorata fuêre; id quod potissimum Stephano Baluzio viro in Gallijs eruditissimo debemus, qui eam Lotharij epistolam à se illustratam cum Ferdinando Episcopo nostro communicavit; ita igitur Rex ac mox Jmperator nominandus.

Baluzius.

Lotharius Dei gratia Romanorum Rex Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, et universis Dei fidelibus, ad quos hæ literæ pervenerint salutem.

Majestatis divinæ dispensationi, et consilio placuit, nos patronum, et defensorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ statuere, ideoque necesse habuimus pro ipsius liberatione propensius laborare. Cum igitur adscitis nobis Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus, Principibus, Ducibus, Comitibus et Marchionibus regni nostri, Episcopos etiam, Comites et alios Barones Italiæ nobiscum ducentes, bellico apparatu stipati, ad urbem proficisceremur, nuncios Schismatici illius Petri Leonis frequenter habuimus, qui nimirum ex parte illius justitiam prætendentis, ipsi in jus ire parato non debere audientiam denegari, nec hostilibus impugnationibus molestari, publicis clamoribus asserebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, id ipsum Episcopis et Cardinalibus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, significare coacti sumus; ipsi verò tanquam Canonicarum sanctionum, et constitutionum Ecclesiasticarum non ignari, universam Dei Ecclesiam jam super hoc pronunciasse sententiam, Petrum Leonis, ac complices suos damnasse asserentes, quod erat universalis, non debere privatam fieri responderunt.

Nos

Nos autem id ipsum cum patientia supportantes, et Patrem nostrum Papam Innocentium ad urbem cum gloria duximus, et Lateranensi Ecclesiæ restituimus, atq; in monte Aventino castra metati fuimus, ibique Petrus Leonis aures nostras, et Principum nostrorum per Petrum olim Portuensem Episcopum, et per alios fautores suos prætendendo justitiam sollicitare non destitit. Qui etiam munitiones et obsides se nobis daturos ad sufficientiam pro servando judicio et viva voce, et literis promiserunt. Pacem ergo sine effusione sanguinis reformare in Ecclesia Dei cupientes, quæ nobis illi dixerant, fratribus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, per nos ipsos significavimus. Cæterum ipsi, utpote pacis amatores, de justitia confidentes, tam personas suas, quàm Leonis, et filiorum suorum, nec non Cent. Per. Fracaganis, et Petri Latronis, et munitiones in manu nostra libere obtulerunt. Adversa verò pars dies redimere cupiens, sub velamine fraudulentarum promissionum, nos aliquanto tempore à nostra intentione retraxit. Tandem quia ipsi commoniti implere, quod promiserant, noluerunt, tanquam fallaces et perfidi, et tam divinæ quàm regiæ majestatis rei, cum Petro Leonis ejusque complicibus damnati, et hostes à Principibus nostræ curiæ judicati, videlicet Nortberto Magdenburgensi Cancellario nostro, et A. Bremensi Archiepiscopis, et D. Ossemburgensi, B. Padelbronnensi, An. Brandneburgensi, et B. Parmensi, R. Albensi, O. Astensi, O. Cremonensi, G. Yporiensi Episcopis, et Abbatibus, Henrico Fuldensi, Alberone Noemburgensi, et Lunenburgensi: proceribus Alberone, et Henrico Marchionibus, Othone, Sigifredo vexillifero, Herimanno, Wilhelmo de Lomello, Gothone de Marchwingo, Hildebrando, et Tancredo de Prato Comitibus, et Alberto de Cassello.

Qui his Lotharij literis consignatur Bremensis Archiepiscopus, Adalbero fuit, seu Thiethardus, ut mox constabit ex literis Clanoltanis; Paderbornensis, Bernardus Episcopus noster; ceteri Saxonici Episcopi & Abbates ex singulorum fastis petendi sunt; quemadmodum de Fuldensi Abbate consulendus Browerus in Fuldensium antiquitatibus. *Historia Brem. Brovver. in antiquitat. Fuld. lib. 4.*

Postquam igitur horum Episcoporum & Cardinalium judicio condemnatus est Schismaticus Pontifex, ut eum Lotharius Rex appellat, atque Innocentius verus est Pontifex renunciatus, collocatusque in sede Petri, ut Otto Frisingensis ceterique scribunt, Lotharius in Ecclesia sancti Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, est introductus, atque in ea ab Innocentio Pontifice solenni ritu Imperator coronatus, festaque populi acclamatione Augustus appellatus. Ea celebritas in Lateranensi Basilica peracta, quòd Ecclesiam D. Petri, ubi mos erat coronare Imperatores, Petrus Leonis eo tempore occupaverat. Sexto pòst die Pontifex beneficiarias ditiones, quas à Mathilde dono Apostolica sedes acceperat, Cæsari concessit; ea tamen lege, ut ad Successores non transmitteret, & pro clientis officio quotannis centum auri libras penderet. Ita Cæsar vasallus Pontificis, quod & hi versus in memoriam actæ rei docent, inscripti tabulis æneis. *Dodechin. Otto Frising. lib. 7. c. 18. Chron. Benens. Vita Nortbert. Sigon. lib. 11. de bello Ital. Baronius, aliique.* Lotharius Imperator coronatur.

Rex venit ante fores jurans prius urbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Quan-

Quantum id perstringit oculos heterodoxorum nostrorum, qui omne Petri & Pontificum patrimonium Cæsari asserunt? Nec Pontifex modò gratus in Cæsarem, sed & in alios, quorum beneficio restitutus. Norberto datus tum à Pontifice Primatus, aut certè confirmatus; perinde, ut omnia Ecclesiæ suæ privilegia, quæ exesa à tineis neglectaque querebatur, corroborata sunt. Bertholdo Fuldensi Abbati concessum jus mitræ, baculi, annuli, Pontificis ritu. *Bernardus Episcopus Paderbornensis promeritus à sede Apostolica, sibi ac Successoribus suis usum Rationalis in celebrationibus Missarum statutis temporibus, in consecrationibus Ecclesiarum, et in ordinationibus Ecclesiasticorum graduum, quanquam in proprio tantum Episcopatu.* Quemadmodum hæc scriptor vitæ ejus, auctor chronici Hildesiensis, certus eorum temporum scriptor, Gobelinus & Crantzius retulerunt. Sed nihil horum testimonijs hîc opus, cum ipsus adsit Innocentij Pontificis diploma, quo mirificè laudat singulare Bernardi Episcopi studium pro sede Apostostolica, cujus ipse meritis provocatus, singulari quoque hoc Rationalis honore præ ceteris etiam tum Saxoniæ Episcopis illum exornarit. Quare sic Pontifex.

Vita Norberti c. 50. Brovver. l. 4. Antiq. Fuldens.

Bernardus Ep. Pad. sibi suisque Successoribus impetrat usum Rationalis.

Chr. Hild. Gobel. ætat. 6. c. 59. Crantz. lib. 6. Metrop. c. 10.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri Bernardo Padelburgensi Episcopo ejusque Successoribus canonicè promovendis. Sicut omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, et à patre luminum descendere scripturæ sacræ authoritas protestatur. Ita procul dubio nostram gloriam atq; lætitiam fore credimus, Si Fratres nostri digni honore inveniuntur, et pro sua probitate atque scientia de magnis honoribus ecclesiasticis ac dignitatibus ad altiora provehi promerentur. Hoc profecto intuitu, quoniam multa de tuæ devotionis erga Beatum Petrum studio venerabilis frater Bernarde Episcope nostris sunt auribus nuntiata, et hoc ipsum certis indiciis comprobavimus equum est, ut pro impenso obsequio à sede Apostolica amplius honoreris, et ut de cætero fraternitatem tuam nobis magis obnoxiam statuimus, tam temporaliter quam spiritualiter gratum emolumentum Domino cooperante recipias. Et quoniam tanquam Aaron ad pontificalis dignitatis fastigium divina providentia te credimus evocatum, et loco Moysi ad regimen es, et principatum Christiani populi constitutus, eorumque quoque dignitatis te Principem constituimus, et usum Rationalis tibi tuisque Successoribus ex Apostolicæ sedis benignitate concedimus. Hoc videlicet sancientes, ut eodem his diebus per parrochiam tuam infra Ecclesiam duntaxat utamini, qui in præsentis scripti pagina perscribuntur. Id est Cena Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, Natale beati Johannis baptistæ, festivitatibus beatorum Apostolorum Petri et Pauli, sollemnitatibus beatæ Mariæ, et omnium Sanctorum, natale Domini, et epiphania. In consecrationibus quoque Ecclesiarum infra tuam parrochiam, nec non etiam ordinationibus Clericorum, in anniversario dedicationis Padelburgensis Ecclesiæ, et in festivitate Sancti Liborii. Tua itaque frater dilectissime interest, ut quod in facie geris Ecclesiæ operum tuorum commendet effectus, et tua dilectio hac semper gratia valeat dignior inveniri.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Signum manus meæ adjuva nos Deus Salutaris noster.

Datum

Datum Laterani per manus Armerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi Card. & Cancellarii Non. Junii, Indict. XI, Anno Dominicæ Incarnat. MCXXXIII, Pontificatus verò Domni Innocentii II anno IIII.

Rarum atque præclarum Episcoporum egregiè meritorum ornamentum; quo idem Innocentius, Pontifex haud multò post etiam decoravit Alberonem Leodiensem Episcopum, simili prope forma diplomatis. Inter Saxoniæ Episcopos reperio Mindensem, & inter Germaniæ Episcopos Eystadensem Rationali, à Pontificibus decoratos. Id sacrum ornamentum, ex indumentis Pontificum veteris Ecclesiæ traductum; quæ fuêre Tiara, Tunica hyacinthina, Ephod, seu Epomis, & superhumerale, quod à Josepho stola hieratica dicitur, præter hæc, Rationale, quod græca voce λόγιον, latinâ pectorale dixêre: Rationale ab Innocentio datum, opus ex auro, serico, & gemmis, elegantiq; contextu formæ quadrangularis, quod insertum collo humeros & pectus tegit, dependentibus à tergo & pectore quatuor fascijs limbisque, haud multum Epomidi dissimile, unde & superhumerale aliis dicere placuit. Non tamen Pontificale fuit, quod Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis proprium est; licet id in Jtalia cum Lucensi & Ostiensi, & in Germania cum Richardo Leodiensi, ac teste Sigeberto, Bambergensi Episcopis communicatum fuerit. Sanè ut politici Principis est impertiri insignia, quibus ordines discernantur, & ob merita exornentur; ita Pontificis est, pro summa in Ecclesiam potestate, hujusmodi sacrorum ornamenta dilargiri, cùm id vel Ecclesiæ dignitas, vel egregia Episcoporum merita ob remunerationem decoremque exigunt.

Fisen in hist. Leod. lib. 10. Exod. 28. Ioseph. l. 5. c. 15. Onuph. de voc. Eccl. Innocent. III. in lib. 1. Myster. Miss. c. 10. & 63. Serrar. l. 3. Histo. Mogunt. Fisen lib. 10. in Albert.

Hunc solemnem deinde Rationalis usum, ab Innocentio II Pontifice Bernardo Episcopo nostro & Successoribus datum, confirmavit, ampliavitque Alexander VII Pontifex Ferdinando Episcopo Paderbornensi, cum præclara virtutum ac meritorum testificatione. Quocirca hujus Pontificis diploma ad Innocentij conjungere visum, quo confirmatiore fide illustre hoc Paderbornensis Ecclesiæ privilegium ad posteros perveniat. Duo autem in hanc rem sunt Alexandri VII diplomata, alterum breve, alterum quo antiqui privilegij confirmationem complectitur.

Ejusdem Rationalis usus confirmatur & ampliatur ab Alexandro VII.

ALEXANDER PP. VII.

Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ea plane sunt vel Ecclesiæ Paderbornensis in hanc sanctam sedem antiquæ fidelitatis obsequia, vel etiam fraternitatis tuæ domestico ac diuturno usu spectatarum nobis virtutum promerita, ut Apostolicæ benignitatis indulgentia nedum vetera ornamenta retinere, sed novis quoque decoribus augeri jure debeatis. Quod à nobis in præsens omissum non fuisse hisce literis adjunctum diploma declarabit. Perge porro venerabilis frater, qua vigiliis pastoralibus super gregem istum accurate custodiendis, qua perpetuo erga Romanam Ecclesiam observantiæ cultu, et Catholicæ religionis incenso studio has laudes jam proprias tuas tibi magis indies asserere. Nos paternæ caritatis illustriora documenta quæ-

que

que fraternitati tuæ pro re ac tempore semper exhibituri benedictionem Apostolicam interim peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die XIII Februarii, MDCLXVI, Pontificatus nostri anno undecimo. Venerabili fratri Ferdinando Episcopo Paderbornensi.

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicæ dignitatis fastigio divina dispositione constituti, illa quæ ex circumspecta Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum beneficentia ad augendum Antistitum in partem Apostolicæ sollicitudinis vocatorum decorem provide emanasse dicuntur, ut firmiora semper atque stabiliora permaneant, Apostolici muniminis præsidio libenter roboramus, eaque etiam ampliamus, sicut personarum meritis convenire in Domino arbitramur. Exponi siquidem nuper nobis fecit venerabilis frater Ferdinandus Episcopus Paderbornensis, quod dudum fel. rec. Innocentius PP. II prædecessor noster bonæ memoriæ Bernardo, dum vixit, Episcopo Paderbornensi, ejusque Successoribus canonice promovendis in perpetuum usum Rationalis concessit, hoc videlicet sanciens, ut eodem per eorum parœciam infra Ecclesiam duntaxat uterentur his diebus: nempe cœna Domini, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Natalis Beati Joannis Baptistæ, festivitatibus Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, solennitatibus Beatæ Mariæ, et omnium Sanctorum, Natalis Domini, et Epiphaniæ. In consecrationibus quoque Ecclesiarum infra eorum parœciam, nec non etiam ordinationibus Clericorum, in anniversario Dedicationis Paderbornensis Ecclesiæ, et in festivitate Sancti Liborii, et alias prout in ejusdem Innocentii prædecessoris literis desuper anno Incarnationis Dominicæ M.CXXXIII Nonis Junii expeditis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Ferdinandus Episcopus concessionem hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, ac ad aliquot alias festivitates extendi plurimum desideret. Nos ad eximia fidei et devotionis erga Nos et Sedem Apostolicam, aliaque multiplicia virtutum merita, quibus eundem Ferdinandum Episcopum ab omnium bonorum largitore exornatum esse novimus, paternæ dirigentes considerationis intuitum, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, et à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis censuris et pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem usus Rationalis Bernardo Episcopo ejusque Successoribus in perpetuum à memorato Innocentio prædecessore factam, ut prædicitur, emanatasque desuper ipsius Innocentii prædecessoris literas prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea eandem concessionem ad festivitates corporis Christi, Circumcisionis Domini, et inventæ atque exaltatæ crucis, ita ut his quoque festivitatibus dictus Ferdinandus ejusque Successores Episcopi Paderbornensis canonice promovendi in perpetuum eodem Rationali pariformiter uti libere et licite

possint

possint et valeant, auctoritate et tenore prædictis extendimus et ampliamus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas et validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Ferdinando ejusque Successoribus Episcopis prædictis in omnibus et per omnia plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, et causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die tertia Martii MDCLXVI, Pontificatus nostri anno undecimo.

Ab his nunc ad institutam narrationem redeamus. Cùm post restitutum Innocentium Pontificem Lotharius in urbe versaretur, arduumq; reputaret cum exiguo milite, quem duorum tantummodo, aut trium millium habebat, Schismaticum Pontificem ex munitionibus atque urbe ejicere, reditum ex consilio Episcoporum & procerum in Lombardiam ac Germaniam decernit, certus cum validiori brevi redire ad omnes Italiæ hostes debellandos. Jam & legiones, inclementia cœli & annonæ penuria, multum absumptæ erant: & Rogerius Apuliæ Dux cum instructo exercitu imminebat pseudopontifici & factioni ejus in subsidium. Imperatorem deduxêre D. Bernardus & Nortbertus ceterique Episcopi in Germaniam. Innocentius Pontifex Germanorum ope destitutus, etsi constituerat in urbe permanere, veritus tamen, ne præsentia sua adversariorum animos accenderet, Pisas, urbem fidam & validam, adijt. Mirificè ob hanc fidem erga Apostolicam sedem laudati Pisani cives à D. Bernardo.

Tertium urbis Paderborn. incendium.

Redijt & Bernardus Episcopus noster incolumis cum ceteris Episcopis in Germaniam. Sed nondum in Episcopatum pedem retulerat, cùm tristi nuncio perculsus, intellexit Basilicam cum magna parte urbis III Calend. Julij conflagrasse. Quo eodem die duo circuli, alter altero major, solis globum obire visi, quorum major urbis ambitum, minor Basilicam complexus. Quæ cùm hora tertia post meridiem spectarentur, mox sub horam nonam ejus diei visa est flamma ex civium ædibus & Basilicæ tecto, incertum quo casu, erumpere; nec prius ignem extinguere licuit, quàm major pars urbis, & templum in bustum concideret. Tertium hoc & funestum urbis Paderbornensis incendium sub præstantissimis Episcopis, quorum primum, Rothario; alterum, Imado Episcopo, antecesserat. Sed Bernardus non minus quàm ceteri Episcopi magnis animis reparationem Basilicæ & urbis aggressus, intra decennium Basilicam multò

Chron. Hildes. Gobelin. ætat. 6. c. 59.

elegantiorem è busto eduxit. Urbs quoque Bernardi industria & liberalitate adjuta brevi ex ruinis veteri suo splendori est reddita.

Iterata Lotharij in Danos expeditio.

At Imperator ab reditu in Italiam expeditionem adversus Danorum Regem suscepit, quod ad hunc annum scribit auctor Chronici Hildesimensis. Iterata hæc expeditio adversus Danos ob Regis sævitiam in Teutonicos, quos mutilando, & per varia tormenta excruciando in mortem adegerat. Eventum etsi auctor non retulerit, hunc tamen annus sequens exponet; satisque constabit hoc anno armis Lotharij Danos subactos fuisse. Certè Bardewicum accessisse docent Lotharij tabulæ, quibus Volckmaro Corbeiensi Abbati certa quædam privilegia bonaque confirmavit: eas, quòd Imperatoris pietatem & liberalitatem erga religiosos viros simul referant, hîc interponere visum fuit.

Lotharius confirmat bona quædam & privilegia Corbeiens.

In nomine Domini Dei nostri ac Salvatoris Jesu Christi, Lotharius ordinante divina clementia Romanorum Imperator Augustus. Considerantes Regalis esse munificentiæ, et nobis salutare, dum tempus habemus bonum operari in omnibus, maxime autem in Ecclesiis Dei. Ideo statuentes decernimus loca Deo oblata, et dicata sublimare, possessionibus ampliare, collata defensare, et in suo statu conservare, si aliqua etiam temere fuerint alienata, vel injuste avulsa, ad antiquam dignitatem et pristinam traditionem suffragante divina clementia revocare, hisque beneficiis proposuimus insudare, ut ipse, qui nos in terris gloria et honore coronavit, in cœlis indulgeat coronam vitæ, quam repromisit diligentibus se, cum nos deduxerit de laborioso hujus sæculi certamine. Noverit itaque tam præsentium quam futurorum provida discretio, quod nos respectu divini timoris et amoris Monasterio, quod appellatur nova Corbeia, quod situm est super fluvium Wisera, rogatu ipsius loci venerabilis Abbatis Volcmari nomine piscationem, quæ vocatur Houcvvar, quam totam Ludovvicus Imperator eidem Monasterio contulerat, hanc postmodum Dux Henricus Bavariæ cum quadam Comitissa Elica et filio suo Adelberto injuste se possedisse recognoscentes, cum digna pœnitentia, divinitus inspirata, sancto Vito cum omni utilitate remiserunt. Et nos regali auctoritate ipsam remissionem confirmavimus, statuentes hoc, ut qui hanc nostræ auctoritatis concessionem infringere præsumpserit, fisco nostro centum auri talenta persolvere debeat. Regali etiam auctoritate confirmamus villas cum hominibus ad eandem piscationem pertinentes cum cæteris appendiciis, pratis videlicet, areis, pascuis, cultis sive incultis, mobilibus et immobilibus, ut in omnibus his nullus fratres in supra dicto Monasterio Canonice degentes inquietare, vexare, vel molestare præsumat. Nec advocatum in eadem piscatione habeant, nisi quem Abbas Dominus loci consilio fratrum statuerit. Et ut hæc omnia rata et inconvulsa omnino permaneant, impressione sigilli nostri signari præcepimus.

Signum Domni Lotharii.

Ekkehardus Præpositus vice Cancellarii recognovi. Anno ab Incarnatione Domini MLXXXIII. Indict. XI. Actum Bardevvich in Dei nomine feliciter Amen.

Plura per Westfaliam Mo-

Multa præterea hoc anno Monasteria condita per Westfaliam & Saxoniam: Altenbergense in Marchia, liberalitate Adolphi & Eberhardi

hardi Comitum de Altena; in quo haud multò post Everhardus Comes ordinem Cistertiensium professus. Amelinsburgum ad Visurgim: Hilmelrodanum: Waltsassium in Narciscis, opera Gerwici Monachi Sigebergensis, ex veteri Westfaliæ nobilitate viri, oriundique ex castro Wolmunsteinio ad Ruram, cujus res gestas Cœnobijque exordia multis describit Bruschius.

Monasteria condita. Henricus de Hervord. Bruschius Cent. 1. Monast. Cleinsorg.

Annus Christi 1134.

Innocentij II Pont. 5.
Lotharij II Regis 10. Imp. 2.
Bernardi I. Ep. Pad. 7.

Lotharius victor ex Dania regressus, hiberna inter Saxones suos habuit Goslariæ in palatio: ubi & 4 Idus Aprilis, præsente Alberto Moguntino & D. Nortberto Magdenburg. Archiepiscopis, ac decem alijs Episcopis, multisq; Marchionibus & proceribus Saxoniæ, Eltenense Sanctimonialium Virginum Collegium, ex patrimonio Meinwerci Episcopi nostri conditum, auget donatione duorum talentorum ex Duisburgensi censu traductorum.

Pontanus lib. 6. Histor. Gelriæ.

Pascha, quod xv Aprilis hoc anno agebatur, Halberstadij celebravit in conventu Episcoporum ac Principum. Veterem ibi magnorum Imperatorum majestatem asseruit Lotharius. Nam magnum Nicolai Danorum Regis filium prioribus annis debellatum se sistere jussit, ac in publicis Imperij comitijs juramentum fidei dicere; quo Successores quoque Danorum Reges obligatos voluit, ne Regnum deinceps Daniæ quisquam sumeret sine Imperatoris, & consequentium Romanorum Imperatorum consensu & auctoritate. Quod secundo die Paschatis, pulchro & inaudito à multis retro sæculis spectaculo, factum referunt scriptores nostri. Præstito hoc juramento, Lotharius Regem Danorum coronari jussit: inde ad venerandam Imperatoriam majestatem gladium sibi præferre voluit. Ita in gratiam receptus, redire permissus est in Daniam; quod & præter nostros Scriptores Otto Frisingensis retulit, Daciæque Regem appellat, quem Daniæ dicere debebat. Quæ verò de Polonorum Duce ac ceteris hîc conjungit, ad sequentes annos pertinent. Sed haud multum superstes ab hoc honore Daniæ Rex, Deo ulciscente insontis Kanuti Regis necem. Nam cum ingratus sævire non desisteret in Ericum Kanuti Regis fratrem, ac patruum suum, obsideretque in Lundina urbe cum xx millibus armatorum, erupit David Erici sororis filius cum selecto ccc militum agmine, fugatoque Magni exercitu, ipsum Regem in terram prostratum obtruncavit. Nicolaus Rex senior ac pater Magni Regis, etsi fuga subtractus, haud multò tamen post per insidias à suis occisus est. Eo irruptionis prælio v Episcopi, & LXV Clerici simul interempti memorantur, seu casu, seu parricidij Kanuti Regis participes.

Chron. Hild. Chron. montis sereni.

Magnus, jussu Lotharij, Rex Daniæ coronatur, sed paulò pòst interimitur.

Lotharius Conradum & Fridericum Sueviæ Duces domat.

Lotharius rebus in Saxonia compositis, arma vertit in Conradum & Fridericum Sueviæ Duces; nam toto Imperio ad ejus nutum obsequente, exterisque domitis, hi duo Imperij hostes adhuc obvolitabant turbulentis animis. Quare Imperator Sueviam cum exercitu ingressus, Ulmæ admovet copias, tantaque clade per Sueviam grassatus est Imperator, juvante cumprimis Henrico genere, ut duo illi regni æmuli, ad extrema redacti, mitiora consilia & gratiam Imperatoris respicere cœperint; quòd nullibi tutos consistere permitteret Imperator, & ipsi se, quòd diris constricti tenerentur, ab omnibus deseri conspicerent.

Confirmatur fundatio Cœnobij Claholtani.

Hoc interim anno Cœnobium Claholtanum ordinis Præmonstratensium, quod ante biennium in diœcesi Osnabrugensi condiderat, Lotharij Imperatoris auctoritate probatur. Tabulæ ab ipso D. Nortberto Archiepiscopo Magdeburgensi, & Archicancellario Imperij consignatæ: quibus memoratur, Rudolphum à Steinvort Westfalicæ nobilitatis præpotentem virum, cum consensu fratrum heredumque Ludolphi & Udonis, ad ea contulisse bona sua. Testes qui subscripsêre notantur Wernerus Monasteriensis, Siwardus Mindensis, Thietardus Osnabrugensis, Gerhardus Cardinalis, & Anselmus Babenbergensis Episcopus: ex Comitum ordine Albertus à Ballensted, Fridericus Palatinus á Summerisburg, Hermannus à Calvenlage, Adolphus de Monte, Gerhardus ab Honstad: è nobilitate Wigboldus ab Holte, Hermannus à Bosenlage uterque cum filijs, Hermannus præterea de Lippia, Wigboldus ab Holte cum Bernardo filio, Ludolphus à Steinvorde unà cum Rudolpho fratre, Franco à Deipenheim, ac fratres ejus Luithardus, Wernerus, Anselmus. Tertio ordine ponuntur Ministeriales, Thiemarus à Dulmen, Hermannus à Lair, Wernerus à Bueren.

Vita D. Nortberti. Ursberg. Chron. montis sereni.

Mors D. Nortberti.

Henricus Strevesdorf in Archiep. Magd.

Hac Claholtani Cœnobij fundatione haud multum superstes D. Nortbertus, VIII Idus Junij obijt. Sidus Germaniæ, & columen religionis, mirificè à D. Bernardo, cui familiaris vixit, commendatus; nec aliorum elogijs hîc opus, cujus viri labores, & sanctimoniam miracula & res gestæ loquuntur. Corpus Magdenburgi in Ecclesia B. Virginis, in qua sui ordinis religiosos viros introduxerat, ante aram principem est humatum. Haud multò post excessum Nortberti Imperator Magdenburgum accessit, & festum Apostolorum Petri & Pauli istic celebravit; quo præsente, una totius cleri consensione, Conradus Comes Querfordensis, idemque Canonicus Magdenburgensis Collegij, delectus Episcopus, approbante Imperatore, jam ante Nortbertum designatus. Ceterum Nortbertus anno dehinc Christi 1582 à Gregorio XIII Pontifice in Divorum tabulas relatus. Ossa sanctissimi viri, nostra demum memoria, anno 1628 à Joanne Questenbergio Abbate Præmonstratensi reperta in sarculo ad chori gradus,

Cujus SS. ossa transferuntur Pragam

dus, unà cum aurea crucis effigie, annulo, alijsque sacris ornamentis; ea cùm inter heterodoxos neglecta jacerent, actum cum magistratu Magdenburgensi, à quo ægrè tandem per Altringerum impetrata: inde Pragam transvecta, magnoque Coelitum honore condita sunt in Abbatia Strohoviensi. Familiare Nortberti dictum fuit: Vixi in aula, vixi in Monasterio, vixi in dignitatibus, nihil stabile usquam reperi, quàm vivere in Christo, & nihil, præter Deum, amare. Intima cum hoc Apostolico præsule familiaritas fuit Bernardo Episcopo nostro, quocum in Italiam iter suscepit, & in multis publicis privatisque congressibus versatus est. Haud minor ejus felicitas venisse cum D. Bernardo in familiaritatem; ut ab his duobus sanctissimis viris illi pietas, amorque in religiosos homines inhæsit, quibus tria per suam dioecesin Monasteria post condidit, quorum postremum Hardehusanum fuit ordinis Cistertiensium ex ipso D. Bernardi instituto, de quo suo loco memorandum.

anno 1628.

Annus Christi 1135.

Innocentij II Pont. 6.
Lotharij II Regis 11. Imp. 3.
Bernardi I Ep. Pad. 8.

Lotharius Imperator postquam Spiræ, ut Dodechinus tradit, Natalem Christi celebrasset, anno in sequenti Bambergam accessit ad conventum Principum, qui Dominica ante Quadragesimam, XVI Calend. Aprilis, omnium regni ordinum accessu istic frequens fuit. Actum ea die de reconciliatione Friderici & Conradi cum Imperatore; & verò cùm per id tempus D. Bernardus magnæ auctoritatis esset apud Imperatores & Principes, & oraculi instar audiretur ab omnibus, Fridericus & Conradus eo patrono usi Cæsaris clementiam impetrarunt: & ille postquam Principum animos ad concordiam permovisset, facilè etiam æmulis regni veniam ab Imperatore impetravit. Inde ad pacem domi forisque firmandam Magdenburgi rursus festo Pentecostes comitia regni indicta: ad quæ Udalricus Dux Bohemorum, & Legati Boleslai Ducis Polonorum, & Godefridi Ducis Lovaniensis: legati præterea Regis Ungariæ, terrore perculsi, cum Danorum & Sclavorum accessêre, quibuscum de ordine transactum ex judicio Jmperatoris & Principum. Aderat & à Græcis Legatus Dux & Episcopus, cum oratoribus Ducis Venetorum, questi adversus Rogerium Siciliæ Comitem, quòd Græcis Africam Paganorum subsidijs eripuisset, Venetias spoliasset, Apuliam & Calabriam Jmperio Romano subtraxisset: tanta Lotharij nominis celebritas erat. Ac licet Polonorum Legati cum multis muneribus obviam processerint Jmperatori, non prius tamen in conspectum admissi sunt, quàm tributum XII annorum, quod D. librarum auri po-scebatur

Principum Bambergæ conventus, in quo Duces Sueviæ, opera D. Bernardi, Lothario se submiserunt. *Chron. Hild.* *Otto Frising. l. 7. c. 19.* *Chron. Abbat. Mont. Sereni.* *Chron. Began.*

Alter Principum conventus Magdenburgi celebratus.

scebatur, ad singulos annos persolverent, ac juramentum dicerent, Pomeraniam & Rugiam se beneficio Cæsaris tenere, Jmperijque clientes sese ad omnia Cæsaris obsequia & obedientiam profiterentur. His præstitis, jussus est Boleslaus Poloniæ Dux Jmperatori procedenti in publicum præferre gladium; id quod superiori anno fecerat Danorum Rex. At ubi nunc illa majestas Jmperij, quæ Lothario Jmperatore Carolum M. & Ottonem M. ceterosque magnanimos & gloriosos Cæsares repræsentabat? Tertius dein Jmperij conventus Mulhusij festo D. Michaëlis die celebratus; ad quem Fridericus & Conradus Duces postulati accessêre, non prius in gratiam recepti, quàm Conradus Regis titulum poneret, & ambo provoluti ad pedes Jmperatoris veniam deprecarentur, & fidem jurarent. Tum demum à Conrado Magdenburgensi Archiepiscopo anathematis vinculo absoluti, & in societatem Ecclesiæ admissi. Hæc, quæ ab Ottone Frisingensi, ac ceteris, qui eum hactenus secuti sunt, perturbatè traduntur, secundum ordinem temporum & conventuum referre placuit; nec aliena à nostro instituto, quando his comitijs Bernardus Episcopus noster inter Episcopos Saxoniæ, & Principes regni consedit; qui & hoc anno beneficus in Hamukonem Abdinghovianum Abbatem, controversas cum Widekindo Swalenbergensi Comite ac nepote suo decimas, remisso, quod Comes habebat, jure, impetravit, aliaque dona, consignatis tabulis, sua liberalitate adjecit.

Et tertius Mulhusij, in quo Duces Sueviæ in gratiam recepti, anathematis vinculo absoluti sunt.

Litera Abdinghov.

Lotharius verò Jmperator sub id tempus congregationem Canonicarum Virginum, quam Luteram dixere, Apostolica auctoritate in melioris arctiorisque vitæ Cœnobium commutavit, introductis ex familia D. Benedicti religiosis viris, quos ex Cœnobio S. Joannis Magdenburgi cum Everhardo Abbate evocavit; eoque simul in loco haud procul Brunswigo tanquam brevis vitæ admonitus sepulchrum delegit. Jnde à funere ejus Regalis Lutera appellatur,

Annus Christi 1136.

Innocentij II Pont. 7.
Lotharij II Reg. 12. Imp. 4.
Bernardi Ep. Pad. 9.

Otto Frising. Chron. Hild.

Postquam omnes domi forisque hostes, aut felicitate armorum, aut terrore majestatis compresserat Lotharius; annum proximum à Christo nato MCXXXVI, Imperiumque in summa tranquillitate habuit: prӕterquam, quòd Sclavi in Saxoniam irrumpere ausi; quos tamen Adelbertus Marchio jussu Jmperatoris statim cum clade rejecit, terramque eorum ingressus, rebelles spolijs & ferro ad obsequium reduxit. Ipse Jmperator, quocum aureum sæculum renasci visum, omnes curas in firmandam pacem, justitiæ leges, & religionem exornandam convertit. Quam in rem Aquisgranum conventum

Principum,

Principum, ad Lotharingiæ, Belgicæ, Frisiæque provincias ordinandas adijt: quod Episcopi, Principes, & Marchiones, Comitesque testantur, qui Nivellensis Ecclesiæ tabulas per id tempus consignârunt. Reflexo dehinc per Rhenum itinere, Saxoniam repetijt; ac tanquam suprema vitæ sibi brevi imminere, injecto cœlitus lumine, intelligeret, Ducatum Saxoniæ, Westfaliæ, & Angariæ Henrico genero, Duci Bavariæ, in manus tradidit. Amplum tot provinciarum patrimonium. Et Henrico hoc anno filius ac heres natus, Henricus cognomento Leo, qui festo Pentecostes baptismatis undis ablutus est, sæpe nobis memorandus. *Miræus in Not. Belg. c.147. Helmold l.1.c.54. Albert. Stad.*

Mense Augusto Lotharius Corbeiæ apud nos ad Visurgim, antequam iter Romanum ingrederetur, versatus, Bernardum Episcopum nostrum sibi præsentem habuit, invitaturus ad alteram in Italiam profectionem, nisi ruinis Basilicæ & urbis instaurandis occupatum vidisset; ad cujus tamen & Widekindi fundatorum preces præclaro quoque diplomate Cœnobium Mariæ recens cœptum confirmavit, quod hîc vel ad memoriam tanti Imperatoris, ac præclari præsulis reddere intererit. Lotharius confirmat fundationem Cœnobij S. Mariæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Lotharius divina favente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus. Cum omnium studia pro institutione religionis et servitii Dei inchoata amplecti et promovere debemus, et ipsorum devota studia juvare et imperiali assensu corroborare. Proinde tam futurorum quam præsentium noverit industria, qualiter fidelis noster Widekindus Abbatiam in loco, qui vocatur Monasterium sanctæ Mariæ, in sua fundavit proprietate, instituens ibi vitam Monachorum secundum regulam S. Benedicti, ipsam Ecclesiam cum omnibus oblatis seu adhuc offerendis Deo et Matri ipsius delegando. Cujus studium Bernhardus Paderburnensis Episcopus venerabilis pari amplectens affectu hujus institutionis offerendo non minus sua studiosus cooperator extitit. Utriusque itaque devotionem imperiali auctoritate nostra confirmando approbantes præcipiendo jubemus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes. Nulla denique magna parvaque persona in his concessis præfatam Ecclesiam devestire, inquietare, aut molestare præsumat. Si quis vero contra hæc, quod non credimus, præsumpserit, centum libras auri, medietatem Cameræ nostræ, et medietatem eidem componat Ecclesiæ. Quod ut verius credatur et ab omnibus diligentius custodiatur, præsentis decreti paginam sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Datum anno Incarnationis Dominicæ MCXXXVI, *Indictione* XIIII, *pridie Non. Augusti Anno vero regni Regis Lotharij undecimo, Imperij quarto. Actum Corbeæ in Christi nomine feliciter Amen.*

Post illustre hoc Monachorum Cœnobium constitutum, Bernardus Episcopus alterum adjecit sacrarum Virginum, secundum idem D. Benedicti institutum, idque in monte Jburg molitus est: sive id jam primitus, ut Bernardus in literis suis scribit, sit inchoatum (de quo tamen nulla nobis monumenta suppetunt) sive, quod verisimilius reputo ex posterioribus literis, ad annum Christi 1142 recitan- Initia Monasterij Iburgensis, Gerdensi postea conjuncti.

recitandis, ab ipso Bernardo cœptum sit in monte Iburg, quando & fundus ex consensu Beatricis Herisiensis Abbatissæ, quæ Lothario Imperatore, & Conrado Rege vixit, comparatus asseritur. Nunc cœpti hujus Cœnobij exordia, quod postea Gerdensi conjunctum est, ex ipsis Bernardi Episcopi literis recitemus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Bernardus Dei gratia Patherbornensis Episcopus. Quoniam tempora, quæ sanctus Apostolus ventura prædixit, jam venisse timemus, cum dixit, erunt homines se ipsos amantes. Unde sæpius accidit, quòd hi, qui inquiete mentis Deo serviunt, ab importunis hominibus injustè turbantur, officij nostri cura nos admonet, cunctis Deum diligentibus sollicitudinem pastoris impendere, his tamen præcipuè, qui nostro regimini specialiter commissi sunt, non solum de præsentibus, sed et de futuris, quæ provenire possunt, in commoditatibus, auctore Deo removendis diligentia circumspectiori invigilare. Eapropter notum esse volumus tam præsentis quam futuri temporis Christi fidelibus, qualiter pusillus adhuc ancillarum Dei grex, qui primitus in monte Iburg congregatus fuerat, et ab Ecclesia in Herse locum et bona Ecclesiæ in monte Christo ibi famulantibus profutura perceperat. Postea autem saniori consilio in locum, Gerdinensem transmigravit, ac juste privilegium possessionis loci prioris obtinuit, quamvis habitationem dictante necessitatis ratione mutaverit. Nos itaque securitati jam dicti ancillarum Dei Collegii providentes pro remedio animæ nostræ et parentum nostrorum, et pro cavendo, quod succedere posset, injusto gravamine curam Ecclesiæ in prædicto monte ab omni potestate cujuslibet Archidiaconi, consilio et conniventia totius Ecclesiæ Patherbornensis absolvimus. Et ut Deo in Gerdinensi Monasterio servientibus molestiæ occasio tolleretur, Prælato Cœnobii illius exclusa Clericorum vel Laicorum potestate eam assignavimus. Ut igitur hæc nostra ordinatio in omnia post futura tempora rata et inconvulsa permaneat, auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli eam confirmamus, et præsentem paginam banni nostri, et sigilli nostri impressione munitam eorum etiam, qui infra nominati sunt testimonio conscribi fecimus. Testes Weno Præpositus majoris Ecclesiæ, Rembertus Præpositus Sancti Andreæ, Almarus Decanus, Ekbertus, Lentfridus, Bernhardus, Evergisus Meinricus Canonici majoris Ecclesiæ. Hameko Abbas sancti Pauli, Lambertus, Monachus, Laici Widikindus de Suvalenberg, Hermannus de Lippia, Thetmarus de Buren, Wernerus de Brack, Heinricus Comes, Adelbertus de Rikesvvigh, Luidoldus de Osdagesheim, Conradus Stapel, Uffo, Anshelmus, Eilbertus, Coto Burgenses, Cono dives. Acta sunt hæc anno Domini Millesimo centesimo tricesimo sexto, regnante Lothario Romanorum Imperatore, anno regni ipsius XII Imperii autem IIII. Datum Patherbornis duodecimo Calend. Aprilis.

Castrum Iburgense in diœcesi Paderb. Caroli M. expugna-

Castrum Iburg, ad quod Virginum hoc Cœnobium antiquitus construi cœpit, in jugo montium Teutonicorum situm, unum inter vetustissima Saxonum castra à Carolo M. expugnatum, quod barbaræ gentes in abrupto & præcipiti montis vertice construxerant, ad quod unus tantum accessus ex plano montis patet; ideo latus hoc barbari muro prægrandi, tum duplici fossa, altoque vallo præmu-

præmunierant, satis hodiedum id rudera commonstrant. Carolus everso castro locum, quantus circum explicatur per nemora & agros, Hathumaro primo Episcopo nostro dedit. Quemadmodum hæc Ferdinandus Episcopus eruditè in monumentis nostris retulit. Priori nomine mutato, nunc Driburg dicitur, seu quod locus postea communitus, & triplici munimento inclusus fuerit; ut quod prisci Iburg, posteri Driburg dixerint: seu id vulgi appellatione invaluerit. Habent & Osnabrugenses vetus castrum Jburg, à Caroli, ut volunt ævo, & celebre etiam Episcopi sede; sed nostrum ex antiquioribus monumentis Scriptorum id nomen sibi vendicat. Quemadmodum hæ Bernardi Episcopi tabulæ, & quas ad annum 1142 proferemus; tum aliæ complures ejusdem Episcopi literæ, anno cumprimis 1138, anno 1153, alijsque temporibus datæ, commonstrant, quibus celebrem hunc antiquitatis locum Jburgum vocat, nomine haud dubio à Caroli M. temporibus constanter servato: præterquam, quod turres, fossæ, valla, & validi munimenti vestigia apud nos etiamnum aspiciantur, secus quàm Osnabrugenses monstrare possunt. Accedunt Gobelinus, Crantzius, Cleinsorgius, alijque Saxoniæ Scriptores, qui Jburgum vetus è Caroli M. ævo monstrant in diœcesi nostra Paderbornensi, & hoc ipso, quo diximus loco, atque ex ipsa Caroli donatione Hathumaro facta. Bernardus Episcopus, cùm, Lothario Jmperatore, tanquam altero Carolo, Christi religio floreret, hunc locum in quo Christi religio primum triumphavit, Collegio Virginum, cultuque pietatis exornare voluit. Nec Lothario quicquam jucundius, quàm Paderbornæ, vicinisque locis prisca Caroli monumenta lustrare, per cujus vestigia religionis, felicitatisq; ire visus est.

tione celebre.

Annus Christi 1137.

Innocentij II Pont. 8.
Lotharij II Regis 13, Imp. 5.
Bernardi I Ep. Pad. 10.

Lotharius cum anno superiori in omnibus Imperij conventibus de secunda in Jtaliam expeditione constanter egisset, implorassetque omnium Sacerdotum & religiosorum hominum per Cœnobia preces; sub exitum Augusti cum instructissimo exercitu, ex Saxonia & Germania collecto, movit; quòd magnopere sollicitaret ejus opem Innocentius Pontifex adversus Petrum Leonis schismaticum Pontificem, ac Rogerium Siciliæ Tyrannum. Imperatorem comitati tres Archiepiscopi, Bruno Coloniensis, Albero Trevirensis, & Conradus Magdenburgensis. His se junxere Episcopi, Albero Leodiensis, Andreas Trajectensis, Anselmus Halberstadiensis, Henricus Tullensis, Henricus Ratisbonensis. Magna præterea procerum Principumque multitudo assectata Jmperatorem; supremus ex his mili-

Altera Lotharij in Italiam expeditio, quâ Innocentij Pont. hostes subacti.

Otto Frising. Ursberg. Chron. Hildes. Chron Benevent. Sigonius.

tiæ præfectus Henricus superbus Bavariæ Dux, Lotharij gener, & Conradus Sueviæ Dux ex æmulo regni Lotharij amicus. Lustrato exercitu, per alpes Tridentinas factum iter. Magnus inde per Italiam terror ex fama tanti apparatus, & felicissimi belli procursus, quem multis Sigonius atque Itali Scriptores tradunt. Nos paucis ex Ottone Frisingensi, & Ursbergensi, ac nostris complectamur. Ad primum ingressum castrum Gardiæ expugnatum; quo in deditionem accepto, Jmperator ad Padum progressus, Caristallum cepit. Ibi Mediolanenses ac Cremonenses diuturno bello inter se digladiantes obvios habuit; auditisque singulis, Cremonenses damnati, interque hostes Jtaliæ proscripti sunt; quos Jmperator consecutus, Castella & Oppida eorum evertit. Inde Papiam progressus, cives pactione pecuniæ in gratiam suscepit. Bononienses & Æmilienses, qui in priori expeditione Cæsarem despexerant, supplices admisit, ignovitque ad generi preces, ita Taurinum usque procedens omnes civitates, & castra in deditionem accepit Tum vero post comitia Principum Roncalijs acta jus prisco more dictum, itumque Ravennam ad hiberna, consultatumque per hyemem de bello per Apuliam & interiorem Jtaliam adversus Pseudopontificis factionem & Rogerium Tyrannum proferendo. Sub initium veris exercitus ex hibernis evocatus, divisusque in partes: cum altero Jmperator in Apuliam, cum altero Henricus gener in Campaniam & Tusciam progressus, Beneventum urbem, in quam Rogerius Tyrannus viginti millia militum infuderat, commisso prælio expugnat, & Jnnocentio Pontifici restituit, quocum ad Lotharium Jmperatorem in Apuliam est digressus, Barij tum oppugnationi insistentem. Quæ urbs paulò post capta cum arce, & quingenti prædones saraceni ex præsidiarijs in furcam acti. Inde junctis viribus Trojam, Garganum, Sipontum, Barulum ceteraque Oppida & munimenta expugnant; ejectoque ex tota Apulia Rogerio, provinciam Pontifici asserunt. Apuliæ impositus est Radulphus, homo Germanus; Capua Roberto reddita. Bellum id cumprimis pro Apostolica sede susceptum; quòd in eas beneficiarias provincias Rogerius Tyrannus à Pseudopontifice imploratus immissusque esset, Pontificatus sui stabiliendi causa. Tanta id Lotharij gloria est gestum, ut Otto Frisingensis libere scribat, post Carolum M. nullum Francorum Regem tam præclara pro Apostolica sede perpetrasse. Consilium erat Lothario Siciliam invadere, ex eaque Rogerium depellere; sed milite reditum in Germaniam orante, ipse cum Pontifice Romam ingressus est. Ac postquam urbem pacatam Pontifici tradiderat, per Hetruriam & Lombardiam iter quoque in Germaniam intendit; delatus verò in vallem Tridentinam, repente adversa valetudine corripitur. Inde postquam ad sylvam, quæ Lycum ab Æno dividit, perventum est, inter Sacerdotum manus ac preces apud castrum Ducis Bojariorum

Lotharij obitus. *Dodechin.*

jariorum, in villa Bretina, seu ut alij, in vilissima casa, excessit è vita anno regni XIII, imperij V, tertio die Decembris, ut in Epitaphio regalis Lutræ notatur, quem etiam diem Chronicon montis sereni notat; fallíturque Dodechinus, qui III Calend. Decembris obijsse scribit. Insignia Jmperij Henricus gener Dux Bavariæ tulit servanda. Corpus per Augustam urbem ac Franciam Orientalem in Saxoniam deportatum, conditumque in Cœnobio Luteræ regalis, quod est inter Helmstadium & Brunswicum, quodque ipse Jmperator, ut supra relatum est, introductis religiosis viris, sepulturæ locum delegerat, auxeratque regia liberalitate. Res ab eo gestæ ad posterorum memoriam, quod Otto Frisingensis scribit, in plumbeis laminis sunt descriptæ, & sepulchro inclusæ. Nec fallit hic auctor, quando nostra memoria, anno videlicet MDCXVIII, Mausolæum apertum, inventaque sunt ossa panno serico rubri coloris involuta, tabulaque plumbea apposita cum hac inscriptione.

Robertus de monte. Chron. Austral. Anonymi Compilatio Chronolog. Calvisius. Alii ad annum seq. alii ad annos alios & dies mortem Lotharii referunt.

LOTHARIUS DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS REGNAVIT ANNOS XII, MENSES III, DIES XII, OBIIT AUTEM II NONAS DECEMBRIS. VIR IN CHRISTO FIDELISSIMUS, VERAX, CONSTANS, PACIFICUS, MILES IMPERTERRITUS, REDIENS AB APULIA SARACENIS OCCISIS ET EJECTIS.

Sanè verò magnus Imperator, à pietate & armorum gloria ab omnibus Scriptoribus commendatus. Quo vivo, uti apud Ursbergensem Scriptor quidam, & cum eo ipse Ursbergensis. *Imperium nunquam vacillare potuit, Erat enim vir ille strenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei et sanctæ Ecclesiæ, veritatis amicus, justitiæ acerrimus defensor, injustitiæ vindex, cujus probitas per totam Saxoniam spectata.* Eo auctore jus civile, quod Wernerius, rogatu Mathildæ, secundum Justiniani præscripta digesserat, in Jtaliæ Gymnasijs, maximè verò Bononiæ renovari cœptum: & in Lombardia Italiæ populos secundum jus civile Romanum tractari voluit; cùm antea judices alij Longobardicis, alij Salicis, alij alijs legibus uterentur. Hoc Imperatoris studio excitatus Gratianus, jus Canonicum ex decretis Pontificum & SS. Patrum sententijs digessit. Quare sago non minus, quàm toga clarus Imperator. At sacras ejus virtutes illustrius commendat Petrus Diaconus, æqualis eorum temporum scriptor, *quod sub imperii chlamyde cœlesti militaret Regi, Sacerdotes honoraret, ut Patres, pauperes foveret ut filios, viduas ut matres, itáque singulis emineret virtutibus, ut omnes perfectè haberet.* Pius illi mos erat, etiam in omni expeditione bellica, tribus quotidie sacrificijs

Lotharij virtutes.

Missæ interesse; quorum primum diluculo pro defunctis, alterum pro salute exercitus, tertium pro se & familia offerri voluit, eique ante prandium cum solemni liturgia intererat: visusque est inter orandum sæpe uberes lacrymas fundere, pauperum lavare pedes, abstergente Richeza Imperatrice, ijs cibum & potum suis manibus præbere, viduarum, pupillorum & oppressorum & Ecclesiæ causas ante omnes politicas regni curas habere. Cum Cassinense Cœnobium una cum Richeza conjuge inviseret, uterque pedes montem conscendit, ac nudis ipse Jmperator pedibus Ecclesiæ altaria, & loca sacra ob venerationem D. Benedicti obire conspectus. Quæ Imperator & Jmperatrix hoc accessu munera ad altare obtulerint, multis exponit Petrus Diaconus, qui se hæc omnia coram observasse memorat. Nec D. Henrici modò, sed omnium Saxonum Regum ac Jmperatorum pietatem erga D. Benedictum locique sanctitatem spirare visus; quòd ex eo cœnobio frequentissimum ordinem per Jtaliam, Galliam, Germaniam, Saxoniam; & disciplinam formamq; religiosæ vitæ, tanto religionis bono, & innumerabili Sanctorum virorum multitudine, propagatam intelligeret. Quare Lotharius, ut idem auctor refert, nunquam à consortio Episcoporum & Abbatum avelli voluit. Paucis Helmoldus presbyter principatus encomium complexus, cum Lothario, inquit, novam Jmperio lucem obortam fuisse, redijsseque tranquillitatem temporum, abundantiam omnium rerum, pacem inter regnum & Sacerdotes, florem christianæ religionis. Neque facilè post Carolum M. & Ottonem Jmperator religione, virtute, & belli fortitudine major; longè etiam major futurus, nisi mors, uti Otto Frisingensis perhibet, florentissimum Jmperij cursum abrupisset. Omnem hanc felicitatem consecutus est, quòd Apostolicæ sedis defensionem, Caroli M. aliorumque gloriosissimorum Jmperatorum exemplo, tam syncero animo & veneratione susceperit. Quare inter quatuor è Saxonica gente Jmperatores, tres videlicet Ottones & Henricum sanctum, ipse quintus, nulli post Ottonem M. secundus: omnes Apostolicæ sedis, & Romani Pontificis fidelissimi defensores, qui sibi post Francorum Reges primam jure gloriam deposcunt.

Egnatius l. 2. in Lothario.

Uno tantum Jmperator infelix, quòd tantarum virtutum, tantarumque possessionum parens, nullum heredem filium reliquerit. Unde ab excessu ejus statim perniciosa lis orta inter Henricum superbum generum, & Albertum Ballenstedium, cognomine Ursum de Saxoniæ Ducatu; ambo licet à duabus Sororibus & Magni ultimi Saxoniæ Ducis filijs geniti fuerint. Majori tamen luctu Saxoniam Germaniamque implevit mortis ejus nuncius, quòd fontem tranquillitatis & felicitatis Saxoniæ unà cum Jmperatoris vita claudi timerent.

Sustulit

Sustulit & hic annus duos Archiepiscopos, Brunonem Coloniensem ad obsidionem Barij in Apulia, & Adelbertum Moguntinum, virum excelsi animi, & præclarè de Lothario, Jmperio, & de religione meritum, post cujus obitum urbs Moguntina cum Basilica Cathedrali conflagravit.

Dodechin. Chron. Hild. Mogunt. annal. & histor.

Inter hæc Bernardus Episcopus noster in reparandis incendij ruinis, & exornandis religiosorum Cœnobijs occupatus, hoc anno, quem decimum Episcopatus sui scribit, publicis literis commutationem bonorum inter Volcmarum Corbeiensem & Hartwigum Flechtorpiensem Abbates factam pontificali auctoritate Nonis Julij ratam habet. Multis eæ literæ testibus ex clero, nobilium & ministerialium numero, consignatæ. Sed longè illustriori beneficio Bernardus Episcopus noster complexus Monasterium S. Mariæ, cui ab Innocentio II pro ea, qua apud Pontificem valebat gratia ex superiorum annorum meritis, honorificam confirmationem impetravit. Ad quod Pontifex eo pronior fuit, quòd Bernardum una cum Comite Swalenbergensi ejus Cœnobij conditorem acceperat. Literæ Apostolicæ sic habent.

Ex Archiv. Flechtorp.

Bernardus Ep. ab Innocentio Pont. confirmationem Monasterij S. Mariæ impetrat.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Monachis Monasterii Sualenbergensis tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ per Beatum Petrum Apostolorum principem Ecclesiarum omnium primatum obtinuit, omnibus ejus suffragio indigentibus subvenire misericorditer consuevit. Dignum est enim, ut qui ad animarum regimen assumpti sumus, eas et à pravorum nequitia tueamur, et Beati Petri patrocinio muniamus. Quocirca dilecti in Domino filii vestris desideriis impartimur assensum, et Sualenbergense Monasterium à nobili viro Widekindo in honore Beatæ Dei genitricis fundatum, atque consilio et assensu gloriosi filii nostri Lotharii Romanorum Jmperatoris Augusti, nec non bonæ memoriæ Fratris nostri Adelberti Moguntini Archiepiscopi regimini Paderbornensis Ecclesiæ ab eo pro sua devotione oblatum, præsentis scripti pagina communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona ex dono Fratris nostri Bernardi Paderbornensis Episcopi, vel ejusdem Widekindi, idem locus in præsentiarum canonice possidet, quæcunque etiam concessiones Pontificum, largitione Jmperatorum, vel Principum, seu quorumlibet oblatione fidelium eidem venerabili loco rationabiliter offerri contigerit, firma vobis in perpetuum et illibata permaneant. Obeunte vero ejusdem loci Abbate nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem Fratres ipsius Monasterii communi assensu, seu Fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, et Beati Benedicti regulam providerint eligendum. Advocatumque nisi per electionem, atque providentiam Abbatis et Fratrum ibidem constitui omnimodis prohibemus. Decernimus ergo, ut nulli omnino liceat vestrum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare,

gare, sed omnia integra conserventur vestris usibus profutura. Si verò, quod absit, Advocatus, qui in vestro Monasterio pro tempore fuerit, inutilis apparuerit, liceat vobis loco ejus alium idoneum substituere ad honorem et utilitatem loci vestri. Quod si Episcopus in cujus diœcesi vestrum Monasterium situm est, temerè vos in aliquo gravare voluerit, facultatem liberam habeatis ad auxilium Matris vestræ Ecclesiæ Romanæ confugere, utpote, qui sub ejus speciali protectione consistitis. Si quis igitur imposterum hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertioque commonitus, si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, et à sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantes autem eidem loco, quæ sua sunt, Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Drogo Ostiensis Episcopus. Ego Guido Diaconus Cardinalis Sancti Adriani. Ego Anselmus presbyter Cardinalis. Ego Gerhardus presbyter Cardinalis sanctæ Crucis in Jerusalem. Ego Grisogonus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu. Ego Lucas presbyter Cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli. Ego Martinus presbyter Cardinalis Sancti Stephani. Datum in territorio Romano per manum Innocentii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi, Cardinalis et Cancellarii, sexto Nonas Octobris, Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVII. Indictione I. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ secundi anno octavo.

Quibus verò commutatio bonorum Cœnobij Flechtorpiensis comprobatur, literæ Bernardi Episcopi nostri hæ sunt.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Bernhardus divina favente clementia Patherburnensis Episcopus. Divinarum scripturarum authoritate frequenter moniti, paupertati fidelium Christi consiliis et auxiliis infatigabiliter adesse decrevimus, scientes ratum nostræ salutis emolumentum fore, res ipsorum labore contractas per nostræ humilitatis auctoritate roborari. Notum igitur facimus caritati omnium tam futurorum quam præsentium Christi fidelium communi consilio, et unanimi totius Ecclesiæ nostræ consensu, factam esse inter D. Volcmarum Corbeyensis Ecclesiæ Abbatem et D. Abbatem Hartwigum in Flictorp commutationem vid. in decima, quæ est super omnes ejusdem villæ mansos, et in uno Vorwerch sito in villa, quæ vulgari appellatione vocatur Nieterengambeke, addito uno mancipio et sexaginta jugeribus cum area. Hujus autem curiæ redditus æstimantur ad duo talenta, et solidos quinque, quo superhundantius prædictæ decimæ precium solidorum restitueretur. Hujus autem concambii summa ea est, ne fratres inibi Deo monachica quiete famulantes ab exactionibus et gravaminibus decimæ, vel commutatione precii, vel qualibet alia fatigatione turbarentur. Providentes etiam ne quis Successorum nostrorum aliquid pro recognitionis gratia ab Ecclesia in Flietorp pro decima sic conquisita sibi exigat exhiberi, statuimus eundem

dem haberi respectum in prædicto Vorvverb, quem in decima ante factam commutationem Ecclesia nostra semper habere consueverat. Et ut hæc commutatio præmemorati Vorvverb pro decima rata et inconvulsa maneat in perpetuum, eandem decimam Ecclesiæ in Flictorp omni pace et tranquillitate in usum fratrum possideat, hanc nostræ auctoritatis paginam conscribi, et sigilli nostri impressione insigniri jussimus; data in publico sententia, ut quicunq; hoc infringere præsumpserit, perpetuo cum Juda traditore anathemate moriatur. Hujus autem commutationis legaliter factæ testes sunt Wino Præpositus, Esicsius Præpositus, Reimbertus Decanus, Gernandus, *Odelricus, Ranavvigus,* Cuno, *Reimboldus Canonicus. Sifridus* Comes, *Volcvvinus Advocatus, Hermannus et Bernhardus, Thietmarus et Bernhardus,* Conradus *et Rotbertus, Thietmarus. Ministeriales* Cono, *Uffo, Adalbrath, Henrich, Hildebold, Landold,* Conrad, *Berenvvard, Ecbertus, Henrich, Eiko, Manegold, Johannes, Bertram, Hugo, et alii multi. Data Nonis Julii. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo septimo, Indictione 15, anno autem Domini Bernardi Paderburnensis Episcopi decimo.*

Annus Christi 1138.

Innocentij II Pont. 9.
Conradi III Regis 1.
Bernardi I Ep. Pad. 11.

Succedit nunc annus Christi MCXXXVIII, quo ab excessu Lotharij Imperatoris à Principibus Germaniæ agitatum de novo Rege in solium producendo. At duo potentissimi regni æmuli controvertentes, Conradus Sueviæ Dux, & Henricus superbus Bojariæ & Saxoniæ Dux, Lotharij gener, qui ob hanc flagrantissimam spem Imperij insignia apud se tenebat. Ardua fuit electio, ex qua post pacem rursum in civilia bella itum, haud levi Saxoniæ Germaniæque calamitate. Indicta igitur Confluentiæ ad Cathedram S. Petri XXII Februarij comitia studio Adalberonis Trevirensis Archiepiscopi; ad quæ præter Adalberonem convenêre Theoduinus Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus tum Brunoni suffectus, Buggo Vangionum præsul, Fridericus Sueviæ Dux, alijque Episcopi, ac Principes, à quibus Conradus Dux Rex salutatus. Vel eò ad id proniores fuêre, quòd Legatus Apostolicus Apostolicæ sedis assensum promitteret, multique cum Adalberone Trevirensi Archiepiscopo aversarentur Henrici superbi elatos animos, quod ne eligentium quidem gratiam sollicitare dignatus; tanquam aut merito, aut rebus præclarè gestis, aut terrore potentiæ fasces ultro in manus venturi essent; eóque etiam insolentior erat, quòd jam Principes aliquot regium illi nomen obtulissent. Quare Confluentiam festinatum; ubi in medio Quadragesimæ à Legato Apostolico inunctus est Conradus. Nam Coloniensis, cui id debebatur, quia nondum pallio decoratus

Otto Frising. l. 7. c. 24. Ursberg. Dodechin. Chron. Mont. Seren. Chron. Pegav. Helmold. l. 1. c. 54. Albert. Stadens. Trithem. Cleinsorg. Robertus de monte. Chron. Austral. Chron. Mutii.

Conradus Sueviæ Dux eligitur in Regem Rom.

Alii electionem Conradi rejiciunt in annum seq.

coratus erat, ut Otto Frisingensis scribit, cessit Legato munus. Quinam verò ex Saxoniæ Episcopis interfuerint, non reperio; certè Saxones principio huic electioni obstitêre, quòd pro Henrico suo duce facerent.

Pascha deinde Rex Coloniæ celebravit, magna Episcoporum & Principum frequentia. Nam cum novo istic Rege fuêre Theodwinus Legatus Apostolicus, Arnoldus Coloniensis, Albero Trevirensis Archiepiscopi: Embrico Herbipolensis, Albero Leodiensis, Wernerus Monasteriensis, Udo Osnabrugensis, Stephanus Metensis, Nicolaus Cameracensis, Andreas Ultrajectensis, Rudolphus Halberstadiensis Episcopi. Horum enim nomina constant ex tabulis Ultrajectensis & Aquisgranensis Ecclesiæ, quas illic consignarunt: quarum alteris Conradus Rex comitatus Frisiæ, Ostergoam & Westergoam, Andreæ Trajectensi Episcopo restituit; alteris prædium Aquisgranensibus confirmat. Tabulas Trajectensi Ecclesiæ conscripsit Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus Vicecancellarius. Fratrem is habuit Hartwigum Flechtorpiensis apud nos Cœnobij Abbatem, creduntur que Henrico Gelriæ & Zutphaniæ Comite geniti.

Heida in histor. Ultraject. Miræus in Not. Belg. c. 149. Pontanus l. 6. Gelria. Gelenius.

Coloniâ Rex Moguntiam digressus, Adalbertum prioris Adalberti ex fratre nepotem electione cleri & populi constituit Archiepiscopum, quo beneficio & hunc sibi devinxit. Ingentes interim iras versabat Henricus Superbus, qui nec ad conventum ullum hactenus venire dignatus, & palam electionem vitio factam aspernabatur. Quare Bambergam festo Pentecostes Rex ad comitia magno splendore, magnoque Principum comitatu perrexit; quò & Saxones cum Richeza Imperatrice vidua magnam partem accessêre, novo Regi obsequium & fidem professi. Solus ibi ex Principum numero desideratus Henric⁹ Dux; & quia insignia Imperij in potestate habebat, quæ exspectabantur tradenda, festo Apostolorum Petri & Pauli Ratisbonæ illi dictus dies. Tandem Dux, veritus ne collecta in se omnium Principum ira hostis renunciaretur, Ratisbonam accessit, signaq; Imperij Regi tradidit, in cujus tamen conspectum venire aspernatus est. Quæ cùm Rex adverteret trahi à præpotente viro in grande malum, Augustam eum evocat; quò & Dux armatus venit, castris ad Lycum positis. Ita per simultates ad arma perventum. Conradus veritus congredi Herbipolim accelerat, ubi in senatu quorundam Principum judicio Henricus majestatis reus proscribitur. Inde Goslariæ per festa Natalis Christi Principum conventus indictus, in quo Henricus utroque Ducatu exutus; Saxoniæque datus ab Rege Alberto Urso Henrici consobrino, Bavariæ Ducatus Leopoldo Marchioni Austriæ, Conradi Regis uterino. Mira, inquit Otto Frisingensis, elati Ducis depressio, qui Bavariæ Ducatum hereditarium acceperat à patre, Saxoniæ à Lothario socero cum amplissimis bonis, Tusciam & Mathildis heredi-

Otto Frising. Dodechin.

Henric⁹ utroque Saxoniæ & Bavariæ Ducatu in conventu Goslariensi exuitur.

hereditatem Pontificis beneficio; eaque potentiâ imminebat, ut gloriari solitus, se ab Oceano Germanico ad mare usque Adriaticum porrigere imperium; hic repente omnibus exutus vix reperit, ubi tutus consisteret. Sed hæ rerum humanarum vicissitudines. Quantum Lotharius depressit Suevorum Ducum potentiam, tantum Suevi depressêre in Lotharij genero Henrici familiam. Sed jam ante permulti Principes indignè ferebant præter Imperij morem duos ducatus congeri in unum Principem, verebanturque surgentem regiam potentiam, quæ in Henrico Superbo Tarquinium aliquando datura, & Reipublicæ libertatem oppressura esset. Hoc concitato rerum statu per Saxoniam, Wernerus Monasteriensis Episcopus, qui Conrado Regi perpetuus fere hærebat comes, magnifico diplomate exornavit Cappenbergense Cœnobium, gratus pro beneficio, quo centum & amplius Ministeriales cum prædijs à Godefrido & Ottone fratre Cathedrale Collegium dono acceperat. Quocirca Cappenbergense Cœnobium in filiam Monasteriensis Ecclesiæ adoptavit, & in vicem tanti doni datæ Cappenbergensibus Oppidi Wernæ & Ahlenæ parochiæ cum Archidiaconi jure. Mirificè tum ordo ille florebat, & præclari eruditique è Cœnobio illo sumebantur Sacerdotes in subsidium Ecclesiæ, qui parachorum munia docendo obibant.

Bollandus in vita Godefridi §.9.

Wernerus Ep. Monast. benefacit Cappenberg.

Quo religionis studio & Bernardus Episcopus noster impensè fovebat Monasterium S. Mariæ, quod multis decimis bonisque dotavit, ut literæ exhibent hoc anno consignatæ. Nam cùm per id tempus Parachorum idoneorum esset inopia, agebant Episcopi, ut è Cœnobijs viros eruditos, populi doctores, evocarent in subsidium & exemplum continentis vitæ. Nec minus florentis disciplinæ erat Corbeiense Cœnobium; in quo cùm excessisset è vita hoc anno Volcmarus Abbas, vir præstantis pietatis & doctrinæ, sublectus est Abbas Henricus, frater Henrici Ducis. Vivebatque per id tempus Corbeiæ Monachus Ludovicus Alberti Ursi Saxoniæ Ducis patruus. Quippe imperante Lothario, novis ubique constructis Cœnobijs, familia Benedictinorum, Cistertiensium, & Præmonstratensium florentissima erat. Dithardum quoque Osnabrugensem Episcopum, postquam Ecclesiam magna constantia & emolumenti laude per XVIII annos administrasset, hoc anno obijsse, satis liquet ex Udone Successore, quem supra produximus.

Uti & Bernardus Ep. Paderb. Monasterio S. Mariæ.

Chron. Mont. Sereni.

Moritur Volcmarus Abbas Corbeiensis.

Et Dithardus Episc. Osnab.

Erdvvinus in Chron. Osnab. MS.

Annus Christi 1139.

Innocentij II Pont. 10,
Conradi III Reg. 2.
Bernardi I Ep. Pad. 12.

Annus insequens Saxoniam Bojariamque civilibus fœdisque rursum bellis involvere cœpit. Quæ res Episcopos quoque Saxoniæ

Otto Frising. l. 7. Ursberg.

Helmold l. 1.c.54. Albert. Stad. Saxonia bellis conturbata.

magnoperè perplexos habuit, quòd incertum haberent, cui se parti belligerantium adjungerent. Enimvero proscripto Henrico Lotharij genero, Albertus Ursus Saxoniæ Ducatum adijt, expugnatoque Luneburgo castro, Bardewicum, Bremam, ceterasque civitates in potestatem redegit, quibuscum tota Occidentali Saxonia potitus est. Inde prolatis trans Albim fluvium armis, Nortalbingiam etiam sui juris fecit, exturbato ex Holsatia Adolpho Comite, fido fortique Christianorum adversus Sclavos defensore; eò quòd juratam Lothario Cæsari fidem Henrico genero integram servaret. Adolphi in locum repositus Henricus Badwidus. Hunc in modum ceteri præfecti castro Sigebergo, Hamburgo, alijsque locis exturbati, quos Lotharius Cæsar imposuerat. Quibus ad Henricum Ducem in Bavariam perlatis, citatis equis, ac quatuor tantum sociorum comitatu in Saxoniam advolat, Saxonumque auxilijs Albertum è Saxonia depellit, & castrum Lunenburgum subsidio Rudolphi Comitis recipit. Jam tota Saxonia intestino bello ardebat; ad quod sopiendum Conradus Rex cum exercitu progressus est in Saxoniam, tracto in societatem armorum Bohemiæ Duce. Interritus ad hæc Henricus Dux, tanta ferocia Conrado Regi ad Hamburgum occurrit, ut non ausus prælio congredi, maluerit pacto cum Henrico fœdere, quàm armis transigere; terrebant nimirum Regem pristinæ Cæsarum clades à Saxonibus acceptæ. Hoc rerum successu & Saxonum fide elatus Dux tendebat in Bojariam, quam Leopoldus desciscentibus ad se magnam partem Bois occupabat; cum Quidelenburgi repentino morbo correptus, 13 Calend. Octob. extinguitur, præbito, ut pleriq; scribunt, veneno. Corpus ad Cœnobium regalis Luteræ deportatum, conditumq; apud Lotharium Imperatorem socerum suum. Filium reliquit Henricum cognomento Leonem, ætate quadriennem puerum. Hunc quia vocatis ad fatalem lectum Saxoniæ proceribus commendârat, illi in fidem suscepêre, & gentis suæ principem, deserto Rege, creârunt. Tutela pueri data Welfo Henrici Ducis fratri; is cùm de Saxonum fide esset securus, arma adversus Leopoldum Marchionem, Bavariæ impositum, vertit, multumque connisus est hunc Ducatum servare Henrico Leoni nepoti suo. Nec destitit inter varios Bojariæ casus, donec à Conrado Rege proscriptus, totius Imperij armis oppugnaretur. Saxones interim, quorum ductores Rudolphus Comes, Fridericus Palatinus, pro tutela pueri concordes, Bardewicum ceterasque civitates & castra, ejectis Alberti præfectis ex Transalbinia, Adolphum Holsatiæ Comitem reponunt; nec ausus est Conradus Rex bello lacessere Saxones; tametsi hæc per rebellionem, ut Otto Frisingensis vocat, contra Regis auctoritatem agerentur. Westfalia inter hæc quieta mansit, in qua Ludovicus Arnstenius Comes, permotus Godefridi Cappenbergensis consanguinei exemplo, castrum, quod ad Lonam fluvium incolebat,

Obitus Henrici ducis, cui filius, Henricus cognomento Leo, succedit. *Chron. Mont. Serent. Albert. Stad.*

Vita Ludovici apud Brovver. in Sider. illust.

incolebat, in Cœnobium ordinis Præmonstratensium convertit, seque unà cum Guda conjuge Deo consecravit. Illa prope Cœnobium, ac templum sponte includi petijt angusto in domicilio, ex quo per unam fenestram prospectus pateret: inde sumpto habitu inter Præmonstratenses sanctissimè vitam clausit.

Ludovicus Comes Arnstenius religiosam cum conjuge vitam amplectitur.

At Bernardus Episcopus noster, cùm ubique per totam Westfaliam & Saxoniam florentes religiosorum familias aspiceret, nihil impensius habuit, quàm in perlustranda diœcesi Clericorum mores & religiosorum hominum Cœnobia ad primum instituti vigorem revocare; cumque Herisiense Sanctimonialium & Canonicarum Virginum Collegium ad arctiorem vitæ disciplinam deducere cogitaret (ut tum multa ejusmodi Collegia Virginum formabantur ad institutum D. Benedicti, aut Cistertiensium, aut Præmonstratensium) Beatrix Abbatissa, & virgines, quarum pleræque ex prima nobilitate erant, ab Innocentio II. Pontifice omnium privilegiorum confirmationem impetrârunt; id quod hoc diplomate Pontificis constat.

Abbatissa Herisiensis confirmationem suorum privilegiorum impetrat ab Innocentio Pont.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectæ in Christo filiæ Beatrici Abbatissæ Heriensis Monasterij, et virginibus sibi in eodem regimine regulariter successivis in perpetuum. Piæ voluntatis postulatio debet effectum per sequentem compleri, quatenus devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quapropter dilectissima in Domino filia Beatrix Abbatissa tuas rationabiles postulationes clementiùs attendentes Monasterium Herisiense, cui auctore Deo præsides, sub Apostolicæ sedis protectione suscipimus, et præsenti privilegio communimus. Statuimus enim, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in decimis et in alijs juste et legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alius justis modis auxiliante Deo poterit adipisci, tibi et sororibus, et presbyteris, qui insequenti tempore in eodem loco Domino famulantur, quàm etiam posteris vestris in perpetuum confirmamus. Obeunte verò de ejusdem loci Abbatissa, vel earum qualibet, quæ tibi in eodem successerit regimine, nulla inibi qualibet surreptione, astutia vel violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu vel pars sanioris * - - - secundum disponentis Dei timorem elegerint. Insuper Apostolica authoritate præcipimus, ut vester locus advocatum suscipere non cogatur, sed illum habeat, quem ejusdem loci Abbatissa et sorores communi consilio providerint eligendum, qui etiam si inutilis apparuerit, eo remoto, earundem omnium sicut bonus ex dispositione alius idoneus substituatur. Decernimus ergo, ut nulli Archiepiscopo, nulli Episcopo, nulli Regum vel Principum, nulli omnino Ecclesiasticæ sæcularique personæ liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, imminuere, aut aliquibus exactionibus fatigare, sed omnia integre conserventur vestris et pauperum usibus profutura, salva*

*an successuris.

*forte consilii.

nimirum Diœcesani Episcopi Canonica reverentia. Si qua igitur inposterum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertioque commonita, si non congrue satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore et sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, usque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat - - - - autem eodem loco sua vita servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen Datum Anno Domini M. C X X X V IIII.

Annus Christi 1140.

Innocentij II Pont. 11.
Conradi III Reg. 3.
Bernardi I Ep. Pad. 13.

Chron. Bigav. Miræus in Not. Belg. Ursberg. Dodechin. Histor. Bavar. Chron. Mind. Albert. Stad. Helmold.

Inter hæc, cùm invalesceret, ut diximus, bellorum motus per Saxoniam & Bojariam, Conradus Rex V Jdus Februarij celebrem Wormatiæ Principum conventum habuit; quem etsi ceteri Scriptores prætereant, eum tamen scribit auctor Chronici Bigaviensis, satisque indicat Miræus ex tabulis Monasterij Stabulensis per id tempus Wormatiæ consignatis; sistuntur enim ex congregato Principum numero præter Legatum Apostolicæ Sedis hi testes: Albertus Moguntinus Archiepiscopus, Albero Trevirensis Archiepiscopus, Albero Leodiensis, Stephanus Metensis, Sigefridus Spirensis, Bucco Wormatiensis, Embricho Wirceburgensis, Bernardus Paderbornensis, Udo Osnabrugensis, Episcopi: Fridericus Suevorum Dux & Alsatiæ, Adelbertus Dux Saxoniæ, Godefridus Dux Lovaniensis, Wilhelmus Comes Palatinus, Hermannus Marchio, Thibaldus Marchio de Norborch, Geverardus Comes de Sulecbach, Henricus Comes Namurcensis. Eas tabulas conscripsit Arnoldus Cancellarius vice Adelberti Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarij, sive is jam fuerit Coloniensis Archiepiscopus, sive alius eo nomine Arnoldus Cancellarius. Certè Wormatiæ V. Idus Februarij consignatæ sunt. Ac primus hic conventus, in quo Bernardum Episcopum nostrum cum Conrado Rege in Collegium & familiaritatem venisse reperio, quem exinde sibi benignum faventemque habuit.

Ex tabul. Cæsaris insul. Conventus Principum Francofurt.

Alium mox Principum conventum IV Calend. Maji Francofurti indixit Rex, ad quem denuo Bernardus Episcopus Regem secutus. Nam illo in comitio Conradus Rex Insulam D. Suiberti in tutelam suscepit, tabulis hac super re confectis, quibus subscripsêre Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus, Adalbero Trevirensis, Bucco Wormatiensis, Embricho Wirceburgensis, Sigefridus Spirensis, Bernardus Pader-

Paderbornensis, Regembertus Pataviensis, Otto Frisingensis Episcopi. In utroque hoc conventu, cui Saxonici Principes se subtraxêre, bellum adversus Welfum Henrici fratrem decretum, quòd is Leopoldum Bojariæ impositum Ducem infestis armis premeret. Rex subinde Paschate Herbipoli celebrato totus fuit in apparando bello adversus Welfum. Is jam magna clade ad Phateiam, in Norico castrum, Leopoldum affecerat. At Conradus Rex ut victoriâ elatum comprimeret, cum instructo exercitu advolat, & Welfum ad castrum Winsbergam 21 Decembris prælio in fugam compellit, castrumque Winsbergam ad extrema pressum ea conditione sibi dedi poscit, ut quidquid matronarum humeris exportari possit, id bona pace liceret; eaque conditio memorabile fidei amorisque conjugalis ad posteros exemplum dedit. Nam cum uxores de virorum suorum capite agi viderent, singulæ viros suos humeris gestantes loco sarcinarum exportarunt. Quod spectaculum cùm Regem Conradum ad lacrymas, ceteros ad commiserationem moveret; solus Fridericus Regis frater indignatus, dolumque incusans, exportatos viros ad supplicium poscebat; at Conradus non decet, inquit, mi frater, Regem ullo in casu fidem fallere. At Welfus licet ea clade debilitatus, non tamen destitit Saxonum viribus confisus bellum redintegrare, Bojariamque pro pupillo Henrici fratris filio repetere. Ausi & Saxones Groningam, Anhaltum, Gobolenzam, Wilbecam, aliasque munitiones Alberto expulso evertere. Marchia ejus Rudolpho Comiti data. Adjunxit se in hanc societatem Adolphus Holsatiæ Comes, qui hoc anno ingentem hominum multitudinem ex Hollandia, Frisia & Westfalia collectam in Transalbianas regiones, à Sclavis exhaustas, traduxit, urbemque Lubekam & Christi religionem novis hisce colonis restaurare cœpit.

in quo bellum adversus Welfonem decretum.

Trithem.

Ad hunc quoque annum referenda sunt à nobis exordia Cœnobij Hardehusani. Nam ita auctor, qui ex Monachis ejus Cœnobij scripsit paucis res gestas Bernardi Episcopi nostri. *Posthæc anno verbi incarnati M. CXL fratres Cistertiensis ordinis ab eo vocati sunt.* Quanquam non nisi quinto ab hinc anno locum ingressi colere & inhabitare cœperint. Idem enim auctor dum scribit Bernardum Episcopum obijsse anno M. CLXV. ait. Hunc annum esse XX ingressionis, ex quo primum è Cœnobio Campensi Monachi per novam sacramque Coloniam in hanc diœcesin introducti sunt. Magnanimus & religiosus Episcopus vix dum ante biennium absolverat Monasterium S. Mariæ à Comite Swalenbergensi, & à se conditum ordinis D. Benedicti; cum hoc tertium, post Gerdense, inter belli turbas, Ordinis Cistertiensium fundare dotareque aggreditur: hortante nimirum D. Bernardo Abbate, quem sibi è conspectu sanctitatis, multisq; congressibus familiarem habebat. Monachi verò, procurante Sigefrido Abbate,

Primordia Cœnobij Hardehusani.

Abbate, evocati ex Campensi apud Ubios Cœnobio, quod tum celebre erat religiosis viris, atque optima disciplina. Et jam ex eodem Cœnobio Campensi anno 1130 in Saxoniam evocati erant ad Amelinsburgum Cœnobium, quod Sigefridus Comes Romineburgius trans Visurgim in nemore Sollingensi condiderat; & post anno 1136. à Friderico Palatino Saxoniæ Someseburgio ex eodem Campensi, accersiti ad Cœnobium, quod prope Helmstadium in diœcesi Halberstadiensi fundarat. Vidit verò Monasterium Hardehusanum vivus S. Bernardus, intra centum & sexaginta Cœnobia à se condita.

Locus autem hujus Cœnobij delectus ab Episcopo nostro haud procul à Dimola fluvio, & Warburgo Oppido, in fundo, & prædio diœcesis suæ, quem Hervitehusen dixêre; incultus tum quidem, sed opportunus quieti, solitudini, & culturæ intra Teutonicorum montium silvas: quem ita postea auxit donationibus, ut florentissimum istic Cœnobium brevi surrexerit; quæ cognoscantur ex fundationis literis, quas ad annum Christi MCLV recitabimus.

Annus Christi 1141.

Innocentij II Pont. 12.
Conradi III Reg. 4.
Bernardi I Ep. Pad. 14.

Comitia Ratisbonensia. Mors Richezæ Imperatricis & Leopoldi Ducis.

Ceterum Conradus Rex magnopere perplexus ob Saxonum motus, cùm gentem bello aggredi formidaret, anno proximo Ratisbonæ, Festo Pentecostes, comitia Principum indicit. Accessêre magna frequentia ceteri trans Rhenum proceres, Saxonum pauci admodum; ab ijs tamen ita Saxonum causa est acta, ut Adalbertus Moguntinus Archiepiscopus in eorum conspirationem transiret; ac nisi hunc mors hoc anno subtraxisset, civile bellum, quod ardebat, plenis flammis erupisset. Nec enim probabant complures trans Rhenum Principes, à Conrado Rege opprimi Henrici Ducis Saxoniæ pupillum filium, quo clarissimæ illius familiæ extinctio quæri videbatur; cumprimisque quod Richeza pupilli avia, & Lotharij Imperatoris conjux, hoc simul anno è vivis excesserat, in qua magnum apud Saxones patrocinium erat. Corpus pijssimæ Imperatricis, & dignæ Lothario Imperatore, conditum apud conjugem, magno pauperum & Saxonum luctu. Interea Leopoldus Marchio Austrius in Bojaria fatigabat Welfum pupilli tutorem, Bois aut minis aut vi armorum in partem tractis. At postquam Leopoldus hoc anno excessit è vita, Conradus Rex Ducem Bojariæ in conventu Principum appellat Henricum Leopoldi fratrem, quem & ipse uterinum habebat; at novo hoc Duce novum vulnus Welfo & Saxonum animis impressum, indigne ferentium, Ducatum hunc Henrico Leonis filio pupillo rursum præripi.

Annus

Annus Christi 1142.

Innocentij II Pont. 13.
Conradi III Regis 5.
Bernardi I Ep. Pad. 15.

Rex ut Saxones placaret, quos armis aggredi verebatur, anno sequenti, qui jam cum Christo ortus erat MCXLII, celebrato Herbipoli Paschate, haud multò post III Idus Maji Francofurti comitia indicit, quæ Principum congressu bella civilia detestantium frequentissima fuêre, præsentibus etiam duobus Cardinalibus, Apostolicæ Sedis Legatis, Gregorio & Dicwino. In ijs pax inter Saxones & Regem ea lege convenit, ut Henrico Leoni Superbi filio Saxonia relinqueretur, abjudicatâ Bojaria: Alberto Urso, cui Rex ante ducatum Saxoniæ attribuerat, Marchia Brandeburgensis data; seu jam illam hoc anno adierit, seu promissa tantùm fuerit, incertum faciunt Scriptores. Ortus is erat Ascaniæ & Ballenstedij Ottone Comite, quem anno 1108 Henricus V. creârat Marchionem Soltwedilensem; posteri certè Alberti ad annum 1322 Marchiam tenuêre, extincti in Joanne IV; ex qua interim stirpe Saxones Lawenburgici, & Anhaltini Principes se ferunt. Ceterum Conradus Rex, ut Henricum Austrium in Ducatu Bavariæ firmaret, Gertrudem Henrici Superbi viduam, & Henrici Leonis pupilli matrem ei in matrimonium dedit. Atque illa, ut certis etiam pactis erat circumventa, jus, quod habebat in Ducatum Bavariæ, traxit in virum. Adeo instabiles fœminæ, amores novi mariti ante filiorum habent; sed haud multum superstes Gertrudis altero anno excessit. Saxones etsi pacis studio hæc admiserint; indignè tamen tulit Welfus, Henrici Leonis tutor, avitam hereditatem diverti in alienam Conradi Regis familiam. Sed ut Regum atq; Imperatorum, ita familiarum incrementa surgunt, & occidunt. His Francofurti transactis, Conradus Rex in Bohemiam cum exercitu movit; actoque Pragæ Pentecostes festo, Ladislaum ad se profugum, ac supplicem, quem Conradus Comes exturbarat, in ducatum reponit. Ex his summa tandem tranquillitas per Imperium.

Pax Regem inter & Principes coalescit.
Otto Frising.
Dodechin.
Chron. Mont. Seren.
Chron. Bigav.
Albert. Stad.
Crantz.
Andr. Angelus in Chron. Brandenburg.

Præter Ottonem Halberstadiensem Episcopum, obijt hoc anno etiam 2 Maji Conradus Magdenburgensis, & Marcolphus Moguntinus Archiepiscopus, vix anno expleto in ea præfectura. Illi Fridericus Præpositus, & Comes Werthinensis: huic verò Henricus Præpositus subrogatus; uterque cleri electione; omnes præstantes & conspicui in Ecclesia præsules.

Quos inter Bernardus Episcopus noster, hoc anno, novo Gerdensium Virginum Cœnobio diœcesin & D. Benedicti familiam exornavit. Nam cùm per in tempus magnopere sollicitus esset de Cœnobio ante octennium à se in monte Iburg inchoato, Virginesque sacræ istic collectæ in magna rerum inopia vitam traherent; quòd nec

Monasterium Virginum ex Iburg in Gerden transfertur.

nec sterilitas loci culturam ferret, nec aliunde subsidia accederent: atque ipse præterea locus, inter nemora & vasta montium juga, ab omni hominum consortio, horridus, teneras ac pavidas sexus illius mentes affligeret, Episcopus sæpius consilia versabat de opportuniore cœpti Cœnobij loco. Anxijs hisce cogitationibus intervenit prædives è nobilitate Diœcesis vir, Henricus de Gerdenen, offerendo domum, fundum, & amplam quam habebat, bonorum possessionem, in structuram & dotem novi Cœnobij, in quod ex instituto D. Benedicti Virgines introducerentur. Cœnobiumque sub patrocinio B. Virginis & Apostoli Petri esse voluit. Mirificè hoc consilium approbavit Episcopus Bernardus, eaque opportunitate usus, transtulit Virgines ex monte Iburg in Gerdense Cœnobium, collectoque ex alijs Cœnobijs Virginum cœtu, uno simul omnes claustro inclusit. Quod planius hæ Bernardi Episcopi tabulæ, plenæ pietatis sensu, docebunt.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Bernhardus Dei gratia sanctæ Patherburnensis Ecclesiæ Episcopus. Quanti apud Deum meriti sint, quibusque bonæ vitæ documentis, vel operibus claruerint, quos Dominus populi sui pastores esse voluit, eorum instituta sancta declarant, et ipsorum auctoritate roborata in sua stabilitate Christi monstrat Ecclesia. Quorum dum ego Successor, licet minus idoneus, gratia tamen Dei præventus, Pontificalis culminis arcem ascendissem, omni studio vestigiis eorum inhærendo pro voto semper habui Ecclesias Dei ampliare, easque oportunis locis fundatas nostra sollicitudine firmare, atque incautius positas saniori consilio transponere pia provisione elaboravi. His animo pro pastoralis curæ debito intentus, ancillarum Dei, quas in monte Jburch ad Deo serviendum consensu Beatricis Abbatissæ de Herssen collegimus, laborem cogitare cepi, quem ob loci difficultatem, et adjacentis terræ sterilitatem, silvarumque vel solitudinis vastitatem patiebantur In hac igitur me proximorum compassione occupato, pius Dominus pauperum suorum miseratus angustias, igne amoris sui accensum nobilem virum quendam Heinricum de Gerdenen ad hujus calamitatis terminum consolatorem nobis donavit. Nam ipse conditori suo gratias agens pro spe vitæ æternæ, eum et beatam ipsius genitricem Mariam et beatum Petrum omnium bonorum suorum hæredem elegit, atque in fundo domatis suæ, videlicet Gerdenen, Cœnobium construxit, quia ipse locus aptus sanctæ conversationis videbatur. Cujus etiam loci defensionem sub meo et Successorum meorum patrocinio sanctæ Patherburnensis Ecclesiæ pro perpetua ipsius libertate devotus commisit hæredibus suis Megerarde sorore sua, et filiis ejus Wernone Godefrido et Basilio hoc postmodum bona voluntate collaudantibus, et ut omni stabilitate divinæ et humanæ legis sub regali et Episcopali banno confirmaretur assentientibus. Ego igitur ut ipsorum devotionis apud Deum particeps existerem, pro majori quiete et pace Deo ibi servientium, Ecclesiam ipsius villæ à Samuele Sacerdote, cui commissa erat, mihi resignatam cum omni dote sua et quinque mansis in Gerdenen, et quatuor in Dallesheim communicato Ecclesiæ

clesiæ meæ consilio ab omni jurisdictione et subjectione Ecclesiasticæ sæcularisve personæ exceptam sub manu Episcopi, vel Abbatis et prioris regendam ipsi Cœnobio concessimus, et libera possessione firmam esse statuimus. His ita pro voto nostro cum multorum fidelium Christi gaudio dispositis, prædictas Dei famulas de loco calamitatis et miseriæ in Gerdenen transduximus, ibiq; eas uti verè Christi sponsas pro omni Ecclesia at totius christianissimi conservatione semper orantes inclusimus. Ut igitur hæc firma et inconvulsa omni imposterum evo permaneant, auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Domini Papæ ac nostræ humilitatis banno firmantes sancimus, ne qua Ecclesiastica sæcularisve persona contra hæc agere præsumat. Quod si præsumserit, fiat et sicut Dathan et Abiron, et cum Juda proditore perpetuo anathemate, nisi resipuerit, feriatur, eaque præsentis paginæ scripto et sigilli nostri impressione roboramus. Acta sunt hæc me mediante, multis etiam Christi fidelibus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, quorum nomina subscripta sunt astantibus, et gratias Deo agentibus. Anno Domini Millesimo Centesimo quadragesimo secundo, regni vero Domini Conradi quarto, Pontificatus vero mei anno XV Indictione quinta. Testes Weno majoris Ecclesiæ Præpositus, Odelricus Decanus, Conradus Abbas de sancto Paulo, Conradus Abbas de Helmvvardeshusen, Boldevvinus Abbas de Lesborne, Daniel Abbas de Hersethehusen, Rembertus Præpositus, Almarus, Thtietmarus, Lenthfridus, Echertus, Heribertus, Sifridus, Godescalcus, Hugo: Laici nobiles Volcquinus de Svvalenbergh, Otto Comes de Ravensbergh, Thietmarus de Buiren, Lindolphus de Besethe, Bertholdꝰ de Everschut. Ministeriales Heinricus Adelbertus de Ricketsvvic, Conradus, Luidolphus, Bertholdus, Andreas, Eilbertus, Nanro, Heredagus.

Hoc nunc illud præstans Cœnobium Gerdense, haud procul à Neta amne, sub Abbatissæ imperio, quod ita Bernardus Episcopus simul auxit decimarum & bonorum donationibus, ut alter conditor sit habitus cultusque.

Annus Christi 1143.

Cælestini II Pont. 1.
Conradi III Reg. 6.
Bernardi I Ep. Pad. 16.

Successit tandem annus MCXLIII, toti Germaniæ Saxoniæque tranquillissimus, quem nullo intestini belli motu cum exteris turbatum reperio; adeo Principes omnes cum Conrado Rege suo in pacem conspirârant. Rara temporum felicitas, si annalium memoriam repetamus. Decimus simul hic annus erat ab incendio urbis Paderbornensis & Basilicæ. Intra hoc decennij spatium Bernardus Episcopus Basilicam ex ruinis incendij multò firmius ac magnificentius, quàm unquam sub prioribus Episcopis conspecta fuerat, construxit; quam & hoc ipso anno solemni ritu in magna præsentia procerum

Gobelinus ætat. 6. c. 59. Crantz. lib. 6. Metrop. c. 10. Cleinsorg. in Chron. Brusch. in Bernardo.

Bernardꝰ Ep. Cathedralem Basi-

licam, à se restauratam consecrat.

& frequentia populi sub patrocinio B. Virginis & divorum Kiliani & Liborij Deo consecravit; quanquam anniversarium diem dedicationis, quo ab Imado Episcopo post alterum incendium consecrata fuerat, immutatum reliquerit. Igitur cùm dies solennis dedicationis Basilicæ servetur in Cathedrali Ecclesia xv Julij, ea ad tempora Imadi referenda erit. Quo verò die hæc à Bernardo facta sit, in annalium nostrorum memoria non invenio.

Otto Frising l. 7. c. 27.

Motus Roman. contra Pontificem.

At quanto pacatior Germania, tanto turbulentius Romæ agi cœptum. Nam, cùm bello, quod inter Tiburtinos & Romanos exarserat, victis Tiburtinis, Romani sollicitarent Innocentium Pontificem, ut post acceptos obsides, & juratam fidem urbs Tiburtina nudaretur muris, & cives in exilium projicerentur, recusavit Pontifex tam dura statuere in Tiburtinos; quibus offensi Romani *convenêre in Capitolio, antiquam urbis dignitatem, ut hæc Otto Frisingensis scribit, renovando, ordinemque Senatorum, qui jam per multa sæcula exoleverat, suamet auctoritate instituunt, bellumque cum Tiburtinis redintegrant. Verùm sapientissimus Pontifex, cùm prospiceret, ne Ecclesia Dei, quæ per multos annos sæcularem urbis honorem à Constantino M. sibi traditum potentissimè habuit, hac occasione quandoq; perderet, multis modis, tam minis quàm muneribus, ne res procederet, impedire conatus est.* Quæ animadvertere velim heterodoxos nostros, qui Pontificis jus politicum in urbem Romanam abrogant; quod ut ceteri Scriptores à nobis in Carolo M. Romano-Catholico producti asserunt, ita Otto Frisingensis Episcopus, vir Parisijs in omni scientiarum genere excultus, & per id tempus antiquitatum peritissimus, scriptorque celeberrimus agnoscit. Ausi etiam Romani omnia jura regalia tam in urbe, quàm extra eam per Italiam Pontifici velle abrogare, & ad Patricium, quem adjecerant ordinem, adjicere, quòd dicerent Pontifici more Hebræorum Sacerdotum tantum ex decimis esse vivendum; quæ politicorum istorum hæresis fuit. Inter has turbas rebellantis populi Innocentius II. hoc anno mœrore consumptus, post multas ærumnas Pontificatus obijt; qui tamen cœlesti voce ac monitu ex hac vita ad immortalem evocatus perhibetur, vel eò etiam nobis commemorandus, quòd Bernardus Episcopus noster mortem ejus tam acerbo doloris sensu acceperit, quàm sibi ex meritis conjunctissimum habuerat. Subrogatus ei in Pontificatu Cœlestinus II. sed eo inter quinque menses extincto, sublectus est Lucius II.

Moritur Innocentius II Pont.

Annus Christi 1144.

Lucij II Pont. 1.
Conradi III Reg. 7.
Bernardi I Ep. Pad. 17.

Otto Frising.

Dictus Pontifex, cùm anno hoc sequenti, qui eodem tranquillitatis

litatis cursu fluebat, Conradi Regis opem adversus rebellantes Romanos submissè imploraret, nihil obtinuit, præterquam quòd in comitijs Imperij, quæ Spiræ & Argentinæ habuit, jura Ecclesiæ Romanæ, etiam Principum consensione, renovârit, Rogerio interim Siciliæ Rege omnes provincias, ex quibus per Lotharium ejectus erat, liberè occupante. Tam dispar Conradus Suevus à Lothario Saxone in patrocinio Apostolicæ Sedis. *Ac Germania licet publicâ quiete frueretur; ausus tamen Conradus Arensbergensis Comes, pro turbulenta patris indole, grassare spolijs, depopulando vicinos Episcopatus; & cùm nulli crebrius infestiusq; incumberet quàm Paderbornensi diœcesi, Bernardus Episcopus noster positâ togâ militare etiam sagum coactus sumpsit; collectoque clientum, ministerialium & incolarum agmine, Comitem aggreditur, commissoque prælio cædit, in quo & ipse Comes interemptus occubuit. Ita demum inquietus homo, qui supra viginti annos divexârat vicinos, finem fecit. Filij ab eo superstites fuêre Godefridus & Henricus Comites. Posterior indole à patre & avo diversus, in inferiore colle oppidi Arensbergensis, loco ad Ruram amœnissimo, Cœnobium Wedinghusanum ordinis Præmonstratensium ex paternis bonis condidit, & multò etiam salubriori consilio sese Deo atque ordini consecravit. Vixit religiosus per omnia virtutum exempla inter suos ad annum 1157. quanquam alij verius ex tabulis ejus Cœnobij vitam ejus ad annum 1169 extrahant, honorifico Fundatoris sepulchro exornatus. Fine anni, quod Dodechinus & Chronicon montis Sereni scribunt, Conradus Rex Magdenburgi Natalitia Christi celebravit.

*Prælium inter Bernardum Ep. Paderb. & Comitem Arensberg. in quo Comes occumbit.

Auctor vitæ Bernardi Ep. nostri. Gobelinus ætat. 6. c. 59. Bruschius in Catal. Ep. Gelenius in vita S. Engel. l. 3. Codex MS. Hardehus.

Cujus filius Henricus Cœnobium Weding-hus. fundat, in eoque religiosam vitam profitetur.

Annus Christi 1145.

Eugenij III Pont. 1.
Conradi III Regis 8.
Bernardi I Ep. Pad. 18.

At læta adhuc per Germaniam pacis tempora: ad quæ firmanda Conradus Rex more Imperatorum, provincias peragrat, convocando Principum conventus, & jus dicendo; compositisque per superiorem Germaniam publicis rebus, Herbipoli Pascha celebrat. Inde Andernacum profectus, Pentecosten ad Rhenum inferiorem egit; quanquam alij Epternacum venisse velint ad refrenandum Namurcensem Comitem, Trevirensis Archiepiscopi vexatorem. Post hæc Aquisgranum petijsse docet Gelenius ex tabulis istic à Conrado obsignatis, quibus subscripsêre Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, Albero Leodiensis Episcopus, Henricus Namurci, Otto Rinecæ, Adolphus Saffenbergæ, Albertus Burenæ, Wilhelmus Juliaci, Godefridus Arensbergæ, Henricus Limburgi, Rupertus Luxenburgi Comites, Arnoldus Cancellarius. Per Autumnum Rex Trajectum transgressus

Dodechin. Auctarium Gemblac. Brovver. in hist. Trevir. Bucherius.

Heida in histor. Ultraject. Diploma Eccles. Ultraject. Bucherius in notis.

Jus priscum eligendi Episcopum aliaque à Conrado Rege Ecclesiæ Trajectensi confirmantur.


est, ad Frisiæ provincias lustrandas. Ubi in conventu Principum magnifico diplomate, Hardberto, & Collegio Canonicorum jus priscum eligendi Episcopum, ceteraque privilegia confirmat; interque alia loci istius decora, & merita refert *Antecessores suos Reges et Imperatores in Ecclesia Trajectensi à prima ejus fundatione inter Canonicos primum locum obtinere, eamque prebendam per duos in eadem Ecclesia Sacerdotes obire, pro salute Regis et regni tranquillitate ac pace Deum orando.* Adeo Reges non puduit in cleri numerum venire. Quam tamen Ecclesiam, tam nobilem & vetustam, à Willebrordo & Bonifacio conditam, nostra memoria vidimus, per deploranda Principum dissidia, ultro redditam in manus hæreticorum. Diplomati huic subscripsêre Ancelinus Havelbergensis, Ibero Leodiensis, Wernerus Monasteriensis, Nicolaus Cameracensis, Udo Osnabrugensis, Episcopi: Walramus Dux, multique præterea Comites, & illustres è clero viri; quos inter refertur Conradus Regis Conradi frater ac Præpositus, quem postea Pataviensis, ac demum Salisburgensis Ecclesia sortita est Archiepiscopum. Tabulæ hæ regiæ anno M.CXLV Indict. VIII. XV. Calend. Novemb. ab Arnoldo Cancellario consignatæ. Trajecto Rex in Westfaliam transgressus, ad privata bella, & controversias Corbeiensium componendas; nam ut ex Corbeiensium monumentis constat, Henricus quidam Dynasta, filiâ Friderici Arensbergensis Comitis genitus, homo inquietus, incolas Eresburgi in suam factionem traxerat. Jamque convenerat inter ipsum & cives, imponere Scardenbergenses, Calebergenses, aliosq; militares viros ad infestandum Henricum Corbeiensem Abbatem, & Volcwinum Swalenbergensem Dynastam. Id ubi ab his cognitum, & ipsi milites contrahunt, junctisque viribus vicinum montem conscendunt; ac dein per diem & noctem consultant de occupando Oppido. Milites Volcwini, ipso ductore, sub auroram, dormiente adhuc Abbate, Eresburgum astu militari intercipiunt, & injecta flamma Oppidum exurunt. Digna rebellium civium pœna. Tertium hoc Eresburgi seu Montis Martis excidium memoratur. Primum quod Caroli M. armis, alterum quod rogatu Erckenberti Abbatis per Fridericum Arensbergensem Comitem illatum est. Ob hæc tumultuaria Comitum & Dynastarum bella, quali & anno superiori Bernardus Episcopus noster afflictus, Conradus Rex in Saxoniam maturavit; lustratoque Monasterio, & Paderbornâ, ceterisque harum provinciarum locis, Corbeiam ad Visurgim perrexit: ubi denuo publico Episcoporum & Procerum congressu Henrico Corbeiensi Abbati controversum piscationis jus restituit, & publicis tabulis ratum habuit, Regem etiam affectante Bernardo Episcopo nostro; uti hunc Episcoporum & Principum conventum tabulæ, quas hic nunquam ante in lucem datas, reddimus, testatius exhibebunt.

Conradus Westfaliam ingreditur ad controversias Corbeienses componendas.

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Cunradus divina favente clementia Romanorum Rex II.dus. Æquitas justitiæ et regni auctoritas nos admonet Ecclesiarum paci clementer providere. Eapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quam præsentibus, notum esse volumus, qualiter Elicha Marchionissa piscationem quandam apud Houcvvar ab Antecessore nostro Imperatore Ludovvico Cœnobio Corbeiensi collatam, sed per insolentiam temporis ab eadem Ecclesia alienatam assensu filii sui Adelberti Marchionis, vivente prædecessore nostro Imperatore Lothario, prædictæ Corbeiensi Ecclesiæ remisit, et resignavit. Quam remissionem sive resignationem nobis apud Corbeiam solennem curiam celebrantibus præfatus Adelbertus Marchio interventu et petitione Heinrici venerabilis Corbeiensis Abbatis, nec non Heinrici Præpositi Corbeiensis Ecclesiæ confirmavit, ut eandem piscationem assentiente filio suo Ottone Marchio coram nobis omnino exfestucavit. Nos itaque ob regni nostri firmam stabilitatem, et animæ nostræ nostrorumque æternam salutem præfatam piscationem et omnes possessiones præfatæ Corbeiensis Ecclesiæ pertinentes sub nostra regali defensione suscipimus, auctoritate regia præcipientes, ne aliquis Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes vel Vicecomes, aut alia quælibet persona magna sive parva prædictam Corbeiensem Ecclesiam vel res ad ipsam pertinentes aliquo modo infestare præsumat, sed ea, quæ sui juris sunt, tam in familia, quàm in possessionibus omni deinceps tempore libere et pacifice possideat. Si quis autem, quod absit, hujus præcepti nostri statutum infringere tentaverit, centum libras auri componat, quarum partem dimidiam Cameræ nostræ, reliquam vero prædictæ Ecclesiæ persolvat. Et ut hæc ab omnibus credantur et inviolata conserventur, hanc inde cartam scribi et sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque propria roborantes, qui præsentes aderant testes, subter notari fecimus, quorum nomina hæc sunt, Theodovvinus S. Rufinæ Episcopus Apostolicæ Sedis legatus, Thomas S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Bernardus Padelbornensis Episcopus, Rodolphus Halberstadensis, et Bernardus Hildenesheimensis, Philippus Osnabrugensis, Henricus Mindensis, et præcipue Fridericus Magadaburgensis, Thietmarus Ferdensis, Anselmus Havelbergensis, Heinricus Olomucensis, Wibaldus Abbas, Henricus Dux Saxoniæ, Adelbertus Marchio, Fridericus Comes Palatinus, Comes Hermannus, Comes de Wincenburg, et frater ejus Heinricus.

Signum Domni Counradi Romanorum Regis secundi.



Ego Arnoldus Cancellarius vice Heinrici Moguntini Archicancellarii recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis MCXLV. Indictione VIII. regnante Cuonrado Romanorum Rege II. anno vero regni ejus VIII. data apud Corbeiam feliciter Amen.

Cùm alia, tum fastos Osnabrugenses illustrant hæ tabulæ. Nam Udo eorum Episcop⁹, qui in prioribus tabulis Ultrajectensibus adhuc vivus

vivus sistitur, in his Philippum Successorem habet. Quare hic Corbeiensis conventus post Trajectinum sub finem anni habitus fuit. Ertwinus quidem hos memorat ordine suo, sed nulla temporum ratione habita: Fallitur q; præterea, quòd Udonem quatuor tantum annos præfuisse velit, cùm Episcopatus ejus in octavum annum prorogandus sit. Henricus Dux Saxoniæ, qui hîc inter Principes præsens memoratur, haud alius, quàm Henricus Leo adolescens à tutoribus & proceribus Saxoniæ in conspectum Regis adductus; quòd in magnam spem hereditatis, & præsidium Saxoniæ fidis populorum animis & studijs aleretur.

Lucio Pont. defuncto Romæ succedit Eugenius III.

Romæ interim mense Martio Lucius Pontifex discessit; in cujus locum Cardinales extra suum numerum legêre Bernardum Monasterij S. Anastasij apud Romanos Abbatem, D. Bernardi discipulum, patria Pisanum, ac virum ea tempestate sapientia, religione, & omni virtutum aspectu præstantissimum, quem Eugenium III dixêre. Is licet ob Romanorum civium rebellionem urbe excesserit, haud multò tamen post à Tiburtinis restitutus, Patritiatus ordinem, à Romanis per vim obtrusum abrogavit, impositoque urbi præfecto, Pontificiam auctoritatem in pristinum statum collocavit, multum D. Bernardi magistri sui opera apud Reges & Principes adjutus.

Annus Christi 1146.

Eugenij III Pont. 2.
Conradi III Regis 9.
Bernardi I Ep. Pad. 19.

Miræus in not. Belg. c. 155.
Otto Frising.
Conventus Aquisgran. in quo actum de tranquillitate Imperij.

Sub exitum præcedentis anni Conradus Rex celebrem Aquisgrani conventum habuit, ad quem magna frequentia Principes & proceres accessêre; ut ex tabulis à Miræo recitatis, quas Cameracensi Ecclesiæ consignavit Rex, constare poterit; quos inter recensentur Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, Henricus Leodiensis, Wernerus Monasteriensis, Philippus Osnabrugensis, Albero Verdunensis, Anselmus Havelbergensis, Episcopi, Webaldus Stabulensis, Godefridus Prumiensis, Lambertus Werdinensis, Anno Andensis Abbates. Actum his concilijs de tranquillitate Jmperij, quam inquietorum ingenia turbabant, ut nunquam tam sanum est magnum Reipublicæ corpus, quin aliquo vitio laboret. Accessit magna prædonum ac furum insolentia per Saxoniam in unum agmen convolantium. Ij postquam Fuldensem Ecclesiam spoliassent, secundo Visurgi Corbeiam descendêre; jamque pomarium noctu ingressi, templo & sacrario prædatrices manus inferre parabant, cùm ecce militares circum Basilicam excubitores in armis conspiciunt, à quibus omnes templi aditus obvallati erant non sine præsenti cœlitum ope; quo nocturno spectaculo territi prædones, id quod ipsi postea fassi sunt, sacrilegum facinus intermisêre.

Corbeiens. MS.

Contra-


Conradus Abdinghovianus apud nos Abbas, quo se potentius adversus raptores sacrorum bonorum tueretur, Eugenij Pontificis opem & auctoritatem implorat; à quo hoc anno insigni diplomate Cœnobio illi omnis bonorum possessio, & privilegia sunt instaurata, quod hîc ad memoriam præclari Pontificis & florentis Cœnobij referre visum fuit.

Conradus Abbas Abdinghov. privilegiorum bonorumque confirmationem obtinet ab Eugenio Pont.

Eugenius Servus servorum Dei, dilectis filiis Conrado Abbati Monasterii Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quod in Patherburnensi civitate situm est, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in M. Apostolici moderaminis clementiæ convenit, religiosos deligere, et eorum loca pia protectione munire. Dignum namque, et honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas et à pravorum hominum nequicia tueamur, et Apostolicæ Sedis patrocinio foveamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona in præsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus - - - - - - - - - In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Widun cum Ecclesia, Merbeke cum Ecclesia, Gellendorp, Rumbeke, Fuclon, Dotenhusen, Waltmannenghuson, Halle, Thensin, Rime, Deheim, Bekehuson, Habergo, Edekehuson, Nederc, Offendorp, Curbike, Messere, Bullenghuson, Menne, Andepo cum Ecclesia. Item in inferiori Andepo Volpethenhuson, Fornholte, Ecclesiam in Haltenghuson cum banno Episcopali, et tribus capellis, Bellede, decimam in Wilbodessun, Bethengdorp, Hese, Sturenbrug, Suinveld, Weplede, Burgnon cum Ecclesia, et decima super curtem, Butenen, Unnenscare cum decima, Nortburgnon cum decima, Alfnon, Mestete, Hedmere, Hengeldere, Atlon, cum Ecclesia et decima super curtem, Butenen, Balhorn, Rurale, quod Sundra fuit, cum decima, Helsen, et molendinum cum vivario, Lessethe, Scarheim, Wambeke, Ermescenhuson, Cethslere, Hohensele, Rederbruggon, Radengheim cum capella, et decima super dimidiam villam Putthen, curtem et Ecclesiam cum dimidia decima et capellam in Vorthuson ad Ecclesiam eandem pertinentem, Appele, Wehsle in Thesterbrant, curtem cum tota familia, Ecclesiam in Duilon cum quatuor capellis videlicet Nivvelen, Hellue, Hasten, et Gamberem cum dimidia decima. Obeunte autem te nunc loci ejusdem Abbate vel suorum quilibet Successorum, nullus ibidem qualibet surreptionis astutia seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem vel beati Benedicti regulam de eodem claustro, vel si necesse fuerit de alio providerint eligendum. Liceat etiam vobis in Parrochialibus Ecclesiis, quas tenetis Sacerdotes eligere, et diœcesano Episcopo

Episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, Episcopus animarum curam committat, ut de plebis quidem cura Episcopo respondeant, vobis verò pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.





✠ *Ego Albericus Hostiensis Episcopus.*
✠ *Ego Otto Diac. Card. S. Gregorii ad velum aureum.*
✠ *Ego Rainerius Cardinalis.*
✠ *Ego Aribertus Presbyter Cardinalis.*
✠ *Ego Ubaldus Presbyter Card. tt. S. Crucis in Jerusalem.*
✠ *Ego Octavianus Diac. Card. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.*
✠ *Ego Jordanus Presbyter Card. tt. S. Susannæ.*
✠ *Ego Petrus Diac. Card. Sanctæ Mariæ in via lata.*

Data Sutrii per manum Roberti S. Romanæ Ecclesiæ Presb. Cardinalis et Cancellarii, Non. Maji, Indictione VIIII, Incarnationis Dominicæ anno MCXLVI Pontificatus vero Domini Eugenii III Papæ anno secundo.

Præclarè

Præclarè per id tempus Bernardus Episcopus noster meritus de Corbeiensibus, quorum Abbas Henricus Sigifridi Marchionis frater, cùm, solutâ disciplinâ, per lites cum suis Cœnobitis, & bonorum dissipatione, malè administrasset Cœnobium, auctor adjutorque fuit Cœnobitis submovendi Abbatem Henricum. Atque is postquam jam à Cardinali Thoma Legato Apostolico postulatus in judicium, reusque compertus, munere suo abire jussus erat, suasor rursùm Corbeiensibus fuit, deligerent in ejus locum Wicboldum Abbatem Stabulensem, virum ea tempestate celeberrimum, qui ob religionem & sapientiam ex Abbate Stabulensi delectus fuerat Abbas Cassinensis in Italia, sed à Rogerio Tyranno ejectus Stabuletum se retulerat. Gratum id erat quoque Conrado Regi, à quo jam antè in suis negotijs Romam missus fuerat Legatus, magnæ apud omnes Principes auctoritatis & gratiæ. Quare Bernardi Episcopi nostri judicium erat, per nullum, quàm hunc virum consultius & opportunius Corbeiense Cœnobium in pristinum religionis statum ac florem restitui posse. Facta igitur tam præstantis viri electione, missi sunt ad Regem, qui Abbatem hunc sibi permitteret: at quantum Rex illud Wicboldo suadebat, tantum ille obluctabatur, obtendendo fessam per legationes, & XVI annorum labores in Abbatis præfectura ætatem. Tandem Regis precibus victus, Abbatiam admisit; ac 12 Decembris in villa Wincheim consecratur, eodemque mense Corbeiam deductus, honorificè exceptus introducitur. Rex præterea, quo benevolentiam in Wicboldum ostenderet, duo illic Monasteria Virginum Kemnade & Visbeca, quòd in his corruptâ disciplinâ, magna aliorum offensione viverent, commutanda in Præposituras donavit. His à Rege impetratis Corbeienses ad Eugenium Pontificem scribunt, & Wicboldum mirificè sibi probatum Apostolica auctoritate asseri petunt. Literas hasce, quia præclarum simul Bernardi Episcopi studium salutaris hujus operis, & Wicboldi elogium exhibent, hîc reddere placuit.

Henrico Corbei. Abbate deposito, Bernardi Episcopi operâ sufficitur Wicboldus, antea Abbas Stabulensis & Cassinensis.

Reverendissimo in Christo Patri suo Domino Eugenio divina gratia summo et universali Pontifici, W. Licet indignus Corbeiensis Ecclesiæ prior, et cæteri fratres universi, qui in Corbeiensi Monasterio Deo militant, devotam obedientiam, et exiguas orationes in Domino. Sanctitati vestræ suggerimus, quod post depositionem Henrici quondam Abbatis nostri, qui à venerabili Legato vestro scilicet Magistro Thoma pro manifestis culpis suis, et confessis canonicè, ad totius Monasterij salutem, quod ipse multis modis vastabat, destitutus est. Convenimus in personam cujusdam fratris nostri, qui officium præpositura administrabat, et elegimus eum quibusdam ex fratribus nostris non assentientibus, et multis ex laico ordine reclamantibus, qui partibus depositi illius pertinatius faverant, qui post suam promotionem paucis mensibus vivens vita discessit, et nos plenos mœrore et sollicitudine non sine aliqua discor-

 dia

dia reliquit. Et quoniam per Abbatum nostrorum negligentiam per annos ferè quinquaginta res monasterii nostri, et dignitas tam intus quam foris ultra quam credi possit, imminutæ sunt, et nos penitus concordes non eramus; Nulla tum in Ecclesia nostra persona inveniri potuit, quæ sufficere posset ad alligandas attritiones nostras, et ut filii Dei, et Ecclesiæ nostræ, qui dispersi erant, aggregarentur in unum. His necessitatibus coacti invocata Spiritus S. gratia, et adhibito religiosorum et sapientium virorum consilio, communi omnium desiderio, sine ullius personæ magnæ vel parvæ contradictione immo favorabili omnium assensu, præsente et consulente nobis in idipsum venerabili filio vestro B. Patherbrunnensi Episcopo, elegimus nobis in Capitulo nostro Corbeiensi in patrem et pastorem animarum nostrarum, in Abbatem scilicet et Dominum nostrum, Stabulensem Abbatem Dominum Wicboldum, cujus religione et prudentia Corbeiense Monasterium ad pristinum suæ dignitatis statum reformari possit. Quod cum facere et electioni nostræ multis diebus assentire renuisset, et per nostros Legatos abstrahi ad consulendum nobis à Monasterio suo nequaquam valeret, tandem auctoritate regia ad curiam est evocatus, et cogente ipsum Domino nostro Conrado Romanorum Rege, fratres nostros et Laicos nostros, qui illuc frequentes convenerant, sequi, et ad nos venire compulsus est. Et gratias Deo Omnipotenti referimus, quia non sumus fraudati à desiderio nostro, et à spe, quam de ipso patre nostro conceperamus, quoniam mirabili industria omnes dissensiones nostras ad pacem et concordiam renovavit, et possessiones non parvas, quas depositus ille alienaverat, magna cum prudentia, et efficacia ad usum Monasterii recollegit. Præterea sunt in vicinia nostra duo Monasteria fœminarum, quæ suæ enormitatis pertinacia nostros, et omnium religiosorum oculos, et aures sæpissime offenderunt, ad quod malum eliminandum cum quidam ex nostris Abbatibus laborare cœpisset, quatenus et possessio Ecclesiæ conferretur, et divina inibi religio reformaretur, obtinere non potuerunt, sed Dominus Abbas noster Wicboldus multis suis obsequiis inclinatum habens animum Principis à Domino nostro Rege Conrado impetravit eadem loca cum omnibus suis appendiciis Monasterio nostro conferri, et per auctoritatis Regiæ privilegium legitimam traditionem confirmari. Dilectam itaque nobis misericordiam flexis ad vos genibus cordis humiliter imploramus, ut quoniam jam sæpe dictus pater noster quinq; talenta, quæ acceperat, sollicite duplicavit, Christum imitantes verum et bonum patrem familias super X. civitates eum constituatis, juxta illud omni habenti dabitur, et cum vestra benedictione Apostolica munitum, ut nobis et præesse et prodesse valeat, ad nos cum gaudio remittatis, et donationem, quam Dominus noster Rex de prædictis duabus Cellis Monasterio vestri privilegii pagina confirmare dignemini.

Pontifex haud multò post ad literas Corbeiensium Wicboldi electionem suis etiam probavit; eæ licet ad nos non pervenerint, satis tamen æstimes ex Lucij III Pontificis literis anno 1184 datis, quibus se profitetur ad Eugenij exemplum Corbeiense Monasterium in tutelam

tutelam suscepisse, & Kemnadæ Cœnobij commutationem donationemque ratam habere.

At multò illustrior hic annus Eugenio Pontifice, & bello sacro, quod eo auctore tertium fuit pro terra sancta. Nam postquam Edessa Mesopotamiæ urbs à Saracenis capta, eodemque simul nuncio allatum fuit, periculum totius Hierosolymitani Regni amittendi, Pontifex scriptis ad omnes Europæ Principes literis bellum sacrum sollicitavit. Tuba hujus belli, rogatu Pontificis, D. Bernardus, miraculorum gloria clarus. Is primùm Ludovicum Galliarum Regem, totamque Galliam in comitijs Vercelliacensis Oppidi ad expeditionem sacram traxit, à quo certatim cum Rege proceres signum crucis sumpsêre.

Resumitur bellum sacrum pro terra S. recuperanda.

Otto Frising. l. 1. de Frid. c. 34. Wilhelm. Tyrius l. 16. Ursberg. Dodechin. Append. Lamb. Robert. de Mont. Trithem. Otto à S. Blasio.

Inter hæc Rudolphus Monachus, ex eremo progressus, ingentem hominum multitudinem in agro Coloniensi, Moguntino, Wormatiensi, Argentinensi, & toto Rheni limite contractam ad sumendum signum crucis inflammavit; quibuscum primùm omnes per Germaniam Judæos mactare parabat, quòd doceret, juratos illos Christiani nominis hostes immolandos: & cæde jam cœptâ, Norimberga aliæque urbes profugis hebræis replebantur. Subinde D. Bernardus Germaniam ingressus Conradum Regem adijt, & sacrum illi bellum persuasit. Quam in rem Conradus festo Natalis Christi Spiræ comitia indixit, ad quæ & D. Bernardus accessit, Regemque cum Friderico, Sueviæ Duce, post Imperatore, multosque illustres viros habuit, qui accepto signo crucis expeditionem sacram profiterentur. Inde Moguntiam descendit D. Bernardus, ubique signis & miraculorum gloria illustris. Rudolphum istic Monachum reperit magno populi favore circumfusum, quem accersitum objurgavit, quòd sine publica dicendi auctoritate ad bellum sacrum homines traheret, damnatáque laniena jussit ad eremum redire.

Annus Christi 1147.

Eugenij III Pont. 3.
Conradi III Regis 10.
Bernardi I Ep. Pad. 20.

Annus jam agebatur MCXLVII, cùm Rex Francofurti publica Principum comitia indicit, ad maturandam expeditionem sacram. Sed ipse primùm Ratisbonam profectus, alium istic conventum Principum habuit in Februario, in quo tres Episcopi Otto Frisingensis, Henricus Ratisbonensis, Reginbertus Pataviensis, Henricus Dux Noricorum, multique Comites, accepto crucis signo, nomen sacræ militiæ dedêre. Eò & Saxonum proceres accessêre. Verùm quòd dicerent sibi aliam militiam adversus barbaros Sclavos magis esse necessariam, auditi probatiq; sunt à Rege, ideoq; & signo crucis deco-

Bina Ratisbonæ & Francofurti Comitia celebrata, in quib9 actum de maturanda expeditione in terram S.

 rati;

Otto Frising. Dodechin. Robert. de monte. Otto à S. Blasio. Ursberg. Gretz. lib. 3. de cruce Helmoldus.

rati; quanquam diversa id nota adsutum vestibus. His Ratisbonæ peractis, Conradus Rex Francofurtum acceleravit ad comitia, quæ & Episcoporum & procerum accessu celebria fuêre; uti horum nomina hactenus incomperta ex diplomate Corbeiensi proferemus. Accessit & D. Bernardus Francofurtum ad comitia, belli sacri tubam inflans, ubique miraculis, quo per Oppida & vicos incederet, multò admirabilior, alibi cœcos, alibi claudos, alibi alio morborum genere affectos persanando; tanquam miracula stipis instar largiendæ pro arbitrio in potestate haberet. Transactis inter Principes, quæ ad sacram expeditionem poscebantur, ne Imperium sine rectore vacuum relinqueret, Henricum filium Imperatorem regni collegam dixit, & Aquisgrani sacris ceremonijs inaugurandum curavit.

Accessit ad hunc quoque conventum Henricus Leo dux Saxoniæ, magno Saxonicorum procerum comitatu; aususq; florentissimus juvenis à Cæsare Bojariæ Ducatum reposcere quem hereditario sibi jure debere contendebat; & si quid à parente sit delictum, non tamen in filium id transfundi posse, ut contra jus fasque spoliari possit. Quare Cæsarem & Imperij ordines tanta animi constantia contestatus est, ut satis ostenderet, nisi Cæsaris voluntate redderetur Ducatus, armis se repetiturum. Importuna hæc postulatio haud parum conturbavit Regem, veritum ne arma, quæ Saxones in Sclavos parabant, in se verterent: quare juvenem benignè allocutus solatusque, promisit, se à reditu ex sacro bello postulatis ejus satisfacturum: ageret modò secum in tantilla comperendinatione communis Ecclesiæ laborantis & Reipublicæ causam, & barbaros interea Sclavos, quemadmodum ipse Saracenos, sumeret debellandos. His acquievêre Saxones. Inter ceteros Saxoniæ præsules, qui Conrado Regi, Francofurti in comitijs aderant, fuit Wicboldus Corbeiensis Abbas, Regi ante omnes Saxoniæ præsules percarus; quòd ex multis in Italia legationibus ac meritis sibi devinctum inter intimæ admissionis Consiliarios haberet. Quapropter à Rege ac ministris Regis sollicitatus, ut se aulamque sectaretur, cùm se ex suscepto recens Corbejensis Cœnobij onere excusaret, duo munifica à Rege diplomata impetravit, quorum altero Monasteria Kemnadæ & Visbecæ, de quibus supra relatum est, donata regiâ, ac Principum in eo conventu præsentium, auctoritate confirmantur.

Donatio Monasteriorum Kemnadæ & Visbecæ Corbeiensibus facta comprobatur à Conrado Rege.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus. Principalis dignitatis munificentiam decet, bene de Republica merentibus præmia rependere, et per congruos honorum gradus provectos cæteris in exemplum, et tanquam bonæ spei signum proponere, ut tam hi sui laboris emolumenta sine fine mansura percipiant, quam illi à simili mercedis gratia sese non fraudandos intelligant. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum tam futuri quam præsentis temporis industria,

industria, quod nos propitia serenitate, fidem, labores, et constantiam fidelissimi nostri nobisque carissimi Wiboldi Corbejensis Abbatis intuentes, tradidimus in perpetuum Corbeiensi Monasterio, et eidem qui nunc divina vocatione et communi atque concordi fratrum electione praeest, Abbati scilicet Wiboldo, nec non cunctis Successoribus ipsius auctoritate in aeternum valitura, duo foeminarum Monasteria Keminada videlicet atque Visbeke, et de nostro atque regni jure, per manum Herimanni palatini Comitis de Rheno, quem ad hoc rite peragendum assumpseramus advocatum, transegimus, et firmavimus super reliquias corporis S. Viti Martyris per aureum donationis nostrae annulum in potestatem et jus atque dominationem Corbejensis Monasterij in manum praedicti Abbatis Wiboldi, et Adelberti Marchionis de Brandenburch, qui vice Herimanni Comitis de Winzenburch, Corbejensis Monasterij advocati eandem donationem nostram seu transactionem suscipiebat, ita videlicet, ut Corbejense Monasterium duo praenominata Monasteria Keminade scilicet et Visbike cum omnibus praedijs, silvis, et aquis, tam foris quam intus ad ipsa loca pertinentibus habeat, possideat, ordinet, utatur et servet, sicut tenet sub suo regimine, jure videlicet proprietario tres abbatiolas, quas fundator ejusdem novae Corbejae Luthevvicus pius magni Karoli filius ad eandem Corbejam contulit, scilicet Eresburch nobile quondam Saxonum castrum, nec non Meppiam et Visbike, sane ad praefata duo loca neque militia neque ullum servitium nobis aut regno debebatur. Et quoniam Corbejensi Monasterio tam in militia quam in servitio ad honorem regni et defensionem sanctae Ecclesiae dignitas collata est, nos judicio Principum ad coronae nostrae augmentum, sicut praescriptum est, manere decernimus. Primam judicii sententiam dedit Burchardus Argentinensis Episcopus, quam secutus est Adelbero Trevirensis Archiepiscopus, Anshelmus Havelebergensis Episcopus, Heinricus Leodiensis Episcopus, Sifridus Wirzebergensis electus, Frithericus Dux Sueviae, et Alsatiae, Herimannus palatinus Comes de Rheno, Cunradus Dux de Ceringa, Cunradus Marchio de Witin, Adelbertus Marchio de Brandenburch, Otto filius ipsius aeque Marchio, Herimannus filius ejusdem Adelberti Marchionis, Luthevvicus Comes patriae de Thuringia, Herimannus Marchio de Bada, Wernerus Comes de Bathen, Uthelricus Comes de Lenzenburch, Uthelricus Comes de Ornınga, Heinricus Comes de Cazzenelenboge, Marquardus, Sibodo, Theodericus Comes de Montbeliart, et alii plures, qui tunc affuêre. Hoc quoque notum esse volumus, quod venerabilis Pater noster Eugenius sanctae Romanae Ecclesiae summus Pontifex frequenti nos admonitione tam per suos quàm per nostros legatos hortatus est, ut Monasteria foeminarum, quae nostrae ditioni, et ordinationi in regno nostro specialiter pertinent, in quibus divina religio penitus dilapsa est, regulare et reformare dignaremur. Et quoniam saepe nominata Monasteria Keminada et Visbike non tam Monasteria, sed omnibus praetereuntibus viam in peccatis communia, corrigi post multos labores non potuerunt, et Corbeiensi Monasterio vicina sunt, tam ad correctionem quam in proprietatem inibi contradidimus, nullo reclamante,

mante, nisi sanctæ regulæ inimicus, et pudicitiæ hostis fuerit inventus. Auctoritate vero nostra regia præfatis duabus cellis Keminade et Visbike damus, ac decreto in perpetuum valituro confirmamus eandem libertatem, quam habet Corbeiense Monasterium, scilicet præfecturam urbis, quæ vulgo dicitur burgban, ea videlicet privilegii ratione, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Advocatus potestatem habeat excercendi judicium in atrio prædictarum Ecclesiarum, sed quidquid præter jus et æquum à famulis, qui tam Abbati, quàm congregationi, obsequio quotidiano deserviunt, commissum fuerit, ab Abbate, vel ab eo, cui ipse mandaverit, corrigatur. Et ut hæc omnia rata et inconvulsa in perpetuum habeantur, Præceptum hoc conscribi, et imaginis nostræ impressione insigniri jussimus.

*al. III. *Signum Domni Counradi Romanorum Regis *secundi.*



Ego Arnoldus Cancellarius vice Heinrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi. Actum anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII, Indictione X, anno vero Domni Counradi secundi Regis invictissimi VIIII. data Frankenevord in Christo feliciter Amen.

Advocatia Cœnobij Kemnadens. ab Henrico Leone transcribitur Conrado Regi, & feudi nomine redditur Henrico ab Abbate Corbeiens.

Hujus deinde Cœnobij Kemnadæ Advocatiam Henricus Leo Brunswici, quæ tum Ducis hereditaria sedes erat, Conrado Regi cedit, & mox ab Abbate feudi nomine recipit; qua super re hæ literæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus Dei gratia Dux Saxoniæ. Notum esse volumus universis Christi nostrisque fidelibus, quod beneficium nostrum, videlicet advocatiam de Monasterio Kaminata, & de aliis bonis ad illud Monasterium pertinentibus, in manum Domni nostri Conradi Romanorum Regis secundi spontanea voluntate resignavimus, ut eandem advocatiam Monasterio Corbeiensi in perpetuam possessionem contraderet, hac videlicet conditionis ratione, ut prædictam advocatiam de manu venerabilis Abbatis Wiboldi in legitimum beneficium reciperemus, quod etiam eodem ordine, quo prædictum est, tam à Domno Rege quam Abbate completum est, & à nobis observatum. Hoc autem de beneficio nostro facere propter humilem petitionem Domni nostri Regis non abnuimus, ea maxime de causa, quod prædictus venerabilis Abbas nobisque carissimus Wiboldus gloriosissimo avo nostro Imperatori Lothario diu multumque ac fideliter servivit, & in administratione Romani imperii singulari constantia usque ad mortem adhæsit, dignumq; est, ut sicut possessionum hæredes eidem Imperatori successimus, ita retributionis circa gratos ac fideles ipsius non degeneres successores existamus. Actum Brunesvvich anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII, Indictione X, anno vero Domni Cuonradi Romanorum Regis secundi X. Testes vero, qui affuerunt, hi sunt Bruno Præpositus, Luithardus, Bernhardus, Anno, Bertoldus, Rikece, Baldevvinus, Gerhardus, Erembertus, & de Corbeiensi Monasterio Adelbertus Præpositus, Conradus Præpositus Kaminatensis, Heinricus Capell. Heinricus Clericus, Karolus, Bernhardus, Reinherus, Rederus, Godefridus, Johannes, Adelhardus, Elvericus Ministeriales.

Conrad9 R. approbat privilegia Corbeiens. & Herivordens.

Altero vero diplomate Conradus Rex antiqua Corbejensium & Herivordensium privilegia instaurat, ad eum prorsus modum & munificentiam, qua illa à Ludovico Pio ceterisque Regibus illustria hæc Cœnobia impetrârunt; quod antiquitatis memoria & Regis hujus singularis beneficentia hîc ex latebris tot sæculorum proferre exigit

In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Counradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus. Ad regiæ dignitatis munificentiam pertinet, bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, ut et ipsi pro suæ fidei constantia laboris sui emolumenta percipiant, et ceteri ad exequenda imperii munia bonæ spei pleni et alacres fiant. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum tam futurorum, quàm præsentis ætatis industria, quod noster fidelis et carissimus Monasterii, quod nova Corbeia dicitur, venerabilis Abbas Wiboldus nostram clementiam adiit, petens, ut privilegia Corbeiensis Ecclesiæ, cui nunc idem venerabilis Abbas præesse cognoscitur, innovare et confirmare dignaremur. Cujus religiosæ petitioni, ob insignem ipsius circa nos et regnum nobis à Deo concessum fidem, pietatis aurem inclinantes, per præsentis paginæ seriem sub regiæ majestatis tuitionem ipsum locum, novam videlicet Corbeiam, cum omnibus sibi tam intus quàm foris pertinentibus assumimus, eumque perpetua libertate donantes, nostra et omnium Principum auctoritate, lege in perpetuum mansura firmamus, ne præfatum Monasterium, nova Corbeia, in potestatem, vel ditionem, sive subjectionem alicujus personæ seu Ecclesiasticæ, seu sæcularis dignitatis per aliquam donationem, seu commutationem cedat. Sed semper sub ordinatione et defensione Regum vel Imperatorum consistat, et libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiatur. Et quoniam ab Imperatore Luthevvico duo Monasteria constructa sunt, et à nostris prædecessoribus honore et diviciis aucta, unum videlicet Monachorum, quod nova Corbeia dicitur, ad normam scilicet veteris Corbeiæ, Herevordense verò Sanctimonialium ad similitudinem Suessionis Monasterii, decretumque est ab eis, ut Corbeiensis Abbas, quicunque pro tempore fuerit, procurationem agat Herivordiensis Ecclesiæ, ita videlicet, ut juxta consuetudinem qua ancillarum Dei congretioni procurari solent, præpositi ex ordine Ecclesiastico tam in disciplina quàm in cunctis negociis, quæ famulæ Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Nos quoque prædecessorum nostrorum vestigia sequentes confirmamus, et decreto in æternum mansuro statuimus, ut omnes per successionem Corbeiensis Cœnobii Abbates præscripta procuratione et patrocinio absque ullius contradictione utantur, et servata dignitate Abbatissæ, in quibus oportunum fuerit, Herevordensi congregationi assistant. Confirmamus etiam, quæ prædecessor noster Imperator Luthevvicus supradictis Monasteriis pro elemosina generis sui tradidit, Cellam videlicet, quæ vocatur Meppia cum decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus. Et Ecclesiam Eresburg circumque per duas Saxonicas rastas ad novam Corbeiam, ad Herevordense verò Monasterium in Episcopatu Osnebrugensi Ecclesiam Buinidi cum subjectis sibi Ecclesiis, in parochia mimiernevordensi Ecclesiam Reni cum his, quæ ad eam pertinent Ecclesiis, ita sane; ut decimarum aliorumq; redituum proventus omnes præfatis cederent Monasteriis, et ab ipsis vicissim procurarentur subjectæ plebes in baptismate, in Eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda,

et

et presbyteri, qui principales Ecclesias tenerent, Archipresbyterorum officio fungerentur, ad agenda omnia, quæ solent fieri ab Archipresbyteris Episcoporum, et cum Episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur, ut in capitularibus antecessorum nostrorum præscriptum habetur, videlicet quantum satis sit eis dari, et Episcopi non plus quærant, nec cum pluribus veniant quam, ut eis sufficere possint. Ne autem in summa debiti Episcoporum servitii plus exigeretur, quam opus sit, statuerunt prædictarum Ecclesiarum Episcopi cum consensu synodali coram antecessore nostro Ottone *Imperatore ab Archiepiscopo Rabano, cæterisque cum eo in synodo agentibus, ut dentur ad singulas Ecclesias porci* IIII *valentes singuli denarios* XII *aut arietes* VIII *tantundem valentes, porcellæ* IIII, *aucæ* IIII, *pullæ* VIII *situlæ* XX. *de medone, de mellita cervisa* XX, *de non mellita* LX, *Panes* CXX *de avena modios* C. *manipuli* DC. *essetque in potestate Episcoporum, utrum hæc per singulas Ecclesias ad unum mansionaticum, an ad duo vellent habere. Statuimus etiam atque concedimus juxta decreta prædecessorum nostrorum liberam utrique loco potestatem eligendæ de propria congregatione in regimen sui per futura semper tempora congruæ personæ. Et ut nullus judex publicus licentiam in homines ad præfatum Monasterium pertinentes ullam judiciariam habeat excercere potestatem, sed omnis eorum res coram advocato ipsorum diffiniatur. Et ut justitiam quæ appellatur Burchban nemo sibi usurpare in eodem loco præsumat, nisi cui potestas ab ejusdem Cœnobij Abbate concessa fuerit. Et ut liberi homines licentiam habeant prædia sua eidem Monasterio conferre, nec quivis judex, aut regia potestas solitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat, sed se ipsos in proprietatem ipsius Ecclesiæ ad jus, ministerialium tradere liceat, et de infimo ordine, videlicet de litis, aut de censuarijs facere ministeriales Abbas potestatem habeat.*

Signum Domni Cunradi Romanorum Regis secundi.



Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archicancellarij recognovi: Anno Dominicæ Incarnationis M. CXLVII Indictione X, regnante Cunrado Romanorum Rege II, anno vero regni ejus X, datum apud Franckenevorde feliciter Amen.

Posteaquam à comitijs Francofurtensibus omnia per hyemem apparata fuère per totam Germaniam ad sacram expeditionem, & D. Bernardus interea Coloniæ, & vicinis ad Rhenum & Mosellam oppidis, continua miraculorum gloria exitavit mortalium animos; florente vere duplex exercitus productus est, alter terrestris, alter navalis: nam de tertio qui Saxonum fuit adversus Sclavos, post referam.

Expeditio pro Terra S. recuperanda.

Cæsar celebrato Bambergæ Paschate, primum Francofurtum, post Noringenbergam progressus, inde deducente Cardinale Portuensi, Eugenij Pontificis Legato, Ratisbonam perrexit; Eaque ex urbe

urbe secundo Danubio provectus est in Austriam, magno Principum procerumque comitatu, belli sacri signo decoratorum; quos inter & Welfus, Henrici Leonis patruus ac tutor, citatus accessit. Castra Rex ad Burgum Acheim festo Ascensionis collocavit, ubi ex omnibus Germaniæ provincijs innumerabilis exercitus se collegit, qualis ab hominum memoria, uti Scriptor chronici Richenbergij, non venit in conspectum. *Tantus*, inquit Otto Frisingensis, qui comes & spectator fuit, *ut nec flumina ad navigandum, nec camporum latitudo ad incedendum visa sint suffectura.* Tyrius 70000 cataphractorum equitum recenset, peditum vero innumeram multitudinem, quam, ut Nicetas Græcus scriptor refert, nemo oculis complecti potuit. Hunc Germanorum exercitum Ludovicus VII Galliarum Rex cum innumeris copijs è Francia subsecutus est, exceptis Lotharingicis, quæ duce Wademontio sequebantur. Tantæ potentiæ nihil inexpugnabile videbatur, quin totus Oriens victus in potestatem rediret. Verùm omnia, quod orbis obstupuit, cassa fuêre. Ac non nisi funera à peregrino solo suscepta. Prospera utcunque fuerunt itineris initia per Bulgariam & Thraciam, donec haud procul Constantinopoli, explicarentur castra in amœnissima planitie, quam Melas amnis interfluit; cùm hic intempesta nocte, 7. Calendas Septembris, inter ventorum turbines, incussis pluvijs, refluxuque maris, totum prope exercitum hausit. Quæ ut insperata, ita fatalis & miseranda clades erat. Inde Conradus Rex trajecto in Asiaticum littus milite, salutatoque Constantinopoli Manuele Imperatore, per Bithyniam aliasq; provincias progressus, exercitum fame, siti, Græcorum proditione, barbarorumque incursionibus, alijsque itinerum malis attritum amisit, vix ut decima pars Palæstinam intrârit. Ludovicus Francorum Rex, præterquam quod tempestate jactatus, ijsdem prope itinerum malis confectum habebat exercitum.

prorsus infausta & cassa.

Annus Christi 1148.

Eugenij III Pont. 4.
Conradi III Regis 11.
Bernardi I Ep. Pad. 21.

Annus interim MCXLVIII vertebatur, cùm uterque Rex circa Pascha Hierosolymam convenêre, & à Balduino Rege, Fulcherio Patriarcha, universoque Christianorum populo incredibili cum lætitia sunt excepti. Haud multò post tres hi Reges, & singuli cum attrito exercitu procedunt ad Damasci in Syria obsidionem. Vix ea cœpta, cùm prius dissidijs, quàm cum hoste pugnatum; ut fit cum pari imperio res à pluribus agitur, nec uni obtemperatur. Et quod fœdum fuit ad omnem posteritatem, obsidio post triduum soluta, frementibus fortissimis viris, tam operosam expeditionem, ac tantam belli molem, ad

Conradus & Ludovicus Reges re infecta, ad suas provincias revertuntur.

quam tota Europa suspensa hærebat, ad nihilum recidisse. Inde uterque Rex alter in Germaniam, alter in Franciam progressus. D. Bernardus, qui tot miraculis conspicuus, non nisi divino instinctu id bellum suasisse credebatur, ut dolorem ipse suum leniret, ad arcana Dei judicia hæc retulit, quæ homini investigare fas non sit: palam interim fassus, *Deum provocatum peccatis ante tempus judicasse orbem terræ, cecidisse populos propter iniquitatem; nec tamen eorum casus fuisse adversus promissa Dei, quæ justitiæ ejus præjudicare non possunt, qui terribilis est super filios hominum.* Moysen quoque tot signis & portentis eduxisse hebræos ex Ægypto, quorum tamen pauci admodum secundum promissa Dei terram sanctam ingressi sunt, ceteris ob delicta extinctis.

Dodechin. Robertus de monte. Helmoldus. Albert. Stadens. in chron. Marian. in histor. Hisp. l. 10. Auctor vet. chron. Saxon. Chron. Mont. Sereni. Brovver. in annal. Trever.

Ulyssippo à Germanis &c. obsidetur & capitur.

Alter exercitus, qui navalis erat, paulò feliciori eventu expeditionem fecit; quemadmodum hæc Dodechinus, qui interfuit, Comes Robertus de monte, Marianus, alijque tradidêre. Classis hæc v. Calendas Maji per octavam Paschæ Coloniæ alijsque ad Rhenum viribus collecta, secundo Rheno movit. Ea primùm conjuncta Saxonum & Frisonum navibus, quæ ex ostio Visurgis solverant; inde Danis, Belgicis, Lotharingicis navibus aucta, 14 Junij in portum Angliæ delata est, ubi Comes Areschottanus cum ducentis ferè Britanniæ & Flandriæ navibus se conjunxit. Valida jam & formidabilis classis erat, qua provecti in altum, & post gravem in pervigilio Ascensionis tempestatem, Gazim Hispaniæ portum cum 50 navibus ingressi sunt. Demum ante Pentecosten in Dorij fluminis ostium delati, ab Alfonso Lusitaniæ Rege multis præmijs invitati sunt. Germani, Angli, & Belgæ, totaq; classis, adversus Mauros, qui Ulyssiponem tenebant Regni metropolim, magna in Christianos exercita tyrannide. Et quia barbari non minus erant Mauri quàm Saraceni, in quos movebat classis, rogatu Regis Ulyssiponem in pervigilio Apostolorum Petri & Pauli obsidere aggressi sunt. Multis ibi prælijs primùm, ac postea difficili, quinque mensium oppugnatione certatum, donec tandem muro 200 pedum rupto, aditus in urbem patefactus, & cc millium quingentorumque barbarorum cæde, ceteris ex classe & mari prementibus, triumphatum est, & præda omni opinione major militibus cessit. Ita urbs nobilis & Christianorum Colonia facta, & Regnum à Barbaris liberatum; quod, ut Helmoldus scribit, omnium ex hoc sacro bello operum fuit pulcherrimum. Capta urbe 8 Calend. Novembr. classis in Hispania hibernavit; neque Palæstinam petere consultum habuit, postquam infelicem regni utriusque successum didicit.

Otto Frising. lib. 1. in Frid. c. 44. Helmoldus lib. 1. c. 62. Albert.

Tertius exercitus, haud minus quàm priores, sacro bello adnumerandus, Saxonum fuit adversus Obotritos, Luticios ceterosque Sclavos, à quibus Christiani in Dania & Transalbiana regione barbarum in modum vexabantur. Hæc expeditio duplici rursum exercitu

citu Saxonum sumpta, in quam omnes Episcopi Saxoniæ, ut Helmoldus scribit, convenêre. In altero Saxonum exercitu Principes fuêre Fridericus Magdeburgensis Archiepiscopus, Rudolphus Halberstadiensis, Wernerus Monasteriensis, Bernardus Merseburgensis, Wikerus Brandeburgensis, Anselmus Havelbergensis, Henricus Moraviensis Episcopi; Wiboldus Corbeiensis Abbas: Duces Conradus, & Albertus Marchio, Fridericus & Herimannus Comites palatini, alijque procerum; horum exercitus XL millium perhibetur. Alter Saxonum exercitus ductus ab Alberone Bremensi Archiepiscopo, Dithmaro Verdensi Episcopo, Henrico Leone juvene & Saxoniæ Duce, Conrado Duce Burgundiæ, Hartwico Principe, ceterisque Saxoniæ proceribus, quibus Helmoldus addit Conradum Withinensem Comitem; is exercitus scribitur XL millium capitum fuisse. His accessit Rex Daniæ cum centum millibus provincialium; quemadmodum hæc auctor Montis Sereni in chronico scribit. Hi omnes, ut alius vetus scriptor memorat apud Browerum, *assumpto signo vivificæ crucis cum maximo apparatu, et miraculi devotione in diversis partibus terram Paganorum ingressi sunt; ut eos aut Christianæ religioni subderent, aut Deo auxiliante omnia delerent. Et tota terra contremuit à facie eorum: et fere per tres menses peragrando omnia vastârunt, civitates et oppida igni succenderunt, fanum etiam cum Idolis, quod erat ante civitatem Malchon cum ipsa civitate concremarunt.* Accenderat Saxonum & Westfalorum iram Niclotus Sclavorum Princeps; is enim ubi pro certo comperit, hanc expeditionem totius Saxoniæ in se suamque gentem verti, comparata classe cum valido exercitu trajecit per ostium Travenæ fluminis, primoque impetu Lubecam intercepit: ac mox incensis mercatorum navibus, direptis mercibus, cæsisque supra trecentos civibus, urbem incendit. Rudolphus, cùm ex urbe ad castrum profugeret, interceptus, & mille vulneribus confossus perimitur. Inde in vicinos circum pagos effusus, Hollandos, Frisios, Westfalos, quorum Colonias supra diximus ab Adolpho Holsatiæ Comite istic introductas, exilio, spolijs, ac cædibus vastat. Magna in hac calamitate temporum conspecta est caritas Vicelini nostri, à quo profugi Sacerdotes collecti, receptique: & ceteri Christiani multis subsidijs adjuti, animatique ad constantiam, ipse sæpe ita afflictus, ut sub fago in silva tentorium construxerit, ad servandam vitam. Castrum, in quod Frisij se receperant, vim barbarorum repressit. Id trium millium agmine aggressi sunt Sclavi; & jam obsessi de vita pacti deditionem parabant, cùm Gerlavus Sacerdos ad arma revocat; ipse deinde cum uno alterove viro se ad portæ claustrum objicit, fortiterque pugnando impetum sustinet; ac licet alter illi oculus telo jam excussus esset, non destitit tamen objectu corporis vim repellere. Qua conspecta viri fortitudine, barbari abcessêre. Inde latè grassati per regionem

Stadens. Chron. vetus Saxon. Crantz. Chron. Mont Seren. Auctuar. Gembl.

Expeditio Saxonum in Sclavos.

Christianorum, domos & vicos pervastant: quo furore expleto, cum spolijs & captivis Niclotus exercitum reduxit per Travennam flumen in interiorem Sclaviam. Acceleravit hac injuria utrumque Saxonum exercitum. Consilium erat, gentem toties perfidam aut funditus extinguere, aut ita victam christianis legibus submittere, quemadmodum Carolus Saxoniam perdomuerat. Et res prospero belli eventu eò deducta erat, nisi Principum nostrorum discordia intervenisset, quod Helmoldus & Otto Frisingensis queruntur. Multum interim hoc bello sacro actum. Nam Sclavi ita debellati victique, ut baptismum recipere, & Christi religionem in suis provincijs liberam permittere coacti sint. Quapropter Hartwicus Archiepiscopus Bremensis, Rudolphi Marchionis filius, qui hoc anno ex Præposito ejus Ecclesiæ subrogatus Alberoni, cœpit Ecclesias, Barbarorum furore disjectas, reparare, & Episcopales per Sclaviam sedes, è quibus per LXXX annos exulârant Antistites, implere pastoribus.

Historia Archiep. Bremens. in Hartvv.

Inter hæc Eugenius Pontifex descenderat ad Eudonis seductoris hæresin comprimendam, & Gilberti Porretani Episcopi suspecta dogmata cognoscenda. Quam in rem celebre Rhemis Episcoporum consilium in Quadragesima convocatum: postulatiq; etiam ad hanc synodum Moguntinus, Coloniensis, alijque Germaniæ Episcopi. Quemadmodum hæc ab eorum temporum scriptoribus referuntur, Coloniensi Archiepiscopo, quòd ad consilium evocatus non adfuerit, sacris postea interdictum. Accessit è Saxoniæ præsulibus ad hanc synodum Conradus Helmeswardeshusanus Abbas nostræ diœcesis; rogatuque Henrici Moguntini, Bernardi Hildesimensis, & Bernardi Paderbornensis Episcoporum, tum & Wiboldi Corbejensis Abbatis ab Eugenio Pontifice omnium privilegiorum confirmationem impetravit.

Otto Frising. Robert. in append. Wilhel. Neubrigen. Baronius. Concil. Par. recent. edit. tom. 10. Brovver. in Annal. Trevir.

Concilium Remense, in quo Eudonis & Gilberti dogmata damnata.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis dilectoribus, veræ fidei benedictionem et misericordiam à Deo salutari suo. Sicut dignum et justum est, nos pro statu temporalium et spe futurorum universitati fidelium apostolica auctoritate prospicere, sic etiam peramplius et perfectius est, æquum et salutare, votis humilium et precibus mansuetorum aures benignitatis nostræ accommodare. Eapropter significamus, tam præsenti Ecclesiæ quam generationi venturæ, quod præsidentibus nobis in generali Rhemensi concilio, et quæ ad pacem sunt Ecclesiarum disponentibus, Abbatem venerabilem Helmvvardensis Cœnobij Conradum nomine ad nos reverenda cum devotione accessisse, ac de statu, jure, seu libertate suæ Ecclesiæ pauca pro tempore nobis intimasse, utque superhis prædecessorum nostrorum decretis privilegij nostri auctoritate subscriberemus, pia inportunitate postulâsse. Qua de re habita deliberatione, tum sedis apostolicæ conventi larga liberalitate, tum etiam Episcoporum nostrorum provocati benigna interventione, Henrici scilicet Moguntinensis, Thehardi Bremensis, Bernhardi Hildenensis, item Bernhardi

Privilegia Cœnobij Helmwardeshusani confirmantur ab Eugenio.

Paderb.

Patherb. et Wichaldi Stabulensis Monasterij Prelati justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam sub beati Petri ac nostra protectione ex hoc nunc et usque in sæculum suscipimus. Statuentes igitur decernimus, ut nulli omnino hominum cujuscunque ordinis sit, seu dignitatis, liceat jam dictam Ecclesiam temere perturbare, possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed quascunque possessiones, bona, tam in honoribus, quam in reditibus, seu alijs in præsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, oblatione fidelium poterit Deo propitio, et illibata Deo inibi militantibus, ac regulariter viventibus permaneant. Habeant etiam fratres liberam facultatem eligendi advocatum utilem rebus - - - - - - - - Idem etiam Monasterium secundum statutum Pontificum Romanæ libertatis - - - - - - scilicet, ac Benedicti ab omni dictione Episcopi in cujus parochia - - - - - - - sacros ordines duntaxat, vel consecrationes benigne - - - - - - - - - - - - - - - Si qua igitur Ecclesiastica secularisve potentia contra - - - - paginam venire tentaverit, ream se divino judicio existere, - - - - - - - culpa recognoscat, et nisi satisfactione resipiscat, vinculo anathematis districta ultioni subjaceat. Qui vero hujus nostri privilegij custos et observator extiterit, à secunda morte non lædetur, sed perpetua benedictione et gratiarum actione cum Deo et agno in Jherusalem superna perfruetur Amen.

Data Remis per manus Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Cancellarij, III Calend. Aprilis, Indictione XI.

Abbatem hunc cum literis commendatitijs ijsse Rhemos ad Pontificem, ac legati fortè Episcoporum munere, verisimile habeas; nam Bernardum certè Episcopum nostrum ceterosque synodo interfuisse non reperio. Haud minus obscurum, quis ille Thetardus Bremensis Episcopus hoc diplomate nominatus, & ipso autographo, quod apud nos servatur, scriptus; cùm per id tempus Albero Bremensis Archiepiscopus adhuc viveret, nactus Successorem Hartwicum. An medius aliquis Episcopus inter Alberonem & Hartwicum, an error scriptoris intervenerit, doceant nos alij.

Annus Christi 1149.

Eugenij III Pont. 5.
Conradi III Regis 12.
Bernardi I Ep. Pad. 22.

Subit nunc annus Christi MCXLIX, quo Conradus Rex, præmisso in Germaniam Friderico Sueviæ Duce, & Arnoldo Cancellario, è Palæstina rediens per Illyricum mare Polam Istriæ urbem appulit, atque inde equestri itinere per Aquilejam vectus Salisburgum pervenit; acto istic Pentecostes die Ratisbonæ comitia habuit, majori frequentia, quàm gloria, post amissum florentissimum infeliciori expeditione exercitum. Regem ob id Eugenius Pontifex literis humanissimis *Otto Frising. lib. 1. Frider. c. 59.*

simis

Christianorum, domos & vicos pervastant: quo furore expleto, cum spolijs & captivis Niclotus exercitum reduxit per Travennam flumen in interiorem Sclaviam. Acceleravit hac injuria utrumque Saxonum exercitum. Consilium erat, gentem toties perfidam aut funditus extinguere, aut ita victam christianis legibus submittere, quemadmodum Carolus Saxoniam perdomuerat. Et res prospero belli eventu eò deducta erat, nisi Principum nostrorum discordia intervenisset, quod Helmoldus & Otto Frisingensis queruntur. Multum interim hoc bello sacro actum. Nam Sclavi ita debellati victique, ut baptismum recipere, & Christi religionem in suis provincijs liberam permittere coacti sint. Quapropter Hartwicus Archiepiscopus Bremensis, Rudolphi Marchionis filius, qui hoc anno ex Præposito ejus Ecclesiæ subrogatus Alberoni, cœpit Ecclesias, Barbarorum furore disjectas, reparare, & Episcopales per Sclaviam sedes, è quibus per LXXX annos exulârant Antistites, implere pastoribus.

Historia Archiep. Bremens. in Hartvv.

Inter hæc Eugenius Pontifex descenderat ad Eudonis seductoris hæresin comprimendam, & Gilberti Porretani Episcopi suspecta dogmata cognoscenda. Quam in rem celebre Rhemis Episcoporum consilium in Quadragesima convocatum: postulatiq; etiam ad hanc synodum Moguntinus, Coloniensis, alijque Germaniæ Episcopi. Quemadmodum hæc ab eorum temporum scriptoribus referuntur, Coloniensi Archiepiscopo, quòd ad consilium evocatus non adfuerit, sacris postea interdictum. Accessit è Saxoniæ præsulibus ad hanc synodum Conradus Helmeswardeshusanus Abbas nostræ diœcesis; rogatuque Henrici Moguntini, Bernardi Hildesimensis, & Bernardi Paderbornensis Episcoporum, tum & Wiboldi Corbejensis Abbatis ab Eugenio Pontifice omnium privilegiorum confirmationem impetravit.

Otto Frising. Robert. in append. Wilhel. Neubrigen. Baronius. Concil. Par. recent. edit. tom. 10. Brovver. in Annal. Trevir.

Concilium Remense, in quo Eudonis & Gilberti dogmata damnata.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis dilectoribus, veræ fidei benedictionem et misericordiam à Deo salutari suo. Sicut dignum et justum est, nos pro statu temporalium et spe futurorum universitati fidelium apostolica auctoritate prospicere, sic etiam per amplius et perfectius est, æquum et salutare, votis humilium et precibus mansuetorum aures benignitatis nostræ accommodare. Eapropter significamus, tam præsenti Ecclesiæ quam generationi venturæ, quod præsidentibus nobis in generali Rhemensi concilio, et quæ ad pacem sunt Ecclesiarum disponentibus, Abbatem venerabilem Helmvvardensis Cœnobij Conradum nomine ad nos reverenda cum devotione accessisse, ac de statu, jure, seu libertate suæ Ecclesiæ pauca pro tempore nobis intimasse, utque super his prædecessorum nostrorum decretis privilegij nostri auctoritate subscriberemus, pia importunitate postulasse. Qua de re habita deliberatione, tum sedis apostolicæ conventi larga liberalitate, tum etiam Episcoporum nostrorum provocati benigna interventione, Henrici scilicet Moguntinensis, Thehardi Bremensis, Bernhardi Hildenensis, item Bernhardi

Privilegia Cœnobij Helmwardeshusani confirmantur ab Eugenio.

Paderb.

Patherb. et Wicbaldi Stabulensis Monasterij Prelati justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam sub beati Petri ac nostra protectione ex hoc nunc et usque in seculum suscipimus. Statuentes igitur decernimus, ut nulli omnino hominum cujuscunque ordinis sit, seu dignitatis, liceat jam dictam Ecclesiam temere perturbare, possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed quascunque possessiones, bona, tam in honoribus, quam in reditibus, seu alijs in præsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, oblatione fidelium poterit Deo propitio, et illibata Deo inibi militantibus, ac regulariter viventibus permaneant. Habeant etiam fratres liberam facultatem eligendi advocatum utilem rebus - - - - - - - Idem etiam Monasterium secundum statutum Pontificum Romanæ libertatis - - - - - - scilicet, ac Benedicti ab omni dictione Episcopi in cujus parochia - - - - - - - sacros ordines duntaxat, vel consecrationes benigne - - - - - - - - - - - - - - - - Si qua igitur Ecclesiastica secularisve potentia contra - - - - paginam venire tentaverit, reamse divino judicio existere, - - - - - - culpa recognoscat, et nisi satisfactione resipiscat, vinculo anathematis districta ultioni subjaceat. Qui vero hujus nostri privilegij custos et observator extiterit, à secunda morte non lædetur, sed perpetua benedictione et gratiarum actione cum Deo et agno in Jherusalem superna perfruetur Amen.

Data Remis per manus Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Cancellarij, III Calend. Aprilis, Indictione XI.

Abbatem hunc cum literis commendatitijs ijsse Rhemos ad Pontificem, ac legati fortè Episcoporum munere, verisimile habeas; nam Bernardum certè Episcopum nostrum ceterosque synodo interfuisse non reperio. Haud minus obscurum, quis ille Thetardus Bremensis Episcopus hoc diplomate nominatus, & ipso autographo, quod apud nos servatur, scriptus; cùm per id tempus Albero Bremensis Archiepiscopus adhuc viveret, nactus Successorem Hartwicum. An medius aliquis Episcopus inter Alberonem & Hartwicum, an error scriptoris intervenerit, doceant nos alij.

Annus Christi 1149.

Eugenij III Pont. 5.
Conradi III Regis 12.
Bernardi I Ep. Pad. 22.

Subit nunc annus Christi MCXLIX, quo Conradus Rex, præmisso in Germaniam Friderico Sueviæ Duce, & Arnoldo Cancellario, è Palæstina rediens per Illyricum mare Polam Istriæ urbem appulit, atque inde equestri itinere per Aquilejam vectus Salisburgum pervenit; acto istic Pentecostes die Ratisbonæ comitia habuit, majori frequentia, quàm gloria, post amissum florentissimum infeliciori expeditione exercitum. Regem ob id Eugenius Pontifex literis humanissimis

Otto Frising. lib. 1. Frider. c. 59.

Christianorum, domos & vicos pervastant: quo furore expleto, cum spolijs & captivis Niclotus exercitum reduxit per Travennam flumen in interiorem Sclaviam. Acceleravit hac injuria utrumque Saxonum exercitum. Consilium erat, gentem toties perfidam aut funditus extinguere, aut ita victam christianis legibus submittere, quemadmodum Carolus Saxoniam perdomuerat. Et res prospero belli eventu eò deducta erat, nisi Principum nostrorum discordia intervenisset, quod Helmoldus & Otto Frisingensis queruntur. Multum interim hoc bello sacro actum. Nam Sclavi ita debellati victique, ut baptismum recipere, & Christi religionem in suis provincijs liberam permittere coacti sint. Quapropter Hartwicus Archiepiscopus Bremensis, Rudolphi Marchionis filius, qui hoc anno ex Præposito ejus Ecclesiæ subrogatus Alberoni, cœpit Ecclesias, Barbarorum furore disjectas, reparare, & Episcopales per Sclaviam sedes, è quibus per LXXX annos exulârant Antistites, implere pastoribus.

Historia Archiep. Bremens. in Hartvv.

Inter hæc Eugenius Pontifex descenderat ad Eudonis seductoris hæresin comprimendam, & Gilberti Porretani Episcopi suspecta dogmata cognoscenda. Quam in rem celebre Rhemis Episcoporum consilium in Quadragesima convocatum: postulatiq; etiam ad hanc synodum Moguntinus, Coloniensis, alijque Germaniæ Episcopi. Quemadmodum hæc ab eorum temporum scriptoribus referuntur, Coloniensi Archiepiscopo, quòd ad consilium evocatus non adfuerit, sacris postea interdictum. Accessit è Saxoniæ præsulibus ad hanc synodum Conradus Helmeswardeshusanus Abbas nostræ diœcesis; rogatuque Henrici Moguntini, Bernardi Hildesimensis, & Bernardi Paderbornensis Episcoporum, tum & Wiboldi Corbejensis Abbatis ab Eugenio Pontifice omnium privilegiorum confirmationem impetravit.

Otto Frising. Robert. in append. Wilhel. Neubrigen. Baronius. Concil. Par. recent. edit. tom. 10. Brovver. in Annal. Trevir.

Concilium Remense, in quo Eudonis & Gilberti dogmata damnata.

Eugenius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis dilectoribus, veræ fidei benedictionem et misericordiam à Deo salutari suo. Sicut dignum et justum est, nos pro statu temporalium et spe futurorum universitati fidelium apostolica auctoritate prospicere, sic etiam per amplius et perfectius est, æquum et salutare, votis humilium et precibus mansuetorum aures benignitatis nostræ accommodare. Eapropter significamus, tam præsenti Ecclesiæ quam generationi venturæ, quod præsidentibus nobis in generali Rhemensi concilio, et quæ ad pacem sunt Ecclesiarum disponentibus, Abbatem venerabilem Helmvvardensis Cœnobij Conradum nomine ad nos reverenda cum devotione accessisse, ac de statu, jure, seu libertate suæ Ecclesiæ pauca pro tempore nobis intimasse, utque super his prædecessorum nostrorum decretis privilegij nostri auctoritate subscriberemus, pia inportunitate postulâsse. Qua de re habita deliberatione, tum sedis apostolicæ conventi larga liberalitate, tum etiam Episcoporum nostrorum provocati benigna interventione, Henrici scilicet Moguntinensis, Thehardi Bremensis, Bernhardi Hildenensis, item Bernhardi Paderb.

Privilegia Cœnobij Helmwardeshusani confirmantur ab Eugenio.

Patherb. et Wicbaldi Stabulensis Monasterij Prælati justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam sub beati Petri ac nostra protectione ex hoc nunc et usque in sæculum suscipimus. Statuentes igitur decernimus, ut nulli omnino hominum cujuscunque ordinis sit, seu dignitatis, liceat jam dictam Ecclesiam temere perturbare, possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed quascunque possessiones, bona, tam in honoribus, quam in reditibus, seu alijs in præsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, oblatione fidelium poterit Deo propitio, et illibata Deo inibi militantibus, ac regulariter viventibus permaneant. Habeant etiam fratres liberam facultatem eligendi advocatum utilem rebus - - - - - - - - Idem etiam Monasterium secundum statutum Pontificum Romanæ libertatis - - - - - - scilicet, ac Benedicti ab omni dictione Episcopi in cujus parochia - - - - - - - sacros ordines duntaxat, vel consecrationes benigne - - - - - - - - - - - - - - - -
Si qua igitur Ecclesiastica sæcularisve potentia contra - - - - paginam venire tentaverit, reamse divino judicio existere, - - - - - - - culpa recognoscat, et nisi satisfactione resipiscat, vinculo anathematis districtæ ultioni subjaceat. Qui vero hujus nostri privilegij custos et observator extiterit, à secunda morte non lædetur, sed perpetua benedictione et gratiarum actione cum Deo et agno in Jherusalem superna perfruetur Amen.
Data Remis per manus Guidonis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Cancellarij, III Calend. Aprilis, Indictione XI.

Abbatem hunc cum literis commendatitijs ijsse Rhemos ad Pontificem, ac legati fortè Episcoporum munere, verisimile habeas; nam Bernardum certè Episcopum nostrum ceterosque synodo interfuisse non reperio. Haud minus obscurum, quis ille Thetardus Bremensis Episcopus hoc diplomate nominatus, & ipso autographo, quod apud nos servatur, scriptus; cùm per id tempus Albero Bremensis Archiepiscopus adhuc viveret, nactus Successorem Hartwicum. An medius aliquis Episcopus inter Alberonem & Hartwicum, an error scriptoris intervenerit, doceant nos alij.

Annus Christi 1149.

Eugenij III Pont. 5.
Conradi III Regis 12.
Bernardi I Ep. Pad. 22.

Subit nunc annus Christi MCXLIX, quo Conradus Rex, præmisso in Germaniam Friderico Sueviæ Duce, & Arnoldo Cancellario, è Palæstina rediens per Illyricum mare Polam Istriæ urbem appulit, atque inde equestri itinere per Aquilejam vectus Salisburgum pervenit; acto istic Pentecostes die Ratisbonæ comitia habuit, majori frequentia, quàm gloria, post amissum florentissimum infeliciori expeditione exercitum. Regem ob id Eugenius Pontifex literis humanissimis *Otto Frising. lib. 1. Frider. c. 59.*

simis

ſimis ſolatus eſt. Et cùm D. Bernardus, auctor hujus expeditionis, varijs vulgi ſermonibus ad invidiam & læſam nominis famam traduceretur, apologiam edidit; & mox etiam, cùm cœco puero lumen oculorum reddidit, miraculi aſpectu innocentiam ſuam teſtatiorem fecit.

Saxonia per id tempus, à proxima expeditione in Sclaviam, Henrici Leonis animoſi juvenis ac ducis ſui imperio læta quieſcebat. Et ille ſupra ætatem animos gerens, Sclaviam ſibi, tanquam partem Saxoniæ ducatuſque ſui, armis Saxonicis domitam vendicabat; quocum Adolphus Holſatiæ Comes, præpotens tum in Tranſalbianis regionibus Princeps, conſpirabat, in omnibus Ducis conſilia & amicitiam ſectando. Horum dominatu martiaque manu, quoties Sclavi ſe commovêre, retuſi ſunt. Verùm, quòd Helmoldus queritur, ab his tributa magis & pecunia exacta quàm religio; ejus enim proferendæ ſtudium per Sclavorum regiones in poſtremis fuit; quòd palam Idolorum cultus ab ijs permiſſus.

Hartvvici ſtudio religio Chriſtiana per Sclaviam propagatur. *Helmold. lib. 1. c. 69. Hiſtor. Archiep. Brem. Albert. Stad. Crantz. lib 4. Wand. Chron. Lubec. Bangert in notis ad Helmold.*

At tanto impenſius hanc curam ſibi hoc anno ſumpſit Hartwicus Bremenſis Archiepiſcopus, qui Alberoni jam plena poteſtate ſucceſſerat, vir claritudine generis & fervore proferendæ chriſtianæ religionis, auctoritateque apud Principes eminens. Tres per Sclaviam Epiſcopatus, Aldenburgenſem ſeu Lubecenſem, Mecleburgenſem, qui haud multò poſt Suerinenſis fuit, ac deinde Raceburgenſem reſtituit. Aldenburgenſi Vicelinum Epiſcopum impoſuit, virum, qui per xxx annos in Holſatia & Wagria Sclavorum ex Apoſtolico munere verſatus, id laboris conſtantia, fructuque Evangelij, ante omnes promeruerat. Meckelenburgenſi ſedi præſtitutus Suehardus, quem Helmoldus Emmerhardum, Crantzius Everhardum vocat: utrumq; ſimul Epiſcopum conſecrari juſſit; miſſique ſunt per hæc pacis tempora, uti Helmoldus ſcribit, in terram egeſtatis & famis, ubi ſedes erat Satanæ, & habitatio omnis immundi Spiritus. Quemadmodum deinde Vicelinus noſter Lubecæ, alijſque ſuæ diœceſis locis templa, altaria, & cœtus Chriſtianorum reſtituerit ex Epiſcopi munere; quantoque fructu regiones docendo, & barbaros ad fidem adducendo peragrârit, quibuſcum ærumnis & periculis illi obluctandum fuerit, multis Helmoldus & Scriptores Septentrionalium rerum exponunt.

Wilbacence à Bernardo Epiſcopo Monaſterium erigitur.

Hoc præterea anno Bernardus Epiſcopus noſter, cujus mirificum vitæ ſtudium fuit in exercenda religione, Wilbacenſe Cœnobium Virginum ad Netam fluvium, in Oppido Wilbacenſi (id quod quartum fuit Cœnobium à ſe conditum, ac tertium familiæ D. Benedicti) in ſua diœceſi, erexit; adjutoremque in multis habuit Ludolphum fratrem, cui amplæ quoque & hereditariæ bonorum poſſeſſiones fuêre in hac diœceſi. Quam in rem ipſæ fundationis tabulæ, quibus hæc planius exponuntur proferendæ ſunt. In

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, qualiter ego Bernhardus gratia Dei Paterburnensis Ecclesiæ Episcopus primum locavi in Ecclesiola Wilbodessensi Sanctimonialium et regulam beati Benedicti profitentes, dedique eis ipsum locum ad habitandum et dotem Ecclesiæ cum omnibus pertinentijs suis ad possidendum. Feci autem hoc cum consilio et consensu Canonicorum, Ministerialium quoq; nostrorum, intuitu quam maxime divinæ retributionis, tum etiam precatu Lutoldi fidelis nostri Ministerialis, qui et ipse sex inibi habens filias contulit eidem Ecclesiæ ipsum Vorvverc, quod illic habetur et quod precio, et justo concambio adquisivit, partim erga Manegoldum, partim erga Heinfridum. Manegoldus siquidem habuit ibi domunculam una cum Sundra et aliquot mansis, quinque vix solidos solventibus, habens autem eos à fratre meo Lutolfo, et ille à me, resignavit eos sibi, et ipse mihi, ego vero tradidi eos Ecclesiæ Wilbodessensi. Lutoldus econtra reddidit mihi de beneficiis à me habitis valens annuatim sedecim solidos, quæ protinus ego præstiti fratri meo, et ipse subinde præstitit Manegoldo ipso ita valente, et nemine contradicente. Porro Heinfridus ibidem nihilominus habuit quiddam proprii, quiddam quoque beneficii, quod cùm haberet à Folgvvino advocato, id quod ibi habebat proprium sibi delegavit, beneficium reddidit, ille verò cum aliis bonis suis ad integrum sibi recompensavit, tradiditque Wilbodessin eadem bona, quæ jam receperat à Heinfrido, laudantibus id ipsum, et simul agentibus matre sua Lutrude et fratre suo Widekindo, pro quo facto prædictus Lutoldus persolvit Folgvvino viginti marcas argenti. Insuper mihi resignavit de beneficiis suis decimam in Abusin, quam ego itidem præstiti Folgvvino pro restitutione suorum bonorum et ejusdem rogatu Lutoldi. Actum est apud Svvalenberg in Monasterio sanctæ Mariæ multis præsentibus. Præterea idem Lutoldus delegavit adhuc præfatæ Wilbodessensi Ecclesiæ de propriis suis domum unam in Ossendorp et unam in Roredehusen, unamque in Odeheim, et unam in Volkersin, mansum in Sidegodesin, domum in Wellede, et quatuor mansos in Rikersin. Quædam etiam de beneficiis, quæ à nobis habuit, nobis reddidit, scilicet decimam in Sutheim, et mansum unum ibidem, quem erga Hugonem et fratres ejus adquisivit, domum unam in Dedighusin, et nos eadem mox Wilbodessensi donavimus Ecclesiæ. Quidquid autem horum fecit idem Lutoldus, sive per se ipsum sive per manum nostram, fecit hoc cum consensu et collaudatione suorum hæredum, conjugis videlicet suæ Immæ ac filiorum suorum Conradi, Eggeberti, et Hermanni. Hermannus quoque de Helmere, habens in eadem Ecclesia duas filias, tradidit eidem domum unam cum attinentiis suis in Adelbechtessin. Sed et Folsvvid socrus ejus tùm pro Deo tùm pro earundem filiarum amore delegavit jam dictæ Ecclesiæ prædiolum in Alchgrimmisin, collaudantibus hoc marito suo Wezelino, et filiis suis Hudone, atque Geroldo. Fratres etiam illi de Watervelde, Adelbertus, Rudolfus et Johannes de beneficiis suis, quæ à nobis habuerunt, reddiderunt, et nos ea ipsorum rogatu sæpe jam dictæ tradidimus Ecclesiæ, curtem unam in Drevera, et mansum

sum unum ibidem, partem decimæ in Vinnethe, mansum in Lochusin, partem decimæ in Ethessin, et in Limego super duas domos, et duos mansos in Eschereshusin. Quidam etiam Ernestus Ministerialis noster habens à nobis duos mansos in Nordin nobis resignavit, hos etiam eidem tradidimus Ecclesiæ. Bertholdus quoque de Culede mansum unum in Wellede, et alterum in Wettere nobis reddidit, hos nihilominus memoratæ delegavimus Ecclesiæ. Hæc omnia ita legitime et juste constat esse facta, ut nullus inde conqueri debeat hæredum, nec ulli ea convellere liceat judicum. Propter quod et præsens privilegium conscribi, et nostro sigillo fecimus roborari, commonentes, et contestantes omnem hominem pusillum et magnum, ut nullus unquam id, quod à nobis, seu per nos ad honorem et gloriam Dei rationabiliter factum est, evacuare, vel bona jam nunc eidem Ecclesiæ collata, vel postmodum juste duntaxat conferenda auferre quolibet modo præsumat, alioquin si fecerit, et juste commonitus se non emendaverit, æterni ignis incendio, qui paratus est diabolo, et angelis ejus sese mancipandum, seque jam à nobis insolubili anathematis vinculo certissime noverit innodatum. Qui vero ipsum locum ejusque habitatores diligere, et protegere studuerint, sit illis peccatorum remissio, cœleste gaudium, et æternæ vitæ remuneratio. Advocatus eorum quemadmodum à nobis ita quoque à Successoribus nostris hujus Patherburnensis Ecclesiæ Episcopis investiatur, qui et nihil exigat inde servitii, sed solam expectet retributionem Dei. Abbatem qui eis præsit ac prosit, regulariter infra duntaxat Episcopatum eligant, extra non nisi cum Episcopi et Ecclesiæ ipsius voluntate id faciant, ipsique Episcopo dignam cum devotione obedientiam juxta ritum ac debitum aliorum, quæ in ejus diœcesi sunt, Monasteriorum exhibeant. Summa hujus privilegii recitata est à supradicto Bernhardo venerabili Episcopo, quinta feria, quæ dicta erat cœna Domini, stante ipso in gradibus, et concionante ad populum, qui tum multipliciter ibidem fuerat collectus, firmatumque est ab eo banno Episcopali, datumque Ecclesiæ Wilbodessensi ad perpetuum stabilimentum, per manum videlicet Conradi Abbatis, qui tunc eidem præfuit Ecclesiæ, et præsens condidit instrumentum. Actum est anno ab Incarnatione Domini MCXLVIIII. Indictione XII, regnante Conrado secundo regni ejus anno XII. Episcopatus autem sæpe memorandi Bernhardi anno XXII.

Annus Christi 1150.

Eugenij III Pont. 6.
Conradi III Reg. 13.
Bernardi I Ep. Pad. 23.

Otto Frising. lib. 1. de Frid.


Nondum absterserat Conradus Rex mœrorem improsperæ expeditionis, cùm anno postero novum doloris vulnus accessit, ex Henrici filij, quem ante triennium Regem dixerat, funere præquam immaturo. Unicus supereat illi filiolus Fridericus; sed & ipse post præreptus fatis; adeo Regum spes, quibus coronam familiæ destinant, incertæ;

incertæ fluxæq;. Ipse interim provincias more Cæsarum obire, & jus dicere visus est. Nam modò in comitijs Ratisbonæ bellum adversus Ottonis Wittesbachij filios sumit, motusq; in Bojaria componit: modò Spiræ versatus, Wiboldum Corbejensem Abbatem, virum ob merita sibi percarum, & ob virtutes ea tempestate per Imperium spectabilem, regia auctoritate adversus Ministerialium insolentiam tutatus est. Et quia pluribus Episcopis, Abbatibus & Principibus ea causa querelaq; cum Wiboldo communis fuisse apparet, ceteri etiam cum suis Ministerialibus jussi sunt esse præsentes, ut ex publico Regis & Principum judicio Ministeriales muneris sui leges acciperent. Et verò cùm Ministerialium genus hominum in omnibus tabulis usitatius sit, quàm notius, hoc ipsum Conradi diploma, ex quo multum lucis obscuritati hujus nominis affunditur, hîc referre non incongruum erit. Conradi Regis sollicitudo pro Imperio.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus. Si paci et tranquillitati Ecclesiarum Dei pia et benigna sollicitudine prospicimus, hanc vicissitudinem nos à pio Creatore nostro accepturos speramus, ut et regni nobis à Deo commissi gubernacula in hoc tempore cum pace et tranquillitate possidere valeamus, ac post regnum hujus temporis in regno æternæ beatitudinis requiem apud justum judicem Deum inveniamus. Notum igitur esse volumus universis regni nostri fidelibus, tam præsentis quàm futuræ ætatis hominibus, qualiter dilectus et fidelis noster Wiboldus Corbeiensis Monasterii Abbas multimoda necessitate ipsius Monasterii compulsus, exposuit in auribus clementiæ nostræ incommoditates et injurias, quas à Dapiferis et Pincernis suis quidam prædecessores ejus sustinuerunt, et ipse à die prælationis suæ in eodem Monasterio passus fuit. Siquidem Dapiferi et Pincernæ, et reliqui, qui ministerii locum in domo Corbeiensis Abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant, quasdam abusiones in eisdem officiis sibi usurpaverunt, ut videlicet omnia victualia, et universam substantiam domus Domini sui sub custodia sua teneant, et cui placuerit, eis inconsulto Domino suo eadem bona servanda, et passim distribuenda conferant, tantamque potestatem in istis officiis sibi asserere conantur, ut Dominis suis palam, et quasi de jure suo prohibeant, ne claves et custodiam rerum suarum alicui committant. Solent etenim de rebus Dominorum suorum proprias familias alere, ac milites suos pascere in tantum, ut in propriis domibus plerumque aut tanta aut etiam plura, quam Domini sui de facultatibus eorum, quas debuerant servare, expendant, et in dissipandis bonis eorum modum omnino nullum teneant. Hujus modi ergo superfluas, et damnosas rerum suarum dissipationes cùm prænominatus fidelis et dilectus noster VViboldus Corbeiensis Abbas de eadem domo eliminare, ac domum suam secundum honorem Dei, ac propriam utilitatem ordinare temptasset, quidam de Ministerialibus ejus Rabano, qui tunc officium Dapiferi administrabat, cum fratre suo Liudolfo, et paucis consanguineis suis multum ordinationi ejus refragatus est, atque cum multa comminatione asserebat, Conradus Abbatiam Corbeiensem contra Ministerialium insolentiam tuetur.

rebat, quod potestatem officii sui, quam hactenus in domo illa excercuerat, nunquam dum viveret, relicturus esset, ita ut sub imperio suo essent universa victualia Domini sui, ac potestatem haberet de eis tribuendi, cui vellet, ne dati aut accepti aliquam rationem Domino suo redderet, ne claves rerum suarum servare alicui liceret, nisi quem ipse ordinasset. Hæc itaque contradictio inter Ministeriales Corbeiensis Ecclesiæ à præfato Abbate Domino suo ventilata est, et per judicium eorum, tam eidem Rabanoni, quàm omnibus, qui hujusmodi dominationem sibi de bonis Domini sui usurparent, omnis potestas de committendis clavibus, et de custodia rerum Domini sui abjudicata est, hancque potestatem Abbati Corbeiensi præscripti ab eo sententiam judicii unaniniter adjudicaverunt, ut claves, et custodiam rerum suarum liceret ei committere, absque consilio Dapiferi et Pincernæ, cuicunque voluisset. Dapifero autem et Pincernæ tale judicium adinvenerunt, ut in victualibus Domini nullam potestatem dandi absque voluntate ipsius prorsus habeant, sed cum Domino suo secundum debitum officii sui ad mensam servierint, hanc dignitatem de officio suo consequantur, ut refecto Domino ad mensam ejus cum cæteris ministris de bonis Domini sui reficiantur, et præter hanc nullam aliam potestatem de rebus ipsius excerceant. Huic comparium suorum judicio cum idem Rabano acquiescere noluisset, prædictus fidelis noster Corbeiensis Abbas apud clementiam nostram impetravit, quod in plena curia nostra, quam Spiræ celebravimus, judicium super eodem verbo à Ministerialibus regni sciscitati sumus, qui etiam in conspectu nostro et Principum regni idem judicium, quod Corbeienses invenerunt, pari consensu asseruerunt. Aliam præterea molestiam idem Rabano fratribus, qui Deo serviunt in Corbeiensi Monasterio irrogare præsumpsit, quod videlicet muros et intra ambitum Cimiterii ejusdem Ecclesiæ hæreditariam mansionem sibi vendicavit, super qua mansione cum satis fuisset commonitus, tum à Domino suo, tum à fratribus Monachis, tum à Comparibus suis, quatenus ab ea desisteret, noluit eorum salutaribus monitis obtemperare. Unde Ministeriales Corbeiensis Ecclesiæ judicii sententiam interrogati, abjudicaverunt tam ei, quàm omnibus sæcularibus beneficium in atrio Ecclesiæ, et quod aliquis Abbatum tale beneficium potuerit præstare. Cùm verò adhuc reluctaretur, nos interrogati à fideli nostro prædicto Corbeiensi Abbate, cum interrogassemus Ministeriales nostros super eodem judicio, abjudicaverunt ei in conspectu nostro et Principum infra atrium Ecclesiæ omnem hæreditariam mansionem et omnibus Abbatibus et Monachis talis beneficii concessionem. Orta est nihilominus et alia temeritas ab eodem Rabanone, quod intra muros Corbeiensis Monasterii quandam similitudinem dignitatis sibi hæreditario jure vendicabat, quam præfecturam appellabat, et se Burckgravium appellari faciebat, cum omnes Abbates ejusdem Monasterii hanc potestatem semper sub se habuerint, ut quidquid à suis infra muros delinqueretur, aut ipse corrigeret, aut Camerario, vel Dapifero suo, seu alicui de familia sua corrigendum absque ulla potestate in perpetuum mansura committeret. Hac autem potestate præfatus Rabano

Rabano in tantum abusus fuit, ut eam vulgari nomine Burgban, et secundum morem alicujus magnæ potestatis sæpe infra muros placitaret, et hujusmodi placita Burgdinck appellabat. Ad hæc placita famuli fratrum Monachorum de coquina, aut de pistrino, seu de quolibet eorum servitio cogebantur venire, qui etiamsi propter impedimenta servitii fratrum occurrere non poterant, violenter et contumeliosè à famulis illius pertrahebantur et panem et escam fratrum imperfectam relinquere compellebantur. Hujusmodi ergo temeritatem de hac præfectura circa Corbeiense Monasterium ex judicio Principum regni prorsus interdicimus, et hanc potestatem in manu Abbatis esse, sicut antiquitus fuit, decernimus. Nam in veteribus Regum et Imperatorum præceptis continetur, ut nullus Dux, nullus Comes, nulla sæcularis potestas aliquam potestatem infra muros ejusdem Ecclesiæ excercendi judicium habeat, sed per Abbatem et personas temporaliter à se ordinatas quidquid à famulis Monasterii contra juris et æqui rationem admissum fuerit, judicari oporteat. Et si Principibus contra privilegium imperiale non licet, multò minus Ministerialibus licere constat. Hanc ergo præfecturam et supradictam infra muros Laicorum habitationem, atque Dapiferi et Pincernæ de committendis clavibus potestatem ab aliquo usurpare, et hæreditario jure vendicari in supradicto Monasterio nullatenus permittimus. Sed has tres prædictas usurpationes secundum judicia Ministerialium nostrorum, atque sententiam Principum regni omnibus Laicis decreto in perpetuo valituro interdicimus, et horum omnium potestatem Abbati attribuimus. Judicium de clavibus invenit Conradus Ministerialis noster de Haga, de habitatione intra muros, et de præfectura judicium dedit. Item Ministerialis noster Conradus de Wallehuson Camerarius noster à thesauris. Principes autem cum Ministerialibus suis hi interfuerunt: Ortlevus Basileensis Episcopus et sui Ministeriales. Heremannus Constantiensis Episcopus et sui Ministeriales. Guntherus Spirensis Episcopus, et sui Ministeriales. Eilulfus Murbacensis Abbas, et sui Ministeriales. Waltherus Selensis Abbas, et sui Ministeriales. Campidonensis Abbas, et sui Ministeriales. Wizzemburgensis Abbas, et sui Ministeriales. Clerus, et populus vurmatiensis Ecclesiæ, quæ tunc vacabat. Clerus, et populus Fuldensis Monasterii, quod tunc vacabat. Clerus, et populus Laurishamensis Monasterii, quod tunc vacabat. Frithericus Dux Sueviæ et Alsatiæ, et sui Ministeriales. Otto Palatinus Comes de Withelisbach, et sui Ministeriales. Herimannus Marchio de Bathen, et sui Ministeriales. Wernherus Comes de Havekhesperech. Othelricus Comes de Lenzemburg. Wilhelmus Comes de Glizperch. Comes Wilhelmus de Juliaco. Comes Imikho de Liningen. Comes vulframmus de Wertheim. Marquardus de Grunbach. Arnoldus de Rotenburch Dapifer. Heinricus Marescalcus. Reingerus Pincerna. Thiepertus de Winsperch Camerarius.

Signum Domni Conradi  Romanorum Regis secundi invictissimi.

Data anno Dominicæ Incarnationis MCL, indictione XIII, anno verò Domni Conradi secundi Regis invictissimi XII, anno autem Wiboldi Corbeiensis Abbatis III. actum Spiræ in Christo feliciter Amen.

Conrad9 R. Abbati Corbeiensi permittit auri & argenti fodinas in monte Eresburg.

Addidit & aliud perbreve diploma Conradus Rex Herbipoli consignatum, quo Wiboldo Abbati in monte Eresburg venas argenti metallorumque permittit liberas.

Conradus Dei gratia Romanorum Rex secundus VVicboldo Corbeiensi Abbati, suisque Successoribus regulariter ordinatis in perpetuum venas metalli, videlicet auri, argenti, cupri, plumbi, et stanni, et omnem pecuniam, sive rudem, sive formatam, quæ intra montem Eresberg, qui Corbeiensi Ecclesiæ jure proprietario pertinere noscitur, latet, tibi, et per te Corbeiensi Ecclesiæ concedimus, damus, et præsenti scripto confirmamus, ut liceat tibi, et Successoribus tuis, absque ullius personæ contradictione, in eodem monte fodere, omne metallum, quod inventum fuerit, eruere, et conflare, tuisque et fratrum tuorum usibus licenter aptare, ut tanto melius possit Corbeiensis Ecclesia tam divinis quam regni rebus subservire. Data est hæc monimenti cartula apud Wizzeburg anno Dominicæ Incarnationis M. CL Indictione XIII. propter servitium fidele suprascripti Abbatis.

Helmold. l. 1. c. 78. Chron. Sclav. Albert. Stad. Chron. Lubec. Joann. Ruffi.

Rebus per superiorem Germaniam compositis, Saxonia bello conturbari cœpta. Duxerat Henricus Leo juvenis paucis ante annis Clementiam filiam Conradi Ducis Zeringensis. Quâ cum imperio inter Saxones relictâ, ipse in Sueviam profectus, bellum Henrico vitrico, Duci Austriæ, intentabat; ille verò cùm imploraret opem Conradi Regis, & Rex adverteret Bojariam à Leone ostentata vi armorum repeti, obstitit, conatusque ejus elusit. Inter hæc Albertus Marchio, æmulus Leonis, per absentiam ejus concitare Saxoniam, & Conrado Regi persuadere, se auxilio venire: tempus esse opportunum, omni dominatu Saxoniæ exuendi Leonem. His Conradus Rex illectus in Saxoniam properat, contractisque Goslariæ copijs, Brunswico castra admovet. Quæ, postquam renunciata sunt Leoni, sumpto plebejo habitu, triumque fidelium comitatu, intra quinq; dies è Suevia in Saxoniam advolat, ac noctis beneficio inobservatus per hostium castra Brunswicum intrat, incredibili civium & Saxonum gaudio receptus. Quo cognito Conradus Rex, omissa obsidione, Goslariam reducit militem, & per hiberna dividit. At Saxones cùm de Duce suo ac libertate agi viderent, Leoni se potentius jungunt. Nec ausus est Conradus Rex Saxoniam bello lacessere, veritus superiorum Cæsarum clades. Hoc interim anno Bernardus Lippiæ Comes cœpit Lipstadium in loco Overwalt ad Luppiæ amnem construere & præmunire, Oppidum in visceribus Westfaliæ, tanto Episcoporum malo, quanto post nocumento. Otto verò Comes de Ravensberg Frisiam ingressus, prostrataque ingeniti Frisiorum multitudine, victor in Westfaliam redijt. Paucis hæc Gobelinus noster retulit, nulla belli hujus causa reddita, ut mos est eorum scriptorum, per abrupta tradere res gestas.

Lipstadium à Bernardo Com. Lippiensi construitur.

Annus

Annus Christi 1151.

Eugenij III Pont. 7.
Conradi III Reg. 14.
Bernardi I Ep. Pad. 24.

Conradus Rex exinde intactam relinquens Saxoniam, sese in Thuringiam contulit; lustratoque Erfurto, Nurimberga ac Spira, Ratisbonæ comitia Principum habuit; compressoque Ottone Wittelsbachio Bavariam turbante, secundo Rheno in inferiorem Germaniam descendit, comite Ottone Frisingensi Episcopo, à quo hæc scribuntur, & Alberto Misnensi Episcopo. Postquam Boppardiam perventum ad regalem villam, obvios habuit legatos, à quibus intelligit Arnoldum Cancellarium suum delectum esse Archiepiscopum Coloniensem in locum Arnoldi, *hominis*, ut Otto Frisingensis scribit, *qui ad omnia Ecclesiastica, et sæcularia negotia inutilis erat.* Igitur Coloniam ingressus, & magna populi lætitia exceptus, Cancellarium introduxit, regalibusque decoravit, virum ingenio, judicio, & conciliis celebrem, quem alij ex Comitum Wedanorum, alij Altenensium in Marchia genere ortum volunt. *Otto Frising. Auctuar. Lamb.*

At graviores causæ Trajectum, quò mox descendit, evocabant. Mortuo superiori anno, IV Idus Novembris, Heriberto Ultrajectensi Episcopo fœdo schismate conturbata erat Ecclesia. Quippe nobilitas delegerat Hermannum Hornensem Comitem, Coloniæ Præpositum ad S. Gereonem, cujus partes suscepêre Theodoricus Hollandiæ, Henricus Gelriæ, & Thedoricus Cliviæ Comites, & Clientes Episcopatus: contra Metropolis Trajectum, Daventria, ceteræque civitates Fridericum Havelleum poscebant, clero propè omni libertate eligendi prærepta; ausique cives etiam Hermannum urbe ejicere, & Regem non nisi certis secum conditionibus pactum admittere in urbem. Laborabat Rex ut cives componeret; sed cùm illi ad Pontificem se appellâsse dicerent, Rex discessu manus subtraxit. Uterque postea Leodium evocatus ad judicium Apostolici Legati. Cessit Episcopatus Hermanno, homini licet ignavo; quemadmodum per dissidia illa inter nobilitatem & urbes, adempta cleri libertate, inutiles plerumque Episcopi obtrusi sunt. *Turbæ in Ecclesia Trajectensi ob schisma duorum Episcop. electorum. Gobelin. Miræus Grumbach. Beka in chron. Heida in histor. Ultraject.*

Sustulit præterea hic annus Wernerum Monasteriensem Episcopum, postquam per XX annos administrasset magistratum illum sacrum. Vir, ut Crantzius inquit, omni virtute conspicuus, & præclarè de Ecclesia sua meritus. Cappenbergensibus religiosis ita conjunctus vixit, ut domesticus eorum haberetur. Ejus consilio B. Godefridi reliquiæ magnam partem Ilmstadio Cappenbergam, ante biennium translatæ, ab eoque honorificè conditæ sunt. Quapropter fallitur Wittius, qui anno 1140, & Kersenbrochius, qui anno 1139 *Obitus & laus Werneri Episcopi Monast.*

obijsse

obijsse dicunt. Wernero subrogatus cleri libertate, & populi concordia, Fridericus, illustris quoque præsul: Ejus subrogationem licet, præter fastos Monasterienses, Otto Frisingensis, Chronicon Montis Sereni, & Pegaviense tradant; nemo tamen horum illius familiam, aut gradum Ecclesiastici ordinis prodidit. Et cùm Wernero Episcopo multa sint monumenta religionis; tum postremo hoc anno conditum est in diœcesi Monasteriensi Collegium Virginum Asbecense à Wicero nobili in Weltringen viro. Id quia Sanctimonialium & Canonicarum ab origine Virginum fuit, Hermannus Episcopus, literis anno 1174 datis, sæculare appellat. Advocatus ejus Collegij fuit Conradus à Weltringen, qui Wiceri filius creditur; à quo post anno 1203 Langenhorstense Collegium Virginum in eadem diœcesi haud procul à Weltringen est fundatum dotatumque. Tristiora ex hoc anno memorat Gobelinus noster. *Claustrum enim*, inquit, *SS. Petri et Pauli Paderbornæ exustum est.* Nobile, videlicet illud Cœnobium Abdinghovianum à Meinwerco conditum, & tot tabulis donationum à Bernardo Episcopo nostro ceterisque exornatum.

Cœnobium Abdinghov. exustum.

Annus Christi 1152.

Eugenij III Pont. 8.
Conradi III Regis 15.
Friderici I Imp. 1.
Bernardi Ep. Pad. 25.

Exinde Conradus Rex, postquam omnia per Imperium ad summam tranquillitatem composuisset, resumptis armis, expeditionem in Italiam apparabat, ad Imperij insignia ab Eugenio Pontifice capessenda; quam in rem comitia Imperij Bambergæ indixerat. At eò cùm venisset, letali morbo oppressus, xv Calend. Martij extinguitur, non sine præbiti veneni suspicione, quod fraude Rogerij Siciliæ Tyranni per Italos, quos habebat medicos, datum credebatur. Princeps armis bonus, ad pericula interritus, justitiæ amans, & religionis religiosorumque hominum studiosissimus; quod vel inter cetera tabulæ à nobis productæ testabuntur. Augustalia Imperij insignia ante mortem deposuit apud Fridericum Sueviæ Ducem, ex fratre Friderico nepotem, quem fidum in bello & expeditione Palæstina comitem habuerat, & Successorem in Imperio designârat; cuique filiolum, quem habebat unicum Fridericum, ob immaturam ætatem non deligendum Regem, commendavit, rogavitq; ut Sueviæ Ducem diceret. Funus domesticorum cura ad Laurisheimense Cœnobium deductum, & juxta Patrem humatum, frustra obnitentibus Bambergensibus, qui tanti Principis exuvias juxta D. Henrici Imperatoris tumulum, nuper ab Eugenio inter Divos relati, collocaturos sese pollicitabantur.

Otto Frising in Frider. c. 63. Moritur Conradus Rex.

Ab excessu Conradi non nisi per novendecim dies interregnum fuit.

fuit. Nam 4. Nonas Martij omnes Germanici Regni ordines cum nonnullis Italiæ proceribus Francofurti congressi, summa omnium concordia Fridericum Ahenobardum, quem Barbarossam vulgò dixêre, Regem legerunt. Quanquam Amandus, qui Friderico ab epistolis fuit, scribat, Francofurti non plures quàm sex, aut octo consedisse Principes, qui rogatione facta, sibi deligendi jus vendicàrint, Regemque creârint; quorum deinde electionem ceteri comprobârint; tanquam Electorum forma tum aut repetita, aut sensim introducta. Consensionem hanc refert Otto Frisingensis in pacis studium; quòd, cùm duæ regnatrices Gibellinorum & Guelforum familiæ Imperium hactenus regnandi æmulatione conturbârint, consultum habuerunt Fridericum deligere, qui paterno sanguine à Gibellinis, materno à Guelfis ortum se ferebat.

Cui in Imperio succedit Fridericus Ænobardus.
Amand. lib. de primis actis Friderici. Gevoldus lib. de sacro Imp. sept. vir.

Factâ augustali electione, Rex plerosq; Principes, accepto juramento fidei, domum remisit, ipse cum ceteris paucis Aquisgranum profectus; ubi media magni jejunij dominica ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo solemnibus cæremonijs Rex inunctus est, ac Caroli M. in sede collocatus. Eodem die Fridericus Monasteriensis Episcopus ab ijsdem Episcopis consecratus, inunctusque est. Ita verò, ut Frisingensis inquit, *summus Rex, et Sacerdos præsentem celebrationem decoravit; viditque una dies ex una Ecclesia duarum personarum unctionem, quæ sola novi et veteris instrumenti institutione arcano ritu cinguntur, et Christi regni, ac Sacerdotis nomen gerunt.* Inter Episcopos, præter Coloniensem & Monasteriensem, præsentes fuêre Hilinus Trevirensis, Henricus Leodiensis, Otto Frisingensis, Ortletus Basileensis, Henricus Constantiensis; quod tabulæ apud Miræum Stabulensi Ecclesiæ consignatæ docent: inter Principes Henricus Leo Dux Saxoniæ, Albertus Marchio. *Peracta coronatione*, inquit Otto Frisingensis, *missi Romam Hilinus Trevirensis, et Eberhardus Bambergensis, Episcopi, viri prudentes et literati. Dehinc Trajectensium contumaciam in Conradum Regem patruum ulturus, inferiores Rheni partes obiit; iisque pecuniaria pœna mulctatis, ac Herimanno Episcopo confirmato, ad superiora remeando Coloniæ Agrippinæ Pascha celebravit. Inde per Westfaliam transiens, Saxoniam intravit.*

Unâ Fridericus Rex & Fridericus Ep. Monast. Aquisgrani inunguntur.
Miræus in not. Belg. c. 158.

Hac profectione haud dubium, quin Monasterium Westfaliæ adierit Rex, introducto, qui secum inunctus erat, Friderico Episcopo, Paderbornam certò accessisse, lustrasseque loci antiquitatem, & florentem cleri disciplinam, docent tabulæ apud nos Marsnensis Ecclesiæ à Friderico Rege consignatæ. *Hujus enim rei testes* apud Miræum producuntur *Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, Bernardus Paderbornensis Episcopus, Arnoldus Cancellarius, Henricus Notarius, Dux Welfo, Marchio Albertus, Comes Ulricus de Lucenburg, Marquardus. Acta sunt hæc anno millesimo, centesimo quinquagesimo secundo. Indictione*

Miræus in not. Belg. c. 158. & lib. 2. donat. Belg. c. 51.

XIV

XIV Anno Domini Friderici primo, data Paderbornæ per manus Arnoldi Cancellarii. Quas exinde Episcoporum sedes perlustrârit Rex, memoriæ proditum non reperio. Corbejam certè invitatus à Wiboldo Abbate accessit, quem virum in honore habuit Lotharius Imperator, & Conradus Rex patruus multumque veneratus est ob sapientiam, & peculiaria erga se merita. Nam ut in diplomate mox recitando fatetur Rex, magnopore laboravit Wiboldus Abbas Francofurti in comitijs Principum, quo sibi regnum præ ceteris deferretur. Quare confectis per Westfaliam publicis regni negotijs, transito Visurgi, in interiorem Saxoniam est progressus Merseburgum ad conventum Principum, quem eo in loco indixerat. Regemque cum ceteris regni Principibus comitati sunt Bernardus Episcopus noster, & Wiboldus Corbejensis Abbas. Iis in comitijs, quæ Episcoporum, & ceterorum Principum accessu celebria fuêre, actum est de componenda controversia cum Henrico Leone & Alberto Marchione. Nam cùm anno superiori Hermannus Comes de Winceburg in castro suo interemptus esset, uterque Principis Winceburgensis hereditatem sibi vendicabat, collectisque armis Saxoniam spolijs & incendijs vastabant. At nihil propter utriusque pertinaciam in præsens confici potuit. Uti verò castrum Winceburgicum postea ad Hildesienses Episcopos pervenerit, ex eorum tabulis requirendum est.

Comitia Merseburgi celebrantur, quæ in iis acta. *Otto Frising. lib 2. in Frider. c. 5. Helmold. l. 1. c. 73. Chron. Mont. Seren. Chron. Pegav.*

Postulati quoque ad hæc comitia Danorum Regum filij ac juvenes, Sueno, Kanutus, Waldemarus de regno inter se gladiantes. Ex his Kanutus, patrocinio Henrici Ducis Sueviæ, & Hartvvici Bremensis Archiepiscopi subnixus, accessit. Duxerat etiam secum Archiepiscopus Vicelinum Episcopum, Apostolicum virum, cum multo Clericorum numero. Post multam deliberationem regnum adjudicatum Suenoni, qui & Petrus appellatur ab Ottone. Kanutus, qui Guvoto appellatur ab Helmoldo, jussus est abdicare regni nomen, & provincijs certis contentus esse. Waldemaro Ducatus Daniæ attributus. Inde Suein à Friderico Rege cinctus est diademate, jussusq; ad majestatem Romani Imperij, haud secus quàm sub Lothario Imperatore, alijsque factum erat, Friderico Regi in publicum cum corona procedenti gladium anteferre. At quò nunc illa recidêre?

Fridericus jura & privilegia Corbeiens. instaurat.

In hoc conventu Principum, cui magna cum auctoritate intererat Wiboldus Corbeiensis Abbas, Fridericus Rex egregio diplomate, quod aureis etiam literis conscriptum est, instauravit jura & privilegia Corbeiensium. Id hoc loco, ad testificandum Regis venerationem erga Abbatem, ad cognoscenda præsentium Episcoporum & procerum nomina, recitare congruum duximus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Fritheric us divina favente clementia Romanorum Rex. Ad regiæ dignitatis munificentiam pertinet bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, ut et ipsi pro suæ fidei constantia

constantia laboris sui emolumenta percipiant, et cæteri ad exequenda imperii munia bonæ spei plenæ et alacres fiant. Noverit igitur omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm et futurorum industria, quod noster fidelis et karissimus Monasterii, quod nova Corbeia dicitur, venerabilis Abbas VViboldus nostram clementiam interpellavit, ut privilegia Corbeiensis Ecclesiæ, cui nunc idem venerabilis Abbas praesse cognoscitur, innovare et confirmare dignaremur. Cujus religiosæ petitioni ob insignem ipsius fidem circa Dominum et Patruum nostrum, beatæ scilicet recordationis antecessorem nostrum inclytum Regem Conradum, nec non et circa promotionem nostram in regnum, cujus gubernacula Deo auctore post mortem ejus suscepimus, aurem pietatis inclinantes, per præsentis paginæ seriem sub regiæ majestatis tuitionem locum ipsum, novam videlicet Corbejam, cum omnibus sibi tam intus quàm foris pertinentibus assumimus, eumque perpetua libertate donantes, quemadmodum piæ memoriæ prædecessorem nostrum ejusque progenitores Reges et Imperatores ante eum fecisse cognoscimus, nostra et omnium Principum auctoritate lege in perpetuum valitura firmamus. Ne præfatum Monasterium nova Corbeja in potestatem, vel ditionem, sive subjectionem alicujus personæ, seu Ecclesiasticæ, seu sæcularis dignitatis, per aliquam donationem seu commutationem cedat, sed semper sub ordinatione et defensione Regum vel Imperatorum consistat, et libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiatur. Et quoniam ab Imperatore Luthevvico duo Monasteria constructa sunt, et à nostris prædecessoribus honore et divitijs aucta, unum videlicet Monachorum, quod nova Corbeia dicitur, ad normam scilicet veteris Corbeiæ, Herivordense verò Sanctimonialium ad similitudinem Suessionensis Monasterii, decretum est ab eis, ut Corbeiensis Abbas, quicunque pro tempore fuerit, procurationem agat Herivordensis Ecclesiæ, ita videlicet, ut juxta consuetudinem, qua ancillarum Dei congregationibus procurari solent præpositi ex ordine Ecclesiastico, tam in disciplina quàm in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Nos ergo prædecessorum nostrorum vestigia sequentes confirmamus, et decreto in æternum valituro statuimus, ut omnes per successionem Corbeiensis Cœnobii Abbates præscripta procuratione et patrocinio absque ullius contradictione utantur, et servata dignitate Abbatissæ, in quibus opportunum fuerit, Herivordensi congregationi assistant. Confirmamus etiam eidem, qui nunc divina vocatione, et communi atque concordi fratrum electione Corbeiensi Monasterio præest, Abbati scilicet Wiboldo, nec non cunctis Successoribus ipsius, auctoritate in æternum valitura, Monasterium quoddam, quod vocatur Keminada, quod piissimus prædecessor, et patruus noster beatæ memoriæ Conradus Rex pro fidelitate et petitione prænominati fidelis et karissimi nostri Wiboldi Abbatis tradidit super reliquias corporis S. Viti martyris per aureum donationis suæ annulum in potestatem et jus atque dominationem Corbeiensis Monasterii, ita videlicet, ut Corbeiense Monasterium prænominatum Monasterium, scilicet Keminada, quemadmodum et à Reveren-

do Patre nostro Papa Eugenio per auctoritatis suæ privilegium eidem Corbeiensi Monasterio confirmatum esse dinoscitur, cum omnibus prædiis suis, silvis, et aquis tam foris quàm intus ad ipsum locum pertinentibus habeat, possideat, ordinet, utatur, et servet, sicut tenet sub suo regimine, jure videlicet proprietario, tres Abbatiolas, quas fundator ejusdem novæ Corbeiæ Luthevvicus pius magni Karoli filius ad eandem Corbeiam contulit, scilicet Eresburch, nobile quondam Saxonum castrum, cum decimis circumquaque per duas Saxonicas rastas adjacentibus, nec non Meppiam atque Wisbicke, cum decimis et possessionibus undique ad eas pertinentibus. Ad Herivordense verò Monasterium in Episcopatu Osnebruggensi Ecclesiam Buinidi cum subjectis sibi Ecclesiis, in parochia Mimiernivordensi Ecclesiam Reni cum his, quæ ad eam pertinent Ecclesiis; præterea, quod ab exordio eorundem Monasteriorum, Corbeiæ scilicet, et Herivord à nostris antecessoribus constitutum est. Nos quoque firmiter servari volumus, videlicet, ut ubique vel ipsa Monasteria vel Cellæ eorum, casas aut curtes habuerint, ex rebus, quas ibidem laboribus suis adquirunt, decimas dent ad portam Monasterii, nec alibi eas dare cogantur, quatinus inde in nostram at totius generis perhennem mercedem superventientibus peregrinis et hospitibus serviatur, sicut in regia capitulari, et in decreto synodali permissum est. Xenodochia, et reliqua fidelium pauperumque construi hospitalia, et mos fuit semper in sacris concedi Cœnobiis. Statuimus quoque, ne Episcopi aut eorum Archipresbyteri, in ipsorum Ecclesiis à suis presbyteris missarum celebrationes fieri interdicant, sed si quid sui juris sibi inde negari putant, ad nostram præsentiam, et synodalis examinis judicium deferant. Sed et hoc decernimus, ut decimas vel decimales Ecclesias, imo universas possessiones suas in quibuslibet Episcopiis, præcipue in Bremensi, Osnebrugensi, Patherburnensi, ubi plurimas habent, et res et decimas ita integerrime teneant atque possideant, sicut ab antecessoribus nostris, Regibus videlicet et Imperatoribus hactenus tenuerunt atque possederunt. Concedimus etiam juxta decreta prædecessorum nostrorum liberam utrique loco potestatem eligendæ de propria congregatione in regimen sui congruæ personæ. Et statuimus, ut nullus judex publicus in homines ad Monasterium Corbeiense, vel ad prænominatas Cellas ipsius pertinentes ullam judiciariam habeat excercere potestatem, sed omnis eorum res coram advocato ipsorum diffiniatur. Et ut justitiam, quæ appellatur Burchban, nemo sibi usurpare præsumat, nisi cui potestas ab eodem Cœnobii Abbate concessa fuerit, et ut liberi homines licentiam habeant, tam se ipsos, quàm prædia sua eidem Monasterio conferre, nec quivis judex, aut regia potestas solitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat. Sanè quod piissimum prædecessorem nostrum, inclytum et gloriosum Principem, felicis memoriæ Dominum ac Patruum Regem Conradum, ex judicio Principum ac Ministerialium regni, in plena curia statuisse cognoscimus. Nos quoque ejus vestigia sequentes decreto in æternum valituro firmamus atque statuimus, ut nullus Laicorum habitationem infra muros prædicti o Crbeiensis Monasterii sibi aliquando

quando usurpare audeat, hæreditario jure, sed cymiterium, quemadmodum congruum est, religiosorum habitationibus liberum et expeditum omni tempore pateat. Hoc quoque simili firmitate praecepto nostro roboramus, ut Dapiferi atque Pincernæ Corbeiensis Abbatis nullam omninò potestatem de committendis clavibus rerum Domini sui habeant, sed in dandis clavibus, et ordinandis rebus domus suæ liberam potestatem, quemadmodum à praedecessore nostro per judicii sententiam determinatum esse novimus, Abbas in perpetuum obtineat. Ut autem hæc omnia rata et inconvulsa in perpetuum habeantur, chartam hanc conscribi et sigilli nostri impressione signari praecepimus. Testes verò hi affuerunt, Sueno Rex Danorum, qui ibidem regnum suscepit de manu Domni Regis. Knut alter Danus, qui ibidem regnum in manum Domni Regis refutavit. Hartvvigus Bremensis Archiepiscopus, Othelricus Halberstadensis Episcopus, Burchardus Argentinensis Episcopus, Wicmannus Citicensis Episcopus, Daniel Pragensis Episcopus, Bernhardus Patherbornensis Episcopus, Heinricus Mindensis Episcopus, Heremannus Ferdensis, Anshelmus Havelbergensis, Emehardus Mechelembergensis, Wikkerus Brandeneburgensis. Marquardus Fuldensis Abbas, Heinricus Heresfeldensis Abbas, Arnoldus Niemburgensis Abbas. Heinricus Dux Saxoniæ, Domnus Welpho avunculus ejus, Conradus Marchio de Misnia et filii ejus, Marchio Adelbertus, et filii ejus.

Signum Domni Fritherici Romanorum Regis invictissimi.



Ego Arnoldus Cancellarius vice Heinrici Moguntini Archicancellarii recognovi. Data in curia Mersburch, anno Incarnationis Domini MCLII. Indictione XV. anno Domni Fritherici Romanorum Regis I. actum in Christo feliciter Amen.

Magna quoque Bernardo Episcopo nostro familiaritas cum Bernardo Hildesimensi Episcopo per multos annos, queis æquales temporum vixêre duo illi præstantissimi Antistites. Et Hildesimensis, cùm post conditum à se Cœnobium S. Godehardi multa præclara per XXII annos egisset, senio demum & caligine oculorum per aliquot annos laborare cœpit. Quamobrem cùm post mortem Loicardis Abbatissæ Gandersheimensis subrogata esset Alheidis, ipseque Episcopus invalidus esset, Bernardum Episcopum nostrum invitavit, à quo Alheidis pro vicario munere consueto Virginum ritu initiata est. Interim Hildesimensis, licet cæcus, eo deportari voluit; ac ne quid prisco juri, de quo toties certatum erat, derogaretur, jussit sibi obedientiam spondere. Nec multùm ab his superstes Hildesimensis, altero anno vitam clausit, humatusque est in Cœnobio D. Godehardi, à se condito. Nondum Rex è Saxonia discesserat, cùm morte Friderici Magdenburgensis Archiepiscopi nova lis oborta, alijs Præpositum, alijs

Bruschius Catal. Ep. Hildes. Chron. Hild. MS.

Bernardus Ep. Paderb. rogatu Bernardi Ep. Hildes. cœci consecrat Alheydem Abbatissam

Gandersheim. Decanum Ecclesiæ suæ eligentibus; quo in dissidio Rex suasit, eligerent Wicmannum Neuburgensem, seu Citicensem Episcopum, Comitem Seeburgensem. Quem delectum Rex introduxit, & regalibus decoravit. Quo haud leviter offensus Eugenius Pontifex; eò quòd Rex sine Apostolicæ sedis auctoritate Episcopum ex una Ecclesia traduxisset in aliam.

Annus Christi 1153.

Eugenij III Pont. 9.
Friderici I. Regis 2.
Bernardi I Ep. Pad. 26.

Otto Frising. Transactis ijs, quæ ad tranquillitatem Saxoniæ poscebantur, cunctisque Principibus, uti Frisingensis scribit, ad nutum ejus inclinantibus, Fridericus Rex Bojariam ingreditur; ac Ratisbonæ Norici ducatus Metropoli, in Monasterio S. Emmerammi, quòd Basilica exusta esset, coronationem repeti voluit. Bellum in hoc conventu ursit adversus Ungaros; quod cùm Principes detrectarent, omittere necesse habuit. Omnem deinde operam in omnibus conventibus Principum convertit Rex in conciliando Henrico Austriæ Marchione, & Henrico Leone Saxoniæ Duce. Uterque consanguineus erat, Austrius Regis patruus, Saxo avunculus. Controversia omnis de Bojariæ Ducatu exarserat, quem ab Austrio repetebat Saxo, patris hereditatem. Agitata res in comitijs, quæ primùm Bambergæ fuère in Paschate: deinde Wormatiæ festo Pentecostes; tùm Ratisbonæ in Septembri; denique in Decembri Spiræ. Nihil in omnibus congressibus confici potuit, Vadimonium deserente Austrio; tanquam aspernaretur sistere se Principum judicio.

Fridericus iterum coronatur Ratisbonæ. Studet conciliandis Ducibus Austriæ & Saxoniæ.

At faciliùs est dejectus Henricus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, reus an innocens, non convenit inter Scriptores, vir cetera bonus, & simplicior, quàm politicorum calliditas ferret, cujus ob id patrocinium susceperat D. Bernardus. Sed ...eri, quem formare aggressus, odio & accusationibus prævalentibus, Embecam in Brunswicensi ducatu digressus, exul hoc anno obijt, ubi & humatus quiescit; Dictum ejus familiare erat: *Fui dives Canonicus, Pauper Præpositus, et Mendicus Episcopus.* Hunc propè in modum Henricus Mindensis Episcopus, postquam annos duodecim præclarè administrasset Ecclesiam, ad eosdem Apostolicæ sedis Legatos, Gregorium & Bernardum Cardinales, à quibus Moguntinus & Eistadensis amoti erant, delatus, quòd clericum oculis orbari passus esset; qui factum cùm excusare aut nollet, aut non posset, ultro Episcopatu abiens, redijt ad Bursfeldense Cœnobium, in quo & quietum tumulum reperit. Eo interea Episcopo diœcesis Mindensis duobus Cœnobijs trans Visurgim exornata, Schinna & Lucka, quorum alterum ordinis Benedictini, alterum Cistertiensis fuit: alterum Comitum

Amoti ab Episcopatu Henricus Moguntinus & Henricus Mindensis Ep.

Dodechin. Serrarius. Baronius. Chron. Mind. Trithem.

mitum Hallermontiorum, alterum Comitum Oldenburgicorum & Hallermontiorum.

Inter hæc Bernard⁹ Episcopus noster continuum adhibebat studium in Cœnobijs, quæ instituerat, firmandis locupletandisque. Et qua valebat gratia apud Henricum Leonem, Saxoniæ Ducem, prædium ab eo impetravit Gerdensi Virginum Cœnobio, quod in gratam Ducis nostri memoriam referre par erit.

Bernardus Ep. prædium quoddam Gerdensibus ab Henrico Leone impetrat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Dux Bavariæ et Saxoniæ. Notum sit cunctis fidelibus præsentibus et futuris, quòd Hermannus Comes, qui hæreditatem Sigefridi Comitis à legitimis hæredibus emptam possedit, villam quandam Hampenhusen de eadem hæreditate, quæ fuit beneficium cujusdam Henrici de Gerdene, Ecclesiæ beati Petri, quam isdem Henricus in proprio allodio fundavit, ad usus pauperum Christi tradidit; quod tamen, ut obtineret, ipse Henricus aliud beneficium Thinkelbroch Comiti reddidit. Nos autem tam pio operi congaudentes, ad nos enim occiso Hermanno Comite eadem hæreditas Deo disponente pervenit, prædictam traditionem conscriptam nostra auctoritate firmavimus, et sigilli impressione signavimus, testesq; idoneos annotari fecimus. Dominus Bernhard⁹ Patherburnensis Episcopus, Bernhardus majoris Ecclesiæ Præpositus, Reimbertus Præpositus. Liberi Volquinus Advocatus Patherburnensis, Adolphus de Nienkerchen, Liudolfus de Dassele. Ministeriales Henricus de Wida, Lintardus, Anno, Liupoldus, alijque multi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLIII, Indictione prima, regnante gloriosissimo Romanorum Rege Friderico semper Augusto anno regni ejus secundo.

Alijs donationum tabulis ipse Bernardus Episcopus Hardehusano jam surgenti Cœnobio benefecit, quas è tabulario nostro hìc proferimus.

Et benefacit Monasterio Hardehusano.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bernhardus Dei misericordia Patherbornensis Ecclesiæ Episcopus, notum facio universitati fidelium tam futurorum quàm præsentium, quòd cùm essem sollicitus Christi pauperibus in Hersuithehusen pro regno Dei laborantibus præsentis vitæ necessaria justè & rationabiliter providere, inveni propè silvam, quæ dicitur Osninc, prædium quoddam Kyveninchusen nominatum, quod à Præposito Rukero fratribus majoris Ecclesiæ in Patherborn olim traditum fuerat sub eo pacto, ut eo defuncto singulis annis in Anniversario ipsius unicuique fratri albus panis, & caseus, atque emina cervisiæ inde daretur. Sed id ipsum prædium plus quàm XXX annis desertum, & arbustis in eo abortis horridum cultore caruerat, nec ullus usus inde fratribus proveniebat. Hoc itaque ego cum consensu & collaudatione omnium fratrum concambio justo & ipsis placito obtinui, quod videlicet in Synethe omnem decimam de duabus domibus in Lundbike, de una in Brethine, & de una in Gokesterteshusen, iterum de una in Godeslo, & de una in Ebbekenhusen provenientem, pro ipso eis concessi, ita tamen ut frugum decima IIII solidis redimatur, altilium verò uno eorum animalium, quæ domi aluntur, justè requiratur, & fideliter solvatur. Et cùm obtinuissem prædictis Christi pauperibus ad præsentis vitæ subsidium tradidi perpetualiter possidendum. Hanc autem commutationem & traditionem scripto præsentis paginæ & sigilli mei impressione atq; Episcopalis banni auctoritate confirmavi, ita ut si quis malevolus unquam infringere voluerit, gratia Dei privetur, & perpetuo cum Juda fure & proditore anathemate feriatur. Testes autem qui adfuerant, hi sunt. Bernardus Præpositus, Alemarus Decanus, Lanfridus, Ecbertus, Reinbertus, Evergisus, Heremannus, Vffo, Conradus, Herebertus, Sifridus, Godescalcus, Bernardus, Manegoldus, Altmannus, Hugo, Volbertus, Meinricus, Burchardus, Becelinus, Lothevvicus,

*vvicus, Conradus. Liberi Volquinus Advocatus, Widekindus frater ejus, Thietmarus de Burren, Lindolfus de Osthe, Givehardus & frater ejus Dudo. Ministeriales Lindolfus, Henricus, Manegoldus, Eizo, Hermannus de Halmere, Conradus de Culite, & frater ejus Bertholdus, Conradus Stapel, Hugo de Hegkeldere & frater ejus Richardus, Conradus Camerarius, & alij quamplures. Acta sunt hæc autem Anno ab Incarnatione Domini MCLIII, Indictione I. Fretherici Regis anno primo. Episcopatus nostri * XXV.*

**al. XXVI.*

Excessit hoc anno VIII Idus Julij Eugenius Pontifex, quem Otto Frisingensis virum justum, & religiosum dilaudat. Successor ei datus Anastasius eo nomine IV.

Annus Christi 1154.

Anastasij IV Pont. 1.
Friderici I Reg. 3.
Bernardi I Ep. Pad. 27.

Otto Frising. lib. 2. c. 11. 12. 13. & 14. Chron. Pegav.

Ducatus Bavariæ Henrico Leoni adjudicatur.

Proximo dehinc anno, Christi videlicet MCLIV, Fridericus Rex in Saxoniam regressus, Goslariæ conventum Principum indicit, ad decidendam controversiam, quæ jam à biennio inter Henricum Leonem, & Henricum Marchionem Austriæ de Bojariæ ducatu agitata erat. Nam cùm Rex expeditionem in Italiam urgeret, ad capiendam Imperij coronam, & majestatem Imperatoris, causam hanc priùs, ne quid se absente per æmulos turbaretur in Imperio, decidi componique voluit. Stititq; se Henricus Leo in hoc conventu; abfuit Austrius, quare Regis & Principum sententia, Bavariæ Ducatus Leoni adjudicatur, titulo tantùm penes Austrium relicto. Sed nec Leo priùs, quàm post reditum Friderici ex Italia Ducatum adijt. Rex Goslaria Magdenburgum perrexit, festumq; Paschatis præsente Godehardo Cardinale & legato, ab Anastasio ad Regem misso, magna procerum frequentia egit. Multò hunc benignius tractavit Rex, quàm anno superiori Eugenij legatum; missisq; vicissim suis ad Anastasium Pontificem legatis, non modò facti sui rationem, quòd Wicmannum Episcopum sine Apostolica auctoritate introduxisset in Magdenburgensem sedem, reddidit, sed & pallium pro eo petere est ausus. Id licet Otto Frisingensis commendet in Rege, tanquam post damnatas investituras prisca Cæsarum jura repetente, non tamen sine multorum in Romana Ecclesia offensione ea Regis importunitas, & Pontificis facilitas est accepta.

Fridericus in Italiam proficiscitur, ad suscipiendam Imperij coronam.

Disposità Saxonià, Rex in Bojariam properavit, ad expeditionem Italicam maturandam; lustratoque in Octobri ad urbem Augustam exercitu florentissimo, per vallem Tridentinam in Italiam iter instituit. Inter Principes Imperij Henricus Dux Saxoniæ, Welfius patruus Henrici, Otto Wittelsbachius Bojariæ Comes, Bertholphus Dux Burgundionum, Henricus Comes Teclenburgicus numerati. Ex Episcoporum numero memorantur comites Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus, Henricus Leodiensis, Eberhardus Bambergensis, & Wiboldus Corbejensis Abbas noster, vir, ut diximus, multis legationibus

tionibus sub Lothario Imperatore & Conrado Rege Romæ perfunctus, & cana sapientia religioneque aspectabilis, carusq; ob hæc Friderico Regi; qui in omnibus consiliorum suorum arbitrum eum esse voluit. Mense Novembri Rex in campo Roncaliæ ad Padi fluminis ripam haud procul Placentia castra posuit: istic (ut moris erat, singulos Romanorum Regum clientes beneficia profiteri, & accipere à Rege) ex prælongo hastili scutum suspendit, & præconis voce Vasallos evocat: præsentibus feuda concessa, absentibus adempta, atque ita tum quidam Episcopi censi, in quibus Hartwicus Bremensis, & Ulricus Halberstadiensis, salvo tamen Ecclesiarum jure.

Moritur per hæc Anastasius IV Nonas Decembris, haud multùm supra annum Pontifex; in cujus locum tertio post die lectus Hadrianus IV, natione Anglus: quem Eugenius Pontifex Episcopum Albanensem creârat, legatumq; in Norwegiam miserat, à quo barbara & rudis gens illa diligenter in lege christiana instructa, disciplina cleri, & quies regni restaurata erat. *In locum Anastasij Pont. demortui succedit Hadrianus IV.*

Sub idem tempus 2 Idus Decembris transijt ad immortalem vitam Vicelinus Aldenburgensis Episcopus, & magnus Sclavorum Apostolus, post XXXV annorum ærumnas, & labores inter barbaras illas gentes exantlatos: Hameliæ ad Visurgim oriundus, & Paderbornæ apud nos literis, & religiosa disciplina primùm excultus. Vir dum viveret, & post obitum miraculis clarus. Corpus Falderæ conditum, ossaque Divûm honore culta servataque à posteris. Res ejus gestas copiosè descripsit Helmoldus, celebranturque ab omnibus Saxoniæ Scriptoribus. *Obitus Vicelini Sclavorum Apostoli. Crantz. lib. Saxon. Helmold. l. 1. c 78. Chron. Sclavon. c. 24. Histor. Archiep. Brem.*

Annus Christi 1155.

Hadriani IV Pont. 1.
Friderici I Reg. 4. Imp. 1.
Bernardi I Ep. Pad. 28.

Annus jam MCLV processerat, cùm Fridericus Rex, postquam Lombardiam intrâsset, obsessam ab Idibus Februarij Derthonam, ad fauces Apennini montis, tandem Idibus Aprilis expugnat. Unde Papiam triumphans ingressus, Rex Longobardorum coronatur. Triduum ibi commoratus, Bononiam progressus est; celebratoque ad eam urbem Pentecostes festo, Romam movet: præmisso Arnoldo Coloniensi & Anselmo Ravennate, Archiepiscopis, qui cum Pontifice de coronatione pertractarent. Hi elusis in itinere superbis Romanorum civium postulatis, obvios habent Pontificis legatos, anxios de adventu Regis, quod ignorarent, hostisne an patronus accederet. At data à Rege fide de tutela Romanæ Ecclesiæ, fidis actum utrimque animis; postulatusque Arnoldus Hæresiarcha, qui in castris regijs versabatur, resti addicitur, & igne consumitur. Sutrium dehinc

dehinc perrexit Rex, ubi Adrianus illi Pontifex occurrit; nec prius admisit ad pacis osculum, quàm pro veteri more equum conscensuro stapedes teneret. Inde permissu Pontificis urbem Leoninam ingressus, ab Hadriano Pontifice 14 Kalend. Junij in Apostolorum Principis Basilica Imperator coronatur, senatu populoque Romano neque consulto, neque ad celebritatem invitato; tantùm abest, quod hæterodoxi contendunt, ut à Senatu populoque Romano potestas dicendi Cæsarem requirenda sit. Quanquam ubi id rescitum in urbe, populus in furorem actus, in Germanos impetum fecerit. Et pugnatum ab hora diei decima in noctem: capti è Romanis ducenti: sauciati complures, & demersi in Tiberim. E Germanis, quod mirum dictu, unus tantummodò cæsus, unusque captus à Romanis. Cædes futura fuisset major, ni Pontifex iram mitigasset Imperatoris, & Henrici Ducis nostri, fortissimè inter cæteros depugnantis; quem admiratus Pontifex, multis pòst præmijs exornavit.

Fridericus à Pontifice Imperator coronatur.


Sed nec minus beneficus Adrianus Pontifex, gratusque erga Wiboldum Corbejensem Abbatem nostrum, ob egregiam operam in hoc amico accessu congressuque Imperatoris, egregio diplomate omnia jura privilegiaque Corbejensis Cœnobij Apostolica auctoritate instauravit, Abbatemque & illustrem Saxoniæ locum sacrum in peculiarem tutelam suscepit.

Hadrianus Pont. jura Cœnobij Corbeiensis instaurat.

Adrianus Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filijs Guicboldo Corbejensi Abbati, ejusque fratribus tam præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officij nostri nos admonet et invitat authoritas pro Ecclesiarum statu satagere, et earum quieti et tranquillitati salubriter auxiliante Deo providere; dignum namque et honestum et conveniens esse dinoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas et à pravorum hominum nequitia tueamur, et B. Petri atque Sedis Apostolicæ patrocinio muniamus, et sua ijs jura et collatas dignitates benignitate debita conservemus. Eapropter, Dilecte in Christo Fili Guicbolde Corbejensis Abbas, devotionem, quam erga Apostolicam Sedem geris, diligentius attendentes, prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Papæ Eugenij vestigijs inhærendo, dignitatem prædecessoribus tuis per nostrorum prædecessorum Romanorum Pontificum privilegia tradita, nos quoque præstante Domino inconvulsam volumus conservari. Quocirca præsentis decreti auctoritate consedimus, et in præcipuis solemnitatibus sandalijs et Dalmatica uti, juxta altare sedere, populum infra commissum Monasterium vel Cellas, quæ attinent ad animæ tuæ salutem, docere, sicut prædecessoribus tuis à nostris prædecessoribus Romanis Pontificibus est concessum. Ipsum præterea Corbejense Monasterium, cui Domino authore, præesse dignosceris, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum justè et canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum,

cum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Deo poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus, et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimam videlicet de curia Luithardessen/ *decimam de curia* Beverungen/ *Decimam de curia* Daßburg/ *decimam de curia* Mullenhusen/ *Decimam de curia Buthelestorp, Decimam de curia* Munden/ *Decimam de curia* Bodwicke/ *Decimam de curia* Munchusen/ *Decimam de curia Beldernichusen, Decimam de curia* Wuwelage/ *Decimam de curia* Homburstelde/ *Decimam de curia* Rienstede/ *Decimam de curia* Volckmaressen/ *Decimam de curia* Luitmaressen/ *Decimam de curia* Luitheressen/ *Decimam de curia* Erclen/ *Decimam de curia* Brumelinchtorp/ *Decimam de curia Leziaci, Decimam de curia Castinaci, Decimam de curia* Hottepe/ *Decimam de curia Nuthlon, Decimam de curia Kefflike, Decimam de curia Nen, Decimam de curia Croppenstede, Decimam de curia Hemmentorp, Decimam de curia Holthusen, Decimam de curia Groninge, in Frisia quandam possessionem, quæ vocatur Merten, et in eodem loco Ecclesiam de Linguerd. Insulam Rugianam, piscationem Hocvvar. Sancimus quoque ut ipsum Monasterium nulli omninò personæ in beneficium cujuslibet occasionibus aliquando concedatur, sed semper sub protectione Romanorum Pontificum, atque Imperatorum, vel Regum defensione permaneat. Adjicientes, quod Monasterium Heresburg cum Decimis circa montem per duas rastas Saxonicas, sicut à beatæ memoriæ Domino Leone Papa ex petitione Caroli magni Imperatoris, qui ipsum montem expugnaverat, collatæ noscuntur. Monasterium quoque in* Groninga/ *et Monasterium in Kemnade, nunquam ab eodem Corbeiensi alienetur Cœnobio, sed per ipsius loci Abbatem semper regantur, et salubriter sub Monasticæ disciplinæ regula ordinentur, nec alicui facultas sit quicquam de bonis eorundem trium Monasteriorum ad usus et præbendam Domino ibidem famulantium pertinentibus commutare, in beneficium concedere, vel alienare sine assensu fratrum in iisdem Cœnobiis manentium favore Corbeiensis Capituli. Volumus etiam ut Præpositura Clericorum Ecclesiæ S. Pauli, quæ vocatur nova Ecclesia sub ejusdem Corbeiensis Abbatis ordinatione sicut hactenus semper consistat, nec Abbati vel Præposito liceat Canonicorum præbendas absque Clericorum conniventia in beneficium conferre, seu commutare atque distrahere. Præterea constituimus ut infra ambitum muri memorati Monasterii Corbeiensis nemo Clericorum vel Laicorum jure proprietatis vel beneficii mansionem aliquam ullo tempore habeat, sed totus ipsius loci ambitus Abbatis, Monachorum, et aliarum religiosarum personarum usibus et habitationibus pateat. Probibemus autem ut in eodem Monasterio nullus Episcoporum præter Romanum Pontificem liceat quamlibet jurisdictionem habere, ita, ut nisi ab Abbate istius Monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem celebrare præsumat. Ut igitur hæc omnia, quæ supra diximus, plenum inposterum robur obtineant, sicut in authenticis prædecessorum nostrorum privilegiis continentur, tam tibi, quàm Successoribus tuis ea favoris*

nostri authoritate confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ authoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis percipiant. Amen.



✠ *Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

✠ *Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi.*

✠ *Ego Guido Presbyter Cardinalis tt. S. Grisogoni subscripsi.*

✠ *Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis tt. S. Praxedis subscripsi.*

✠ *Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tt. S. Savinæ ss.*

✠ *Ego Ubald Presbyter Cardinalis S. Crucis ss.*

✠ *Ego Astaldus Presbyter Cardinalis tt. S. Priscæ ss.*

✠ *Ego Guido Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu ss.*

✠ *Ego Gerardus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via lata ss.*

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Rolandi S. Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis et Cancellarii, V. Calend. Martii, Indictione - - - Anno Dominicæ Incarnationis MCLIV Pontificatus verò D. Adriani PP. IIII Anno primo.

Qui in hoc diplomate Pontificis annus MCLIIII, primus Hadriani scribitur, is ab anno ordinationis ac successionis deducitur ab anno superiori in Decembri factæ; tametsi passim annus ejus primus ab anno MCLV apud Baronium & scriptores numeretur, quod & pro sequenti Adriani Pontificis diplomate monendum censui. Fueritque Wiboldus cum Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo præmissus ad

ad Pontificem, ut hæc Romæ mense Martio impetrare potuerit. Abbas erat Wiboldus; & Adrianus, antequam ab Eugenio Episcopus & Cardinalis crearetur, Abbas ejusdem instituti Benedictini fuerat. Quare ejus concilijs & opera multum usus est apud Fridericum Imperatorem: aliudque vicissim Wiboldus diploma impetravit Herivordensi Ecclesiæ ac Virginum Collegio, quo jura & privilegia ejus Ecclesiæ renovantur, id priori hîc conjungere visum fuit. Ut & privilegia Collegij Herivordensis.

Adrianus Episcopus Servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Juditha Abbatissæ Hervordensis Monasterii ejusque Sororibus tam præsentibus quàm futuris Canonicam vitam professis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter dilecta in Christo filia Judith Abbatissa, devotionem, quam erga Sedem Apostolicam geris diligentius attendentes, dignitatem antecessoribus tuis per nostrorum prædecessorum Romanorum Pontificum privilegia traditam. Nos quoque præstante Deo inconvulsam volumus conservari, et præfatum Monasterium, in quo divino mancipatæ estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsenti scriptis privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum justè et canonicè possidet oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis et his, quæ post vos successerint, et illabata permaneant. Sancimus quoque ut ipsum Monasterium nulli omninò personæ in beneficium quibuslibet occasionibus aliquando concedatur, sed semper sub protectione Romanorum Pontificum atque Imperatorum vel Regum defensione permaneat. Præterea constituimus ut infra ambitum muri memorati Hervordensis Monasterii nemo Clericorum vel Laicorum jure proprietatis vel beneficii mansionem aliquam ullo tempore habeat, sed totus ipsius loci ambitus Abbatissæ, Sororum, et aliarum religiosarum personarum usibus et habitationibus pateat. Prohibemus autem ut in eodem Monasterio nulli Episcoporum præter Romanum Pontificem liceat quamlibet jurisdictionem habere, ita ut nisi ab Abbatissa ejusdem Monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem celebrare præsumat. Ut igitur hæc omnia, quæ supra diximus plenum in posterum robur obtineant, sicut in autenticis prædecessorum nostrorum privilegiis continentur, tam vobis quam his, quæ post vos successerint, ea favoris nostri autoritate firmamus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum pro quarum gubernatione et sustentatione concessa sunt omnimodis usibus profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisve

risve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tt. S. Praxedis subscripsi.
Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tt. S. Saviræ subscripsi.
Ego Julius Presbyter Cardinalis tt. S. Marcelli subscripsi.
Ego Ottavianus Presbyter Cardinalis tt. S. Ceciliæ subscripsi.
Ego Johannes Presbyter Cardinalis tt. SS. Silvestri et Martini subscripsi.
Ego Guido Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu subscripsi.
Ego Johannes Diaconus Cardinalis SS. Sergii et Bachi subscripsi.
Ego Gerhardus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via lata.
Ego Odo Diaconus Cardinalis S. Nicholai in carcere tulliano.

Data Sutrii per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis et Cancellarii, XVI Calend. Junii Indictione III Incarnationis Dominicæ anno MCLIV Pontificatus verò Domni Adriani PP. IIII anno primo.

Helmold. l. 1. c. 80. & 87.

Idem deinde Pontifex duobus alijs diplomatibus, in Tusculano territorio v. Idus Iulij consignatis, Wiboldum Abbatem, ob egregia in sedem Apostolicam merita, exornat; quorum altero Collegij Hervordensis administrationem illi pro veteri jure ac more confirmat; altero Monasterium Werle, juris itidem S. Petri, sed multum in sacris & profanis imminutum, ejus gubernationi instaurationique tradit; quæ hoc loco, ne lectori tædio simus, intermittemus.

In locum Vicelini Ep. Aldenb. sufficitur Geroldus.

Henricum Leonem hac expeditione secutus Geroldus presbyter; quem cùm dux in locum Vicelini Episcopum Aldenburgensem institueret, invito licet Hartwico Bremensi Archiepiscopo, qui id suo juri vendicabat; ob merita tamen Ducis Adrianus Pontifex eum Episcopum consecravit. Is ex Rectore Scholarum Brunswicensium, ob insignem castitatem doctrinamque sacrarum literarum, ad id munus est delectus; magnoque fructu Christi religionem Lubecæ & per Sclaviam, Apostolico videlicet exemplo, ipse & Berno, pòst Suerinensis etiam Episcopus, propagârunt.

Ceterum Fridericus Imperator ob æstivos calores morbosque, quibus miles absumi cœpit, iter in Germaniam repetit. Ex transitu Spoletum urbs ob civium injurias capta deletaque. Inde dum ad littora Adriatici maris procedit exercitus, ex confinijs occurrunt Palæologi Constantinopolitani Jmperatoris Legati, munera Friderico Jmperatori deferentes. *Quibus auditis*, inquit Otto Frisingensis, *causaque viæ cognita, per aliquot dies secum detinuit. Dehinc, accepto Principum,*

Wiboldus Corbeiensis Abbas.

cipum, qui cum eo erant, consilio, Guibaldum Corbeiensem simul et Stabulensem Abbatem regalem, virum prudentem et in curia magnum, in Græciam legatione ipsius ad regiæ urbis Principem functum destinavit. Prima hæc atq; honorifica Wiboldo nostro legatio fuit ad Constantinopolitanum Imperatorem, post quam alteram etiam rogatu Friderici Imperatoris suscepit. mittitur Legatus ad Imper. Constantinop.

At Imperator postquam eadem per vallem Tridentinam viâ redierat in Bojariam, abdicato Henrico Austrio, Henricum Leonem, ob egregiam in Italia præstitam operam, in Ducatum Bojariæ Idibus Octobris introduxit: jussique Bojariæ proceres juramentum fidei dicere. Ita ille duos Germaniæ paternos Ducatus Saxoniæ, & Bojariæ simul continuit; multumque intererat hunc potentissimum Germaniæ Principem sibi habere conjunctum, ne totam Saxoniam adversus se commoveret.

Ratisbonâ Wormatiam discessit Imperator ad indicta Principum comitia, ac jus publicum dicendum. Quo in conventu, qui per Natalitia Christi festa agebatur, postulati ad judicium Arnoldus Moguntinus Archiepiscopus, & Hermannus Palatinus. Ij, quia ob privatas inimicitias comperti sunt Rheni confinia per absentiam Imperatoris in Italia miscuisse prædijs, incendijs, & cædibus; voluit Imperator veterem Francorum & Suevorum legem reduci in usum, qua illustris generis homines capitis rei, antequam pœnas darent, ad augendam ignominiam, jubebantur canem ad aliquot millia passuum humero deportare, Ministeriales Sellam, rusticus aratri rotam. Qua lege in reos hosce renovata, jussi sunt Hermannus Palatinus, Emicho de Linnigen, Godefridus de Spanheim, Henricus de Catzenelenbogen, Conradus de Kirchbergen, Henricus de Ditsiden Comites cum hac infami Sarcina prodire in publicum: in Moguntino ob reverentiam senij & sacerdotij mitigata severitas, jussique ejus loco gestare canes Ludovicus Comes de Lochim, & Guilielmus Comes de Glisberg, alijque criminis participes. Antiqua Francorum lege animadvertitur in turbatores Imperij.

Saxonia per hæc inter bona pacis otia quiescente, Bernardus Episcopus noster Hardehusanum Cœnobium perfecerat, postquam jam quindecim annos in eo opere construendo dotandoque laborârat. Quare hoc anno festo Christi in cœlum ascendentis die, convocatis Ecclesiæ suæ præsulibus, Canonicis, ceterisque è nobilitate viris ac Ministerialibus, publicas fundationis & donationum tabulas condidit. Quæ cùm integerrimi Episcopi pietatem, & syncerum religionis studium spirent, hîc annalium nostrorum memoriæ interest referre. Bernardus Ep. tabulas fundationis Hardehusanæ condit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Bernhardus Dei gratia Patherbornensis Episcopus. Notum facimus universitati fidelium, præcipuè autem dilectis in Domino Patherbornensis Ecclesiæ filiis præsentibus & futuris. Nos divino instinctu pro laude Domini amplianda, & religione Ecclesiastica in Episcopatu nostro dilatanda, Cœnobij cujusdam, quod Hersuithehusen dicitur, fundamenta jecisse & inibi conversationem & ordinem Cistertiensium Monachorum,

quos

quos de campo maximi muneris loco accipere meruimus, fideliter instituisse. Ipsum ergo locum de nostri juris impendijs quasi decimatum Domino dicavimus, eumque in spem veniæ & retributionis æternæ, nobis nostrisque Successoribus in Domini donaria separavimus. Quæ autem eidem novellæ plantationi Domini, ut speramus, dextre inchoatæ contulimus, & officii nostri auctoritate firmavimus omni in posterum occasione justæ contradictionis amputata, hæc sunt, locus ipse, ut prædiximus, Hersuithehusen cum suis attinentiis, videlicet agris, campis cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, rivis, piscinis & piscationibus, commmunibus & privatis, in villa Scherve sex mansus cum attinentiis, areis & molendino de mensa nostra, pro quibus mensæ Episcopali amplius recompensavimus, videlicet curtem in Ossenthorp, quam à David quodam Ministeriali nostro XX duobus talentis comparavimus. Duo mansus indecimales, quos à quodam Gernando duobus aliis in Nedere concambivimus. Tres mansus itidem indecimales Hugonis de Wullenhusen, pro quibus dedimus prædictæ Ecclesiæ decimas in Thietlekessen, & de tribus curiis Halckedessen, Wichardenchusen, Luburgehusen, & mansum unum in Engere, & duos solidos de curte nostra Nedere. Mansus unus, quem dedit Ludolfus de Oldagessen, uxore sua & filiis suis assentientibus. Agri, quos ibi habuit Reinardus de Masenhem, pro quibus mansum nostrum in ea eadem villa sua recepit. Agri Ersbergensium, quotquot erant in Frenkenhusen, qui pecunia nostra comparati sunt. Triginta quinque jugera cum area, quæ cum fratre suo Conradus de Frenkenhusen sæpedictæ Ecclesiæ gratis obtulit. Viginti jugera algoti pecunia comparata. Tres mansus Alradi, quos à Bernero quodam emit, pro quibus dedimus prædium quoddam in Thesson, quod Gerardo mortuo filio ejus in beneficio dederamus, & post ab eodem filio amice redemimus. Decem jugera, quæ dedit idem Alradus pro anima filii sui. Septem jugera, quæ dedit Osbrandus & frater ejus. Quadraginta jugera Wernardi de Papenheim, pro quibus dedimus hereditatem nostram in Menne. Sex jugera, quæ emimus ab Hagenne. Pastorem etiam in Scherve Episcopus alium non constituat, nisi quem Hersuitehusensis Abbas ordinari petierit. Duo mansus in Hodagessen, quos concambivimus, propria nostra hereditate in Buvehusen à Monachis de Sualenberg. Item in Hodagessen prædium quoddam ex hereditate Domini Heinrici Ducis, pro quo ei duos mansus in Rosbeke, XX solidos persolventes restituimus. Quinque mansus in Ruthehusen de manu Ducis accepimus, quos Conradus de Amelunkessen ab ipso in beneficio tenuerat, & XIIII librarum pretio inductus resignaverat. Tres mansus & X jugera in Rimbeka, quos Lucia à nobis in beneficio tenuerat, & resignaverat. Unum Vorvverc in Riveninchusen, pro quo Canonicis majoris Ecclesiæ in Patherborn IIII solidos annuo persolvendos dedimus. Pro decimatione etiam, quam ex fundo loci ipsius reddere debebant Præposito Ecclesiæ B. Petri. Decem Hurmalder de curia in Selmenthusen persolvi constituimus, ut ipsa fundi decimatio quieta eis & absque ulla contradictione rata permaneat. Itemque aliam decimam ex attinentiis loci ipsius, quem uxor Werneri ejusque filii Wernerus, Hermannus pro remedio animarum ipsarum omnium in manus nostras tradiderunt, ipsis fratribus nostris in Hersuithehusen contulimus. Ex omnibus his quæcunque potestati advocatiæ subjacebunt, ab omni ejus jure liberavimus, & pro eis alia videlicet Curbeke, Ossenthorp, Dasburg, curiam in Wartberch, quæ media vocatur, ei subjecimus. Istis determinatis, & omnibus, quæ dilectissimi fratres nostri in posterum justitia comite poterunt conquirere, pacem statuimus, eamque Dei Omnipotentis, & nostra auctoritate confirmamus. Fiant igitur in verbo Domini sicut Dathan & Abyron, & sicut Anania & Saphira omnes, qui locum illum, vel omnia, quæ ad ipsum pertinent, aliqua temerare præsumpserit injuria. Et ut inibi Domino servientes securè possint vacare, & videre quomodo suavis est Dominus, & nulla vicinorum injuria eorum perturbetur animus, eapropter prohibemus ab Christi fidelibus novalium suorum decimas quenquam exigere. Interdicimus insuper in omnibus locis, quæ ad ipsos pertinent, vexationes ferarum, insectationes volucrum, & generaliter omnia, quæ ipsis & quieti eorum possunt esse contraria. Permittimus quoque ejusdem loci Abbati, securam libertatem ordinis sui, ut nulla à Successoribus nostris fiat exactio suo ordini contrariæ institutionis. Ista ergo novellæ plantationis nostræ instituta undique sic decuit Episcopali auctoritate firmari, sigilli quoque nostri impressione signamus, & banno beati Petri Apostolorum Principis omniumque post ipsum Sedis Apostolicæ Præsulum, & nostro sub anathematis periculo communimus. Facta est autem traditio hæc in Capitolio Patherburnensi die Ascensionis Domini, anno ab Incarnatione Domini MCLV Fritherici Regis IIII ordinationis nostræ

XXVII.

***XXVII.** *Nomina testium, quorum præsentia & authoritate hæc firmata sunt subternotavimus. Bernardus Præpositus majoris Ecclesiæ, Almarus Decanus, Thitmarus, Ecbertus Præpositus beati Petri, Evergisus, Vsso, Cunradus, Herbordus, Sifridus, Godescalcus, Bernhardus, Becelinus, Luthevvicus, Cunradus, Reinerus. De domo B. Petri & Andreæ, Thegenhardus Decanus, Bernardus, Ruthegerus, Heinricus, Volcmundus, Reimboldus, Hervvicus, Hecbertus, Hermannus, Walterus, Hartvvicus, Albertus. Liberi isti, Volcvvinus advocatus, Widekindus frater ejus. Thietmarus de Buren, Werno de Sturmethe. De Ministerialibus Ludolfus de Osdagessen, Cunradus Stapel, Eilbertus Villicus, Helmvvicus, Hugo, Hermannus, Heinricus. Hoc quoque annotare placuit, quod communicato consilio Canonicorum utriusque congregationis societas & fraternitas cum fratribus in Hersuithehusen eodem loco & tempore hoc modo mutuo firmata est, ut tam pro vivis eorum quàm pro defunctis secundum consuetudinem uniuscujusq; claustri propriis fratribus debitam fideliter in Domino persolvatur orationis officium.* *al. XXVIII

Quod exinde reliquum vitæ habuit Episcopus, totum in hoc atque alijs Cœnobijs dotandis & exornandis collocavit, tam prospero rerum successu, ut suam ipse felicitatem suspectam haberet. Nam reclusum aliquando in Borgentrich apud nos Sacerdotem, quem conscientiæ suæ arbitrum, ob vitæ sanctimoniam, consulere in more habebat, ob hanc sollicitudinem adijt: *Bellum,* inquiens, *contra potentem Comitem de Arnsberg, qui Ecclesiam meam infestabat, multis impensis gessi: nihilominus ex quo Cœnobium Hardehusanum condere cœpi, tam affluenter mihi omnia proveniunt, ut magnopere verear, ne hæc merces mihi hujus vitæ à Deo tantummodo compensata sit, et defraudandus sim in altera post obitum vita.* Ad quæ Sacerdos: *absit in illas angustas cogitationes venire: Dei liberalitas est, bene de se meritis in utraque vita remunerare. Quin ideo tam largus in te est, ut liberalior in alios esse possis.* His dictis ita recreatus est, ut exinde multò liberalius omnia sua in pauperes & religiosos converteret: tantùmque adamavit religiosos hujus Cœnobij, & locum, ut in eo humari voluerit.

Accessit hoc anno Adriani quoque Pontificis, & Friderici Imperatoris diploma, quo uterque rogatu Bernardi Episcopi Hardehunum Cœnobium confirmat & in tutelam suscipit. Adrianus Pont. & Fridericus Imp. Cœnobium Hardehusanum confirmant.

Adrianus Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Volberto Abbati Hersvvithehusensis Monasterii, ejusque fratribus, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter dilecti in Domino filii venerabilis fratris nostri Bernhardi Patherburnensis Episcopi, qui Ecclesiam vestram sumptibus suis construxit, precibus inclinati, eandem Ecclesiam sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè et canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus et illabata permaneant. Sane novalium vestrorum,

vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, aut de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omninò à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri JESU Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum apud civitatem Castelle per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis et Cancellarii, III Idus Junii. Indictione III anno Incarnationis Dominicæ MCLV, Pontificatus verò Domini Adriani Papæ IIII anno primo. Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Imarus Tusculanus Episcopus. Ego Guido Diaconus Cardinalis S. Mariæ in porticu. Ego Johannes Diaconus Cardinalis Sergii et Bachi. Ego Gerardus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via lata. Ego Odo Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano. Ego Guido Presbyt. Cardinalis. Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis S. Praxedis. Ego Manfridus Presbyter Cardinalis S. Savinæ. Ego Julius Presbyter Cardinalis S. Marcelli. Ego Bernhardus Presbyter Cardinalis S. Clementis.

Diploma Imperatoris Friderici haud minus illustre; quo non obscurè simul dilaudat Episcopi nostri pietatem, & religionis studium, tanquam qui omnia sua bona per industriam in Episcopatu conquisita eroget in egenos & religiosos homines alendos dotandosque.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit universitati fidelium tam præsentium quàm futurorum, quod ego Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, velocem et momentaneum rerum temporalium transitum intuens, solos eos prudenter transitoria dispensare judico, qui in thesauros cœlestes per manus pauperum ea reponentes omnino transire non permittunt. Venerabilis igitur et dilecti nobis Bernhardi Patherburnensis Episcopi studium et devotionem, quam in pauperes Christi habet, commendo et magnifico, certus, quia eadem, qua mensus fuerit, immò superhabundanti, et superfluenti mensura recipiet, quidquid in usus pauperum in æterna tabernacula se recipientium erogaverit. Ecclesiæ igitur, quam in Hersindehusen iniciavit, et divina cooperante voluntate ad consumationem

usque perducet, quaecunque vel ipse, vel aliorum quilibet fidelium ad sustentationem pro Christo pauperum ibidem Deo famulantium delegavit atque contradidit, rata et inconvulsa permanere volumus, et firma regali censura et auctoritate stabilimus et confirmamus. Si quis autem quicquam eorum, quae praenominata Ecclesia possidet, ausu temerario auferre tentaverit, ut reus regiae etiam majestatis, tanquam sanctionum regalium contemptor et violator appareat, sigilli nostri impressione cartam auctoritatis nostrae insigniri fecimus. Anno Dominicae Incarnationis MCLV. Indictione III. anno regni nostri V. imperii verò primo.

Annus Christi 1156.

Hadriani IV Pont. 2.
Friderici I Reg. 5. Imp. 2.
Bernardi I Ep. Pad. 29.

Imperator exinde per sequentis anni initia ad inferioris Rheni partes descendit, transgressusq; in Westfaliam, Monasterij Pascha cum Friderico ejus loci Episcopo, magno procerum comitatu, celebravit. Hunc siquidem Episcopum, quocum Aquisgrani laetis simul auspiciis inunctus erat, magno semper in amore habuit. Perlustratâ Westfaliâ in Ostfaliam transijt ad conventum Principum, quem Halberstadij Cal. Maji indixerat. Inde, qui transvolantium per Imperij provincias Caesarum adhuc mos erat, in Bojariam transijt; celebratoq; festo Pentecostes Kelheimij in castro Ottonis Wittelsbachij, Herbipolim concessit; qua in urbe, dimissâ jam priori conjuge, Beatricem Reinaldi Burgundionum Comitis filiam matrimonio sibi jungit. Tandem Ratisbonae in publicis Imperij comitijs, quae mense Septembri agitabantur, ex integro omnis controversia inter Henricum Leonem Saxoniae nostrae Ducem, & Henricum Austriae Marchionem est composita: cessitque liberè Austrius Leoni omne jus, quod obtendebat in Bojariae Ducatum; vicissim Austrio Ducatûs titulus relictus; quem ne inanem haberet, Imperator ex Principum consensione Austriae Marchionatum convertit in Ducatum, comitatibus etiam quibusdam adjunctis. Hactenus enim Marchionatus Austriae, Stiriae, atque Istriae antiqua Bojorum Ducum jurisdictione continebatur, nec à comitijs Bojariae abesse fas erat, quoties à Duce vocarentur ordines. Magnificum hac super re diploma descriptum superest. Liber inde & hereditarius Ducatus Austriae, qui postea tot Caesares dedit Imperio Romano.

Albert. Stadens. Crantz. lib. 6. Saxon. c. 18. Chron. Mont. Seren. Otto Frising. lib. 2. de gestis Friderici I. Imp.

Gevvold. Canisius tom. 1. antiq. lect. Andreas Ratisb. Presbyt.

Inter haec moritur XIV Maji Arnoldus Coloniensis Episcopus, magno omnium luctu, quem virum acuti ingenij, pacis & justitiae amantissimum, bellicis publicisque rebus expertissimum commendant Scriptores; quippe qui jam antè Conrado Imperatore Cancellarij munere, multisque legationibus defunctus erat. A morte Arnoldi haud levè schisma ortum, eò quòd Praepositi & Abbates Gerhardum Bonnensem Praepositum; Canonici verò Fridericum Adolphi Altenae

Otto Frising. lib. 2. c. 32. Tritheim. Mersaeus in Episc. Colon. Cleinsorg.

Arnoldo Arch. Colon. defuncto succedit Fridericus Comes Alten.

& Montium Comitis filium delegissent. Sed hoc malum prævertit Fridericus Imperator, utramque partem dissidentem Ratisbonam ad comitia postulando. Ibi postquam ab Episcopis & Principibus Friderici electio meliore Canonicorum suffragatione probata, Imperator primo regalibus donatum ad Pontificem Romam misit consecrandum. Hactenus Otto Frisingensis, quem Radevicus narrando excipit.

Annus Christi 1157.

Hadriani IV Pont. 3.
Friderici I Reg. 6. Imp. 3.
Bernardi I Ep. Pad. 30.

Radevic 9. Chron. Mont. Seren. Chron. Pegav. Brovv. lib. 14. annal. Trevir. Dodechin.

Bellum Polonicum feliciter ab Imperatore susceptum.

Summa tum per Imperium, ut Radevicus refert, tranquillitas erat. Tanta nimirum Æhenobardi Imperatoris erat majestas terrorque, ut ne commovere quidem se auderent inquieta Reipublicæ capita: tanquam mutati homines, terra alia, cœlum ipsum mitiùs molliùsque videretur. Ne tamen inter pacis, ut fit, otia, torperet, bellum Polonicum agitabat cum animo. Igitur postquam sub initium anni Treviros adijsset, Pascha Wormatiæ celebravit: ubi in conventu Principum bellum Polonicum decretum. Urgebat id Imperator, ut Ladislaum profugum Regem restitueret, & Polonos ad tributum & obsequium Imperij, quod Conradus Rex ausus non erat, vi armorum compelleret. Moto per angustum montem exercitu Poloniam interiorem ingressus, Boleslaum Principem cum Ruthenorum, Borussorum & Pomeranorum exercitu in fugam abjecit; vastatâq; ad extremum Poloniâ, compulit supplicem venire, prostratumque ad pedes Imperatoris duo marcarum millia Imperatori, Principibus mille, Imperatrici xx auri marcas, curiæ cc marcas argenti pendere, sistereque se Magdenburgi per festa Natalitia in conventu Principum ad fidem jurandam. Victor è Polonia reversus Herbipoli Manuelis Græcorum Imperatoris Legatos audivit. Munera hi simul ferebant ab Irene Imperatrice, Conradi Regis sorore, ad Fridericum Conradi filium adolescentem, Sueviæque Ducem. Verùm quòd insolenti verborum morumque fastu Græcum tumorem ostentarent, statuit non admittere in conspectum. Post ipsorum Legatorum aliorumque precibus flexus audijt, remisitque Constantinopolim. Nec multò post, aut certè anno proximo suos quoque legatos misit Fridericus ad Græcorum Imperatorem; quos inter Wiboldus Corbeiensis Abbas alteram hanc legationem rogatus ab Imperatore suscepit; ex qua altero demum anno rediens in Græcia moritur (uti id in auctore Chronici Pegaviensis annotatum lego) nec sine veneni suspicione. Quam ob causam legati Græcorum Imperatoris, qui anno 1159 ad Fridericum Imperatorem missi aderant, refugerunt comitia nostrorum Principum intrare, nisi publica primùm fide Principum data securi essent; quod ob tanti viri acceleratam veneno mortem aut suspecti, aut invisi

Wiboldus Abbas Corbeiens. in Græcia moritur.

Chron. Pegav. Radevicus lib. 2. c. 22.

invisi haberentur ab Jmperatore & Jmperij Principibus. Tanto tum in pretio & amore erat Wiboldus Abbas, ob sapientiam, & operam tot legationibus pro Jmperio sub tribus Germaniæ Jmperatoribus præstitam; uti hæc Radevicus scribit. Quapropter Guntherus Ligurinus poëta de Wiboldo nostro.

Insignis meritis, et clara stirpe creatus.

Annus Christi 1158.

Hadriani IV Pont. 4.
Friderici I. Regis 7. Imp. 4.
Bernardi I Ep. Pad. 31.

Imperator post celebrata Vesontione in Burgundia Principum comitia, in quibus ob legatos Pontificis acerbiùs tractatos cum Adriano Pontifice collisus est, in Saxoniam properavit ad conventum Principum, quem fine anni per Christi Natalitia Magdenburgi celebrem habuit. Eò cùm ad constitutum diem non venisset Boleslaus ac Poloni ad jurandam fidem, iter in Bojariam reflexit, & Ratisbonæ in comitijs Ladislao Bohemorum Duci regiam coronam imposuit. Inde transito Francofurto, ad inferiores Rheni partes transijt, & Pascha in Cæsaris Insula ad sepulchrum D. Suiberti celebravit; ubi præclaro diplomate Hartwico Bremensium Archiepiscopo omnia bona & privilegia Ecclesiæ Bremensis à Carolo M. & ceteris Jmperatoribus data instauravit. Testes, qui Jmperatori adfuêre, Fridericus Coloniensis, Gotfridus Trajectensis, Fridericus Monasteriensis, Philippus Osnabrugensis Episcopi. Albertus Aquensis, Gerhardus Magdenburgensis, Thibaldus Sanctensis, Arnoldus S. Andreæ, Bruno item S. Georgij Coloniæ, Otto Bremensis, Hartwicus Hammaburgensis, Udo Ramaslensis Præpositi. Henricus Dux Saxoniæ, Conradus Comes Palatinus de Rheno, Ludovicus Comes de Are, Theodoricus Comes de Cleve, Hermannus Comes de Kuke, Adolphus Comes de Monte, Simon Comes de Tekeneburg, Otto Comes de Ravensberga. Tabulæ hæ à Reinoldo Cancellario Moguntino Archiepiscopo & Archicancellario recognitæ, datæque in Verda S. Suiberti, x Calend. Maji. Indictione 6. Anno Incarnationis MCLVIII.

Radevicus. Chron. Montis Sereni. Ursbergensis.

Diplom. Brem.

Hoc comitatu, indefesso labore, Imperator peragrabat provincias; atque, ut Radevicus scribit, omnem sibi diem perire fatebatur, quo non aliquid de Imperij commodis, aut de jure redintegrando, & justitia conservanda disposuisset.

Constitutâ ad Rhenum inferiorem, ac per Frisiam Westfaliamque Republicâ, Wormatiam reflexit iter, ad secundam expeditionem in Jtaliam, quam ad insolentiam Mediolanensium refrenandam suscepit: collectoque ad Augustam Vindelicorum exercitu ex omni Germania (quem Radevicus centum millium armatorum, Dodechinus quinquaginta millium censet) post Pentecosten iter est ingressus. Inter Episcopos accesscre Arnoldus Moguntinus, Fridericus

Friderici Imp. expeditio altera in Italiam contra Mediolanenses.

Coloniensis, Hillinus Trevirensis, Archiepiscopi: Conradus Eystadensis, Damicho Pragensis, Hermannus Verdensis, Godehardus Herbipolensis, Episcopi. Inter Principes Ladislaus Rex Bohemiæ, Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ, Fridericus Dux Sueviæ, Henricus Dux Austriæ, præter ingentem Abbatum, Marchionum, & Comitum multitudinem. Postquam in Lombardiam perventum, incensis omnium animis cœpta est urbs 8 Calend. Augusti obsideri; eóque fame, peste, ferro, & pertinaci oppugnatione deducta est, ut 6. Idus Septembris supplex sese clementiæ Cæsaris permiserit. Statuerat Cæsar severiori exemplo animadvertere in cives; sed Principum & Episcoporum precibus mitigatus, recepit illos in gratiam. Post hæc totius Italiæ comitia indixit, in quibus de statu Italiæ transactum; fessusque exercitus in hiberna dimissus est.

Bernardi Ep. studium divini cultus promovendi.

Per hos posteriores annos vitæ suæ Bernardus Episcopus noster jam senio gravis, nec ad conventus Principum, nec ad Cæsaris aulam inter Episcopos multùm accessit; maxima verò ejus occupatio & studium fuit in conservanda cleri disciplina, & lustrandis dotandisque Cœnobijs quatuor, à se conditis: nec aliud his donationibus quæsitum, quàm ut religiosorum hominum precibus securum sibi ex hac vita exitum à Deo impetraret; id quod syncero pietatis affectu in omnibus ejus literis legitur. Quarè modò Wilbacensi, modò Gerdensi Virginum Cœnobijs: modò Hardehusanis, modò Helmwardeshusanis donationum tabulas, quæ apud nos extant, consignavit. Nec præter Meinwercum adhuc ullum reperio Episcopum nostrum, qui majori largitate omnia sua in Ecclesias & Cœnobia expenderit. Ex varijs literis juvat unas proferre, anno superiori Helmwardeshusanis datas, ex quibus, ut in ceteris, de religiosissimi Episcopi pietate, modestia, constanti divini cultus propagandi studio æstimare licebit.

Bernardus Dei gratia Patherbrunnensis Episcopus. Omnibus fidelibus Christi tam præsentibus quàm futuris. Quoniam benignus Dominus, qui abundantia pietatis suæ & merita supplicum excedere novit & vota, de pulvere humilitatis nos suscitare dignatus est & erigere, ut collocaret cum principibus populi sui super solium pontificalis gloriæ, dignum est nos de beneficiorum ejus per omnia non immemores existere. Sed quia gratuitæ largitati ejus ex æquo respondere non possumus, conveniens est, quo sanctis ejus aliquod nostræ devotionis obsequium offeramus, & quia reverentia & honor ipsis impensus in eum propter quem impenditur recurrit, eorum patrocinio veniam excessuum nostrorum impetremus, quam nostris meritis obtinere diffidimus. Placuit ergo nobis Ecclesiæ Beatæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Petri Apostolorum Principis in Helvvardeshuson mansum unum & dimidium in villa Haldiggen dicta cum duabus areis & omnibus utilitatibus ad eas pertinentibus ad usus fratrum in præfata Ecclesia Deo servientium cum consilio fidelium nostrorum tradere, consentiente pariter & rogante Iohanne, qui eas in beneficio à nobis acceperat. Volumus autem & in verbo Dei decernimus idem prædium cum absolutum fuerit, à Iohanne in præbendam fratrum pro remedio animæ nostræ permanere. Præterea tradimus eidem Ecclesiæ decimas novalium, quæcunque Patres ejusdem loci poterunt elaborare; ut autem hæc traditio nostra, quæ sine alicujus personæ reclamatione facta est, rata permaneat, impressione sigilli nostri & banni nostri obtestatione roboramus, ut cum dæmonibus portio ejus sit. Si quis eam fortè, quod absit, temerare vel infringere præsumpserit. Hujus traditionis testes sunt Canonici majoris Ecclesiæ Bernhardus Præpositus, Almarus Decanus, Thietmarus, Ecbertus, Reinbertus Præpositus, Sigifridus, & alij quam plures. Laici verò Boimundus, Luidoldus, Heinricus, Helmvvicus, & alij multi. Data V. Calend. Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis MCLVII Indictione V.

Annus

Annus Christi 1159.

Hadriani IV Pont. 5.
Friderici I Regis 8. Imperat. 5.
Bernardi I Ep. Pad. 32.

Alter nunc annus procedit, quo Imperator Italiam ingressus, cum Mediolanensibus mox ad rebellionem relabentibus decertat, productâ in tertium annum operosâ & cruentâ obsidione. Sed hoc ipso anno cùm excederet è vita Calend. Septembris Adrianus Pontifex, teterrimum rursus schisma conturbavit Ecclesiam. Nam ab Adriani excessu viginti tres è Collegio Cardinalium elegêre Rolandum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Cancellarium, virum doctrina & omni virtutum genere ornatissimum, assentiente clero, & populo Romano, & Alexandrum eo nomine III dixere; cui D. Bernard⁹ id jam diu antè præsagierat. Contra duo tantùm Cardinales Joannes S. Martini, & Guido S. Calixti protrusêre Octavianum S. Ceciliæ Cardinalem, quem Victorem IV appellârunt, hominem adeò ambitiosum, ut cùm Alexandrum videret in Pontificali habitu, epomidem ipsi detraxerit, sibique sumpserit. Is quia Romanos quosdam tam è clero, quàm populo in factionem suam pertraxerat, ausus est se ferre Pontificem, & Fridericum Jmperatorem implorare patronum. Jmperator, qui jam ex alijs dissidijs adversus Apostolicam Sedem exacerbatus, sibi eam potestatem sumpsit, ut judicium de Pontifice vero justoque commiserit Episcopis illius Conciliabuli Ticinensis; ex quo fœdum hoc schisma, quod in xx annum protractum, defensione Victoris Pseudopontificis, magno nominis sui apud posteros dedecore, suscepit, omnemque gloriam hoc turpi facinore obscuravit.

Radevicus. Ursberg. Wilhelm. Neuberg. Baronius. Gobelin. ætat. 6. c. 60.

Schisma in Ecclesia, quod fovet Fridericus Imp.

Annus Christi 1160.

Alexandri III Pont. 1.
Friderici I Reg. 9. Imper. 6.
Bernardi I Ep. Pad. 33.

Anno dehinc proximo, qui Christi erat MCLX, secundo Februarij die, coactum auctoritate Imperatoris pro Pseudopontifice Victore stabiliendo Conciliabulum Papiense, cui ex Germania interfuisse memorantur Arnoldus Moguntinus, Hartwicus Bremensis, Hillinus Trevirensis, Reinaldus Coloniensis, qui jam Friderico in Italia mortuo, Cæsaris gratia, ex Cancellario subrogatus erat, Wickmannus Magdenburgensis, tum alij cum Verdensi Episcopo. Quanquam multi ad Conciliabulum hoc evocati, se cum Eberhardo Salisburgensi, Alberto Frisingensi, Hartwico Ratisbonensi, alijsque subtraxerint: neque ipse etiam Hillinus Trevirensis Archiepiscopus interfuerit, ut falsa sit gloriatio Eberhardi Bambergensis Episcopi in epistola, *Solus Trevirensis de regno nostro superest in parte illa Archiepiscoporum, qui non consenserunt; fallatq; index, qui nomina Episcoporum ejus Conciliabuli exhibet.*

Radevicus. Ursberg. Sigonius. Baronius. Serrarius in Arnoldo.

Ingentes in Ecclesia turbæ, ex schismate profectæ.

exhibet. Post impium illud Papiense Conciliabulum Victor Pseudopontifex Alexandrum, contrà Alexander Victorem diris devovet, scriptis simul ad omnes orbis Christiani Reges & Principes literis, quibus Cæsar ut obtruderet Victorem, Reinoldum Coloniensem Archiepiscopum, ortum ex Comitum de Dassel genere, mittit ad Reges Franciæ & Angliæ cum Adolpho Schawenburgensi Comite: Virdunensem Episcopum in Hispaniam: Pragensem Episcopum in Ungariam, alios aliò. Inde dimissis in Germaniam Principibus, ipse cum ceteris, quas retinuit, copijs Mediolanum vario belli eventu oppugnat. Inter Principes, qui in Germaniam rediere, fuit Henricus Leo Dux Saxoniæ. Is ob Sclavorum rebellionem evocatus, Saxones collegit; ingressusque cum Marchione Theodorico Sclavorum regiones, ferro & populatione omnia vastat; occisoque ex insidijs Nicloto gentis regulo, Sclavos ad accipiendam Christi religionem permovet, & pro victoris arbitrio Episcopatus instituit. Tunc Geroldum Aldenburgensem, Evormodum Raceburgensem & Bernonem post multas ærumnas à Barbaris perpessas Suerinensem Episcopum, potestate à Friderico Imperatore impetrata, imposuit. Ab his Episcopis fidem clientelaris obsequij exegit; quod utrumque contra jus sacrum fecit, cùm Pontificis & Metropolitani sit, Episcopos imponere; eòque tot querelis à Bremensi Archiepiscopo actum. Sed ut Jmperator, ita & ille per hæc convulsa Ecclesiæ tempora manus injecit in sacra. Redijt & Arnoldus Moguntinus Archiepiscopus, magna cum Reinoldo Coloniensi Archiepiscopo hujus schismatis bellique tuba ad Trevirense Conciliabulum; sed malè exceptus à suis, ipso die S. Joanni Baptistæ nascenti sacro, intèr Missarum solemnia trucidatur à furentibus Moguntinis civibus. Hæc vindicis numinis pœna hunc auctorem schismatis consecuta; quemadmodum ceteræ legationes Cæsaris infelices fuêre. Nam ut Helmoldus præter ceteros eorum temporum scriptores, Ecclesia Hierosolymitana & Antiochena, omnesq; in Oriente; omnis præterea Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia, quæ toto orbe Christiano sunt, Alexandrum Pontificem suscepêre. Inter religiosorum ordines nemo Alexandri Pontificis defensionem ferventiùs constantiùsque suscepit, quàm Cistertiensium ordo; censebatque is Archiepiscopos, Episcopos & Abbates, plus quam septingentos, quos idem Jmperator è Germania proscripsit. Hujus præterea Cæsaris edicto imperatum, ut Episcopi, qui Victorem Pontificem non reciperent, sedibus suis pellerentur. Tanta Cæsaris vecordia erat: tantumque erat incidisse in Consiliarios & ministros, qui inflammati odio in Pontificem Jmperatoris mentem accenderent, quam restinguere debebant. Jmpia Henriciani schismatis tempora redierant. Visusque Albertus & Liemarus in Arnoldo Moguntino, & Reinaldo Coloniensi resuscitatis. Hinc alij per Germaniam & Saxoniam Episcopi Victori Pseudopontifici: alij Alexandro vero Ponti-

fici

fici hærebant: alij incerti fluctuabant utri se jungerent. Stumfius quidam Suevus scriptor, Bernardum Episcopum nostrum inter schismaticos computat, forte ab Ursbergensi abductus, quòd scribat Moguntinum Archiepiscopum cum suis suffraganeis Episcopis consensisse in electionem: aut quòd Radevicus referat Arnoldum Moguntinum Archiepiscopum cum XIV suffraganeis interfuisse, & consensisse; quemadmodum id ceteri etiam Archiepiscopi fatentur in illo indice, se cum suis suffraganeis interfuisse, ac consensisse; cùm tamen hi suffraganei Episcopi nec recenseantur, nec non nisi paucos admodum interfuisse, aut per literas pòst consensisse verisimile sit; quando in epistola ad Salisburgensem Archiepiscopum apud Radevicum refertur, Moguntinum, Coloniensem, Magdeburgensem & Bremensem Archiepiscopos cum nonnullis suffraganeis interfuisse; Archiepiscopos verò pro suis suffraganeis consensisse. Nec aliquem præter Hermannum Verdensem Episcopum ex Saxonicis reperio interfuisse. Certè Bernardus Episcopus noster cum Friderico Imperatore nunquam Italiam intravit; senio enim jam confectus erat: nec per literas etiam consensisse obtendi potest, quando ipsum Alexandrum verum Pontificem coluit. Argumento sunt indulgentiæ, quas primo anno ejus Pontificatus, qui à Septembri superioris anni deducitur, ab Alexandro impetravit; ita enim Gobelinus noster. *Idem Papa Alexander III concessit visitantibus Ecclesiam Paderbornensem in die anniversariæ Dedicationis ejusdem XL dies, Nonis Octobris, Pontificatus sui anno primo. Deinde eodem anno IV Idus Octobris concessit visitantibus eandem Ecclesiam Paderfontanam in die Annunciationis B. Mariæ Virginis XL dies indulgentiarum.* Satis hæc esse possunt, ut Bernardum Episcopum nostrum à nota schismatis absolvamus. Vixisse autem ad hunc, in quo versamur, annum Bernardum Episcopum, testes sunt hæ supremæ, quas reperio, donationum tabulæ, Hardehusano Cœnobio scriptæ.

Radevicus lib. 2 c. 70.

Indulgentiæ Ecclesiæ Paderb. ab Alexandro Pont. datæ.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Providè et rationabiliter Ecclesiæ Dei Sanctorum Patrum providit authoritas, ut ea quæ Ecclesiarum sunt, eis in suo jure pro privilegiorum authoritatem conserventur, & quoniam dies mali sunt, omnis malignandi facultas canonica severitate amputetur. Noverit ergò omnium Christi fidelium universitas, quod ego Bernardus Paderbornensis Ecclesiæ humilis minister Ecclesiæ in Herwideheſſen *quam in honore beatissimæ Dei genitricis Mariæ pro remedio animæ meæ & omnium meorum, qui Ecclesiæ Paderbornensi ante me præfuerunt, & mihi in ea successuri sunt, construxi unam domum ad manendum & tres ad sal coquendum in* Saltkoten *tradidi, & unam domum in Paderborn juxta viam, quæ de foro ducitur ad urbem eidem Ecclesiæ dedi, partem quoq; campi qui dicitur Druc, quæsitum est à via, quæ de Apenhusen ducit per Colstedum versus Austrum Deo ibidem servientibus ad pascua gregum suorum, & ad omnem utilitatem confirmavi, nec non & tertiam partem indomitarum equarum mearum pro abolitione omnium peccatorum meorum insuper contradidi. Hæc autem rectè & rationabiliter acta Episcopali banno auctoritate confirmavimus & sigilli nostri impressione roboravimus. Testes hujus rei sunt Sifridus Præpositus, & Manuoldus. Laici Ludolfus frater ipsius Episcopi, Rodolfus, Rocherus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. MCLX.*

At non multum ab his superstes Bernardus Episcopus noster; quem Deus ex hoc turbulento Imperij statu, jam laboribus fractum, & senio fatiscentem, hoc ipso anno, XVII Calend. Augusti, ad immortalem


Obitus Bernardi Episcopi in Cœ-

nobio Hardehusano sepulti.

mortalem vitam evocavit. In hunc mensis diem conveniunt omnia Necrologia Cœnobiorum hujus Diœcesis, Abdinckhoviani, Hardehusani, Mariæ-Monasteriensis, Gerdensis, Herisiensis, Wilbacensis; in quibus anniversaria hæc dies, in sacris ex grata donationum & beneficiorum memoria præscripta peractaque est. Accedit Necrologium Cathedralis Ecclesiæ & Bustorffiani Collegij in Notis ad Martyrologium Bedæ, in quibus idem dies anniversaria ejus memoriæ consecratur cum stipendio sacro Sacerdotum. Annus mortis hic idem est MCLX consignatus ab Auctore vitæ, qui triginta tres annos Episcopatum gessisse scribit; quemadmodum & nos res ab eo gestas per hos annos ordine deduximus. Totidem annos præfuisse memorat Chronicon Stederbergense, in quo disertè refertur anno 1160 obijsse. Quapropter errare dixeris Bruschium & Kersenbrochium, qui anno MCLIX obijsse tradunt. Gobelinus postquam narrasset ea, quæ anno MCLX gesta sunt, subjungit: *Eodem anno Bernardus Episcopus Paderbornensis obiit, et successit Evergisus.* Pergit deinde narrare, quæ anno MCLXI gesta sunt; quanquam erret quòd Conciliabulum Papiense ad hunc ipsum annum referat, quod anno superiori, Indictione 8. mense Februario habitum diximus. Ab excessu è vita corpus omnium luctu, ut jusserat, deportatum est ad Hardehusanum Cœnobium ordinis Cistertiensium, humatumque grata in Fundatorem suum memoria, in medio Basilicæ choro, tumulo honorifico è terra altiùs erecto, mausolei in modum, ante aram Principem; quemadmodum hodiedum intra omnes bellorum turbas intactum aspicitur. Sepulchro hi versus inscripti.

Subjicitur lapidi, lapidem qui jecit in isto
Fundo, Fundator præsul Bernardus, inardens
Perpetuo zelo latriæ, quem jungere vivo
Digneris lapidi, lapis unicè, qui duo jungis.


Præsul certè omni posteritatis memoriâ dignus, qui per triginta tres annos Episcopatum præclarè gessit; & magnitudinem animi cum religione ita conjunxit, ut nec in sago felicitas, nec in toga pietas unquam desiderata. Bellum quod contra Arnsbergensem Comitem gessit, necessitas diœcesis extorsit: quo semel domito, quietam habuit diœcesin. Opes, quas collegit, cum patrimonio effudit vel in Ecclesias exornandas, vel in Cœnobia religiosorum hominum; quorum quatuor, ut diximus, è fundamento erexit dotavitque. Castimoniâ, atq; omnium virtutum Episcopalium ornamentis per omnem vitam conspicuus, eòque apud Lotharium & Fridericum Cæsares magnæ auctoritatis, carusq; Innocentio & Eugenio Pontificibus. Extat præclarum ejus encomium apud auctorem Chronici Stederbergensis ex rebus, quas hactenus descripsimus, cum laude gestis. Quorum omnium instar erit testimonium Evergisi Successoris, à quo in diplomate recitando appellatur *inclytæ memoriæ Episcopus*, decus videlicet Episcoporum ea tempestate per Saxoniam. ANNA-



ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER IX.

EVERGISUS XVII,
SIFRIDUS XVIII,
BERNARDUS II XIX,

EPISCOP. PADERBORN.



EVERGISVS XVII,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1160.

Alexandri III Pont. 1.
Friderici I Reg. 9. Imp. 6.
Evergisi Ep. Pad. 1.



In locum Bernardi Episc. defuncti, Cleri electione, sufficitur Evergisus.

Posteaquam per absentiam Imperatoris in Italia sublatus est mense Septembri Bernardus Episcopus, Præsules & Canonici unâ consensione elegêre mox Evergisum è gremio Collegij sui, virum ætate & moribus gravem, multumque inter suos probatum ab usu omnium rerum, & virtutum conspectu. Nam supra viginti annos jam tum, cùm legeretur Episcopus, Canonicum egisse in Cathedrali Collegio Paderbornensi, testantur tabulæ Gerdensi Cœnobio anno MCXXX à Bernardo Episcopo consignatæ, quibus Evergisus inter Canonicos testis subscripsit. Anno deinde MCXXXVI eidem Cœnobio datæ literæ, annoque pòst MCLV à Bernardo Episcopo Monasterio S. Mariæ tabulæ fundationis scriptæ: in utrisque rursus inter primarios Canonicos Evergisus testis introductus; ut verisimilè habeas, Evergisum, ob probatam tot annis in clero vitam, ab ipso Bernardo Episcopo sibi Successorem esse commendatum. Ex qua verò familia sit ortus, nec in annalium nostrorum memoriâ, nec ab alijs notatum reperio. Quanquam pronum sit asserere, ex veteri aliqua nobilitate genitum: quales tum plerique in Collegio Cathedrali censebantur, qualesque tum passim per Saxoniam ob potentiorum studia legebantur Ecclesiarum præsules.

Qui primo statim Episcopatus sui anno fundationem Har-

Sacrum Episcopi munus, quod per XVIII annos gessit, auspicatus est à religionis studio, conservandâ cleri disciplinâ, fovendisque religiosorum Cœnobijs; quemadmodum hæc ab antecessore & majoribus acceperat. Quapropter hoc ipso statim anno sui Episcopatûs, gratâ & honorificâ ergaBernardum memoriâ, Cœnobij Hardehusani

funda-

fundationem bonaqûe omnia ab ipso donata Episcopali auctoritate præmuniri voluit.

dehusani Cœnobij confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Evergisus Dei gratia Patherbronnensis Ecclesiæ electus. Providè et rationabiliter Ecclesiæ Dei sanctorum Patrum providit auctoritas, ut possessiones Ecclesiarum in suo jure per privilegiorum auctoritatem eis conserventur; et quoniam mundus in maligno positus est, omnis malignandi facultas canonica severitate amputetur. Noverit igitur omnium Christi fidelium universitas, quod quæcunque venerabilis antecessor noster inclitæ recordationis Domnus Bernhardus Episcopus Ecclesiæ Hersetehusensi juste contulerat, quam pro remedio animæ suæ et omnium antecessorum suorum in honore beatissimæ Dei genitricis et semper Virginis Mariæ construxerat, prompto animo et bona voluntate approbamus, et Episcopalis auctoritatis munimine confirmamus. Sunt autem hæc ipsa: curia in Hersethehusen cum omnibus suis appendicijs, curia in Scherve cum Ecclesia, prædium in Rimbeke, Rocenhusen, Scievelinchusen, Hadagessen, Sledale. Hæc omnia cum suis appendicijs. Insuper in Saltcoten unam domum ad manendum, tres ad sal coquendum, unam domum in Patherburnen juxta viam, quæ de foro ducit in urbem, partem quoque campi qui dicitur Thruheim, quantum est à via, quæ de Ogenhuson ducit per Colstide, versus Austrum per pascua gregum. Tertiam quoque partem agrestium equorum, quod leges equicium vocant. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLX. coram testibus subscriptis, quorum nomina sunt hæc, Sifridus Præpositus, Alcmarus Decanus, Thietmarus, Usso, Manegoldus, Altmannus, Thietmarus de Buren, Iohan, Herman, Hartman, et alij quamplures.

Hisce tabulis, dum se electum scribit Paderbornensis Ecclesiæ antistitem, satis simul indicat initia Episcopatus ante confirmationem & consecrationem, quæ aut hoc ipso anno, aut proximo consecuta est; tametsi ut multa alia de Evergiso, ita ob negligentiam Scriptorum desideramus, quo tempore & à quibus post consecratus sit Episcopus. Incidit Episcopatus ejus in conturbata schismatis tempora, Imperatore hærente in Lombardia; in qua expugnata excisaq; Cremonâ post educta xx millia hominum, urbs Lauda præmunita, ex eoque Mediolanum vario bel[illegible]entu obsessum.

Annus Christi 1161.

Alexandri III Pont. 2.
Friderici I Regis 10. Imp. 7.
Evergisi Ep. Pad. 2.

Anno autem proximo, postquam Imperator copijs ex Germania est auctus, vere ineunte, urbem arctius obsidere cœpit; ingens enim armatorum multitudo, à proceribus priori anno remissis, est adducta: præterque Danielem Pragensem Archiepiscopum, Fridericum Sueviæ Ducem, Henricum Ducem Saxoniæ, Adolphum Comitem *Vrsberg. Otto à S. Blasio.*

Holsatiæ, ceterosque Principes, memorantur in diplomate Cæsaris (quod Burchardo Argentinensi Episcopo Laudæ in comitijs v Calend. Junij dedit) Reinoldus Coloniensis, Fridericus Monasteriensis, & Wernerus Mindensis, Episcopi, cum copijs suis accessisse. Mindensis etiam in eorum fastis memoratur consanguineus Imperatoris; quo sanguinis nexu Fridericus Monasteriensis Episcopus verisimiliter Imperatorem secutus fuerit; ut hi Episcopi à schismatis labe immunes non fuerint. Palam Gero Halberstadiensis Episcopus, qui, submoto Ulrico, vero pioque Episcopo, obtrusus erat, schismaticum se professus, eóque à Victore Pseudopontifice pallij usu donatus est. Ita contagio schismatis per Saxoniam serpere cœpit. Nihil his commotus Evergisus Episcopus noster, in fide Alexandri veri Pontificis stetit, Bernardi antecessoris vestigijs inhærendo; quanquam plerique jam per Saxoniam Episcopi, ad gratiam Imperatoris & suorum Archiepiscoporum, Victorem Pseudopontificem coluerint; inter quos & Hermannus Verdensis Episcopus Legatus Romam pro Pseudopontifice ab Imperatore & Archiepiscopis missus.

Chron. Mont. Seren. Albert. Stad. ad an. Christi 1161. Chron. Pegav. Sigon. Radev. lib. 2. c. 54.

Annus Christi 1162.

Alexandri III Pont. 3.
Friderici I Regis 11. Imperat. 8.
Evergisi Ep. Pad. 3.

Miserabile urbis Mediolanensis excidium. *Otto à S. Blasio. Sigonius. Robertus de monte. Ursbergensis. Baronius. Radevici appendix.*

Tandem consequenti anno Mediolanenses extrema fame, quæ ad canes etiam comedendos adegerat, pressi, impositis jugulo gladijs; supplices urbem, se, suaque omnia ad Cæsaris arbitrium quarto Martij dedunt. Tertio post die promiscua civium multitudo, flebili agmine, prælata D. Ambrosij effigie, ac singulis crucem manu gestantibus, prostrati ad pedes Imperatoris non aliud obtinent, quàm ut jussi sint obsides dare: portas, mœnia, turres suis manibus destruere: fossas æquare solo: urbe emigrare. Ac ne spes redeundi superesset, ædificia, præter paucas basilicas, è fundamentis eversa sunt. Ita nobilis illa urbs D. Ambrosij, & tot sanctorum Episcoporum sedes vasta jacuit, & per quatuor mundi plagas aratro proscissa. Miserabile hoc excidium, quod hostibus lacrymas extorsit, Barbarossa, ad omnia inexorabilis, spectare potuit, non sine crudelitatis ad posteros famâ. Principis quippe est severitatem ita temperare, ut pœna perveniat ad paucos, exemplum ad multos. Hoc Cremonæ & Mediolani funesto spectaculo ceteræ urbes, ac tota Lombardia in obsequium & fidem ultro venêre.

Corpora SS. trium Regum Mediolano Coloniam transportantur.

Inter militum spolia cessêre Episcopis Divorum corpora & reliquiæ, quibus urbs illa plena erat. Ex his corpora trium Regum, magnus ille Germaniæ thesaurus, à Reinoldo Archiepiscopo Coloniam transportata. Alijs Episcopis alia Divorum pignora in sacram prædam venêre, quibus Germania Saxoniaq; exornata est. Ever-

Evergisus Episcopus noster, cui nihil cum bello illo commune, domi permansit apud suam Ecclesiam; eóq; impensius Alexandrum Pontificem coluit, quo certiùs intellexit Alexandrum sub initium anni in Gallias profectum esse, & in conventu Burgundico, quò ipse Cæsar concesserat, Galliæ, Daniæ, & Angliæ, ceterosq; orthodoxos Reges, Principes, & populos in Alexandri veri justique Pontificis fide decrevisse persistere, frustra licet obnitente Friderico Imperatore cum suis schismaticis Episcopis, à quo Franciæ Rex sollicitatus ad schisma. Et susceperat quidem in illo conventu Waldemarus, Kanuti Martyris filius, Regnum Daniæ & Norwegiæ à Friderico Imperatore, validâ adhuc Imperij majestate, quæ Reges illos diceret; schisma tamen perosus Apostolicam sedem coluit. Atque ut de Evergisi obsequio in Pontificem, & Pontificis in Evergisum constet, Alexander hoc anno Evergiso, haud secus quàm Bernardo fecerat, novas indulgentias impertitus est; ita enim Gobelinus noster. *Idem Alexander Pontificatus sui anno tertio, V. Calendas Junii, concessit visitantibus eandem Ecclesiam Paderbornensem in eodem festo die Annunciationis, et octo diebus præcedentibus, et octo diebus sequentibus ejusdem festi diem pro qualibet die, unum annum, et XL dies indulgentiarum.* In hunc modum dum alij pro Pseudopontifice laborant, armaque versant, Evergisus sacris intentus est cum Alexandro Pontifice, plus confisus literis ejus, ad se aliosque Episcopos datis, quibus suam electionem probârat; quàm ut se Schismaticorum persuasionibus, militiæve permitteret.

Evergisus Ep. Pad. adhæret Alexandro vero Pontifici, à quo indulgentias pro sua Ecclesia obtinet.

Saxo Gram. l. 14. Brovverus hist. Trev. l. 14.

Gobel. ætat. 6. c. 62.

Et hoc ipso anno Evergisus, dum multò sapientius domi sacra procurat, offert se illi pius è nobilitate vir cum nobili conjuge ad statum vitæ religiosæ amplectendum; quorum donationem, Cœnobio Abdinghoviano factam, præclaro simul modestiæ suæ ac pietatis documento ratam habet, eóque hîc referre intererit.

Evergisus Ep. donationem bonorum, à viro nobili Monasterio Abdinghov. factam confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Evergisus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ humilis minister. Si denarium diurni laboris cum laborantibus in vinea Domini percipere volumus, pondus diei et æstus portantibus vigilantiâ pastoralis sollicitudinis assistere haud segniter debemus. Unde omnium fidelium Christi, tam præsentium quàm futurorum, universitati notum esse volumus, qualiter quidam homo nobilis, Erpo nomine, cum uxore sua Gertrude, æque nobili, regularis vitæ propositum et consortium in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quæ in suburbio nostræ Sedis sita est, expetens, contulit usui et honori ejus Ecclesiæ multa hæreditaria, quæ in his tabulis recensentur bona. Hanc donationem, Abbati Conrado factam, auctoritate pontificali, & severa comminatione ultionis divinæ firmat. *Testes Siffridus Præpositus, Almarus Decanus, Reimbertus Præpositus, Uffo Cellerarius, Heribertus, Bernardus, Meingoldus, Altmannus,*

mannus, Reinerus Canonici, ceterique Ministeriales. Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini MCLXII, Indictione X, imperii VIII, Episcopatus nostri tertio.

Annus Christi 1163.

Alexandri III Pont. 4.
Friderici I Reg. 12. Imper. 9.
Evergisi Ep. Pad. 4.

Dodechin. Otto à S. Blasio. Chron. Mont. Seren. Sigonius. Serrar. in Mog. hist.

Imperator Archiep. & cives Moguntinos persequitur.

Imperator postquam in Burgundiæ conventu frustratus est suis conatibus adversus Alexandrum Pontificem, Wormatiam concessit ad Paschatis celebritatem peragendam. Inde Moguntiam acceleravit ad conventum Principum: in quo dira sententia adversus Moguntinos cives pronunciata, ob necem Arnoldi Archiepiscopi ante biennium perpetratam. Quippe jussu Jmperatoris urbis mœnia dejecta: cives pauci, qui remanserant, partim ad mulctam, partim ad capitale supplicium postulati: urbs in solitudinem versa. Cremonæ & Mediolani propè excidium spectabatur in Moguntia, quòd ceteri civium cum uxoribus & liberis profugerant; mansitque florentissima urbs per XXVII annos mœnibus & incolis nudata: nec multò post Conradus Moguntinorum Archiepiscopus, ac Metropolitanus noster, præsul egregius, quòd ad Alexandri veri Pontificis partes transijsset, dejectus è sede sua, in ejusque locum repositus est, Cæsaris auctoritate, Christianus ejus Cancellarius, vir quidem magnis naturæ dotibus clarus (quippe qui Latina, Græca, Jtalica, Gallica, & Belgica lingua, ut materna, loquebatur, manu etiam militari promptus) sed schismatis labe defœdatus. Conradus exinde ad Alexandrum Pontificem se contulit, à quo ob fidei constantiam in Cardinalium numerum est cooptatus, factusque Sabinensis Episcopus; neq; unquam pòst tributum & jus Moguntinæ Sedis remittere voluit; donec post obitum Christiani in Moguntinam Sedem receptus rediret. Misera interim Moguntina diœcesis, quòd in ea Episcopus non esset, qui clericos ordinaret, chrisma consecraret, pœnitentes admitteret, sacras virgines velaret, Ecclesias dedicaret, Christiano Archiepiscopo Imperatorem & aulam sectante. Hujus Metropolitani sui exemplo Evergisus quoque Episcopus noster confirmatus, Alexandro Pontifici adhæsit multò constantius.

Imperator post hæc mense Octob. cum conjuge in Jtaliam proficiscitur, uti Christianus Cancellarius & Moguntinus Archiepiscopus illi cum Reinoldo Coloniensi Archiepiscopo aderat. Omnis horum labor in tuendo Victore Pseudopontifice, qui Laudæ Imperatorem convenit; & Reinold9 Archiepiscopus, dum Lombardiam, Marchiam & Thusciam perlustrat, omnes quotquot reperit Episcopos Victori adversos concitat; ut verè quidam vetus apud Baronium Scriptor Reinoldum omnium schismaticorum antesignanum dixerit. At

At verò qui lupi per hanc varij vagique pastoris absentiam à suis ovibus intrarint ovile Coloniensis Ecclesiæ, tradidêre Trithemius & Cæsarius. Nam per id tempus ex Belgio & Flandria potissimum venêre Coloniam hæretici, flagitiosi homines, ex Tanchelini secta nondum extincta, qui se Catharos, hoc est, mundos, dixêre, cùm doctrina & moribus mortalium essent fœdissimi; præterquam enim quòd mixta vagaque libidine viverent viri ac fœminæ, Anabaptistarum primorum instar palam docebant, Sacerdotes, Clericos, & Monachos esse orbis impostores, & diaboli laqueos: Sacramenta Ecclesiæ vana esse ludibria: in Eucharistia nec corpus Christi nec sanguinem ulla potestate Sacerdotis posse dari; & quæ præterea hujus impiæ sectæ nefanda dogmata erant, jam latius etiam per Bohemiam, Thuringiam & Alsatiam sparsa. Coloniæ primùm detecti, cùm in horreo quodam conventicula agerent; horum magistri, & capita sectæ, Arnoldus Marsilius & Theodoricus quidam: hi postquam deprehensi, vocantur ad judicium & certamen, & cùm in congressu doctorum virorum, victi rationibus, persisterent pertinaces, igni adjudicantur. Ducti igitur Nonis Augusti octo ex his viri & duæ fœminæ ad rogum, Arnoldo etiam semiustos ad constantiam hortante. Dum flammis absumerentur, aderat inter eos puella quædam elegantis formæ, cui ob ætatem parcitum erat, si resipisceret; at illa ex præsentibus sciscitata, ubi esset Arnoldi cadaver; quo monstrato, vultum veste obtegens, insilijt in medias flammas, ultroque orci victima accessit. Tanta hæresis obstinatio; quæ diaboli fraude suos etiam martyres habet; uti & nostra hæresis ætate compertum est. Non enim supplicium facit martyres, sed causa; & martyr esse non potest, qui in Ecclesia non est. Quare ejusmodi mors non est corona fidei, sed pœna perfidiæ; quemadmodum id Cyprianus jam dudum docuit.

Trithem. in Chron. Hirsav. Cæsarius l. 5. c. 19. Godefridus Panthal. Brovverus.

Coloniæ plures ex Tanchelini secta hæretici comburuntur.

lib. de dupl. martyr.

Hoc præterea anno Henricus Leo, Dux Saxoniæ nostræ, frequentem Episcoporum conventum procerumq; congressum Hanoveræ habuit; seu id ante expeditionem Sclavicam factum sit, seu post eam. Hujus quippe conventus testimonia sunt tabulæ Ducis, quibus Cœnobio Flechtorpiensi nostræ Diœcesis decimas villæ Flechtorpianæ, & privilegia à Bernardo Episcopo nostro data, sua auctoritate rata habet. *Hujus rei testes sunt viri, qui curiæ istic interfuerunt: Evergisus Paderbornensis, et Wernerus Mindensis, Episcopi. Conradus Abbas Corbeiensis, et Conradus Abbas Paderbornensis in Abdinghoff. Comes Otto et frater ejus, Henricus de Ravensberg, Comes Henricus et frater ejus, Henricus de Arnesberg, Comes Volcmarus et frater ejus, Widekindus de Sualenberg, Comes Adalbertus de Everstein.*

Salubri hujus anni consilio Henricus Leo Dux Saxoniæ, contracto ex Saxonia exercitu, occidentalem Sclaviam ingressus; occisoque

In utraque Sclavia, studio

Henrici Leonis, & Alberti Ursi, religio Christiana restituitur. *Helmoldus lib. 1. Chron. Montis Sereni. Albertus Stadensis. Chron. Sclavorum. Historia Archiep. Brem. Crantz. in Saxonia.*

ſoque Nicloto Sclavorum Principe, caſtra, quæ ille incenderat everteratque, reparare cœpit. Diviſâque inter milites terrâ, caſtris impoſiti ſunt præfecti, Cuſcinenſi Adolphus Brunſwicenſis advocatus, Suerinenſi Guncelinus, Meckelenburgenſi Henricus nobilis de Scaten, alijs alij. Inſtituti ad religionem firmandam tres Epiſcopatus, Aldenburgenſis, Raceburgenſis, & Meckelenburgenſis, impetrata ad id Jmperatoris facultate; quanquam Aldenburgenſis jam ab Ottone M. inſtitutus floruerat in Metropoli illa Obotritorum. Hi novis decimis & fundis, ſed levibus admodum, dotati; evocatique ob id ad Leonem Geroldus Aldenburgenſis, Evermodus Raceburgenſis, & Berno Meckelenburgenſis, Epiſcopi, ad clientelarem fidem dicendam Duci; id licet ob regalia Jmperatorij juris eſſet, Dux tamen poſtulare auſus; eóque Epiſcopi non niſi inviti præſtitere, ne ſurgentem Eccleſiam turbarent in limine religionis. Haud multò poſt Aldenburgenſis Epiſcopi ſedes, rogatu Geroldi, Lubecam translata, ad florentem civibus urbem, in eaque duodecim Clericorum Collegium à Duce conditum. Acceſsêre per id tempus Rugiani populi, & ſe in fidem Ducis dedere, quos Waldemarus Daniæ Rex Chriſti religione imbuendos ſuſcepit; quod ſalutare tamen opus inopia Sacerdotum illi intermittendum fuit. Pulcherrimum hoc Henrici Leonis operum fuit. Verùm quod inſtitutionem horum Epiſcopatuum cum introductis Epiſcopis, eaque, quæ Pontificis Romani ac Metropolitani Hamburgenſis erant, ſibi ſumpſerit, haud leviter jura ſacra læſit, quæ in hac temporum, & ſchiſmatis perturbatione diſſimulanda fuêre.

Pari rerum ſucceſſu Albertus Marchio, cognomento Urſus, Orientalem Sclaviam cum exercitu ingreſſus, omnem illam regionem perdomuit, & ad Chriſti religionem reduxit. Inſtauratus Brandeburgenſis & Havelbergenſis Epiſcopatus; & quia regio illa incolis propè vacua erat, traducti Coloni ex Hollandia, Selandia, Flandria, alijſque Chriſtianorum provincijs. Quemadmodum & Henricus de Scaten, quod Helmoldus ſcribit præſens eorum temporum inſpector, ex Flandria adduxit Colonias in Sclaviam Occidentalem, ut mixti inter Chriſtianos barbari Chriſti religionem diſcerent; quo conſilio, ut ſupra relatum eſt, ex Friſia & Weſtfalia magna incolarum multitudo in haſce provincias traducta. Mirificè poſt hæc utraque Sclavia pace, religionis cultu, hominum multitudine, & omni rerum abundantia florere cœpit; haud ſecus, quàm Waldemarus, Danorum Regum optimus, ex quo poſt Sueonem ſævum & Kanutum martyrem in conventu Burgundico à Friderico Jmperatore ſubrogatus erat, latiſſimè Chriſti religionem per Daniam, Sueciam & Norwegiam propagavit.

Annus

Annus Christi 1164.

Alexandri III. Pont. 5.
Friderici I. Regis 13. Imper. 10.
Evergisi Ep. Pad. 5.

Quæ dum prosperè aguntur in utraque Sclavia, obturbatur Ecclesia novo schismatis incendio. Cùm IV Calend. Maji extinctus erat Victor Pseudopontifex, Romana Schismaticorum secta elegit Guidonem Cremonensem, alterum è Cardinalibus Schismaticum, qui Victorem obtruserant, dictusque est ab his Paschalis III. Poterat exitiale schisma consopiri, nisi Fridericus Imperator hujus denuo Pseudopontificis patrocinium, eadem, quà Victoris, pertinaciâ suscepisset. Hærebat hoc anno Imperator in Italia; cumque multæ civitates Lombardiæ præfectorum à Cæsare impositorum injuriis exagitarentur, rebellionemque denuo moliri cœpissent, mense Octobri in Germaniam rediit ad instaurandum exercitum. *Sigonius. Baronius. Godefr. Pantaleon.*

Per hanc Cæsaris absentiam Rheni limites infestavit Conradus, Rheni Palatinus, Imperatoris frater, collisus cum Reinoldo Coloniensi Archiepiscopo; seu quòd Coloniensis potentiam non ferret, seu quòd castrum Rineccium, ut auctor vetus habet, Archiepiscopus scriptis ex Italia literis per D. Philippum Heinsbergium Decanum præmuniri jussisset. Eo objecto munimento, ut Panthaleon refert, ita exacerbatus est Palatinus, ut collecto exercitu prælij locum indixerit Andernacensem campum. At quæ industria & gratia erat Coloniensium præsulum & Canonicorum apud vicinos populares ac Westfalos, brevi ingens confluxit exercitus, quo non modò campus, sed & Rhenus navibus confertus stetit; censaque feruntur CXX millia armatorum. Cum hoc exercitu processum est Andernacum, Duce Philippo Heinsbergio; expectatusque per XII dies Palatini adventus; sed is, qui tantas minas spirarat, ne eminus quidem se ostendere ausus, belli finem ex timore habuit; maluitque ignaviæ notam, quam aleam prælij subire; nec Imperator ex Italia reversus aliud pro fratre ausus, quàm ut Reinoldum Archiepiscopum verbis objurgaret. Conradi Palatini adversus Archiep. Coloniens. motus facilè repressi.

Sed & aliud absente Imperatore bellum in Westfalia exarserat. Henricus Arensbergius Comes Henricum fratrem, qua ex causa incertum, conjecerat in carcerem, in quo haud multò post extinctus scribitur à Gobelino; idque à reditu Hannoverani conventus recens factum esse constat ex literis supra allatis. Quæ facinoris atrocitas excivit vicinos Principes in arma Reinoldum Coloniensem, Fridericum Monasteriensem, Wernerum Mindensem, Evergisum Paderbornensem, Episcopos: hi junctis copijs suis cum Henrico Leone Westfaliæ & Angariæ Duce, quem Polemarchum habuêre, Arensbergam obsidione incingunt, expugnataque munitissima arce, Co- Bellum Principum Westfalicorum contra Comitem Arensbergensem. *Gobel. ætat. 6. c. 60.*

Crantz. in Metrop. lib. 6. c 46. Cleinsorg.

mitem captivum abstrahunt (quem jam antè etiam Imperator proscripserat.) At Comes, postquam Imperatoris clementiam appellavit, Reinoldo Archiepiscopo omnia sua in manus obtulit: Reinoldo quoque apud Imperatorem interveniente, restitutus est. Neque tum Comitatus Arensbergensis, neque post obitum Comitis Coloniensi Ecclesiæ cessit, quod Crantzius visus est dicere, sed hæc ad posteriora tempora, aliamque conventionem referenda sunt.

Annus Christi 1165.

Alexandri III. Pont. 6.
Friderici I. Reg. 14. Impor. 11.
Evergisi Ep. Pad. 6.

Otto à S. Blasio. Godefr. Panth. Baron. ad ann. 1166. Sigonius.

Friderici Imp. odium & acta contra Alexandrum verum Pontificem.

Turbidus nunc sequitur annus ex pertinaci atrocique Friderici Imperatoris odio in Romanum verumque Pontificem. Nam postquam didicit Alexandrum Pontificem repetitum à Romanis, & flagrantissimis omnium animis, magnaque populi gratulatione repositum esse in sedem S. Petri, abjurato Paschali Pseudopontifice; Imperator peractâ apud Saxones Quadragesimâ, ac Fuldæ sacrâ Palmarum die, Herbipolim maturavit ad conventum Episcoporum ac Principum, per festa Pentecostes indicatum; in quo tanquam furijs agitatus Imperator causam Pseudopontificis egit. Actum igitur in Conciliabulo illo, quod Imperator XL Episcoporum gloriatur, primùm de pace inter Imperatorem & Pontificem; idque consilio Reinoldi etiam Coloniensis Archiepiscopi tentatum, quòd diceret Salisburgensem & Moguntinum Archiepiscopos totamque Alemanniam Alexandro Pontifici hærere. Sed his spretis Imperator voluit, ut omnes, qui aderant Episcopi, Paschali Pseudopontifici jurarent fidem. Quam in rem postulatus primum Wicmannus Magdeburgensis Archiepiscopus, qui recens ex Palestinæ peregrinatione redierat, totus à Pseudopontifice aversus. At cùm ille detrectaret juramentum, nisi prius Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus se consecratum Episcopum sisteret, ac jurejurando præiret: tum verò Imperator stomachari adversus Coloniensem, proditionis eum ac perfidiæ insimulare palam; quòd qui sibi primùm schismatis auctor fuisset, modò resiliret, pronus in Alexandrum. Ac Coloniensis non prius jurare voluit, quàm ipse Imperator juramentum diceret. Ad quæ Imperator, omnibus, inquit, Episcopis juranda est Paschali Pontifici fides. Ita Coloniensis, irâ & minis Imperatoris victus, Pseudopontifici juravit. Postquam ventum ad ceteros Episcopos, reclamant omnes, excepto Verdensi, palam, malle se omnibus regalibus spoliari, quàm juramentum dicere. Sed tanto minacius urget Imperator. Multumque restitit Magdenburgensis, in omnem partem se vertendo; at tandem certis quibusdam legibus cum Bambergensi inter obortas lacrymas

crymas

crymas fidem Paschali addicit. Post illos Verdensis, & Gero Halberstadiensis, quorum uterque obtrusus erat Episcopus, libere jurant. At Virdunensis & Frisingensis Episcopi palam detrectando juramentum recessere. Ad hunc modum alij vel subduxêre sese, vel inviti, diversaque mente sponsionem fecere. Hillinus Trevirensis Archiepiscopus, ne in hunc scopulum incurreret, non accessit. Ast nemo constantior Conrado Salisburgensi Archiepiscopo; is licet Cæsaris esset consanguineus, palam detestans schisma, Alexandrum Pontificem veneratus est. Quemadmodum & Conradus Moguntinus Archiepiscopus ultro, ut diximus, in exilium ire maluit, deserto Archiepiscopatu, quàm Pseudopontifici se jungere; & qui Christianus Archiepiscopus in ejus locum obtrusus, is Schismaticus erat, antichristi potius, quàm Christiani nomine dignus, uti Sarisberiensis scribit. Nec Coloniensis Archiepiscopus ultra duos provinciales Episcopos suos habuit, qui jurarint; ut ægrè reperias, quinam illi XL Episcopi fuerint, quos epistola Imperatoris jactat juratè recepisse Pseudopontificem, vana potius quàm vera voce scribentis hanc epistolam. Interim Imperator publico edicto jubet omnes Præsules, Abbates, Clericos, Monachos, milites, abjurato Alexandro, Paschalem recipere; id si detrectent, omni honore, beneficio, & privilegijs excidant. Hac pertinacia mentis & insania totam Germaniam conturbavit Imperator, schismate in Principes & proceres diffuso, quorum alij Alexandrum, alij Paschalem Pseudopontificem coluêre.

Utrumne Evergisus Episcopus noster Conciliabulo huic interfuerit, non reperio in annalium nostrorum memoria. Haud aliud mihi de illo statuere fas est, quàm quòd Alexandro vero justoque Pontifici, ut cœpisse diximus, constanter cum suo Metropolitano inhæserit. Vir publicis sese non multum miscens, nec aulam sectatus; sed intra diœcesin suam se continens, sacris operam dando. Adhæc domestico malo afflictus, retentusque; nam hoc anno, quod Gobelinus noster scribit: *Civitas Paderbornensis à parte occidentali ultra forum cum Ecclesia forensi, et Ecclesia S. Petri et Pauli miserabiliter igne consumpta est.* Quartum hoc incendium est urbis, quod cum civibus, cum Cœnobio Abdinghoviano funestum fuit; quando, ut alij perhibent, etiam Cœnobium cum Ecclesia SS. Petri & Pauli in cineres consedit. Quare Evergisus, pro insigni cæterorum Episcoporum caritate, Ecclesiam & Cœnobium sibi instaurandum sumpsit. Subinde ad fines diœcesis profectus Evergisus opus Cœnobij Hardehusani, quod ab antecessore suo prope perfectum erat, ipse omni, qua hactenus cœperat, diligentia & liberalitate absolvit; ac lætus eò omnem fabricam deductam esse, 18 Calend. Decembris Basilicam ac Cœnobium solemni ritu dedicavit; quibus sacris cæremonijs simul princeps ara B. Virginis, & duo, quæ ad latera erecta erant, altaria, alterum honori

Evergisus Ep. Pad. non adhæsit Pseudopontifici.

Gobel. ætat. 6. c. 60. Kersenbroch. in Evergiso. Bruschius in Everg.

Quartum urbis Paderborn. incendium.

Evergisus Ep. Ecclesiam & Cœnobium Harde-

husanum consecrat. noti Apostolorum, alterum S. Martino, inclusis Sanctorum lipsanis, consecrata; sicuti hæc ab auctore vitæ prioris Episcopi inter monumenta ejus Cœnobij annotata accepimus.

Imperator verò soluto Herbipolensi conventu, cum suo Pseudopontifice Paschali ad inferiores Rheni partes profectus, Coloniam pervenit. Qua in urbe Reinoldus Coloniensis Metropolitanus, postquam in Quadragesima Sacerdos erat inunctus à Philippo Osnabrugensi Episcopo, præsente Imperatore & Imperatrice, tandem Episcopus consecratur. His peractis Neomagum descendit ad Frisiæ regiones; ubi dum Imperator dissidentes inter se Godefridum Ultrajectensem Episcopum & Florentium Hollandiæ Comitem pace devinxit, Imperatrix in veteri Regum Francorum ac Cæsarum palatio Henricum filium parit.

Heida in Godefr. Godefr. Panth.

Annus Christi 1166.

Alexandri III. Pont. 7.
Friderici I. Reg. 15. Imper. 12.
Evergisi Ep. Pad. 7.

Fine præcedentis anni Fridericus Imperator Aquisgranum ad comitia Principum digressus. Magna in his celebritate Caroli M. ossa IV Calend. Januarij è mausolæo, quod in medio Basilicæ erectum conspicitur, educta, & in argenteo feretro per Reinoldum Coloniensem, & Alexandrum Leodiensem Episcopum solemni ritu ad venerationem reposita sunt, sollicitante id cumprimis Friderico Imperatore; seu curiositate ductus id fecerit, seu ut ad publicum cultum extolleret Carolum. Nam ab hoc elevatorum ossium honore, quam translationem etiam vocant, in multis Belgij & Germaniæ & Franciæ Ecclesijs publicè Carolus Divûm honoribus coli cœpit; cui multum derogatur, quòd id auctoritate Paschalis Pseudopontificis, & duorum schismaticorum Episcoporum opera factum sit, falliturque auctor Chronici Belgij, qui id Alexandro tum vero Pontifici adscribit. Verùm cùm ceteri exinde Pontifices & Episcopi non improbarent, ut in alijs, cultus invaluit. Omnia hæc Imperator magnifico diplomate, quod passim extat apud Scriptores, exposuit, sanxitque. Multis in hoc diplomate recenset Fridericus gloriosa Caroli M. bella & res mirificè gestas pro religione christiana inter barbaras Westfaliæ gentes proferenda & firmanda, quibus verus etiam Apostolus Saxoniæ, Frisiæ & Westfaliæ appellatus sit; eò sibi hunc Imperatorem unicè imitandum proposuisse: adductumque, ut auctoritate Paschalis Pontificis, & consilio Principum tam Ecclesiasticorum quam politicorum in Divorum numerum referri procurârit. Tabulæ hæ Aquisgrani Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVI., Indictione XIV, regni ejus XIV, imperij verò XI. VI Idus Januarij consignatæ sunt.

Gobelinus. Henr. de Hervord. Albert. Stadens. Mersæus. Cleinsorg.

Agente Friderico Imp. Carolus M. Divorum honoribus afficitur.

sunt. Hinc alij cum Bucherio & Molano apotheosin hanc ad annum MCLVI, alij ad exitum superioris anni referunt. A Molano etiam ad 27 Julij prorogatur; quæ alia erit, cum Imperator per festa natalitia Christi se hæc egisse fateatur in diplomate. Multa tum Imperator & Augusta Beatrix munera obtulit: Ossaque Caroli argentea exinde tumba inclusa, publicoque honori proposita sunt. Jam verò, quod Fridericus Imperator profiteatur se Carolum M. sibi proposuisse, inter omnes maximè religiosissimos Cæsares ad imitationem, multum fefellit speciosa promissa; quando immortalis Carolo M. apud posteros gloria fuit Apostolicam Sedem defendisse, quam nullus Christianorum Regum ac Cæsarum acerbius divexavit, quam ipse Ahenobardus, tribus Pseudopontificibus contra verum Pontificem introductis propugnatisque.

Quam in rem hoc anno, peracta celebritate, Aquisgrano Ulmam discessit; compositisque inter se Hugone ac Welsone Duce, reliquum anni tempus in apparatu belli posuit, ad quartam in Italiam expeditionem faciendam. Cujus haud alia causa fuit, quàm ut, dejecto Alexandro, Paschalem Pseudopontificem Sedi Petri imponeret, exurgentesque Græcorum & rebellium in Italia motus comprimeret. Quare cum ingentibus copijs præmissi in Italiam Reinoldus Coloniensis, & Christianus Moguntinus, Archiepiscopi, belli adversum Pontificem tubæ. Ipse Mense Novembri cum exercitu consecutus est, & per sacros Adventus dies Papiæ consedit, in veteri Longobardorum Regum palatio; tanquam ex eo Caroli M. bella auspicaturus, quæ longè diversis in sedem Apostolicam studijs fumebantur.

Otto à S. Blasio. Ursberg. Godefrid. Sigonius.

Inter hæc Saxonia intestinis bellis concussa, erupitque gravis Saxonum in Henricum Leonem conspiratio; is enim, quòd immensis divitijs locuples, victorijs clarus, geminoque Ducatu Bavariæ & Saxoniæ potens, regio se dominatu ferebat; inter populares invidiam, quam fortuna pepererat, accendit fastus. Nam præter Hermannii Winceburgici, Sigeberti Hammaburgensis, Ottonis Aslensis, aliorumque amplas possessiones aditas; præterque Lubecam & Stadam in comitatu Bremensi Archiepiscopo præreptam, inhiabat bonis Ecclesiasticis, perosus Episcoporum opes; nullique erat gravior, quàm Bremensi Archiepiscopo, cui & bona & jura Ecclesiæ præripuerat, liberè, ut diximus, de Episcopatibus disponendo. Quare tam Principum, quàm Episcoporum odia in se traxit: convenêreque in hanc conspirationem Wicmannus Magdenburgensis, Hermannus Hildesimensis, Episcopi: Ludovicus Comes principalis Thuringiæ, Albertus Marchio Brandenburgensis ac filij ejus, Otto Marchio Camburgensis ac fratres ejus, Albertus Palatinus, Comes Someresburgensis, Otto Comes de Asle, Christianus Comes Aldeburgensis, Widekindus

Helmold. lib. 2. c. 8. Albertus Stadens. Crantz lib. 6. Saxon. c. 20. & 21. Chron. Mont. Seren.

Henricus Leo fastu suo reliquos adversum se Principes concitat.

dekindus de Dasenberg, multique præterea proceres cum magno nobilitatis numero. Inflammabat conjuratorum animos & consilia Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, scriptis clam ad fœderatos literis, veritus ne potentiam suam aut Leo in se verteret, aut gratiæ suæ apud Cæsarem obstrueret. Igitur postquam Cæsar jam in Italiam concesserat, prorumpunt conjurati Principes Orientalis Saxoniæ, Duce Ludovico Thuringorum Lantgravio: Adeslebiam Leonis munimentum aggressi, machinis admotis oppugnant. At dum pro Leone castrum acerrimè propugnat Bernardus de Lippia, Bernardi primi filius, fatigati in adventu Leonis obsidentes. Christianus verò Oldenburgensis Comes, adjutus Frisonum auxilijs, Bremam occupat: subactaque simul omnia in occidentali regione. Leo his utrimque hostibus circumventus, summa celeritate exercitum contrahit, ac Magdeburgum progressus, omnia circum ferro flammaq; devastat. Nec Thuringiam ullibi tutam consistere passus, mox reflexo in Occidentem exercitu, Bremam invadit; civibus cum Christiano Oldenburgico Comite ad Frisiæ paludes refugientibus. Urbs militum direptioni permissa. Hartwicus Bremensis Archiepiscopus, quòd Leoni non fideret, ad Magdenburgensem Archiepiscopum se contulit. Cæsar ne bellum serperet, jussit Saxones ab armis discedere. Fervebat interim conspiratio, ut Helmoldus est auctor, per omnem Saxoniam adversus Leonem; quanquam quinam sese ex Westfalia miscuerint, non reperiam. Certè Episcopus noster indole sua ab omni bello & conspiratione alienus, non nisi sacrorum procurationem sibi sumpsit; omneque studium convertit in Cœnobium Abdinghovianum, & urbem ex incendij ruinis instaurandam. Consultius etiam per has turbas Saxoniæ Otto apud nos Comes de Ravensberg, ejusque conjux Ida, prædium suum Flersheim commutavere in Cœnobium Sanctimonialium Virginum, quod Vlarisheimense postea appellatum. Probavitque salutare consilium Evergisus Episcopus noster, quod & publicis tabulis ratum habuit Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus.

Cœnobium Flarisheimense ab Ottone Comite Ravensberg. construitur.

Annus Christi 1167.

Alexandri III Pont. 8.
Friderici I Reg. 16. Imperat. 13.
Evergisi Ep. Pad. 8.

Godefr. Panth. Ursberg. Append. Radev. Helmold. Acta Alexandri. Sigonius.

Cæsar, qui in Lombardiam cum florentissimo exercitu venerat, Alexandrum è sede ejecturus, abruptis hibernis, recta in urbem movit: sed obstitit Anconæ obsidio. Quare præmisso Reinoldo Coloniensi Archiepiscopo, Tusculum Romæ vicinum Germano milite implet, præmunitque. Quo comperto Romani, qui pro Alexandro Pontifice quadraginta millia in armis habebant, Tusculum obsidene,

Reinoldus

Baron Gobelinus ætat.6.c.60.

Ingens Romanorum clades, à Germanis illata.

Reinoldus & Raimo Tusculi Domini impares, auxilia petunt ab Imperatore. Missi igitur cum auxiliaribus copijs Christianus Moguntinus Archiepiscopus, & Philippus Reinsbergius Decanus Coloniensis, is qui mox Reinoldo subrogatus. His confirmati Germani, Duce Reinoldo Archiepiscopo, erumpunt, & fœda clade, quam Cannensi similem Romanos profligant. Hanc ita exaggerat Godefridus, ut 4000 Romanorum cæsa, 5000 capta velit, augente etiam Helmoldo cœsorum numerum ad 12 millia; cùm tamen Sigonius non nisi duo millia occubuisse, & trecentos captos scribat. Hac victoria lætus Cæsar, deserta Anconæ obsidione, Romam advolat, urbemque consternatam strage suorum intrat. Profugo dein Alexandro Pontifice, quod omnibus in urbe patratis sceleribus funestius erat, Paschalem Pseudopontificem tertia abhinc die, Calend. Augusti, in Sede Petri collocat, à quo Beatricem Augustam coronari voluit. At mox, justâ numinis vindictâ, ea immedicabilis lues consecuta, qua & maxima pars militum & procerum depasta est. Nam præter Fridericum Ducem Sueviæ, Conradi Regis filium, Welfonem juniorem, Fridericum Rotenburgicum, Henricum Tubingensem, ceterosque, peste absumpti sunt Episcopi Spirensis, Ratisponensis, Pragensis, Leodiensis, & ex Saxonicis Verdensis, & Citizensis. Jam ante inter hos schismaticos præsules festo Virginis in cœlum assumptæ extinctus erat Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, vir quidem magnis naturæ dotibus excellens, multisque comparatis bonis de Ecclesia sua benè meritus; quæ tamen schismatis hujus incentor, & Schismaticorum antesignanus uno hoc crimine fœdè maculavit. Horum omnium malorum ipse sibi aliquando vates extitit, ut auctor chronici Montis Sereni scribit. Quippe dum Hildesij puer literis operam daret, cubaretque post meridiem inter condiscipulos, dormiens repente emisit vocem, *Ego sum.* Id cùm sæpius repeteret, magister, qui aderat, percontatus: *Quis ergo tu es*: Tum ille: *Ego sum ruina mundi.* Hæsit exinde nomen illi, ut per jocum à condiscipulis, *ruina mundi* diceretur. Quanquam non desint Scriptores cum Godefrido, qui eum schisma ante obitum abjurasse, & bono per accepta sacramenta exitu vitam clausisse velint; quod patrocinio B. Virginis tribuunt, quam per omnem vitam studiosè coluerit.

Multi Ducum & militum German. peste intereunt, quos inter Reinoldus Archiep. Colon.

Seditio contra Henricum Leonem exorta adhuc fervet.

Haud minus adhuc in Saxonia, quàm in Italia, fervebat seditionis tempestas, ut Helmoldus ait, adversus Henricum Leonem. Nec Principes modò, sed & urbes in conspirationem fœderatorum venère, cumprimisque Goslaria, quam urbem idcirco Dux arctè inclusit, ne quid frumenti importaretur; & cùm armis subigere non posset, fame pressit. Ita annus hic mutuis Saxonum incursionibus, agrorum spolijs, domorum incendijs & oppidorum eversionibus transactus. Dux interim Brunswigum, in quo principatus sedem habebat,

æmulam

dekindus de Dasenberg, multique præterea proceres cum magno nobilitatis numero. Inflammabat conjuratorum animos & consilia Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, scriptis clam ad fœderatos literis, veritus ne potentiam suam aut Leo in se verteret, aut gratiæ suæ apud Cæsarem obstrueret. Igitur postquam Cæsar jam in Italiam concesserat, prorumpunt conjurati Principes Orientalis Saxoniæ, Duce Ludovico Thuringorum Lantgravio: Adeslebiam Leonis munimentum aggressi, machinis admotis oppugnant. At dum pro Leone castrum acerrimè propugnat Bernardus de Lippia, Bernardi primi filius, fatigati in adventu Leonis obsidentes. Christianus verò Oldenburgensis Comes, adjutus Frisonum auxilijs, Bremam occupat: subactaque simul omnia in occidentali regione. Leo his utrimque hostibus circumventus, summa celeritate exercitum contrahit, ac Magdeburgum progressus, omnia circum ferro flammaq; devastat. Nec Thuringiam ullibi tutam consistere passus, mox reflexo in Occidentem exercitu, Bremam invadit; civibus cum Christiano Oldenburgico Comite ad Frisiæ paludes refugientibus. Urbs militum direptioni permissa. Hartwicus Bremensis Archiepiscopus, quòd Leoni non fideret, ad Magdenburgensem Archiepiscopum se contulit. Cæsar ne bellum serperet, jussit Saxones ab armis discedere. Fervebat interim conspiratio, ut Helmoldus est auctor, per omnem Saxoniam adversus Leonem; quanquam quinam sese ex Westfalia miscuerint, non reperiam. Certè Episcopus noster indole sua ab omni bello & conspiratione alienus, non nisi sacrorum procurationem sibi sumpsit; omneque studium convertit in Cœnobium Abdinghovianum, & urbem ex incendij ruinis instaurandam. Consultius etiam per has turbas Saxoniæ Otto apud nos Comes de Ravensberg, ejusque conjux Ida, prædium suum Flersheim commutavêre in Cœnobium Sanctimonialium Virginum, quod Vlarisheimense postea appellatum. Probavitque salutare consilium Evergisus Episcopus noster, quod & publicis tabulis ratum habuit Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus.

Cœnobium Flarisheimense ab Ottone Comite Ravensberg. construitur.

Annus Christi 1167.

Alexandri III Pont. 8.
Friderici I Reg. 16. Imperat. 13.
Evergisi Ep. Pad. 8.

Godefr. Panth. Ursberg. Append. Radev. Helmold. Acta Alexandri. Sigonius.

Cæsar, qui in Lombardiam cum florentissimo exercitu venerat, Alexandrum è sede ejecturus, abruptis hibernis, recta in urbem movit; sed obstitit Anconæ obsidio. Quare præmisso Reinoldo Coloniensi Archiepiscopo, Tusculum Romæ vicinum Germano milite implet, præmunitque. Quo comperto Romani, qui pro Alexandro Pontifice quadraginta millia in armis habebant, Tusculum obsidene,

Reinoldus

Reinoldus & Raimo Tusculi Domini impares, auxilia petunt ab Imperatore. Missi igitur cum auxiliaribus copijs Christianus Moguntinus Archiepiscopus, & Philippus Reinsbergius Decanus Coloniensis, is qui mox Reinoldo subrogatus. His confirmati Germani, Duce Reinoldo Archiepiscopo, erumpunt, & fœda clade, quam Cannensi similem Romanos profligant. Hanc ita exaggerat Godefridus, ut 4000 Romanorum cæsa, 5000 capta velit, augente etiam Helmoldo cœsorum numerum ad 12 millia; cùm tamen Sigonius non nisi duo millia occubuisse, & trecentos captos scribat. Hac victoria lætus Cæsar, deserta Anconæ obsidione, Romam advolat, urbemque consternatam strage suorum intrat. Profugo dein Alexandro Pontifice, quod omnibus in urbe patratis sceleribus funestius erat, Paschalem Pseudopontificem tertia abhinc die, Calend. Augusti, in Sede Petri collocat, à quo Beatricem Augustam coronari voluit. At mox, justâ numinis vindictâ, ea immedicabilis lues consecuta, qua & maxima pars militum & procerum depasta est. Nam præter Fridericum Ducem Sueviæ, Conradi Regis filium, Welfonem juniorem, Fridericum Rotenburgicum, Henricum Tubingensem, ceterosque, peste absumpti sunt Episcopi Spirensis, Ratisponensis, Pragensis, Leodiensis, & ex Saxonicis Verdensis, & Citizensis. Jam antè inter hos schismaticos præsules festo Virginis in cœlum assumptæ extinctus erat Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, vir quidem magnis naturæ dotibus excellens, multisque comparatis bonis de Ecclesia sua benè meritus; quæ tamen schismatis hujus incentor, & Schismaticorum antesignanus uno hoc crimine fœdè maculavit. Horum omnium malorum ipse sibi aliquando vates extitit, ut auctor chronici Montis Sereni scribit. Quippe dum Hildesij puer literis operam daret, cubaretque post meridiem inter condiscipulos, dormiens repente emisit vocem, *Ego sum*. Id cùm sæpius repeteret, magister, qui aderat, percontatus: *Quis ergo tu es*: Tum ille: *Ego sum ruina mundi.* Hæsit exinde nomen illi, ut per jocum à condiscipulis, *ruina mundi* diceretur. Quanquam non desint Scriptores cum Godefrido, qui eum schisma ante obitum abjurasse, & bono per accepta sacramenta exitu vitam clausisse velint; quod patrocinio B. Virginis tribuunt, quam per omnem vitam studiosè coluerit.

Baron Gobelinus ætat. 6. c. 60.

Ingens Romanorum clades, à Germanis illata.

Multi Ducum & militum German. peste intercunt, quos inter Reinoldus Archiep. Colon.

Haud minus adhuc in Saxonia, quàm in Italia, fervebat seditionis tempestas, ut Helmoldus ait, adversus Henricum Leonem. Nec Principes modò, sed & urbes in conspirationem fœderatorum venêre, cumprimisque Goslaria, quam urbem idcirco Dux arctè inclusit, ne quid frumenti importaretur; & cùm armis subigere non posset, fame pressit. Ita annus hic mutuis Saxonum incursionibus, agrorum spolijs, domorum incendijs & oppidorum eversionibus transactus. Dux interim Brunswigum, in quo principatus sedem habebat, æmulam

Seditio contra Henricum Leonem exorta adhuc fervet.

Albert. Stad. Crantz. lib. 6. Saxon. c. 23. Lerbeck in Chron. Schavvenb. Meibomius in notis.

æmulam Goslariæ urbem, fossis, muris, portisque præmunivit, in eamque, qua nunc aspicitur, amplitudinem, extendit; præterque sacras ædes constructas erexit columnam, posita super ejus Leonis effigie; tanquam ex ea hereditaria urbe dominatum, & sedem regni ceteris intenderet. Mansit inde Leo Ducum Brunswicensium insigne, avitumque nomen Principatus. Tanto adhuc Westfalia securior, quòd flammæ dominatûs primùm vicina comprehendant.

Helmoldus lib. 2. c. 12. 13. 14. Saxo Gram. l. 14. Pontanus lib. 6.

Felices Christianæ religionis in Rugia progressus Henricus Leo turbare nititur.

Per hæc intestina Saxoniæ bella Waldemarus religiosissimus Danorum Rex (cui filiam suam, ex Clementia susceptam, Henricus Leo dedit) uti cum Henrico convenerat, tandem Insulam Rugiam, à Corbeiensibus olim nostris excultam, invasit, subactosque fecilibus armis Rugianos (qui & Rani passim vocantur) superstitem, infestamque Sclavorum gentem, Christianæ religioni adjunxit, operâ Absalonis Roschildensis, & Bernonis Megapolitani Episcopi, quos cum alijs Sacerdotibus in Insulam secum introduxerat. Tum fana barbaræ gentis eversa, proscripti sacrificuli, comminutum simulacrum Idolumque Suanvite, quod tota gens Sclavorum, præ ceteris Dijs, annuo tributo multisque donis venerabatur: ex quo S. Vitus genti illi olim à Corbeiensibus nostris patronus datus, cœca post superstitione pro Deo coli cœperat. In locum delubrorum duodecim Christianorum Ecclesiæ erectæ; impositisque Sacerdotibus, barbarus ille populus ad Christi sacra perductus est. Magno ad id adjumento fuit Jaremarus gentis Princeps; is postquam Catholicam religionem edoctus ab Episcopis, & fonte baptismatis ablutus est, suo exemplo ceteros traxit: tantoque fervore rem christianam promovit, ut doctor magis, quàm Princeps gentis aspiceretur. Omnibus ritè constitutis, Waldemarus Rex acceptis obsidibus, impositoque tributo cum classe in Daniam est revectus. Quæ ubi Henricus Leo didicit, rem saluberrimam, quam juvare debebat, turbare cœpit; iraque & avaritia stimulatus, misit Legatos ad Regem, poscendo partem obsidum & tributorum. Quæ cùm Rex dissimulanter haberet, incitavit Dux ad rebellionem Rugianos, à quibus magna clades illata est Danis. Vetus & fœdum inter Christianos Principes malum, quibus cupiditas pecuniæ est ante salutem animarum, & dominandi libido ante religionem. At Rex, ne res tam prosperè pro religione cœptæ turbarentur, Ducem ad colloquium invitavit, dataque parte petitorum obsidum & tributorum, Insulam deinde populis & agro feracem Christo asseruit. Cessit exinde Insula Rugia, quam à Lothario Imperatore Corbeiensibus nostris datam diximus, in potestatem Regis ac Ducis; eòque fortè Corbeienses nostri in partem laboris evocati non fuerint, ne antiqua Cæsarum jura repeterent.

Annus

Annus Christi 1168.

Alexandri III Pont. 9.
Friderici I. Reg. 17. Imper. 14.
Evergisi Ep. Pad. 9.

Tandem anno subeunte Fridericus Jmperator, & strage exercitus peste absumpti, & totius Lombardiæ rebellione exterritus, rebus tumultuante in urbe compositis, iter in Germaniam repetit; mortalitate ubique comitante exercitum, è quo jam supra viginti millia diversis cladibus amiserat. Ipse cum paucis mense Martio per Burgundiam redijt ad Rhenum. Pridie deinde Calend. Junij Francofurti conventus Principum indictus, ad Saxonum motus comprimendos; objurgatique Saxoniæ Principes à Cæsare, tanquam tumultuantibus armis suis dedissent opportunitatem rebellandi; eò pronior in Henricum Leonem, omnia ad ejus voluntatem composuit; Episcopis tamen cleroque, quàm Principibus benignior. Quare revocatus Bremam Hartwicus Archiepiscopus; tametsi Comitatus Stadensis à Cæsare attributus Duci: & Conradus Lubecensis Episcopus reconciliatus Duci, diœcesi suæ, à qua profugerat, restitutus est. *Helmold. lib.2.c.11.*

Francofurto Imperator discessit Herbipolim, ubi in conventu Principum Conrado Herbipolensium Episcopo Ducatum Franciæ Orientalis novis tabulis instaurat; quanquam id Bruschius ad annum 1166 revocare velit. Invaluerat per hæc bella pravus mos inter Episcopos differendi consecrationem suam, quòd bellis magis, quàm sacris vacarent; Jmperator, quòd Caroli M. imitatione religionem Christianam se complecti ferret, jussit omnes ex Italia regressos maturare consecrationem. Quapropter Philippus Coloniensis Archiepiscopus, ut Godefridus perhibet, festo die Michaëli Archangelo sacro, Coloniæ à Godefrido Trajectensi Episcopo in corona octo præsentium Episcoporum sólemni ritu est inunctus. Is verò auctor cùm non prodiderit, quinam hi octo Episcopi fuerint, producendæ à nobis literæ donationum, Flechtorpiensi Cœnobio à Philippo Archiepiscopo factæ, ac Calend. Octobris consignatæ; ex quibus præsentia horum Episcoporum cognita est. Testes enim subscripsêre Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Philippus Osnabrugensis Episcopus, Fridericus Monasteriensis, Evergisus Paderbornensis, Wernerus Mindensis, Gottefridus Trajectensis, Nicolaus Siburgensis Abbas, Sifridus Grafschapensis Abbas, Arnoldus Præpositus S. Andreæ, Sifridus Præpositus Sanctensis, Bruno Præpositus S. Georgij, Comes Everhardus de Alten, Comes Hermannus de Saphinberg, Henricus de Wolmenstein. Datæ consignantur Anno 1168, Friderici Imperatoris 16, Jmperij 14, Jndict. 1. Calend. Octobris. Celebris proinde hic præsulum conventus fuit, ex quo & Evergisum Episcopum nostrum præsentem sistimus.

Fridericus Imp. maturare Episcopos jubet consecrationem, quam hi diutius æquo differebant.

Literæ Flechtorp. nostri tabularii Cleinsorg.

Nnnnn Ex

æmulam Goslariæ urbem, fossis, muris, portisque præmunivit, in eamque, qua nunc aspicitur, amplitudinem, extendit; præterque sacras ædes constructas erexit columnam, posita super ejus Leonis effigie; tanquam ex ea hereditaria urbe dominatum, & sedem regni ceteris intenderet. Mansit inde Leo Ducum Brunswicensium insigne, avitumque nomen Principatus. Tanto adhuc Westfalia securior, quòd flammæ dominatûs primùm vicina comprehendant.

Albert. Stad. Crantz. lib. 6. Saxon. c. 23. Lerbeck in Chron. Schavvenb. Meibomius in notis.

Per hæc intestina Saxoniæ bella Waldemarus religiosissimus Danorum Rex (cui filiam suam, ex Clementia susceptam, Henricus Leo dedit) uti cum Henrico convenerat, tandem Insulam Rugiam, à Corbeiensibus olim nostris excultam, invasit, subactosque fecilibus armis Rugianos (qui & Rani passim vocantur) superstitem, infestamque Sclavorum gentem, Christianæ religioni adjunxit, operâ Absalonis Roschildensis, & Bernonis Megapolitani Episcopi, quos cum alijs Sacerdotibus in Insulam secum introduxerat. Tum fana barbaræ gentis eversa, proscripti sacrificuli, comminutum simulacrum Idolumque Suanvite, quod tota gens Sclavorum, præ ceteris Dijs, annuo tributo multisque donis venerabatur: ex quo S. Vitus genti illi olim à Corbeiensibus nostris patronus datus, cœca post superstitione pro Deo coli cœperat. In locum delubrorum duodecim Christianorum Ecclesiæ erectæ; impositisque Sacerdotibus, barbarus ille populus ad Christi sacra perductus est. Magno ad id adjumento fuit Jaremarus gentis Princeps; is postquam Catholicam religionem edoctus ab Episcopis, & fonte baptismatis ablutus est, suo exemplo ceteros traxit: tantoque fervore rem christianam promovit, ut doctor magis, quàm Princeps gentis aspiceretur. Omnibus ritè constitutis, Waldemarus Rex acceptis obsidibus, impositoque tributo cum classe in Daniam est revectus. Quæ ubi Henricus Leo didicit, rem saluberrimam, quam juvare debebat, turbare cœpit; itaque & avaritia stimulatus, misit Legatos ad Regem, poscendo partem obsidum & tributorum. Quæ cùm Rex dissimulanter haberet, incitavit Dux ad rebellionem Rugianos, à quibus magna clades illata est Danis. Vetus & fœdum inter Christianos Principes malum, quibus cupiditas pecuniæ est ante salutem animarum, & dominandi libido ante religionem. At Rex, ne res tam prosperè pro religione cœptæ turbarentur, Ducem ad colloquium invitavit, dataque parte petitorum obsidum & tributorum, Insulam deinde populis & agro feracem Christo asseruit. Cessit exinde Insula Rugia, quam à Lothario Imperatore Corbeiensibus nostris datam diximus, in potestatem Regis ac Ducis; eòque fortè Corbeienses nostri in partem laboris evocati non fuerint, ne antiqua Cæsarum jura repeterent.

Helmoldus lib. 2. c. 12. 13. 14. Saxo Gram. l. 14. Pontanus lib. 6.

Felices Christianæ religionis in Rugia progressus Henricus Leo turbare nititur.

Annus

Annus Christi 1168.

Alexandri III Pont. 9.
Friderici I. Reg. 17. Imper. 14.
Evergisi Ep. Pad. 9.

Tandem anno subeunte Fridericus Jmperator, & strage exercitus peste absumpti, & totius Lombardiæ rebellione exterritus, rebus tumultuante in urbe compositis, iter in Germaniam repetit; mortalitate ubique comitante exercitum, è quo jam supra viginti millia diversis cladibus amiserat. Ipse cum paucis mense Martio per Burgundiam rediit ad Rhenum. Pridie deinde Calend. Junij Francofurti conventus Principum indictus, ad Saxonum motus comprimendos; objurgatique Saxoniæ Principes à Cæsare, tanquam tumultuantibus armis suis dedissent opportunitatem rebellandi; eò pronior in Henricum Leonem, omnia ad ejus voluntatem composuit; Episcopis tamen cleroque, quàm Principibus benignior. Quare revocatus Bremam Hartwicus Archiepiscopus; tametsi Comitatus Stadensis à Cæsare attributus Duci: & Conradus Lubecensis Episcopus reconciliatus Duci, diœcesi suæ, à qua profugerat, restitutus est. *Helmold. lib. 2. c. 11.*

Francofurto Imperator discessit Herbipolim, ubi in conventu Principum Conrado Herbipolensium Episcopo Ducatum Franciæ Orientalis novis tabulis instaurat; quanquam id Bruschius ad annum 1166 revocare velit. Invaluerat per hæc bella pravus mos inter Episcopos differendi consecrationem suam, quòd bellis magis, quàm sacris vacarent; Jmperator, quòd Caroli M. imitatione religionem Christianam se complecti ferret, jussit omnes ex Italia regressos maturare consecrationem. Quapropter Philippus Coloniensis Archiepiscopus, ut Godefridus perhibet, festo die Michaëli Archangelo sacro, Coloniæ à Godefrido Trajectensi Episcopo in corona octo præsentium Episcoporum sólemni ritu est inunctus. Is verò auctor cùm non prodiderit, quinam hi octo Episcopi fuerint, producendæ à nobis literæ donationum, Flechtorpiensi Cœnobio à Philippo Archiepiscopo factæ, ac Calend. Octobris consignatæ; ex quibus præsentia horum Episcoporum cognita est. Testes enim subscripsêre Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Philippus Osnabrugensis Episcopus, Fridericus Monasteriensis, Evergisus Paderbornensis, Wernerus Mindensis, Gottefridus Trajectensis, Nicolaus Siburgensis Abbas, Sifridus Grafschapensis Abbas, Arnoldus Præpositus S. Andreæ, Sifridus Præpositus Sanctensis, Bruno Præpositus S. Georgij, Comes Everhardus de Alten, Comes Hermannus de Saphinberg, Henricus de Wolmenstein. Datæ consignantur Anno 1168, Friderici Imperatoris 16, Jmperij 14, Jndict. 1. Calend. Octobris. Celebris proinde hic præsulum conventus fuit, ex quo & Evergisum Episcopum nostrum præsentem sistimus.

Fridericus Imp. maturare Episcopos jubet consecrationem, quam hi diutius æquo differebant.

Literæ Flechtorp. nostri tabularii Cleinsorg.

Moritur Fridericus Ep. Monast. sub quo anno 1152 ab Hugone nobili de Bueren conditum Monasterium Widmersche.

Ex horum Episcoporum numero haud multò post, ut à Cleinsorgio refertur, excessit è vita Fridericus Monasteriensis Episcopus, vir cetera egregius, & praeclarè de Ecclesia sua meritus; nisi quòd aegre à schismatis labe excusari possit, si quae cum Friderico Imperatore ab eo acta diximus, reputentur. Ejus Episcopi anno 1152 surrexit Coenobium Widmershe conditum ab Hugone, nobili de Bueren ac Monacho familiae D. Benedicti, qui incultum hunc locum in Comitatu Bentheimensi à Vidua Comitis impetratum excoluit. Coenobium publicis deinde tabulis Fridericus Episcopus probavit; testesque fuere Otto Cappenbergensis Praepositus, Bernardus de Horstmaria & Wigboldus filius. Successorem nactus est Fridericus Ludovicum, quem alij Ludolphum appellant, Comite Teclenburgico natum; atque is cùm triennio tantum praefuisse tradatur, & in Chronico Pegaviensi anno 1172, in Chronico verò Montis Sereni anno 1173 obijsse scribatur, mors Friderici ad hunc vel proximum annum referenda erit. Quo simul anno Hartwicus Bremensis Archiepiscopus humanis excessit, vir, qui per omnem industriam Schismaticorum factioni se subduxerat cum Conrado Lubecensi Episcopo. Eo mortuo, cùm per dissidium eligeretur Sifridus & Olbertus, obtrusus est Balduinus, vir senex, & in schismate consecratur; is, ut Leonem sibi devinciret, omnia Ecclesiae bona illi permisit.

Annus Christi 1169.

Alexandri III Pont. 10.
Friderici I. Reg. 18. Imper. 15.
Evergisi Ep. Pad. 10.

Dodechinus. Sigonius. Baronius. Spondanus.

Moritur per haec Paschalis Pseudopontifex, & Imperialis, ut inquit Sigonius. In ejus locum, hominem Ungarum, Joannem Abbatem Strumiensem, quem Paschalis Episcopum Tusculanum effecerat, suffecêre, eique Calixto tertio nomen imposuêre, quem factio illa adversus Alexandrum tueri & colere instituit; probavitque hujus subrogationem Fridericus Imperator. Ac tertius ille fuit Pseudopontifex, quem adversus Alexandrum obtrusit; post tamen, ubi vidit totam Italiam Alexandro constantius haerere, armarique adversum se, condita etiam nova urbe, quam Alexandriam ab Alexandro Pontifice dixêre, coepit taedio schismatis, & metu majorum malorum de concordia Ecclesiae consilia agere. Quare ex comitijs Bambergensibus, quae 8 Idus Aprilis celeberrima habuit, mittit in Italiam Legatos Episcopum Bambergensem, & quos in hanc rem ex Gallia evocârat, Cistertiensem & Clarevallensem, Abbates. Quanquam Principum ad haec comitia convocatorum & prima Imperatoris cura, ut filium Henricum, puerum licet quinquennem, regni Successorem dicerent; quod cùm proloquente Christiano Moguntino Archiepiscopo impe-

In comitijs Bambergensibus Henricus Friderici filius Rex eligitur, & deinde Aquisgrani inungitur.

impetravit, Aquisgranum eum misit: ubi & 15 Augusti à Philippo Coloniensi Archiepiscopo per solennes cæremonias inunctus & Rex appellatus est. Quod reliquum anni tempus fuit Imperator in ordinanda Rep. & pace inter Saxones firmanda posuit. Quippe inter Saxones, quos Henrico Leoni reconciliatos diximus, unus restabat Widekindus Dasenburgicus. Is ab adolescentia rapinis insuetus, eóq; à Leone aliquando conjectus in vincula; at libertati redditus, redierat ad ingenium, confisusque castri Dasenburgici munitioni, quod in prærupta montis petra præmunitum erat, se objicere ausus fuit. Neque Leoni admotis machinis quicquam perfringere licuit, donec metallorum fossores evocarentur, qui viscera montis perscrutantes, reperire possent, unde obsessis aqua suppetebat. Qua subducta, deditionem fecerunt. Præsidiarijs facta abeundi libertas: Widekindus ad Ducis arbitrium retentus. Summa exinde per utramque Saxoniam quies, opportuna Evergiso Episcopo nostro ad res sacras per Episcopatum procurandas, & Cœnobia, quæ à Bernardo Episcopo nostro instituta erant exornanda; hujus enim inclytæ memoriæ viri opera sibi cumprimis perficienda sumpsit; nihilque impensius habuit, quàm ut clerum & religiosorum hominum cœtus, uti à majoribus acceperat, florentissimos conservaret.

Widekindus Dasenburgicus ad obsequium reducitur.

Annus Christi 1170.

Alexandri III. Pont. 11.
Friderici I. Reg. 19. Imper. 16.
Evergisi Ep. Pad. 11.

Cæsar licet pacatissimam haberet Germaniam, non tamen quietus erat in Romano Pontifice exagitando, tam flagrans odium insederat pertinacem Cæsaris animum. Nam postquam Oratores ejus ex urbe cum obscuro responso redirent, ira percitus, Callistum tertium Pseudopontificem profiteri & tueri cœpit, hominem obscurum, vagum, voracem. Nec puduit tale monstrum obtrudere contra Alexandrum verum Pontificem, qui toto orbe Christiano contra Pseudopontifices celebrabatur. Fœda hæc gentis Germaniæ macula, sed Suevicæ; nam qua veneratione ac patrocinio Saxones nostri Cæsares ac Reges, Otto M. D. Henricus, & Lotharius Apostolicam Sedem coluerint, satis ex superiorum annalium memoria constat. Igitur ut hunc Pseudopontificem Germanis obtruderet, minacibus ad ordines literis recipi jubet: & quia Cistertienses præ ceteris constantius stabant pro Alexandro Pontifice, jussi sunt è tota Germania exulare; quorum alij per vim exacti, alij sponte in Gallias & alia regna concessêre. Imperator subinde Saxoniam ingressus, Goslariæ Principum conventum habuit, ad fumantes adhuc Saxonum motus comprimendos, qui ab Henrico Leone se læsos querebantur. Ipse

Godefrid. Robertus de Monte. Arnoldus Lubec. Albert. Stad.

Fridericus tertium, contra Alexandrum, Pseudopontificem Callistum obtrudit & fovet.

Leo interim post repudiatam Clementiam celebres nuptias habuit Brunswici, ducta in uxorem Mathilde Regis Anglorum filia; quam mirificè commendat Arnoldus Lubecensis à pietate & liberalitate in pauperes: ex qua Dux post suscepit filiam Richesam, filiosque Henricum, Luderum, Ottonem & Wilhelmum. Nec tum erat inter Germaniæ Principes Leone quisquam opibus & potentia & splendore nominis fortunatior ac formidabilior; quippe qui præter Ducatum Bavariæ & utriusque Saxoniæ, Orientalis & Occidentalis, Sclaviam quoque à se domitam conjunxerat; eóque jam magnis se Regibus æquatum ferebat, ducta regia in matrimonium filia; è quo felicitatis fastigio uti fortuna eum excusserit, tempori memorandum.

Cleinsorg. in Chron. Gelen. in auctuar. S. Engelb. p. 308.

Initia Cœnobij Bredelariensis.

Ceterum hoc anno conditum est à Philippo Coloniensi Archiepiscopo in Ducatu Westfaliæ Cœnobium Bredelariense Præmonstratensium Virginum, haud procul Patberga & Monte Martis, intra veteres diœcesis Paderbornensis terminos, eòque Evergisus Episcopus noster postulatus à Philippo. Tabulæ verò fundationis consignatæ extant, quibus Evergisus Episcopus Paderbornensis, Henricus Comes Arnsbergensis, Otto Comes Ravensbergensis, & Hermannus filius ejus, Everhardus Comes de Altena, & Arnoldus filius ejus, Comes Henricus de Frotzberg, Bernardus de Lippia, multique prætereà Præpositi & Canonici Colonienses, Proceres ac nobiles Westfaliæ, quos Archiepiscopus convocavit, testes subscripserunt. Verùm quòd hæ tabulæ Callisto Pontifice scribantur confectæ, dandum id fuit Friderici Imperatoris literis, ne quis alius, quàm Callistus ille reciperetur Pontifex; ut hic labes quædam schismatis notetur, qua Archiepiscopus ac ceteri aspersi videri possunt.

Annus Christi 1171.

Alexandri III Pont. 12.
Friderici I Reg. 20. Imper. 17.
Evergisi Ep. Pad. 12.

Godefr. Gobelin.

Imperator dehinc anno consequenti in ordinanda Rep. occupatus, Coloniam accessit; acceptaque à Coloniensibus non modica argenti summa, cives in gratiam recepit. Ita quidem Godefridus scribit, nulla tamen causa offensionis memorata. Verisimile habeas cives Alexandro Pontifici propensius hæsisse, quàm Imperatoris exacerbatio ferre potuerit. Advenêre per id tempus Coloniam Legati Manuelis Græcorum Imperatoris, expetentes filiam Friderici Imperatoris filio suo in matrimonium. Inde Cæsar Aquisgranum transijt, qua in urbe magnam anni partem exegit.

Albert. Stad. in Chron. Crantz. lib. 6. Sax. c. 29.

Per id tempus Henricus Leo Dux noster, pacatis in Saxonia rebus, voti quod fecerat persolvendi causa, peregrinationem in Palæstinam suscepit. Id licet Albertus Stadensis & Crantzius ad annum

sequentem,

sequentem, & Godefridus, Gobelinus & Robertus de Monte ad 1173 referant; certius tamen huic anno 1171 adscribitur à pluribus. Celebris illa peregrinatio fuit, quam antè Albertus Ursus, Wigmannus Archiepiscopus Magdenburgensis, Ulricus Episcopus Halberstadiensis, multique per Saxoniam Principes diversis annis susceperant, insigni majorum in loca sancta & Christi Servatoris monumenta religione ac pietate. Igitur Leo, relictâ Brunswici conjuge gravida, & totius Saxoniæ apud Wigmannum Magdenburgensem moderatione, cum Conrado Lubecensi Episcopo, Henrico Abbate Brunswicensi, Bertholdo Abbate Lunenburgensi, Prebizlao Obotritorum regulo, Guncelino Comite Suerinensi, multisque Saxoniæ proceribus, ac præcipua nobilitate, Jdibus Januarij iter ingressus: è ministris non nisi Ecbertus Wolfenbutelensis, & Henricus Lunenburgicus, quibus familiæ administratio data, domi mansêre. Tantus omnium majorum nostrorum fervor erat, perlustrandi loca & vestigia Servatoris nostri. Accessêre è Bavaria locupletes ex omni ordine procerum & nobilitatis. Multis viarum difficultatibus, multisque periculis pervenerant in Palæstinam; ubi ab Ungariæ Rege, & Manuele Græcorum Jmperatore benignè & honorificè exceptus Dux; etiam ab ipso Soldano Turcarum Principe, à quo Dux frater salutatus, quòd se Russorum Regis filia, ac Germana matre genitum diceret; eòque multis donis regijs exornatus fuit. In hoc familiari congressu multis libere Henricus Leo persuadere ausus est Soldano Christi religionem. Ad quæ Soldanus: *Non quidem arduum creditu esse Deum ex Virgine nasci potuisse, si quidem ita libuerit, qui hominem è terra virgine formârit; sed sibi persuasum esse, Deum ab omnibus non uno cultu velle honorari.* Hac ille politicorum nostrorum voce elusit, quæ dicebantur: Leo perlustrato Christi sepulchro, ceterisque per omnem Palæstinam sacris, incolumis altero anno redijt Brunswicum in Saxoniam, magno secum sacrorum pignorum exportato thesauro. Amissi interim Conradus Lubecensis Episcopus, & Bertholdus Lunenburgensis Abbas.

Chron. Suderb. Chron. Lubecens. Auctor Synch. 10. Thyrius l. 11. c. 4. Chron. August. Bangert. in not. ad Helm. & Arnold.

Henricus Leo, Dux Saxoniæ in terram Sanctam proficiscitur.

Per Henrici absentiam Fridericus Jmperator Saxoniam ingressus, potentiores quosdam Saxoniæ proceres præfectosque, quibus Dux urbes commiserat, alios minis, alios promissis circumvenit; ut si quis casus humanus Ducem tolleret, urbes sibi traderent. Ea res postquam Duci redeunti comperta est, inter utrosque dissensionis causam dedit; altumque hæsit in mente Ducis hæc suspecta Cæsaris machinatio.

Gobel. ætat. 6. c. 60.

Annus Christi 1172.

Alexandri III Pont. 13.
Friderici I. Reg. 21. Imper. 18.
Evergisi Ep. Pad. 13.

Interim

Godefrid. Interim in alta pace conquiescebat Germania; annoq; postero Imperator medio Quadragesimæ celebrem Wormatiæ Principum conventum habuit, in quo vehementer conquestus est cum Principibus adversus Alexandrum Pontificem, atque Italos; quòd consilia inter eos agitarentur de corona Imperij Romani ad Manuelem Græcorum Imperatorem transferenda. Ea cùm à malevolis persuasa essent Imperatori, aut ab ipso Imperatore conficta in odium Pontificis, impetravit novam in Italiam expeditionem, quæ post biennium susciperetur.

Hac temporum felicitate, quæ uno tantùm schismate fœdabatur, cùm omnes Episcopi in exornandis passim per Saxoniam Ecclesijs & Cœnobijs studia sua converterent, Evergisus quoque Episcopus noster Hardehusanum Cœnobium invisit; atque inde in vicinum Oppidum Wartberg digressus, convocatis præsulibus & Canonicis suæ Ecclesiæ, decimas quasdam, à Ministerialibus suis de Wullenhusen æqua pecunia redemptas, Richardo Abbati Cœnobioque consignavit. Literas hoc pietatis sensu clausit. *Nos igitur sperantes orationibus ibidem Deo servientium jugiter nos adjuvari, præmemoratæ Ecclesiæ decimam hanc perpetuo jure possidendam contulimus. Acta sunt hæc anno Incarnationis MCLXXII, Indict. V. Testes autem sunt hi Canonici Paderbornensis Ecclesiæ, Sifridus Præpositus, Almar Decanus, Ecbracht, Uffo, Herebracht, Bernhart, Altman, Wolbracht, Burchart, Meinric, Bezelin, Reinher, Lothowvich, Conradt, Alexander, ac cæteri:* tum alij nobiles, ac ingenui, longa serie nominati. Tam cautus & religiosus Episcopus, ne res minimas etiam sine consensu Cathedralis Ecclesiæ averteret. Et mirum, si quis ab origine primorum Episcoporum donationes revolvat, quot Cœnobia vel ex solis Episcoporum decimis dotata sint; ut vel hinc constare possit, quas opes Carolus M. in plena diœcesium institutione Episcopis dederit in decimas, quas alij post Episcopi etiam in clientum & Ministerialium servitia convertêre.

Gamansius in vita Godefridi. Obitus B. Ottonis B. Godefridi Cappenberg. fratris. Et Werneri Ep. Mindensis. *Annales Mindenses.*

Sustulit hic annus XXIII Februarij B. Ottonem D. Godefridi fratrem, tertium Cappenbergensium Præpositum, à quo cum fratre Averstorpiense Cœnobium Virginum haud procul Wesalia conditum erat. Sublectus Ottoni B. Hermannus Comes Arensis, & Merensis Cœnobij una cum matre & sorore conditor. Tam illustribus ubiq; viris per Westfaliam & Saxoniam Cœnobia inclaruêre, quos passim omnium annales suppeditant. Ad hunc etiam annum revoces obitum Werneri XXV Mindensis Episcopi, festo D. Martini exinde extincti, sæpè is supra inter Schismaticos à nobis memoratus. Errant certè, qui anno 1167 obijsse volunt, cùm anno 1168 adhuc superstes sit productus à nobis. Subrogatus illi Hanno ex Comitum Blanckenborgensium familia, ut proinde apud Leerbekium ejus ex hoc anno memoria prodatur: fasti eorum hic obscuri sunt.

Annus

Annus Christi 1173.

Alexandri III Pont. 14.
Friderici I Reg. 22. Imper. 19.
Evergisi Ep. Pad. 14.

Cæsar post hæc anno proximo MCLXXIII Wormatiæ in celebri Principum conventu Pascha celebravit, bellumq; Bohemicum, quod à Godefrido Polonicum vocatur, ex Principum consensu suscepit. Causam obscurè tradunt historiæ. Godefridus pro consanguineo scribit susceptam. Igitur contracto ex Suevis, Bojis, Francis Orientalibus, & Saxonibus exercitu, Bohemiam ingressus, Ladislaum regno exuit, reposito Sobeslao patruele, quem Principis titulo contentum esse jussit. Tanta tum Imperatorum majestas erat, ut exteros pro arbitrio, vel Reges, vel Principes dicerent. Victor in Saxoniam digressus, omnes sibi Principes occurrentes habuit, præter Alberti Ursi Marchionis Brandenburgici filios, hereditatem à Bernardo Comite Episcopo Halberstadiensi repetentes; quibus dum bellum intentat, retentus est Principum precibus. Quare ad pacandam Saxoniam Natalitia Christi Aldenburgi inter Saxones egit.

Godefr. Panthal. Chron. Pegav. Histor. Bavar. lib. 22.

Friderici Imp. expeditio in Bohemiam.

Inter hæc mense Augusto Henricus Leo Dux Saxoniæ nostræ non incelebrem Paderbornæ præsulum & procerum habuit conventum cum Evergiso Episcopo nostro. Acta licet antiquitas suppresserit; extant tamen apud nos publicæ Evergisi tabulæ, hujus congressus indicium, quibus præsente Duce præclaram Wernonis de Brach donationem, Gerdensi Virginum Cœnobio factam, ratam habuit. Tanto hæc illustrior fuit, quòd Werno homo pius ac prædives non modò omnia sua hereditaria bona, sed & se ipsum cum Beatrice conjuge Deo in servitium divinum, raro pietatis exemplo, consecratum obtulerit; id cùm Dux ipse & tot præsentes Abbates, Canonici, proceres commendant: tum hæ potissimum Episcopi nostri literæ docebunt.

Werno de Brach se suaque omnia Gerdensi Cœnobio offert, quod Evergisus Ep. comprobat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Evergisus Patherbrunnensis Ecclesiæ Episcopus. Divinis et humanis legibus sancitum est, ut privilegijs Ecclesiarum, quæ contra jus non sunt usurpata, tanta perpetuæ observationis debeatur reverentia, ut nulla hæc malignantium retractare possit diligentia. In his enim non solùm malignandi facultas subtrahitur, verùm etiam series rerum gestarum ad memoriam posteritatis salubri consilio reducitur. Inde est quod ea, quæ juste et rationabiliter agimus, literarum monumentis mancipanda esse censemus, ne processu temporis in oblivionem veniant, et memoriæ meæ negligentiæ crimen impingatur. Ad notitiam itaque tam præsentium quàm futurorum præsenti scripto deducimus, quod quidam Werno de Brach, sicut honestis, sic etiam religiosis parentibus ortus, omne patrimonium suum, omnemque possessionem suam cum omni usufructuario, omnia denique quæ

in

in rebus mobilibus aut immobilibus habebat, videlicet in servis et ancillis, areis, domibus, villis, terris cultis et incultis, viis et inviis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et reditibus, et in reliquis quocunque modo possunt provenire, utilitatibus, Ecclesiæ Dei, et beatissimæ ejus Genitricis Mariæ, et beati Petri Apostoli in Gerdine consensu legitimorum hæredum suorum in nostra præsentia, et in communi conventu populi, sub banno Regis libera traditione ad communes usus Deo inibi servientium donavit. Nomina villarum et domorum hæc sunt. Berniohusen, Rinxstinchusen, Theneshem, Brach munitionem cum omnibus pertinentiis suis, Bist, Luitvvardessen, Walderinchtorp, Hestene, Wiminmitorp, Wernessem. Considerans autem non satis sibi integrum fore, si sua Deo offerret, se ipsum verò subtraheret, juxta illud, si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti, paucis postmodum diebus interpositis se ipsum una cum consorte sua Beatrice tam genere, quàm moribus egregia in eodem Cœnobio vivum holocaustum Deo obtulit, et ut his omnibus supremam manum imponeremus humillimè postulavit. Nos verò fidelis viri piam devotionem benigno favore prosequentes, et pro qualitate meritorum spem æternæ retributionis apud divinam misericordiam exspectantes, prætaxata illa prædia cum mancipiis suis omnibusque appendiciis suis in tuitionem et protectionem nostram recipimus, et pro debito officii nostri Ecclesiastica defensione defendimus, tuemur et conservamus; auctoritate Dei, et beati Petri, et banno Episcopali securitatem et pacem præfato Cœnobio in his prædiis lege in perpetuum valitura confirmamus, perpetuo anathemate innodantes eos, qui hæc dona fidelium, redemptiones animarum, quovis malo ingenio, temerario ausu alienare, aut irritum revocare præsumpserint. Præterea collata sunt quædam ab aliis prædictæ Ecclesiæ: una domus in Nedere, una in Luiboldessen, una in Willehusen, una in Burch, una in Pikilissen; quædam pecunia Ecclesiæ sunt comparata, una domus in Northen, una in Willenhusen, una in Heckeldessen, ibidem decima super novem mansos, una domus in Radolveshem. Hæc itaque bona præmissa et cætera omnia à prima fundatione conquisita, vel imposterum conquirenda, cum omnibus suis privilegiis, huic actioni nostræ includimus, et Ecclesiæ Dei in Gerdine sub divini examinis comminatione in perpetuum confirmamus. Hujus autem rei veritas, ut rata et inconvulsa omni tempore permaneat, hanc cartam inde conscribi et sigilli nostri impressione firmari, et testes subternotari præcepimus, quorum nomina sunt hæc. Cunradus Corbeiensis Abbas, Heinricus Dux Bavariæ et Saxoniæ. Canonici de domo, Sifridus major Præpositus, Bernhardus, Herebertus, Altmannus, Folcbertus, Meinricus, Reinherus. Heinricus Patherbornensis Abbas, Franco Liesbornensis Abbas. Liberi, Folcvvinus et frater ejus, Widekindus de Svvalenberg, Athelbertus Comes de Everstein, Bernhardus de Lippia, Craph et Isseith de Groven. Ministeriales Cunradus Stapel, filii ejus, Manegoldus, Hereman, Rudolf, Widerolt, Andreas, et Conradus frater ejus, Hugo, et Hugo, Lombart, Cunrad et frater ejus, Bertholt, et alii complures. Acta sunt

sunt hac anno Dominica Incarnationis MCLXXIII, Indictione sexta, regnante Friderico Imperatore et semper Augusto, in solemni conventu Principum et multorum nobilium decimo nono Calend. Septembris apud Patherburne feliciter Amen.

Nondum querelæ nostrorum temporum invaluerant, quibus increscentes religiosorum opes insectantur politici; quando Evergisus etiam Bustorfianum Collegium Canonicorum sua liberalitate complexus, hoc anno largam ei donationem fecit; eò quòd à Meinwerco quidem id conditum, & à Bernardo, alijsq; Episcopis auctum, sed pro Sacerdotum Deo quotidie servientium numero tenue adhuc fuerit. Literarum quæ hoc anno MCLXXIII ab Evergiso Episcopo datæ sunt, testes ascribuntur Sifridus Præpositus, Almar Decanus, Ecbertus, Rembertus Præpositus, Uffo, Herbertus, Godescalcus Præpositus, Bernardus, Altmannus, Folbertus, Meinricus, Burchardus, Bezelinus, Ludovicus, Conradus, Reinherus magister, Conradus, Titmarus Præpositus, Godefridus, Alexander, Erpo, Henricus, Lambertus, Canonici, alijque. Tam conspicuum tum fuit Cathedrale Collegium, Sacerdotibus intra communem claustri disciplinam viventibus.

Evergisus Ep. reditus Bustorfiani Collegij auget.

Subtraxit mors hoc anno ex Episcopis Saxoniæ Ludovicum XXIII Monasteriensium antistitem, genere Comitem Teclenburgensem; idquod, præter Chronicon Montis Sereni & Pegaviense, consignavit Godefridus Monachus. Hoc enim, inquit hic, anno pestis omne Teutonicum regnum, Galliasque pervasit, quæ Ludovicum Monasteriensem Episcopum cum alijs sustulit, cui Imperator fratrem Hermannum Comitem de Kazinelenbogen substituit. Auctor Chronici Montis Sereni eum ex choro Herbipolensi traductum refert. Quare magnopere falluntur omnes Monasteriensium codices fastique, qui Godescalcum gente Saxonem interponunt. Ludovicum, etsi per quinquennium tantum præfuerit à morte Friderici, haud leviter commendat Crantzius alijque à magnanimitate; quippe qui Advocatiam, quæ penes Comites Teclenburgicos erat, ac tot annis Episcopis molesta fuerat, certa pecunia redemit à consanguineis comitibus: ita quod Fridericus certis pactionibus jam antè transegerat, Ludovicus perfecit, impetrando à Friderico Cæsare egregium diploma, quo hæc lis tandem dirempta, assertaque ab hoc anno libertas Episcopis. Tabulæ hoc anno datæ, & à Godefrido Cancellario recognitæ sunt. Præclarus Episcopus qui bonum Ecclesiæ habuit ante familiæ.

Obit Ludovicus Ep. Monaster. Godefrid. Chron. Mont. Seren. Chron. Pegav.

Mallinkrotius in Cancellariis.

Annus Christi 1174.

Alexandri III Pont. 15.
Friderici I Reg. 23. Imper. 20.
Evergisi Ep. Pad. 15.

Fridericus I Imp. in Italiam movet, in qua fortiter illi ab Italis resistitur.
Otto à S. Blasio. Godefrid. Arnold. Lubec. Ursberg. Acta Alexand. Sigon.

Sequitur nunc annus MCLXXIV, Ænobardi Cæsaris expeditione in Jtaliam celebris. Hanc in rem Cæsar varios per Germaniam Principum conventus habuit: primùm Aquisgrani pridie Calend. Aprilis; deinde Neomagi, ubi inferioris Rheni Principes & nobiles juramentum expeditionis Jtalicæ dicere jussit. Inde ad Mosellam regressus Cochemij festum Pentecostes egit, celebratoque Wivelinburchi Principum conventu, Ratisbonam festo Joannis Baptistæ venit. Extrema Jmperatoris cura erat cum instructissimo quàm unquam exercitu Jtaliam perdomare: ne bellum hoc, quod tanta gloria ab Ottonibus, D. Henrico, Lothario, ceterisque Imperatoribus gestum, ipse, qui Carolum M. sibi exæquandum sumpserat, affectum magis quàm confectum relinqueret. Jam enim totius Lombardiæ & Italiæ urbes prope conspiraverant, armatæque stabant adversus Imperatorem. Mandatum contrahendi Saxonicum exercitum, educendique, Henrico Leoni datum.

Igitur exeunte Junio, postquam Ratisbonæ exercitus ex omnibus Imperij provincijs convenerat, processum in Longobardiam; transcensisque Alpibus, civitates quædam in deditionem acceptæ, castraque Alexandriæ admota; ad quem tota fere hyeme hæsit Jmperator, donec ingenti clade suorum obsidionem solvere, & transmisso Pado, Papiam confugere coactus est. Is verò cùm undique inclusus obsesso similis teneretur, destinatis in urbem legatis, reconciliationem cum Pontifice se petere ostendit. Missi in hanc rem tres Cardinales, viri sapientissimi, Ostiensis, Portuensis, & D. Petri ad vincula. Actum de pace, sed incassum; quòd Cæsar ea exigeret, quæ nulli hactenus concessa erant: satisque apparebat hæc simulatè agi, dum auxilia ex Germania accederent.

Annus Christi 1175.

Alexandri III Pont. 16.
Friderici I. Reg. 24. Imper. 21.
Evergisi Ep. Pad. 16.

Dodechin. Ursberg. Otto à S. Blasio. Sigonius. Arnoldus Lubec. Albert. Stad.
Henricus Leo in belli cum Imperat. societatem venire detrectat.

Multum per hæc, quemadmodum Ursbergensis & ceteri scribunt, obturbavit Imperatorem Henricus Leo Dux Saxoniæ nostræ; postulatus enim ab Imperatore in societatem belli, non accessit, quòd obtenderet ætatem laboribus fractam; aurum interim argentumque ad belli expensas largè obtulit. Alij præterea religione deterritum verius tradunt detrectasse cum Imperatore, diris à Pontifice devoto, impium bellum gerere. Quarè cùm infimis precibus adduci non posset, ipse Imperator Ducem adijt, multis exponendo sanguinis propinquitatem, fidam hactenus operam sibi præstitam in omni bello, beneficia, quibus à se exornatus esset, plura etiam pollicendo, & nunc minis, nunc obsecrationibus versando animum Ducis; quibus cùm nihil

impetra-

impetraret, ad pedes supplicis ritu procumbit, belli hujus extremi operam rogando. His Dux commotus, Imperatorem manu è terra levat, quod Arnoldus Lubecensis Abbas Ducis in aula fidus minister refert; quanquam id alij ab Imperatrice factum velint, dixisseq;: surge, sed memor esto hujus casus. Dux interim immota mente belli operam detrectavit, & regressus in Bavariam, Monachium præmunire cœpit. Hæc prima offensio, & implacabilis Ænobardi ira, quæ Ducem post omni fortuna exuit, inflammante Philippo Coloniensi Archiepiscopo iratum animum, quod cum Duce veteres inimicitias gereret. Atq; hæc ad Lacum Cumanum acta esse in Italia scribunt plerique, secus quàm Crantzius & Butingus, qui in Germaniæ comitijs id factum opinantur. Leo certè cum Imperatore & copijs suis Saxonicis in Italiam progressus.

Bangert. in not. ad Arnold. Lubec. lib. 3 c. 15. Histor. Thuring. Chron. Lubec. Albert. Stad. Histor. Bavar.

Cæsar destitutus ope Leonis, remissius agere necesse habuit. Interim suprema belli administratio penes duos Archiepiscopos fuit, Christianum Moguntinum, gente Thuringum, & Philippum Coloniensem Heinsbergæ Comitem; uterq; ex sago militari magis Principem, quàm ex toga Episcopum egit, pravo ejus ætatis exemplo; sed quos ideo Friderico Imperator Archiepiscopos fecerat, ut pro ingenio suo armis indueret, longè Carolo M. ceterisq; pijs Imperatoribus dissimilis; qui Episcopos tantùm ad sacrorum ministeria castra sequi voluêre. Et Moguntinus per id tempus armis per Italiam grassatus, Medicinæ castrum, aliaq; loca, cæsis Bononiensibus, expugnavit. Fertur is Archiepiscopus, dissoluta militiæ & cleri disciplina, habuisse ccc milites, eosdemque Monachos & Apostatas Sacerdotes, ac totidem fere Moniales; à quibus, parta contra Bononienses victoria, sacrificium Missæ, alternis cantantium choris, inchoatum in honorem Thebæorum martyrum. Ipse præterea ferreo thorace & galea indutus, trinodemque clavam manu gestans, visus est hostibus obvijs excussisse dentes, & in terram prostravisse; siquidem hæc vera sunt, quemadmodum ab Arnoldo Lubecensi & Alberto Stadensi, ex unius Notarij narratione, qui hæc coram inspectarit, referuntur.

Christianus Archiep. Mogunt. Cæsaris castra secutus melior miles quàm Episcopus.

Hoc anno Cœnobium Virginum Ozede in diœcesi Osnabrugensi, quod Ludolphus, nobilis prædives in Ozede, Bernardi superioris Episcopi nostri aut frater, aut nepos, ac postremus stirpis suæ, condiderat, à Philippo Osnabrugensi Episcopo stabilitum, auctumque bonis. Quâ super re tabulæ proferuntur, Nonis Februarij consignatæ, approbatæque à Landfrido Præposito, Arnaldo Decano, ac ceteris ejus Collegij Canonicis; impetratumq; à Simone Teclenburgensi Comite, ut castrum Ozede, quod clientelare erat, converteret in domicilium sacrarum Virginum. Mox & Alheidis, Comitis filia, se Deo inter sacras Virgines consecrandam obtulit. Nec multum ab his superstes Philippus Episcopus per hæc tempora obijsse traditur, Comite Catze-

Moritur Philippus Ep. Osnabrug. qui Cœnobium Ozede, à Ludolpho nobili in Ozede constructum, stabilivit.

Ertvvinus. nelenbogico natus, clarâ Episcopus familiâ, è qua Hermannum quoque Monasteriensem superiori anno delectum diximus. Gessit Philippus Episcopatum per 30 annos præclara cum laude, à quo & Cœnobium Quernheimense Virginum dotatum institutumque, & castrum Holtiorum nobilium, diœcesin prædis infestantium, post septennalem obsidionem eversum. Nec tamen ea familia Holtiorum extincta, ex qua postea prodiere præsules infula Monasteriensis & Coloniensis Ecclesiæ clari. Successit Philippo Arnoldus ex Canonico Coloniensi provectus ad Decani illius Ecclesiæ dignitatem. Cæsarem is postea in Italiam secutus; nam in historia Ravennatensi à Rubeo testis introducitur literarum, Idibus Maji altero abhinc anno consignatarum.

Annus Christi 1176.

Alexandri III. Pont. 17.
Friderici I. Reg. 25. Imper. 22.
Evergisi Ep. Pad. 17.

Godefr. Monach. Brovv. lib. 14. Acta Alexandri. Imperator in Lombardia cæditur.

Philippus Coloniensis Archiepiscopus hoc anno, quem ingredimur MCLXXVI, novas copias ex Westfalia adduxit in Italiam, quocum & Arnoldus Trevirensium Archiepiscopus, Hermannus Monasteriensis Episcopus, alijque Principes accessêre. Exercitus hic omnibus rebus instructissimus, mense Majo Alpes superavit, ac Cumis substitit. Quo cognito, Imperator Papiam advolat, copiasq; suas Coloniensi Archiepiscopo jungit. Nec Mediolanenses, Bononienses, ceteriq; Longobardi segniores, cum exercitu procedunt obviam, aut vincere, aut mori certi. Quæ cùm per exploratores nunciarentur, suasum Imperatori, cederet ad tempus furenti multitudini; ille cùm indignum diceret Imperatoris majestate hosti terga dare, processit in hostem. Pugnatum 3 Calend Junij ab hora diei tertia ad nonam. Inclinata tandem Germanorum acies, dum Imperator militis magis, quàm Ducis partes perfunctus, suffosso equo effunditur in terram. Mox quia sparsa fama, Imperatorem occubuisse, totus exercitus in fugam solutus, & fœda strage cœsus est. Imperator inter cœsorum cadavera quæsitus, & quatriduum ab Imperatrice lugubri veste deploratus incolumis tandem Papiam advolat. Hæc illa clades, quæ diuturni tandem belli finem attulit. Rebus in hunc modum prope desperatis, evocatur Moguntinus Archiepiscopus è Bononiensi bello ad consilia. Aderant simul Philippus Coloniensis, & Wigmannus Magdenburgensis Archiepiscopus, supremi bellorum, & consiliorum arbitri. Hi quum viderent robur militiæ obtritum, ærarium exhaustum, dubiam ceterorum fidem, atque omnia adversa incurrere ex bello, quod execrati gererent contra Apostolicam Sedem, Cæsaris tandem animum ad reconciliationem cum Pontifice pacemque Italiæ inflexere. Missi igitur Moguntinus

guntinus & Magdenburgensis Archiepiscopi Anagniam ad Alexandrum Pontificem; ac postquam Legatis data est securitas ultro citroq; commeandi, Ferrariæ primò conventum est: ubi plenus constituendæ pacis locus delectæ sunt Venetiæ. Ita ad inducias, & quietem armorum primò deventum est.

Annus Christi 1177.

Alexandri III Pont. 18.
Friderici I Reg. 26. Imper. 23.
Evergisi Ep. Pad. 18.

Anno igitur proximo MCLXXVII, ad tam exspectatæ pacis negotium conficiendum, ipse Alexander Pontifex, & Fridericus Jmperator Venetijs convenêre, ille classe tredecim Sicularum navium vectus, hic Ravenna digressus Clodiam. Ac postquam pax certis legibus, ut à Sigonio alijsq; refertur, constituta est; Cæsar 10 Calend. Sextil. Venetias ingressus, postridie, abjurato schismate, promissaque Alexandro obedientia, per submissos Cardinales Ecclesiæ est reconciliatus. Exinde progressus ad Basilicam D. Marci, ubi ante fores præstolabatur venientem Pontifex, deposita chlamide, humi fixus, deosculatus est pedes Pontificis: tum apprehensa dextera deductus in chorum, precanti ad aram Pontifici caput submisit. Rursum 8 Calendas Sextiles adfuit Pontifici, solemne sacrificium missæ peragenti, pedesque deosculatus, aurum consueto ritu obtulit. Sacris peractis, Pontificem deduxit, & equum ascensuro stapedem tenuit, deducturus ad mare, ni Pontifex inhibuisset. Quemadmodum hæc Romualdus, Salernitanus Archiepiscopus, & auctor rerum ab Alexandro gestarum, alijque, qui præsentes fuêre, testantur.

Imperator cum Pontifice reconciliatus, à Schismate recedit.

Quapropter nostrorum heterodoxorum commentum est, Jmperatorem Barbarossam, dum Pontificis pedes oxoscularetur, dixisse: *Non tibi, sed Petro.* Ad quæ Pontifex responderit: *Et mihi et Petro; atq; inde, proculcato collo Imperatoris, dixisse, super aspidem et Basilicum ambulabis, et conculcabis Leonem et Draconem.* Nihil hac super re tot Scriptores eorum temporum, neque ex Germanis & Schismaticis quisquam id prodidit, qui tamen Episcoporum nostrorum vitam non siluerunt. Sanè auctor Chronici Montis Sereni, cùm Pontifex moram faceret in sublevando Jmperatore, ad pedes Pontificis prostrato, Theodoricus Marchio Orientalis Saxoniæ, imperialis, inquit, dignitas se eo dimittit; quo intellecto per interpretem, Pontifex mox Jmperatorem erexit ad osculum. Nihil ille ultra; non taciturus alioquin tam grandem in proculcato Cæsare fastum. Serò tandem tempore Lutheri hæc fabula in odium Pontificis conficta; satisque eam exploserunt Baronius, Gretzerus, alijque Scriptores.

Baronius ad hunc annum. Gretzerus Comment. de donation. Imperii tom. 3. de Cruce.

Ipsis deinde Calend. Augusti juravêre pacem Christianus Moguntinus

guntinus & Philippus Coloniensis, Archiepiscopi; quos ordine consecuti sunt Trevirensis, Magdenburgensis, Petaviensis, Wormatiensis, ceterique antistites. Moguntinus & Coloniensis, quòd consecrati essent à Catholicis Episcopis, permissi suo muneri: ceteri, qui vel à Pseudopontificibus, vel à Schismaticis consecrati fuerant, jussi sunt abstinere; Pallijs interim novis, veteribusque donati ab Alexandro Moguntinus & Coloniensis. Ad hunc modum schisma, quod per XVIII annos fœdè laceràrat Ecclesiam, incredibili totius Germaniæ & Europæ lætitia, sublatum est. Cæsar Venetijs reversus, Natalem Domini transegit Papiæ in regia Longobardorum urbe.

Turbæ in Saxonia. *Arnold. Lubec. lib. 2. c. 17. Otto de S. Blasio.*

Verùm extincto bello publico Ecclesiæ incruduit hoc anno bellum civile in utraque Saxonia. In Orientali belli initium fecit Ulricus Halberstadiensis Episcopus; is cùm Henrici Leonis studio superioribus annis ab Episcopatu depulsus esset, obtruso Gerone schismatico Episcopo; ut cognovit se ex pacis decreto, & Apostolica auctoritate restitutum esse, hortatore Wigmanno Magdenburgensi Archiepiscopo, arma corripit. Junxêre se illi plerique Orientales Principes, Leoni jam antè offensi, quorum viribus adjutus, Geronem è Sede & urbe ejecit; omnibusque, qui à Gerone schismatico Episcopo consecrati ferant, sacris muneribus interdixit: castrum præterea Horneburg præmunire cœpit. Quo cognito Leo post extortam deditionem ex Sclavia advolat; *bella*, inquiens ad suos, *video, bella mihi parantur*; & per celeritatem munitionis opus revellit. Id cùm Ulric⁹ reficeret, redit cum exercitu; sed ab Episcopo & Principibus cum ingenti suorum clade in fugam compulsus est; amisso etiam Henrico Holsatiæ tutore, militum fortissimo.

Et in Westfalia.

Westfalia per hæc in duas factiones scissa. Harum altera Duce Friderico Altenano, & Hermanno Comite Ravensbergico, pro Coloniensi Archiepiscopo, in Italia adhuc hærente, arma induerat: altera sub auspicijs Bernardi Comitis de Lippia, & Adolphi Comitis Schawenburgici, pro Henrico Leone conspiraverat adversus Coloniensis factionem. Hermannus Monasteriensis Episcopus, ex Italia reversus, reperit diœcesin suam spolijs & incursionibus vastatam. Quare & ipse cum Simone Teclenburgensi Comite, ex Jtalia reduce, se armavit; utri verò parti accesserint, Gobelinus, qui hæc narrat, siluit. Satis tamen constat eum Coloniensi ac Metropolitano suo hæsisse. Interim Bernardus de Lippia montem haud procul Bilfeldia, quem à Leonis signo turri imposito Lewenburgum dixêre, præmunit, ex eoq; castro totam Westfaliã infestat. Monasteriensis Ahusium & Diepenam castra subvertit; fortè quòd in his arcib⁹ reperiret nobiles è factione Leonis.

Evergisus per hæc Episcopus noster, extra omnes belli & conspirationis fluctus se domi continebat in quiete, & sacrorum procuratione. Senio præterea se ad extrema vitæ urgeri sensit; quare multò salubriori

salubriori consilio, quidquid collegerat, in res sacras & religiosorum donationes expendit; ut eorum precibus adjutus, felicem vitæ sibi exitum pararet. Quam in rem è ceteris has supremas ejus donationum tabulas sacris Gerdensibus Virginibus factas proferimus.

Evergisus Ep. decimis quibusdam attributis Cœnobio Gerdensi benefacit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Evergisus Dei gratia Patherburnensis Ecclesiæ Episcopus. Gratum Deo & acceptum munus offerri scimus elemosinam, quæ Christiano cuilibet indigenti voluntate larga tribuitur; sed multo majoris meriti & retributionis illam credimus, quæ impenditur his, qui voluntarie se propter Deum abdicaverunt paupertati, & Domino diu noctuq; servituros mancipaverunt. Hæc attendentes sanctarum Virginum paupertati, quæ in Gerdine Deo deserviunt, consolationis alicujus remedio subvenire decrevimus. Decimas itaque tres Ecclesiæ prænominati loci, consecratæ in honore sanctæ Dei Genitricis, beatiq; Petri Apostolorum Principis, contulimus, quarum prima in Valhusen, Wernerus de Brach in beneficio tenuit à Domino Volquino & fratre ejus Widekind de Suualenberg, & ipsis eam resignavit, ipsi vero etiam mihi resignaverunt, & in recompensationem à prædicta Ecclesiæ provisore Basilio duodecim marcas examinati argenti acceperunt. Item tres fratres Hugo, Geroldus & Gerhardus acceptis à jam dicto Basilio decem & octo marcis decimam in Osterhusen mihi resignaverunt, & ego prædictæ jam Ecclesiæ contuli. Item Domino Andreæ & fratri ipsius Conrado de rebus Ecclesiæ datæ sunt quinque marcæ, ut decimam in Hekeldessen Domino Bernardo de Lippia resignarent, quo facto ipse mihi eam resignavit, & ego eam Ecclesiæ sæpedictæ contuli. Anno itaque Incarnationis Domini MCLXXVII, Indictione decima, paginam hanc, quæ prædicta sunt, continentem conscribi, & sigilli nostri impressione muniri fecimus, tam clero quam laicis consentientibus, & comprobantibus quæ facta fuerant, quorum nomina sunt hæc. Canonici Patherburnenses Sifridus Præpositus, Godescalcus, Bernhardus Præpositus, Altmannus, Volbertus, Meinricus, Reinherus, Heinricus, Lambertus, Hugo. Homines liberi Widekindus de Suualenberg senior, & Widekindus junior, Bernhardus de Lippia, Gerlagus de Itere, Thietmarus de Bueren. Ministeriales Hartmannus de Ilesen, Conradus Staplo, et filii ejus Conradus & Thiemo, Andreas de Ethelen, Conradus frater ejus, Hermannus de Brach, Albertus de Rikersuuich, Helmvicus de Helmere & Lentfridus frater ejus, aliique quam plures.

Annus Christi 1178.

Alexandri III Pont. 19.
Friderici I. Reg. 27. Imper. 24.
Evergisi Ep. Pad. 19.

Philippus Archiep. Colon. Westfaliam Saxoniamq; bello persequitur.

Inter hos Saxoniæ motus Cæsar non ante Augustum mensem in Germaniam redijt, ex una tempestate fluctuum relictus in aliam. Ardebat enim tota Saxonia intestinis dissidijs & bellis adversus Leonem. Acerrimus ex his Leonis hostibus Philippus Coloniensis Archiepiscopus; is, ut prioris anni vastationes, Bernardo Comiti Lippiensi ceterisque ejus factionis illatas, ulcisceretur (ut Arnoldus Lubecensis scribit) egressus de finibus suis, pervagatusque terram, omnia spolijs & incendijs vastavit: & postquam Qnernhameliam ad Visurgim delatus, constitit, neque ultra progressus est. Gobelinus noster & Crantzius ea incursione Huxtariam exussisse perhibent, atque inde secundum Visurgis ripam Hameliam descendisse, nec Visurgim transîsse. Auget hæc Godefridus, & transito Visurgi, refert castella quædam, Duce nullo obsistente, expugnata esse. Huxtariæ incendium, quod postea sarcijt Coloniensis immunitate telonij, quod Novesij habebat (ut constabit ex Corbeiensium literis ad annum MCLXXX recitandis,

Godefridus. Otto à S. Blasio. Robertus de Monte. Arnold. Lubec. Chron. Mont. Ser. Gobel. æt. 6. c. 60.

citandis) nullo suo imperio, sed militum insolentia accidisse doluit; ut hæc nimium exaggerarit Buntingus in historia sua, calumniando, lupi & prædonis vocibus Coloniensem prosecutus; quemadmodum pronum est hæreticis Scriptoribus criminari Episcopos. Fallitur que, quòd hoc anno Leonem secundo prælio se ultum scribat. Leo enim, cùm non ignoraret qualem in Cæsare hostem habiturus esset, ab armis sibi adhuc temperabat. At Cæsar postquam xv Augusti Vesontione in Burgundia senatum procerum habuerat, jusque populo dixerat, Spiram perrexit: ubi Henricus Leo occurrit Cæsari, questus de acceptis à Coloniensi injurijs. Audijt quidem has querelas Cæsar; sed fronte adeo nubila, ut facilè intelligeret, qualem pro se judicem compellasset. Dissimulata verò in præsens ira, Cæsar utrique diem dixit Wormatiæ, ad quam in conventu Principum Idibus Januarij convenirent, & causam dicerent; nam præter superbum dominatum ex patrui nomine & indole hereditarium, inexplebilemque cupiditatem bonorum, multæ adversus Leonem publicæ querelæ, & accusationes Principum intendebantur: violari ab eo jura Principum & Episcoporum: rapi aliorum possessiones: alios ab eo Episcopos exturbari sedibus suis, alios cogi ad fidem jurandam: bona hereditaria Comitis Wincenburgici, & Ottonis Asloënsis consanguinei per vim attrahi: anno superiori Westfaliam per Bernardum de Lippia, Ducem militiæ suæ, turbatam prædatorijs incursionibus, vexatam spolijs, laceratam factione procerum & nobilium. His ac similibus, quæ invidia multum accenderat, incusabatur, tanquam regium dominatum, ipsi etiam Cæsari metuendum, affectaret.

Henricus Leo à Cæsare ad causam dicendam postulatur.

Hac perturbatione Saxoniæ moritur Evergisus Episcopus noster, IV Calend. Octobris, qui dies notatus est in necrologio Gerdensi, Willebacensi, Herisiensi, & Bustorfiano, ob largas donationes, & beneficia Cœnobijs illis præstita. Quare & annua grataque in sacrificijs publicis ac precibus memoria apud sacras Virgines illas fuit. Annus præterea mortis hic MCLXXVIII consignatus à Gobelino nostro; falluntur que Bruschius & Kersenbrochius, qui anno superiori obijsse volunt. Præsul fuit ob modestiam, religionis studium, conservatam cleri intra claustrum disciplinam, & vitæ integritatem, priscis atque optimis Episcopis accensendus; quem ob id Deus ex his turbulentis temporibus ad cælestis vitæ quietem evocasse videri potest.

Obitus Evergisi Ep. Pad. & Evermodi Ep. Raceb.
Gobel. ætat. 6. c. 60.

Quo simul anno obijt Evermodus, sanctissimus Raceburgensis Episcopus, in vita & post obitum miraculis clarus; quemadmodum res ab eo præclarè gestas in Sclavia descripsit Arnoldus Lubecensis Abbas. Dispari fama excessit Balduinus Bremensis Archiepiscopus, homo Schismaticus, & parum utilis Ecclesiæ suæ.

Arnoldus Lubecens. Historia Brem.

SIFRI-

SIFRIDUS XVIII,

EPISCOPUS PADERBORN.

AB excessu Evergisi haud multum vacua Paderbornensis Episcopi sedes. Huic enim, maturantibus Canonicis electionem, *successit Sifridus*, inquit Gobelinus, *majoris Ecclesiæ Præpositus. Et præfuit Ecclesiæ Paderfontanæ annis novem, mensibus IV:* qui tamen non nisi septem fuere, ut ceteri fatentur, & nos ordine exponemus. Virum hunc ætate maturum, moribus gravem, & multos annos versatum, probatumque in clero hujus Cathedralis Ecclesiæ, testantur tot literæ Bernardi Episcopi, in quibus inter Canonicos testis; & Evergisi Episcopi, quibus majoris Ecclesiæ Præpositus memoratur, cum Almaro Decano. Familia interim, ex qua ortus, incerta, nec in annalium memoria prodita; nisi quod tres rosas, quæ Arensbergiorum, aliorumque Comitum, ac nobilium fuere insignia, Kersenbrochius ex scuto ejus gentilitio producat.

Evergiso Ep. succedit Sifridus Ecclesiæ Paderb. Præpositus.

Annus Christi 1179.

Alexandri III Pont. 20.
Friderici I Reg. 28. Imper. 25.
Sifridi Ep. Pad 1.

Incidit Episcopatus ejus in difficillima & conturbata Saxoniæ tempora, quæ Episcopos Saxoniæ ex dissidio belloque adversus Henricum Leonem implicuere. Imperator postquam Herbipoli Natalitia Christi peregerat, Wormatiam concessit ad conventum Principum, qui per octavam Epiphaniæ indictus erat, ad dissidentes inter se Coloniensem Archiepiscopum & Henricum Leonem componendos. Et cùm omnes Principes Imperatorem sollicitarent, ut jus diceret, multique accusationibus adversus Leonem implerent aures Imperatoris; Leo non minus Imperatori, quàm causæ suæ diffisus, vadimonium deseruit. Quo haud leviter offensi Principes; quòd Cæsaris & Comitiorum auctoritatem spretam dicerent. Cæsar ne quid præcipitaret, Magdenburgi comitia indicit, ad quæ Leo postulatus; cùm nec istic se sisteret, omnium Principum iras in se accendit; adeo ut Theodoricus Lusatiæ Marchio duellum illi offerret, tam certus

Godefrid. Arnold. Lubec. Chron. Mont. Seren. Gobelin. Chron. Colon. Chron. M. Belg.

Henricus Leo, cùm sæpius citatus non comparet, ut hostis Imperij condemnatur.

accusationis suæ, à Leone Sclavos in Lusatiam excitos; at cùm Leo indecorum sibi reputaret, cum impari congredi, petijt per amicos copiam Cæsaris privatim conveniendi; qua impetrata, Cæsar Haldeslebiæ eam fecit; quo in congressu tam exquisitè reddita factorum suorum ratione detinuit Cæsarem, ut quinque marcarum millibus contentus esset; eam si fisco inferret mulctam, absolvendum; id cùm negaret, obtenderetque graviorem esse, quàm ut solvendo sit, re infecta discessit; nescius tempori cedere, & modica jactura magna rerum momenta lucrati. Rursus igitur prorogato judicio jussus est tertium se Goslariæ sistere in conventu Principum, ad dicendam causam, & cùm illuc quoque aspernaretur accedere, judicio Principum proscriptus est, decretaque in eum tanquam contumacem, & publicum Reipublicæ hostem expeditio, quam primus sumpsit Philippus Coloniensis Archiepiscopus.

> Movet in illum Philippus Archiep. Colon.

Is omnes Ecclesiæ suæ clientes, vicinos Duces ac Comites excivit ad arma. Accessere Godefridus Dux Brabantiæ, Philippus Flandriæ, Otto Gelriæ, Theodoricus Cliviæ, Wilhelmus Juliæ, Gerhardus Aræ, Henricus Seinæ, Engelbertus Montium, Everhardus Altenæ, Simon Teclenburgi Comites; quorum alij submissis copijs, alij sui militis ductores assectati Archiepiscopum, proscripti Ducis terram intravêre, prædis, incendijs, & cædibus infesti. Multa etiam sacrilegè perpetrata refert Arnoldus Lubecensis, exustas Ecclesias, eversa Cœnobia, raptas ad libidinem Sanctimoniales. Hæc dum per Westfaliã agerentur, Udalric⁹ Halberstadiensis Episcopus per omnes Ducis regiones sacrorum usum interdicit, Ducemq; anathematis sententia percutit; at ille, qua erat religione in Deum, ad Episcopi pedes provolutus, reddita factorum suorum ratione, à vinculo anathematis absolvitur. Interim Wigmann⁹ Magdenburgensis Archiepiscopus, haud secus quàm Coloniensis, ope Principum Orientalis Saxoniæ Ducis castra oppugnat. Ipse Dux conversis in Hassiam armis Ludovicum Hassiæ Landgravium, Bernardum Ducem, & Hermannum Palatinum, Widekindum Waldecensem Comites prælio superat, captosque cum 400 millibus abducit: Bernardus Dux fuga elapsus: direptum Northusium & Mulhusium, ceteraque circum oppida. Cognita verò irruptione in Westfaliam facta, mittit Dux bellicosos Comites, Adolphum Schawenburgicum, Guncelinum Suerinensem, Bernardum Raceburgicum, Bernardum Welpensem, Ludolphum & Wilbrandum Halremundios fratres, Widekindum Dynastam de Rhede ad Amasin, copijs validis instructos. Horum Dux à Leone præstitutus erat Bernardus de Lippia, militum fortissimus. Jam Coloniensis Archiepiscopus, accepto fidei Sacramento, à Westfaliæ Ducatu recesserat ad Rhenum, relicto Simone Teclenburgico Comite, Hermanno Ravensbergico, Widekindo Sualenbergensi cum Henrico Comitis Arensbergensis filio,

> Episcop⁹ Halberstad. Ducem à communione fidelium segregat. Archiep. Magdenb. Ducis terras hostiliter invadit.

> Comes Lippiensis confligit cum Teclen-

filio, ad tutandam Westfaliam adversus Ducis conatum. At postquam Bernardus de Lippia, ceterique Ducis præfecti didicere Archiepiscopum, Westfaliæ securum, cum parte exercitus recessisse; movêre in Simonem Teclenburgicum, ceterosq; ab eo ad tutelam Westfaliæ relictos. Nec segnius illi copias contrahunt; concursumque ab utroque exercitu ad Haresfeldiam haud procul Osnabrugo. Pugnatum acerrimè: victi ad extremum Westfali: captus Teclenburgicus, & catenis vinctus, ad Leonem protractus. Is quia post in fidem Ducis se dedit, desertis turpiter sociorum armis, mox vinculis absolutus est; contra Schawenburgicus, quod capti à se milites reposcerentur, à Duce defecit, eòque tota Transalbiana regione ejectus est. Lippiensis hac victoria insolens, omnia circa Susatum vastat, ac festo Apostolorum Simonis ac Judæ Medebecam Oppidum in cineres vertit; plura illaturus damna, nisi à Leone cum Widekindo Rhedano in Orientalem Saxoniam evocatus fuisset. burgico, ceterisq; Westfalis, cosque devincit.

Jam cui ea par malorum facies ex conspiratione Principum adversus Leonem? quam magnopere deplorat Lubecensis Abbas, ab Episcopis cœptam inflammatamque. Dux horum Wigmannus Magdenburgensis Archiepiscopus, cujus auctoritati subnixi Principes ceteri. Et quia Udalricus Halberstadiensis, licet paulò ante reconciliatus duci, arma resumpserat, aususque rursum erat Halberstadio & Horneburgo infesto milite excurrere, provincias Ducis villasque exurere, captivos abducere; Ducis præfecti copijs Halberstadium intercipiunt, & clausa urbe cives & Episcopum cum præsidiario milite in potestatem accipiunt. Cives ex ira Ducis veriti incendium, in omnibus ædibus extinxere ignem; quem dum miles quidam occultatum reperit, casæ injicit; quo tamen longius serpente, tota urbs deflagravit. Fatali hoc incendio Basilica D. Stephani, ac templa omnia cum Cœnobijs in vivum bustum consedêre. Flammis simul absumpti tres Canonici Cathedralis Collegij Sacerdotes, ac studiosi literarum complures, cives ac fœminæ plus quam mille. Episcopus ægre flammis ereptus, cum multis civibus captivus abducitur, redditusque libertati haud multò post senex extinguitur. Per hæc tamen arcta obsidione premebat Haldeslebiam, Ducis Oppidum, medias inter paludes natura loci triplicique vallo ac muro præmunitum. Admotæ omnis generis machinæ artesque militum, qui adstrictis ad calceos ferreis uncis, facta per glaciem impressione sæpius impugnavêre; omnia tamen in cassum erant, castrum acerrimè propugnante Bernardo Comite nostro Lippiensi. Halberstadium captum & exustum. Haldeslebia obsidetur.

Annus Christi 1180.

Alexandri III. Pont. 21.

Godefrid. Arnold. Lubec. Chron. Mont. Seren. Brovver. lib 4. Antiq. Fuld. Crantz.

Verterat interim annus MCLXXX, quo Imperator post celebratum Herbipoli Natalem Christi Diem, conventum Principum festo Epiphaniæ agebat; sub quod tempus accessêre duo Cardinales ab Alexandro Pontifice missi ad Imperatorem rogatum, vellet mitius agere cum Henrico Duce Saxoniæ. Eadem Angliæ & Franciæ Regum Legati postulabant; quibus responsum ab Imperatore, ducem toties postulatum eâdem semper pertinaciâ aspernari judicium Principum ac Cæsaris, ferociusque in præsens agere; quàm imperij majestas ferre possit; ne tamen querelæ cuipiam locus esset, indicturum se Geilhusij Principum comitia. Ea medio Quadragesimæ frequentiâ Episcoporum ceterorumque Principum celeberrima fuere. Tum verò, quia postulatus Dux rursum pervicax comitia aspernatur, extrema sententia à Cæsare & Principibus pronunciata, & laceratio provinciarum facta est; cessitque Philippo Coloniensi Westfalia & Angaria, dono simul & pretio; quòd in vetustis chartis repertum numerasse Philippum Coloniensem Archiepiscopum 50000 marcarum puri argenti. Ducatus Saxoniæ Bernardo Anhaltino, Bavariæ Ottoni Wittelsbachio, ob egregia in Imperatorem merita, datus. Inde nunc ab Ottone Wittelsbachio conditore nova stirps Bojorum Ducum deducta ad hunc diem; uti à Bernardo Lawenburgicorum Ducum: & quia cum eo simul titulus Ducis Westfaliæ & Angariæ communicatus à Friderico Imperatore, posteri ejus stirpis hunc etiamnum præferunt. Sigefrido Bremensi Archiepiscopo, Bernardi Anhaltini Ducis fratri, Stada & comitatus Stadensis redditus. Ad hunc modum omnia, quæ dux clientelari beneficio Cæsarum tenebat, impertita alijs; quod equi Westfalici ab Imperatore dilacerati schemate repræsentant passim nostrates, fide magis vulgari quàm certa.

Henrico Leoni pertinaci provinciæ ablatæ dantur alijs.

Ducatus Westfaliæ & Angariæ cedit Archiep. Colon.

Nos modò certiora proferamus ex imperatorio diplomate, quo Ducatus Westfaliæ & Angariæ Coloniensi datus, aureoque sigillo consignatus fuit; ex eo enim cùm præsentes Episcopi ac Principes in hoc conventu, & delicta ducis, ob quæ Provincijs exutus est, & ampla Episcopi Paderbornensis jurisdictio sacra, ceteraque plenius cognoscantur, juvat hoc loco producere.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam humana labilis est memoria, et turbæ rerum non sufficit; prædecessorum ætatis nostræ Divorum Imperatorum et Regum decrevit auctoritas literis annotare, quæ fluentium temporum antiquitas à notitia hominum consuevit alienare. Proinde tam præsentium quam et futurorum imperij fidelium noverit universitas, qualiter Henricus quondam Dux Bavariæ et Westfaliæ, eo quod Ecclesiarum Dei et nobilium imperii libertatem possessiones eorum occupando, et jura eorum imminuendo

minuendo graviter oppresserit, ex instanti Principum querimonia et nobilium plurimorum, quia citatione vocatus majestati nostræ præsentari contempserit, et pro hac contumacia Principum, et suæ conditionis Suevorum proscriptionis nostræ inciderit sententiam, deinde quoniam in Ecclesias Dei et Principum, et nobilium jure et libertate grassari non destiterit, tam pro illorum injuria, quam pro multiplici contemptu nobis exhibito, ac præcipuè pro evidenti reatu majestatis sub feudali jure legitimo trino edicto ad nostram citatus audientiam, eo quod se absentasset, nec aliquem pro se misisset Responsalem, contumax judicatus est. ac proinde tam Ducatus Bavariæ, quam Westphaliæ, et Angariæ quam etiam universa, quæ ab imperio tenuerit beneficia, per unanimem Principum sententiam in solemni curia Wirziburg celebrata, et abjudicata sunt, nostroque juri addicta et potestati. Nos itaque habita cum Principibus deliberatione, communi ipsorum consilio ducatum, qui dicitur Westphaliæ et Angariæ in duo divisimus, et consideratione meritorum, quibus dilectus Princeps noster Philippus Coloniensis Archiepiscopus ob honorem Imperialis coronæ promovendæ et manutenendæ, nec rerum dispendia, nec personæ formidans pericula, gratiæ imperialis promeruit privilegium, unam partem, eam videlicet, quæ in Episcopatum Coloniensem, et per totum Episcopatum Patherburnensem prætendebatur, cum omni jure et jurisdictione, videlicet cum comitatibus, cum Advocatiis, cum conductibus, cum mansis, cum curtibus, cum beneficiis, cum ministerialibus, cum mancipiis, et cum omnibus ad eundem Ducatum pertinentibus Ecclesiæ Coloniensi legitimo donationis titulo imperatoria liberalitate contulimus, et requisita à Principibus sententia, an id fieri liceret, adjudicata et communi Principum et totius curiæ assensu approbata, accedente quoque publico consensu dilecti consanguinei nostri Ducis Bernhardi, cui reliquam partem ducatus concessimus, præmemoratum Archiepiscopum Philippum portione illa Ducatus suæ collata Ecclesiæ vexillo imperiali solenniter investimus. Hanc igitur legitimam nostræ majestatis donationem, et investituram Coloniensi Ecclesiæ, et sæpedicto Principi nostro Philippo Archiepiscopo, omnibusque suis Successoribus confirmamus, et in omne posteritatis ævuum eis ratam permanere volentes, ne quis eam ausa temerario infringere, vel quolibet modo violare attemptaverit, imperiali edicto inhibemus, et hanc nostram constitutionem præsenti privilegio aurea excellentiæ nostræ bulla insignito corroboramus, authentice testibus annotatis, qui huic facto interfuerunt; Sunt autem hi Arnoldus Trevirensis Archiepiscopus, Wigmannus Magdenburgensis Archiepiscopus, Sifridus Bremensis Electus, Conradus Wormatiensis Episcopus, Rudolphus Leodiensis Episcopus, Bertramus Metensis Episcopus, Arnoldus Osnaburgensis Episcopus, Conradus Abbas Fuldensis, Adolphus Abbas Hersfeldensis, Lotharius Præpositus Bunnensis, Ludovicus Palatinus Saxoniæ et Landgravius Thuringiæ, Bernardus Dux Westphaliæ et Angariæ, Godefridus Dux Lotharingiæ, Fridericus Dux Sueviæ, Otto Marchio de Brandeburg, Theodoricus Marchio de Lusitz, Dedo Comes de Greix, Sifridus Comes de Orlamunde, Robertus Comes

de

de Nassovv, Emicho Comes de Linningen, Engelbertus Comes de Monte, Theodoricus Comes de Hostaden, Gerardus Comes de Nurbec, Henricus Comes de Arinsken, Hermannus Comes de Ravensberg, Henricus Comes de Kucx, VVernerus Comes de VVittinistein, VVidekindus de VValdeck, Fridericus de Ansurde (Steinfurde) Hartmannus de Buttingen, VVernerus de Bulande, Conradus Pincerna, Henricus Marescalcus de Pappenheim, Sibodo de Greix Camerarius et alii quam plures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictissimi Ego Godefridus Imperialis aulæ Cancellarius recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1180 Indictione 13 regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore invictissimo, anno ejus regni 29, imperii vero 16 feliciter Amen.

Tandem igitur post comitiorum tonitrua adversus Leonem, duplici superiori anno victoria exultantem, hoc ipso anno fulmen belli consequutum, quo Dux ex omnibus suis per Saxoniam provinciis dejectus est. Quam in rem Fridericus Imperator ex omni Germania eduxit instructissimum exercitum mense Julio in Saxoniam, insigni multorum Episcopornm, Principum, Marchionum & procerum comitatu, quorum adventu cognito, Saxonia penè omnis exterrita, ab Henrico Duce defecit ad Cæsarem; multique etiam clientes castrorumq; præfecti, Henricus de Witho, Lupoldus de Hertesburg, Ludolphus de Peina, ceteriq; à puero cum ipso enutriti à Duce descivêre: ultroque in potestatem Cæsaris venêre castra Hertesburgum, Levenburgum, Blanckenburgum, Ragensteinium, aliaque primi impetus spolia; unicum cùm obsisteret Lienthenbergium, intra paucos dies expugnatum est. Tum verò Hartesburgum in monte castrum haud procul Goslaria, Henrici IV Imperatoris perfugio, & tot Saxonum expugnationibus celebre, à Friderico Imperatore instauratum præmunitumque.

Accessit per id tempus ad castra Cæsaris Philippus Coloniensis Archiepiscopus cum exercitu, ad Rhenum per Westfaliam contracto, multique cum eo Episcopi; quos inter & Sifridus Episcopus noster Paderbornensis fuit. At Cæsar cùm jam, profugo Leone in Transalbianas regiones, Bernardum Ducem Saxoniæ Orientali imposuisset, abrupto tantisper victoriæ cursu, in Bavariam properavit, rediturus ad festum S. Martini; quò delatus Ottonem Wittelesbachium solemni ritu Ratisbonæ inauguratum Bois Ducem præfecit. Fatalis Leoni annus, quo triplici Ducatu spoliatus, vidit tres alios in possessionem suarum provinciarum venire.

Philippus Archiep. Colon. in obsidione Brun-

Inter hæc Philippus Coloniensis Archiepiscopus, à Cæsare in Saxonia relictus, Brunswicum, hereditariam Ducis sedem, urbemq; munitissimam, suscepit expugnandam. Qua in obsidione cum ad eum accederet Corbeiensis Abbas, questus de damnis superiori, ut diximus,

diximus, anno illatis Corbeiensibus, Archiepiscopus, libera per telonium suum transvectione largè illa compensavit; id quod hæ tabulæ in castris ad Brunswicum datæ testantur, quas operæ precium habuimus hic interponere, ut ex his intelligatur, quinam simul Episcopi, & Principes Imperij ad hanc expeditionem Saxonicam convenerint. in obsidione Brunswicensi illata Corbeiens. damna telonij Nussiensis concessione compensat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Philippus sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Quoniam ex VVerra Saxonica, quam nos pro multa necessitate Coloniensi Ecclesiæ contra sævitiam Domini Henrici de Brunsvvich aggressi sumus, Ecclesia Corbeiensis ab exercitu nostro multa in stipendiis fratrum incommoda, et non modicam rerum suarum pertulit devastationem, placuit nobis et salutare visum est, aliquam eidem Ecclesiæ damnorum suorum conferre restaurationem. Noverit itaque universitas Christi fidelium tam futurorum quam præsentium, quod præfatæ Ecclesiæ fratribus theloneum Nussiense in perpetuum condonavimus, ita ut ipsi annuatim in vino suo deducendo immunes sint ab hoc theloneo. Cum ergo vita hominum brevis, memoria labilis sit, ne quis tam pium et rationabile factum demoliri possit in posterum, præsentem inde paginam conscribi, et sigilli nostri impressione communiri jussimus, sub horrendi anathematis interminatione districte præcipientes, ne aliquis hoc apud nos piæ devotionis intuitu actum in in irritum reducat, vel hujus rei violator existat. Testes hujus rei sunt Arnoldus Trevirensis Archiepiscopus, Athelogus Hildesiensis Episcopus, Sifridus Paderburnensis Episcopus, Herimannus Monasteriensis Episcopus, Arnoldus Osnabrugensis Episcopus, Anno Mindensis Episcopus, Lotharius Bunnensis Præpositus, Volricus Ressen Præpositus, Bernardus Sucaciensis Præpositus, Theodoricus Comes de Hostadin, Otto frater ejus, Hermannus Comes de Ravensberg, Albertus Comes de Everstein, Widekindus de Waldekke, Fratres de Hallermunt, Ludolfus et Wilbrandus, Fratres de Dasle, Ludolfus et Adolfus, Henricus de Lippia, Conradus de Sconinberg, Reinerus de Froizprecht, Henricus de Vore, Rodolfus de Steinvorde, Fratres de Voldesteine, Heinricus et Gerardus, Godescalcus de Padberg, Hermannus Scultetus Susaciensis, Gozvvinus de Albina, et alii quamplures. Acta sunt hæc Dominicæ Incarnationis Anno MCLXXX, Indictione - - -, regnante Fritherico gloriosissimo Romanorum Imperatore Augusto. Data in expeditione Saxonica prope Brunsvvich IV Idus Augusti.* *13.

Ex hisce literis, nunquam hactenus prolatis in lucem, simul refellas Scriptores, qui passim hanc expeditionem adversus Henricum Leonem in sequentem annum rejiciunt. Rectius nobiscum sentiunt Scriptores Chronici Montis Sereni, & Pegaviensis. Ceterum cum Archiepiscopus omnibus viribus oppugnationi insisteret, Brunswicum post duorum mensium obsidionem circa Calend. Septembris deditum, in potestatem ac fidem Cæsaris accipit. Leo interim cùm Saxoniam

Saxoniam amissam desperatamque videret, Lubecam, Stadam ceteraque castra præmunit, tanquam in ijs Saxoniam Transalbianam defensurus.

Annus Christi 1181.

Alexandri III Pont. 22.
Friderici I. Reg. 30. Imper. 27.
Sifridi Ep. Pad. 3.

Arnold. Lubecens. lib. 2. c. 34. Chron. Mont. Seren. Chron. Pegav.

At verò Imperator, quod Arnoldus Lubecensis Abbas scribit, *proxima æstate totis rursum viribus infusus in Saxoniam*; quæ altera in Leonem expeditio fuit, & trans Albim sumpta. Ac ne à tergo relinqueret hostes, ex insidijs incursuros; Philippum Coloniensem Archiepiscopum cum ceterorum Episcoporum copijs jussit servare Brunswicum urbem, castris circa urbem positis, ad quæ hoc anno Episcopi cum suis copijs rediêre; quantum id ex Gerhardi Stederbergensis Præpositi historia colligas. Cæsar inde Bernardum Ducem, ac fratrem ejus Ottonem, Marchionem Brandenburgensem, cum alijs Orientalis Saxoniæ Principibus Bardewici consistere voluit, & Luneburgum castrum, quod Ducis conjugi relictum ab Imperatore, circumpositis militum stationibus claudere; ipse autem cum robore exercitus Suevorum & Bavarorum ad Albim movit, trahens secum in comitatu Wichmannum Magdenburgensem Archiepiscopum, Bambergensem Episcopum, Abbatem Fuldensem, Corbeiensem & Hersveldensem. Sub idem tempus Leo Dux Lubecam se receperat; quam urbem postquam turribus, fossis, muro, atque omni machinarum genere præmunierat, Raceburgum concesserat, cetera per ejus regionem castra firmaturus. Ibi dum per advolantes nuncios intelligit Cæsarem appropinquare, correpta navi indignabundus secundo Albis cursu Stadam se recipit. Cæsar, transmisso per Albim exercitu, castra Lubecæ expugnandæ admovet, nihil territus munimento, in quo Simon Comes Teclenburgicus, Hermannus Comes Aldenburgicus, & Hermannus Comes Welpus bellaces viri cum selecto Holsatorum militum præsidio relicti erant. Nec minor civium multitudo novum illud emporium mari assitum impleverat, quorum armis maximè confiderat Dux. At Cæsar, ut mari simul premeret, evocarat Waldemarum Daniæ Regem, qui classe in ostium Trabenæ invectus, constitit ad urbem: ipse terra aggressus brevi in eas angustias conjecit cives, ut misso Henrico Episcopo suo, viro sanctissimo, ad Imperatorem, denunciarent, hanc urbem à se recens adversus barbaros Sclavos cultam præmunitamque esse Ducis beneficio, in cujus fide ideo persisteret; is verò si cives suos servare non posset, aut Imperatori urbem tradi vellet, paratos se ad deditionem esse. Quam in rem permissus Guncelinus Comes voluntatem Ducis exquirere; qua impetrata,

Cæsar Lubecam obsidet, & ad deditionem cogit.

trata, non prius tamen cives se dedidêre, quàm sibi Imperator prima urbis privilegia, & libertatem secundum jura Susatiæ permitteret; quod nomen alij secundum jura Susatensium in Westfalia, alij verisimilius Holsatorum accipiunt. Dedita in hunc modum urbe, Imperator cives privilegijs auxit, liberamque Imperij urbem renunciavit, quò constantiùs in fide Imperatoris & christianæ religionis persisteret. Sed ea urbs quantum olim præsidium christianæ religionis adversus barbaros Sclavos, tantum nunc hæresis patrocinium, ejectis priscæ religionis Sacerdotibus ex Ecclesijs & Cœnobijs, immemor quam religionem Wicelinus noster, quam tot sancti Episcopi, Sacerdotes ac Monachi in Sclaviam illam Occidentalem introduxerunt, servâruntque ad Lutheri tempora. Sanè Fridericus Imperator Henricum Lubecensem Episcopum, qui post Geroldum & Conradum tertius eorum Episcopus subrogatus erat, ob famam sanctitatis, & miraculorum adeo veneratus est, ut medicum illi suum, dum febri affligeretur, submiserit: ea videlicet sollicitudine qua Carolus M. Sturmium olim Abbatem Eresburgi laborantem complexus, medicum illi suum adesse voluit.

Expugnatâ Lubecâ, Cæsar totam Transalbianam regionem Holsatiamque in fidem accepit: Adolphum Holsatiæ Comitem multis privilegijs bonisque cumulavit: nihilque simul impensius habuit, quàm ut Episcoporum, Collegiorum, Canonicorum, & Cœnobiorum jura & possessiones firmaret, augeretq; Dux interim Stadæ se cōtinebat, in extremo Saxoniæ angulo, Oppidoque Episcopatus Bremensis, ut munierat, firmissimo; & si casus obsidionis urgeret, certus erat conscensa navi se per mare subtrahere in Angliam.

At Cæsar reducto per Albim exercitu, castra sua circa Lunenburgum metatus consedit. Quo comperto, Henricus Dux, cùm se omnibus provincijs & munitionibus nudatum circumspiceret, posito tandem fastu, per amicos liberum ad Imperatorem accessum petijt; eoque impetrato, Lunenburgum venit; atque ut Imperatoris animum mitigaret, Ludovicum Landgravium, & Hermannum fratrem Palatinum, quos captivos tenebat, liberos ad Imperatorem præmisit, coramque in gratiam recipi oravit. Imperator verò cum diceret id in sua potestate non esse, jussus est Quidlenburgi in conventu Principum se sistere: eo quoque accessit Dux; verùm cùm istic lite inter ipsum & Bernardum Ducem coorta, per seditionem omnia miscerentur, jussus est Erfordiæ in comitio Principum causam dicere. Inter hæc Philippus Coloniensis Archiepiscopus, imploratus à Sifrido Bremensi Archiepiscopo, cum exercitu Westfalico Stadam pro voluntate Imperatoris expugnat, reddiditque cum toto comitatu tandem Bremensi Archiepiscopo, acceptis trecentis argenti marcis, quæ ex pacto expensarum bellicarum convenerant. Ea expeditione Coloniensis

Henricus Leo, Imperatori supplex, in gratiam & quasdam provincias restitui rogat.

cetera quoque castra Adolpho Holsatiæ Comiti, & Bernardo Comiti restituta sunt. Jam Duci nihil ex omnibus inferioris Saxoniæ urbibus & castris supererat præter Lunenburgum, quod honori conjugis, obtendentis ex eo hereditatem & vitæ subsidium, Cæsaris gratia relictum erat.

Ad hæc extrema Dux miser compulsus, Erfurtum ad præscripta Principum comitia venit, provolutusque ad pedes Cæsaris clementiam appellat; quem Cæsar obortis lacrymis, misertus casum è terra levat: & quum restitui in pristinam aliquam fortunæ partem supplex peteret, Cæsar bene sperare iussit; in præsens verò sententiam Principum inmutabilem esse oportere. Quare cederet tantisper iræ Principum, & triennium exul in Angliam iret; Brunswicum interim & Lunenbugum cum hereditarijs possessionibus illi, ubique terrarum foret, mansura integra. Ad hunc modum fortunatissimus ac potentissimus Germaniæ Dux, memorabile humanarum rerum spectaculum, cum uxore & tribus liberis, Henrico, Lothario, & Ottone in Angliam ad Regem generum suum exul abijt; ubi quartum illi filium Wilhelmum, tot exinde clarissimorum Brunswicensium & Lunenburgensium Ducum genitorem, Mathildis conjux peperit.

Hadeslebia diu oppugnata tandem se dedit.

Quæ dum agerentur hoc anno, adhuc Hadeslebia Oppidum in Orientali Saxonia manebat in fide Leonis; constantia nimirum Bernardi Lippiensis Comitis, quem Dux præfectum imposuerat, virum ea tempestate bellicosissimum. Cæperat anno superiori oppugnare Wichmannus Magdenburgensis Archiepiscopus, labenteq; Ducis fortuna, resumpta hoc anno obsidio, datumque opus Ottoni Misnensium Marchioni. Ejus marchinamenta cùm eluderet Lippiensis, implorata auxilia Philippi Coloniensis Archiepiscopi. Accessit is cum quatuor loricatorum millibus, tanquam momento rem confecturus; sed & hujus omnes conatus cassi fuere. Jam de solvenda tursum obsidione consilia agitabantur, eò quòd locus inter paludes & circumfusas undique aquas inexpugnabilis se objiceret; duo quippe fluvij, Ora & Bivera Oppidum utrimque complexi, superfusis latè paludibus, ab omni circum accessu prohibebant: frustra etiam navibus milite impletis, omnibusque machinis, quæ ingenio militari reperiri poterant, admotis. Sed hæc ipsa res, quæ hactenus præsidio fuerat, perniciem tandem attulit; observatum enim binos hosce fluvios intra circumposita collium juga confluere, & his si agger objiceretur, restagnante circum aqua Oppidum immergi posse. Id opus intra tres menses & duas hebdomadas peractum; objectaque aggeris aqua supra valla & muros efferri visa. Quo nunciato, rediere Archiepiscopi ad eventum rei spectandum. Et jam aquæ totum Oppidum impleverant, ascenderantque supra contabulationes ædium, cùm Lippiensis Comes miseratione civium permotus de Oppidi deditione pacisci

ciſci tandem cœpit; impetrataque libera abeundi ſecuritate, Oppidum Archiepiſcopo tradit, quod ille funditus evertit.

Verùm Lippienſis pòſt eâdem, quâ Dux, calamitate involutus, omnibus feudis ac bonis, quæ aut parens ejus Lotharij Cæſaris donatione, aut ipſe Leonis & Epiſcoporum beneficio acceperat, Friderici Imperatoris ſententia exutus. Ceſſit Annoni Mindenſi, Arnoldo Oſnabrugenſi, Epiſcopis, Hermannoque Ravensburgij Comiti, quidquid in vicino Angariæ Ducatu dederat Leo; indeque ipſa Angariæ arx, vetus Widekindi patrimonium, creditur obveniſſe Ravensbergico. Hermannus Monaſterienſis Epiſcopus Saſſenbergam caſtrum & Satrapiam repetijt. Quidquid ultra Luppiam fluvium poſſederat, aut intra Ambram continetur, diviſum inter Colonienſem & Paderbornenſem, Epiſcopos. Quâ deinde rerum converſione Bernardus, Weſtfaliæ noſtræ decus, ad fortunas priſtinas redierit; deinde per contemptionem rerum humanarum Monachi Ciſtertienſis habitum induerit in Monaſterio Mariæfeldenſis diœceſis Monaſterienſis; ac demum in Livoniam Apoſtolico Spiritu profectus Sacerdos, ac Lealalhenſis Epiſcopus ſit conſecratus, tempori memorandum erit. Comes Lippienſis bonis ſuis exuitur.

Hæc ſcena fortunæ in Leone & Bernardo; quæ eò admirabilior in Leone, quo ex altiori rerum humanarum faſtigio deturbatus fuit, projectuſque extra Saxoniam in alienum regnum. Cauſas ſupra deduxi, ſatiſque ipſe Cæſar in diplomate Colonienſi patefecit. Nam præter contumaciam contemptumque Cæſaris, qua toties poſtulatus ad dicendam cauſam aſpernatus eſt Principum & Cæſaris auctoritatem, odium in Epiſcopos; quos Leo bonis, quibus à Carolo M. ceteriſq; Imperatoribus ac Regibus Chriſtianis dotati erant, ſpoliatos, meditabatur ad priſtinam inopiam redigere. Inſtituerat ille quidem tres Epiſcopatus in Sclavia; ſed eos tam tenuibus proventibus dotârat, ut, cùm à Conrado Lubecenſi Epiſcopo juramentum fidei poſceret, libera hic voce reſponderit, ſtipem illam non mereri juramentum. Interim à prioribus Epiſcopis per Sclaviam, tanquam magnus conditor & Imperator, juramentum fidei exegerat; auſus aliquando ſcribere ad Colonienſem Archiepiſcopum, ne ſe laceſſeret, cujus ab Oceano ad Rhenum uſque tanta provinciarum amplitudo & potentia eſſet, ut ſagittam per Rhenum in ipſius diœceſin projicere liceat. Sed hanc ſagittam reflexit Colonienſis in Ducem, primumque ruinæ impetum dedit; exutuſque ille ab Epiſcopis eſt tot provincijs & bonis, cui omne conſilium erat Epiſcopos bonis privare: ſalubri etiam ad Reges & Principes exemplo, metuque, ne Deus aut fortunas evertat, aut familias eorum extinguat, qui tot per Saxoniam Epiſcopatus à Carolo M. & tot Divis Imperatoribus conditos dotatoſque extinxere.

Clauſit hunc annum morte ſua 12 Kal. Oct. Alexander III Pontifex, vir acer & conſtans, qui haud ſecus quàm Gregorius VII adver- Obit Alexander Pon-

tifex, cui subrogatur Lucius III. Baron. Sigon.

sus Henricum IV Imperatorem schismaticum, per XXII prope annos columna fuit Ecclesiæ adversus Fridericum Imperatorem & tres ejus Pseudopontifices à Friderico Imp. obtrusos. Subrogatus Alexandro Lucius Pontifex, vir ætate ac sapientia gravis.

Annus Christi 1182.

Lucij III. Pont. 1.
Friderici I. Reg. 31. Imper. 28.
Sifridi Ep. Pad. 4.

Godefrid.

Ejecto extra provincias suas Henrico Duce, post sexennij bellum quievit Saxonia & Germania; præclarumque Imperatoris negotium fuit, pacem in Imperio firmare. Quam in rem per festos Pentecostes dies solemnem Moguntiæ Principum conventum habuit; ad quem præter alios convenêre Philippus Coloniensis Archiepiscopus, Hermannus Monasteriensis, Ulricus Spirensis, Conradus Abbas Fuldensis, Fridericus Dux Sueviæ, Conradus Comes Palatinus Rheni, ceterique Episcopi ac Principes, quod in Friderici Imperatoris diplomate, quo Monasterio S. Maximini in suburbio Trevirensi omnia Imperatoria privilegia bonaque hoc anno Moguntiæ rata habet, proditum est. Adfuere & Legati Regis Angliæ, pro Henrico Leone genero atque exule orantes hereditariæ possessionis reditus ad decoram Principis vitam exornandam; & promissi quidem illi, sed exilium Principum sententia repetitum.

Zilesius in diplom. S. Maximini Monaster.

Annus Christi 1183.

Lucii III Pont. 2.
Friderici I Reg. 32. Imper. 29.
Sifridi Ep. Pad. 5.

Lucius Pont. bona & privilegia Monasterij Wilbacensis confirmat.

Lucius Pontifex eo nomine III, qua erat beneficentia in clerum, & omnes religiosorum ordines, inter alia hoc anno rogatu Henrici Mariæ Monasterij apud nos Abbatis, Wilbacensi Cœnobio diœcesis nostræ omnia privilegia ac bona Apostolica auctoritate communita in hunc modum renovando, bene de nostra Diœcesi mereri studuit.


Lucius Episcopus Servus servorum Dei, dilecto filio Henrico Abbati et Sanctimonialibus Monasterij Wilboldessen, tam præsentibus quam futuris monasticam vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis, præsertim cum petentium voluntas et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Eapropter Dilectæ in Domino filiæ vestris postulationibus clementer annuimus, et Monasterium vestrum, in quo divino mancipatæ estis obsequio sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et beati Bene-

dicti

dicti regulam in eodem Monasterio constitutus esse dinoscitur, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona ibidem Monasterium inposterum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, Wilbodesson, Waterveldc, Trevere, Alride, Ossenthorp, Hemelhusen, Rocethehusen, Northen, Wellethe, Ilrenhusen, item Northen, Histinche, Wetere, Hathesbatthessen, Volmarsen, Guntersen, Adenen, Othehem, Honrothem, Overethe, curtem in Suthem, et decimam super eandem villam, Esnethe, Gheveburche, Limgo, Winnethe, decimam in Edessen, decimam in Hatheburgusen, decimam in Richersen, decimam in Harderenssen, Sundram in Hornen, domum infra muros civitatis Patherburn, et quinque areas, et juxta civitatem tres mansos, et dimidium Sidechodessen, Haren. Item in Alriden duos mansos, decimam omnium novalium nostrorum, et omnes decimas in terminis decimarum vestrarum. Cum autem generale interdictum fuit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Sepulturam quoque loci istius liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum nullus ibi qualibet sublectionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Sorores communi consensu, vel pars consilii sanioris secundum Dei timorem et D.Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, et secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore ac sanguine Dei Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domin nostri JESU Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego





✠ *Ego Theodinus Portuensis et S. Ruffinæ Sedis Episcopus.*
✠ *Ego Henricus Albanensis Episcopus.*

✠ *Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani Diaconus Cardinalis subscripsi.*

✠ *Ego Vivianus S. Stephani in celio Monte Presbyter Cardinalis.*

✠ *Ego Laborans Presbyter Cardinalis S. Mariæ trans tibur subsc.*
✠ *Ego Ranerius Presbyter Cardinalis SS. Johannis et Pauli tt. Pagmachii.*

Datum Velletri per manum Alberti S. Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis et Cancellarij, III Calend. Martii Indictione I, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXIII, Pontificatus vero Domini Lucii Papæ III, anno secundo.

Uti & bona Collegij Bustorfiani, maximè ab Episc. Meinwerco collata.

Eadem beneficentia complexus Collegium Canonicorum Bustorfianum, donationes cumprimis à Meinwerco Episcopo ac fundatore factas instaurat, tabulis in hæc verba communicatis.

Lucius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Præposito et Canonicis Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri, et Andreæ in Paterburna salutem et Apostolicam benedictionem. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter Dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus et illibata permaneant. Specialiter autem possessiones bonorum quæ bonæ memoriæ M. Episcopus fundator ipsius Ecclesiæ rationabiliter contulit eidem et suis literis confirmavit, tam in decimis quam in curtibus, in areis, in mancipiis, in parrochia, quæ est super quinque villas, quarum nomina sunt hæc Aspethera, Hildelinchusen, Hassurchensen, Hohensili, Asbechtinchuson, apostolica auctoritate vobis et per vos Ecclesiæ vestræ confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat hanc paginam confirmationis nostræ infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Vellet. III Calend. Junii.

Bruschius. Chron. Mogunt. Serrar. in hist. Mog.

Fine anni hujus Christianus Moguntinus Archiepiscopus & Metropolitanus noster, XII Calend. Decembris haud procul Roma in Italia extinguitur; quem ubi morbo depressum intellexit Lucius Pontifex,

tifex, Velitris profectus, & immemor omnium injuriarum, quas Romanæ Ecclesiæ ab eo factas diximus, in schismate luctantem cum morte adijt, itaque ad extremum vitæ exitum composuit, ut Pontifici omnium suorum peccatorum confessionem faceret: postquam Pontifex ei manu sua Sacramentum corporis Christi porrexit, ceterisque morientium præsidijs communijt. Magna Archiepiscopi felicitas, si reputentur, quæ bello Italico vanè licenterque egit, militis magis, quàm Episcopi munere occupatus. Non jam quisquam requiret, cur belli adversus Leonem nulla ejus mentio, quippe qui ad hunc diem pro vicario Cæsaris imperio in Italia relictus, postremumque ab equitatu Græcorum Imperatoris captus, nec multò post dimissus liber, tam felicem vitæ exitum sortitus est. Morte ejus cognita, Conradus ante annos aliquot Archiepiscopatu ab Imperatore dejectus, dimisso Episcopatu Salinensi ad veterem suam sedem redijt, & tanquam Angelus, ut fasti Moguntini scribunt, à civibus est exceptus (quocum postea magna familiaritas fuit Sifrido Episcopo nostro) vir integerrimæ vitæ, qui magna constantia inter omnes schismatis fluctus Apostolicæ sedi adhæsit. *qui anno 1180 obiisse contendit.* Christianus Archiep. Mogunt. pœnitens in Italia obit: redit ad Ecclesiã suam Conradus.

Et hoc ipso anno Sifridus Episcopus noster, litem, quæ inter Canonicos Bustorfiani Collegij, & Theodoricum Pastorem urbicum intervenerat, majores civium motus datura, maturo Canonicorum consilio composuit. Extant hac super re literæ Sifridi, quibus se humilem Ecclesiæ Paderbornensis Ministrum vocat.

Ceterum Imperator, cùm Saxoniam Germaniamque in summa tranquillitate possideret, Constantiam profectus, evocatisque ad se urbium Longobardicarum legatis, pacem quoque cum Italis VI Calend. Junij fecit; legibus, quas multis refert Sigonius, utrimque feliciter conventis; in quibus ante omnia ab Italiæ urbibus cautum, ne Imperator Apostolicam Sedem turbaret, atque omnium, quæ hactenus tantis utrimque cladibus acta fuere, perpetua oblivio esset. Vulgò à Germaniæ loco pax Constantiæ appellata. *Sigonius lib. 14. de regno Italiæ.* Cæsar cum Italis pacem Constantiæ fecit.

At Conrado Moguntino vix dum in Archiepiscopatum regresso haud levis controversia oborta cum Ludovico Thuringiæ Landgravio; quam ut componeret, Erfurdiam proficiscitur, magno procerum comitatu: ac mirabili casu in præsens vitæ periculum venit; nam cùm 7 Calend. Augusti frequens senatus procerum in vasta, sed ruinosa, urbis aula haberetur, lacunar impar sustinendæ multitudini, trabibus situ & vetustate cariosis, subitò solutum, in subjectam latrinam supra centum secum homines traxit. Periere in sordibus Henricus Swartzenburgicus, Fridericus Comes Avebergensis, Henricus Comes Thuringiæ, Gosmarus Comes Sigenhogius, Fridericus Comes Kirchbergius, Burchardus Wartbergius, alijque complures è proceribus. Cæsar & Moguntinus Archiepiscopus, antevertendo *Chronicon Montis Sereni. Auctor Append. ad Lamb. Godefridus Mon. Chron. Erfurd.*

ruinam,

ruinam, ad fenestræ cancellos refugêre, atque ex ijs penduli, admotis scalis, servati sunt, Thuringiæ Landgravius cum alijs quibusdam se expedivit. Auctores etsi concordes in casu; alij interim ad hunc annum, alij ad sequentem referunt.

Annus Christi 1184.

Lucij III Pont. 3.
Friderici I Reg. 33. Imper. 30.
Sifridi Ep. Pad. 6.

Godefrid. Otto à S. Blasio. Auctor in append. ad Lambert. Chron. Mont. Seren. Chron. Pegav. Serrarius in histor. Mogunt. Brovver. lib.1. antiq. Fuld. c.16. Ursberg.

Anno vertente Jmperator v Jdus Martij primum Norimbergæ senatum Principum congregavit, ad quem ex Italia quoque Alexandrinæ civitatis evocati oratores accedentes, certis quoque conditionibus cum Imperatore transegêre; urbem tamen non Alexandriam, quòd honori Alexandri Pontificis condita esset, sed mutato nomine Cæsaream appellari voluit. Quemadmodum & hoc anno Insula S. Suiberti communita, & grande illud turris arcisque opus perfectum ad navigantium securitatem, pacemque firmandam, inde Cæsaris Insula appellari cœpit.

Celeberrima Moguntiæ Comitia tempestas disturbat.

Celeberrima deinde per festos Pentecostes dies comitia Moguntiæ habuit, ad quæ præter magnam Archiepiscoporum, Episcoporum, ac Principum frequentiam supra quadraginta hominum millia confluxêre; & cùm ingentem procerum multitudinem urbs non caperet, in suburbano agro magnificum palatium, tentoria, ac subitariæ ædes fuere constructæ. Nihil ad eam diem à Friderico Imperatore magnificentius fuit apparatum; quòd ijs in comitijs, præsente Imperatrice, Henricum & Fridericum filios, pro veteri more, ense accinxerit; & Henricum filium, jam ante Aquisgrani inunctum, publicè Romani Imperij Regem renunciarit, epulo munificentissimo principibus præbito, in quo non nisi Reges, Duces ac Marchiones Dapiferi, Pincernæ, & Camerarij ministeria habuere. Sed eam pompam pridie Pentecostes insoluta turbavit ventorum tempestas, ab Occidente coorta, quæ non modò subitaria hæc opera ac domicilia uno evertit momento, multis etiam mortalium, aut obtritis, aut læsis; sed & novam Basilicam fabricam à Conrado Archiepiscopo structam tanta vehementia disjecit, ut trabes aliæ in Rhenum, aliæ ultra Rhenum per milliare ad villam Hocheimiam projectæ sint; tanquam Deus ostenderit, se & incondito fastu comitiorum, & cleri populique peccatis, quod veteres Moguntini annales produnt, offensum esse.

Archiep. Colon. & Abbatis Fuldensis in hisce comitijs dissidium.

Quanquam & in his comitijs alia intervenerit offensio Numinis, ex ambitione duorum sacrorum præsulum, quam nobis Arnoldus Lubecensis Abbas, æqualis ac certus eorum temporum scriptor, & ex eo Albertus Stadensis ac Crantzius tradidere. Nam in solemni hoc concessu dum Conradus Moguntinus Archiepiscopus dexte-

rum

rum Imperatoris latus, & sinistrum Philippus Coloniensis Archiepiscopus posita sella occuparent, accessit Conradus Fuldensis, Imperatorem libera voce allocutus, & mea inquit, hæc injuria est, cui post Moguntinum sinistra ab Imperatore sedes ante Coloniensem prisco more debetur, quoties Moguntiæ comitia aguntur. Hanc prærogativam cùm multis obtenderet Abbas, Imperator in Abbatem inclinavit. Quo animadverso, indignatus Coloniensis: *Cedo*, inquit, *Abbati Archiepiscopus, Monacho Princeps Elector: sed bona*, Imperator, *venia vestra cœtum hunc dimitto.* Abeuntem Archiepiscopum secuti sunt Philippus Palatinus Rheni, Comes de Assowe, qui Crantzio Nassovius est: Dux præterea Brabantiæ, alijque procerum. Jamque lis in seditionem ibat, cùm primùm Henricus Rex adolescens complexus Archiepiscopum, ac mox Imperator deprecatus errorem, retraxere placatum; jussusque Abbas cedere Archiepiscopo. Et propè erat, ut pari seditionis cruorisque scena ageretur, qua Wideradus Abbas Fuldensis, & Hezilo Hildesiensis Episcopus, anno 1063 Goslariæ congressi; quòd Agrippinensis Præsul Fuldensis arrogantiam præsentiens supra quatuor millia armatorum in comitia adduxerat. Acta quidem hæc anno MCLXXXII traduntur à Lubecensi; sed error scriptoris intervenit in numeris, cùm ceteri omnes hunc annum designent, & ipse auctor mox scribat, Augustam obijsse, & Imperatorem in Italiam profectum esse, quæ anno 1185 accidisse constat.

Solutis comitijs, Imperator pridie Calend. Sextiles in Italiam transgressus est, acturus cum Lucio Pontifice de utriusque Imperij Occidentalis & Orientalis, in quo res christiana periclitabatur, salute. Inde convocato concilio, cui raro exemplo Pontifex & Imperator intererant actum de Repub. christiana, cumprimisque de submittendis in Palæstinam auxilijs, quibus laborantibus christianis adversus Saracenos subveniretur. Lucio interim postulante, ut Imperator Mathildis hereditatem Romanæ Ecclesiæ restitueret, abnuit Imperator; & cùm hic peteret, ut filius Henricus Augustalibus insignibus ornaretur, disertè id à Lucio denegatum est; interque cetera scribit Godefridus Pontificem dixisse, conveniens non esse Imperio simul duos Imperatores pari auctoritate præstitui. Ita exulceratis utrimque animis concilium est dimissum.

Sigonius lib. 15. de regno Italiæ.

Eo in congressu Veronensi summorum Ecclesiæ capitum Lucius Pontifex Conrado Corbeiensium Abbati, quòd is fortè Imperatorem in Italiam assectatus, omnia illustris ejus Cœnobij privilegia Apostolica auctoritate juxta aliorum Pontificum tabulas instaurat. *Quocirca*, in diplomate inquit, *te fili, Conrade Abbas, in præcipuis solemnitatibus, sandaliis, Dalmatica, mitra, et annulo uti, juxta altare sedere, populum infra commissum tibi Monasterium, vel prioratus conventuales, quæ pertinent ad animæ salutem, docere, tam tibi quàm tuis successoribus Dei et*

Dignitatem Abbat. Corbeiens. confirmat Lucius Pont.

Apostolicæ Sedis clementia perpetuis temporibus indulgemus. Consignatæ subscriptæque tabulæ in hunc modum.

Ego Lucius Catholicæ Sedis Episcopus.

BENE VALETE

✠ *Ego Joannes presbyter titulo S. Marci Cardinalis subscripsi.*

✠ *Ego Laborans presbyter Cardinalis S. Marci trans tiberim S. Calixti subscripsi.*

✠ *Ego Subd. Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaso subscripsi.*

✠ *Ego Pod. presbyter Cardinalis titulo Basilicæ XII Apostolorum subscripsi.*

✠ *Ego Cunradus Sabinensis, et Moguntinæ Sedis Archiepiscopus subsc.*

✠ *Ego Theodorus Portuensis, et S. Rufinæ Sedis Episcopus subscripsi.*

✠ *Ego Henricus Albanensis Episcopus subscripsi.*

✠ *Ego Theoboldus Hostiensis et Velitrensis Episcopus subscripsi.*

✠ *Ego Ardito Diaconus Cardinalis S. Theodori subscripsi.*

✠ *Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani Diaconus Cardinalis subsc.*

✠ *Ego Soffredus S. Mariæ in via lata Diaconus subscripsi.*

✠ *Ego Albinus S. Mariæ novæ Diaconus Cardinalis subscripsi.*

Data Veronæ per manum Hugonis S. Romanæ Ecclesiæ Notarii, 3 Calend. Novembris, indictione 3 Incarnationis Dominicæ MCLXXXIIII Pontificatus Lucii PP. III Anno IV.

Conradus Arch. Mog. Paderbornæ dirimit litem, inter Abbatissam Herisiensem & Gerdensem agitatam.

Hoc præterea anno Conradus Moguntinus Archiepiscopus ac Cardinalis Paderbornam accessit, & in congressu Hermanni Monasteriensis & Sifridi Paderbornensis Episcopi, aliorumque præsulum ac procerum decidit litem, quæ inter Abbatissam Herisiensem & Gerdensem agitabatur de certis quibusdam agris, quibus Ecclesia in monte Iburg ex annuo censu restauranda erat. Tabulæ sic habent.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Conradus Dei gratia Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, omnibus fidelibus Christi salutem universali memoria, tam præsentium quam futurorum, innotescere volumus, factum quoddam rationabile sub nostri præsentia et aliorum Prælatorum probabilium, et religiosorum virorum peractum, quod dum post varios labores, quos pro statu et integritate S. Ecclesiæ pertulimus, in Sedem nostram Moguntinam ordinatione divina restituti, in Patherburn. Ecclesia eodem nostræ restitutionis anno quadam vice fuissemus, Domina Abbatissa de Herissen querimoniam nobis contra Sorores in Gerden, quarum provisor Dominus Abbas de Liesberne habebatur, hoc modo proposuit, ostendens sane, quod Domina Beatrix pridem in Abbatia sibi præcedens, consilio Domini Paderbornensis Episcopi, et aliorum, qui ad hæc sibi expediebant, quindecim mansos, duodecim in silva Osnine, et duos in Echusen, unum in Wegrumshem cum omnibus utilitatibus suis Ecclesiæ de Gertin, et sororibus ibidem secundum regulam S. Benedicti degentibus contradidit,

dit, hoc adjungens, videlicet, ut quicunque præfatis sororibus pro temporis successione prior succederet, eosdem mansos sine exactione de manu Dominæ Abbatissæ de Hersin reciperet, et Ecclesiam B. Petri, in monte, qui vocatur Iburch, si quando dilapsa foret, restauraret, et ei in divinis provideret. Quod dum Abbas de Lisberne prædictarum de Gerdine sororum responsalis contradiceret, et eosdem mansos à Domino Patherburnensi Episcopo possideri diceret; privilegium etiam quoddam, quod nos infregimus, ostenderet, tandem, ut res ipsa idoneè et juste terminaretur, consilio eorum, qui ibi præsentes erant, Domini Hermanni Monasteriensis Episcopi, et Sifridi Patherbornensis Episcopi hic mediari dignum duximus, scilicet quod Domina Abbatissa Altmannum Præpositum S. Petri, Magistrum Henricum tunc Scholasticum in Patherborn, Wernerum de Brak, Bertholdum de Esspringin assumpsit, Dominus vero Abbas Henricum Abbatem S. Pauli, Præpositum Gotscalcum de Nortin, Comitem Albertum de Eversteyn, et Bernardum de Lippia, Wedekindum de Riede Consiliarios assumpsit, quorum sollicita deliberatione sub nostri præsentia et Domini Monasteriensis prædicti et Patherbornensis Episcopi hoc fine terminatum est, scilicet, ut Dominæ Abbatissæ jus proprietatis recognosceretur, et sicut dictum est, quæcunque præfatis sororibus pro temporis successione prior succederet, præfatos mansos à manu Dominæ Abbatissæ sine exactione reciperet, et exinde ædificia et divina provideret Ecclesiæ jam dictæ. Domina etiam Abbatissa si quando vellet in monte sine gravamine sororum morari posset. Præterea quicunque in Hersin jure fungatur advocatiæ, super his etiam bonis advocatiam obtineat. Hæc autem, quia sub nostri et ipsorum prædictorum præsentia rationabiliter peracta sunt, nostri ea sigilli impressione stabiliter munimus, et deinceps rata haberi volumus. Quod si quis postmodum infringere vel irritum facere tentaverit, sicut per sententiam publicam nobis adjudicatum est, nostræ excommunicationis vinculum et Dei Omnipotentis offensam promeruisse se cognoscat. Hujus autem rei testes sunt prædictus Monasteriensis et Patherborn. Winere Abbas de Liesborne. Ex Prælatis Moguntinensis Ecclesiæ, Burchardus S. Petri Præpositus, Wernherus S. Stephani Præpositus in Moguntia, Altmannus Patherbornensis Præpositus, et ejusdem Ecclesiæ Decanus Volbertus, Gotscalcus Præpositus de Nortine, Bernhardus Præpositus S. Petri, Dominus Otto Comes Palatinus de Witilinisbach, Dominus Otto Landgravius de Stevinigin, Comes Albertus de Everstein, Witikindus de Swalenberg, fr. Basilius, Wernherus de Brackel, alii etiam multi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIIII, Indictione secunda, regnante Imperatore Friderico feliciter.

Inter arbitros hic Bernardus de Lippia, Widekindus de Riede memorantur, duo videlicet illi pro Leone bellatores, jam libertati redditi; multique adhæc præsules & Canonici, ut celebris prorsus hic Paderbornensis conventus ad Metropolitani nostri accessum reputandus; ex quo post varios labores, quos pro statu & integritate sanctæ Ecclesiæ se pertulisse testatur, concessum est invisere Paderbor-

nensem Ecclesiam, quæ cum Evergiso & Sifrido Episcopis tempestate schismatis fida permanserat Apostolicæ Sedi. Satisq; ex his etiam literis constat montem Iburg, Caroli M. expugnatione & donatione celebrem, apud nos requirendum esse. Transactionem hanc inter duas Abbatissas Sifridus Episcopus noster alijs quoque tabulis ratam habuit.

Sifridus beneficus in Cœnobium Hardehusanum.

At longè commendatior Sifridi Episcopi nostri beneficentia, qua superiori, & hoc ipso anno Cœnobium Hardehusanum affecit. Extant hanc in rem hujusmodi tabulæ cum elogio duorum antecedentium Episcoporum.

Sifridus Dei gratia Paderbornensis Episcopus, Cœnobio in Hersviteshusen in perpetuum salus. *Noverit omnium fidelium Christi universitas, quod quæcunq; inclitæ recordationis D. Bernardus Episcopus, et venerabilis antecessor noster D. Evergisus Cœnobio Hersvithehusensi contulerunt, prompta et bona voluntate approbamus, et episcopalis auctoritatis munimine confirmamus.* Dein post recensita prædiorum decimarumq; bona, & jus sylvestrium equorum, quod leges equitium vocant, subjungit, quæ ejus largitate accesserint, ut tertius non immeritò ejus Cœnobij conditor censeri possit; quemadmodum jam sepulturæ locum, quem post apud eosdem religiosos viros nactus, sibi ex meritis delegerat. *Data hæc memorantur in capitulo Paderbornensi, anno verbi Incarnati MCLXXXIIII, Indict.* *III. Hæc verò testium nomina sunt: Altmannus major Præpositus, Volbertus Decanus cum Canonicis majoris Ecclesiæ subscriptis, Godeschalco, qui & Northemensis Præpositus, Bernardo, qui & Præpositus S. Petri, Meinrico, Ludovico, Godefrido, Erpone, Conrado, Alexandro, Henrico, Theodorico, Wulframo, Bernardo, Conrado, Herimanno, ceterisque cum præfati Cœnobij fratribus.

* *II.*

Annus Christi 1185.

Lucij III Pont. 4.
Friderici I. Reg. 34. Imper. 31.
Sifridi Ep. Pad. 7.

Godefrid. Arnold. Lubec. lib. 3.

Hærebat per hæc in sequentem annum Imperator in Italia, Imperij administrandi potestate penes Henricum filium Regem relicta. Atque ut pater cum Lucio Pontifice, ita filius cum Episcopis collisus.

Redit ab exilio Henricus Leo.

Advenêre interim in Italiam Legati Regis Angliæ, reditum Henrici Leonis ab Imperatore orantes. Quo impetrato, Dux per mare in Saxoniam revectus, vixit Brunswigi intra limites paterni patrimonij, quod in principatu Brunswicensi & Lunenburgensi habebat.

Dissidia in Ecclesia Trevirensi.

Multa subinde dissidia, quibus publica quies turbari cœpit: primum ex Trevirensi Archiepiscopatu coortum; nam à morte Arnoldi Archiepiscopi duo electi, Volcmarus & Rudolphus; Volcmarus à saniori

saniori parte, Rudolphus ab infirmiori; illius patrocinium suscepit Lucius Pontifex appellatus, hujus Imperator & filius Rex, tanto fœdius, quanto iniquiorem causam agebant. Mox & Coloniensis commissus cum Henrico juvene Rege, quòd mercatores, qui Duisburgum transvecti consueta vectigalia non pensitârant, spoliari jusserat; eò semel iterumque postulatus à Rege, detrectavit venire; ausus etiam dicere, neminem duobus Dominis servire posse. Quare tertiò intentatis minis postulatus Moguntiam, consilio amicorum se stitit, deprecatus errorem. Altum interim hæsit Regis imperium, quo jussus satisfacere mercatoribus. Sed longè gravius enatum dissidium ob exuvias Episcoporum & Abbatum, quas à morte singulorum poscebant Imperator & Rex. Causa relata est ad Lucium Pontificem; sed illum mors 7 Calend. Dec. his dissidijs subtraxit; subrogato Urbano illo, quo Pontifice, resumpta lis adversus Imperatorem & filium, factaque est communis omnibus Episcopis & Abbatibus Germaniæ & Saxoniæ. Vindices libertatis Ecclesiasticæ se dedêre Philippus Coloniensis, Conradus Moguntinus, Bertholdus Metensis, alijque permulti. Ac tanto hæc magis fœdabant Imperatorium nomen, quod involaret in opes sacrarum Virginum, ac loco moveret Abbatissas; nec aliam obtendebat hujus facti causam, quàm depravatos earum mores: tanquam Imperatori fas esset præripere Episcoporum jura, & sacras pro arbitrio leges figere.

interque Archiep. Colon. & Regem, &c.

Arnold. Lub. lib. 3. c. 11. Chron. Pegav.

Non destitêre interim Episcopi pijque per Saxoniam proceres, virtute in contrarium obnixi, pristina religiosorum Cœnobia augere dotibus, ac nova condere; inter quæ ad hunc annum referuntur celeberrima in Westfalia, ac diœcesi Monasteriensi, exordia Cœnobij Campi Mariæ, vulgo Marienfeldensis, instituti Cistertiensium. Auctor primus conditorque Hermannus Monasteriensis Episcopus, vir ea tempestate decus Episcoporum per Saxoniam. Is incultum locum, & quieti religiosorũ ad fines suæ diœcesis accommodum, Wadenhorst dictum, conspicatus, in quo sacellum à Wernero Monasteriensi Episcopo constructum fuerat, attributumque Leisbornensi Abbati, in eo Cœnobium hoc condere cœpit. Positoque primo lapide, in dotem contulit CL. Marcas, vicinosque agros & prata, adjecta Ecclesia cum propinqua Parochia Jselhorst, ad meliorem incolarum culturam, vitæque subsidium. Quæ cùm, evocatis ex Cœnobio Hardehusano diœcesis nostræ religiosis Sacerdotibus, magno fructu procederent; accessêre mox vicini circum Dynastæ ac Comites, Widekindus de Rheda, ejusque mater Lutridis, Bernardus de Lippia, Ludgerus Comes de Waldeck, Widekindus Comes de Swalenberg, ejusque fratres Hermannus, Volcquinus, Henricus; quibus additur alius, videlicet Comes de Aldenberg ex diœcesi itidem Paderbornensi. Hi una simul animorum consensione convenêre in dotandum fundan-

Initia Cœnobij Campi Mariæ vulgò Marienfeld.

dandumque Cœnobium; amplamque singuli patrimonij partem contulêre. Ac Bernardus de Lippia ad hanc rem recepit omnia feuda, quæ priori bello amiserat, ab Henrico Arensbergensi Comite, idque per Philippum Coloniensem Archiepiscopum impetratum; id quod ex vetustis tabulis docet Cleinsorgius. Quanquam post Hermannum Episcopum nemo largius de condendo hoc Cœnobio meritus, quàm Widekindus Dynasta in Rheda, opulentus Monasterij Leisbornensis, Hertzebrochensis, & Freckenhorstensis Advocatus; is postquam haud multò post cum Friderico Imperatore profectus in Palæstinam, advocatias trium Cœnobiorum, quas ab Hermanno Episcopo acceperat, ultro renunciavit Episcopo; possessiones verò ceteras ac Ministeriales Cœnobio Mariæ Campi transcripsit: voto simul edito, si incolumis rediret, religiosum se habitum in eodem Cœnobio sumpturum. Sed cùm ea in expeditione occumberet, ossa per fidum militem reportata in Westfaliam, conditaque sunt in Basilica Campi Mariæ. Igitur ex testamenti tabulis, ante profectionem scriptis, cessêre Cœnobio sexaginta prædia, & pagus Hauswinckel. Ministeriales verò, consentiente Abbate, transiere ad Bernardum Comitem de Lippia; eum, qui in locum Rhedani post anno 1192 monasticam in eodem Cœnobio vitam est amplexus. Ita duo illi celebres per id tempus Westfaliæ heroës, per contemptionem rerum humanarum vitam Deo consecrârunt. Primus Marienfeldensis Cœnobij Abbas Eggehardus rogatu fundatorum impositus, transmissusque à Nicolao Herswitehusano seu Hardehusano Abbate, à quo inter religiosos sui Cœnobij ad omnis virtutis formam excultus erat; ut jam illustre illud Marienfeldense Cœnobium è Paderbornensi diœcesi traducta sit Colonia. Quippe cùm Hermannus Episcopus, Paderbornæ congressus cum Sifrido Episcopo nostro, didicisset florentem disciplinam pietatemque religiosorum hominum in Hardehusano Cœnobio, & ipse & ceteri Comites incensi sunt ardore geminum Hardehusanum Cœnobium condendi.

Inde hoc anno introducti primùm solemni ritu Monachi ex Cœnobio nostro Hardehusano; ut vetus habet versus in Marienfeldensium annalibus.

Ferte Dei zelum, si scribitur e fine CeLVM:
Grex iit hinc dexter, si subdideris tamen XXX ter.

Sed planius hæc cognoscentur ex fundationis tabulis, quas hoc anno Hermannus Episcopus, Lucio tertio adhuc vivente Pontifice, & Friderico Imperatore consignavit.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Hermannus Dei gratia Monasteriensis Episcopus secundus. Quotiens ex devotione fidelium, vel oblatione Principum Ecclesia Dei rationabilibus proficit incrementis, oportet nos, quos non æstimator meriti, sed gratiæ largitor Dominus tanquam speculatores

res in eminenti constituit, piis eorum studiis gratanter occurrere, bonam voluntatem adhortando promovere, acta commendando approbare, et ne opus in fundamento vacillet, quid et qualiter sit actum, posteritatis notitiæ scripto transmittere, quatenus et bonis imitatoribus exemplum pietatis inde præberi, et de sinistro aliquid machinantibus tam rationis quàm auctoritatis titulo possit obviari. Universis itaque præsentis et futuræ ætatis fidelibus innotescere volumus, quod quidam nobilis de nostra diœcesi Widekindus Advocatus, et mater ejus Lutthradis, spiritu consilii salubriter instructi, et aliquem ex se fructum in tempore suo Domino provenire desiderantes, fundum quendam et quatuor mansos in Hundingen, cum decimis attinentibus ab Ecclesia Vrekenhorst commutaverint, restituentes in concambio fundi quosdam agros prædii sui, sub curti, quæ Belen dicitur, adjacentes, et in concambio mansorum domum unam in Gerboldincthorp, aliam in Bersen, tertiam in Ovenvvide, adhuc in mentis Secretario retinentes quid inde proponerent. Quorum bonæ intentionis odore attracti duo alii nobiles Bernhardus de Lippia et Ludgerus de Waldenberg, duas partes de totius æstimationis sortis à prædicto Advocato et matre ejus ementes cambitæ possessionis se coheredes addiderunt. Illud quoque necessario recapitulandum duximus, quod et fundi et mansorum cambitio sub jurisdictione Rathardi Comitis, in loco Matthenhem sententia et consensu Scabinorum annuente sub regio banno est stabilita, et ibidem Bernardus et Ludgerus emptionem suam ab Advocato et matre ejus confirmaverunt, Rathardo regium bannum exequente. Deinde præfati tres nobiles, ædificandi Monasterii in sæpe dicto fundo licentiam à nostra benignitate petierunt. Qua obtenta in loco per manum nostram primitus benedicto, in honorem Dei et gloriosissimæ Genitricis ejus MARIÆ Monasterii fundamenta cum sancta jocunditate posuerunt, et ad ejus dotationem jam dictum fundum et mansos obtulerunt, et ad majorem suæ devotionis expressionem, ipsum locum beatæ MARIÆ campum appellarunt. Præterea jam dictus Widekindus Ecclesiam Hosvvincla, in qua ipse hereditaria devolutione jus patronatus habuit cum curti sua ibidem sita, et duos mansos in Rehe, suæ novellæ Ecclesiæ cum universis attinentiis integrè donavit. Nos quoque debita hilaritate illorum devotionem excipientes supradictæ Ecclesiæ videlicet Hosvvincle bannum integraliter jam dicto Monasterio in solatium et augmentum benignè contulimus, quem nos ab Ecclesia beati Mauritii sufficienti commutatione et indempni cambivimus. Insuper quinque solidos in curti Hosvvincle Episcopales reditus pertinentes, ibidem obtulimus et Episcopali mensæ aliam decimam sex solidorum de duabus domibus juxta Walbike, et de aliis in Delestorpe, quæ tunc vacabat, in recompensationem restituimus. Sed et Bernardus de Lippia eidem Ecclesiæ consensu heredum suorum contradidit unam domum prædii sui in Selehorst, et alteram quæ dicitur Provenstinchoff; quam à Bernardo Monasteriensis Ecclesiæ majori Præposito nostro et totius capituli consensu cambivit, restituens Ecclesiæ nostræ duos mansos prædii sui in Leverdinctorp, et duos in Adenhothnen, et agrum curti Rucampe attinentem. Cujus concambii restitutio sub jurisdictione

one Ruthardi in Hornen sub regio banno sententialiter est confirmata. Widekindus quoque de Schvvalenberg cum fratribus suis Herimanno, Volquino, et Henrico cum alios adhuc non haberent heredes, et pro ætatis integritate libero fruerentur dispositionis arbitrio, jam dicto claustro Ecclesiam Stapellagen et curtim ibidem sitam cum omnibus attinentiis suis pari voto et unanimi assensu assignaverunt. Nec hoc prætereundum, quod VVidekindus Advocatus sexagintamarcas, quas in bonis illis nomine pignoris habuit, præfato beatæ MARIÆ campo inseruit. Et hæc donatio prædictorum fratrum sub regio banno in loco Bracvvide coram Thancberno Comite stabilita est. Quod ideo factum est in loco illo, quia bannus in quo bona illa sita sunt, certum tempore illo non habuit provisorem. Hujus donationis testes sunt Bernardus et VVidekindus, Florin de Ribelmund, Gumbertus de Ertburch, Fridericus de Spenga, Amelungus Comes de Parburnen, et frater ejus Crachto, Henricus de Lippia, Gerardus de VVilpintorp. Ejusdem etiam cœnobii provisores à Gerardo Præposito et fratribus ejus unam domum in Silchorst, et mansum unum in Bulten integraliter emerunt, cujus emptionis stabilitio coram Rathardo in loco Matthenhem. debito est ordine terminata. Iidem etiam provisores à quodam libero homine Lieveken domum unam cum omnibus attinentiis emerunt, et in eodem loco coram sæpe dicto Rathardo emptionis suæ stabilitatem obtinuerunt, præsentibus et collaudantibus Arnoldo Comite de Altena, et VVidekindo de Oseda. His omnibus ea quæ dictum est stabilitate ordinatis, præfati fundatores novellam plantationem suam beato Paulo et nobis nostrisque Successoribus coram totius capituli audientia perpetua donatione gratis et liberè obtulerunt, ea tantum pactione intercedente, ut idem locus sicut ad Monasteriensem Ecclesiam obedientiæ et proprietatis haberet respectum, ita ab eadem speraret perpetuum defensionis patrocinium. Quem nos etiam ab omni exactione nostra, vel successorum nostrorum omnino liberum et absolutum esse concessimus. Posthac quidam Ministerialis beati Pauli nomine Genvvinus de Bukenevorde, animæ suæ miserando talentum decimæ positum in Theten, uxore et filio collaudantibus nobis resignavit. Similiter et quidam Lutfridus Svvethero de Vlethe, Suetherus Bernardo de Lippia, Bernardus verò nobis decimam super duas domus in Honlo exfestucavit. Nos verò hanc et prædictam decimam à Gervvino resignatam dicto Monasterio donavimus. Insuper VVidekindus Advocatus domum quandam in Pelechem, quam à nobis feudali jure tenuit, liberè resignans eidem Monasterio in proprietatem donari à nobis efficaciter impetravit. Igitur ut tantorum munerum semina in vitam æternam proficiant, venerabilium Cistertiensis generalis capituli Patrum benigno freti assensu in loco memorato congregationem, de filiis eorundem in honorem Dei omnipotentis, et venerationem beatissimæ semper Virginis MARIÆ constituimus, et potestatem à Deo habentes ipsis ipsorumque successoribus Ordinis sui consuetudines illis servare libertate perpetua libentissimè concedimus. Quoniam autem universitas Ecclesiarum Advocatorum insolentia laborat et ferè succumbit, nos id pro posse nostro diligenti sollicitudine præcaventes eis-
dem

dem fratribus liberam in quemcunque voluerint Advocatum electionem, et ejusdem si minus utilis fuerit, sine contradictione depositionem indulgemus; ita duntaxat, ut quemcunque elegerint, à nobis donum accipiat. Et ne Advocatus plus in loco illo juris, quam oportet sibi vendicando usurpet, certos ei terminos assignamus, ut videlicet non in pluribus quàm in duobus equis ad claustrum si vocatus fuerit accedat, et si pro hereditatibus obtinendis, vel commutationibus exequendis jure suo operam impenderit, tantum sex denariis sit contentus, non emolumenti quantitatem attendens, sed illius potius quem apud Deum patrem Advocatum habemus JESU Christi retributionem feliciter exspectans. Adjiciendum quoque est, quod nos unum mansum in Rebe cum aliis in Gropenloh ab Ecclesia Sancti Mauritii cambivimus, et ita nos, et Advocatus domum duorum mansorum in Rebe prædicto Monasterio dedimus. Sed et mansum alium in Clesphem à Conrado de Ostberge ministeriali beati Pauli, et octo litones nobis resignatos eidem loco contulimus. Insuper supradictus Advocatus unum mansum in loco qui vocatur Gest, alium in Bukei, et Bernhardus de Lippia unum in Grunhorst sæpe dicto cœnobio obtulerunt. Ut igitur hæc ordinatio tam diligenti circumspectione pertractata, perpetua stabilitate consistat, præsentem paginam sigilli nostri annexione roboratam adscribi jussimus, auctoritate Dei et nostra terribiliter excommunicantes, qui beatæ MARIÆ campum in modò oblatis vel in futurum offerendis inquietare, vel contra præscriptam ejus libertatem aliquid præsumpserit ordinare. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quinto, Indictione tertia, Præsidente Romanæ Sedi Lucio Papa tertio, Regnante Friderico Romanorum Imperatore Augusto, præsentibus Clericis et Laicis, quorum hæc nomina sunt. Bernardus major Præpositus, Bernhardus major Decanus, Herimannus Abbas in Cappenberch, Winzo Abbas in Lisbern, Werenbaldus Abbas in Varlar, Udo S. Pauli Præpositus, Herimannus Sancti Mauritii Præpositus, Franco Sancti Pauli Decanus, Fridericus Sancti Lugeri Præpositus, Fridericus Sancti Ludgeri Decanus et totius capituli nostri conventus, Herimannus Comes de Ravensberg, Symon de Tekeneburch. Otto Comes de Benethem, Rodolffus de Stenvorht, et filius ejus Ludolfus, Johannes de Ahus, Godscalcus de Lon, Burchardus de Aschenberge, Henricus de Dulmen, Henricus de Rechethe, Ludolfus de Beverne, Godefridus de Sconebike, Herimannus de Monasterio, Godescalcus de Saprothe, Rutgerus de Bilrebeke et alii quamplures.

Hermannus Ep. Monast. post plura in Cœnobium Marienfeldense collata beneficia, tandem ei-

Multis dehinc donationibus Hermannus Episcopus accumulavit hoc Monasterium, quæ ex tabulario ejus loci proferri poterunt; donec postremũ se ipsum daret, & abdicatis Episcopi curis, ac sumpto, ut volunt, habitu, istic ad quietiorem sanctioremq; vitam secederet.

Ceterum hoc ipso anno Sifridus Episcopus noster, pro singulari familiaritate, quam per omnem vitam coluerat cum Conrado Corbeiensium Abbate, omnes donationes, quas superiores Episcopi Cœnobio fecerant, pontificali auctoritate instaurat. Has tabulas, quia singu-

dem se monasterio transscripsit.

singularem Sifridi Episcopi pietatem, ac liberalitatem erga omnes religiosos homines, simulque Cœnobij illius florentem disciplinam testantur, hic exhibere intererit.

Sifridus Ep. Pad. confirmat Decessorum suorum donationes Corbeiensi Monasterio factas.

Sifridus Dei gratia Paderbornensis Episcopus Monasterio Corbeiensi in perpetuum. Cum ex injuncto nobis Præsulatus officio utilitatibus omnium Ecclesiarum sive Monasteriorum nostræ diœcesis diligenti nos studio invigilare deceat, quatenus ita in disciplinis spiritualibus proficiant, & tale in temporalibus sentiant incrementum, ut non vituperetur ministerium nostrum &c. Hujus rei gratia dilectis fratribus & amicis nostris Monachis Corbeiensibus; qui propter honestatem suæ conversationis magnum & spiritualem nostræ dilectionis meruerunt favorem, Decimationes novalium suorum in Frithebule/ *in* Bilenberg/ *in* Rotinberg/ Habbenberg/ Kulinge/ Humbatissen/ Levingessen/ *quæ jure communi & generali Cathedralium Ecclesiarum privilegio Paderbornensi Ecclesiæ pertinebant, à prædecessoribus nostris inclytæ recordationis Episcopis Henrico, Bernardo, Evergiso ipsis donatas recolimus, & donationes ratas habemus, & ratas habendo nostra auctoritate confirmamus. Insuper etiam decimas in duabus marchiis Albachdissen & Bodekissen perpetuo tradimus, accepto pro his predio in commutatione sito in* Offendorp/ *ab omni jurisdictione advocati absoluto. Sed quum in his diebus malis filii Adæ, ut sibi Lucium venentur, aliis damnum facere non verentur, et nihil adeo firmè est statutum, ad quod non laboret calumnia dissolvendi, ne hæc res tam celebriter & salubriter gesta ex celeri & occulto temporum lapsu oblivionis sentiret dispendium, famam hujus facti præsenti scripto perpetuare, & sigilli nostri impressione, ac testium subscriptione roborare decrevimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXV Indictione III. Testes Henricus Abbas Apostolorum Petri & Pauli in Paderburn, Altmannus major Præpositus, Volbertus Decanus, Godescalcus Northusensis Præpositus, Bernardus SS. Apostolorum Petri & Andreæ Præpositus, Meinricus, Ludovicus, Conradus, Conradus, Godefridus, Alexander, Erpo, Henricus Scholasticus, Lambertus Cellerarius, Hugo, Theodoricus, Conradus, Bernardus, Vulferammus, Heremannus, Heremannus, Volquinus. Laici Amelingus, Florin, Henric de Spenge, aliique.*

Vicissim Conradus Abbas, ne quid inter ipsos vinculum concordiæ & christianæ caritatis convelleret, hisce honorarijs compensationis literis exornavit Episcopum & Collegium Canonicorum.

Ego Conradus Dei gratia Corbeiensis Abbas, & universum capitulum, Patherburn. Ecclesiæ in perpetuum amen. Cum doctrina Apostolica, & Beati Benedicti regula, secundum quam vivimus, & vivere debemus, nos aliena non appetere, & quod ex nobis est, pacem cum omnibus habere precipiat, maxime tamen cum illis, qui ex suæ bonitatis dignatione, per multa sinceræ karitatis argumenta nostræ in se devotionis provocarunt affectum. Hac de re mota nobis questione à venerabili Domino Siffrido Patherburnensi Episcopo super decimis novalium nostrorum in Frithebule, Bilenberch, Rosenberch, Haddenberch, Kulinge, Humbathissen, Levingessen; quas predecessores ejus Episcopi gloriosæ recordationis, Heinricus, Bernhardus, Evergisus, nobis dederant, quamvis ipsorum donatio canonica, quamvis præscriptio longa, & apostolicorum Adriani et Alexandri III privilegia, religiosis domibus de non præstandis decimis indulta ei silencium indicerent, tamen ne nobis remaneret occasio litigandi cum Patherburnensi Ecclesia, quam pro sui honestate semper diligere, & pro Cathedrali, quo preeminet honore, semper revereri volumus, indempnitati ejus pro modulo facultatum nostrarum providere cupientes, pro decimis prescriptorum novalium in duabus marchiis Albahtissen, Bodikessen, quas prefatus Dominus Siffridus nobis contulit, predium quoddam in Offendorp ei dedimus in proprium ab omni jurisdictione advocati absolutum, & ab omni petitione cujuslibet quovis unquam tempore super eodem predio questionem moturi absolvendum. Sed quoniam in his diebus malis filii Ade, ut sibi lucrum venentur, aliis damnum facere non verentur, & nihil adeo firmè est statutum, ad quod non laboret calumpnia dissolvendum, ne hec res tam celeriter, quam salubriter gesta ex celeri & occulto lapsu temporum oblivionis sentiret dispendium, famam hujus facti præsenti scripto perpetuare, & sigilli nostri impressione, ac testium subscriptione roborare decrevimus. Actum anno

anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXV, Indict. III. Testes hujus rei sunt Fridericus prior, Meinhardus Præpositus, VVezel, Albraht, Lambraht, Odelric, Thideric, Rotholf, Vnarg, Hartman, Robraht, Reinhere, Widekint, Regenhart, & fratres omnes, quorum omnium præsentia & consensu sigilli ipsorum testatur impressio. Laici quoque interfuerunt Albertus Comes de Everstεn, Bernhardus de Lippia, Widekindus de Rethe, Bodo & Bertholdus de Homberch, Fretheric, Hugo, Bodo de Huxere, Cunrat, Wasmut, Karolus, Iohan, Wernhere, Heinric, Gerebraht, Heinric, Erenbrecht, Arnolt, Reinher, Volquin, Werenbolt.

Ita Ecclesiarum suarum commodis dum student Sifridus Episcopus noster & Conradus Abbas, felici ad Visurgim morte 15 Febr. subtrahitur Anno Blanckenburgius, XXVI Mindensium Antistes, ob præclara facinora non levi sanctitatis famâ apud posteros relictâ. Sublectus huic successit Dithmarus, XXVII Mindensis Ecclesiæ Episcopus, pari sanctitatis laude commendatus; uti hæc pluribus in eorundem fastis referuntur. Obitus Annonis Ep. Mindensis.

Annus Christi 1186.

Urbani III Pont. 1.
Friderici I. Reg. 35. Imper. 32.
Sifridi Episcopi Pad. 8. & ultimus.

Aderat nunc annus Christi MCLXXXVI supremus Sifrido Episcopo nostro. Et is, tanquam divino monitu se ad extremam vitæ lineam deductum intelligeret, nihil impensius habuit, quàm ut inter cetera pietatis opera, concordiam, quam ipse cum omnibus per omnem vitam studiosè coluerat, etiam inter alios sanciret. Quare cùm Gerdenses Virgines, quas mirificè commendat à cultu religionis & pietatis, videret jam per multos annos affligi ab insolenti diœcesis suæ viro, ex controversa quadam hereditate, convocavit præsules, Canonicos, vicinos Comites ad consilium, delectisque arbitris litem ex æquo bonoque decidit, tabulasque publicas, quibus hæc firma essent, anno Incarnationis MCLXXXVI confecit. Testes, ut his optimi præsulis sollicitudo cognoscatur, fuere Altmannus Ecclesiæ majoris Præpositus, Volbertus Decanus, Godeschalcus Northeimensis Præpositus, Bernardus Præpositus Apostolorum Petri & Andreæ, Meinricus Cappellanus, Ludovicus, duo Conradi, Godefridus, Erpo, Alexander, Henricus Scholasticus, Lambertus Cellerarius, Theodoricus custos, Theodericus, Conradus, Bernhardus Subdiaconus, Henricus Apostolorum Petri & Pauli Abbas in Paderburn, Nicolaus Hersvithusensis seu Hardehusanus Abbas, Widekindus Advocatus, Conradus de Stonenberg, Bernardus de Lippia, Widekindus de Rhede, Albertus de Eversten, Widekindus de Osede, Amelungus Comes civitatis nostræ. Acta hæc referuntur anno Incarnationis MCLXXXVI, Indict. IV, præsidente Ecclesiæ Romanæ Urbano Papa III. regnante Domino Friderico Augustorum Serenissimo. Tam solliciti tum erant integerrimi Episcopi in convocandis tot arbitris, ne cuiquam injuriam irrogarent, Sifridus Ep. componit litem Gerdensibus motam.

rent, aut lites partium traherentur per jurgia, & vexationes religiosorum hominum Deo servientium.

Sifridi Ep. Paderb. mors & laus. *Gobelinus ætat. 6. c. 60. Crantzius l. 7. Metrop c. 8. Bruschius in Ep. Pad. Kersenbrochius in Cat. Ep. Pad. Cleinsorg. in Chron.*

Nec multum ab his superstes Sifridus, IV Idus Februarij moritur, magno sui desiderio relicto; quem obitus diem annumque in necrologio Monasterij Mariæ notatum reperimus; falliturq; Gobelinus, Crantzius, Kersenbrochius & Bruschius, qui novem illi annos in præfectura sacra assignant; quando & tabulæ Successoris ex hoc anno consignatæ extant, quas paulò post producemus; ut jam melius nobis ratio temporum constet, qui cum Cleinsorgio in octavum annum eius Episcopatum extrahimus, deducendo ab Autumno anni 1178, ad præsentem anni 1186 mensem Februarium. Quod & Bruschio cum Kersenbrochio fateri necesse est; quando hoc ipso anno obijsse scribunt. Unde & Crantzij error compertus, qui sequenti anno 1187 mortuum tradit. Corpus defuncti Episcopi, ut vivus constituerat, deportatum est ad Cœnobium Hardehusanum: voluitque quiescere inter religiosorum virorum consortia, quos per omnem vitam dilexerat, & multis adeo donationibus auxerat, ut alter conditor haberi posset; eóque in Aquilonari templi latere ad altare Apostolorum Petri & Pauli, quod in altera est abside, erecto altius sepulchro honorificè conditus: ejus hæc inscriptio.

Forma pudicitiæ, flos Cleri, norma Sophiæ,
Præsul Sifridus, fidei venerabile Sidus,
De cujus dono domus ista viget duce dono.
Fontali radio radiet nunc lumine Dio.

Paucos quidem annos Episcopus, sed qui per annos longè plures Præpositus majoris Ecclesiæ, & præclarè de Episcopatu meritus, ex senio & longa rerum experientia Episcopatum feliciter administravit. Quemadmodum ob modestiam, vitæ integritatem, & canam sapientiam magnæ apud Principes & vicinos Comites auctoritatis carusque omnibus erat. Quippe priscæ religionis Episcopus, qui florentem clerum intra claustri disciplinam, communemq; vitam continuit, uti à Meinwerco, Imado, Bernardo, ab Hathumaro & Badurado Episcopis acceperat; ejus rei gratia in donationum tabulis tot præstantes Cathedralis hujus Collegij Sacerdotes inter testes subinde proferre visum fuit; quando haud magno adhuc discrimine, Canonici & Monachi procul à luxu deterioris sæculi vivebant.

BERN-

BERNARDUS II

eo nomine XIX.

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1186.

Bernardi II Ep. Pad. I.

SUccessor Sifridi in Episcopatu Paderbornensi hoc anno Bernardus eo nomine II; id quod Gobelinus, Kersenbrochius, Bruschius, Crantzius, & omnia literarum nostrarum monumenta docent. Horum quoque opinione Bernardus ex Dissedorum familia ortus traditur, quæ inter Osnabrugenses è Westfalia Dynastas clara per id tempus fuit. Sed ea qualis tandem fuerit; certè Bernardus in literis donationum Wilbacensis Cœnobij Bernardum Comitem de Lippia consanguineum suum appellat. Quanquam & in vetustis Gerdensis Cœnobij literis reperiam, ab eo Bernardum de Osede, ex qua familia Bernardus eo nomine primus, & tertius Episcopus noster fuit, scribi consanguineum suum. Letznerus heterodoxus scriptor ex Monacho Corbeiensi delectum scribit Episcopum. Nihil hac super re Gobelinus, Crantzius, ceterique nostratium auctores. Libere & per conjecturam multa Letznerus. Verisimilius è clero delectum censeo, ac Ludolphi filium fuisse Bernardum, qui inter Canonicos toties testis publicis tabulis introducitur. Ejus subrogatio proximis statim diebus facta est; nam Kalendis Aprilis, postquam in Februario decesserat Sifridus, Episcopatum exorsus est à beneficijs in religiosos homines: publicis hoc anno tabulis consignatis, quibus Cœnobio Mariæ omnia bona, omnesque decimas à Bernardo consanguineo suo Episcopo datas roboravit. Eæ sic habent.

Bernardus II ex familia de Dissede vel Osede Ep. Paderb.

Bernardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus. Notum esse volumus universitati Christi fidelium, tam futurorum quàm præsentium, quod Bernardus prædecessor noster felicis recordationis de consensu totius Capituli, ob spem æternæ remunerationis, et salutis animæ suæ, quædam bona, tam in decimis, quam aliis redditibus ac mancipiis, justè ac legaliter acquisita, obtulit Deo, ejusque Genitrici B. Mariæ perpetuæ Virgini, in loco constructo à Widekindo Comite, qui vocatur Sancta Mariæ Munster. Ordine inde omnia

Bona à Bernardo I Cœnobio Marien-Munster donata comprobat.

omnia bona percenset, & sua auctoritate rata habet. *Præsentes autem erant huic facto Abbas Henricus de curia Præpositus, Altman Decanus, Wilbertus Scholasticus, Henricus de Burbenne, Conradus Stapel et Wernerus fratres, Wolbertus et Henricus de Hilse fratres. Datum Paderbornæ Anno gratiæ Millesimo centesimo octogesimo sexto, Calend. Aprilis.*

Dissidium Fridericum Imperat. inter & Pontificem Germaniæq; Episcopos.

His tabulis satis constat Bernardum hoc ipso anno subrogatum Sifrido, ne quid ab Imperatore turbaretur. Nam is gravi rursum dissidio cum Pontifice & Germaniæ Episcopis commissus, ob exuvias Episcoporum. Quam in rem postquam Mediolani Henrico filio Regi Constantiam, Regis Siciliæ filiam, magna nuptiarum celebritate junxisset, VII Idus Februarij iratum plenus in Germaniam redijt; obtrusoque in Trevirensem Sedem Rudolpho, Folmarum à Pontifice approbatum depellit, & Bertramum Metensem Episcopum, quòd Folmarum recepisset, sede quoque sua exturbat. Exinde indictis Gelhusii Episcoporum & Principum comitijs, graviter questus adversus Urbanum Pontificem, quòd patrimonium Mathildis repeteret: exuvias Episcoporum interdiceret: indignèque ferret Abbatissas ob vitæ licentiam moveri loco, & bona earum trahi ad fiscum Imperij.

Accesserat querela de advocatis Episcoporum & Abbatum, quod infestum hominum genus, & per spolia grave, abrogandum petierant Episcopi. Ausi hi decimas repetere à Caroli M. Episcopis per totam Saxoniam in patrimonium Ecclesiæ datas. Quæ cùm Imperator in comitijs vehementi oratione exponeret Episcopis, & in his verus jus ostenderet; obstitere Philippus Coloniensis, Conradus Moguntinus & Folmarus Trevirensis, Archiepiscopi; quibus duodecim Episcopi accessêre, pro libertate Ecclesiæ, & Pontificis auctoritate asserenda, quem Deus Rectorem Ecclesiæ in omnibus audiendum colendumque dederit. Igitur multis agitatis inter Imperatorem & Episcopos, planius tandem per literas omnia ad judicium Pontificis delata. Quæ postquam magis ad voluntatem Imperatoris scripta erant, quàm ante sollicitârant Episcopi, obstupuit Pontifex ad commutatas mentes; & jam prope erat, ut Imperatorem anathematis sententia feriret, nisi Veronenses cives, ne id apud se fieret, deprecati fuissent, & mors Pontificis haud multò post consecuta impediisset. Ægre nimirum ferebat Ænobardus investituras institutionesque Episcoporum Imperatoribus præreptas. Quapropter in his comitijs Geilhusanis palàm edixit, nunquam se permissurum, has scintillas juris sui, quas in exuvijs Episcoporum haberet, extingui; quantumvis Episcopi quererentur, Successores suos non nisi pauperem & omni suppellectile spoliatam domum ingredi, eaq; ab harpyjs aulæ rapi, quæ Deo sint consecrata bona. Hinc Imperator tanquam præter exuvias repeteret investituras, Rudolphum obtrusit Trevirensibus, & Bertholdum ab Episcopatu Bremensi rejectum per Pontificem, inter aulicos sibi à latere

tere adscivit, donec in Metensi Episcopatu per vim collocaret. Atque hujus facti sui speciosam obtendebat causam, quòd diceret meliores ac sanctiores olim Episcopos Ecclesijs impositos esse ab Imperatoribus, quàm modò per electionem Canonicorum subrogarentur; præterquam quod tot ubique dissidijs & schismatum turbis à Canonicis electio Episcoporum fieret. Cui malo nunquam melius obveniri posset, quàm si institutio Episcoporum ad unam supremi Imperatoris potestatem rediret. Quæ cùm Paderburnenses suæ etiam libertatis periculo agitari viderent, concordi suffragatione electionem sui Episcopi maturârunt.

Exordia Episcopatus Bernardo haud secus, quàm ceteris, satis ardua fuêre ob vicinos & potentes circum Comites, à quibus per id tempus multa tumultuarijs bellis & prædis miscebantur. Quare primò transactum cum Bernardo Comite de Lippia, ejusque filio Hermanno, de monte Falkenbergio, quem Bernardus II præsidio militari firmare aggressus, multaque sibi contra jura Episcopi vendicare cœperat; quæ controversia in hunc, quem Bernardi Episcopi literæ docent, modum composita est.

Bernardus Ep. transigit cum Comite Lippiensi de castro & monte Falckenberg.

Bernardus II Dei gratia Paderbornensis Episcopus Paderburn. Ecclesiæ in perpetuum. Sollicitè et intentè considerantes, quod pastores Ecclesiarum non solum præsentem, sed futurum respicere, nec solum præsentia, si prosperè agantur, intueri, verum etiam mala, etsi nunquam eveniant, amministracio suscepta, præcavere compellit. Nobili viro et honorato Bernardo de Lippia, dum præsidium in monte Falkenberh construere disposuit, totis viribus ei resistendum duximus, ipsum ab edificacione inchoata prohibere. Verum quia ipsa prohibicio damna et pericula, quæ in rebus bellicis evitari impossibile est, minabatur, litem et dissensionem Priores nobiles et ministeriales Patherbrunnensis Ecclesiæ, maximèque prædictus Bertholdus, qui ex quadam speciali et hæreditaria fidelitate Ecclesiam familiarius dilexit, sua mediacione, eo ordine quem subscriptus hujus instrumenti textus continet, deciderunt. Prædictus Nobilis vir D. Bertholdus, et Hermannus filius ejus libere et absolutè proprietatem montis Valkenberch in foresto Ecclesie Patherbrunnensis positi recognoverunt Episoopo, et Ecclesie Patherbrunnensi, Mons divisus fuit à summo usque ad ymum, mediam partem edificabit, et inhabitabit Episcopus, et Ecclesia Patherbrunnensis, reliquam mediam partem Dominus Bertholdus et Hermannus filius ejus ædificabunt, et jure feodali Episcopi auctoritate possidebunt, tali condicione interposita, ut omnia, quæ extra fossatum in vicinia montis sita sunt, in aquis, pascuis, et silvis, utrique parti sint communia. Primo loco erat in pactis, quod in occidentali parte nemoris versus Patherbrun dicti Bertholdus et Hermannus impeticione, vel hospiciis nec etiam in straminibus afferendis, unde rustici plurimum damnificantur, usum aliquem haberent. Secundo loco erat in pactis, quod ex alia parte nemoris quidquid emergeret per peticionem in provincia adjacente media pars cederet Episcopo,

scopo, reliquam dicti Bertholdus et Hermannus perciperent. Tertio loco fuit adjectum, quod salva majestate Imperatoris absolute fidelitatem Ecclesiæ Patherbrunnensis conservarent. Consequenter fuit in pactis, quod si Dominus Hermannus patri suo succedens necessitate cogente contra hostes suos auxilium ab Episcopo postularet, Episcopus ad bonum pacis se interponeret. Si vero composicio amica intervenire non posset, ipse cum bona voluntate Episcopi ab hostibus suis de castro Valckenberh se defenderet, si autem pro motu animi sui bellum movere vellet, tempore belli facturus incendia sive dempnationes, non inde procederet nec illuc rediret, sed castellani sui, ad fidelem castri custodiam pacifici remanerent, ne occasione sui Ecclesia damna pateretur. Statutum est et hoc quod quotiens Episcopus sit in castro claves porte in sua sint potestate, et in absentia Episcopi, si D. Hermannus ibi est, claves coram eo ponentur, si neuter eorum præsens est, uni Castellanorum, cujus fidei et honestati castrum merito posset credi, ex consensu partium committantur, et ille speciale juramentum præstabit. Ordinatum quoque est, quod si D. Hermannus vel directe ab eo descendens filium non haberet hæredem, sed plures filias, una filiarum, cui pater assignarit in possessionem castri, jure succederet feodali, pacta, quæ in hoc instrumento expressa sunt fideliter observatura. Hoc quoq; adjectum est, et pactis insertum, quod D. Episcopus nullum D. Hermanno parem vel eo majorem in parte sua debeat recipere, vel ad inhabitandum collocare. Omnes Castellani juramenta prestabunt utriq; parti ad conservationem castri. Pro voluntate et consensu utriusq; partis locandi sunt Castellani. Inter cetera precipue hoc fideliter promissum est, et speciali cautione firmatum, quod in predicto castro nulla specialis munitio sive turris absque consensu partium exstrueretur. Suprascripta omnia sepedicti Bertholdus et Hermannus se firmiter observaturos fide interposita et Sacramentis prestitis sub pena amissionis bonorum suorum in jure feodali promiserunt. Ne autem aliquis de his omnibus quicquam valeat infringere vel immutare, Episcopo et Ecclesiæ dati sunt Obsides cum uxoribus et pueris et prediis et feodis suis, quæ tenent de manu Dominorum de Lippia, de quorum mandato obsides fidelitatem Episcopo et Ecclesiæ Patherbrunnensi juraverunt, et sub religione juramenti promiserunt, quod si Domini eorum contra predicta pacta venirent, ipsi cum uxoribus et pueris et bonis suis Ecclesiæ Pathorbornensi perpetuo jure ministerialium pertinerent. Nomina obsidum sunt hæc Hermannus Rufus, Albero de Husse, Hysfret de Lothere, Folmunt de Werimichen, Hereboldus de Dinctorp, Udo de Dissiden, Godescalcus de Eldinchusen, Bruno de Suthlage, Sifridus de Husse, Widekindus de Asche, Hermannus magnus, Hermannus Bokko, cum bonis, quæ tenent de manu prædictorum nobilium. Preterea sepedicti nobiles Bertholdus et Hermannus in jure feodali hoc elegerunt, quod si ipsi contra hec pacta venire aliquo modo temptarent, Episcopus per Priores et nobiles fideles Ecclesiæ sive ministeriales et Canonicos Patherborn. suam probaret assertionem. Verum quia hoc negotium rationabiliter et prudenter ordinatum, sepedictis nobilibus et suis hæredibus cum Patherborn. Ecclesia, cui ipsi speciali fideli-

tate

tute devincti, commune est, placuit potius presens instrumentum sigillo Ecclesie quam nostro communiri, ut et ipsi eo, si necesse fuerit, contra quemlibet succedentium Episcoporum uti possint, et testimonio Ecclesia juris et cause sue veritatem declarare.

Mons hic est Valckenbergius situs inter Dethmoldiam & Hornam, celebri cumprimis loco, ad quem Varus cladem accepit ab Arminio, & Carolus M. memorabili prælio cecidit Saxones. Is deinde locus cum comitatu Haholtino dono D. Henrici Imperatoris cessit Meinwerco, & Episcopis Paderbornensibus, ut supra à nobis in Meinwerco Episcopo relatum est. Post à Meinwerci ætate, cùm Episcopi vicinorum auxilijs, & defensione laborarent, multa ex nobili illo comitatu distracta obvenêre in feudum potentioribus; quos inter Bernardus I Lippiensis, ac parens hujus Bernardi II, celebris Lothario Imperatore miles, montem hunc primus occupasse, & præmunisse creditur. Exinde castrum montis à Bernardo III & Simone I firmatum, Comitumque firmissimum propugnaculum fuit, in quo Bernardus V. Ducem Lunenburgicum captivum tenuit. *Pider. p. 2. in Chron. Lippiensi.*

Annus Christi 1187.

Urbani III Pont. 2.
Gregorij VIII.
Friderici I Reg. 36. Imper. 33.
Bernardi II Ep. Pad. 2.

Consequitur nunc annus MCLXXXVII cum funesto ex Oriente nuncio, quo Palæstina prope Christianis erepta nunciabatur. Enimverò Saladinus Syriæ ac Ægypti Tyrannus, Damasco cum innumera barbarorum multitudine Hierosolymitanum regnum ingressus; cui Wido Hierosolymorum Rex, & Reinaldus Princeps cum Episcopis, Templarijs & hospitalarijs, atque omni milite obviam progressus; spe summa in salutari crucis ligno reposita, quod secum in castra deportârant. At quæ arcana Numinis iudicia, conserto inter octavam Apostolorum Petri & Pauli prælio, profligati sunt. Rex captus: Episcopi contrucidati: Crux in potestatem Saladini venit: ceteri aut cæsi, aut in fugam acti. Ea victoria Saladinus insolens, omnia ferè regni castella atque urbes, præter Tyrum, Sidonem, Tripolim, & Antiochiam, torrentis instar invasit, interceptaque Acone, nobili Christianorum portu, ipsam Hierosolymam urbem expugnavit; omnibusq; barbarum in modum sacrorum locis profanatis, sacratissimum templum in stabulum equorum convertit. Unicum Christi sepulchrum duntaxat sub custodia religiosorum hominum intactum reliquit Tyrannus. Quod etsi annui tributi quæstusque causa, qui ex peregrinorum accessu proveniebat, fecisse memoretur; alia tamen hic providentia divina ex vaticinio intervenit, quo sepulchrum ejus ad posteros

Godefrid. Arnoldus Lub. Otto de S. Blasio. Rogerus. Chron. Montis Sereni. Iacobus de Vitriaco. Baronius.

Saladinus terram Sanctam invadit.

ros orbis Christiani gloriosum fore accepimus. Cladis hujus mœrore Urbanus Pontifex consumptus. Subrogatus mox Gregorius VIII; qui licet non ultra mensem multum superstes fuerit, literis tamen ad omnes Christianos Principes datis, ad placandum numen expeditionemque in terram sanctam vehementer commovit. Quanquam ipsa fama, dolorque miserandæ cladis jam ante omnium Christianorum animos accenderat; ne urbs terraque sancta tanto labore & sanguine ante annos octoginta octo recuperata à Godefrido Duce, suorum inertia ac dedecore rursum barbaris cederet.

Diffident adhuc inter se Imperator & Episcopi.

Sed adhuc in Imperio intestina dissidia motusque, quibus consilia hæc expeditionis sacræ retardata. Quàm etiam indignè ferebant Episcopi quidam Folmarum Trevirensem Archiepiscopum depulsum; tam infestus Imperator Archiepiscopo, quem nullibi tutò consistere sinebat, donec exul in Angliam secederet. Majus negotium Imperatori erat cum Philippo Coloniensi Archiepiscopo, Apostolico Legato. Is quia pro libertate Ecclesiæ tuenda cum Pontifice fecerat, palamque ob id ex conventu Geilhusano secesserat, suspectus fuit Imperatori; & accensa offensio, quòd Archiepiscopus urbem Coloniensem muris fossisque præmuniret, lætâ civium operâ; ac cetera præterea castella, oppidaque præsidijs firmaret. Quam in rem Imperator Rhenum claudi imperat, ne quid frumenti annonæque in urbem importaretur. Conventum deinde Imperij festo Virginis in Cœlum assumptæ indixit Wormatiæ, in quo vehementer questus adversus Archiepiscopum. At magnanimus Archiepiscopus, causæ suæ æquitate fretus, parum commoveri visus est.

Inter hæc Bernardus Episcopus noster intrepido quoque animo suscepit veteres Ecclesiæ possessiones adversus vicinos hostes defendendas. Nam magna per id tempus licentia Comitum ac nobilium, tumultuariis per Westfaliam armis grassantium; quod Godefridus, & Gobelinus noster haud obscurè tradiderunt. Quare & armis se præmunire, & aulam Principis magnificentia instructam habere necesse fuit, in qua Camerarij, Dapiferi, Pincernæ, & Mareschalli Ministerialium primi censebantur; quemadmodùm id tabulæ Bernardi Episcopi Hardehusano Cœnobio consignatæ docebunt.

Bernardus Ep. prædium quoddam in Bunessen Cœnobio Hardehusano donat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Bernardus secundus Dei gratia Patherbrunnensis Episcopus omnibus Christi fidelibus in perpetuum amen. Lex humanæ constitutionis, et ratio dictavit justitiæ, ut pia sollicitudine priorum discretio satagat, providere suorum posteritati. Unde notum esse volumus, quod venerabilis Dominus Nicolaus Abbas, et fratres Cœnobii Hersvithehen prædium sex mansorum in Bunessen comparaverunt LX marcis à duobus fratribus, Ottone videlicet et Adolfo de Widenbruke, eisdem tempore, quo hæc facta sunt, matrimonio nondum obligatis. Qui etiam ipsum prædium uti hæreditario jure possederant, libere et absolutæ nostræ tra-

diderunt

diderunt ditioni, consensu et coniventia coheredum suorum, Theodorici scilicet Patherbrunnensis Ecclesiæ Canonici et Burchardi fratrum de Herkendorpe in præsentia Cleri et fidelium Ministerialium nostrorum. Nos quoque eadem bona in ipso instanti præfato Cœnobio contulimus, quam etiam traditionem banni auctoritate, et sigilli nostri impressione, omniq; cautione qua oportuit firmavimus. Testes hujus rei sunt Altmannus major Præpositus, Volbertus Decanus, Theodericus custos, Heinricus Scolasticus, Lambertus Cellerarius, et reliquus conventus S. Liborii in Patherburnen. Ministeriales Conradus Camerarius, Johannes Dapifer, Witheroldus Pincerna, Hermannus Marschallus, Ludolfus frater ejus, Widekindus de Osede. Facta sunt autem hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVII, Indictione VI. Sedente Domino Clemente. Imperante Domino Friderico sub Domino Conrado Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, Episcopatus nostri primo, mense Septembri in capitulo Patherburnensi.* *Indict. V.

Magnum ex his literis lucem accipit Ministerialium nomen, quo cùm nihil frequentius in omnibus antiquorum monumentis tum nihil obscurius esse volunt; videasque ex nomine & munere primùm designari aulæ ministros; eoque pati clientum beneficio obstricti erant Episcopis; quibus aut possessiones, aut prædia, aut decimæ in obsequium Episcopi, & defensionem Episcopatus donatæ erant. Nam quanta primorum Episcoporum industria erat in augendis bonis Ecclesiarum suarum, cùm piorum adhuc Imperatorum liberalitas flueret; tanta posterioribus Episcopis necessitas fuit tuendi ea, quæ liberalitate Regum & Cæsarum donata acceperant. Quem verò hîc annum primum Episcopatus consignant literæ, is consecrationis erit. At quomodo hæ literæ, anno MCLXXXVII datæ, proferunt Clementis III Pontificatum? cùm is Pontifex anno demum sequenti octavo Idus Januarij sit delectus, quod ex Rogerio Baronius tradit. Quare verius nobiscum Otto de S. Blasio Clementis Pontificatum etiam ad hunc annum revocare visus; ita enim ille. *Eodem anno* videlicet MCLXXXVII, *mortuo Urbano successit Gregorius, quo intra decem quasi dies defuncto, substituitur Clemens, eo nomine III.* Ministeriales quales fuerint.

Annus Christi 1188.

Clementis III Pont. 1.
Friderici I Reg. 37. Imper. 34.
Bernardi II Ep. Pad. 3.

Hic deinde Pontifex anno proximo, quod Gregorius cœperat, Legatos suos Cardinales, Episcopos, & presbyteros misit ad omnes Ecclesiæ Principes; è quibus Henricus Cardinalis Albanensis Episcopus venit in Germaniam, invitavitq; ad signum crucis suscipiendum. Ac mirum, quàm pronos invenerit Germanos. Imperator postquam ineunte Februario conventum Principum Norimbergæ habuerat, 6 Calend. Aprilis in Quadragesima Moguntiæ comitia indixit, quæ Imperator cum pluribus Episcopis & Principibus expeditionem in ter-

ram Sanctam suscipit. *Godefrid. Otto de S. Blasio. Auctor exped. Asiat. apud Canis. Arnold. Lubec. lib. 3 c. 28.*

pro expeditione terræ sanctæ celeberrima fuerunt: in quibus ipse cum Friderico filio, & Duce Sueviæ, à Godefrido Herbipolensi Episcopo cruce signatus. Ad tam illustre exemplum nomen suum dedêre Episcopi complures, Conradus Moguntinus, Pataviensis, Ratisbonensis, Herbipolensis, Vesontiensis, Basileensis, Tullensis: ex Saxoniæ Episcopis Hermannus Monasteriensis Episcopus, Osnabrugensis, Misnensis; Accessitque magnus Principum & Marchionum numerus ex tota Germania; inter quos ex Saxoniæ proceribus fuêre Robertus Comes Nassoviæ, Comes Holsatiæ, Theodericus Comes Cliviæ, Gerhardus Comes Juliæ, Engelbertus Comes Montensis, Widekindus Comes Swalenburgius, duo Henrici Dynastæ Dietzij: Haud minor procerum è superiori Germania numerus, quos ex suis illi annalibus producunt. Imperator, quàm ferventi animo hanc expeditionem suscepit, tam liberam esse voluit ab omni impedimento, ne quid se absente turbaretur in Jmperio. Quapropter in his Moguntinis comitijs ex integro cum Pontifice & Ecclesia in gratiam redijt. Composita Trevirensis Ecclesiæ controversia: reconciliati certis conditionibus Colonienses eorumque Archiepiscopus cum Imperatore: sopita bella inter Balduinum Trajectensem Episcopum & Ottonem Gelriæ Comitem, permissaque Velavia Gelro. Inde Paschate Geilenhusij celebrato, descendit in Saxoniam, & ad Visurgim Castella & munitiones, è quibus aut prædæ agebantur, aut iniqua navium tributa poscebantur, evertit. Ac ne quid ab Henrico Leone pro ingenio turbaretur, Goslariæ conventum Saxonicorum Principum habuit; vocatusq; Leo ad congressum Principum, jussus est cum Bernardo Duce, à quo diffidebat, redire in gratiam. Post quæ trium illi optio facta, aut pati dignitatis imminutionem, aut in Palæstinam cum Cæsare invitatum ire, postea plenariè restituendũ, aut per triennium exulare è patrio solo. Postremum cùm eligeret, in Angliam sponte remeavit, relicta Brunswigi Mathilde conjuge, quæ haud multò post in pervigilio Apostolorum Petri & Pauli extincta est, humataq; Brunswigi in æde D. Blasij. Quod reliquum deinde hyemis tempus fuit, id totum in apparatu belli sacri, & sanciendis legibus insumptum est. Ac tantæ auctoritatis per Westfaliam fuit Bernardus Episcopus noster, teste Crantzio, ut vicini nobiles, ac quotquotiter sacrum ingressuri erant, ejus fidei & tutelæ sacras præfecturas & bona committerent; cui & Imperator juris dicendi, coercendique turbatores, potestatem dedit, utili sanè consilio. Fuêre enim inter prædones, qui Westfaliam hoc anno vexârunt, Widekindus & Hermannus, Waldecenses Comites fratresque, qui Paderbornensem diœcesin vastavêre. Non id æquè tulit Bernardus Episcopus noster, collectisque ministerialium copijs, & clientum auxilijs, processit armatus in campum, exactosq; Comitum milites compulit se in munitionem Brobeke recipere,

Henricus Leo exulare potius, quàm proficisci in terram S. eligit.

Arnold. Lub. lib. 3. c. 28. Gerhard. Præp. Stederb. in histor. Leon.

Profecturi in Palæstinam res sacras Bernardo Ep. nostro committunt.

quam

quam mox fortiter aggressus expugnavit evertitque. Castrum verò Brobeke in ducatu Westfaliæ, ut mox constabit, inter Briloniam & Winterbergam nemorumque recessus positum erat: & hi Comites Waldecenses Advocati erant Paderbornensis Ecclesiæ, quibus tutela luporum in modum commissa; ut non sine causa Pontifex & Episcopi in conventu Geilhusano Fridericum Imperatorem sollicitârint de abrogando hoc infesto hominum genere.

Gobel. ætat. 6. c. 60. Crantz. lib. 6. Metrop. c. 26.

Annus Christi 1189.

Clementis III Pont. 2.
Friderici I. Reg. 38. Imper. 35.
Bernardi II Episcopi Pad. 4.

At Widekindus Comes Waldecensis facti sui injuriæque, Episcopo irrogatæ, pœnitens, omne damnum per prædas Ecclesiæ Paderbornensi illatas liberaliter compensavit. Quippe inter ceteros Westfaliæ proceres nomen militiæ sacræ professus, priusquam iter ingrederetur cum Imperatore, acceptis ab Episcopo Bernardo trecentis marcis, non modò advocatiam, sed & cetera bona, juraque, quæ clientelari titulo à Paderbornensibus tenebat, in modum pignoris, deposuit in manum Episcopi, ita ut si in expeditione mori contingeret, ipsa Advocatia cum omnibus prædijs ac bonis cederet Episcopo, liberumq; ei esset Advocatum ex Cathedralis Collegij consensu deligere, quem vellet; nec in feudum dare necesse haberet, ne quid fratres, aut consanguinei obtendere possent in successione hujus tutelæ. Nunc ipsas tabulas, quibus in hæc pacta post solemnem Præsulum & cleri Synodum convenêre, exhibeamus.

Comes Waldecanus Advocatiam Ecclesiæ Paderb. in manus Episcopi resignat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit universis fidelibus futuris et præsentibus, quomodo Widekindus de Waldekke anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIX Jherosolymam proficiscens impigneravit Ecclesiæ B. Liborii in Patherburne, quidquid habuit in bonis eiusdem Ecclesiæ, et Ecclesiæ Apostolorum Petri et Andreæ, et Apostolorum Petri et Pauli, cum decima Atlen, et servitiis Advocatiæ pertinentibus, et cum omnibus emergentibus pro trecentis marcis examinati argenti, ratum habiturus, si tempore absentiæ suæ predia et mancipia in casibus licitis alienarentur. Et juravit in sacrosanctis reliquiis B. Liborii, quod nunquam de Advocatia, et aliis impigneratis ipse vel aliquis suo nomine emolumentum percipiet, quousque ipse reversus, trecentas marcas examinati argenti Ecclesiæ B. Liborii restitueret. Et quomodo Arnoldus de Hobrahtessen et uxor ejus et filii se decimam in Atlen et servitia Advocatiæ jure feodali possidere dicebant, Deo et nobis et Ecclesiæ fideliter promisit, quod ipse si reverteretur, fratribus omnem defectum suppleret, quem Ecclesia in servitiis advocatiæ, sive in decima Atlen per Arnoldum et uxorem ejus ac filios, vel propter eos ex aliorum invasione sentiret, ad persolvendum argentum sibi creditum tempore absentiæ suæ fidelibus suis Ludevvico,

uvico de Waldekke, Conrado Walige de Ense, Henrico Huldensemensi, Alexandro Dapifero, Rothardo Coco assignavit duas decimas, Godeloveffen, Ymminchusen, et tres curias, Dalpenhusen, Witmare, Meshere, et pedagium sive Ducatum Paderburne, ut ipsi omnem proventum annuatim in Ecclesia reponerent, quatinus summa pecunie inde collecta sibi revertenti computaretur in sortem. Nolens itaque liberationem hujus pignoris ad fratres suos, seu quemlibet alium transmittere, hoc constituit et ordinavit, quod si ipse non reverteretur, Advocatia cum decimis et servitiis Domino Episcopo et Ecclesie vacaret, vel Dominus Episcopus de bonis suis eligeret advocatum, quem vellet, Prapositus et fratres sibi eligerent utilem, cui electo et presentato à Preposito et fratribus Dominus Episcopus advocatiam commendaret, non in feodum daret. Preterea cum multa devotione hoc expressit, quod eo non revertente pecunia de duabus decimis, et tribus curiis, et Ducatu collecta, non fratribus, non quibuslibet heredibus restitueretur, non in restitutionem ornatus Ecclesie impenderetur, sed emeretur inde predium, de quo fratres annuam consolationem percipientes piam et perpetuam sui et patris sui Volquini et avi sui VVidekindi, in anniversariis depositionum diebus haberent memoriam. Hoc quoque inseruit, quod si comparato predio, unde fratres majoris Ecclesia honestam annuatim haberent refectionem, tantum remaneret vel excresceret, Ecclesie B. Pauli decem marce, Ecclesie B. Andree decem marce darentur. Resignavit etiam Dominus VVidekindus curiam suam Dalpenhusen, et servicium Episcopale Herevorde in manu Domini Episcopi, et Dominus Episcopus omnia beneficia Widekindi preter Advocatiam cum suis pertinenciis, et preter curiam Dalpenhusen, et preter servicium Herevordense concessit fratribus ejus: Heremanno et Heinrico, ita tamen, quod si Widekindus rediret, ipse bona sua eo jure reciperet, et teneretur, quo ante resignacionem Heremannus et Heinricus: receptis beneficiis juraverunt, fidelitatem Domino Episcopo et presentibus prioribus et fratribus Ecclesie, seu etiam aliis Clericis et inbeneficiatis et Ministerialibus Ecclesie contestati sunt, se in advocatia nil juris habere, nec unquam habuisse, et datis dextris promiserunt sub juramento publice et vere fidei, et sub pœna amissionis omnium beneficiorum, que receperant. Juraverunt etiam in reliquiis B. Liborii, quod absente Widekindo fratre suo, nunquam ipsi, vel alius eorum nomine, sive auctoritate in advocacia Ecclesie pignorata aliquo ingenio quicquam incommodi facerent per violenciam seu aliquā exaccionem. et quod si VVidekindus non reverteretur, nunquam aliquid sibi juris in advocacia et in ejus pertinentiis addicerent, et eam nullo jure nullo unquam ingenio seu subtilitate repeterent, et in nullo unquam possessionem ejusdem advocacie vacantis turbarent, et sententiatum à fidelibus Ecclesie. Quod si VVidekindus, Herimannus et Heinricus factum illud postmodum vellent inficiari, non eorum juramentum admitteretur, sed potius nobis probacio incumberet, et eorum testimonio, sub quorum presentia hec acta sunt, fides haberetur. Et quomodo hec ante Quadragesimam gesta sunt, ne reverentia temporis hanc ordinacionem infirmaret, sententiatum est precedente et antecedente eorum arbitrio

bitrio et consensu, omnia tamen tam rata habenda, ac si in diebus juridicis essent contractata et consummata. Facta hæc sunt anno Domini MCLXXXIX, *Indictione VII. Non. Aprilis, feria II. post palmas Paderborn, in domo Episcopali, presente Clero, presentibus inbeneficiatis et Ministerialibus Ecclesie. Nomina inbeneficiatorum, qui interfuerunt, hec sunt. Everhart de Brokhusen, Amelungus Comes, Godeschalc de Patberch, Henricus Longus de Erclen, Heinricus Spirinc, Suetherus de Wever. Hec quoque in proxima feria IIII presentibus nobilibus Bernhardo de Lippia, Heremanno de Ittere, Florino de Spenge, et presentibus Heinrico Abbate Civitatis Paderburnensis et Wilhelmo Abbate de Helmwardeshusen et Nycolao Abbate de Hersethehusen, et Syfrido Abbate de Flechtorp, et presentibus Sacerdotibus et Scabinis, qui eo die ad synodum generalem convenerant, in Capitulo majori recitata sunt, et confessione ac permissione Heremanni et Heinrici confirmata. Preterea tota hec actio hoc ordine conscripta proxima feria II, qua cantatur: Introduxit nos Dominus, Waldekke recitata est in audiencia Domini Arnoldi Osenbrucensis Episcopi, Lentfridi Osemb. Præpositi, Rodolfi de Stenvorde, et multorum Clericorum ac militum, qui ibi simul cum Widekindo iter peregrinationis arripuerunt. Aderant quoque Bernhardus Prepositus Monasteriensis, et frater ejus Ludolfus de Stenvorde, et Castellani de VValdekke, et multi nobiles ac Ministeriales, qui VVidekindo valedicturi illuc convenerant. Et sine omni hesitatione Heremannus et Heinricus se sic fecisse, promisisse et jurasse, et omnia se rata velle habere confessi sunt.*

Multa ex his simul literis recognoscuntur; cleri videlicet primarij communis in claustro vita: majorum pietas in Quadragesimæ cultu: stirps Waldecensium Comitum, in qua multum cespitat Dilichius: Advocatia in modum feudi ab Episcopis olim data, cum certis bonis ad servitium Episcopi: Comitum expeditiones in Palæstinam; quos inter Arnoldus Osnabrugensis Episcopus numeratur, hactenus ex nomine à nullo proditus: falliturque Cleinsorgius, & alij, qui Arnoldum hunc Episcopum anno 1186. obiisse scribunt, succedente Gerhardo, Bernardi Lippiensis fratre: Ministerialium & clientum munia. Uti verò hæc Advocatia, mortuo Widekindo, post quadriennium ab Henrico VI Imperatore pleno & confirmato jure asserta sit Episcopis nostris, infra memorabitur.

Hoc præterea anno, sicuti Gobelinus noster scribit, Bernardus Episcopus noster montem Jburg suæ diœcesis, quem nunc Driburg appellant imposito militari præsidio occupavit, cœpitque adversus prædonum incursiones præmunire. Verùm consilio Canonicorum ac ministrorum suorum ab incœpto destitit. Vetus castrum à Caroli M. ætate, & natura loci in abrupto montis vertice præmunitum, expugnatumque à Carolo M. sive jam inde neglectum, sive posterioribus sæculis eversum; turrim certè, ac cetera murorum rudera monstrat, facilè reparanda in munimentum. Quem locum Bernardus,

Gobel. ætat. 6. c. 60. Bernardus Ep. castrum Driburgense occupat & præmunit.

magna-

magnanimi patrui sui exemplo, munitione antevertere moliebatur; quod satius reputaret, terrorem armorum ex defensionis muro aliis ostendere, quam periculum subire ab hostibus. Nam in illa tunc tempora deventum, quibus ea Episcopis per Saxoniam sago tuenda erant, quæ in toga Cæsarum liberalitate acquisiverant; nec hostes majores erant, quam advocati & vicini Comites, quorum oculos perstringebant Episcoporum opes & potentia.

Godefrid. Arnold. Lubec. Otto de S. Blasio. Chron. Mont. Sereni. Ursberg.

Et jam præsens annus processerat in Aprilem, cùm Fridericus Cæsar Ratisbonæ festo Georgij Martyris ex omnibus Germaniæ provincijs colligebat militiæ sacræ professos milites; quos Godefridus innumera multitudine, instar arenæ, à Rheno adfluxisse memorat. Sed cùm peregrinorum magis ex omni natione, quàm militum ea multitudo esset, hæsit aliquantulum expeditionis proferendæ incertus. Ac postquam delectus habitus, recensita sunt xxx millia armatorum; ad quos Marchio Misniensis cum Saxonibus ceterisq; ex Westfalia, sub auspicijs Engelberti Comitis de monte, Widekindi Comitis Waldecensis, aliorumque procerum accessêre. Iter ingressus est cum Principibus & Episcopis, Imperij administratione relicta penes Henricum filium Regem, cui Philippus Coloniensis Archiepiscopus additus adjutor. Transita Austria, Imperator in Ungariam est progressus, præmisso ad Regem Conrado Moguntino Archiepiscopo, à quo benignè exceptus traductusque ad Savum fluvium. Quinquaginta, tum millia militum, & centum millia armatorum recensuit in exercitu. Bulgariam inde ingressus, è Nicæa urbe præmisit Hermannum Monasteriensem Episcopum, Robertum Comitem de Nassawia, & Marquardum Camerarium, cum quingentis militibus Constantinopolim ad Græcorum Imperatorem, transitum per Græciam postulatum; quos Imperator primùm benignè excepit, & per septem dies liberaliter habuit: post ubi fraude Ducis Bulgariæ aliorumque persuasus, bello hoc Teutonicorum agi, ut è solio suo dejiciatur, Legatos Friderici Imperatoris in carcerem abstraxit, multisque injurijs contra jus gentium tractavit. Inter hæc Imperator per multas ærumnas & infestationes iter emensus, Bulgariam, Macedoniam, Græciam Imperatoris provinciam intravit; indignatusque Legatos suos non remitti, militi suo omnia prædæ fecit, Pervenit deinde in Thraciam, & Philippopoli ac Hadrianopoli hiberna delegit, Græcis ex omni loco infestis. Quibus Imperator territus, Legatos cum honore remittit, & omnia quæ pro expeditione in Palæstinam poscebantur, subministraturum se pollicetur. At postquam Monasteriensis Episcopus, vir græci sermonis non ignarus, ad Imperatorem redijt, & primò seriem omnium injuriarum enarravit, multasq; Græcorum fraudes detexit: fœdus nimirum Isaaci Imperatoris cum Saladino, & Patriarchæ perfidiam, à quo Græcis persuasum erat omnes necare; id si facerent, ab omnibus

Friderici cus administratione Imperij Henrico filio relicta, movet in Palæstinam,

Arnold. Lubec. l. 3. Tagen.

Nicetas.

Auctor exped. Asiat. apud Canisium.

omnibus noxis apud Deum immunes fore; & quæ præterea Græcorum machinationes erant in exitium Teutonici exercitus. His Imperator cautior montem in conspectu Constantinopolis, quem regium castrum dixêre, insedit; itaque assiduo cladibus afflixit Græcos, ut pacem petere, obsides dare, & naves ad transitum maris suppeditare necesse habuerint.

Quieta per hæc Germania Saxoniaque, quòd Imperator severis legibus interdixerat, ne quis per suam absentiam belli sacri quicquam turbaret. Intentus in hanc pacem excubabat Henricus Rex cum Philippo Coloniensi Archiepiscopo. Repertæ per id tempus venæ fodinæque argenti in diœcesi Mindensi, qua per Teutonicos montes se explicat ad fines Osnabrugensis & Paderbornensis Episcopi; quæ cùm Henricus Rex juris imperij assereret, scripsit in hunc modum ad Episcopos.

Argentifodina in Diœcesi Mindensi reperta. *Chron. Mindense in diplom. à Pistorio edit.*

Henricus Dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus fidelibus suis Episcopis Mindensi, Padeburnensi; Osnaburgensi, Comitibus quoque et Nobilibus, et universis hominibus in eisdem Episcopatibus constitutis gratiam suam et omne bonum. Cum omnis argentifodina ad jura pertineat imperij, & inter regalia nostra sit computata, *nulli venit in dubium, quin ea quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa ad nostram totaliter spectet distributionem, unde in ea nulli hominum quicquam juris recognoscimus, nisi hoc à nostra liberalitate valeat specialiter impetrare. Mandamus igitur vobis et singulis sub obtentu gratiæ nostræ præcipientes, ut nullus vestrum se de prædicta argentifodina intromittat, nec aliquid juris sine nostra licentia sibi in ea usurpet. Quod si quis temerario ausu fortè attemptaverit, indignationem nostram se noverit incursurum. Puntium autem latorem fidelem nuntium nostrum ad partes illas transmisimus, ut de eadem argentifodina ordinet et disponat, pro ut vobis videtur expedire. Mandamus itaq; dilectioni vestræ attente rogantes, ut ei consilio et auxilio fideliter assistatis, grates affectuosas à Serenitate nostra recepturi. Datum apud Nonnensteine XII Calend. Aprilis.*

Hasce mox fodinas alijs tabulis, eodem die & loco consignatis, donat Dethmaro Mindensi Episcopo, viro sanctissimo & miraculis claro, ejusque Successoribus, tantùm parte sibi reservata; sed tamen fortè spes major, quàm vena, quæ Regem tam citò immutata mente liberalem fecit.

Annus Christi 1190.

Clementis III Pont. 3.
Friderici I. Imper. ultimus.
Henrici VI Reg. 1.
Bernardi II Ep. Pad. 5.

Protrahebat interea Imperator hiberna in Tracia, quòd præter pedestrem hunc exercitum, quem ex Germania, Bohemia & Unga- *Godefrid. Arnold. Lub.*

Otto de S. Blasio. Auct. exped. Asiat. Tageno. Nicetas. Tyrius.

ria contraxerat, duplex, ejusdem Cæsaris auspicijs, navalis exercitus, alter ex Italia, alter ex Belgio exspectaretur. Belgico exercitui submisere Colonienses quatuor naves 1500 armatis militibus, & annona in trienium instructas. Sub medium verni jejunij tempus classis Belgica cum 60 navibus solvit, censebatque supra 100000 bellatorum hominum; ea licet ærumnis ac morbis multum imminuta, sub exitum Junij Brundusium appulit. Hanc secuta est post classis Francica & Anglica, ipsis Regibus Philippo & Richardo eam deducentibus.

At Imperator, peracto Paschate, ex Thracia movet ad brachium S. Georgij, acceptisque ccc navibus ab Imperatore Græcorum, inter Pontum Euxinum & Ægeum mare, quo ante Godefridus Dux & Conradus Imperator trajecerant, copias suas intra septem dies transmittit: octavo die Imperator navi regia trajicit; nec prius, quàm omnes peregrinos simul transvectos viderat. Inde instructo divisoque exercitu, quo infirmos medium complexos, fortissimos quosque in fronte, Friderico filio Duce, & in extremo agmine collocârat, Armeniam & Turcarum terras ingressus, Iconium pervenit, multis ærumnis & prælijs à latere & à tergo incursantium barbarorum oppugnatus; quibus tamen continuo victores Cæsarei Soldanum ad pacem petendum adegêre. Expugnatoque Iconio, liber per Armeniam transitus permissus, donec in Cicilia ad fluvium Serram, quem alij Saleph, alij Farfarem, alij Cydnum appellant, perventum est; quem dum magnanimus Imperator, jam ætate gravis, seu refrigerandi, seu per æstivos calores trajiciendi gratia, invectus equo ingreditur, rapacitate fluminis, seu equi etiam ruina oppressus, inter cœcos vortices IV Idus Junij, anno ætatis septuagesimo exanimatur. Incredibile, quo planctu ac consternatione mors Imperatoris exercitum perculerit. Egregia sanè indole animoque Imperator, qui virtute gloriaq; Germanos Augustos omnes facilè superasset, si Ottones potius in tuenda, quàm Henricos in oppugnanda Apostolica sede fuisset æmulatus; quæ delicta hac sacra & ærumnosa expeditione expiasse videri potest.

Fridericus Imp. flumine mersus extinguitur.

Sublato Cæsare imperium exercitus delatum Friderico filio, Duci Sueviæ; lætique omnes fortissimi juvenis auspicijs. Is igitur cum exercitu patris Antiochiam progressus, convectoque corpore patris, justa istic funebria persolvit; quanquàm elevato corpore ossa post in Germaniam transportata, Spiræ ad majorum tumulos sint composita. Circum Antiochiam cùm exercitus reficeretur, multi ibi proceres ac nobiles, magnaque pars exercitus fatali lue absumi cœpit. Dux Fridericus, relicto Antiochiæ præsidio, Acconam, quam veteres Ptolemaidem dixêre, cum parte exercitus movit, expugnationem celeberrimi portus atque urbis, quam Wido Rex obsidebat, adjuturus.

Sed

Sed vix tridui istic bello cum hoste congressus, morbo corripitur & extinguitur. Præclarus castusque juvenis; cui cùm medici usum veneris suaderent, quem certam morbi curandi medelam promittebant, respondit, malle se mori, quàm in sancta hac peregrinatione corpus per libidinem defœdare. Postquam filium tristi non minus, quàm patrem fato mors subtraxerat, ceteri, qui supererant, à signis dilapsi sunt, & quacunque quæsita repertaque opportunitate, sparsim in suas provincias rediêre. Ita celebris illa & operosa expeditio tam florentis exercitus cassa fuit, Godefrido, Arnoldo Lubecensi, ceterisque, qui hæc scripsêre, abdita Dei judicia demirantibus. In eadem expeditione terræ S. obiit Fridericus Imperatoris Friderici filius.

Sed nunc in Saxoniam cum peregrinis nostris redeamus. Henricus Rex, qui per absentiam patris Imperium curabat, celebrato Paschate, Conradum Moguntinum Archiepiscopum, & Diethmarum Cancellarium in Italiam mittit, exploratum Apuliæ statum; nam & ipse iter Romanum meditabatur. Inde Francofurtum digressus, VIII Calend. Maji publicis tabulis sancit, ne in Coloniensi Archiepiscopatu alia moneta recipiatur, quàm quæ Duisburgi & Tremoniæ procusa imperiali auctoritate valuerit. Iisdem tamen tabulis Coloniensium & Novesiensium bona absolvit ab omni tributo, ad Werdam Insulam pensitando. Testes inter alios producuntur, Conradus Moguntinus, Wigmannus Magdenburgensis, Archiepiscopi: Otto Bambergensis, Territius Halberstadiensis, Episcopi: Bruno Præpositus ad Gradus in Colonia, Bernardus Monasteriensis Præpositus, Conradus Comes Palatinus Rheni, aliique. Hac quoque libertate telonij donat Abbatem Corbeiensem, qui tum Widekindus erat. Quam in rem hæ literæ extant apud Corbeienses.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex et semper Augustus. Universis præsentem paginam intuentibus notum fieri volumus, quod nos Corbeiensem Ecclesiam à theloneo nostro, quod apud Werdam colligi solet, liberam dimittimus et exemptam. Omnibus itaque nunciis nostris, qui pro tempore procurationem Werdæ habituri sunt, districte volumus esse præceptum, ut à nunciis Corbeiensis Abbatis et Ecclesiæ nullum requirant theloneum, sed liberum eis dent transitum sine gravamine et impedimento. Ad cujus rei notitiam præsentem cartam inde conscriptam sigillo nostro jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Sifridus Hersveldensis Abbas, Heinricus Imperialis aulæ Prothonotarius, Conradus de Halla Cappellanus noster, Hartmannus de Bodingen, Cono de Mincemberc, Henricus Camerarius de Lucina, et alii quam plures. Datum Frankenevort, anno Dominicæ Incarnationis MCXC, Indictione VIII, VIII Calend. Maji. Henricus Corbeienses immunes facit à telonio Werdensi.

Pentecosten post hæc Rex celebravit Norimbergæ, ubi in conventu Principum magnoperè sibi studuit animum Coloniensis Archiepiscopi demereri, eo quòd virum strenuum, & multis bellis victorijsq; clarum veneraretur: & multum per id tempus intererat, *Gerhard. Sted. Præpos. in hist. Henrici Leon. Arnold.*

Lubec. lib. 4. c. 1.

tres illos Archiepiscopos, Conradum Moguntinum, Philippum Coloniensem, & Wigmannum Magdenburgensem, ætate canos, potentia validos & auctoritate graves habere sibi devinctos. Interea Henricus Leo, cognita Mathildis conjugis morte, & Friderici Imperatoris profectione in Orientem, contra juramenti religionem, ex Anglia præmisso Henrico filio, in Saxoniam rediit, benignè ab Hartwico Bremensi Archiepiscopo circa festum S. Michaëlis exceptus; qui cùm per Ducem cetera bona recepturum se sperabat, Stadam eum introduxit. Qua urbe potitus, brevi copias collegit, quibus per absentiam Adolphi Comitis in Orientali expeditione Hamburgum, Plonam, Itzehoam, ac totam propè Holsatiam subegit. Inde veteris injuriæ memor, Bardewicum expugnavit, subjectisq; flammis evertit; novem tamen templis ex vastatione relictis. Transportato rursum per Albim exercitu, Lubecam deditione cœpit, Lawenburgo etiam nova Bernardi Ducis sede potitus. Repentino hoc terrore circumlato, credebatur in spem pristinæ fortunæ resurgere; nullisque in perturbanda Saxonia magis metuendus quàm Episcopis, quorum adversis studiis antea principalibus suis exutus erat. Auctus timor ex vulgata Friderici Imperatoris morte, ne tam potente æmulo suo sublato, majora quàm ante auderet Leo sub juvene Rege. Quarè Rex Henricus excito Bernado Saxoniæ Duce, adjunctoque sibi Conrado Moguntino Archiepiscopo, & Hildesiensi Episcopo, ceterisque Principibus & proceribus Saxoniam cum exercitu ingressus, Brunswicum obsidione incinxit. Sed jam Leo filium suum Henricum urbi defensorem imposuerat, juvenem patris indole bellicosum; à quo urbs annona, militari præsidio, & civium constantia præmunita, facilè omnes machinationes Regis elusit. Multa hostiliter tentata sed vano terrore magis ac prædis, quàm oppugnationis audacia. Igitur cùm & hyemis asperitas & fames castra Regis vexaret, soluta obsidione Hannoveram obruunt, subjectisque flammis exurunt. Post quæ Orlamundam & Limbergam castra casso rursum conatu aggressi. Ne tamen omnis expeditio inanis haberetur, Hartwicum Bremensem Archiepiscopum, quem auctorem hujus belli incusabant, exturbatum ejecit in Angliam, ubi per annum exul vixit. Rex inde Goslariam regress⁹, cùm bello hoc iter suum in Italiam retardandum intelligeret, facilè se à Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis ad ineundam pacem adduci passus est: quæ Euldæ post iis legibus convenit, ut Brunswicum quatuor in locis nudaretur mœnibus: arx Lawenburgica æquaretur solo: Lubeca inter Leonem & Adolphum Comitem divideretur: Leo filium suum Lotharium obsidem daret Regi, qui haud multò post Augustæ Vindelicorum extinctus est; Henricum verò filium cum turma quinquaginta militum comitem daret expeditionis in Italiam. At Leo postquam Rex Saxonia excesserat, nihil horum præstitit;

Henricus Leo ex Anglia redux, plura Saxoniæ loca armis recuperat.

Henricus Rex frustra Brunswicum &c. obsidet.

Pacem cum Leone certis conditionib⁹ init.

præstitit; nec enim Brunswicum muris nudavit, nec Lawenburgum evertit, nec reducem ex Oriente Adolphum Comitem in partitionem Lubecæ admisit; contra etiam ausus Hardwicum ex Anglia revocare, & in tutelam suscipere.

Annus Christi 1191.

Cœlestini III Pont. 1.
Henrici VI Reg. 2. Imper. 1.
Bernardi II Ep. Pad. 6.

Anno per hæc nonagesimo primo supra centesimum & millesimum circumacto, moritur 10 Aprilis Clemens III, subrogato Cœlestino III Pontifice. In Oriente interim post mortem Friderici Imperatoris & Friderici filij bellum adversus Saracenos in obsidione Acconæ gestum à Philippo Galliarum & Richardo Angliæ Rege, & Leopoldo Austriæ Duce; nihilque remissum, donec nobilis illa urbs ac portus terra marique clausus, hærente circum Saladino, expugnaretur. Aderant in classe quinquaginta Teutonicorum naves à Coloniensibus, Bremensibus, Lubecensibus, alijsque emporijs submissæ. Urbs ad extrema tandem deducta, dedidit se v Idus Julij: & cum inter pacta jussi essent Saraceni lignum crucis reddere, idque à Saladino suo impetrare non possent, trucidati sunt quatuor millia Saracenorum in conspectu Saladini. Inde licet Rex Franciæ remigraret in regnum, non tamen destitit Richardus Rex Angliæ bello fatigare Saladinum, Cyprum recipere, Saladini exercitum ad internecionem propè delere, & ad pacis conditiones adigere. Res tamen præclarè gestas multum fœdavit turbavitque discordia. Quippe Rex Angliæ vexillum Austriæ, quod vel in muris, vel ad hospitia fixerat, tanquam prima sibi gloria deberetur, revulsum projecit in cœnum; quo offensus Austrius Regem postea ex naufragio reducem intercepit, captumque stitit Jmperatori, dum utrique immensam vim pecuniæ penderet.

Godefrid. Monach. Otto de S. Blasio. Chron. Mont. Seren. Sigon. lib. 15. de reg. Ital. Præpos. Stederb. in hist Leonis. Arnold. Lubec. lib. 3. c. 36.

Felices Christianorum in Oriente progressus.

Quæ dum in Palæstina aguntur, Henricus Rex, pace per Saxoniam & Thuringiam compositâ, iter Romanum magno Principum & procerum comitatu ingressus est; quos inter Philippum Coloniensem Archiepiscopum, virum ætate & sapientia gravem, sibi omnium consiliorum arbitrum adesse voluit. Postquam cum formidabili exercitu urbem propius accessit, Romanorum civium apud Pontificem studio, in quorum gratiam Tusculum Romanis infestum dirui permiserat, à Cœlestino Pontifice XVIII Calend. Maji solemni Christi resurgentis die unà cum Constantia conjuge Augustus coronatur. Post illa profectus est in Apuliam, subacturus præreptas à Tancredo provincias, quas ex dote conjugis, Wilhelmi Siculi filiæ, sibi pro jure vendicabat; at dum expugnatis aliquot castellis, ad montem Cassinum digressus, veneraturus D. Benedictum, Henricus Leonis filius clam

Henricus Rex Augustus cum conjuge à Pontifice coronatur.

clam se subtraxit, nec salutato Imperatore in Saxoniam discessit, & Brunswicum incolumis pervenit, creditusque cum Tancredo consilia conspirationis miscuisse. Imperator dissimulatâ injuriâ, Neapolim, quæ Tancredi studio ipsi portas clauserat, obsidione incingit; at mox fœda lues castra pervasit, quæ & Philippum Coloniensem Archiepiscopum, magnamque procerum & exercitûs partem absumpsit: ipsum Cæsarem adeò afflixit, ut desperatum à medicis fama, quæ omnia auget, mortuum in Germania vulgârit. Unde in factiones ire cœptum, alijs alium, quibusdam Henricum Leonem designantibus. Quapropter Imperator solutâ obsidione festinavit in Germaniam, captâ Imperatrice à Richardo Comite hostium manibus relictâ; nihilque sollicitius habuit, quàm dissensiones motusque in Germania discutere. Opportunè ad hanc rem ex Asia reversus Adolphus Holsatiæ Comes, Stadam recipit: Lubecam cogit ad deditionem; & quæ Leo trans Albim invaserat, excepto Lawenburgo, expugnat. Imperator præterea, licet pater factum filij per Legatos excusaret, Halberstadiensi & Hildesiensi Episcopis, Abbatique Corbeiensi in mandatis dedit, infestis copijs Leonis terras invadere, tracto sensim bello in Westfaliam; id licet illi non impigre susciperent, positis etiam ad Ocram castris in conspectu Brunswicensium, nihil tamen præter populationes agrorum (ut ejusmodi sacrorum præsulum arma improspera esse solent) ab his actum est.

Obsidet Neapolim.

Solutâ obsidione redit in Germaniam.

Gerhard. Prepos. Stederb. in hist. Leonis.

Saniori consilio Bernardus Episcopus noster studia omnia convertit in res sacras, procul ab his publicis armorum conspirationibus. Ac nulla illi potior cura, quàm domi pacem & cleri disciplinam servare integram, ac deinde religiosorum pietatem fovere donationibus. Quam in rem duæ ex hoc anno supersunt tabulæ, quarum alteris veteri Sanctimonialiũ Bodecensium Virginum Monasterio munificam largitionem fecit: alteris curiam Lare, à nobili & Ministeriali suo emptam, Henrico Abbati & Cœnobio Abdinghoviano ratam habet; ultro decimas ejus curiæ, quæ Episcopi erant, largiendo; ea lege, ut annuam Monachi sui memoriam habeant in sacrificijs & precibus. *Testes hujus donationis Altmannus majoris Ecclesiæ Præpositus, Folbertus Decanus, Godeschalcus Northeimensis Præpositus, Bernardus Apostolorum Petri et Pauli Præpositus, Meinricus, Ludevvicus, Godefridus, Alexander, Henricus Scholasticus, Lambertus Cellerarius, Hugo, Theodericus Custos, Theodericus, Conradus, Wulfranus, duo Hermanni, Joannes, Volquinus, Canonici ac Sacerdotes. Laici liberi, Widekindus de Osede, aliique cum Amelungo Comite, et Ministerialibus. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini MCLXXXXI, Indictione VIIII anno Ordinationis IV.*

Bernardus Ep. Bodecensibus & Abdinghovianis benefacit.

Annus Christi 1192.

Cœlestini III Pont. 2.

Henrici

Henrici VI Reg. 3. Imper. 2.
Bernardi II Ep. Pad. 7.

Novus Imperator Henricus eo nomine V. Regum sextus, postquam inter Suevos & Alsatas Haganoæ Christi Natalitia peregisset, per octavam Epiphaniæ Wormatiam ad conventum Principum accessit, ibique Brunonem, Adolphi Montium & Altenæ Comitis filium, quem Clerus Coloniensem Archiepiscopum elegerat, utroque Ducatu Westfaliæ, & regalibus donat; Lotharium verò Bonnensem Præpositum, quem nobilitas & populus designârat, acceptis ab eo tribus millibus marcarum, Leodiensi Ecclesiæ præfecit, rejecto utroque Alberto, qui per dissidia electi erant. Fœdum & frequens Ecclesiæ malum ex his electionum dissidijs, postquam per ambitum quæsita, quæ antè virtuti & meritis dabantur. Vix dum electio Episcoporum è manibus Imperatorum extorta erat, cùm per dissidia cleri aperta via Imperatoribus eandem repetendi. Maturabat per hæc consecrationem suam Bruno. Ad hanc quia Joannes Trevirensis Archiepiscopus, & Virdunensis Præsul evocati, recusarunt interesse Hermannus Monasteriensis, & Balduinus Ultrajectensis Episcopi; quòd pro jure sibi consecrationem vendicarent. Jam enim, ut ex Godefridi narratione, & Godehardi Epternacensis Abbatis restitutione apud Browerum constat, Hermannus Monasteriensis Episcopus cum alijs redierat in provinciam suam. Desiderati verò ex peregrinatione sacra Engelbertus Comes Montium, Widekindus Swalenbergæ, & Waldecæ Comes, Widekindus Rhedæ Dynasta, cujus ossa Marienfeldiam ad Cœnobium transportata, & honorifico, ut donatione ejus loci ante alios meruerat, tumulo sunt inclusa. Quod verò idem Godefridus ad hunc annum adscribat: *Bellum grave in Westfalia inter Comites terræ illius exarsisse*, id ego, quale fuerit, in nullis annalium monumentis reperio; nisi id de prioris anni bellis dixeris, quæ inter Henricum Leonem & Episcopos, Abbatemque Corbeiensem, ac ceteros fortè Comites ab Imperatore excitos fuêre.

Godefrid. Ægidius aurea vallis apud chap. tom. 2. c. 5.

Bruno Archiep. Colon. eligitur & consecratur.

Qui desiderati in peregrinatione Sacra.

At Cœlestinus Pontifex, qua erat beneficentia erga Clerum, hoc anno Collegium Canonicorum, quod apud nos est Bustorfianum à Meinwerco conditum, insigni diplomate exornavit, quo Canonicis controversum prædium adjudicavit, facultatemque dedit non modò eligendi Præpositum, sed & cum primario etiam clero conveniendi ad electionem Episcopi, quod ejusmodi est.

Cœlestinus Pont. prædium Helmgeldere, electionemque Præpositi & Episcopi Bustorfianis confirmat.

Celestinus Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis, B. Præposito et Canonicis minoris in Patherburn Ecclesiæ salutem et Apostolicam benedictionem. Piis filiorum votis condescendere, et facilem assensum præbere nos condecet, ut tanto sint nobis et Ecclesiæ Romanæ devotiores quanto se noverint plenius exauditos. Eapropter dilecti filij Canonici minoris Ecclesiæ in Patherbrun postulationibus vestris aures faciles accomodantes, vobis et Successoribus vestris in perpetuum confirmamus prædium videlicet in Hemgeldere, quod B.

pius

pius Ecclesiæ vestræ Præpositus expeditum à manibus Laicorum assignavit in communes usus fratrum, nec non et institutionem, quam idem Præpositus ex consensu fratrum inter nos instituit, videlicet, ut quilibet inter vos decedens frater à die decessionis suæ usque ad annum stipendium suum habeat, ad expendendum aliquid causa pietatis, vel ad excipiendum se, si forte obligatus sit debitis. Similiter et Præpositi vestri, quam habuistis usque ad hæc tempora liberam electionem, nec non et electionem Episcopi vestri, quam cum Canonicis majoris apud vos Ecclesiæ celebrare consuevistis. Præterea simul et annuas quas cum eisdem Canonicis à retroactis temporibus habetis refectiones firmiter vobis confirmantes apostolica auctoritate inviolabiliter observari præcipimus. Si quis quid contra hanc nostram confirmationis paginam ausu temerario venire temptaverit, sciat se Dei omnipotentis indignationem et Apostolorum ejus Petri et Pauli indubitanter incurrere. Datum Romæ apud sanctum Petrum III Calend. Junii Pontificatus nostri anno secundo.

Ordo Teutonicus à Cœlestino Pont. approbatur. *Azor tom. 1 lib. 13 c 6. de Milit. Ordin. Arnoldus Lubec. l. 3. Jacobus de Vitriaco l. 1 hist. c. 64. Sigonius l. 15 de regno Italiæ. Miræus de orig. Equest.*

Sed multò illustrius Pontifex hic de Germanis meritus, hoc anno ordinem Teutonicum apostolicâ auctoritate comprobavit. Cœperat is jam anno 1160 ad Hospitalarios & Templarios additus. Quippe Germani qui Hierosolymis commorabantur, cùm viderent, qua caritate Itali & Franci suos peregrinos foverent tuerenturque adversus Saracenos, cœpêre & ipsi hospitij domum, ædemque sacram S. Mariæ dicatam ædificare, ad peregrinos suæ nationis excipiendos; aucta inde congregatio floruit cumprimis Alexandro III Pontifice, ac postremùm in obsidione Acconæ seu Ptolemaidis, ad quam supra quinquaginta naves Teutonicorum accesserant. Quarè rogatu Henrici V Imperatoris à Cœlestino Pontifice ordo mense Februario confirmatus. Movebatque Pontificem, quòd intelligeret, viros ad hanc familiam aggregatos ad privatam pietatem, haud secus quàm Hospitalarios & Templarios milites, pugnando adversus Saracenos, bellicam gloriam conjungere. Et cùm pari religionis & bellicæ laudis fama apud suos inclarescerent, eò factum, ut tot domicilijs & opibus per Germaniam, Saxoniam & Westfaliam piorum hominum liberalitate se funderent. Institutum eorum Templarijs accommodatum, & secundum regulam S. Augustini præscriptum sub patrocinio Deiparæ Virginis, cruce nigra in candida chlamyde tanquam tessera ordinis signatis. Præstitutus fertur primus Magister Henricus Walpotus; quæ familia etiam nunc clara inter Juliacenses.

Ea deinde sacra Teutonicorum virorum militia, cùm res in Oriente languerent, & Syria in potestatem Saracenorum venisset translata est in Livoniam Friderico II Imperatore, Saxonum cumprimis & Westfalorum nobilium virtute clara, ubi optatus tandem destinatusque hujus militiæ fructus fuit; Deo per hos milites religionem Christianam, quæ in Oriente fatali ruina procumbebat, inter barbaras in Occidente gentes propagante; quemadmodum Livoniam & Prussiam bellica eorum virtute Christo partam referemus.

Annus

Annus Christi 1193.

Cœlestini III Pont. 3.
Henrici VI Reg. 4. Imper. 3.
Bernardi II Ep. Pad. 8.

Pacis serenitatem, quam priori anno dederat Cæsar, proximo in turbas conjecit. Ejecerat ille è Leodiensi Episcopatu Albertum Ducis Lovaniensis inferiorisque Lotharingiæ fratrem, justis suffragijs delectum. Is deinde à Pontifice & Coloniensi Archiepiscopo probatus, atque à Wilhelmo Cardinali consecratus Episcopus, crudelem in modum interficitur. Percussores quia ex aula Cæsaris submissi credebantur, ex veteri odio, quod inter Cæsarem & Alberti fratrem intercesserat, ijdemq; postea sub patrocinio Cæsaris in aula delituère, Cæsar in suspicionem conscij & patrati sceleris venit. Igitur ad atrox hoc & sacrilegum facinus vindicandum, inito Coloniæ fœdere, conspiravére in ipsum Cæsarem Henricus Dux Alberti Episcopi frater, Henricus Dux Arduennæ Limburgique, Bruno Coloniensis Archiepiscopus, multique præterea Principes cognatione juncti: alij palam, alij per Legatos (quos inter Conradus Moguntinus Archiepiscopus) incensi omnes, postquam innocentis Episcopi vestes sanguine conspersæ in conspectum productæ, quæ res non leviter commovit ceterorum Episcoporum animos. Cæsar ubi totum Imperium in se concitari didicit, colloquium Principum ad Mosellæ & Rheni confluentes indixit: eo in conventu nihil sollicitius habuit, quàm primò se purgare, Principes muneribus & honoribus delinire, & quas leges pacis dictarent, ad eas ultro se offerre; quanquam quæ leges illæ fuerint, nemo satis prodidit. Constat tamen Cæsarem esse jussum animadvertere in auctores necis supplicijs & proscriptione, Cleroque Leodiensi facere liberam potestatem eligendi alium, quem vellet Episcopum. Ita Lotharius Hochstedensis & Bonnensis Præpositus, quem obtruserant Episcopum, deturbatus è sede; sed & Hochstedensis toparchia ferro flammaque vastata fuit.

Miræus in Notit. c. 184. Godefrid. Chron. Colon. Brovver. lib. 15. Fisen. lib. 11. in Episc. Leodiens.

Albertus Ep. Leodiensis interficitur, unde novæ in Imperio turbæ.

Haud multò post Bruno Coloniensis Archiepiscopus, ut se his se fluctibus subduceret, abdicato Archiepiscopatu, indutoque Monachi habitu in Monasterium veteris Montis, quod tum recens conditum florebat virorum nobilium & religiosorum multitudine tanquam in portum secessit. In ejus locum subrogatus Archiepiscopus Adolphus Brunonis ex Everhardo fratre, Altenæ & Montium Comite, nepos. Is deinde Sacerdos & mox Episcopus ab Hermanno Monasteriensi Episcopo, assistentibus Conrado Moguntino Archiepiscopo, & Titmaro Mindensi Episcopo consecratus est. Præclarus ea tempestate Archiepiscopus Adolphus, quocum intimam familiaritatem coluit Bernardus Episcopus noster.

Bruno, abdicato Archiepiscopatu Colon. monasticam vitam profitetur.

Imperator Advocatiam à Comite Waldecensi renunciatam Ecclesiæ Paderb. adjudicat.

Cæsar exinde in ordinanda Repub. & Principum Episcoporumque animis demerendis occupatus, priusquam Italicam expeditionem susciperet, mense Decembri Francofurti conventum Principum habuit, in quo Bernardo Episcopo nostro & Paderbornensi Ecclesiæ Advocatiam, quam supra diximus à Widekindo Waldecensi Comite ante profectionem in Palæstinam certis pactis renunciatam, Imperatoria auctoritate adjudicat; quam in rem hoc diploma cum elogio dilecti & fidelis Episcopi proferimus.

Heinricus sextus divina favente clementia Romanorum Imperator et semper Augustus. AEquitatis ratio persuadet, et juris ordo deposcit, ut si à fidelibus imperii majestati nostre discordie proponuntur, eas aure attenta percipientes, rigore justicie vel amicabili composicione decidere intendamus, et quod in presencia sublimitatis nostre racionabiliter decisum fuerit, vel amicabili transactione compositum, ne processu temporum ob malorum protervium immutari debeat, vel aliquo casu possit rescindi, sacri apicis munimine ab imperiali majestate dignum ducimus roborari. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris, quod accedens ad presenciam nostram dilectus ac fidelis noster Bernhardus Paderburnensis Episcopus unà cum Heremanno de Waldekke simul nobis significaverunt, quod ipse Heremannus jam alia vice non coactus sed volens advocaciam Paderburn in Ecclesiis, curtibus, mansis, mancipiis, et omnibus ad advocaciam pertinentibus, decimam in Atlen, curiam Dalpenhusen, et servicium Episcopale in Hervorde abjuravit apud Paderbrun, in domo Episcopi in jure feodali, promisitque in manus fidelium Paderburn. Ecclesie sub damno amissionis omnium bonorum suorum, se nullo unquam ingenio eandem advocatiam cum prenominatis bonis repetiturum, vel aliquo modo invasurum, et quod nullis suis consanguineis, vel extraneis assistet, qui advocatiam invadant et nominata bona, sed cum Episcopo ea fideliter defendet. Elegit etiam idem Hermannus, quod si hanc transactionem, vel aliquot ejus capitulum inficiari aliquando vellet, non crederetur juramento, quo negativam probare vellet, sed convinceretur per Clericos et Ministeriales eque sicut per nobiles. In presencia itaque Majestatis renunciavit omni juri, quod in predicta advocatia ac prescriptis bonis habere videbatur, et expresse coram nobis abjuravit totam advocatiam, quam Widekindus frater suus vacantem habuit, quando eam resignavit, dum iturus esset in expeditionem transmarinam. Preterea abjuravit decimam Atlen, curiam Dalpenhusen, et servicium Episcopale in Hervorde. Hoc itaq; factum predicto Paderburnensi Episcopo, suisque Successoribus, et Ecclesiæ Paderburnensi, ut in perpetuum ratum permaneat, et à nullo unquam imposterum infringatur, presenti pagina imperiali auctoritate confirmamus. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam presentem cartam inde conscribi jussimus, et majestatis nostre sigillo communiri. Hujus rei testes sunt Waltherus Trojanus Episcopus, Rudolfus Remetens. Episcopus, Sifridus Abbas Horsveldensis, Conradus Abbas de Lorse, Albertus Dux de Tecke. Comes

Hart-

Hartmannus de Kirchberc, Comes Godefridus de Vhingen, Comes Poppo de Wortheim, Rutbertus de Durne, Cuno de Mincenberc, Henricus Pincerna, et aliiquamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCIII, Indictione XI, Datum apud Franckenvurt. II Idus Decembris.

Per id tempus (quanquam alij ad initia sequentis anni hæc referant) certè nova lux, inquit Lubecensis, in Saxonia exorta est, ac pacis jucunditas, ex nuptijs, quas Henricus Leonis filius contraxit cum Agnete Conradi Comitis Palatini unica & herede filia. Fortunatum & illustre matrimonium, quo ad dignitatem Ducis vidit redire Leo familiam; erat enim Conradus Palatinus Dux Sueviæ, Friderici Barbarossæ Imperatoris frater, cujus filio Friderico data est Richeza Henrici Leonis filia; Friderico verò in Italia extincto, supererat unica filia Agnes, ea vicissim promissa Henrico Leonis filio, dum adhuc Leonis res florerent; post ubi Leo in suas calamitates prolapsus, tam Henricus VI quàm pater Barbarossa matrimonium impediêre, communi in domum Leonis odio. Id cùm Philippus Francorum Rex non ignoraret, missis ad Imperatorem Legatis, filiam hanc sibi petijt in matrimonium; a quo tamen puella abhorrebat, quòd matri diceret Regem hunc abjecisse toro Regis Daniæ filiam, quam secundis sibi nuptijs conjunxerat, & hoc inconstantis Regis exemplo se terreri, nec affici posse, ut ex his repudij vestigijs ad simile matrimonium ducatur. Quæ cùm mater puellæ probaret, rogaretque quem igitur sponsum mallet: hunc, inquit, qui mihi dudum promissus est, Henricum Leonis filium. Tum verò mater illico missis nuncijs evocat Henricum, juvenem ætate florentem, omnibusque corporis & animi dotibus exornatum; ac primo statim vespere, quo accessit, postulato Sacerdote ad consuetos ritus, collocavit in thalamo. Aberat Palatinus pater cùm hæc agerentur, neque conscius erat, quæ mater & filia pertractabant; altero tamen is die vocatus, ingressusq; castrum, probavit factum matris & filiæ. Inde mox ad Imperatorem regressus excusavit omnia absente se & inscio facta esse; at dum generi gratiam rogat, indignatus Imperator, Vade, inquit, & nebulone illo expulso, rescinde quod factum est. Ad quæ Palatinus: frustra hæc aguntur; res jam eò processit, ut nec sine probro filiæ meæ ac totius familiæ, nec sine religionis injuria matrimonium solvi possit. Quæ cùm multis exponeret, referretque etiam hoc matrimonium inter Mathildem sponsi matrem & conjugem suam convenisse, placatus Imperator quievit, generumque cum filia in gratiam recepit. Quam ut firmaret Palatinus, proficiscitur Brunswicum ad Henricum Leonem senem filij patrem, rogatque ut & ipse supplex Imperatorem Salveldiæ adeat, certo pollicitus fore, ut positis omnibus offensionibus, & ipse & filius ex integro in gratiam recipiatur. Quo dum Leo tendit, ex itinere prope Bothvelde (locus est diœcesis Paderbornensis haud pro-

Arnold. Lubec. lib. 4. c. 20. Prepos. Stederb. in histor. Henrici Leonis. Crantz. lib. 7. Metrop. c. 24. Neubrigensis lib. 4. c. 31 Rerum Anglic. Roger. ab Hoveden Scriptor Anglicus.

Pax Saxoniæ conciliata per nuptias Henrici, Leonis filij, cum Agnete filia Palatini.

cul à Visurgi, celebris Henrici III Jmperatoris excessu) cum equo prolapsus, graviter crus attrivit, prohibitusque est dolore vulneris iter prosequi. Quare cùm ad constitutum diem & locum non adesset Leo, Jmperator suspicatus hanc fictam, pro veteri fastu & obstinatione, obtrendi causam; post verò ubi certior factus de gravi lapsu Ducis, obviam processit Duci; ac postquam in mutuos amplexus & colloquium venêre, Jmperator patrem haud secus quàm filium in gratiam recepit. Factaque est omnium offensionum oblivio; filius etiam Palatini honoribus palam decoratus, heresque soceri appellatus. Ejus beneficij loco petijt Jmperator, permitteret filium secum in Jtaliam & Apuliam ire. Ægre quidem faciebat id Leo, quòd jam alijs duobus filijs Ottone & Wilhelmo orbatus esset, quorum alter ab Jmperatore, alter à Leopoldo Austriæ Duce obses tenebatur, Richardi Regis Angliæ & avunculi rogatu. Is enim postquam ex naufragio captivus in manus Austrij venerat, jussus est ingentem pecuniam, 50 videlicet millia marcarum sibi, & 100 millia marcarum Jmperatori pendere; quam inhumanam lytri summam, cùm ex vinculis in Germania repræsentare non posset, obsides hosce Leonis filios consensu patris dedit.

Henticus Leo bonorum exercitio operum insistens ad felicem vitæ exitum se comparat.

His cum Imperatore transactis, Leo Brunswigum redijt. Inde igitur ex fortunatis hisce nuptijs, quod Lubecensis scribit, per utramque Saxoniam terra marique alta pax & lætitia, cessantibus bellis, deprædationibus, furtis, latrocinijs, & multis partium incursationibus; tum negotiationes, agricultura, & commercia in pristinum tandem statum ac florem rediêre. Nec inde multum etiam superstes Leo (altero enim anno cessit è vivis) quod reliquum habuit vitæ, pacis & pietatis studijs impendere: templa & Monasteria, quæ Brunswigi à fundamentis exstruxerat, novis operis, imaginibus, crucis signis, exquisitè elaboratis vestibus sacris exornare: multum vacare operibus pijs, & larga manu pauperes fovere. Inter hæc licet corporis vires ex senio sensim deficerent, animo tamen excelso privata non minus quàm publica administrabat. Ac ne quid temporis per otium sibi elabi sineret, antiqua Chronicorum scripta colligi & conscribi, & coram sibi recitare præcepit. Qua in occupatione totam sæpe noctem duxit insomnem; uti hæc pluribus scribit Præposit⁹ Stederbergensis, quem sibi in legationibus & aula adesse voluit. Demum cùm urgente senio & morte ad extremum se deduci sensit, evocato ad se Jsfrido Raceburgensi Episcopo delictorum confessionem multis cum lacrymis quarto Nonas Augusti fecit: ac postquam sacro Eucharistiæ viatico pastus, oleoq; sacro secundum Ecclesiæ consuetudinem inunctus fuit, quatriduo post non aliud magis ingeminans, quàm illud Evangelij: *Deus propitius esto mihi peccatori*, excessit è vita, anno ætatis LXVI. Corpus deportatum in Monasterium S. Blasij, quod Canonicorum erat

Colle-

Collegium, templumque à se constructum, humatumque ad latus Mathildis conjugis, Anglorum Regis filiæ. Ad hunc modum ex turbulenta vita placitam piamque mortem sortitus. Passim hoc Scriptorum de hoc celebri Duce nostro judicium reperio: *Multa mala et bona fecisse*; tanquam qui vitam inter virtutum & vitiorum confinia duxerit. Quo tamen in genere exitum vitæ, præ valentibus virtutum operibus, habuit felicissimum; dummodo Ducibus nostris Brunswicensibus, qui ex Wilhelmo ejus filio antiquissimam & constantissimam stirpis originem trahunt, recolere libeat, ex qua majorum religione per Episcopos & veros Sacerdotes Catholicæ Ecclesiæ Sacramenta sibi morienti rite præberi voluerit: aut quos Leo Episcopatus, Canonicorum Collegia, ac Monasteria per Sclaviam & Saxoniam condiderit dotaritque.

Annus Christi 1194.

Cœlestini III Pont. 4.
Henrici VI Reg. 5. Imper. 4.
Bernardi II Ep. Pad. 9.

Imperator priusquam iter Romanum proximo hoc anno ingrederetur, accepta ingenti ex Anglia pecuniæ summâ, ad quam totius etiam Angliæ clerus tributa collegit, Richardum Regem libertati tandem restituit, tradiditq; duobus Archiepiscopis Moguntino & Coloniensi deducendum; & Adolphus Coloniensis adeo lætus Regis liberatione, ut pridie Nonas Februarij sacrificium Missæ de vinculis S. Petri celebrari jusserit; multique procerum ex Westfalia ad salutandum spectandumque Regem convolârint. Imperator post illa in Italiam transscendit ad possessiones Apuliæ & Siciliæ adeundas; quòd jam Tancredum morte sublatum didicerat. Hæsit à latere Imperatoris Henricus Leonis filius, in omnibus comes cum Saxoniæ militia. Mense Junio cùm Genuam attigisset, v Idus Augusti classe provectus, Cajetam appulit; qua in deditionem accepta, Neapolim iv Calend. Septembris obsidere cœpit: ea cùm haud multum reluctata se dederet, ceteras urbes suo exemplo traxit in potestatem Imperatoris. Inde in Siciliam classe delatus, brevi tempore totam subegit. Quare & mense Decembri unà cum Constantia uxore (quam falsò quidam Monialem fuisse ferunt) Rex Siciliæ coronatur.

Rogerius. Baronius.

Sigonius l. 15. Godefrid. Otto à S. Blasio.

Læta non minus hujus anni à Cœlestino Pontifice, à quo Bernwardus Hildesimensis Episcopus Divorum fastis adscriptus est. Nam is, postquam à Cardinale Cintio (qui in Daniam missus erat Legatus, diverteratque ad Monasterium S. Michaëlis hospes) & à Conrado Moguntino Archiepiscopo, Bernone Hildesimensi, ceterisque Saxoniæ Episcopis edoctus esset de Bernwardi sanctimonia, & crebris ad sepulchrum miraculis perpetratis, convocato Cardinalium senatu, exami-

Arnold. Lubec. l. 4. c. 23. Auctor Transla. apud Brovver. in Sideribus. Brovver. in Not. ad vit. Bernvv.

Bernwardus Hildes. Episc. Divis adscribitur, & pluribus miraculis inclarescit.

examinatisque singulis, quæ per Theodoricum Abbatem allata erant, solemni ritu in Divorum numerum retulit, dato insigni ad Episcopum & Clerum Hildesiensem diplomate. Quo accepto, Berno Episcopus ossa hoc anno festo Virginis in Cœlum assumptæ è sepulchro extulit, publicæque Bernwardum populo, qui ex omnibus Saxoniæ & Westfaliæ locis affluxerat, colendum proposuit. Ac mirum quibus miraculis Deus à facta translatione, supra etiam, quàm ante edita erant, hunc Divum illustrarit. Nullus prope Saxoniæ locus, in quo non varijs morbis afflicti mortales, ejus implorata ope, divinitus persanati sunt: ut jam tota Saxonia personaret Divi hujus cœlesti patrocinio. Nec Paderbornensis diœcesis vacua hujus Divi beneficio. Captus ferreisq; vinculis adstrictus tenebatur Odalricus miles de Paderborna in castris Ravensberg; is cùm extremo vitæ discrimine multa per famam acciperet de Bernwardi miraculis, implorata Divi ope, sensit noctu catenas, qua parte manum stringebant, cerei instar diffluere. Ita facilè ijs se expedijt; sed nullus adhuc effugij locus patebat. Inter portarum claustra & custodias igitur, majora ausus, & Divi fiducia fretus, ab alto muro desilit in subjectam ex petris profundamque fossam, ac nulla corporis sui parte læsus evadit; vinculisque solutus nihil sollicitius habuit, quàm ut vota, quæ fecerat, exsolveret. Quam in rem recta Hildesium properando, compedes, quas manu ferebat, testes beneficij & miraculi, ad sepulchrum ejus suspendit. Innumera hæc prope erant, quæ tum Divi hujus implorati beneficio patrabantur, ex quibus hoc, quod nostrum est, referre congruum duximus.

Adolphus Colon. Archiep. pacem & tranquillitatem Ducatui Westfaliæ restituit.

Sub id tempus Adolphus Coloniensis Archiepiscopus Westfaliæ Angariæq; Ducatum suum ingressus, haud alia ut ipse profitetur, de causa, quàm ut oppressis bello per has turbas incolis suæ provinciæ jus diceret, & ab injurijs liberaret. Quippe Comites Westfaliæ, ut Godefridus retulit, diffidijs armisque inter se commissi, incursando prædandoque, sacra juxta & profana turbarent; quanquam, quinam illi Comites fuerint, præter Waldecenses, à nullo scriptore satis sit proditum. Igitur postquam Saxonia reconciliato Leone respirare cœpit, publicum omnium ordinum indixit conventum; ad quem Florentius quoque Marienfeldensis Abbas accessit, questus de Waldecensibus Comitibus, qui ab obitu Widekindi fratris, & Widekindi Rhedani Dynastæ, ac fundatoris sui, Ecclesiam & prædium Stapellagium, aliaque bona rapuerant, quæ ipsi Cœnobio ante profectionem in Palæstinam donârant. Coloniensis non contentus hæc decidisse in suo Ducatu, Paderbornam ultro proficiscitur, collaturus cum Bernardo Episcopo de statu Westfaliæ. Ibi alio Abbatum comitio, ac nobilium conventu indicto, non modò causa Florentij Abbatis, sed & ceteræ lites turbæque intestinæ compositæ sunt. Extant hac super re publicæ literæ in tabulario Marienfeldensi, quibus acta hæc memorantur.

Pader-

Paderbornae Nonis Julii, Anno Dominicae Incarnationis MCLXXXXIIII, *Indictione* XII, *praesidente Romanae Sedi Coelestino Papa III. regnante Henrico Romanorum Imperatore Augusto, Episcopatus nostri anno I. praesentibus viris nominatissimis, Clericis et Laicis, quorum haec sunt nomina. Widekindus Corbeiensis Abbas, Henricus Abbas Paderbornensis, Hermannus Praepositus Susatiensis, Simon Comes de Tekenburg, Arnoldus Comes de Altena, Fridericus Comes frater ejus, Albertus Comes de Everstein, Adolphus filius Comitis Engelberti de Berge, Bernardus de Lippia, et filius ejus, de Waldeck unus ex quatuor fratribus, Godefridus de Peremunt, Herimannus de Ruthenberg, Adolphus de Dassele, Amelungus Comes de Patherbarna, aliique nobiles ac Ministeriales.* Celebris praesulum & Comitum conventus, in quo auctoritate Adolphi Coloniensis & Bernardi Paderbornensis Episcopi nostri, haec pars Westfaliae, positis infestationibus, publicae tranquillitati restituta est.

Memorabile etiam apud nos Bernardi Comitis de Lippia factum, quem Westfalia ex celeberrimo milite, & militiae praefecto, Monachi habitum in Coenobio Marienfeldensi induere vidit. Id quidem Pideritius ad annum Christi 1192 refert; eò quòd in chronico Lautergensi, seu Montis Sereni, sit consignatum; Verùm Lauterbergense Chronicon tantùm ad annum Christi 1219 serò post denarrat Bernardum ex Monacho Abbatem & Episcopum factum esse. Id Chronicon cum non inspexerit Heisterus, Veldius, alijque, à Pideritio in errorem abducti sunt. Mihi autem id probari non potest, quòd ad hunc usque annum reperiam illum tabulis publicis inter Comites & proceres subscripsisse. Quemadmodum in his Adolphi Coloniensis Archiepiscopi literis, paulò ante productis, cum Hermanno filio testis subscripsit. Verisimile autem habeo eum aut hoc anno, aut post obitum Henrici Leonis, aut proximo quoque anno Monasticam vitam amplexum esse; nec enim ab hoc tempore aut in publicis tabulis, aut ullo in conventu nomen ejus aut praesentiam reperio. Multa & praeclara de hoc Westfaliae heroë passim Scriptores nostri memorant, sed in quibus nihil magis quàm Chronologiam desideres. Conscripsit & Justinus presbyter res à Bernardo gestas rudi ejus saeculi versu, à quo & ratio temporis praetermissa est.

Bernardus C. de Lippia monasticam in Coenobio Marienfeldensi vitam amplectitur.

Justinus presbyter in Lippeflorio. Albertus Stadensis. Chron. Montis Sereni. Crantzius. Heister in suffrag. Colon.

Igitur mira in hoc Comite rerum vitaeque conversio. Adolescens à parente Hildesium transmissus ad celebre ejus loci Gymnasium, ex quo literis excultus & in Hildesiensem clerum cooptatus, aliquantum vixit inter Canonicos Principis aedis; dum fratre natu majore extincto, à parentibus revocaretur ad familiae propagationem, cujus ille unica stirps supererat, ex clarissimis majoribus, Patre cumprimis Bernardo, quem Lotharij Imperatoris arma celebrem fecêre militiae praefectum. Cùm & ipse martios animos ferret, ad militiam se transtulit, clarusque vel maximis bellis Henrici Leonis, ut supra à nobis

Ceterae Bernardi res gestae.

bis relatum est, inter præstantissimos ejus tempestatis Duces numerabatur; tantaque in eo spectata fortitudo, ut cum pedibus malè affectus, totoque corpore debilis esset, lectica tamen se ad prælium deportari jusserit. Publicis deinde privatisque bellis per Saxoniam quiescenribus, Lipstadij (quam urbem ipse primò ad Luppiam condidisse fertur) in palatio consedit. Interim paralysi nervorumque contractione ita debilitatus, ut ad omnia munia inutilis ægram animam traheret; tum verò cùm desperata omnium medicorum arte rationes superioris vitæ inspiceret, votum concepit Deo, & B. Virgini factum, si pristinis sibi viribus redderetur, abjectis omnibus familiæ curis, Deo se militaturum: sive jam illud votum fuerit militandi in Livonia adversus barbaros Christianæ religionis hostes, ut quidam volunt: sive institutum religiosæ vitæ amplectendæ. Certè concepto voto, mox integram corporis sanitatem cœlesti beneficio recepit, admiratus ipse secum, quî tam repentina ex desperato corpore valetudo rediret. At rem arduam, quam meditabatur, multum præpeditabant uxor, liberi, & adhuc fluctuans inter bellorum jacturas familia. Primùm igitur conjugi, quam Petronellam habebat Comitis Arensbergensis filiam, consilium animi sui aperit; ea licet multum obsisteret, victa tandem precibus cessit in consensum. Mox translata in Hermannum filium omni bonorum hereditate (nam ceteri quatuor filij in clerum adscripti erant; ex quibus Otto Ultrajectensis, Gerhardus Bremensis, Bernardus Paderbornensis Episcopi, Theodorus Daventriensis Præpositus delecti) vergente jam in senium ætate, in Cœnobium Marienfeldense secessit, quod ipse jam inter fundatores amplis prædijs & bonis dotare cœperat: cunctis admirantibus, qui virum posito militari sago attonsum in Monachum, vilique habitu contectum vidêre. Auctor Chronici Montis Sereni de eo hæc retulit. *Bernardus Comes de Lippia, vir sæculi actibus deditus, post multa bella, inter quæ rapinis et incendiis multis injuriosus extiterat, Deo inspirante, animo habituque mutatus, in quadam Ecclesia novella, quæ primùm Hosevvinckell dicebatur, primùm Cistertiensis ordinis Monachus, demum ejusdem loci Abbas, ac deinde cuidam Livoniensi provinciæ Episcopus est electus, et à filio Episcopo de Utrecht consecratus.* Eadem fere refert Albertus Stadensis; fallitur verò uterque quod ejusdem loci Abbatem factum scribant.

Bernardus in Livoniam transit, & Episcopus Selonensis consecratur.

Sanè postquam religiosam vitam inter Monachos amplexus, ita brevi omnibus virtutibus excultus fuit, ut quantum miles inter milites, tantum Monachus inter Monachos emineret. Paucisque post annis, ductâ religiosorum virorum Coloniâ secum ex Westfalia, in Livoniam est transgressus ad barbaros homines excolendos; ubi jam anno MCCI, ut ex tabulis ab eo Cœnobio Marienfeldensi consignatis constat, Abbas Dunemundæ fuit. Quo ex munere, ut Stadensis scribit, Seloniensis Episcopus delectus, egregiam in docendis barbaris

baris operam magno cum fructu posuit. Ac quamvis subinde Lealensis Episcopus vocetur ab arce Leale, ad quam cum ceteris Episcopis refugium habuit; Seloniensis tamen illi proprius fuit. Ad quod sacrum munus cum admoveretur, rediit in Westfaliam. Ac *mira res,* inquit Albertus Stadensis, *Trajectensis Episcopus Bernardum patrem suum consecravit Episcopum in Aldensele, et postea pater cum eodem filio suo Gerhardum alium filium Bremensem Archiepiscopum consecravit, idemque Gerhardus alium fratrem suum Paderbornensem consecravit Episcopum.* Magnum per id tempus totius Westfaliæ decus Lippiensium Comitum familia, quæ tot præclaros simul Episcopos cum tam Apostolico parente dedit: stetitque illustris progenies in hac majorum religione, dum nostra ætate primùm ad Lutheri, post ad Calvini hæresin desciscerets. Sed hæc pauca de Bernardo Comite, cetera tempori referenda.

Annus Christi 1195.

Cœlestini III Pont. 5.
Henrici VI Reg. 6. Imper. 5.
Bernardi II Ep. Pad. 10.

Nunc ad annum proximum transeamus, Christi videlicet MCLXXXXV, quo Imperator rebus in Sicilia constitutis, in Apuliam transiit, ac Barij Christi resurgentis solemnia egit. Sed priusquam è Sicilia solveret, literas dedit in Germaniam à Godefrido recitatas, quibus omnes Archiepiscopos, Episcopos, & sacrorum præsules hortatur, ut populum ad militiam sacram, quam Cœlestinus Pontifex urgebat, sollicitè excitent. Ipse deinde Imperator, rebus in Italia ordinatis, in Germaniam regressus, duplicem hanc in rem conventum Principum convocavit, alterum Wormatiæ, alterum Argentinæ. Quinta hæc expeditio sacra fuit, in qua Principes, Episcopi, & supra viginti proceres cruce signati, atq; ingens hominum multitudo convenit, quæ ad sexaginta millia pugnatorum nomen suum sacræ militiæ dedit. Inter sacros præsules numerati Conradus Moguntinus, Hartwicus Bremensis Archiepiscopi, Conradus Hildesiensis, idemq; Cancellarius Imperatoris, Rudolphus Verdensis, Halberstadiensis, Citizensis, Pataviensis, Ratisbonensis, aliique quàm plures, teste Lubecensi. E Principum numero Dux Lotharingiæ, & Henricus Leonis filius, qui ex hoc anno Conrado socero mortuo hereditatem Palatinatus Rheni adiit. Accessêre Dux Austriæ, Hermannus Thuringiæ Landgravius, Comes de Limburg, Adolphus Comes Swalenbergicus. E Westfalis proceribus memoratur Bernardus de Horstmaria, militum ea tempestate pugnacissimus. Hi per hyemem toti in apparatu fuêre; quibus Rex Daniæ, Lubecenses, Bremenses ceterique naves milite instructas addidêre. Inter has publicas curas Henricus Imperator,

Quinta in Palæstinam expeditio urgetur.

Godefridus. Otto de S. Blasio. Vrsberg. Arnoldus Lubec. l.5. Gretzerus de Cruce lib.2.c.27.

perator, sollicitatus à Bernardo Episcopo nostro, castrum Plesse illi liberali diplomate ex decisa lite asserit.

Henricus Imp. castrum Plesse Bernardo Ep. adjudicat.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator, et semper Augustus, et Rex Siciliæ fidelibus suis, Clero, hominibus, et universis Ministerialibus Paderbrunnensis Ecclesiæ gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre duximus innitandum. Quod nos ad instructionem fidelis nostri Bernhardi Paderburnensis Episcopi cognoscentes Ecclesiam Paderburnensem dampnum et gravamen sustinere ex concambio, quod idem Episcopus de castro Plesse, et ejus pertinentiis ex parte Ecclesie sue nobiscum fecerat pro dilectione ipsius Episcopi idem concambium auctoritate imperiali dissolvimus et omnimodis cassamus. Mandamus igitur et districte precipimus, quatinus jam dictus Episcopus, et Ecclesia Paderb. castrum Plesse et universa ejus pertinentia cum omni jure et plenitudine sicut prius habuerant, deinceps teneant, et in pace possideant, et à nullo unquam in eisdem bonis et castro molestentur, volentes ut predium Comitis Sifridi in Episcopatu Paderburnensi situm, quod ipsi Episcopo et Ecclesie sue in concambium dederamus, nostre deinceps vacet potestati. Datum apud Latam Anno Domini MCXCV, Indict. XIII, II Calend. Augusti.

Bernardus Ep. Dynastis Buranis in clientelam susceptis dat facultatem condendi oppidi Burani &c.

Transegit deinde Episcopus noster cum Bertholdo & Thethmaro Dynastis Buranis; quibus & potestatem dedit condendi muniendique Oppidum Buranum, & certis illos legibus in clientes suscepit: quo simul tempore ædem sacram in oppido constructam dedicavit; uti hæc uberius ex his transactionum literis cognoscentur.

Bernardus secundus Dei gratia Episcopus Patherbornensis. Cum pleraque mortalium negocia vetustate temporum deleri soleant, nisi sint literarum monumentis commendata. Idcirco cautum est et usitato more frequentatum, actus hominum, presertim contractus, quorum perpetua utilis est memoria, scriptis autenticis commendare, ut si quid ex eis aliquando veniat in dubium, per instrumenta publica facilius expediatur. Qua nos usi cautela presentibus significamus et futuris, quod duo fratres nobiles B. et T. totum predium suum, quod Buren proprietario jure habebant, consensu et collaudatione legitimorum coheredum suorum Ecclesie nostre rite contulerunt in proprium cum omnibus ad ipsum pertinentibus, videlicet agris cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, et omni jure earundem possessionum, mansum unum Ecclesie nostre ante hanc collationem Ecclesie nostre pertinentem pro alio commutaverunt, et eundem commutatum Ecclesie nostre dederunt. Idem fratres civitatem nostra auctoritate et consensu edificaverunt, quam cum moneta sua et theloneo et minuta decima scilicet illius ambitus, et de nutrimentis animalium ipsis in feodum concessimus. Hec eciam civitas ad mandatum et servicium Patherburn. Episcopi erit in perpetuum, sicut Wartberc et Paterburn. Prenominati fratres, et eorum Successores ab omni homine liberi, et absoluti servient Patherburnensi Episcopo, quicunque pro tempore fuerit contra quemlibet preter Romanum imperium. Si

Pather-

Patherburnensis Episcopus guerram cum Comite de Arnesberg habet, intrabit civitatem Buren quotiens et quamdiu voluerit cum numero armatorum pro suo arbitrio, et de ipsa guerrabit, et alter frater, si voluerit erit Arnesberg, ita tamen ut nullatenus ledat Ecclesiam. Si contingat uno tantum superstite contra prefatum Comitem guerram moveri, ille nostre serviet Ecclesie, vel renunciabit bonis, nisi gratia Episcopi ei hanc necessitudinem remittat. Si sine legitimis filiis vel filiabus sepedicti fratres decesserint, proximi heredes, qui succedent in patrimonium predicto modo Ecclesie collatum, succedent in idem feodum in prescripta lege ac onere servitii. Capellam in eodem loco dedicavimus constructam, eique proprium pastorem perpetuo deputavimus, cujus parrochia intra fossatum civitatis limitata est, ita quod extra munitionem non extendatur. Archidyaconus tribus vicibus in anno synodalem et Episcopalem jurisdictionem exercebit in eadem capella, et qualibet vice XVIII denarios gravis monetæ pro sua procuratione accipiet. Insuper quotiens voluerit pro consuetudine Archidyaconorum ibidem synodabit: sed que prescripta est procuracionis erit annua summa. Decimas Villarum Buren, Holthusen, Sydinchusen, Barchusen, Hodinch jure perpetue pensionis percipient, de quibus in octava Pentecostes solvent Cellerario Patherburn. IIII marcas et dimidiam Sosaciensis monetæ, que si casu temporis levior facta fuerit, Patherb. monete nummi solventur. Quas si non solverint usq; ad vigiliam S Jacobi sine omni contradictione carebunt decimis in perpetuum. Reditus V marcarum eisdem fratribus concedimus, si tempore vite nostre vacare contigerit, sin autem à Successoribus nostris hujus rei eventum exspectabunt ita tamen, quod nullius Ministerialis bona conferantur eis. Promiserunt idem fratres sub Sacramento fidelitatis, quam nobis debent et Ecclesie, quod peticiones et exacciones, hospitalitates, sive quascunque concussiones non facerent in bonis et hominibus Ecclesie nostre. Quod si fecerint, et familiariter à nobis, vel à Successoribus nostris conventi non correxerint infra VI ebdomadas absque districto jure feodali ad jus finale citati occurent, culpam composituri cum restitucione damnorum illatorum. Si verò clericum sive ministerialem Ecclesie sue mancipium captivaverint, statim cum conventi à nobis vel nostris Successoribus fuerint non lege feodali sed ad XIIII dies finali jure pro hys excessibus citati respondeant. LX marcas pro compensatione prædii præscripto modo collati ipsis dedimus. Insuper XXX marcas ad impensas muniendum civitat., ne aliqua occasione Villas, seu quecunque gravamina exactionum aliquo ingenio in personis in possessionibus ipsi aut heredes ipsorum facere presumant in perpetuum.

Vicissim in hæc pacta conventaq; fidem suam obligavit Bertholdus dynasta Buranus. Quam in rem publicæ ejus tabulæ suppetunt, multis Canonicorum & nobilium testibus in celebri conventu signatæ. Quæ cùm hæc planius explanent, juraque Buranæ familiæ dilucidius asserant, operæ pretium erit hîc simul ad posteritatis memoriam conjungere.

perator, sollicitatus à Bernardo Episcopo nostro, castrum Plesse illi liberali diplomate ex decisa lite asserit.

Henricus Imp. castrum Plesse Bernardo Ep. adjudicat.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator, et semper Augustus, et Rex Siciliæ fidelibus suis, Clero, hominibus, et universis Ministerialibus Paderbrunnensis Ecclesiæ gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre duximus innitandum. Quod nos ad instructionem fidelis nostri Bernhardi Paderburnensis Episcopi cognoscentes Ecclesiam Paderburnensem dampnum et gravamen sustinere ex concambio, quod idem Episcopus de castro Plesse, et ejus pertinentiis ex parte Ecclesie sue nobiscum fecerat pro dilectione ipsius Episcopi idem concambium auctoritate imperiali dissolvimus et omnimodis cassamus. Mandamus igitur et districte precipimus, quatinus jam dictus Episcopus, et Ecclesia Paderb. castrum Plesse et universa ejus pertinentia cum omni jure et plenitudine sicut prius habuerant, deinceps teneant, et in pace possideant, et à nullo unquam in eisdem bonis et castro molestentur, volentes ut predium Comitis Sifridi in Episcopatu Paderburnensi situm, quod ipsi Episcopo et Ecclesie sue in concambium dederamus, nostre deinceps vacet potestati. Datum apud Latam Anno Domini MCXCV, Indict. XIII, II Calend. Augusti.

Bernardus Ep. Dynastis Buranis in clientelam susceptis dat facultatem condendi oppidi Burani &c.

Transegit deinde Episcopus noster cum Bertholdo & Thethmaro Dynastis Buranis; quibus & potestatem dedit condendi muniendique Oppidum Buranum, & certis illos legibus in clientes suscepit: quo simul tempore ædem sacram in oppido constructam dedicavit; uti hæc uberius ex his transactionum literis cognoscentur.

Bernardus secundus Dei gratia Episcopus Patherbornensis. Cum pleraque mortalium negocia vetustate temporum deleri soleant, nisi sint literarum monumentis commendata. Idcirco cautum est et usitato more frequentatum, actus hominum, presertim contractus, quorum perpetua utilis est memoria, scriptis autenticis commendare, ut si quid ex eis aliquando veniat in dubium, per instrumenta publica facilius expediatur. Qua nos usi cautela presentibus significamus et futuris, quod duo fratres nobiles B. et T. totum predium suum, quod Buren proprietario jure habebant, consensu et collaudatione legitimorum coheredum suorum Ecclesie nostre rite contulerunt in proprium cum omnibus ad ipsum pertinentibus, videlicet agris cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, et omni jure earundem possessionum, mansum unum Ecclesie nostre ante hanc collationem Ecclesie nostre pertinentem pro alio commutaverunt, et eundem commutatum Ecclesie nostre dederunt. Idem fratres civitatem nostra auctoritate et consensu edificaverunt, quam cum moneta sua et theloneo et minuta decima scilicet illius ambitus, et de nutrimentis animalium ipsis in feodum concessimus. Hec eciam civitas ad mandatum et servicium Patherburn. Episcopi erit in perpetuum, sicut Wartberc et Paterburn. Prenominati fratres, et eorum Successores ab omni homine liberi, et absoluti servient Patherburnensi Episcopo, quicunque pro tempore fuerit contra quemlibet preter Romanum imperium. Si

Pather-

Patherburnensis Episcopus guerram cum Comite de Arnesberg habet, intrabit civitatem Buren quotiens et quamdiu voluerit cum numero armatorum pro suo arbitrio, et de ipsa guerrabit, et alter frater, si voluerit erit Arnesberg, ita tamen ut nullatenus ledat Ecclesiam. Si contingat uno tantum superstite contra prefatum Comitem guerram moveri, ille nostre serviet Ecclesie, vel renunciabit bonis, nisi gratia Episcopi ei hanc necessitudinem remittat. Si sine legitimis filiis vel filiabus sepedicti fratres decesserint, proximi heredes, qui succedent in patrimonium predicto modo Ecclesie collatum, succedent in idem feodum in prescripta lege ac onere servitii. Capellam in eodem loco dedicavimus constructam, eique proprium pastorem perpetuo deputavimus, cujus parrochia intra fossatum civitatis limitata est, ita quod extra munitionem non extendatur. Archidyaconus tribus vicibus in anno synodalem et Episcopalem jurisdictionem exercebit in eadem capella, et qualibet vice XVIII denarios gravis monetæ pro sua procuratione accipiet. Insuper quotiens voluerit pro consuetudine Archidyaconorum ibidem synodabit: sed que prescripta est procuracionis erit annua summa. Decimas Villarum Buren, Holthusen, Sydinchusen, Barchusen, Hodinch jure perpetue pensionis percipient, de quibus in octava Pentecostes solvent Cellerario Patherburn. IIII marcas et dimidiam Sosaciensis monetæ, que si casu temporis levior facta fuerit, Patherb. monete nummi solventur. Quas si non solverint usq; ad vigiliam S Jacobi sine omni contradictione carebunt decimis in perpetuum. Reditus V marcarum eisdem fratribus concedimus, si tempore vite nostre vacare contigerit, sin autem à Successoribus nostris hujus rei eventum exspectabunt ita tamen, quod nullius Ministerialis bona conferantur eis. Promiserunt idem fratres sub Sacramento fidelitatis, quam nobis debent et Ecclesie, quod peticiones et exacciones, hospitalitates, sive quascunque concussiones non facerent in bonis et hominibus Ecclesie nostre. Quod si fecerint, et familiariter à nobis, vel à Successoribus nostris conventi non correxerint infra VI ebdomadas absque districto jure feodali ad jus finale citati occurent, culpam composituri cum restitucione damnorum illatorum. Si verò clericum sive ministerialem Ecclesie sue mancipium captivaverint, statim cum conventi à nobis vel nostris Successoribus fuerint non lege feodali sed ad XIIII dies finali jure pro hys excessibus citati respondeant. LX marcas pro compensatione prædii præscripto modo collati ipsis dedimus. Insuper XXX marcas ad impensas muniendum civitat., ne aliqua occasione Villas, seu quecunque gravamina exactionum aliquo ingenio in personis in possessionibus ipsi aut heredes ipsorum facere presumant in perpetuum.

Vicissim in hæc pacta conventaq; fidem suam obligavit Bertholdus dynasta Buranus. Quam in rem publicæ ejus tabulæ suppetunt, multis Canonicorum & nobilium testibus in celebri conventu signatæ. Quæ cùm hæc planius explanent, juraque Buranæ familiæ dilucidius asserant, operæ pretium erit hîc simul ad posteritatis memoriam conjungere.

 Quoniam

Quoniam quæ fiunt sub tempore, pariter elabuntur cum tempore, Nos Bertholdus et Tethmarus fratres Nobiles viri de Buren ad perpetuam notitiam in hac chartula expressimus contractum familiaritatis et amicitiæ, qui convenit inter Dominum Bernhardum Episcopum et Ecclesiam Paderbornensem ex una parte, et nos et omnes cohæredes nostros ex altera. Cum enim in ipso contractu fuisset expressum, ut formam ipsius contractus præfati Episcopus et Ecclesia sub suis sigillis conscriptam nobis assignarent, et versa vice sub nostro signaculo conscriptam acciperent, ex quo ipsi à nobis sæpius commoniti et rogati hoc implere voluerunt, ejusdem contractus ordinem et formam plene et verissime sub attestatione gratiæ Dei et nostræ christianitatis religione, et pœna ultimi judicii nos hic fecimus exarari, mandantes cujuslibet posteris nostris utriusque sexus, quatenus si opus fuerit, ipsi securissime in animas suas et nostras, ita ut subscriptum est, juramento confirment, factum esse. Castrum itaque nostrum Buren villaque eadem, quæ ab antecessoribus nostris jure hæreditario habuimus, et tantum triginta mansos ejusdem proprietatis in vicino adjacentes in agris et sylvis in manus prædicti Domini Bernhardi Episcopi in proprietatem contulimus Beato Liborio et Ecclesiæ Paderbornensi, commutato manso qui pertinuit eidem Ecclesiæ cum altero manso nostro in ipsa donatione, et præstitimus fidele homagium Episcopo ad serviendum ei et Ecclesiæ in necessitatibus suis ad propellandas injurias et castrum et villam nostram eorum auxilio accommodanda contra omnem hominem, præterquam contra Imperium. Expressum est etiam, ut homines et bona ejusdem Ecclesiæ nos ipsi et homines nostri benigne et pacifice pertractemus, et si forte contigerit vel nos, vel homines nostros in his aliquatenus offendere, ad componendas offensas spatio sex hebdomadarum commoneamus amice, et si inventi fuerimus parati componere amice vel juste, judicialiter contra nos procedere non debeat Episcopus. Si autem contigerit Episcopum vel Ecclesiam Paderbornensem guerrare cum Comite de Arensberg, cujus nos vasalli sumus, optionem habet unus nostrum ad Comitem se transferre, altero vero cum castro Buren in obsequio Ecclesiæ persistente. Supradicta igitur donatione à nobis completa, idem Episcopus de pleno consensu Ecclesiæ Paderbornensis jure perpetuo concessit nobis, et per nos liberis nostris promiscui sexus, et post ipsos hæredibus eorum, et nostris item promiscui sexus, proximis in perpetuum castrum Buren, villam, et proprietates prædictas, dans nobis auctoritatem monetam faciendi, thelonio utendi, et ne nos vel hæredes nostri de eisdem bonis ad servitia transalpina teneamur. Idem Episcopus capellam à nobis exstructam ibidem dedicavit, et nobis et loco eidem proprium Pastorem perpetuo per nos inveniendum consensit, cujus Parochia intra fossatum ejusdem oppidi limitata est, Archidiaconus etiam, qui pro tempore fuerit, tribus vicibus in anno Episcopalem, vel synodalem jurisdictionem exercebit in eadem Ecclesia, cui Plebanus serviet qualibet vice decem et octo denarios in sua procuratione. Ad mutuæ autem dilectionis affectum exprimendum accepimus à prædicto Episcopo et Ecclesia sexaginta marcas in donatione, et item triginta ad impensas muniendi oppidi nostri prædicti.

Et

Et insuper contulerant nobis jure perpetuæ pensionis ad summam quatuor marcarum et dimidiæ communis monetæ decimas quinque locorum videlicet Holthusen, Sidinckhusen, Hodinckhusen, Buren, ita ut præfata pecunia tota solvatur majori Præposito vel Cellerario Paderbornensi ab Ascensione Domini usque in diem B. Jacobi Apostoli. Reditus etiam quinque marcarum ipse Episcopus nobis in feudum concessit, exspectandas ab eo, vel à Successore suo, cum eos vacare contigerit, ita tamen, quod à nobis ministerialium reditus ipsos non consequamur. Promiserunt etiam Episcopus et Ecclesia Paderbornensis, ut nobis promptum et efficax auxilium cum suis hominibus et expensis adhibeant in justis caussis nostris, et in quibus volumus juri parere, et ut ad defensionem nostram nobis assistant Episcopus, et conventus Paderbornensis, et civitas Paderbornensis, et aliæ munitiones Ecclesiæ ejusdem, tanquam castrum nostrum Buren. Adjectum est etiam, ut si præfati Episcopus et Ecclesia in bonis nobis ab ipsis datis vel collatis graves vel injuriosi existant, manentibus nobis his, quæ ab eis consecuti sumus, bona nostra ad nos in pristinam redeant libertatis proprietatem. Præsentes erant Godescalcus de Schwvalenberg major Præpositus, Volpertus Decanus, Bernhardus Præpositus BB. Apostolorum Petri et Andreæ, Lambertus Cellerarius, Henricus de Burbonne Scholasticus, Titericus de Ettelen Custos, Meinricus, Conradus parvus Præpositus, Joannes de Padbere, Volcquinus de Schwvalenberg, Hermannus de Buren, et alii Paderbornenses Canonici, et Henricus Abbas Paderbornensis. Laici nobiles Comes de Arensperg, Godefridus, Henricus de Arensperg, Everhardus de Artheia, et Jonathas frater ejus, Henricus de Gevore, Everhardus de Godenburg, Amelungus Comes. Ministeriales Wvernerus de Brakele, Henricus Spirino, Wvernerus Stapel, et Theimo frater ejus, Macharius, et Helmwvicus, Grubo de Paderborne, Swveterus de Wevere, Conradus Camerarius, Hildeboldus de Egnenhus, Hermannus de Hosdagessen, et Ludolphus frater ejus, Swveterus de Elsen, et Henricus frater ejus, Godehardus de Ettelen, Aselmus de Attelen, Hermannus Pincerna, Hildeboldus de Reilendicken, Joannes Clenode, Joannes de Bocke, Rudolphus de Erwvette, Rudolphus de Burbenne, Horat. de Brencken, et Rabodo Lodewvicus de Didevikeshusen, Henricus de Steinenhusen Ropertus de Anrochte, Antonius de Barckhusen et Hartmodus frater ejus, Arnoldus, et Andreas de Sidinckhusen, Bernhardus de Holthusen, Eglfridus senior, Eglfridus de Silbeke, et alii quamplures. Actum apud Silikensoth Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo quinto.

Florentis per id tempus disciplinæ religiosæ erat Cœnobium Virginum Scakense ex instituto D. Benedicti intra Fredbergam & Corbacum in comitatu Waldacensi, submissumque jurisdictione sacræ Episcopo Paderbornensi, ut ex Petri Cardinalis Apostolici Legati literis anno MCCLIV datis, & Alexandri VI Pontificis, alijsque monumentis literarum constat. Quanquam quo tempore cœperit, aut quis primus ejus sit fundator, nondum explorare licuit. Verùm quia

Widekindus Ab. Corbeiensis benefacit Cœnobio Scakensi.

quia antiquiora de origine hujus Cœnobij monumenta ex hæresis spolio non suppetunt, Widekindi Corbejensis Abbatis donationum tabulas juvat ex hoc anno proferre.

Widekindus Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ Abbas cunctis Successoribus suis in perpetuum. Cum ex debito commissi nobis regiminis Ecclesiarum semper teneamur incrementis prospicere. Notum esse volumus cunctis Successoribus nostris, quod dum novellam apud Godeloveffen in Christo locassemus familiam, nos raritatem prædiorum loci illius considerantes duo talenta in eadem villa ad cameram fratrum Corbeiensium pertinentia, et ad indumenta Abbatis deputata prædicto Cœnobio, ut Deo ibi servientes eo ampliora possent habere subsidia, contulimus. Quæ nimirum collatio, ut tanto esset firmior Præpositus loci illius duo talenta in Helmenstethen à Heinrico de Suiste, et hæredis fratris sui Cononis, quæ ab Ecclesia Corbeiensi in beneficio tenuerunt, redemit, et ipsi ea nobis resignaverunt, quæ nos in recompensationem prædictorum talentorum camerario fratrum assignavimus. Quod nimirum ne indubiæ contentionis scrupulum possit relabi, præsentis paginæ tenorem jussimus conscribi, et testibus, in quorum præsentia hæc acta sunt, subter annotatis sigilli nostri impressione ea jussimus communiri. Sunt autem hy Conradus major Præpositus, Fritbericus Prior, Reinherus Camerarius, Olricus hospitalarius, Ropertus Camerarius, Joannes Cappellanus. Ministeriales, Wasmodus Marscalcus, Erenbertus Camerarius, Ludolfus uterque Dapifer, Helmricus, Reinherus, et Arnoldus fratres de Porta, Thidericus rufus, Herboldus de Nubike, Johannes de Berinchus, Albertus Virpo, Heinthenricus de Widinchus, Fredericus de Groninga, et alii quamplures, Acta sunt hæc Anno Incarnationis MCXCV, Indictione XIII.

Multis exinde Pontificum diplomatis exornatum Monasterium hoc viguit per multos annos sub præstantibus Abbatissis religiosæ vitæ disciplinâ; donec posterioribus annis primùm in liberum Virginum Collegium, ac postremum etiam in domicilium Lutheranarum Virginum converteretur, id quod nunc totum est in potestate hæresis.

Annus Christi 1196.

Cœlestini III Pont. 6.
Henrici VI Reg. 7. Imper. 6.
Bernardi II Ep. Pad. 11.

Miræus in Not. Belg. Godefr. Arnold. Lub. lib. 5. Otto de S. Blasio.

Henricus Imp. agit de filio

Postquam ex apparatu belli hyems se evolverat in sequentem annum, Imperator primum Geilhusij Principum conventum mense Martio habuit, præsentibus Ludolpho Magdenburgensi, & Hartwico Bremensi Archiepiscopis, Conrado Hildesimensi, eodemq; Vice Cancellario, ceterisque Episcopis & proceribus; actumque ab Imperatore apud Imperij Principes pro Filio Friderico, quem vix triennem habebat, in Regem Regnique Successorem diligendo: cui ceteri præter Adol-

Adolphum Coloniensem Archiepiscopum fidem jurarunt; quamvis is postea Bopardiæ ad Rhenum alio in conventu coram Friderico, Sueviæ & Thusciæ Duce fratreque Imperatoris, dicto juramento ceteris accesserit. Sub vernum tempus tertiam in Italiam Imperator profectionem ingressus: quem pars sacræ militiæ comitata, pars subsecuta; constitutum enim erat, majoris securitatis & compendij causa, exercitum ex Sicilia & Italia per mare in Palæstinam traducere; ne si terrestri procederent itinere, quod hactenus tenuerant, Græcorum perfidiæ & Turcarum incursionibus rursus objicerentur. Exercitui in Palæstinam traducendo cum suprema potestate præfecti Henricus Dux Lotharingiæ, & Henricus Leonis filius Rheni palatinus. Decreverat Imperator expeditioni sacræ interesse, ducemq; se patris exemplo dare; sed Principum consilio retentus; ne quid per ejus absentiam turbaretur in Imperio, aut patris casum subiret; quanquam Siciliam & Apuliam ita turbatam reperiret, ut istic non minus quàm in Asia ejus præsentia desiderata fuerit. Interea classis ex Dania, Frisia, & Visurgis Albisque ostijs cum Hartwico Bremensi Archiepiscopo & Septentrionalibus populis mare circumvecta Siciliam quoque appulit, ceterisque se in expeditionem conjunxit. Inde felici navigatione sub ineuntem Septembrem deflexit Conradus Cancellarius, post Hildesiensis Episcopus, cum altera parte classis ad Cyprum Insulam, ac Cæsaris nomine diadema, quod acceperat, Cypri Regi imposuit, Imperioque Romano conjunxit; multumque exinde sacri belli consilia retardavit mors Henrici Hierosolymitani Regis, quem noctu è sublimi domo prolapsum accepêre.

In Successorem Regni deligendo.

Detinetur à Principibus, ne in Palæstinam pergat.

Dum foris pugnatur, domi per Germaniam parta sua quies mansit. Reperio verò per hanc opportunitatem Episcopos passim in formando clero & religiosorum Cœnobijs occupatus; quos inter hoc anno Adolphus Coloniensis Archiepiscopus, & Bernardus Episcopus noster convenêre, unâq; consensione Monasterium Bredelar, quod in diœcesi Paderbornensi condiderat Philippus Archiepiscopus, introductis Virginibus ex instituto D. Augustini, ob depravatos Virginum mores, convertêre in Cœnobium religiosorum Monachorum ordinis Cisterciensis. Qua super re extant apud Jongelinum publicæ utriusque Episcopi tabulæ: harum alteræ, quæ Archiepiscopi sunt, hoc anno confectæ, testesque adduntur *Bernardus Paderbornensis Episcopus, Hermannus choralis Episcopus in Colonia, Pilegrinus Decanus Susatiensis, Wernerus Canonicus, Ludolphus Canonicus, Rudolphus Canonicus, Nobiles, Comes Wilhelmus Juliacensis, Comes Simon de Teckenburg, Comes Wernerus de Wedingenstein, Hermannus de VValdeck, et frater ejus Henricus, Hermannus de Patberg.* Alteræ, quæ Episcopi nostri sunt, anno MCCII memorabuntur. Nec tamen hic annus vacuus liberalitate Bernardi Episcopi nostri, quem primò Bustorfiano Collegio, deinde

Jongelinus lib 2. de Cænob. sac. ord. in Westf.

Cœnobium Virginum in Bredelar convertitur in Monasterium Virorum ordinis Cisterciensis.

deinde Hardehusano Cœnobio diversis donationum tabulis, quæ apud nos extant, benefecisse constat. Testes posterioris donationis producuntur Volbertus Decanus, Henricus Scholasticus, Lambertus Cellerarius, è Laicis Conradus Camerarius, Henricus Dapifer, Hermannus Pincerna, Ludolphus Mareschallus, Ministerialium primi in aula Episcopi.

Annus Christi 1197.

Cœlestini III Pont. 7.
Henrici VI Reg. 8. Imper. 7.
Bernardi II Ep. Pad. 12.

Godefrid. Arnold. Lub. 5.c.3. Otto à S. Blasio. Fausti Christianorum militum in Palæstina progressus.

Annus per hæc MCLXXXXVII intratus, quo Christianorum exercitus, felicibus auspicijs Henrici ducis Lotharingiæ, & Henrici Palatini Leonis filij, in Palæstina à Saracenis deserta castra Oppidaque invadit. Facta quippe ad Tyrum excensione, lustratoque exercitu, Saphatinum cum copijs Babyloniæ & Damasci se ostentantem profligant; vastataque Sidone & Sarepta, Berytum se vertunt, urbem maritimam terra aggressuri. Quo conspecto incolæ omnes ex urbe profugiunt, Saracenis se in adsitum castrum recipientibus. Ibi Saracenorum Princeps cum globo militum per campos insultat, & minax etiam in pugnam lacessit: territis incertisque ad provocationes tam insolentis barbari ceteris Christianis, ne incauti traherentur in latentes insidias, ausus est Adolphus Comes Schawenburgicus cum Hermanno Horstmariensi, nobili Westfaliæ viro, ante alios progredi in medium; explorataque opportunitate in barbarum invectus, primo illum impetu cum equo in terram prosternit. Barbarus cùm ex lapsu iterum iterumq; se erigeret, multumq; circum volutus obluctaretur, Schawenburgicus tandem arrepta lancea barbarum per ilia transfodit. Interea Horstmariensi res erat cum ceteris barbaris, quos ille pari fortitudine alium post alium prostravit. Uterque spectante exercitu victor cum magno triumpho receptus. Celebre tum primùm Horstmariensis nomen, multis exinde prælijs memorandum. Hac suorum clade consternati Saraceni, & ipsi è castro profugiunt. Vastata inde latè regio, Saracenis nusquam signa conferre ausis. Et jam spes certa se dabat recuperandæ Hierosolymæ, cùm Henrici Cæsaris renunciata mors omnem propè expeditionem rursus cassam fecit. Quemadmodum hæc multis Arnoldus Lubecensis, & scripta ex castris epistola ad Adolphum Coloniensem Archiepiscopum exponit. Ceteris ferè Principibus in Germaniam remeantibus, perstitit Conradus Moguntinus Archiepiscopus Metropolitanus noster, ac Rudolphus Verdensis Episcopus cum parte exercitus in Syria. Ac magnanimus Archiepiscopus Regem etiam Armeniæ Imperatorio nomine coronavit, & postquam eum cum Antiochiæ Principe christiano reconciliasset, redijt & ipse in Germaniam.

Magnanimitas Adolphi Com. Schawenburgici, & Hermanni Horstmariensis, nobilis Westfali.

Felices in Oriente successus turbat nunciata mors Imperatoris.

Cæ-

Cæsar interea cùm Apuliam Siciliamque nova in se conspiratione turbatam reperisset, acerbissimis supplicijs egit in reos. Jordanus Siculus, cujus amore Constantia Imperatrix capta ferebatur, ignito solio impositus, & candenti diademate coronatus exuritur: Richardus Comes equi caudæ alligatus, raptatusque per compita, pedibus suspenditur: alius vivus igne decoctus, & in canistro missus ad amicos: alijs cutis à capite ad pedes detracta: alij vecte perfossi, humoque ad lentam mortem impressi: quidam ad stipites ligati, & circumposita pyra enecti: alij dirum in modum tormentis excruciati; ob quæ Cæsar non modò Italis invisus, sed ceteris etiam nationibus, suisq; formidabilis esse cœpit; passimq; ab Italis Scriptoribus patre atrocior, ac Tyranni etiam nomine notat⁹. Ad extremum tamen, convocato Panormi populo, in concione omnibus condonationem fecit; contractoque dehinc morbo ex medicata, ut suspicio fuit, potione, eaque ab uxore præbita, festo D. Michaëlis die apud Messanam civitatem extinguitur. Successor ex testamento nominatus erat Fridericus filius, ætate quadriennis, Pontificique commendatus. Tutor ei datus à Cæsare Philippus frater, Dux Sueviæ Thusciæque, apud quem & insignia Imperij relinqui voluit. Henrici Imp. in sumendis supplicijs crudelitas. Ejusdem obitus.

Ac nostra ut ex hoc anno contingamus, adsunt binæ Bernardi Episcopi donationum tabulæ, quarum alteris rursum Hardehusano ordinis Cistertiensium Cœnobio magna cum testificatione pietatis in hunc modum subvenit. Bernardus Ep. benefacit Hardehusanis.

Ego Bernardus secundus Dei gratia Patherbornensis Episcopus omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Etsi profectibus Ecclesiarum omnium et Monasteriorum nostræ diœcesis, tam pietatis affectu, quam injunctæ nobis prælationis officio debeamus intendere, ferventiore tamen studio necessitatibus illorum subvenire tenemur, qui fame et siti tabescere malunt, quàm superstitiosis hujus mundi saginari delicijs, quatenus ex arido paupertatis ramo facilius ad montem se valeant sublevare virtutum. Sequitur inde larga feudi donatio, ex consensu cleri Nicolao Abbati ac religiosis Monachis facta. *Testes hujus rei sunt Godeschalcus major Præpositus, Volbertus Decanus, Theodoricus custos, Henricus Scholasticus, Lambertus Cellerarius, Bernardus Præpositus, et reliquus conventus S. Liborii in Patherbrunnen. Nobiles Widekindus de Osede, Bertholdus et Thietmarus de Buren, Amelungus Comes. Ministeriales Wernherus de Brackele, Conradus Camerarius, Henricus Dapifer, Hermannus Pincerna, Ludolphus Marschallus, Bernardus de Norden, et plures alii. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. MCXCVII Indict. XV, sedente Domino Cœlestino, imperante Domino Henrico, sub Domino Conrado Mogantinæ Sedis Archiepiscopo, Episcopatus nostri X, mense Januario in domo nostro Episcopali.* Qui his literis conventus Sancti Liborij nominatur, primarium est Collegium Canonicorum, quod in alijs monumentis Monasterium majus appellatur.

Satisque ex his constat ævo hujus Bernardi Episcopi adhuc Canonicos intra claustrum unam habitationis & mensæ societatem coluisse.

Et ratam habet donationem à Cruciferis quibusdam factam Gerdensibus.

Alteris literis Bernardus Episcopus ratam habet donationem à quibusdam fratribus cruce signatis Cœnobio Gerdensi factam. Hi priusquam in Palæstinam cum ceteris hujus diœcesis nobilibus & militibus profectionem susciperent, certis quibusdam conditionibus bona sua feudalia transcripsêre Virginibus sacris, quæ & Episcopus ex consensu cleri sui probavit. *Testes hujus rei Volbertus Decanus, Henricus Scholasticus, Lambertus Cellerarius, Bernardus Præpositus, Joannes de Padra, Henricus de Hamelen. Nobiles Hermannus de Waldeck, Tietmarus de Buren, Hermannus, Amelungus Comes. Ministeriales Wernerus de Brackele, Wernerus de Stapel, Henricus Comes, Anselmus de Atlen. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indictione quinta decima, sedente Domino Papa Cœlestino, regnante Domino Henrico Imperatore, sub Domino Conrado Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, Anno Episcopatus nostri X.* Verùm qui decimus Episcopatus annus, uti & in superioribus literis consignatur, ordinationis annus reputandus est, quando electionis annum jam XII ingressus erat Episcopus.

Annus Christi 1198.

Innocentij III Pont. 1.
Ottonis IV & Philippi Regum 1.
Bernardi II Ep. Pad. 13.

Schisma in Imperio de corona Regni.

Godefridus. Ursberg. Otto à S. Blasio. Arnoldus Lub. lib. 6. c. 5.

Hactenus quieta omnia per Saxoniam fuêre: at nunc post excessum Henrici VI Imperatoris sequitur annus turbulentissimus, & fœdum de corona schisma inter Philippum & Ottonem Duces, quod Principes non minus quàm Episcopos distraxit in partes, Bernardumque etiam Episcopum nostrum involvit. Bellum inde in XII annum protractum. Enim vero Philippus Dux Sueviæ ut motus omnes præverteret, festinatis itineribus ex Italia regressus in Germaniam, Hagenoæ per Natalitia Christi primùm cum Principibus consilia agitavit, vellent Imperatoris filium, cui jam vivo patre fidem juràrant, Regem & Successorem patris dicere; quod cùm illi probarent, indictus est Mulhusij in Thuringia conventus Principum: ubi studio Principum, quos sibi muneribus conciliârat, Tutoris nomine Regnum ei defertur; quod tamen Philippus sibi magis, quàm pupillo affectare visus, regnandique cupido ante sanguinis propinquitatem fuit.

Quod affectat Philippus Friderici tutor.

At inferioris Rheni Principes ac Westfaliæ aversati Philippum, & Suevorum imperia, Andernaci denuo comitia indicunt; quò cùm Adolphus Coloniensis Archiepiscopus caput hujus factionis, Joannes Trevirensis Archiepiscopus, Argentoratensis Episcopus, multiq; prætereà Optimates convenissent, accessêre quoque Philippi legati postu-

postulatum, ne quid contra juratam ante triennium Friderico Imperatoris filio fidem decernerent. Quare Principes religione ducti nihil Andernaci constituunt. Post ubi Philippi fraus detecta, qua legatos Pontificis circumvenerat, & ipse regnum ambire compertus, medio Quadragesimæ Coloniæ frequentiora comitia celebrant. Huc quoque Philippus suos misit legatos, qui intercederent. Ipse interim Erfurti comitia indixerat, in quibus favore Magdenburgensis Archiepiscopi, & Bernardi Ducis Saxoniæ, octavo Martij Rex salutatur. Fidem mox dedere Boji, Suevi, Franconés, & magna pars Orientalium Saxonum. Ad hunc conventum Erfurtensem miserant inferioris Rheni & Saxoniæ Principes Coloniæ congregati Hermannum Monasteriensem Episcopum, virum ea tempestate in Imperio spectabilem cum ceteris legatis rogatum, ne se absentibus in suffragia eligendi Regis irent, priusquam alio, quem vellent, in loco omnes convenirent; æquum enim esse, ut qui omnibus imperaturus esset, ab omnibus pro veteri more, jureque eligeretur, ita pacem Imperij servandam. Sed antequam Monasteriensis Episcopus Erfurtum perveniret, jam illi Philippum Regem dixerant. Quo per Monasteriensem renunciato, indignati Principes, qui Coloniæ convenerant, nullam sui rationem habitam, contemptosque adhæc, tanquam ad Imperium non spectarent, Bertholdum Zaringiæ Ducem, quem spe regni Coloniam invitârant, Regem pronunciant, simulque juramento obstringunt, ut ocius ad provinciam redeat, collectisque illic copijs armatum se ad Rhenum referat, tum junctis se viribus Philippum ab Imperio dejecturos. Pronus ad hæc Bertholdus, binos filios Coloniæ relinquit obsides. Inde in superiorem Germaniam profectus. Verum homo avarus & mutabilis, immemorque juramenti & filiorum obsidum, acceptis à Philippo Rege undecim millibus marcarum, oblatoq; Ducatu Sueviæ, electioni suæ renunciat, maleq; prodita suorum causa, transijt in partes Philippi. Quæ cum Philippo succederent, Coloniensem quoque Archiepiscopum aggressus est ingenti pecuniæ summa oppugnare; sed ille spreto auro Principes rursum in concilium advocat; unaq; omnium consensione Regem sibi deligunt Ottonem Henrici Leonis filium. Is quia absens erat, versabaturque Pictavis in comitatu suo cum Richardo Rege Angliæ avunculo suo, missi sunt Legati, qui Coloniam evocarent, quò cùm advenisset, quotquot aderant Principes & proceres, juramentum fidei dixere. Idem cives Colonienses fecere. Inter sacros Præsules memorantur Adolphus Coloniensis, & Joannes Trevirensis Archiepiscopi, Hermannus Monasteriensis, Thietmarus Mindensis, Theodoricus Trajectensis, ceterique provinciales Metropolitani Coloniensis Episcopi: præterea Bernardus Paderbornensis, Conradus Argentinensis. Addit auctor vitæ Innocentij Hildesiensem & Bremensem Episcopos,

Et consequitur in comitijs Erfurtensibus.

At Coloniæ congregati Principes Regem salutant Bertholdum Zaringiæ Ducem.

Qui cùm perfidè ad Philippum desciscceret.

Iidem Principes Regem sibi deligunt Ottonem Leonis filium.

scopos, quos simul altera pars sibi vendicat. Ex Abbatum numero fuêre Widekindus Corbeiensis Abbas, Heribertus Werthinensis, Gerhardus Tuitiensis. E Clero Coloniensi Ludovicus Præpositus major, Udo Decanus major, Bruno Præpositus Bonnensis, ac Comes Seinensis, Theodoricus S. Gereonis, Gerhardus Sanctensis, Theodoricus SS. Apostolorum, Engelbertus S. Georgij Præpositus, Hermannus Chori Episcopus, Rudolphus major Scholasticus. Ceteri ex laicis Henricus Palatinus Ottonis frater, ex Palæstina jam reversus, Henricus Dux Limburgi, Balduinus Flandriæ, Arnoldus Cliviæ, Otto Gelriæ, Gerhardus Juliæ, Henricus Seinæ, Simon Teclenburgi, Arnoldus Altenæ, Albertus Everstenij, Adolphus Montium, Henricus Schwalenbergæ, Hermannus Waldecæ Comites. His ingens procerum Dynastarum multitudo accessit. Ita verò dum Philippus superiorem Germaniam in suas partes traxit, Ottoni se adjunxêre Colonienses, Mosellani, ac totius propè inferioris Rheni ac Saxoniæ proceres à Cameraco ad Daniæ fines, qui Regem suæ gentis, resuscitata veteri inter Saxones & Suevos æmulatione, poscebant. Aberat tum adhuc Conradus Moguntinus Archiepiscopus ac Metropolitanus noster, nondum ex Palæstina reversus, cujus vices, uti Arnoldus Lubecensis refert, Coloniensis agebat. Adjutus per hæc Otto à Richardo Angliæ Rege avunculo suo patrocinio, pecunia & milite. Interea Philippus postquam Erfurti & Mulhusij delectus erat, primùm callidè egit, ut à Sutrino Episcopo Pontificis legato absolveretur à nexu anathematis, indignante post Innocentio Pontifice, quod ad id nulla illi potestas data esset. Deinde frustra tentata Aquisgrani coronatione, Moguntiæ à Tarantasiensi Archiepiscopo ijsdem artibus circumacto Rex inunctus est; quod factum similiter Pontifex improbavit: nec minus indignè tulêre Coloniensis ac Moguntinus & Trevirensis id munus sibi ab altero præripi. Duobus jam in Imperio Regibus, per civiles discordias delectis, supererat cura & contentio de Rege Aquisgrani pro more inungendo. Philippus, ut urbem Regni sedem prior occuparet, Walramo Lutzenburgensi negotium dedit; à quo urbs industria & armis prærepta. Nec segnior Otto, contractis copijs, urbem cingit, obsidione premit, & Walramum intra sex hebdomadas ad deditionem compellit. Igitur Otto cum Archiepiscopo Coloniensi & Trevirensi, ceterisque Episcopis, Abbatibus, & Principibus ingressus, quarto Nonas Julij in Basilica Genitricis Virginis ab Adolpho Coloniensi Archiepiscopo, adjuvante, ut Otto Sanblasianus scribit, Trevirensi Archiepiscopo, solemni ritu Rex inungitur, collocaturque in solio Carolino, & læta populi acclamatione Rex salutatur. Inde Otto pro regia auctoritate, & grata in suos largitate, Archiepiscopo Coloniensi Ducatum Westfaliæ & Angariæ confirmat, palamque exuvijs Episcoporum renunciat. Extant hac super re duplices Ottonis tabulæ

Philippus Moguntiæ à Tarantasiensi Archiep.

Otto Aquisgrani coronatur ab Archiep. Colon.

tabulæ apud Gelenium, quarum alteris Bernardus Episcopus noster inter testes subscripsit, quas ad hunc annum, qui á Gelenio prætermissus est, referre visum est; quòd qui inter testes subscripsêre, huic celebrationi coronationis interfuisse deprehendam, eas in hunc modum recitat Gelenius.

Gelenius in histor. D. Engelb. lib. 1.c.3.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex semper Augustus. Ratio suadet, æquitas requirit, nostramq; decet Celsitudinem, omnium Ecclesiarum nostra indemnitate providere, et eas in sui honoris ac juris conservatione pie et clementer confovere, inter quas specialis gratiæ benevolentia Coloniensem diligentes Ecclesiam, universa bona, quibus à nostris antecessoribus minus decenter privata est, restituenda duximus ac liberanda, nec non ab indebitis oppressionibus Ministeriorum, quibus quondam aggravata est, ad hæc quidem per fidelissimum Principem nostrum Adolphum venerabilem Archiepiscopum invitati. Inde est: quod omnibus Christi fidelibus per scriptum præsens cupimus clarescere, quod nos attendentes devotionis ac fidelitatis constantiam jam dicti Principis nostri nobis sæpius exhibitam Colon. Ecclesiæ, ei, ejusque successoribus allodium in Saleveld, cum omni integritate et usufructu attinentium plene restituimus, et in perpetuum confirmamus - - - - . Et Ducatus allodia, fœda, sive ministeriales, quos nunc Coloniensis Ecclesia, vel alii ejus nomine possident, cum bona voluntate Nostra et fratrum nostrorum Henrici Palatini Rheni, et Wilhelmi de Brunsvvicke, et hæredum nostrorum, sine calumnia sæpe nominatus Archiepiscopus, et ejus Successores in perpetuum possidebunt. Mindensis etiam Ecclesia ea, quæ à Coloniensi Ecclesia de bonis tenet eisdem, quiete sine aliqua contradictione possidebit. Præterea consuetudinem minus decentem, quam Fridericus Imperator contra justitiam induxerat, scilicet quod decedentibus Principibus, Ecclesiasticis videlicet personis, quemadmodum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, et Præpositis, eorum suppellectilem sibi violenter usurpavit, penitus abolemus, nec à Nobis, nec à Nostris successoribus retractandam. Adhæc bona fide prememoratum adjuvabimus Archiepiscopum, ut bona quæ Coloniensis Ecclesia à Mosella superius tenet, et à quorum possessione ipse violenter destitutus est, recuperet. Ut igitur hoc regalis nostræ munificentiæ factum pium, ac commendabile, nullius imposterum calumnia perturbari possit, sed ratum permaneat, etiam in perpetuum perseveret, præsentem istam paginam conscribi, et Majestatis nostræ sigillo jussimus insigniri. Cujus rei testes sunt - - - - - Argentinensis Episcopus, Dithmarus Mindensis Episcopus, Tirricus Trajectensis Episcopus, Bernardus Paderbornensis Episcopus - - - - - - Xantensis, Bonnensis Præpositus Bruno, Mechtildis Ducissa Brabantiæ, Baldevvinus Comes Flandriæ, Henricus Dux de Limburg, Otto Comes Geldriensis, Arnoldus Comes de Clivo, Tirricus Comes Hollandiæ, Henricus de Kuick, Henricus Comes Seyn, Simon Comes de Teclenburg, Arnoldus Comes de Altena, Wilhelmus Comes Juliæ, Gerhardus Comes de Are, Henricus Comes de Hockesvvagen, Henricus Comes de Cessele, Rutgerus de Merheim, Conradus de Dicka,

Privilegia ab Ottone Rege Ecclesiæ Colon. data.

Gisel-

Giselbertus et Rutgerus de Brempt, Otto de Wikerothe, Henricus et Gerhardus de VVolmunstein, Hermannus advocatus Coloniensis, Hermannus de Alvetre Marescalcus, Otto Camerarius, Reymarus de Rothe, Giselbertus de Cerreke et alij quamplures viri honorati.



Signum Domini Ottonis quarti Romanorum Regis invictissimi.

Hoc ipso quoq; coronationis die fœdus ictum inter Adolphum Coloniensem Archiepiscopum, & Widekindum Corbeiensem Abbatem, tum magnæ potentiæ & auctoritatis inter Westfaliæ præsules. Id quia hactenus latuit ex confectis tabulis ad illustrandam historiam proferre libuit.

Fœdus Adolphi Archiep. Colon. cum Widekindo Abbate Corbeiensi.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Adolphus divina favente clementia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Licet naturalis legis æquitas generaliter deposcat, ut omnes Ecclesiæ mutuis gaudeant consolationibus; tamen quia plus solet obligare, quod specialiter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur; Notum facimus tam futuris quàm præsentibus, quod temporibus Widekindi Corbeiensis Abbatis inter nostram et ipsius Ecclesiam consentientibus et cooperantibus nostris fidelibus hujuscemodi observationis fœdus adhibitis necessariis solemnitatibus contraximus, ut prædicta in quolibet necessitatis articulo nostro fulciatur præsidio, et versa vice nostra Ecclesia à Corbeiensi opportunum auxilii experiatur commodum. Ne ergo pactum tam solerti industria firmatum nobis et prædicto Abbate decedentibus aliqua Successorum levitate solvatur, non solum circa personas præsidentium, quæ mutari possunt, sed circa prænominatas Ecclesias perpetua stabilitate inviolabiliter statuimus observandum. Hujus ergo facti seriem præsenti instrumento commendatam sigilli nostri et Ecclesiæ Beati Petri impressione firmamus, et testium subscriptione roboramus. Testes sunt hi Theodericus Trajectensis Episcopus, Tietmarus Mindensis Episcopus, Heribertus Abbas de Werthen, Ludevvicus major Præpositus, Udo major Decanus, Bruno Bunnensis Præpositus, Theodericus Præpositus SS. Apostolorum, Engelbertus Præpositus S. Georgii, Herimannus Chori Episcopus, Rodolfus major Scholasticus, Heinricus Dux de Limburg, Heinricus Comes de Seyna, Simon Comes de Teckeneborg, Arnoldus Comes de Altena, Albertus Comes de Everstein, Adolfus Comes de Monte, Heinricus Comes de Kessele, Heinricus Comes de Hukesvvage, Herimannus de Waldeke, Henricus de Svvalenberg, Henricus et Gerardus fratres de Wolmundestein, Herimannus Coloniensis advocatus, Herimannus Scultetus de Susatia, et Herimannus filius ejus, Otto Camerarius, Henricus Dapifer, Henricus Marscalcus, Adam Pincerna, et alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII, Indict. I. datum apud aquisgr. IV nonas Julii, per manus Godefridi Capellarii in die scilicet Coronationis Domini Ottonis quarti Romanorum Regis feliciter Amen.

Per-

Peracta inauguratione Regis Ottonis, Episcopi ac Principes ceteri ad Innocentium III Pontificem, qui hoc anno mense Januario Cœlestino successerat, literas mittunt, quibus submissè contentèque rogant, velit Ottoni à se factam electionem pro Apostolica auctoritate comprobare. Id quibus de causis rerumque momentis se fecisse testentur, & quid à Pontifice fieri velint, literæ exponunt; quas hic, uti Ferdinandus Episcopus noster ex autographo Romano multò integrius, quàm vel Miræus, vel Baronius, vel alij dederunt, referre interest.

Episcopi & Principes Saxoniæ apud Innocentium Pont. sollicitant confirmationem electionis Ottonis Reg.

Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio S. Romanæ Sedis summo Pontifici Principes et Barones Alamanniæ, Clerici et Laici debitam in Christo reverentiam et sinceritatem obsequii. Cum placuisset ei, qui aufert spiritum Principum, et magnus et terribilis est super Reges terræ, Dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis visum fuit de substituendo Rege tractatum et colloquium habere. Convenimus ergo sæpius et miserias et oppressiones, quas hactenus sustinueramus, recensentes per universos Principes regni animos nostros ereximus, et quid honori Ecclesiæ Dei, et paci ac quieti subjectorum potissimum expediret deliberantes, nunc unum nunc alium quasi finaliter eligere putabamus. Verum quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium nisi per Deum, placuit ei, qui Abrahæ filium imolare volenti victimam providit, et David fratribus juniorem de post fœtantes accepit, atq; Matthiam ex Discipulorum numero ad sortem Apostolatus elegit, Serenissimum Dominum Ottonem, quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium, ad regimen Romani imperii de terra peregrinationis suæ ex inopinato offerre nobis. Invocata itaque sancti Spiritus gratia, prædictum Dominum Ottonem Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque S. Romanæ Ecclesiæ Advocatum et defensorem fidelissimum, et judiciariæ potestatis observatorem justissimum, de longa et antiqua Regum prosapia ex utraque linea spectabiliter editum, ad Romani regni fastigium juste ac rationabiliter elegimus, et sicut debuimus, ipsius electioni consensimus, ipsumque in Augustorum sede à Karolo M. apud Aquisgranum deputata huic dignitati locavimus, et corona et regni diademate per manum Domini Adolphi Coloniensis Archiepiscopi, ea qua decuit solemnitate, feliciter decoravimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum Ottonem in Regem elegimus, feoda nostra, quæ ab imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus, et fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimus Princeps divinæ potius gratiæ quam suis meritis ascribens, primitias hujus honoris offerens Domino propria voluntate juramentoque firmavit, inprimis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, deinde omnium Ecclesiarum jura bona fide servare ac manutenere, et subjectos imperii exhæredatos maxime et à suis possessionibus violenter ejectos in sua justitia pro posse juvare et conservare. Pravam insuper illam consuetudinem, quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus nobilibus vel sese moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huo-

usque

usque servaverant, penitus extirpans, nos Ecclesiasticos Principes ab hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, et decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit. Paternitati ergo Vestræ dignum supplicare duximus, quatenus fidem et devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoque illustrissimi Patris sui H. Ducis Saxoniæ, qui ab obsequio S. Romanæ Ecclesiæ nunquam recessit, memoriter tenentes, paci et quieti vestræ et nostræ, intuitu Dei ac nostri obsequii providentes, ipsius electionem et consecrationem authoritate vestra confirmare et Imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixe rogamus, quatenus Principes ac Barones à tam rationabili electione discordantes Ecclesiastica censura ad concordiam revocetis, et ab illicita fidelitate partis adversæ clave Petri resolutos ad præstandam Domino nostro Regi fidelitatem et subjectionem authoritate Vestra compellatis. Ut autem à Domino Rege nostro jura Romanæ Ecclesiæ ut prædictum est integra et illibata serventur, Nos in bona fide spondemus et pro Domino Rege nostro fide jubemus.

✠ *Ego Adolfus Coloniensis Archiepiscopus elegi et subscripsi.*
✠ *Ego Gerardus Inden. Abbas elegi et subscripsi.*
✠ *Ego Heribertus Werdin. Abbas elegi et subscripsi.*
✠ *Ego Henricus Dux Lotharingiæ qui et Brabantiæ, Marchio Romani imperii elegi et subscripsi.*
✠ *Ego Henricus Comes de Kuke consensi et subscripsi.*
✠ *Ego Bernhardus Paderburnensis Episcopus elegi et subscripsi.*
Ego Thietmarus Mindensis Episcopus elegi et consecrationi cooperatus fui.
✠ *Ego Widekindus Corbeiensis Abbas elegi et subscripsi.*

Scripsit & Coloniensis Archiepiscopus moderator hujus electionis ad Innocentium III Pontificem literas haud dissimili, quo ceteri Principes, argumento; quas hic, uti Ferdinandus Episcopus noster ex Romano tabulario attulit in Germaniam, prioribus conjungimus.

Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio S. Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici. Adolphus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ minister humilis, devotum obsequium et orationes in Domino. Post obitum Henrici Imperatoris nos una cum aliis Principibus de substituendo Rege sæpius tractantes quid S. R. E. expediret subditisque imperii, qualiter quoque priorum Imperatorum opressiones evitare possemus, sollicite deliberavimus. Protendimus igitur animos nostros ad diversos imperii Principes, et sicut Domino placuit, Serenissimum Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxoniæ filium in Romanum Regem rationabiliter elegimus. Postmodum verò in Augustorum Sede Aquisgrani locavimus, et sicut debuimus, ea qua decuit solemnitate consecravimus ac coronavimus. Ipse verò D. Rex in timore Dei et reverentia S. Ecclesiæ omnia jura Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum bona fide conservare et manutenere juravit. Nobis etiam aliis Episcopis pravam illam consuetudinem aliorum Imperatorum qui decentibus Episcopis et Abbatibus, Principibus

bus in mobilibus rebus seseque moventibus succedebant, liberaliter remisit. Paternitatem igitur Vestram attente rogamus, quatenus rationabile factum nostrum aliorumque Principum, qui de jure eligere debent, attendentes, merita quoque Domini nostri Regis Patris ac fratris sui Palatini, Regis quoque Angliæ avunculi sui, qui à servitio et unitate Ecclesiæ nunquam separati fuerunt, considerantes, injurias quoque Ducis Sueviæ Patris ac fratris ejus non dissimulantes magnos et honorabiles viros, quos ipse ac Principes de communi consilio ad pedes Stis V. transmittunt, benigne recipiatis ac benignius remittatis, et rationabilem ipsius electionem, consecrationem ac coronationem confirmetis, et ad imperii consecrationem vocetis, nostros quoque adversarios et Ecclesiæ à fidelitate Duci Sueviæ præstita absolvatis, et nostro Regi obedire Ecclesiastica censura compellatis. Nos etiam pro patrimonio Ecclesiæ Romanæ dimittendo ac conservando pro ipso Domino Rege spondemus atque fidejubemus.

Reliqui Germani apud Sedem Apostolicam laborant pro confirmando Philippo.

Omitto nunc Regis Angliæ, atque ipsius Ottonis, aliorumque Ducum ad Innocentium literas, quibus pro Ottone sollicitatum apud Sedem Apostolicam. Verùm cùm ex altera factione non minus laboratum pro Philippo scriptumq; ad Pontificem, juvabit & horum literas ab Oderico in historia Ecclesiastica intermissas hîc conjungere; ut ex ijs, quinam Episcopi, quinam Principes in hoc Imperij schismate pro Philippo fecerint, cognoscatur: eæ verò, quemadmodum Ferdinandus Episcopus noster ex tabulario Romano produxit, sic habent.

*Reverendo in Christo Patri Domino Innocentio S. R. E. summo Pontifici Germaniarum Principes et Magnates, in Christo filii, Magdenburgensis Archiepiscopus, Trevirensis Archiepiscopus, Bisuntinæ Sedis Archiepiscopus, Ratisponensis Episcopus, Frisingensis Episcopus, Augustensis Episcopus, Constantiensis Episcopus, Eistedensis Episcopus, Wormatiensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixiensis Electus, Ildeshemensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, Abbas Fuldensis, Abbas Hersveldensis, Abbas de Tegernse, Abbas Elwacensis. Item Rex Boëmiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavvariæ, Dux Austriæ, Dux Meraviæ, Dux Lotharingiæ, Marchio Missenensis, Marchio Brandeburgensis, Marchio Moraviæ, Marchio de Rumesberc, aliique totius Alemanniæ Nobiles debitum et paratum cum omni devotione et obsequio famulatum. Apostolicæ *Bdnis eminentia, quæ piis supplicantium desideriis et affectibus gratam semper consuevit impertiri benevolentiam et assensum, firmam universitati nostræ certitudinem administrat, quod in iis, quæ à Ste V. justissime postulamus, benignitatem apostolicam debeamus, et in exaudiendo persentire facilem, et in exequendo, quod petimus, fructuosam. Quocirca magnitudini Vtræ duximus declarandum, quod mortuo inclyto Domino nostro Henrico Romano Imperatore Augusto, collecta multitudine Principum, ubi nobilium et ministerialium imperii numerus aderat copiosus, Illustrem Dominum nostrum Philippum in Imperatorem Romani solii rite et solenniter ele-*

*Beatitudinis.

gimus, quo nec ingenuitate sublimiorem, nec honorum luce magis conspicuum, neque ad sceptra et regimina imperii gubernanda, nec ad Ecclesiam Dei, sicut dignum est et expedit, defensandam potiorem potuimus invenire. Verum quoniam propter paucos Principes justitiæ resistentes ad negotia imperii utiliter pertractanda ad hæc usque tempora non convenimus, nec deliberatione habita cum prædicto Domino nostro Rege Philippo apud Nurenberc solemnem curiam celebravimus unanimiter, ita Domino nostro disponente altissimo contra turbatores suos adjutorium præstituri, quod nullus in imperio et in terris, quas Serenissimus frater suus habuit, ipsius audebit Dominum recusare. Quocirca dignitatis Apostolicæ clementiam omni studio et attentione rogamus, ut precum nostrarum interventu, qui Romanæ Ecclesiæ statum optimum semper dileximus, ad jura imperii manum cum injuria nullatenus extendatis, diligentius attendentes, quod non sustinemus jus Ecclesiæ ab aliquo diminui, aut infringi. Igitur favorem Vestrum et benevolentiam Domino nostro fructuosius impendatis et ejus honores ac commoda ita ubi potestis erigere dignemini cum affectu, ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdetur semper falsitas veritati. Monemus insuper et precamur, ut dilecto amico nostro devoto et fideli Domini nostri Regis Philippi M. Marchioni Anchon. Duci Ravenn. Procuratori regni Siciliæ, Imperialis aulæ Senescalco in negotiis Domini nostri Apostolicam præstetis benevolentiam et favorem, nec resistentibus ei præbeatis adjutoria, sicut de Vestra confidimus Sanctitate certissime scientes, quod omnibus viribus, quibus possumus Romam in brevi cum ipso Domino nostro divinitate propitia veniemus pro Imperatoriæ coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda. Hæc omnia vobis tam ex nostra, qui præsentes existimus, quam ex parte aliorum Principum scripsimus, quorum nuncios et literas habuimus, qui etiam Domino nostro fidelitatem fecerunt et hominium, quorum nomina sunt hæc Patriarcha Aquileigen. Archiepiscopus Bremensis, Verdensis, Halverstaden. Merseburgensis Episcopi. Nuwenburgensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Babeburgensis Episcopi. Battaviensis, Curiensis, Tridentinus Episcopi. Metensis, Tollensis, Verdunensis, Leodiensis, Episcopi. Comes Palatinus, Burgundiæ, Dux Caringiæ, Dux Carinthiæ, Dux de Bites, Marchio de Lannesperc, Marchio de Vohebere, Comes Palatinus de Tuing, Comes Palatinus de Wittelinesbach, et alii quam plures Comites et Nobiles, quorum hic nomina recitemus. Datum Spiræ V Calend. Junii.

Infestis invicem armis se petunt Otto & Philippus Reg.

At Philippus tantis Episcoporum & Principum studijs firmatus, ut invalescentem Ottonis factionem opprimeret, Ottocarum Bohemiæ Ducem sibi conciliat; quem ut arctius sibi devinciat, regia etiam corona Boppardiæ exornat. Inde post Virginis Natalitia cum ingenti exercitu secundo Rheno ad Mosellam descendit. Haud segnius occurrit Otto & Adolphus Cononiensis Archiepiscopus cum instructo exercitu ex adversa Mosellæ ripa: diu certatum pro transitu fluminis, dum nox dissolveret pugnam. Ottoniani cum multitudine se obrutos conspicerent, altera die Andernacum retrocedunt, ex oppor-

opportuno loco ad prælium se offerentes. At Philipp⁹ superato flumine, relictisq; Ottonianis in Ubiorum provinciã se effundit, duce Walramo Limburgico. quo comperto, Ottoniani Coloniam se recipiunt, castris circa urbem positis. Consilium erat Philippo aut Coloniam, aut Aquisgranum intercipere; at cùm Aquisgranum valido Ottonianorum præsidio, & Coloniam objectu castrorum præmunitam reperit, exercitum in vastationem pagorum & agrorum vertit, incensoq; Regiomago & Bonna cum circajacentibus, Andernaco in superiorem Germaniam se reflexit, subactaque Argentina Alsatiam in fide habuit. Otto ab infesto hoste liber urbes & Dynastas inferioris Saxoniæ, quotquot Philippo studebant, armis divexat. Inde transito Visurgi, in Orientalem Saxoniam digressus; tum ad vires augendas, tum ad Goslariam ceterasque urbes expugnandas, quæ Philippo hærere visa sunt. Otto ut Brunswicum sibi arctius in fidem obligaret, mense Jannuario civium privilegia renovat augetque. Testes subscripsêre Herbertus Hildesiensis Episcopus, Widekindus Corbejensis & Heribertus Werthinensis Abbas, Henricus Palatinus & Wihelmus Regis fratres, Henricus junior de Limburg, Conradus de Rode, Joannes de Ahus, Ludolphus de Steinfurt, Ludgerus de Walderberg, Ludolphus de Asbeke, ac filius ejus Balduinus, ceteriq; proceres.

Hosce inter bellicos motus Otto Rex Widekindo Abbati Corbeiensi, ob fidam in omnibus & sibi præstitam operam, Saltum Solinganum ex adversa Visurgis ripa Corbeiensi Cœnobio adjacentem, ac latè protensum, feudi titulo donat: simulque ijsdem tabulis, quas hic primum in publicum proferimus, vetera omnia Corbejensium privilegia Aquisgrani mense Augusto confirmat. Otto R. Abbati Corbeiensi donat Saltum Solinganum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum Rex et semper Augustus. Universis regni fidelibus in perpetuum. Cum divina clementia nos ad Romani regni fastigium provehere dignata sit, merito subjectorum nostrorum patrociniis intendere, et maxime locorum venerabilium jura manutenere et augmentare debemus, et si quæ per alicujus potentiam Ecclesiis Dei fuerunt subtracta, ea ad pristinum statum ex regali benevolentia revocare volumus. Quapropter universis tam futuris quam præsentibus regni nostri fidelibus notum esse volumus, quod fideli nostro Widekino Corbeiensi Abbati et Ecclesiæ sibi commissæ feodum foresti, quod Soligo dicitur, in præsentia Principum imperii recognovimus et tradidimus, eo tenore, ut in eo usum venandi habeat, et jus, quod vulgariter Wiltban appellatur, sine qualibet contradictione exerceat. Bona quoque Corbeiensis Ecclesiæ antiqua, vel de novo acquisita, vacantia, vel locata, et jurisdictiones, videlicet advocatias et comitatus, et regales bannos, quos ipsi de nostra Serenitate indulsimus, privilegiis confirmamus. Ut ergo inviolabiliter observetur, quod legaliter ordinavimus, hujus facti seriem præsenti instrumento commendatam sigilli nostri impressione, et testium subscriptione roboramus, adjicientes,

cientes, ut si quis hoc factum nostræ auctoritatis munimine consolidatum qualibet occasione solvere attemptaverit, velut læsæ majestatis reus nostræ severitatis sentiat indignationem, et pro tam temerario excessu exsolvat centum talenta puri auri, nostræ Majestati quinquaginta, aliam partem Ecclesiæ, quam lædere præsumpsit. Hujus rei testes sunt Adolfus Coloniensis Archiepiscopus, Conradus Argentinensis Episcopus, Theodericus Trajectensis Episcopus, Thidmarus Mindensis Episcopus, Heribertus Abbas de Werden, Bruno Præpositus Aquen. Heinricus Dux de Lenborg, Heinricus Comes de Seyna, Simon Comes de Tekkeneborg, Arnoldus Comes de Althena, Albertus Comes de Everstein, Adolphus Comes de Monte, Heinricus Comes de Kessele, Heinricus Comes de Huckesvvage, Herimannus de Walecke, Heinricus de Swalenbereb, Walterus et Kuno de Rulant, Albertus de Hurde, Warnerus et Reimarus de Reimbach, Heinricus de Syxeche, et alii quam plures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII. Indictione prima, anno regni nostri I. IX die mensis Augusti.

Signum Domini Ottonis quarti Romanorum Regis invictissimi.



Data per manum Morandi Regalis aulæ Prothonotarii, Aquisgrani feliciter Amen.

Haud dissimili liberalitate Otto Rex complexus Heribertum Werthinensem ad Ruram Abbatem, ob egregia merita, annuam viginti quinque marcarum exactionem á Friderico & Henrico Jmperatoribus iniquè impositam remisit: simulque ijsdem tabulis jus monetæ, quod Werthinæ & Ludinghusij priores Cæsares Cœnobio Ludgeriano dederant, ex integro reddidit. Testes ferè ijdem Episcopi, Principes & proceres, quos in Corbeiensibus literis produximus, quas & Morandus regalis aulæ Protonotarius, vice Conradi Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarij, consignavit. Unicum hoc Ottonis studium erat liberalitate sibi demereri eorum animos, quorum consilijs in solio collocatus erat.

Annus Christi 1199.

Innocentij III Pont. 2.
Ottonis IV & Philippi Reg. 2.
Bernardi II Ep. Pad. 24.

Godefrid. Annal. Trevir. Ursberg. Arnold. Lub. lib 6. c. 1. & 2.

Postquam uterque Regum Natalitia Christi, Philippus in superiori Germania, Otto in inferiori celebrârat, resumpta civilia arma. Atque Otto, ut se vicinorum auxilijs firmaret, Henrici Ducis Brabantiæ filiam sibi despondet in matrimonium; quo connubiali vinculo Belgarum animos & arma sibi adjunxit: contra Philippus Trevirensem

sem Archiepiscopum ab Ottone in suas partes abstraxit, ejusque patrocinio fretus, iterum reducto per Mosellam exercitu, in Coloniensem diœcesin irrupit, fatigaturus Adolphum Archiepiscopum, quòd hunc remissius agere reperisset. Et propè erat, ut Coloniam præsidio nudatam interciperet, siquidem momentum victoriæ in celeritate habuisset; at dum cunctatur, advolans cum exercitu Brabantini, & vicini è Westfalia Comites cum selectis copijs; quorum adventu territus Philippus pedem retulit, ac supra Rhenum transgressus per Wetteraviam atq; Hassiam in Saxoniam movit, ad opprimendum Ottonem.

Redierat per id tempus ex Oriente & Italia Conradus Moguntinus Archiepiscopus cum Marchione Montis de Ferrato, vir ea tempestate ob res præclarè gestas, & canam sapientiam summæ apud omnes auctoritatis & partium adhuc intactus; quippe qui nec Philippo nec Ottoni fidem addixerat, quamvis in Ottonem magis propendere visus. Is hoc unicè agebat, ut omnia ad pacem revocaret. Quam in rem Moguntia Boppardiam descendit; convocatoque Principum concilio, quinquennij inducias urgebat inter Ottonem & Philippum, agebaturque ut alteruter regno cederet; quòd cùm probrosum sibi reputaret Otto, quòd jam Rex inunctus esset, Boppardiam evocatus non accessit: nec quicquam illo conventu actum. Non tamen spem pacis abjecit Moguntinus. Quare Coloniam profectus ad consilia cum Adolpho Coloniensi Archiepiscopo, ceterisq; Episcopis & Principibus conferenda; quò & Hermannum Monasteriensem, Gerhardum Osnabrugensem, Rudolphum Verdensem, cæterosq; Episcopos ac Principes accessisse, verisimile habeas, quos ob id Philippus in sua ad Pontificem epistola suæ factioni adscripserat; qui tamen non nisi medias in hoc colloquio inter utrumq; Regem partes agebant. Sed nec illo congressu quicquam ob partium pertinaciam est transactum.

Archiep. Moguntinus studet paci Germaniæ reddendæ.

Interim Philippus per æstatem cum ingenti exercitu, in quo XII Principes numerati, Saxoniam irruperat, omnia latè pervastando. Interque cetera Oppida Helmstadium disjectis mœnibus spoliatum; ac nobile illud D. Ludgeri Monasterium, odio Heriberti Abbatis, qui Ottonis castra sequebatur, miseranda calamitate evastatum, multos exinde annos jacuit in ruina, donec anno demum 1237 à Gerhardo Werthinensi Abbate resuscitari cœpit.

Helmstadium & D. Ludgeri Cœnobium à Philippo evertuntur.

Hunc in modum cùm totam prope Orientalem Saxoniam depopulatus esset Philippus, Brunswico expugnando exercitum admovet. Reliquerat in urbe Otto Henricum fratrem præfectum cum præsidio militari, virum bellicis artibus & fortitudine egregium. Fidi fortesque non minus cives quàm milites oppugnationem constanter sustinent, foris Ottone hostis exercitum incursante, & annonam, ne quis castris importaretur, undique intercipiente. Trahitur interim difficilis obsidio, cùm obsessi ad cœlestem opem conversi,

Brunswici obsidio, ope Divi Auctoris implorată, solvitur.

Arnold. Lub. lib. 6.

Crantz. lib. 7. Sax. c. 16. Brouverus lib. 15. Annal. Trevir.

conversi, corpus D. Auctoris Trevirensis sanctissimi Episcopi, quod cum quorundam pignoribus Gertrudis Ecberti Marchionis conjux olim invenerat, circum urbis mœnia ritu supplicum, litanias, & hymnos decantantes, deportant. Adfuit ad supplicum preces D. Auctor, & minaci vultu se Joanni Trevirensi Archiepiscopo, qui tum cum Conrado Cancellario agebat in castris, spectandum obtulit; monuitque, ni obsidionem urbis, quæ in sua tutela esset, solveret, & ipsi, & toti exercitui ingentem cladem, iramque Dei imminere. Quæ cùm ille Philippo Regi referret, Rex obsidionem solvit: hæsit interim Philippus in sequentem hyemem in Saxonia. Nam mense Januario Hartwico Bremensi Archiepiscopo Stadam Oppidum, totumque comitatum, ac cetera bona consignatis publicè tabulis reddidit. *Testes hujus rei Gardolfus Halberstadiensis Episcopus, Gerhardus Osnabrugensis Episcopus, Bernardus Dux Saxoniæ, Didericus Marchio Misnensis, Comes Hermannus de Ravensberg, Comes Fridericus de Zolern, Comes Adolfus de Schouvvenborg, Comes Burchardus de Mansfelt, Comites de Hartisburc, Comes Adolfus de Dassel, Bernardus de Hurstimar, Henricus Dapifer de Walpurg, et alii quam plures. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCXCIX Indict. III. regnante Domino Philippo Romanorum Rege glorioso, anno regni ejus secundo. Datum apud Hildesheim XIV Calend. Februarii. Ego Conradus Hildesimensis Episcopus Wirtzburgensis electus imperialis aulæ Cancellarius recognovi.*

Philippus reddit Hartwico Arch. Bremensi Comitatum Stadens. *Privilegia Eccles. Hamburg.*

Satis etiam hæ literæ produnt, quinam è Saxonibus ad Philippi partes transierint. Otto per hæc cum suis copijs ad Regem Daniæ se contulit, Regis copias cum suis juncturus, ut ipse in epistola ad Pontificem indicare visus. Nec multò post etiam Ottocarus Bohemiæ Rex à Philippo ad Ottonem transijt. Idem Hermannus Thuringiæ Landgravius fecit, quocum Philippo gravius exinde bellum fuit.

Subinde Innocentius Pontifex ad literas, quas anno superiori miserant Germaniæ inferioris ac Saxoniæ Principes, in hanc sententiam respondet Coloniensi Archiepiscopo.

Pontificis ad superiores Principum literas responsio.

Gratum gerimus et acceptum, quod tu et alii multi Principes Alemanniæ dilectos filios G. Abbatem Indensem, B. Bunnensem Præpositum, H. Priorem de Werdt, H. S. Gereonis Scholasticum, M. de Villacivem Mediolanensem, et H. Cappellanum quondam inclytæ recordationis R. Regis Anglorum, G. Canonicum S. Mariæ ad gradus in Colonia et Magistrum P. viros providos et fideles ad Sedem Apostolicam destinastis, per eos et literas vestras et electionis modum et coronationis processum Karissimi in Christo filii nostri Ottonis, quem eligitis in Regem plenius intimantes, et petentes, ut quod à vobis factum fuerat, ratum habentes et firmum auctoritate vellemus Apostolica confirmare ac ipsum Ottonem ad suscipiendam coronam Jmperii vocaremus. Nos autem nuncios ipsos propter honorem imperii et tam ipsius Ottonis quam tuam et aliorum Principum, à quibus missi fuerant, devotionem,

honesta-

honestatem etiam et probitatem ipsorum benigne recepimus, et sicut ipsi referre poterunt curavimus benignius pertractare. Id autem per hæc Apostolica Scripta tam tibi quam ipsis duximus respondendum, quod ad honorem et profectum ipsius libenter et efficaciter, quantum cum Deo poterimus, intendemus, sperantes quod ipse sicut Catholicus Princeps in devotione, quam progenitores ipsius circa Romanam Ecclesiam habuerunt, non solum sistere, sed perficere, cum honoris augmento curabit. Datum Laterani XIII Calendas Junii Pont. nostri anno secundo.

In eandem verborum formam scriptum à Pontifice ad Mindensem, Paderbornensem, ceterosque Episcopos, ad Bremensem Archiepiscopum, ejusque provinciales Episcopos, ad Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ, Comitem Palatinum Rheni, Comitem Flandriæ, Comitem de Dasburg, atque alios Principes ac proceres Alemanniæ inferioris. Sanè quod his literis promisit Pontifex, id fideliter constanterque præstitit, Ottonis electionem probando tuendoque. Nam quibus causis Principes nostri aversati Philippum, Ottoni detulêre regnum, iisdem & Pontifex Philippum postea rejecit. Alto nimirum vulnere hærebat in animo Pontificis & Romanorum, quibus injurijs Philippi majores ex familia Suevica Henricus IV, Henricus V, Fridericus Barbarossa, & Henricus VI Imperatores tot annis Apostolicam Sedem tractaverant: quàm fœdo inter Regnum & Sacerdotium schismate Ecclesiam dilacerârant: quibus spolijs patrimonium Petri Ecclesiæ diripuerant: quibus Episcoporum & religiosorum inter se collisorum dissidijs disciplinam Ecclesiæ dissolverant; uti hæc satis ex superiorum temporum narratione repeti possunt. Contra ex Saxonum gente offerebantur Ottones M. D. Henricus, Lotharius, & ipsius Ottonis parentes, Apostolicæ Sedis observantissimi. Et quàm fœdum iniquumque ea bona, quæ post Carolum M. & Ludovicum Pium Saxonicæ gentis Imperatores Romanæ Ecclesiæ dederant, abripi ab ipsis Suevicæ gentis Imperatoribus? & quid à Philippo sibi polliceri poterat Pontifex? qui Thusciam, ceteraque patrimonij Petri possessione tenebat, ob quæ à Cœlestino Pontifice anathematis vinculo innexus erat. Hæc & similia haud immerito avertebant à Philippo animum Pontificis, qui hisce difficillimis temporibus haud secus, quàm Gregorius aliquis VII, aut Alexander III, à Deo datus videri poterat columna concussæ Ecclesiæ.

Quas ob causas Pontifex Ottonis potius quàm Philippi electionem comprobâret.

Hoc præterea anno Innocentius Pontifex literas dedit ad Bernardum Episcopum nostrum, & Decanum Paderbornensis Ecclesiæ, Abbatemque Helmwardeshusanum, quibus mandat, ut Apostolicæ Sedis nomine Hildesiensis diœcesis nobilibus & ministerialibus denuncient anathematis pœnas, omnemque sacrorum usum interdicant; nisi Heribertum electum Hildesiensem Episcopum desistant vexare, & impedire à quieta possessione Episcopatus, Causa litis & discordiæ

Hildesienses excommunicantur, ob vexatum Heribertum Episcopũ suum.

Arnold. Lub. lib. 2. Epist. Decret. Innoc. Bruschius in Episc. Hildes. Chron. Hildes. MS. Trithemius de Orig. Franc. Bamgertius in Notis ad Arnold. Lubec.

Causa discordiarum data à Conrado Hildes. & Herbipol. Episcopo.

cordiæ à Conrado Episcopo data. Is illustri Franconum Orientalium genere, aut Saxonum verius ortus, ex aula Friderici Imperatoris primùm Lubecensis Episcopus constitutus; sed eâ Ecclesiâ, incertum qua ex causa, post paucos annos desertâ, rediјt ad aulam Barbarossæ, & ob ingenij præstantiam solertiamque agendi, publicis Imperij negotijs tractandis ab Imperatore admovetur. Inter quæ etiam expeditionem in Palæstinam annona instruxit; non tamen ejus profectionis comes fuit, quo falli dixeris Crantzium & Bruschium. Mortuo Barbarossa, Henrico VI Imperatori non minus carus, quod apud Patrem obtinuerat, Cancellarij munus gessit; ab eoque Imperatore expeditioni sacræ præfectus, in Syriam proficiscitur, in qua & Cypri Regem coronavit, & multa præclarè gessit vicario Imperatoris munere. Mortuo subinde Bernone Hildesiensi Episcopo, Henrici Imperatoris commendatione, anno 1196 Bernonis Successor fuit; gestoque in tertium annum Episcopatu, postulatur Canonicorum suffragiis, & Philippi Regis favore, Herbipolensis Episcopus. Quem Episcopatum cùm ille sine Pontificis auctoritate susciperet, Pontifex Conradum utroque Episcopatu spoliavit, deditq; Hildesiensibus potestatem eligendi alium Episcopum; à quibus Heribertus sive Haribertus summæ ædis Præpositus est delectus. Conradus quamdiu inter spem alterutrius Episcopatus recuperandi hærebat, modò se Hildesiensem, modò Herbipolensem Episcopum scribebat; sed quia idem Cancellarius erat Philippi Regis, ejus patrocinio subnixus, Herbipolensem Episcopatum flagranter ambibat; quod & consilia Philippi spectabant, ut potentem ex Ducatu Franconiæ Episcopum suis partibus adjungeret. Sed eo minus gratus erat Pontifici, qui factionem Philippi oppressam volebat. Extant de hac controversia Innocentij Epistolæ tam ad Episcopum nostrum Bernardum & Clerum Hildesiensem, quàm ad ipsum Conradum, quibus temeritatem facti contra Canonum instituta illi exprobat, ac damnat. Exemplar harum literarum hoc loco supervaneum reddêre, cùm inter editas Innocentij Epistolas legi possit. Perstitit tandem Conradus in Herbipolensi Episcopatu, postquam Pontificis auctoritate nova electio impetrata; nec tamen ultra triennium superstes; quippe qui anno 1203, dum in domo Episcopali ad Basilicam procederet per insidias à duobus gentis nobilibus, qui se ab eo læsos ferebant, interimitur, vir capacis ad omnia ingenij, clarusque in utriusque Imperatoris & Philippi Regis aula Cancellarius; sed qui politicis rebus magis quàm sacris præclaras naturæ dotes, vitamque impenderat. Memorabile tamen ad viri commendationem, quòd occisi corpus cum cilicio repertum sit, singulisque hebdomadibus auri vertonem (precium est 24 Imperialium Joachimicorum) in pauperes erogârit.

Arnold. Lub. Crantzius.

Justinus

Subventum hoc anno Livoniæ ad propagandam Christi religionem

onem inter barbaras gentes. Cœpta hæc quidem hactenus felici progressu; at cùm vicinæ Paganorum gentes Christianorum Sacerdotum operas continuò infestarent, Bertholdus Meinhardi Successor, ac secundus Livoniæ Episcopus, ex Lucensis ordinis Cistertiensis Cœnobij Abbate delectus, Romam se ad Innocentium Pontificem contulit, expositaque ingenti spe messis Evangelicæ, quæ inter Livones haud secus, quàm inter Sclavos jam Christo partas haberi posset, impetravit à Pontifice apostolicas literas ad Saxoniæ & Westfaliæ Principes populosque; quibus ampla noxarum indulgentia facta, quotquot cruce signati in sacram hanc militiam transirent. Ijs Pontificis literis vulgatis, multi Westfaliæ & Saxoniæ nobiles ac milites incensi, inter hæc civilia bella multo salubriori consilio in Livoniam transgressi, christianam religionem adversus barbaros propugnavêre.

presbyt. in Lippest. Oderic. in histor. Eccles. Bzovius in histor. Eccles. Russon. in Chron. Livon. Heister in Suffr.

Fides christiana in Livonia propagatur.

Magno in hanc rem adjumento hortamentoque fuit Bernardus de Lippia, qui per id tempus cum Bertholdo Episcopo Romam profectus, aut certè in Westfaliam transgressus. Ipse & Bertholdus ejusdem Cistertiensis Ordinis Abbas novas secum religiosorum virorum ac Sacerdotum Colonias ex Westfalia & Saxonia in Livoniam traduxêre, quorum ipse Bernardus moderator fuit; ut ob id à Cæsario Abbas Livoniæ appellatus sit. Tantus nunc christianæ religionis propugnator, palam docendo ordinandoque res sacras, quantus ante sub signis Henrici Leonis bellator militando conspectus, quo suo exemplo mirificè excitavit nobilium per Westfaliam animos ad sacram militiam transeundi.

Operâ maximè Bertholdi Ep. & Bernardi de Lippia.

Cæsarius lib. 9. c. 37. Dialog.

Annus Christi 1200.

Innocentij III Pont. 3.
Ottonis IV & Philippi Reg. 3.
Bernardi II Ep. Pad. 15.

Duodecimum dehinc sæculum cum anno millesimo ducentesimo claudimus, civilibus adhuc discordijs turbidum. Quippe Conradus Moguntinus Archiepiscopus, quum pacem anno superiori Boppardiæ ac Coloniæ frustra tentaverat, id negotium hoc anno resumpsit, indicto inter Andernacum & Confluentiam Principum conventu, de quo Godefridus, atque ipse Otto Rex in literis ad Pontificem inter cetera scribit. *Nolumus ignorare sanctitatem vestram Moguntinum Archiepiscopum feria sexta post festum S. Jacobi Apostoli indixisse colloquium inter Andernacum et Confluentiam, in quo ex parte nostra intersunt Coloniensis Archiepiscopus, Monasteriensis Episcopus, Leodiensis Electus, Trajectensis Episcopus, Paderbornensis Episcopus, Abbas Corbeiensis, Dux Brabantiæ, et Comes Flandriæ. Ex parte verò Ducis Sueviæ Salisburgensis Archiepiscopus, Frisingensis Episcopus, Argentinensis Episcopus, Basiliensis Episcopus, Trevirensis Archiepiscopus, Dux Meraniæ, Marchio Conradus de Landassen, B. Dux Ceringiæ, et ipse Moguntinus tanquam media-*

Godefr. Innocent. in Regist. Odericus in histor. Eccl. Ferdinand. Episc. ex reg. Vat. Bibliot.

tor, qui huic rei hactenus sollicitudinem, quam potuit impendit. Sollicitè autem Otto Pontificem monet, ne quid in sui præjudicium decidi patiatur. Verùm ut superiori, ita & hoc colloquio altercantium partium studia cassa fuerunt.

Pontifex, re maturè discussa, tandem pro Ottone pronunciat.

Tandem Pontifex, post biennij deliberationem & consultationem, in Cardinalium senatu pronunciat; rejectoque Philippo, Ottonem ab omnibus Imperij Principibus Germaniæ Regem acceptari, colique mandat. Quam verò maturo consilio adductus ad luctuosum Jmperij dissidium tollendum, quibusve rationibus & causis in utramque partem pro utroque Rege diligentissimè expensis, id fecerit Pontifex, satis ex illius epistola XXI ad universos Germaniæ Principes data, tum ex epistola XXIX de tribus electis Regibus constare poterit; è quibus ille Ottonem, præter merita majorum ceteraque etiam, maximè Jmperio idoneum censuit, quòd licet Philippi electio à pluribus, Ottonis tamen ab ijs sit facta, quibus principaliter jus eligendi fuit: nempè ab Adolpho Coloniensi & Joanne Trevirensi Archiepiscopis; à quibus etiam Otto Aquisgrani in Augustali & Carolina Jmperij Sede inunctus ac consecratus: Philippus verò præter jura & privilegia Germaniæ nationis Moguntiæ à Tarantasiensi Archiepiscopo, alienæ gentis homine, sine Pontificis auctoritate inungi voluerit. Jam verò in ejusmodi dissidijs supremam penes Romanum Pontificem esse auctoritatem, præclarè ostendit Jnnocentius in erudita epistola ad Philippi Legatos, deducitque ab Apostolica Sede, quæ in persona Caroli M. à Græcis ad Germanos transtulit Jmperium, quæque eligendi ac coronandi potestatem Romani Regis communicavit cum Germaniæ Archiepiscopis, quos inter Coloniensis sibi primas partes vendicet.

Serrar. in histor. Mogunt. Chron. Mogunt. Godefr. Arnold. Lub. lib. 6. c. 3.

Moritur Conradus Archiep. Mogunt. à cujus obitu schisma in Ecclesia Mogunt. exsurgit.

His Romæ in senatu Cardinalium decretis, misit Pontifex Guidonem ex Abbate Cistertiensi Cardinalem ac Prænestinum Episcopum, qui sequenti demum anno in Germaniam venit. Festo deinde Simonis ac Judæ Conradus Moguntinus Archiepiscopus Metropolitanus noster, postquam discordantes inter se fratres Ungariæ Reges pacis vinculo composuisset, ex itinere in Passaviensi diœcesi moritur. Funus ejus Wolferus Episcopus honorificè Moguntiam deduxit. Celebris ea tempestate præsul; quippe rebus præclarè gestis, & vitæ integritate, decus Episcoporum, ac columen Ecclesiæ; quocum & Bernardo Episcopo nostro, ut supra diximus, magna animorum conjunctio fuit. Ejus morte scissa Moguntina Sedes, alijs, qui ex factione Philippi erant, Lupoldum Wormatiensem Episcopum, alijs Sifridum Præpositum Bingæ ob tumultus in urbe concitatos deligentibus. Quo cognito, Lupoldus cum Philippi copijs Bingam advolat. Inde Sifridus se ad Ottonem contulit; à quo benignè susceptus, & mox regalibus donatus est, & copijs adjutus Lupoldum Binga ejecit. Adeo non

non tam certamen inter duos Episcopos, quàm inter ipsos Reges erat, uter sibi Moguntinum adjungeret; at Pontificis auctoritate post Sifridus in Sede firmatus, quo Ottonis simul partes multùm constabilitæ sunt.

Annus Christi 1201.

Innocentij III Pont. 4.
Ottonis IV & Philippi Regum 4.
Bernardi II Ep. Pad. 16.

Otto deinde postquam se primus novi seculi annus aperuit, contracto exercitu, in superiorem Germaniam adversus Philippum expeditionem suscepit, progressus cum Adolpho Coloniensi, & Sifrido Moguntino Archiepiscopis, & Henrico Palatino fratre, eorumque subsidiarijs copijs Herbipolim usque pervenit, latè per eas regiones terrore armorum circumlato. At quos præterea in exercitu Episcopos ac proceres sibi conjunctos habuerit, docebit nos Ottonis Regis diploma, Herbipoli ea in expeditione consignatum, quo rursus Adolpho Coloniensi Archiepiscopo, ob fidam bello civili præstitam operam, iteratis tabulis Ducatum Westfaliæ & Angariæ confirmat: inductis etiam fratribus Henrico Palatino & Wilhelmo, ut quidquid juris aut ipse, aut heredes obtendere possent, perpetuum renunciarent. *Testes hujus rei fuêre Adolphus Coloniensis Archiepiscopus, Henricus Palatinus Regis frater, Sifridus Moguntinus electus, Hermannus Monasteriensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, Bruno Bonnensis Præpositus, Henricus Comes Seinensis, Simon Comes de Teclenburg, Gerhardus Comes de Are, Henricus Comes de Cessele, Godefridus Comes Arensbergensis, Adolphus Comes de Monte, Bernardus de Wilepa, Burchardus de Aldenberg, Hermannus de Lippia, Godeschalcus de Pirremunt, Godefridus de Eppenstein, Wulframnus Comes Rheni, Rutgerus de Merheim, Rutgerus de Brempta, Wernerus de Bolant, et frater suus Philippus, Hermannus advocatus Coloniensis, Hermannus de Alvetre Mareschallus, Otto de Schonenberg, Reimarus de Rothe, Conradus de Wilre, Simon Aquensis, et alii quamplures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnat. Millesimo ducentesimo. Datum apud Wirtzburg, tertio Nonas Februarii per manum Hermanni venerabilis Monasteriensis Episcopi.* Tabulas hasce Gelenius produxit in D. Engelberto superiori anno adscriptas; quas tamen ad initium hujus anni referre libuit, quòd per id tempus Otto Rex Herbipolim accessisse referatur à Godefrido, Istic verò cùm se nulla hostili manu offerret Philippus, exercitum reduxit ad inferioris Rheni partes.

Godefrid. Gelen. in Engelb. lib. 1. notat ad c. 3. Quinam Ottoni in expeditione adversus Philippum adfuerint.

Et jam Guido Cardinalis, Pontificis legatus, in Galliam advenerat, ex eaque in Germaniam properabat, præmisso Philippo Notario, qui fidem ab Ottone exigeret, quam Rex Novesij VI Idus Junij in celebri Præsulum ac procerum corona juravit: fore nimirum se defen-

Juramentum Ottonis Apostolicæ Sedi Nō-

vesij præstitum. *Innocentius Epist. 75. Odoric. Rainald. in histor. Eccles. Epistola Guidonis Legati ad Pontif. Godefrid. Trithem. in Chron. Hirsav.*

sorem Apostolicæ Sedis: conservaturum omnia privilegia Romanæ Ecclesiæ: possessiones, quæ ablatæ, restituturum; quæ recuperatæ, suis ex integro permissurum. Quemadmodum juramentum hoc recitatur inter epistolas Innocentij Pontificis. Post illa Guido Cardinalis Leodio Aquisgranum honorificè accessit, occurrente Ottone Rege, à quo Coloniam deductus; urbemque intravit, ut Godefridus etiam refert, circa festum Apostolorum Petri & Pauli; evocatisque vicinis Episcopis ac proceribus Regni, in Ecclesia D. Petri primùm Principes omnes, qui Friderico puero fidem dixerant, juramenti religione absolvit; inde Philippum Pontificis nomine Regno nequaquam idoneum pronunciat; simulque ad ceteros Principes mandata dat cum anathematis comminatione, à Philippo desciscere, atque ipsum Ottonem de cetero Germaniæ Regem amplecti.

Consuetudo pulsandi ad elevationem S. hostiæ, & cùm ea defertur ad ægros, introducitur.

Per id tempus, dum Wido Legatus Coloniæ versatur, pium morem ritumq; introduxit, ut dum in sacrificio missæ hostia elevatur, nolæ tinnitu signum daretur. Idemq; fieri jussit, quoties ad moribundos S. Eucharistiæ Sacramentum deferretur, excitandæ adorationis & pietatis causa. Denum in hoc congressu, rejecto Lupoldo, Sifridus verus Moguntinus Episcopus renunciatur; qui & ab ipso Legato primùm Sacerdos, deinde Episcopus Coloniæ consecratur. At quinam ex Saxoniæ Episcopis præter Adolphum Coloniensem Archiepiscopum huic celebritati interfuerint in annalium memoria non reperio; quanquam de Bernardo Episcopo nulla ferè dubitatio inferri possit.

Guido in epist. ad Innocentium. Odericus ad hunc ann. n. 13. In novo Corbeiæ habito conventu Otto rex declaratur, & Philippus rejicitur. Ibid. Hedibertus Hildesiensis Ep. consecratur à Bernardo Ep. Paderb.

Colonia Guido Legatus Corbeiam profectus; ubi pro Apostolica auctoritate alium Episcoporum ac procerum conventum indixit; palamq; in literis ad Pontificem professus, si modò Episcopi Germaniæ in fidem Ottonis adduci possint, causam Ottonis securam fore. Tanta nimirum tum Episcoporum auctoritas & potestas erat in Imperio. Igitur ad hunc Corbeiensem conventum iterum tertiumq; evocati sunt Episcopi totius Saxoniæ, in eoque, ut Coloniæ factum erat, Philippus rejectus, & Otto renunciatus Rex; in absentes verò Episcopos actum est anathematis comminatione. Ac tametsi annotatum non sit in annalibus, quinam Episcopi se subtraxerint, aut quinam præsentes fuerint, certum tamen, Bernardum Episcopum nostrum, & Heribertum Hildesiensem Episcopum accessisse; quod jussu Apostolici Legati eo in conventu Heribertus Hildesimensis electus, à Bernardo antistite nostro consecratus sit Episcopus. Qua super re extat ejusmodi Guidonis Legati testimonium inter monumenta Corbeiensia. *Guido Dei miseratione Prænestinus Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, omnes ad quos literæ præsentes pervenerint in Domino salutem. Notum fieri volumus, quod consecratio venerabilis fratris nostri Hildesimensis, quæ in Corbeiensi Monasterio facta est à dilecto fratre nostro Episcopo Patherbornensi, nostra est facta auctoritate et jussione. Unde nolumus, ut inde*

inde temporibus futuris aliquod prajudicium pradicto Monasterio generetur. Exinde Pontifex Conradum Hildesimensem Episcopum, quòd à Cœlestino Pontifice ob merita belli sacri illi facta esset promissio ad altiorem Ecclesiæ gradum ascendendi, in gratiam recepit. Ac postquam se Apostolicæ Sedi submiserat, pœnitentiamq; commissi facti egisset, ad Herbipolensem Episcopatum admisit; ea tamen lege, si nova Canonicorum electione facta deligeretur.

Per id tempus Innocentius Pontifex literas ad Bernardum Episcopum Paderbornensem dedit, plenas laudis, & sui erga illum amoris; quibus cumprimis gratias agit, quòd causam Ottonis constanter egerit. Eas, quòd ab Oderico in historia Ecclesiastica prætermissæ sint, hîc referre nostra interest.

Pontifex scriptis ad Bernardum Ep. literis gratias agit pro constanti ejus in Ottonem fidelitate.

Gratum gerimus et acceptum et tua devotionis constantiam in Domino commendamus, quod carissimo in Christo filio nostro Illustri Regi Ottoni in Romanum Imperatorem electo, quem nos recepimus jam in Regem et ad coronam imperii congruo tempore disposuimus evocare, fideliter et constanter adhares, et ei auxilium tribuis et favorem. Super hoc ergo devotionem tuam prosequentes actionibus gratiarum fraternitatem tuam monemus et exhortamur attentius, et p.a.f.s.m. quatenus eidem Regi non obstante juramento, Si quod Duci Suevia ratione regni forsitan prastitisti, cum nos illud eo reprobato decreverimus non servandum, viriliter et potenter assistas, et universos consanguineos et amicos tuos ad ejus fidelitatem inducas, ita quod ex hoc gratiam nostram plenius merearis, sciturus, quod sicuti prius quam ipsum acceperimus in Regem, gratum reputavimus et acceptum, non dimittemus inultum si quis se ipsi duceret opponendum, non autem te moveant maledicta quorundam.

In hunc modum scriptum à Pontifice ad Coloniensem Archiepiscopum, Episcopum Osnabrugensem, Monasteriensem, Trajectensem, Hildesimensem, Mindensem: ad Abbatem Werdinensem, Abbatem S. Cornelij, aliosq;: Præpositum Bonnensem, Ducem Limburgensem, ad Comitem Flandriæ, cui & Paderbornensis commendatur, ut de eo benè mereri non desistat, ad Namurcensem, Loënsem, Wassenbergensem, Hochstadensem, Ariensem, Seinensem, Eppersteinensem, Tikenburcensem, Cessclensem, Lippiansem, Hollandiæ, Borensem, Losensem, Teclenburgensem, Montanum, Viannensem, Arnsbergensem, ceterosque Comites, qui Ottonis partes cum Pontifice suscepêre. Mirum quot literis Innocentius Pontifex sollicitârit Germaniæ Episcopos, Proceres, Reges & Principes; quantumque laborârit pro Ottone Rege adversus Philippum, ut palam fateri necesse fuerit Ottoni, scriptis ad Innocentium Pontificem literis, se post Deum ei Regnum debere. Quorum omnium tamen post Otto immemor in Pontificem insurrexit, bonaque Romanæ Ecclesiæ haud secus quàm Suevicæ gentis Imperatores invasit.

Innocent. Epist. 80. Odericus ad annum 1202.

Annus

Annus Christi 1202.

Innocentij III. Pont. 5.
Ottonis IV & Philippi Reg. 5.
Bernardi II. Ep. Pad. 17.

Odoricus in hist Eccles. ex epistola Innocent.

Non destitit interim Pontifex per Guidonem Legatum firmare anno proximo Ottonem in Regno. Quam in rem Magdeburgensem & Bremensem Archiepiscopos, ceterosque factionis Philippianæ Episcopos, anathematis comminatione percellit. Eâdem constantia Trevirensem Archiepiscopum aggressus, loco movendum denunciat Legato, quòd jam partem bonorum & jurisdictionis Trevirensis Ecclesiæ transcripserat Coloniensi; sed quia idem Coloniensis in fide Ottonis mutare cœpit, vehementer eum objurgat, ostenditq; quàm fœdum factum sit, eum desciscere à Rege, quem ipse coronaverat; *cùm Coloniensis Archiepiscopi solummodo sit Reges in Imperatores electos coronare ex antiqua ejus Ecclesiæ dignitate.* Tanta rerum in summis capitibus perturbatio erat. Qua haud parum perculsi ceteri provinciales Episcopi. Quo factum opinor, ut Hermannus Monasteriensis Episcopus, vir hactenus constantissimus ac celeberrimus inter Imperij Principes, in Marienfeldense Monasterium secesserit, tanquam ex his Imperij fluctibus sese in portum subtracturus.

Arnold. Lub. lib. 6. c. 5. Godefrid.

Philippus Rex quo minus in ista animorum inclinatione res suas proferret, obstitit defectio Regis Bohemiæ, & Hermanni Thuringiæ & Hassiæ Landgravij ad Ottonem, in quos arma parabat, quæ proximo anno erupêre. Contra Otto, ut res suas firmaret, cum Adolpho Coloniensi Archiepiscopo, conventum habuit Trajecti ad Mosam, in quo Dux Brabantiæ & Gelriæ Comes reconciliati sunt. Sed mox inter ipsum Ottonem & Adolphum Coloniensem Archiepiscopum oborta lis de telonijs, monetis, & iniquis vectigalium exactionibus, quæ inter ipsos à Guidone Legato composita est, ne ex intestinis hisce dissidijs Philippi Regis causa invalesceret. Nec leve Philippo vulnus fuit hoc anno Conradum Herbipolensem Episcopum, quem hactenus Cancellarium in omni consiliorum moderatione habuerat, à Sicarijs, dum ad templum procederet, interfici; quanquam id alij ad initium sequentis anni referant. Sed de hoc Episcopo supra à nobis relatū est. Ut varia de eo fuêre judicia, ita Epitaphium hoc scripto proditur.

Arnold. Lub. lib 7. c. 2. Godefrid. Trithem. in Chron. Odericus in hist. Eccles. ad an. 1203. Chron. Montis Seren.

Hic procumbo solo sceleri dum parcere nolo,
Vulnera facta dolo dent habitare polo.

Bernard9 Ep. totus est in dotandis & exornandis cœnob. &c.

Bernardus Episcopus noster, cujus hic penultimus vitæ annus fuit, ex senio ad vitæ exitum provectus, quantum à publicis otijs nactus fuit, totum impendit in res sacras, & dotanda sacrarum Virginum Cœnobia, ut earum precibus sibi Deum propitium demereretur. Quam in rem ternæ sunt tabulæ, quibus Wilbacensi Virginum Monasterio li-

beralí-

beraliter benefecit. Harum primis aliquot prædia donat: alteris decimas, quas vel à Bernardo Comite de Lippia consanguineo suo, vel ab alijs redemerat, transcribit: tertijs advocati onere liberat. Omnes hæ literæ testibus consignatæ, & anno Episcopatus XVI memorantur scriptæ, qui ut supra monuimus annus ordinationis censeri debet, cùm hic ab electione ejus XVII procurrat. Alijs præterea tabulis Gerdensi Virginum Cœnobio consulit, bonaque sibi transcripta Virginibus donat. Testes adscribuntur prope ijdem, qui in superioribus literis, *Henricus Decanus, Lambertus Præpositus, Meinricus et Alexander Priores, Conradus Custos, Theodoricus Scholasticus. Ex Ecclesiæ fidelibus Hermannus de Lippia, Bertholdus de Schonenberg, Bertholdus et Thietmarus fratres de Buren, Amelungus viceComes. Ex Ministerialibus Wernerus de Brakele, Conradus Camerarius, aliique quamplures.* Et tanquam calamitosa simul tempora deploraret, omnes has literas tempore dissensionis inter Ottonem & Philippum confectas refert. Subinde III Nonas Septembris Bernardus ad Bredelariense suæ diœcesis Cœnobium profectus, cœmeterium ejus loci consecrat, convocatoque populo Sacramentum confirmationis impertit. Id quia in Bredelariorum monumentis annotatum reperimus, haud dubium, quin religiosissimus Episcopus quotannis diœcesin suam perlustrando ceteris quoque incolis diligentissimè idem administraverit; quod multa ejusmodi ob incuriam Scriptorum, & temporum injuriam de horum temporum Episcopis desideremus, quæ per obscura quædam vestigia investiganda remanent. Quemadmodum ex Gerdensis Cœnobij literis hoc anno datis scribit Bernardus, se pro more in cœna Domini Synodum celebrasse cum Clero & religiosis viris, ad disciplinā Ecclesiæ servandam.

Litera Bredelarienses. Jongelinus in Notit. Ordinis Cistert.

Annus Christi 1203.

Innocentij III Pont. 6.
Ottonis IV & Philippi Reg. 6.
Bernardi II Ep. Pad. 18.

Accesserat per hæc annus hujus sæculi tertius, nova expeditione in Palæstinam celebris; quo certatim Itali, Germani, Galli, Ungari, Belgæ, Angli, hortatu Innocentij Pontificis, ad crucis signa convolarunt, tanto apparatu classis, cumprimis Venetæ, tantaque exspectatione, ut totum regnum Hierosolymitanum rediturum in manus Christianorum crederetur. Hac expeditione primùm Constantinopolis mari & terra simul à Balduino Flandriæ Comite ac Bonifacio Marchione Montisferrati intra octiduum expugnata, redditaque Isaacio Angelo, cujus filiam Philippus habebat in matrimonio. Ea in expeditione è Saxoniæ præsulibus memoratur Conradus Halberstadensis Episcopus, qui multis sacrorum ornamentis Constatinopoli allatis suam locupletarit Ecclesiam.

Spondanus in Annal. Odoricus in histor. Eccl. Innocentii Epistola. Arnold. Lub. lib. 7. Godefrid. Ursberg. Albert. Stad. Chron. Mont. Ser. Nova in Palæstinam ex-

At

peditio, qua Constantinopolis capta.

Novæ in Imperio ex schismate turbæ.

At in Imperio omnia ex schismate turbida. Pontifex ut Magdenburgensem, Bremensem & Salisburgensem Archiepiscopos à Philippo ad Ottonis partes traheret; extrema minatur: Trevirensis frustra sollicitatur: Coloniensis ægrè adhuc retentus in fide Ottonis. Quo se verterent Episcopi? cùm omnes propè Germaniæ Archiepiscopi, præter Moguntinum, Philippo hærerent. Interim Philippus armis infelix. Nam quum in Hermannum Thuringiæ & Hassiæ Landgravium, qui ad regnum quoque aspiraverat, quod sorore Friderici Imperatoris genitus esset, arma converteret, regionesque latè devastaret; Landgravius subsidio Ottocari Bohemiæ Regis, & Henrici Palatini Philippum fugat, compellitque intra Erfurtum se recipere. Ibi in nonum diem obsessus Rex noctu elabitur ad Theodorum Misniæ Marchionem, viresque instaurat. Insequitur Rex Bohemus, & Palatinus, quibus haud multò post Otto Rex cum novo se jungit exercitu, ex Saxonia & Westfalia contracto; indictisque Merseburgi comitiis, Bohemum iterum festo Bartholomæi Regem coronat, quo cum simul Landgravius fidem Ottoni jurat.

Otto quo Goslarienses Philippo Regi juratos affligeret, castrum Herlingsbergam, in edito propè Widelagam monte construxit, præmunitque; & quia alterum ex Occidentali parte castrum Lichtenbergam insidebat Otto, ita ex utroq; infestabat cives ut multi urbe excesserint.

Divisio paternæ hereditatis inter Ottonem R. & fratres facta Paderbornæ.

Per id tempus anni convenêre tres fratres, Otto Rex, Henricus Palatinus & Wilhelmus, Paderbornæ, stipati Episcoporum & procerum multitudine. Ac ne qua ipsos dissensio armorum, animorumq; commutatio disjungeret, partiti sunt inter se paternam hereditatem. Ea verò divisio, uti præsente Bernardo Episcopo nostro, qui primus inter arbitros memoratur, facta sit, quantum Ottoni Regi cum Brunswicensi urbe cesserit, hæc tabula Henrici Palatini indicabit.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Dux Saxoniæ, & palatinus Comes Rheni &c. Quoniam omnia quæ aguntur in tempore quadam mutabilitatis lege tendunt ad interitū, cautum est litteralis adminiculi fulcimine facta roborari, quæ semper tanquam præsentia futurorum sunt memoriæ commendanda. Notum sit ergo tam futuri quam præsentis ævi fidelibus, quòd nos una cum dilectis fratribus nostris Serenissimo Domino nostro Ottone Romanorum Rege & semper augusto, et Wilhelmo, patrimonii nostri divisione fraterne & unanimi consensu apud Padelburnam celebrata portionem jam dicto fratri Domino nostro Ottoni Romanorum Regi à nostris segregatam & sibi provenientem istis terminorum interstitiis certissimis distinximus. Incipit itaque in hoc loco. Brunsvvic suum est & omnia ibi attinentia, & terra usque Nortburg sua est, à Nortburg usque Daulo, à Daulo usque Hunckesbotte, à Hanckesbotte usque Schvvibecke, à Schvvibecke usque Varesvelde; & Varesvelde suum est, & hoc loco terra est sua usque Wadenberge, à Wadenberge usque ad navigium Wagersseve, à Wagersseve usque in montem, qui dicitur Hart ad Villam Remibecke, & ab illo loco totus mons Hart suus est, castrum Somerschenburg, & omnia attinentia sua sunt, quidquid in quam est in circuitu illo usque Brunsvvic, quod Patris nostri Henrici Ducis piæ recordationis fuit in prædiis, cessit in partem fratris, & Domini nostri Ottonis Romanorum Regis, in alio latere à Brunsvvic usque Flotvvede terra sua est, & ipsum Flotvvede, dimidium à Flotvvede usque Hannovere terra sua est, à Hannovere fluvius Leina superius usque Northeim, & juxta Northeim usq; ad montem Plesse suum est, à monte Plesse usque Gottinge, à Gottinge usque Hanestein, à Hanestein regia strata usq;

Mogun-

Moguntiam. Quidquid est infra terminum istum versus Brunsvvic tam in ministerialibus quam in prædiis & castris totum suum est &c. & totum patrimonium in Thuringia quod erat patris nostri sua cessit parti. Hujus rei testes sunt Bernardus venerabilis Padelburnensis Episcopus, Hartberto Hildesheimensis Episcopus, Widekinus Corbeiensis Abbas, Heribertus Werdinensis Abbas. Laici nobiles Simon Comes de Stumpenhusen, Conradus de Dikka & Constantinus filius ejus, Hermannus de Lippia, Henricus de Danne. Ministeriales, Conradus de Wilre, Simon Aquensis Camerarius, Ludolphus de Asbeke & Boldevvinus frater ejus, Fridericus de Volckmarade, Basilius de Osterode, Elardus de Itoberge, Ludolphus de Bortfelde, Otraveno de Rotdorp, Hartvvig de Vtessem, & alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCIII, Indictione quinta, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa Innocentio hujus nominis tertio, regnante Serenissimo Domino nostro Ottone quarto Romanorum Rege, & semper augusto, anno regni ejus quarto. Vt autem hæc divisio nec à nobis, nec ab aliquo Successorum seu hæredum nostrorum inposterum unquam retractari valeat, præsens scriptum hinc inde conscribi, & nostri impressione sigilli ac fratris nostri Wilhelmi præcepimus communiri.

Ad proximum hunc Bernardi congressum accedunt ex hoc postremo vitæ ejus anno binæ donationis literæ, Gerdensi Virginum Cœnobio datæ; in quibus, tanquam mortis imminentis præscius, fatetur sui esse muneris, eis amorem & liberalitatem impendere, qui laudabile & sanctum religionis institutum amplexi sunt, ut eorum precibus apud Deum adjutus mortalitatis viam feliciter decurrat. Quare Virginibus istis, inter quas innocentiæ custodiam & districtam propositi, religionisque observantiam compererit, se cumprimis obligatum agnoscit. Donumque ejus postremum fuère decimæ, & domus suo ære comparata donataque. Utræq; hæ literæ anno MCCIII consignatæ leguntur, ut jam trinis literis constet Bernardum in hunc etiam annum prorogasse vitam suam, fallique Bruschium, qui anno MCCII obijsse scribit. Sed nec hic multum superstes, IX Calend. Maji excessit è vita, quemadmodum id in necrologio Herisiensi, aliorumq; Monasteriorum annotatum accepimus. Gobelinus, Bruschius, Kersenbrochius XVI annis præfuisse scribunt. Sed ij uti exordia Episcopatus malè capiunt (quemadmodum supra ostendimus in obitu Sifridi Episcopi) ita falluntur in anno mortis, quem 1202 esse volunt, cùm in hunc 1203 protrahendus sit. Quapropter gesti Episcopatus tempora certius publicis tabulis in XVIII annū produximus. Præsul certè, quantum ex tot donationum literis æstimare fas est, quæ apud nos ex omnib⁹ propè Cœnobiorum & Collegiorum tabulis collectæ servantur, quantumq; ex rebus ab eo gestis colligas, religiosissimus, & vitæ integerrimæ, cui primæ semper curæ fuit, cleri & religiosorum disciplinā conservare secundum majorū instituta, fovere pauperes & jus omnib⁹ dicere, pacem colere cum vicinis Episcopis, nec publicis se miscere, nisi quantū necessitas posceret. Ottonis partes constanter tenuit, quòd Apostolicæ Sedi omnem venerationem & obsequium deferret, eóq; apud Innocentium Pontificem & Guidonem Legatum in magna æstimatione fuit. Gessit Episcopatum turbatis temporibus, quorū postrema hæc difficillima fuère ex dissensione Regni inter Ottonem & Philippum, quod toties in postremis suis etiam literis deplorat, ut visus sit Deum hoc anno tandem ad quietiorem cœlitum vitam evocare.

Bernardi Ep. Paderb. mors & commendatio.

*Hoc ipso quoq; anno, ut Godefridus scribit, *mortuus est Hermannus*


**Obit & Hermannus Monaster. egregiæ virtutis præsul.*

Monasteriensis Episcop9, et facta est dissensio pro electione. Quare & hunc Episcopum, religione in Deum, morum sanctitate, & rerum gestarum gloria in paucis celebrem, post XXVIII annorum labores Deus ex hisce Imperij turbis ad immortalem vitam transtulit. Nam quanta apud Fridericum & Henricum VI Imperatores in auctoritate fuerit, quæq; in expeditione sacra, & in varijs legationibus, ac Principum conventibus egerit, quantumq; ex Cancellarij munere apud Ottonem pro pace Imperij laborârit, supra diximus. Nec minus de suo Episcopatu laudabiliter meritus, quem cognomento Pium ejus ævi Patrem Patriæ dixêre Monasterienses. Hujus Episcopi præclara monumenta sunt Basilica Cathedralis, Urbs Monasteriensis cum portis & mœnibus ex incendij ruinis instaurata. Ejus liberalitate duo Canonicorum in urbe Collegia D. Ludgeri & Martini condita. Duo præterea ab eo castra è fundamentis erecta, Nienburgum ad Dimolam fluvium, & Landeggium in Embslandia. Illud nobilium inopum ac Ministerialium domicilium, hoc vero munimentum adversus Comites Tecklenburgenses & Twentios esse voluit, quod in ea tempora inciderat, quibus sago non minus quàm toga opus erat ad defensionem Episcopatus. Quare sumptis etiam adversus Hermannum Ravensburgicum Comitem armis, qui ex Philippi Regis factione diœcesin infestabat, Bilsfeldiam obsedit, expugnatoq; Oppido, imperatum civibus urbis suæ mœnia demoliri; utque ad posteros etiam victoriæ signum transiret, jussi sunt præterea cives omnium quercuum, quæ in vicino nemore erant, capita amputare, quarũ exinde trunci sine cacuminibus, & ramis ad multos annos instar tropæi conspecti stetêre. Sed omnium operum ejus pulcherrimum fuit Cœnobium Marienfeldense, quod eo auctore adjutoreque conditum fuit, & mox religiosis viris, opibusq; totius Westfaliæ florentissimum extitit; in quod postremùm ipse Episcopus turbarum bellorumque pertæsus secessit, vitamque inter Cœnobitas amplexus est. Tradunt præterea Marienfeldenses, religiosum etiam apud se Monachi habitum abdicato Episcopatu induisse, quod hac sepulchri inscriptione constare volunt.

Nobilis hic Præsul à Sede sua jacet exul
Propter te, Christe, pro te, sua qui dedit & se.
Hic primum templi lapidem jaciens jacet isti
Subjectus lapidi, templi lapis ipse superni
Vivus, & electus sit sacris ædibus aptus.
Et sibi jungat eum lapis, utraq; qui facit unum.

Sed hi versus nondum satis nos expediunt, utrumne abdicato Episcopatu religiosam vitam sit professus, eo quod habitu Episcopi cum mitra & omnib9 Pontificis indumentis Cippo insculptus conspiciatur, & ab obitu Hermanni, ut Godefridus memorat, primùm contentio de Episcopatu exorta sit; præterquam, quod nullus Scriptorum de exilio hujus Episcopi, aut de Episcopatu abdicato, sumptoque Monachi habitu meminerit. Sed quoquo modo se ista habeant, haud ultra annum hic quietis vitæq; privatæ locus Hermanno esse potuit, quod superiori adhuc anno, ut diximus, in aula Ottonis Regis & Cancellarij munere versatus sit. Mortem Hermanni Monasteriensis & Bernardi Paderbornensis Episcopi in eundem annum contulimus, quorum hic mense Aprili, ille Junio excessit; ita propè se consecuti, nimirum ut quos integerrima semper vita animis, consilijs, & laboribus pro Ecclesia susceptis inter se devinxerat, hos pro meritis suis exitus & vita cœlo simul conjungeret.

ANNA-




ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER X.

BERNARDUS III in ordine XX9

OLIVERUS XXI9

WILLEBRANDUS XXII9

EPISCOP. PADERBORN.



BERNARDUS

eo nomine III ac XX.

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1203.

Innocentij III Pont. 6.
Ottonis IV & Philippi Regum 6.
Bernardi III Ep. Pad. 1 inchoatus.

Gobelin. ætat. 6. c. 63. Bruschius in cat. Episcop. Crantz. Kersenbrochius.



Nnus Christi MCCIII, qui nobis Bernardum II Episcopum sustulit, idem mox nobis Successorem dedit Bernardum III, ex eadem illustrium Osedorum Dynastarum familia, ex qua Bernardum I jam antè Paderbornensis Ecclesia sortita erat. Hanc verò Osedorum familiam, quia Bernard⁹ II sibi consanguineam scribit in tabulis Gerdensis Cœnobij, satis jam constat, tres consanguineos Episcopos ejusdem nominis intra unum sæculum Paderbornensi Ecclesiæ obtigisse; qui præclara omnes cum laude bonoq; Episcopatum administravêre. Habuit & Bernardus III sororem, Abbatissam Monasterij Bodecensis, quod tum celebre nobilium Virginum Collegium erat: nec aliæ tum præerant, quàm ex primaria nobilitate delectæ, qualis hæc Osedorum erat. Sed grata non minus apud Canonicos manebat memoria Bernardi primi, præstantissimi, & præclarè de Paderbornensi Ecclesia meriti Episcopi. Quo factum, ut cùm egregiæ quoque Episcopi dotes virtutesque conspicerentur in Bernardo III, hunc illi ex Collegio suo concordi omnium suffragatione delegerint Episcopum. Is deinde à Sigefrido Moguntino Archiepiscopo ac Metropolitano suo consecratus Episcopus; jura verò regalia ab Ottone Rege donata accepit, cui & fidem juravit. Utrumque constabit ex epistola Innocentij ad annum 1205 recitanda, qua Bernardo levitatem exprobrat, quòd his beneficijs ab utroque affectus, postea cum Adolpho Coloniensi & Joanne Trevirensi Archiepiscopis desciverit ad partes Philippi Regis.

Bernardus III ex nobili Osedorum familia XX Episc. Paderb.

Non eâ concordiâ successit electio Monasteriensis Episcopi.

Quippe

Quippe Hermanno mortuo, *Priores et Ministeriales, ut Godefridus refert, elegerunt Ottonem majoris Ecclesiæ Præpositum; Comites autem et liberi ipsius Altinensem Abbatem de Claholt. Unde continuo Episcopatus diversis calamitatibus pessundari cœpit.* At quod hic à Godefrido prætermissum est, scribit Cæsarius, Engelbertum videlicet Altenæ Comitem, qui tum Coloniensis Ecclesiæ Præpositus erat, eligentium suffragijs expetitum, designatumque esse Monasteriensem Episcopum in locum Hermanni; id verò sublime in Ecclesia munus cùm ipse Engelbertus recusaret, obtenderetque adolescentiam, quòd vigesimum secundum ætatis annum nondum egressus esset, acquievêre Monasterienses, suffragijs in alios conversi. Quanquam Engelbertus altiori in Ecclesia dignitati à Deo designatus, delectusque post Coloniensium Archiepiscopus, Divorum numerum auxerit. Monasteriensium dissidia haud multò post composuit Otto Rex, qui per id tempus Tremoniæ versabatur; exclusisque nobilibus & Ministerialibus, liberam penes Canonicos electionem esse jussit. Id quod hactenus tanto Pontificum labore ab Henrico V. & Friderico Jmperatore expugnatum, veterique juri assertum erat; ut magnopere fallantur Monasteriensium fastorum Scriptores, qui liberam sui Episcopi electionem primam Ottoni IV Regi asscribunt. Igitur Canonicorum concordibus suffragijs delectus Otto Bremensis Præpositus, ex illustri Comitum Hollandorum & Benthemensium familia: quam Beka in fastis Ultrajectensibus à Florentio Hollandiæ Comite ad Theodoricum, ab illo rursum ad Florentium II & Ottonem fratrem, eumque Benthemensem Comitem ac Præfectum Twentiæ, à Balduino fratre & Trajectensi Episcopo impositum, deducit. Hujus Ottonis Comitis filius hic Otto delectus Monasteriensis Episcopus creditur, magnis tum familiæ viribus innixus; eóque in locum Hermanni, & in tutelam nobilis hujus Episcopatus expetitus: ita hi duo Regis studio Episcopatum ingressi.

Godefrid. in Annal. Monast. Episc.

Otto post dissensionem eligentium, studio Ottonis R. delectus. *Cæsarius lib 1 vitæ S. Engelb. c. 2.*

Inter primas verò Principatus sui curas habuit Bernardus Episcopus noster, pacem atq; amicitiam firmare cum vicinis; è quorum numero Widekindus Corbeiensis Abbas, questus multa sibi è castro Desenbergo damna illata esse à superiori Episcopo. Hæc controversia in hunc modum per arbitros composita.

Bernardi Ep. concordia cum Widekindo Abbat. Corbei. inita super castro Desenberg.

Bernardus tertius Dei gratia Paderbornensis Episcopus. Sciat præsens ætas et cognoscat universa posteritas, quòd benè primo tempore Pontificatus nostri Dominus Widekindus Corbeiensis Abbas quæstionem nobis movit super castro Desenberch, et super quibusdam damnis, quæ se à nobis, et maximè prædecessore nostro sustinuisse dicebat. Fideles itaque et Ministeriales et suæ et nostræ Ecclesiæ partes suas ad bonum pacis fideliter interponentes persuaserunt nobis, quod compromisimus in arbitros et tactis Evangeliis juravimus, quod per omnia staremus ipsorum ordinationi. Statuerunt igitur quod castrum

Desenberg

Desenberch pari labore et paribus expensis destrueremus, et quod de cetero montem illum nulli hominum conferremus, neque odii neque dilectionis contuitu, qui præsidium vel aliquam munitionem in eo exstrueret, sed terram faceremus arabilem, et omne emolumentum de novellationibus, decimationibus, et quibuscunque proventibus similiter haberemus. Si verò gravamen aliquod vel damnum hujus rei causa emergeret, quod bono zelo et totis viribus nos vicissim juvaremus. Ipsi quoque arbitri interposito juramento certos nos reddiderunt, si necessitas exigeret, quod fideliter et efficaciter nobis assisterent. Statuerunt præterea, si nos aliquid in novalibus, molendinis, vel in aquis indebite occupasse videremur, et Dominus Abbas ostenderet hoc sibi jure competere, quod amice dimitteremus, vel in beneplacito ipsius retineremus, et quod ipse idem faceret nobis, si forte aliqua injuria à se vel à suis nobis esset illata. Statuerunt etiam, quod nec nos homines suos, vel ipse nostros ad aliqua cogat obsequia, et si aliquo casu factum fuerit, quod infra VI septimanas emendetur. Ad hæc statuerunt, quod decimæ illi super LX mansos, quorum XXVIII sunt in Meinberge, et X in Hestene, et VIII in Kuneclo, et Helgerssen, et VIII in Heiligeberche, et IV in Balderborch ab antecessore nostro collatæ, adjiceremus decimam super XL mansos exstirpandos in bonis Corbeiensis Ecclesiæ redditibus Domini Abbatis, et fratrum præbendam specialiter pertinentibus, nulli alii prius conferendam, nisi horum XL mansorum cum prædictis LX numerus adimpleatur, et annonam, quam prædecessor noster in commutationem illius decimæ de jam dictis LX mansis acceperat, et Comiti Amelungo de Parburnen postmodum feodali jure concessit, assignavimus XX moldra ejusdem mensuræ, et annonæ in curia Winethe, donec ea à Comite possimus absolvere et in proprietatem Corbeiensi Ecclesiæ reducere valeamus. Volentes igitur venerabili et dilecto amico nostro, et Ecclesiæ suæ, quantum in nobis est, providere, Successores nostros cum consensu Capituli nostri in eadem pacta obligavimus, et quia facta hominum cum hominibus transeunt, nec constitutio nostra post diem vocationis nostræ oblivionis contingat nube fuscari, præsentem paginam sigillo nostro, et sigillo Ecclesiæ nostræ communitam posteris nostris in argumentum veritatis transmittimus, auctoritate Dei et Sanctorum omnium, et nostra districtione mandantes, ne quis ullo ingenio contra hæc ordinationis pacta venire præsumat. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini MCCIII *Indictione* VI *Pontificatus nostri Anno* I. *Testes hujus rei sunt Lambertus Præpositus, Tidericus Decanus, Henricus Præpositus sancti Petri, Tidericus Scholasticus, Conradus Custos, Johannes Cellerarius, Vulframmus, Hermannus novæ Ecclesiæ Præpositus, Hermannus, Tetmarus, Cratto, Everhardus, Volcquinus, Conradus, Hermannus, Volcbertus, Fretbericus, Adolfus. Laici: Bernhardus Bercule, Hermannus de Scardenberch, Bernardus de Northe, Hermannus Comes de Wartberch. Heinricus Dapifer de Parborne, Hermannus Pincerna, Gerhardus Scultetus; et iidem hi fuerunt arbitri Domini Episcopi de prædicta ordinatione. Fuerunt autem hi arbitri Domini Abbatis: Bodo de Hoenborch, Hermannus Bercule, Conradus de Amelungessen, Raveno de Ortberche, Ludolfus dictus Burgravius, Arnoldus de Porta, Henricus de Lutmersen.* Ac

Ac licet tum in eversionem Dasenbergæ convenerit inter Episcopum & Abbatem; non tamen vetus illud castrum, quod tam celebre hactenus fuit à prima Caroli M. expugnatione, ita eversum, quin posterioribus sæculis reparatum fuerit; ut multis exponit Ferdinandus Episcopus noster in monumentis Paderbornensibus. Et verò quia magnæ per id tempus auctoritatis erat Widekindus Abbas inter præsules, qui Ottonis partes tuebantur, Innocentius Pontifex brevi quoq; diplomatis scripto omnia jura Corbeiensiũ, & privilegia à majoribus data, ad preces Widekindi, Apostolica auctoritate præmunijt.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Widekindo Abbati Corbeiensi salutem et Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter Dilecte in Domino fili tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, libertates, immunitates, et dignitates Monasterio Corbeiensi per prædecessores nostros indultas, et eorum privilegiis confirmatas, exemptiones etiam sæcularium exactionum per Principes sæculares concessas eidem authoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et B.B. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ 2 Idus Decembris. Pontificatus nostri anno sexto. Confirmantur ab Innocentio Pont. immunitates Cœnobij Corbeiens.

Annus Christi 1204.

Innocentij III Pont. 7.
Ottonis IV & Philippi Reg. 7.
Bernardi III Ep. Pad. 1.

Turbulentissimus dehinc sequitur annus, quo Philippus Rex primùm cum exercitu intravit Saxoniam, disjecturus Hartinginbergum castrum, ex quo Goslarienses, ut diximus, ad extrema propè infestabantur. At postquam Ottonem Regem cum Saxonum exercitu sibi occurrentem didicit, convocatis in consilium belli præfectis, satius habuit in præsens recedere, quàm prælium cum periculo cladis subire. Haud multo post, mense Julio, cum validiorem contraxerat exercitum, Thuringiam ingreditur, ad Landgravium Ottonicarum partium debellandum. Ille cùm molem belli in se trahi videret, evocato in auxilium Bohemo, ausus est rem prælio velle committere; at Bohemi, gens levis, territi Germanorum armis, noctu è castris profugiunt. Quorum ope destitutus Landgravius, cùm & à Bohemis, & Regijs provincias suas extremùm vastari videret, Philippo supplex reconciliatur. Hoc successu Philippus Rex lætus, Andernacum movet; ac per Joannem Trevirensem Archiepiscopum, per Spirensem, atque Constantiensem Episcopos, Adolphum Coloniensem Archiepiscopum *Godefrid. Arnold. Lub lib. 7. Ursberg. Trithem. Naucler.* Res Philippi R. descì scentibus ad eum pluribus Principi-

bus & Episcopis, eriguntur.

piscopum sollicitat. Valuit ad id cumprimis Wilhelmi Juliæ Comitis opera, viri callidi, qui cùm jam ante comperisset Coloniensem in fide Ottonis nutantem, & nummorum corruptioni obnoxium; Philippo auctor est, offerat Coloniensi 900 marcarum munus, Salveldiæ possessiones, aliaque Ecclesiæ suæ bona, quæ subtraxerat, reddenda. Quibus Archiepiscopus delinitus, turpi pactione inita, ab Ottone ad Philippi partes transit, immemor famæ, juramenti, Pontificis gratiæ, & beneficiorum ab Ottone acceptorum. Laboratum deinde in Henrico Brabantiæ Duce traducendo ad Philippi partes, ad quod Coloniensis omne studium obtulit; nec res successu caruit. Quippe haud multò post, festo D. Martini, Confluentiæ alius conventus indictus, in quo Coloniensis & Brabantinus palam Sacramentum fidei dixêre Philippo; & quo nihil Philippo gratius accidere potuit, ultro respondit Coloniensis, se Philippum Aquisgrani primo, quo vellet, die inuncturum Regem; quod proximo dehinc anno factum est. Tum verò res Ottonis procidere, & Philippi potentia assurgere visa. Jam & Henricus Palatinus ab Ottone fratre ac Rege discesserat ad Philippum, metu Philippi Regis, qui Palatinatum Rheni se illi adempturum minabatur. Qua repentina mutatione rerum Archiepiscopus Trevirensis, & Abbas Corbeiensis, & Bernardus Episcopus noster ad Philippi partes transiêre, haud levi nominis aspersa macula. De ceteris Saxoniæ præsulibus nihil compertum habeo. Bernardus interim hoc anno controversiam, quæ inter sororem ejus Gertrudem, Abbatissam Bodecensis Collegij Canonicarum Virginum, ac Dapiferum ejus intervenerat, hoc anno per arbitros composuit. Quam in rem tabulæ hæ publicæ apud nos asservantur.

Controversia, quæ erat inter Abbatissam Bodecensem & Dapiferum ejus, à Bernardo Episc. componitur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Bernardus Dei gratia Paderbornensis Ecclesiæ Electus omnibus fidelibus, ad quos pagina ista pervenerit, perpetuam in Domino salutem. Venerabilis soror nostra Domina Gertrudis Budecensis Abbatissa accessit aliquando ad præsentiam nostram, et coram nobis conquerendo proposuit, quod Conradus miles Dapifer ejus occasione officii sui in multis eam vexaret indebite, et quod sub specie ministrandi multa in præjudicium ipsis faceret, quæ nunquam ab aliquo antecessore fuissent attentata - - - - - Causa igitur pari consensu partium et nostra permissione à judicio translata fuit ad arbitros, et per eos decisa - - - - - Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCIIII, Indictione VII, sedente Domino Innocentio, regnante Domino Ottone. Testes hujus rei sunt Lambertus Præpositus, Henricus Decanus, Conradus Custos, Thidericus Scholasticus, Johannes Cellerarius. Laici Amelungus Comes, Henricus Dapifer, Gerardus, Anselmus, Hildeboldus, Helmvvicus, Hinricus, Bertoldus. Et Budecensis Ecclesiæ Ermendrudis Præposita, Gysla Decana, Justina, Margareta. Clerici Henricus, Theodoricus, Hermannus, Bertoldus. Layci Thietmarus advocatus, Heremannus, Herebordus, Henricus, Basilius, Ludolfus, Rotgherus, Luitfridus, et alii plures.

Hisce

Hisce tabulis, quia inter Virgines ejus collegij Præposita & Decana notatur, satis simul proditur, institutum Canonicarum Virginum eo quoq; tempore, uti Bodecæ à D. Meinolpho introductum erat, viguisse; quemadmodum id in Herivordensi, Herisiensi, alijsq; per Saxoniam ejusmodi Virginum Collegijs antiquis monumentis commonstravimus. Producuntur, & aliæ literæ hoc anno datæ ex tabulario Coloniensi, quibus Otto Rex, in conventu Episcoporum & procerum, Adolpho Coloniensi Archiepiscopo Salveldienses possessiones aliaque prædia ac bona Ecclesiæ Coloniensi reddit. *Testes hujus rei Dithmarus Mindensis, et Bernardus Paderbornensis Episcopus, Præpositus Sanctensis, Præpositus Bonnensis Bruno, Mechtildis Ducissa Brabantiæ, Balduinus Comes Flandriæ, Otto Gelriensis, Arnoldus Comes de Clive, Henricus Comes Seinensis, Simon Comes de Teclenburg, Arnoldus Comes de Altena, Wilhelmus Comes Juliacensis, Gerhardus Comes de Are, Conradus de Dicke, Gisbertus et Rutgerus de Brempte, Otto de Wickerode, Henricus et Gerlacus de Welmestein, Hermannus Advocatus Coloniensis, Hermannus de Altere Mareschallus, Otto Camerarius, Reinerus de Recke, Albertus de Torcke, et alii plures honorati viri.* Tabulas hasce etsi synceras agnoscam, superiori tamen aliquo potius, quàm hoc anno consignatas dicere libet; quod in his Balduinus Flandriæ Comes testis sistatur, qui per id tempus in Græciam profectus, hoc anno Constantinopolim cum Dandalo Venetorum Duce expugnavit, & à Teutonicis Constantinopolitanus Imperator appellatus est, quod vel ex ejus literis, ad Adolphum Coloniensem Archiepiscopum super hac felici expeditione datis, constare poterit; ut Bernardum potius secundum, quàm tertium hic testem produci censeam.

Otto Rex Ecclesiæ Coloniensi restituit possessiones Salveldienses.

Arnold. Lubec. Godefrid.

Quæ dum in Imperio fiunt, res Christiana multò laudabilius per Westfalos & Saxones in Livonia agitur. Nam ex quo à Cœlestino Pontifice harum gentium conversio excitata adjutaque est, ut Arnoldus Lubecensis scribit, *ex tota Westfalia, Saxonia et Frisia Prælatorum, Clericorum, militum, negociatorum, pauperum et divitum conventus fuit, qui Lubecæ comparatis navibus, armis, et annona in Livoniam pervenerunt.* Quos inter multi sublimes ac nobiles signo crucis insigniti arma susceperunt ad barbaras gentes perdomandas, & cultum Christi propagandum. His auxilijs inflammatus Bertholdus, qui secundus post Meinardum Livoniæ Episcopus fuit, & Bremæ ab Hartwico II Archiepiscopo consecratus, mirificè religionem christianam per Livoniam propagavit firmavitque. Is verò hoc anno, cùm exercitum cruce signatum deduceret adversus Estios, Livones, Barbarosque Christianis infestos, incidit cum duobus socijs in manus hostium, à quibus interemptus est. Ceterum corporibus aliorum æstatis calore putrefactis, Episcopi corpus postea intactum incorruptumque repertum est. Bertholdo subrogatus Albertus Bremensis Canonicus, ætate quidem juvenis, sed morum gravitate, è prima Saxoniæ nobilitate, zelo religionis,

Arnold. Lub. lib. 7. c. 9. Balthasar Russon. in Chron. Livon. Histor. Bremens. Archiep. Gelenius in suffrag. Duglossus seu Joannes Longinus histor. Polon. lib. 6. Chytræus in Livonia.

Bertholdus Livonum II Episc. occiditur.

Albertus illi subrogatus subsidia contra Livones à Pontifice efflagitat.

Odericus in hist. Eccles. Innocent. epist. 139.

onis, & magnis ad res gerendas animis plenus, Innocentium Pontificem appellavit, misso, ut quidam volunt, Bernardo Lippiensi Abbate & Theodorico Romam pro subsidijs sollicitandis. Pontifex, ut rem tanti momenti promoveret, Sacerdotes, Clericos, & quotquot è nobilitate & populo Saxonico cruce signati ad profectionem in Palæstinam venerant, cohortatur ad Livoniæ expeditionem: ob id vota eorum, quæ fecerant, in hujus profectionis accelerationem commutavit. Qua super re extat Innocentij epistola ad Henricum Bremensem Archiepiscopum, ceterosque provinciales ejus & Saxoniæ Episcopos. Nova inde Saxonum & Westphalorum expeditio suscepta in Livoniam. His Albertus Episcopus confirmatus, majoraque aggressus, Rigam urbem primùm condidit; in qua & primus Livoniæ Archiepiscopus consedit; postquam auctoritate Pontificis impetrata, novos Episcopatus, Uggenensem, & Dorpatensem, seu, ut alij volunt, Seloniensem atq; Estiensem instituisset. Seloniensium primus postea Episcopus Bernardus de Lippia, Estiensium verò Theodoricus Alberti consanguineus. Inde Albertus alios atque alios Episcopatus erexit. Ac mirum, quàm feliciter Christi religionem, Pontificis auctoritate & studio recreatus, provexerit: quos Clericos & Monachos, quos nobiles & milites in sacram militiam adscriptos, ex Westfalia & Saxonia in vineam illam attraxerit. Auctor est Duglossus, per id tempus ordinem fratrum, qui de militia Christi nuncupatus, insigne gladij super integumentum insuti gessit, ab hoc ipso Alberto Episcopo formatum, objectumq; barbaris; eòq; & tertiam partem bonorum Ecclesiæ Rigensis in dotem assignatam adeptum. Quem ordinem Gregorius nonus deinde Teutonico ordini conjunxit, & Archiepiscopi Rigensis aliorumque præsulum jurisdictioni subjecit. Quapropter Arnoldus Lubecensis de Alberto, non facilè dixeris, *quantam invenerit gratiam apud Reges et Magnates, qui ei pecuniis, armis, et navibus subvenerunt; inter quos Dominus Andreas Archiepiscopus Lundensis, Bernardus Pathelbrunnensis, Iso Verdensis Episcopi, qui manus pro illo opere consecrârunt.* At quæ Bernardus Episcopus noster præstiterit, tempori memorabo.

Et primus Livoniæ Archiepiscopus constitutus, rem christianam valde promovet.

Annus Christi 1205.

Innocentij III Pont. 8.
Ottonis IV & Philippi Regum 8.
Bernardi III Ep. Pad. 2.

Godefrid. Ursberg. Arnoldus Lub. lib. 7. Trithem. Crantz. lib. 7. Sax. c. 23. Odericus in hist. Eccles.

Vix dum præcedens annus exierat, cùm Philipp⁹ Rex Adolphi Coloniensis & Ducis Barbantiæ, ceterorumq; ad suas partes accessione confirmatus, cum florente exercitu, magnoque Principum & procerum comitatu, Aquisgranum properat. Nec mora, vi Idus Januarij, atque ipso festo Epiphaniæ, ab Adolpho Coloniensi Archiepiscopo inunctus Carolino solio imponitur: simul Irene conjux Isaaci Angeli Con-

Constantinopolitani Imperatoris filia, diademate regio decorata ab Adolpho, frustra Sifrido Moguntino & Joanne Cameracensi Episcopis, qui ob id Coloniam accesserant, Pontificis nomine, minas, anathemata, & dejectionem à gradu Episcopalis muneris intentantibus. Versabatur & Otto Rex per id tempus Coloniæ in fida sibi urbe, animo & corpore æger, consternatusque ad tantam rerum mutationem; quod non nisi paucos in Saxonia Episcopos & Principes in fide retineret. Ausus interim Moguntinus & Cameracensis, Pontificis ad hanc rem Legati, Coloniensem publicè in Basilica S. Petri & per omnes urbis Coloniensis Ecclesias anathematis pœna proscribere; ac nisi intra mensem Romæ Pontifici satisfaceret, Archiepiscopatu exuendum denunciare. Idem Pontifex, scriptis ad Clerum & populum Coloniensem literis, per omnes Coloniensis diœcesis Ecclesias vicinosque Episcopatus vulgari jussit. Quem in modum ad ipsum quoq; Coloniensem Archiepiscopum scribit Pontifex, exprobratoque perjurij facto, hortatur ut ad Ottonis partes redeat. Haud minus acerbas literas dedit Pontifex hoc anno ad Trevirensem Archiepiscopum, Bernardum Paderbornensem Episcopum, & Widekindum Corbeiensem Abbatem, quòd deserto Ottone Rege, ad Philippum transierint. Literas ad Episcopum nostrum, quæ sic habent, hîc referre juvat.

Philippus R. à Coloniensi Archiep. coronatur.

Improbante Pontifice.

In registro Innocentii epist. 122. Odoricus in hist. Eccles.

Qui defectionem ab Ottone R. cum ceteris, tum Bernardo Ep. nostro exprobrat.

*Quàm detestabile sit crimen perjurii, veteris testamenti lectio manifestat; nam cum præcepisset Dominus Israëlitis, ut universos habitatores terræ, quam eis promiserat, de ipsa delerent, propter fœdus, quod Josue cum Gabaonitis inivit circumventus, et juramentum quod Principes multitudinis præstiterant eisdem incaute, Gabaonitæ mortis periculum evitarunt, licet interrogati si in terra, quæ filiis Israel sorte debebatur, forsitan habitarent, qui de terra longinqua venerant respondissent. Præterea, quæ pœna mendacibus debeatur, Ananiæ et Saphiræ mors subita profitetur, qui quoniam mentiti fuerant Spiritui sancto, à conspectu Apostolorum Principis, cujus sumus licet immeriti Successores, mortui sunt educti. Cum ergo vel nulla vel modica distantia sit inter perjurium et mendacium Sacerdotis, dicente scriptura, quod verba Sacerdotis, aut vera sunt, aut sacrilega, debent Ecclesiastici viri, et præsertim qui Prælationum obtinent dignitates, reatum perjurii et crimen mendacii penitus evitare, et sic fugere inconstantiæ levitatem, ne væ sit eis, si terram duabus viis ingredi convincantur, et si culpam meruerint, non effugiant disciplinam. Miramur igitur non modicum et movemur, quod cum Karissimo in Christo filio nostro Illustri Regi Ottoni in Rom. Imp. electo fidelitatis præstiteris juramentum, et ab eo de regalibus fueris investitus, postquam per ven. f. n. * S. Moguntinum Archiepiscopum consecrationis beneficium suscepisti, tepuisti quasi penitus circa eum, et ipsi tuæ devotionis obsequium subtraxisti. Ne igitur subditis tuis occasio fias similis levitatis, qui eis fortitudinis et constantiæ debes exempla præstare fraternitatem tuam monemus, et exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus sic*

* *Siffridum*

de cætero in ejus fidelitate persistas, et sic ei patenter adhæreas et potenter, quod præterita negligentia per subsequentem diligentiam expietur, nec tam cito incurrisse notam perjurii videaris, quia id non possemus æquanimiter tolerare. Datum Romæ apud S. Petrum, III. Id. Martii, Pontificatus nostri anno octavo.

In eandem prope objurgationis formam scriptum à Pontifice ad Corbeiensem Abbatem; quanquam longè acerbiores literæ ad Trevirensem Archiepiscopum ob eandem causam à Pontifice sint perscriptæ, quæ in historia Trevirensi prætermissæ recitantur inter Innocentij epistolas. At quantum laboravit Pontifex scriptis superiori anno ad Bremensem & Magdenburgensem Archiepiscopos, & hoc anno datis ad universos Germaniæ Principes, ad Moguntinum & Hildesimensem Episcopos, ad Landgravium Thuringiæ, Henricum Palatinum Ottonis fratrem, ceterosque literis; tantum Philippus Rex occupatus fuit in devinciendis sibi ceterorum Episcoporum ac Principum animis. Ac de nullo magis retinendo in fide sollicitus fuit, quàm de Adolpho Coloniensi Archiepiscopo; cui novis donationum tabulis sub initium hujus anni Westphaliæ & Angariæ Telonia, jura monetæ, ceteraque bona & privilegia Aquisgrani instauravit. *Testes hujus rei Diethelmus Constantiensis, Conradus Spirensis, Henricus Wirtzeburgensis, Henricus Argentinensis Episcopi. Ludovicus Dux Bavariæ, Henricus Dux Lovaniæ, Simon Dux Lotharingiæ, Bernardus Dux Saxoniæ, Henricus Comes Palatinus, Otto Gelriensis, Wilhelmus Juliacensis, ceterique Comites et proceres Regni.* Horum potentia & studio subnixus Adolphus Coloniensis Archiepiscopus, pertinacissimè Philippo inhæsit. Quare ex mandato Pontificis per Sifridum Moguntinum & Joannem Cameracensem Episcopos ab Archiepiscopatu dejectus; factaque Clero potestate eligendi alium Archiepiscopum, subrogatus est Bruno Bonnensis Præpositus, & Comes Seinensis. Inde omnia per diœcesin Coloniensem turbis, spolijs, & armis partium permixta. Accessit post Natalem Virginis Philippus Rex cum prævalido exercitu, transitoque Mosella, festo D. Michaëlis Coloniam obsidione aggressus est; sed oppugnata in quintum diem urbe, cùm Ottoniani ac cives pari alacritate resisterent; Philippus rebus desperatis, Novesium traduxit exercitum. Urbs hæc postquam acriter oppugnata viribus suis diffideret, Regi se permisit; quam ille mox Adolpho subactam tradidit.

Gelen lib. 1. de Engelb. notat ad c. 3.

Philippus R. novis beneficijs Archiep. Colon. sibi devinctum retinet.

Adolphus Archiep. Colon. ab Episcopatu dejicitur.

Exemit hic annus è numero mortalium Ludolphum Magdenburgensem Archiepiscopum, & Rudolphum Verdensem Episcopum: Magdenburgensi subrogatus Albertus Præpositus; Verdensi Iso, vir magnæ pietatis, & Bernardo Episcopo nostro conjunctissimus.

Annus Christi 1206.

Innocentij III Pont. 9.

Ottonis

Anno proximo eadem belli tempestas rursum incussa in Colonienses. Quippe Philippus Rex cum exercitu ad inferiorem Rhenum cum Adolpho Archiepiscopo regressus, nihil impensius habuit, quàm exauctoratum Archiepiscopum in integrum restituere. Quare in diœcesin effusus omnia spolijs, flammis, & terroribus per militum licentiam complet. Spectabat hæc Otto Rex, qui Coloniæ versabatur, & Bruno Archiepiscopus recens à Sifrido Moguntino Archiepiscopo consecratus. Et impares licet viribus, ausi tamen sunt cum quadringentis equitibus, & duobus millibus peditum paulatim hosti occurrere, adjuncto sibi Limburgo urbis præfecto. Sed is quod ex composito cum Philippinis dolo ageret, copias in palustria insidiarum loca deduxit, & primus profugit. Restitère aliquamdiu fortiter Ottoniani, ad ultimum profligati. Otto Rex & Archiepiscopus, quò saluti consulerent, in vicinum castrum Wassenbergum se recepère. Insecutus Philippus castrum incinxit. Ibi in extremum uterque discrimen pervenit, quòd locus infirmior esset, quàm ut defendi posset. Quare Rex Otto, capto ex arena consilio, cum tribus socijs noctu profugit, & per medios hostes elapsus, incolumis Coloniam pervenit. Expugnatum postridie castrum, captusque Bruno Archiepiscopus ad Philippum Regem protrahitur; ejusque mox jussu, ferreis compedibus constrictus, Herbipolim abripitur in carcerem, in quo per annum in vinculis jacuit. Colonienses ubi conspexère omnem belli Imperijque molem in se verti, consilio Ducis Brabantiæ ac nobilium, per Legatos Philippum Regem Boppardiæ adeunt, seseque submittunt; à quo mox Spirensis Episcopus missus Coloniam, cui cives juramentum fidei dixère. Hoc successu etiam Adolphus Coloniensis Archiepiscopus est reductus in sedem; nec tamen ullam sacrorum partem ausus contingere, quòd anathematis adhuc vinculis illigatus teneretur. Non destitit interim Pontifex literis suis animare Brunonem Archiepiscopum subrogatum, omnemque in eo operam ponere, ut Monasteriensem & Osnabrugensem provinciales suos Episcopos, postulato etiam juramento, Ottoni conjungeret; at serò hæc agebantur. Rebus enim in hunc modum repentè conversis, Otto Rex Coloniâ Brunswicum discessit; ac ne inclinantem fortunam bellumq; secum traheret in Saxoniam, per mare in Angliam transijt, patris jactatus fatis; ubi & à Joanne Rege avunculo suo, & nobilitate honorificè susceptus, liberaliterque est habitus.

Godefrid. Pantal. Cæsarius lib. 7. Arnold. Lub. lib. 7. Robert. de Monte.

Bruno Adolpho suffectus à Philippo R. captivus detinetur.

Colonienses Philippo se subjiciunt, à quo & Adolphus sedi suæ restituitur.

Innocent. epist. 137.

Tum & Sifridus Moguntinus Archiepiscopus, qui eadem periculi nave vehebatur, clam se Colonia subtraxit, ac Romam profectus, benigniusque ab Innocentio Pontifice exceptus, ab eodem ob constantiam fidemque Apostolicæ Sedi præstitam, haud secus quàm ante

te

te ipsum Conradus Archiepiscopus, in Cardinalium numerum est cooptatus: mansitque biennium Romæ, dum mors Philippi reditum illi ad Archiepiscopatum aperiret.

Pontifex Bustorfianis privilegia sua confirmat.

Innocentius præterea, qui tam benignus erat in omnes, hoc etiam anno, ob quam nescio malevolorum insolentiam à Canonicis Bustorfianis interpellatus, florenti illi Collegio omnia privilegia bonaq; à Meinwerco conditore donata, Apostolica auctoritate præmunijt.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Canonicis Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri et Andreæ Paderburn. salutem et Apostolicam benedictionem. Commissæ nobis administrationis officium exigit, et integritas rationis exposcit, viros Ecclesiasticos sincera caritate diligere, et ne indebitis graventur molestiis, Apostolicæ protectionis clipeo confovere. Eapropter Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam vestram cum omnibus, quæ in præsentiarum legitime possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Quidquid autem bonæ memoriæ M. quondam Putherburn. Episcopus eidem Ecclesiæ vestræ tam in decimis quam in curtibus, in areis et parochia, quæ consistit in quinq; villis, videlicet Aspetera, Hildelinghusen, Haswthehusen, Hohensili, Albetinghusen rationabiliter contulit, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, eidem Ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. XIIII Calend. Decembris, Pontificatus nostri anno nono.*

* *Meinvvercus.*

Moritur Dithmarus Ep. Mind. vir insignis pietatis & temperantiæ. *Chron. Mindens.*

E Saxonicis Episcopis amisit hoc anno Minda Dithmarum, virum omnium virtutum ornamentis conspicuum. Gubernavit is Ecclesiam suam per 20 annos inter turbulenta Saxoniæ tempora, ea in Deum religione, temperantia cibi potusque, ut vitæ exitum Deus insigni miraculo illustrârit. Nam cum pro more per sacratissimos Quadragesimæ dies solo pane & aqua victitaret, ac viribus deficeret, Deus aquam è puteo haustam convertit in vinum; ille, cùm se à famulo delusum putaret, aliam adferri jussit; at hausta iterum iterumve aqua in vini liquorem commutata est. Successor illi fuit Henricus, à Crantzio prætermissus, eò fortè, quòd triennio tantum Episcopus vixerit.

Annus Christi 1207.

Innocentij III. Pont. 10.
Ottonis IV & Philippi Reg. 10.
Bernardi III Ep. Pad. 4.

Godefridus. Arnold. Lub. lib. 7.

Tandem in his calamitatum fluctibus, cùm omnia ad unum Philippum fortuna devolveret, Principes diuturni belli pertæsi, cœpêre

pêre consilia concordiæ inter Philippum & Ottonem agitare. Ejus rei spes oblata ex colloquio Sinzichij ad Rhenum habito, in quo Principes sensêre Philippum ad pacem pronum; eòque secundo Rheno Agrippinam deductus, in pervigilio Paschæ urbem ingreditur. Quem Clerus populusque obviam effusus ingenti cum lætitia excepit. Per aliquot istic dies commoratus, publicè pro Germanorum Regum instituto jus dixit; ejusque decreto status Reipubl. compositus, iniquæ vectigalium exactiones sublatæ, adulterina moneta proscripta, & quæ pacis justitiæque fuêre, ad veteres leges reducta sunt. Quibus ita se omnibus commendavit Imperij Principibus, ut Legatos mitterent ad Pontificem, Wolfgerum Patriarcham Aquileiensem, & Gobourdum Burgravium Magdenburgensem, aliosque honoratos viros, rogatum, vellet calamitatum Germaniæ misereri, & pacis, quod cœperint, negotio animum & consilia impendere. Ad quæ Principum postulata Pontifex misit Hugonem Ostiensem Episcopum, & Leonem S. Crucis presbyterum, Cardinales in Germaniam Legatos; quibus etsi potestas data sit Philippum absolvendi à vinculo anathematis, pacem tamen ab ipsis ea lege confici voluit, ut Brunonem Coloniensem Archiepiscopum vicissim laxaret Philippus, & Adolphus exauctoratus Coloniensis Archiepiscopus Romæ se sisteret ad satisfactionem. Igitur pax primùm Spiræ in publico conventu Principum tractata, deinde Augustæ festo D. Andreæ conclusa: ubi cùm Philippus Rex Brunonem Archiepiscopum vinculis captivitatis exsolveret, Legati Pontificis Adolphum sacris vinculis laxatum Ecclesiæ reconciliarunt. At nondum inter ipsos Reges transactum erat; exspectabatur enim Otto ex Anglia: qui cùm interea, ingenti pecunia adjutus ab Angliæ Rege, redijsset in Saxoniam, alius Northusij ad Christi Natalem comitiorum dies indictus; quò cum Legatis Pontificis convenêre uterque Regum, & frequens Episcoporum, ceterorumque Principum multitudo. Postquam multa agitata, tandem concordiæ copulandæ causa, per Legatos Pontificis oblata Ottoni Beatrix filia Philippi Regis in matrimonium cum Alemanniæ ducatu, ea lege, ut regnum & Regis titulum relinqueret Philippo, dum viveret, eo verò mortuo, succederet in regnum. Otto licet his multum obluctaretur, majoraque offerret Philippo; quia tamen res suas accisas videbat, omniaq; Principum studia vergere in Philippum, pacis leges vel invitus admittere necesse habuit; id quod Quidlenburgi in postremo conventu pertractatum tradit Ursbergensis. Ita demum post decennale bellum, quo Regnum non minus, quàm Sacerdotium fœdè laceratum fuerat, pax Germaniæ reddita est.

Ursberg. Otto à S. Blasio.

Principes Imperij de pace conciliandа agitant.

Quæ certis demum conditionibus coalescit.

Annum, quo hæc agebantur, quartum fuisse Bernardi Episcopi nostri, contestatum habemus binis ejus tabulis, quarum alteris Gerdensi Virginum Cœnobio præclaram donationem fecit: alteris duo

prædia

prædia commutavit cum Gerdensibus Virginibus, recepto illo, quod Episcopi castro Jburg commodius adjacebat. Quod argumento est celebre illud castrum Jburgense, ex quo à Carolo M. expugnatum, donatumque fuit Paderbornensi Ecclesiæ perpetua inde possessione retentum fuisse. Acta hæc referuntur *anno Dominicæ Incarnationis MCCVII, Indictione decima, Pontificatus Bernardi anno quarto, coram testibus subscriptis; Lamberto Præposito Majori, Friderico Decano, Henrico B. Petri Præposito, Tiderico Scholastico, Conrado Custode, Joanne Cellerario, Henrico Camerario, Magistro Joanne fratre, et subdiacono nostro, Amelungo Comite, Henrico Dapifero, cæterisque Ministerialibus Ecclesiæ nostræ.* Grata quoque in his literis memoria Bernardi antecessoris ejus, quem sanctæ recordationis Episcopum compellat.

Annus Christi 1208.

Innocentii III Pont. 11.
Ottonis IV Reg. 11.
Bernardi III Ep. Pad. 5.

Godefrid. Arnold. Lub. lib 7. c. 14.

Pace inter Reges apud Saxones composita, exspectabantur anno proximo legati, quos ad Pontificem miserant Principes. Ac postquam omnia à Pontifice Romæ in senatu Cardinalium, ut in Saxonia convenerat, probata erant, remissi sunt Legati in Germaniam cum mandato omnia quàm accuratissimè perficienda. Auditus etiam Romæ coram Adolphus Coloniensis exauctoratus Archiepiscopus, receptusque in gratiam Pontificis; ea tamen lege, ut apud Brunonem à Clero electum & à se subrogatum, confirmatumque maneret Archiepiscopi dignitas. Ita Adolphus, qui pecunia & muneribus se corrumpendum dederat, omnibus simul excidit, rediitque ad privatam vitam, annuo tantùm stipendio 400 marcarum ex Episcopi bonis assignato.

Philippi cædes ab Ottone Wittelsbachio illata.

At vix superatis alpibus in Germaniam redierant Legati, cùm Philippum Regem ab Ottone Wittelsbachio Palatino Bambergæ interemptum intelligunt. Causa cædis non una traditur. Petierat Otto Palatinus alteram filiam Philippi Regis in matrimonium, eamque Rex addixerat; post ubi ferocis hominis ingenium magis cognitum ex cæde Welponis Boji haberet, Rex sponsionem retractavit; hinc prima Palatini offensio in Regem; qua tamen dissimulata, petiit post nuptias cum filia Poloniæ Regis per Philippi Regis commendationem ac patrocinium; ad quas cùm Philippus Rex verbis prolixè operam suam promitteret, literis verò ad Poloniæ Principem datis longè aliud suaderet; Wittelsbachius ex litura literarum inspecta in suspicionem fraudis venit, literasque resignari jubet, & quia rudis literarum erat, eisdem per amanuensem lectis, audit à Rege nihil ijs aliud quàm matrimonium hoc improbari. Hìc Wittelsbachius, ut impotentis

erat iræ, Philippo necem jurare, & ad Regem festinare; quem Bambergæ reperit, post sectam valetudinis causâ venam, colloquio cum Spirensi Episcopo (quem alij Herbipolensem fuisse volunt) sese recreare: nec difficilis ad palatium illi aditus fuit, quòd palatij præfecturam gereret inter Palatinos. Igitur ad Regem in conclavi intromissus, exprobratoq; Regi dolo, strictum ferrum, quod ludendo vibrabat, in cervicem Regis immittit; unoque hic letali ictu vix perfossus concidit. Spirensis Episcopus tam atroci facinore consternatus in latebras se abdit. Ceteros, qui parricidam retinere conati sunt, eodem ferro sauciatos depulit; nec impediri potuit, quo minus rebus ad fugam ante compositis evaderet. Haud leviter funestus Regis casus perculit omnes; quippe vir erat æquus, literatus, atque omnibus affabilis, multumque à pietate commendatus; qui more antiquorum Regum in choro inter scholares pueros modestus stare, & sacros hymnos canere visus. Sed abdita Dei judicia; quando jam ante à religioso viro in Raceburgensi Ecclesia civilia hæc bella deplorante hæc vox audita, *Anno MCCVIII erit consummatio.* Sanè Philippo occiso, Imperij decus, per tot bella & populorum cædes quæsitum, momento concidit, & cum fruendi spes ex pace se primum offerret, abruptum est morte. Tam fallaces mortalium curæ, & fascium ambitus; quanquam primus Regum Germanorum, qui à parricida gentis suæ interemptus: rarum si repures tot Romanorum Imperatores, & tot aliarum gentium Reges ferro parricidarum interemptos. Sed nec percussor Otto Wittelsbachius gente Bojus inultus, ferro haud multò pòst Henrici Kalinthini cecidit. Corpus Regis postquam decimo Calend. Junij exspirârat, Spiram delatum ad majorum tumulos.

Otto Rex comperta æmuli sui morte, transrhenanos proceres primùm Halberstadium advocat; & quia successio jam illi decreta erat, in frequentissimo populi conventu, Saxones & Thuringi Regnum illi deferunt. Post Francofurtum accessit, ubi in frequentissimo Principum cœtu festo D. Martini primùm illi insignia Imperij à Conrado Spirensi Episcopo tradita, regnumque à Bojis, Suevis, & Franconibus firmatum est, jurataque pax ab omnibus Principibus secundum Caroli M. præscriptas leges. Tum adducta quoque à Conrado Spirensi Episcopo Beatrix Philippi Regis filia, sponsaque oblata est Ottoni Regi; à quo mox illa vindictam in parricidam Wittelsbachium petijt, omniumque sententia proscriptus ac damnatus est Wittelsbachius. Nihil illo die lætius, quàm serenitatem pacis, quæ ob mortem Philippi obscurata erat, tam cito redijsse cum successore Ottone. Nihil quoque Innocentio Pontifici jucundius accidere potuit, quem per tot annos civiles discordiæ divexârant, quàm ultrò nunc Ottoni deferri Regnum; quod ille hactenus tanto labore & studio pro Ottone contenderat.

Otto Philippo R. succedit, & pax Imperio redditur.

Pontifex Bernardo Ep. ut Legato Apostolico causam Abbatis Helmwardeshusani cognoscendam committit.

Et jam Bernardum quoque Episcopum nostrum non modò receptum in gratiam Innocentij Pontificis, sed magna etiam, tam apud Legatos Pontificis, quàm ipsum Pontificem, in æstimatione fuisse, secus quàm ante quadriennium Pontificis literæ sonabant, satis docebunt Innocentij literæ hoc anno ad Corbejenses datæ, quibus Bernardo Episcopo nostro Legati Apostolici munus committit, jubetq; cognoscere causam Helmershusani Abbatis, qui sine auctoritate Pontificis transierat ad Corbejensis Abbatis munus; id quod explanatum hoc Pontificis diploma docebit.

Innocentius Servus servorum Dei, Dilectis filiis, conventus Corbetensis Monasterii salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noster H. Episcopus Ostiensis, et dilectus filius Leo sanctæ crucis presbyter Cardinalis olim in partibus Alemanniæ legationis officio fungerentur, invenerunt dilectum filium Abbatem de Monasterio Helmvvardeshusen, quod ad Romanam Ecclesiam nullo mediante noscitur pertinere, ad Monasterium Corbeiense, quòd etiam est Romanæ Ecclesiæ speciale, propria temeritate migrasse, licentia illud deserendi, vel confirmatione à nobis, vel ab ipsis etiam, qui vices nostras in illis partibus tunc gerebant, nec habita nec petita. Cumq; Northusium advenisset regalia recepturus, iidem existentes ibidem, ut contemptus ejus manifestior appareret, ad eos accedere non curavit, se mandatorum ipsorum exhibens modis omnibus contemptorem, propter quod dicti Legati venerabili fratri nostro Padebornensi Episcopo dederunt in mandatis, ut eundem ad suam præsentiam evocaret, et prædictis omnibus diligentius expositis coram eo ipsum ab omni officio et beneficio suspendere non diffideret, donec nostro vel illorum se conspectui præsentaret, de contemptu veniam petiturus. Cæterum cum suum nuntium ad eorundem præsentiam direxisset se super prædictis omnibus per eundem excusans, illius terræ allegavit consuetudinem generalem, asserens quod pro confirmatione electionis, vel obtinenda etiam benedictione vel licentia de uno ad aliud Monasterium transeundi summus Pontifex vel ejus Legati non erant aliquatenus requirendi, cum illis partibus consuetudo talis hactenus sit servata. Iydem vero Legati precibus multorum inducti tam Ecclesiasticorum quam sæcularium Principum, qui eosdem pro ipso constantissime rogaverunt, prædicto Episcopo Padeburnensi mandantes, ut memorato Abbati injungere non differret, ut usque ad Dominicam, qua cantatur, Lætare Jerusalem, *proximè præteritam nuntios suos ad Sedem Apostolicam destinaret, mandatum nostrum tam super hoc quam aliis iisdem mediantibus nuntiis recepturus. Quod si istud forte negligeret, et tunc ipsum in pristinam sententiam reducere non differret, et eam faceret firmiter observari. Postmodum autem cum suos ad sedem Apostolicam nuntios destinasset, iidem volentes eum multipliciter excusare, ad defensionem ipsius prædictam consuetudinem allegarunt. Cum igitur hæc non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda, quæ profecto sacris est Canonibus inimica, ipsam de cætero servari nolentes, eisdem Legatis dedimus in mandatis, ut à prædictis nuntiis*

nuntiis Hen. videlicet Præposito, et C. Canonico Ecclesiæ novæ, qui plenam tam Abbatis quam Corbeiensis conventus procurationem habebant, sicut nobis constat per publicum instrumentum, vice nostra obedientiam reciperent manualem, facta renunciatione, quam in obedientia exhibenda nostrum adimplentes mandatum literas super hoc suis signatas sigillis apud nos dimittere procurarunt. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quod factum est, per nuntios ante dictos ratam habentes, de cætero hujusmodi pravam consuetudinem nullatenus observetis. Datum Lateran. V non. Maji Pontificatus nostri anno undecimo.

Hunc in modum cùm hoc anno Hartwicus Bremensis Archiepiscopus, vir præclarè de Ecclesia meritus, obijsset, Canonicorum electione postulatus est in ejus locum Woldemarus Sclefwicensis Episcopus. Verùm cùm is sine Pontificis auctoritate à sua Ecclesia transijsset ad Bremensem, Pontifex postea utroque Episcopatu exuit, provexitque ad Bremensem Ecclesiam Gerhardum Osnabrugensem Episcopum, Bernardi de Lippia fratrem, virum acri, ut Crantzius ait, ingenio. Atq; is licet cum Bernardo Episcopo nostro transierat ad partes Philippi Regis, post tamen non modò reconciliatus Pontifici, sed ob præclaras Episcopi dotes ac merita magno apud Pontificem ac Bremenses in honore fuit. Haud nescius sum Gerhardum hunc in Osnabrugensi chronico perstringi à suis, tanquam qui exigua cum laude Episcopatum administrârit; sed hæc Ministerialium ejus iniqua querela fuit, quibus cùm ille per constantiam, & defensionem juris Ecclesiastici multa negasset, quæ illi injustè petierant, odium malorum, ut fit, ex virtute contraxit, dataque sunt vitio, quæ laudis plena erat.

Histor. Brem. Archiep.

Annus Christi 1209.

Innocentij III Pont. 12.
Ottonis IV Reg. 12. Imper. 1.
Bernardi III Ep. Pad. 6.

Fine anni Otto Rex Francofurto Coloniam descendit ad amicam urbem, in eaque Christi Natalitia magna civium lætitia peregit. Mortuo per hæc, festo omnium SS. Brunone Archiepiscopo, magnoque omnium luctu in Basilica S. Petri sepulto, Regis consilio eligitur Theodoricus, Collegij SS. Apostolorum Præpositus, neglecto Adolpho, quem exauctoratum reliquêre in privata vita. Theodoricus mox ab Ultrajectensi Episcopo Sacerdos, nec multò post à Leodiensi Antistite, præsentibus provincialibus Episcopis, consecratur. Vir indolis bonæ; sed ita mutati cum honoribus mores, ut longè alius apparuerit, quàm sperabatur; quippe qui seposito sacro præsulis munere, totus fuit in colligendis pecunijs, in minuendis Clericorum, Monachorumque privilegijs, & in castris muniendis; inter quæ dum ædem

Godefrid. Otto à S. Blasio. Ursberg. Arnolaus Lub. lib. 7.

Brunoni Archiep. Colon. mortuo subrogatur Theodoricus.

sacram D. Michaëlis in monte Godesberga haud procul Bonna cultu & miraculis tum celebrem evertit, visus est primo die Archangelus Michaël expansis alis ex eo loco transvolare in vicinum & oppositum montem, quem Stromberg vocant, S. Petri Principis Apostolorum memoriæ sacrum, inque eo conquiescere. Per id tempus Legati Apostolici Hugo Ostiensis Episcopus, & Leo presbyter Cardinalis Saxoniam lustrârunt, peragrandoque civitates jus sacrum dixêre; quanquam id maximè ad disciplinam Ecclesiasticam inspiciendam formandamque à Pontifice Legatis imperatum sit. Tam sollicito animo Pontifex Saxoniam complexus est. Legati hi circa Pascha Coloniam venêre: à quibus pro Apostolica auctoritate connubium inter Ottonem & Philippi Regis filiam probatum, laxato vinculo, quod ex consanguinitate impediebat. Otto Rex interea Germaniæ provincias peragrando Norimbergæ, Hagenoæ, Herbipoli, Spiræ Principum conventus habuit; compositisq; ijs, quæ ad publicam pacem poscebantur, simul de profectione in Italiam cum Principibus pertractavit; celebratisque postremò Augustæ comitijs, cum instructo exercitu, & XIV præsulum, magnoque procerum comitatu iter est ingressus, transmissisque Alpibus ante Virginis in cœlum assumptæ ferias castra ad Lacum Benacum decima quarta Septembris posuit. Mediolani dein ferrea corona à Ruberto Archiepiscopo exornatus est; ac postquam magnis honoribus à ceteris Italiæ urbibus exceptus, Viterbij Innocentium Pontificem habuit obvium. Eo in congressu actum inter Pontificem & Regem de Augustali coronatione, quæ Romæ V Jdus Octobris in Basilica Principis Apostolorum magna celebritate est peracta. Uti id præter complures scriptores accuratè tradit auctor Chronici fossæ novæ. Otto urbe egressus, exercitum traduxit in Hetruriam & Marchiam, contraque juramenta nuncupata plurimas Pontificis civitates occupavit, & Friderico Siciliæ Regi bellum intulit.

Godefrid. *Sigonius.* Otto Rex in Italiam proficiscitur, ad Jmperij coronam accipiendam. *Godefrid. Arnold. Lub. Ursberg. Albert. Stad. Robert. de Monte Sigonius lib. 16. Richardus Odoricus in hist. Eccles.*

Summa interim quies in Germania & Saxonia: unaque Præsulum sacrorum cura fuit, post depulsas civilium bellorum turbas, collapsam Cleri & religiosorum disciplinam (uti id Apostolici Legati monuerant) restituere in integrum. Quos inter Gerhardus Osnabrugensis anteà Episcopus, traductam sororem Beatricem è Cœnobio Bersenbrugensi Abbatissam Hersenbrocensem constituit, ejusq; opera totum illud Cœnobium ad arctiorem D. Benedicti disciplinam primùm traduxit. Quo religionis etiam studio Bernardus Episcopus noster omnia suæ diœcesis Cœnobia diligenter inspexit. Et quia florentissimam apud Abdinghovianos sub Alberto Abbate disciplinam reperit, nobile prædium, quod ex feudo ad ipsum reciderat, Cœnobitis Abdinghovianis ultro ex consensu Canonicorum donavit. *Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCVIIII. Hujus rei Testes Lambertus major Præpositus, Thiodericus Decanus, Wolframus Cellerarius, Joannes*

Episcopi Westfaliæ Cleri Religiosorumq; disciplinam reformandam suscipiunt.

Joannes Scholasticus, et alij majoris Ecclesiæ Canonici. Laici Amelungus Comes, Henricus Dapifer, et alij Ministeriales.

At multò utiliori opere hoc anno Bernardus Episcopus Gerdense Monasterium Virginum liberavit ab infesto Advocato Henrico Comite de Swalenberg, à quo & multa damna illata, & multæ decimæ bonaque interversa erant; ut genus illud hominum loco patrocinij non nisi spolia Ecclesiarum & Cœnobiorum quærebat. Hanc igitur in rem Bernardus celebrem omnium ordinum cœtum convocavit, in eoque Swalenbergensem convictum injuriarum adegit, ut coram muneri renunciaret. *Acta autem hæc sunt anno ab Incarnatione Dominica MCCIX, Indictione X, et Pontificatus nostri anno VI, coram testibus annotatis, Ecberto Abbate S. Pauli, Lamberto majori Præposito, Thiederico Decano, Henrico Ecclesiæ B. Petri Præposito, Theodorico Scholastico, Conrado Custode, Wulframo Prioribus; item Hermanno de Menkenrike Præposito, Volcvvino, Crabone, Olivero Coloniensi Scholastico, Henrico de Hammel Præposito, Gerhardo, Conrado, Henrico, Hermanno, Friderico, Magistro, Joanne, aliisque majoris Ecclesiæ Canonicis. Item Henrico Decano, Henrico, Cesario, Rudolpho Prioribus Ludolpho, Thietmaro Scholastico, et aliis Canonicis Ecclesiæ B. Petri. Item Thietmaro de Buren, Florino de Sprenge, Amelungo Comite de Patherbrun, Theodorico Comite Horchusen, Hermanno de Wevere, aliisque quampluribus Ecclesiæ nostræ fidelibus et ministerialibus, quorum nomina minus utile, quam longum esset enumerare.* Inter hosce testes Oliverius Coloniensis Scholasticus, producitur, quem postea Bernardus in Episcopatu successorem habuit, virum ea tempestate egregium, quem exinde sæpius celebrabimus. Crantzius dum in hujusmodi nostris tabulis legit *Priores*, atque alibi etiam conventus nomina, suspicionem movet, tanquam Monachi non Clerici in Collegijs istis vixerint, nescius Priorum nomine, designari primores ac seniores in Collegijs Canonicorum, quæ subinde, cùm in eodem claustro communem adhuc vitam colerent, conventus haud secus, quàm Monasteria appellari constat.

Bernardus Ep. Monasterium Gerdense ab injurijs Advocati liberat.

Obijt hoc anno post triennij præfecturam sacram Henricus Mindensis Episcopus, quem Stadensis per errorem Thidmarum vocat. Subrogatus illi Conradus ex Comitum Diepholdiorum familia.

Chron. Mind.

Annus Christi 1210.

Innocentii III Pont. 13.
Ottonis IV Reg. 13. Imper. 2
Bernardi III Ep. Pad. 7.

Otto Jmperator interea, uti priori anno cœperat, non destitit Pontificis urbes, ac totam Thusciam, patrimoniumque Romanæ Ecclesiæ, quod à Mathilde donatum fuerat, occupare: adhæc Apuliam, quæ Friderici Siciliæ Regis erat, armis subigere. Quas injurias cùm post

Godefrid. Ursberg.

Otto Imp. Ecclesiæ Rom. bona infestat.

post iteratas monitiones aliter Pontifex impedire non posset, Imperatorem anathemate percutit. Ingratus homo, & labes Saxonici nominis! tot ille beneficijs ab Innocentio affectus erat, ut literis toties ad Pontificem scriptis ultro fateri necesse fuerit, se post Deum omne regnum fortunamque Romani Pontificis studio & gratiæ debere. Ac satis testantur ea, quæ Pontifex tot annis, bello civili in causa Ottonis contra Philippum Regem suscepto, tot Principum ac Regum odio, fecerat: ratus Ottonem aliquem M. aut Henricum aut Lotharium Saxonum Imperatorem, Apostolicæ Sedis patronum, post longas Suevorum Imperatorum injurias & vexationes obventurum. Quam spem laboremque turpissimè fefellit Otto. Id verò ut posteritati explicatius constet, juvabit hoc loco juramentum fidei, quod superiori anno Pontifici fecit, hic recitare.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Otto quartus divina favente clementia Romanorum Rex et semper Augustus. Recognoscentes ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse, à quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, ipsum ejusque Vicarium et sponsam ejus sanctam Ecclesiam disposuimus et decrevimus magnifice honorare, ut qui nobis in præsenti temporale contulit regnum, in futuro quoq; tribuat sempiternum. Proinde vobis Reverendissime Pater et Domine summe Pontifex Innocenti, quos pro multis beneficiis nobis impensis sincerissimo veneramur affectu, vestrisque Catholicis Successoribus, et Ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam et reverentiam semper humili corde ac devoto spiritu impendemus, quam Prædecessores nostri Reges et Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur, nihil ex iis volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra devotio clarius enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam Prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus et sancimus, ut electiones Prælatorum liberè ac canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major et sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstet de Canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis et causis Ecclesiasticis ad Apostolicam Sedem libere fiant, eorumque prosecutionem sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus et refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt Antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero spiritualia vobis et aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore auxilium dabimus et operam efficacem. Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperavit ab Antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas sibi dimittimus, et ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit ad recuperandum pro viribus erimus adjutores, et quæcunque ad manus nostras devenerint sine difficultate

cultate

cultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est à Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitissæ Mathildis, comitatus Britennorii, Exarchatus Ravennæ, Pentapolis cum aliis adjacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum, et Regum à tempore Ludovici, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum cum omni jurisdictione, districtu, et honore suo. Verum tamen cum ad recipiendam coronam Imperii vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato summi Pontificis recipiemus procurationes. Adjutores etiam erimus ad retinendum et defendendum Ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ ac cetera jura, quæ ad eam pertinere noscuntur; tanquam devotus filius et Catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato sanctissimo Patri nostro Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici ejusque Successoribus per nos et nostros Successores Romanos Imperatores et Reges observentur, firmaque et inconvulsa semper permaneant, præsens privilegium conscriptum Majestatis nostræ aurea bulla jussimus communiri.

Signum Domini Ottonis quarti Romanorum Regis invictissimi.



Hæc Otto. Sed quantum ille descivit à fide, tantum ex eo tempore Ottonis fortuna recidere in pejus visa est. Quippe missis in Germaniam literis mandavit Pontifex Sifrido Moguntino Archiepiscopo publicè Ottonem à Sede Apostolica diris devotum, Imperio exutum, omnesque illi subjectos Principes ac populos à fide exsolutos esse. Æmulum deinde illi objecit in regno Fridericum Siciliæ Regem, Henrici VI Imperatoris filium. Jam ex decimo septimo ætatis anno Regno maturum, quem pronunciavit Germaniæ Regem, cuique vivo patre Principes juramentum fidei dixerant. Inde nova civilium dissidiorum bellorumque flamma.

Ottoni excommunicato, regnoque exuto Pontifex subrogat Fridericum Siciliæ Regem.

Ac per id tempus, cùm Albigensium hæresis in Gallia Narbonensi & Tolosana provincia impunè proserperet, armisque etiam crudeliter sæviret, Innocentius Pontifex, multis antea frustra tentatis, ad sacram crucis militiam invitavit Christianos; confluxeruntque multi non modò ex Francia & Anglia, sed Germania & Rheni inferioris provincijs, postquam Joannes Sanctensis Scholasticus, & Oliverius Coloniensis Scholasticus ac Magister, viri ferventissimi, sese hujus militiæ præcones cohortatoresq; ultro ad Pontificis voluntatem obtulêre. Impia & scelerata hæresis, quæ Christum, ex Manichæorum hæresi, nec passum, nec mortuum, nec resurrexisse profitebatur: animas præterea ex prisca metempsychosi demigrare ex corpore in corpus, nec quicquam ex patratis flagitijs contrahere maculæ docebat. Ea

Ad hæresin Albigensium supprimendam plures conspirant, quos inter Oliverius postea Episc. Paderb. *Cæsarius lib. 7. c. 24.*

Ea hæresis, cùm nullis Theologorum disputationibus, nullisque argumentis se ab insania retrahi sineret, armis postremum suppressa est. Multum ex ea palæstra inclaruit D. Dominicus, ordinis sui fulgentissimus auctor, hæresisque hujus contusæ malleus. Multumque exinde celebrari cœpit Oliverius, Coloniensis Scholasticus, idemq; Canonicus Paderbornensis, quem postea Ecclesia nostra multò fulgentiorem sortita est Episcopum, eò etiam feliciorem, quòd cum D. Dominico familiaritatem inire licuerit.

Ex domesticis nostris hujus anni non aliud suppetit, quàm quòd Bernardus Episcopus noster cum nobilibus viris de Ninovere amicè in concordiam venerit, ob nemus Echwordanum, atq; agros à jure Episcopi interversos. Qua super re in tabulario nostro publicæ conversionis literæ extant tabulis consignatæ. Decimo deinde Calend. Septembris lis, quæ ob prædium ex Episcopi bonis abalienatum intervenerat inter Collegij Cathedralis Canonicos & Episcopum composita est; sancitumque pro veteri jure fas non esse Episcopo Paderbornensi sine Collegarum consensu bona Ecclesiæ abalienare, quæ res multorum testium approbatione, inter quos Oliverus Coloniensis Scholasticus sistitur, transacta.

Annus Christi 1211.

Innocentij III Pont. 14.
Ottonis IV Reg. 14. Imperat. 3.
Bernardi III Ep. Pad. 8.

Godefrid. Fragm. hist. Alberto Argent. præfix. Ursberg. Naucleru. Trithem. in Chron. Hirsau.

Extrahebat per hæc in alterum annum, sæculi hujus undecimum, Imperator in Italia felices bellorum successus, Apuliam subigendo. Invitatus etiam Otto à Saracenis ad occupandam Siciliam. Quæ vel eò acerbius accepit Pontifex, quòd jam Friderici Regis patrocinium suscepisset. Conati quidem multi religiosi, ac sapientes viri, Ottonem cum Pontifice reconciliare; hæc tamen frustra agebantur ob pertinaciam Jmperatoris. Interim Sifridus Moguntinus Archiepiscopus, à Pontifice Legatus Apostolicus per Germaniam nominatus, qui Jmperatorem anathemate percussum etiam imperio exutum denunciat. Ausi etiam plures agere de Friderico Siciliæ Rege Ottoni subrogando. Quam in rem Bambergæ conventu Principum indicto, accesſère ad Moguntinum Joannes Trevirensis Archiepiscopus, Ludovic⁹ Dux Bojariæ, Leopold⁹ Dux Austriæ, Hermannus Thuringiæ Landgravius, Ottocar⁹ Bohemiæ Rex, Otto Princeps Moraviæ, Conradus Spirensis Episcopus Jmperij Cancellarius, alijque complures, proni ex voluntate Pontificis suscipere Fridericum Siciliæ Regem Ottoni subrogandum; sed cùm ceterorum Principum assensus nondum accederet, nihil quoque eo conventu, nec alijs statutum est. Stabant etiam pro Ottone Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus,

Principes Imperij in diversas partes abeunt.

Henricus

Henricus Palatinus Rheni Ottonis frater, Dux Brabantiæ, ac tota ferè Lotharingiæ nobilitas cum inferiori Saxonia. Et Palatinus cùm absenti fratri Imperatori tantum dedecus & vulnus infligi cerneret, vindictam vertit in Moguntinum; contractisque copijs, Moguntinam diœcesin ingressus, fœda populatione agros, vicos & Oppida devastat, non Ecclesijs, non Cœnobijs, non sacris parcendo. Quibus Moguntinus adactus, conservatis arcibus aliquot & urbibus, ad Landgravium Thuringiæ profugere. Interim Fridericus Siciliæ Rex in Germaniam evocatus; Ecbertoq; Bambergensi Episcopo, quem Otto cædis Philippi incusatum proscripserat, facta libertas redeundi ab exilio ad sedem suam.

Nihil adhuc in Saxonia inferiori turbatum, quæ, præter Ottonem Monasteriensem Episcopum, in fide Ottonis manebat; multumque ad id valuit Wilhelmi Ducis Lunenburgensis auctoritas, quem Otto Jmperator alterum habebat fratrem inter Saxones adhuc superstitem, & viribus armorum prævalidum. Advenêre per id tempus Jnnocentij Pontificis literæ Roma, quibus Gerhardum Bremensem Archiepiscopum, quem Osnabrugo translatum diximus, in sede illa confirmat: acciditque Gerhardo opportuna mors Bernardi Saxoniæ Ducis, à quo hactenus Waldemarus æmulus ejus defensus fuerat. Cessit Alberto juniori filio ducatus; Henrico, qui major natu erat, comitatus paternus & Principatus Anholtinus; ab altero Duces Lawenburgenses; ab altero Anhaltini Principes, veteri claraque ad hunc diem stirpe, propagati.

Albert. Stad. Crantz. lib. 7. Sax. c. 33. Saxonia inferior pacata manet.

Bernardo Episcopo nostro, qui extra factionem se continebat, non aliud negotium fuit, quàm sacrorum curæ, & religiosorum beneficijs se impendere; cujus rei argumentum inter cetera sunt tabulæ, quibus agros bonaque, quæ ex feudo nobilis viri ad se reciderant, Gerdensi Virginum Cœnobio donat; id enim Cœnobium ob florentem disciplinam, ac pietatem singulari liberalitate complexus est. *Præsentes autem testes*, ut literæ habent, *fuere Lambertus major Præpositus, Tiodericus Decanus, Tiodericus Scholasticus, Conradus Custos, Joannes Cellerarius, Henricus Præpositus ad Orientem, Præpositus Hermannus novæ Ecclesiæ, Wolframus, Volcvvinus, Gerhardus Canonici majoris Ecclesiæ. Laici etiam Comes Hermannus de Schovvenburg, Henricus Dapifer, Conradus Camerarius, Hermannus de Osdagen, Hermannus Mareschalkus, Hermannus Comes, aliique nobiles viri. Acta sunt hæc in cœnaculo nostro Wartberge, anno Dominicæ Incarnationis MCCXI, Indictione XIIII, præsidente Ottone imperii ejus secundo, Episcopatus nostri anno septimo*, qui tamen ab inchoato Episcopatu in octavum annum se porrigit; idque in alijs etiam literis observandum est; eò quòd in his literis à mense inchoati Episcopatus ad sequentis anni mensem primus Episcopatûs annus capiatur.

Bernardus Ep. benefacit Gerdensibus.

Controversia inter Aquenses & Corbeienses nostros ratione decimarum exorta componitur.

Hoc præterea anno controversia inter Aquensem Ecclesiam & Corbeienses, quæ ex decimis Liciati prædij diu agitata erat, per arbitros, Gerhardum majoris Ecclesiæ Coloniensis Decanum & Archidiaconum, Hermannum Decanum Collegij ad S. Cunibertum, & Oliverium majoris Ecclesiæ Coloniensis Scholasticum, eundemque Paderbornensis Ecclesiæ Canonicum composita est; quanquam jam ante eadem res transigenda à Pontifice commissa erat Præposito, Scholastico, & Magistro Joanni Paderbornensis Ecclesiæ. Confectis hac super re tabulis, testes fuêre Bertholdus Decanus, idemque Canonicus majoris Ecclesiæ Paderbornensis, Magister Wilhelmus Canonicus ad S. Andream Coloniæ, Elias Canonicus Aquensis, alijque ex clero viri; quos inter Oliverius se denuo offert Paderbornensium postea Episcopus & Germaniæ decus.

Annus Christi 1212.

Innocentii III Pont. 15.
Ottonis IV Reg. 15. Imper. 4.
Bernardi III Ep. Pad. 9.

Godefrid. Ursberg. Histor. Bavar. lib. 23. Brovver. in Hist. Trevir. Trithem.

Postquam verò Otto Imperator crebris nuntijs factus certior, quæ Imperij Principes adversus se machinarentur, exspectarique ex Sicilia Fridericum Regem; festinatis ex Italia itineribus sub verni jejunij tempus in Germaniam advolavit, convocatoque Norimbergæ Principum conventu per sacras Pentecostes ferias causas dissidij sui cum Pontifice composuit: nec aliud à se quæsitum obtendit, quam ut Jmperij bono & auctoritati consuleret; tanquam Jmperij Principes probare possent, patrimonium Petri ab Jmperatore spoliari, quod tot pij sanctique Jmperatores tot tabulis & donationibus post Constantinum & Carolum M. auxerant: aut tam egenum haberent Jmperatorem, qui spolijs bonorum sacrorum indigeret, quorum ipse, pro juramento Pontifici facto, defensor vindexque adversus raptores esse deberet. Nec tamen defuêre assentatores, qui justa eum obtendere probarent. Mox vindicta armisque versis in Odoacrum Bohemiæ Regem, à regno illum removit, subrogato in ejus locum filio. Inde Hermannum Comitem Palatinum ulturus in Thuringiam movet. At dum Northusij prius nuptias celebrat cum Beatrice Philippi Regis filia (quæ quarto post die morte erepta est) intelligit Fridericum Siciliæ Regem ex Jtalia evocatum intrasse Sueviam, multorumque Principum studijs benignè exceptum. Hinc omissa Thuringia, cum exercitu in superiorem Germaniam festinat. At postquam eò perventum est, reperit omnia in Fridericum prona, urbesque & Principes in se armatos; ac dum frustra copias suas ad Uberlingam opponit, nec ullibi se ad Rhenum tuto consistere vidit, trepidus despectusque refugit in Saxoniam.

Otto Imp. Fridericum Siciliæ Regem fugit.

Tum

Tum verò liberè certatimque superioris Germaniæ Principes confluxere ad Fridericum; quem Moguntiam deductum in celebri conventu Sifridus Moguntinus, Joannes Trevirensis, Herbipolensis, Argentinensis, Constantiensis, Basileensis Episcopi: Rex Bohemiæ, Thuringiæ Comes Provincialis, aliiq; proceres pridie Calend. Decembris salutavêre Regem suum. Perstitit in fide Ottonis Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, tametsi à Pontifice anathemate percussus, & à Sifrido Moguntino Archiepiscopo è sede sua ejectus esset. Fida etiam inferior Saxonia manebat Ottoni; è qua tamen, magna Jmperatoris jacturâ, hoc anno mors sustulit Wilhelmum fratrem ejus, Ducem Luneburgensem, relicto Ottone filio, quem ex conjuge Regis Danorum filia susceperat heredem. Ab hoc deinde antiquissima inter Saxones Lunenburgensium & Brunswicensium Ducum familia propagata; quando nec ab Ottone Jmperatore, nec ab Henrico Palatino ulla proles relicta. Tam illustris hæc Ducum familia inter posteros, quàm clara ab Henrico Leone inter majores; nec facilè in Germania Principum familia superstes, quæ antiquitate, & perpetua ad hunc diem propagatione certet.

Qui Fridericus à pluribus Imperij Principibus Rex Germaniæ salutatur.

Chron. Mogunt: apud Serrar. Albert. Stad. Crantz. lib. 7. Sax. Arnold. Lubec.

Ceterum hoc anno, ut Godefridus narrat, *ingens populi rursum multitudo ex omni Saxonia, Westfalia, et Frisia aliisq; provinciis* confluxit ad signum crucis; quorum alij ab Adolpho Montensi Comite, alij à Wilhelmo Juliacensi Comite, alij à Leopoldo Austriæ Duce traducti adversus Albigenses hæreticos in Gallias. Ad quorum adventum consternati hæretici, pars se in fugam dedit, pars ad saniorem mentem est reducta, & per Cardinalem Româ missum reconciliata Ecclesiæ. Eoque bello confecto, multi cum Leopoldo Austriæ Duce transgressi in Hispaniam, Saracenos juncti Hispaniæ Regis armis profligârunt. In tam remotis regnis tùm bella sacra ultro adversus Saracenos & hæreses suscepta, quas ævo nostro infelicior Saxonia in visceribus aluit. Sed & alia expeditione hic annus memorabilis. Quippe ingens puerorum & imbellium adolescentum multitudo è Germania & Francia, præstigijs duorum Clericorum, fictisque eorum miraculis contracta, ad militare crucis signum convolavit, frustra parentibus, consanguineis, & viris religiosis obnitentibus; quod his persuasum esset Hierosolymam ac Palæstinam non nisi ab imbelli & insonte ætate barbaris eripiendam, reddendamque Christianis. Qua specie religionis objecta, multi expeditionem hanc probârunt, obtulereque proficiscentibus annonam & pecuniam. Visæ etiam puellæ & fœminæ sublato pudore sese comites conjungere. Agmen hoc cum cantu & tripudio eductum è finibus Germaniæ; parsq; in Gallias Marsiliam versus, pars Genuam in Ligurum provinciam contendit, pars maxima, quæ ex Germania coaluerat, Brundusium pervenit. At Brundusinus Episcopus cùm didicisset, pueros hosce dolo præstigiato-

Albigenses & Saraceni, ope Saxonum, supprimuntur.

Godefrid. S. Antoninus 3. p. tit. 19. c. 3. Fragm hist. incerti auctoris ad Albert. Argent. Albert. Stadens. in Chron. Brovver. lib. 15. Annal. Trev. Cantipr. lib. 2. c. 3.

Expeditio puerorum in Palæstinam irrito conatu suscepta.

ſtigiatorum eductos, ut Saracenis venderentur, mare ingredi prohibuit. Ac licet multos servârit; magna tamen pars excepta navibus, aut Saracenis vendita fuit, aut in mare abjecta miſere perijt: ceteri laceri, diſperſique domum rediêre. Browerus doli hujus auctorem ſeductoremq; Nicolaum quendam Coloniæ Agrippinæ natum nominat. Ex his impoſtoribus alius poſt Coloniæ in furcam actus. Adeo nihil tam ſanctum geritur, quod non dæmonum fraudibus obnoxium ſit. Fabulam hanc dicerem, niſi à S. Antonino, Cantiprano, Godefrido, Alberto Stadenſi, aliiſque auctoribus tradi viderem.

Annus Christi 1213.

Innocentij III Pont. 16.
Ottonis IV Reg. 16. Imperat. 5.
Friderici II Reg. 1.
Bernardi III Ep. Pad. 10.

Godefrid. Vrsberg. Chron. Mont. Ser. Innocent. Epist. 13.

Acceſſerat inter fluctuantis Germaniæ tumultus annus Chriſti decimus tertius ſupra milleſimum, ducenteſimum, quo Otto Imperator Alberto Magdenburgenſi Archiepiſcopo bellum intulit, haud aliam ob cauſam, quàm quòd Pontifici in omnibus obſequens, Friderici Regis partes tueretur. Hildeſimenſi contra & Halberſtadienſi, ceteriſque ferè Saxoniæ Epiſcopis Ottoni Imperatori adhærentibus; adeo ex regni ſchiſmate ortum eſt ſchiſma ſacerdotij, ut quo ſe verterent Epiſcopi, pleriq; incerti fluctuarent. Hinc enim Pontificis proſcriptione, illinc ſtringebantur armis. Et quia Magdenburgenſem Archiepiſcopum opprimere Ottonis intererat, diœceſin ejus armatus ingreditur, cæſiſq; Archiepiſcopi copijs, longius ab urbe per inſidias protractis, totum Archiepiſcopatum ſpolijs, ferro, flammaq; evaſtat. Qua ſuorū calamitate conſpecta, ingemuit Archiepiſcopus, palamq; cum probro Imperatoris dicere audit⁹ eſt: *Archiepiſcopatum Magdenburgenſem ab Ottone I. Imperatore et Alberto primo Archiepiſcopo conditum, nunc ab Ottone IV Imperatore ſub Alberto Archiepiſcopo peſſundari.* Otto interim hoc anno non aliud impenſi⁹ egit, quàm ut acciſas vires in Saxonia repararet, Epiſcoporumq; ac Principū animos ſibi adjungeret, inſectando ceteros quotquot Friderico ſtudere cœperant. Quare cùm per ſolemnes Paſchatis dies Otto Monaſterienſis Epiſcopus Coloniam intraſſet, ab his, qui in factione Imperatoris erant, per vim abreptus, injectiſq; vinculis captivus Werdenam ad Cæſaris Inſulam deportatur, & quo ſecuriori cuſtodia teneretur, in caſtrum traducitur. Tantus partium furor erat, nullo religionis & ſacrorum metu à ſacrilegio retentus. Nec aliud optimi Epiſcopi delictum erat, quàm quòd ex Pontificis voluntate in Sifridi Moguntini & Friderici Regis partes tranſijſſe haberetur. At mox Sifridus Moguntinus Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus tam indignum facinus Eccleſiaſtica pœna ultus, urbem interdicto ſubjecit, ceſſavitque ſupra annum publicus ſacrorum uſus.

Otto Imp. Archiep. Magdenburg. devaſtat.

Otto Ep. Monaſt. captivus Coloniâ Werdinam abripitur.

Verſa.

Versabatur per id tempus Coloniæ Theodoricus, primùm montis S. Nicolai Abbas, post Estiensis in Livonia Episcopus, sollicitando ad Rhenum & per Westfaliam non modò subsidia adversùs barbaros; sed & Sacerdotes & Apostolicos viros conquirendo, qui rudem Livoniæ populum docerent. Nam ad Rhenum fuisse docet hæc vetus inscriptio. *Anno MCCXIII 8 Calend. Septembris consecratum est altare novi Chori Sanctensis ab Episcopo Estiensi in honorem B. M. Virginis;* apparetque tum Pontificalia munera explesse per Coloniensem diœcesin loco Theodorici Archiepiscopi, quod is à Pontifice anathemate percussus, Romam pro reconciliatione provectus esset. Atque hic Livoniæ præsul, & gentium doctor, cùm in Saxoniam veniret, contulit se primùm ad Paderbornensem & Verdensem, ceterosque Episcopos, quorum consilio & commendatione apud Pontificem facta hoc ipso anno prius Episcopus consecratus est, quod hæ Pontificis literæ commonstrant.

Theodoricus Estiensis in Livonia Antistes nova pro gentis conversione subsidia flagitat.

Commissi nobis officii sollicitudo deposcit, ut ijs, quæ ad divini cultus ampliationem pertinere noscuntur, favorem studeamus benevolum impartiri. Cum ergo venerabiles fratres nostri Paderburnen. Verden. **Ralkeburgen. et Rigen. Episcopi te in Episcopum Estien. provinciæ duxerint ordinandum, sicut ex litteris accepimus eorundem; nos quod super hoc ab ipsis providè, atq; canonicè factum est, ratum habentes et gratum, præsentium tibi auctoritate concessimus, ut in ea libere officium exerceas pastorale. Datum Lateran. II Calend. Novembris. Pont. nostri Anno XVI.*

Idem consecratur Episcopus.

*al. Raceburgen.

Sed longè illustrius fuit opus trium Saxonicorum Episcoporum, Ottonis Monasteriensis, Bernardi Paderbornensis & Isonis Verdensis, qui non modò ad commendatitias Innocentij Pontificis literas Estiensem Episcopum omni caritatis ope & subsidijs exceperunt, sed & se ipsos ad profectionem in Livoniam & Apostolicos labores obtulerunt, parati Evangelium & Christi legem docere incultum Livoniæ populum; quod sanè quàm gratum fuerit Innocentio Pontifici, docebunt hæ Pontificis literæ ad Bernardum Episcopum nostrum.

Innocentii epist. 124. Odoricus in hist. Eccles.

Bernardus Ep. Paderb. cum alijs Pontifici se offert ad Christi legem in Livonia docendum.

Ab eo qui neminem vult perire, sed ut omnes ad agnitionem perveniant veritatis, tibi audivimus et credimus esse inspiratum, ut venerabili fratri nostro Estien. Episcopo, qui sicut servus fidelis et prudens in Domini vinea fideliter operatur, cooperator accedens cum eo portare proposueris coram gentibus et Regibus nomen Dei, et dare salutis scientiam plebi suæ. Nos igitur tuum pium propositum dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur, quatenus accensus zelo fidei christianæ, ac sperans, quod, qui affectum tibi dedit, adjiciet et effectum, Evangelistæ aggrediaris opus et officium confidenter, ut cum illis, qui euntes ibant et flebant mittentes semina sua, exultationis manipulos valeas reportare. Ut autem prædicationis officium valeas liberius exercere, statuimus, ut te hujusmodi pietatis operi mancipato, Ecclesia et persona tua cum omnibus bonis suis sub Apostolicæ

stolicæ Sedis protectione consistant. Tu deniq; frater Episcope super te ipso etc. Datum Laterani III Calend. Novemb. Pontificatus nostri Anno XVI.

Odoricus in hist. Eccles. Innocent. lib. 16. epist. 124.

Quem in modum Pontifex scripsit ad Monasteriensem & Verdensem Episcopum, eorumq; similiter dilaudat fervorem religionis, cohortaturq; ad Apostolicum munus suscipiendum; ut nomen Dei coram Regibus & gentibus inter barbaras nationes circumferant. Quo nihil in Episcopi munere gloriosius esse possit; uti hæ literæ extant inter monumenta Innocentij Pontificis. Satisq; ex his constat tres illos Episcopos inter doctissimos ac ferventissimos Saxoniæ antistites claruisse, ac per id tempus munus publice docendi populum pro concione explesse (secus quam heterodoxi obtrectare solent) qui explicato religionis suæ fervore ad munus illud docendi Evangelij Apostolico sese ritu & Spiritu obtulere. Atque istic etiam inter barbaras gentes operam suam impendere maluerunt, quàm civilibus hisce bellis inter Ottonem & Fridericum collidi, jactarique cum alijs Episcopis inter turbulenta factionum studia.

At quo minus Otto Monasteriensis Episcopus in Livoniam transierit, fecit captivitas, & hic ipse quem subterfugere voluit scopulus. Quid verò Bernardum nostrum impedierit, sive cleri populique sui preces, ne se hac tempestate desereret; sive quæ alia illa remora fuerit, in annalium nostrorum memoria non reperio; certò in Livoniam abijsse, etsi id flagranter desiderarit, & Pontificis etiam voluntatem impetrarit, verisimile non habeo; quando hoc anno binas adhuc literas in diœcesi datas invenio, quarum alteris largam prædiorum donationem ab Anselmo Paderbornensi milite Cœnobio Virginum Wilbacensium factam, alteris verò decimas Brakelensi Ecclesiæ donatas, consignari jussit.

Lib. 4. Reges l. Innocent.

Pontifex præsules Saxoniæ, & milites Teutonicos hortatur, ut Estiensi Episc. in conversione Livonum adsistant.

Pontifex præterea, ut hoc salutare opus promoveret, alijs hoc anno literis ad Præsules, & Abbates Saxoniæ datis, impense hortatur, ut omni ope & consilio, submissisque auxiliaribus copijs, Episcopo Estiensi adsistant: alijs verò literis ad milites Teutonicos in Livonia II Calend. Novembris Laterani scriptis multò sollicitius Theodoricum Estiensem Episcopum ad ipsos in Livonia remissum commendat; quippe qui ob plurimas gentes ab ipso ad Christi religionem perductas, Paderbornensis, Verdensis & Raceburgensis Episcopi testimonio ac judicio dignus sit habitus, qui Episcopus consecraretur. Iisdem simul literis haud leviter Teutonicorum militum avaritiam perstringit, quòd Episcopo huic auxilia negarent, & certam sibi prius in ea provincia terræ partem possessionemque agrorum dari peterent; tanquam ex lucro animarum Christi militibus lucrum pecuniarum primò quærendum sit.

Utrumnè verò Bernardus Episcopus anno proximo, ex quo nullam ejus in diœcesi præsentis memoriam reperio, in Livoniam transierit,

fierit, affirmare non habeo; certè auctor est Crantzius, per id tempus singulis annis institutas profectiones in Livoniam, & continuata per triginta annos navigatione importatos duces, Comites, Episcopos, Sacerdotes, milites, cives, mercatores, qui zelo pietatis accensi non prius fatigati, quàm tota Livonia Christi legibus subjiceretur; faceturque Pontifex in his ad Teutonicos milites literis, jam maximam ejus partem ad Christi religionem esse traductam. Nam ut superiores Germani Borussiam ab Alberto primo Pragensium Archiepiscopo; ita Saxones & Westfali Livoniam sibi à D. Meinardo, Bertholdo, & Alberto primis ejus gentis Episcopis excolendam subigendamque sumpsêre; & quia Saxonum Sclavorumque instar gens dura, & quotannis rebellis erat, arma sacræ militiæ ad tutelam conjungenda fuêre Episcoporum & Sacerdotum laboribus; habuitq; Livonia e Saxonibus haud secus, quàm Borussia ex Alemannis supremum suæ militiæ præfectum, quem Magistrum ordinis dixere. *Crantz. lib 7. Sax. c. 37.*

Annus Christi 1214.

Innocentij III Pont. 17.
Ottonis IV Reg. 17. Imper. 6.
Friderici II Regis 2.
Bernardi III Ep. Pad. 11.

Agebantur hæc pro Livonia, cùm Germania adhuc inter Ottonem & Fridericum civilium bellorum dissidio turbaretur. Et proximo ab his anno Otto Imperator ab omnibus prope Germaniæ Principibus desertus, Belgij sibi proceres demereri laborabat. Quam in rem Mariam Henrici Brabantiæ Ducis filiam mense Majo sibi matrimonio jungit. Nixus deinde avunculi sui Joannis Angliæ Regis ope bellum Philippo Franciæ Regi intulit. Attractus in belli societatem Ferdinandus Flandriæ Comes, quem Rex Franciæ premebat armis. Igitur omisso æmulo, alienam causam ingressus novum sibi conscivit hostem, qui nec uni quidem Friderico par erat; & causa belli quæsita magis ex veteri in Regem Franciæ odio, quàm justa probatave à scriptoribus causa. Sed mirum quam ingentem exercitum contraxerit Otto Imperator ex Saxonibus & Westfalis, quem Francici annales quinquaginta millia selectorum militum fuisse perhibent, postquam sociorum copiæ accesserant; junxêre enim se Imperatori Henricus Brabantiæ Dux Ottonis socer, Henricus Limburgi Dux, Ferdinandus Flandriæ, Henricus Lovaniensis, Wilhelmus Hollandiæ, Philippus Namurci Comites, multique Juliæ proceres cum Gerhardo de Randerode. Ex Westfalis accessêre Conradus Tremoniæ, & Otto Teclenburgi Comites, interque hos Bernardus de Horstmaria Dynasta, celebris ea tempestate miles; quemadmodum à Guillermo Britone ante ceteros ejus belli scriptores celebratur fulmen armorum,

Godefrid. Matth. Parif. Histo. Angl. Gvvillerm. Armor. l. 11. Anton. 3. p. Chron. Vrsberg. Chron. mont. Seren. Alb. Stad.

Otto Imp. bellum Regi Galliæ infert, Saxonum Westfalorumque armis adjutus.

Et

stolicæ Sedis protectione consistant. Tu deniq; frater Episcope super te ipso etc. Datum Laterani III Calend. Novemb. Pontificatus nostri Anno XVI.

Odoricus in hist. Eccles. Innocent. lib. 16. epist. 124.

Quem in modum Pontifex scripsit ad Monasteriensem & Verdensem Episcopum, eorumq; similiter dilaudat fervorem religionis, cohortaturq; ad Apostolicum munus suscipiendum; ut nomen Dei coram Regibus & gentibus inter barbaras nationes circumferant. Quo nihil in Episcopi munere gloriosius esse possit; uti hæ literæ extant inter monumenta Innocentij Pontificis. Satisq; ex his constat tres illos Episcopos inter doctissimos ac ferventissimos Saxoniæ antistites claruisse, ac per id tempus munus publicè docendi populum pro concione explesse (secus quàm heterodoxi obtrectare solent) qui explicato religionis suæ fervore ad munus illud docendi Evangelij Apostolico sese ritu & Spiritu obtulere. Atque istic etiam inter barbaras gentes operam suam impendere maluerunt, quàm civilibus hisce bellis inter Ottonem & Fridericum collidi, jactarique cum alijs Episcopis inter turbulenta factionum studia.

At quo minus Otto Monasteriensis Episcopus in Livoniam transierit, fecit captivitas, & hic ipse quem subterfugere voluit scopulus. Quid verò Bernardum nostrum impedierit, sive cleri populique sui preces, ne se hac tempestate desereret; sive quæ alia illa remora fuerit, in annalium nostrorum memoria non reperio; certò in Livoniam abijsse, etsi id flagranter desiderarit, & Pontificis etiam voluntatem impetrarit, verisimile non habeo; quando hoc anno binas adhuc literas in diœcesi datas invenio, quarum alteris largam prædiorum donationem ab Anselmo Paderbornensi milite Cœnobio Virginum Wilbacensium factam, alteris verò decimas Brakelensi Ecclesiæ donatas, consignari jussit.

Lib. 4. Reges l. Innocent.

Pontifex præsules Saxoniæ, & milites Teutonicos hortatur, ut Estiensi Episc. in conversione Livonum adsistant.

Pontifex præterea, ut hoc salutare opus promoveret, alijs hoc anno literis ad Præsules, & Abbates Saxoniæ datis, impensè hortatur, ut omni ope & consilio, submissisque auxiliaribus copijs, Episcopo Estiensi adsistant: alijs verò literis ad milites Teutonicos in Livonia II Calend. Novembris Laterani scriptis multò sollicitius Theodoricum Estiensem Episcopum ad ipsos in Livonia remissum commendat; quippe qui ob plurimas gentes ab ipso ad Christi religionem perductas, Paderbornensis, Verdensis & Raceburgensis Episcopi testimonio ac judicio dignus sit habitus, qui Episcopus consecraretur. Isdem simul literis haud leviter Teutonicorum militum avaritiam perstringit, quòd Episcopo huic auxilia negarent, & certam sibi prius in ea provincia terræ partem possessionemque agrorum dari peterent; tanquam ex lucro animarum Christi militibus lucrum pecuniarum primò quærendum sit.

Utrumnè verò Bernardus Episcopus anno proximo, ex quo nullam ejus in diœcesi præsentis memoriam reperio, in Livoniam transierit,

fierit, affirmare non habeo; certè auctor est Crantzius, per id tempus singulis annis institutas profectiones in Livoniam, & continuata per triginta annos navigatione importatos duces, Comites, Episcopos, Sacerdotes, milites, cives, mercatores, qui zelo pietatis accensi non prius fatigati, quàm tota Livonia Christi legibus subjiceretur; fateturque Pontifex in his ad Teutonicos milites literis, jam maximam ejus partem ad Christi religionem esse traductam. Nam ut superiores Germani Borussiam ab Alberto primo Pragensium Archiepiscopo; ita Saxones & Westfali Livoniam sibi à D. Meinardo, Bertholdo, & Alberto primis ejus gentis Episcopis excolendam subigendamque sumpsêre; & quia Saxonum Sclavorumque instar gens dura, & quotannis rebellis erat, arma sacræ militiæ ad tutelam conjungenda fuêre Episcoporum & Sacerdotum laboribus; habuitq; Livonia è Saxonibus haud secus, quàm Borussia ex Alemannis supremum suæ militiæ præfectum, quem Magistrum ordinis dixere. *Crantz. lib. 7. Sax. c. 37.*

Annus Christi 1214.

Innocentij III Pont. 17.
Ottonis IV Reg. 17. Imper. 6.
Friderici II Regis 2.
Bernardi III Ep. Pad. 11.

Agebantur hæc pro Livonia, cùm Germania adhuc inter Ottonem & Fridericum civilium bellorum dissidio turbaretur. Et proximo ab his anno Otto Imperator ab omnibus prope Germaniæ Principibus desertus, Belgij sibi proceres demereri laborabat. Quam in rem Mariam Henrici Brabantiæ Ducis filiam mense Majo sibi matrimonio jungit. Nixus deinde avunculi sui Joannis Angliæ Regis ope bellum Philippo Franciæ Regi intulit. Attractus in belli societatem Ferdinandus Flandriæ Comes, quem Rex Franciæ premebat armis. Igitur omisso æmulo, alienam causam ingressus novum sibi conscivit hostem, qui nec uni quidem Friderico par erat; & causa belli quæsita magis ex veteri in Regem Franciæ odio, quàm justa probatave à scriptoribus causa. Sed mirum quam ingentem exercitum contraxerit Otto Imperator ex Saxonibus & Westfalis, quem Francici annales quinquaginta millia selectorum militum fuisse perhibent, postquam sociorum copiæ accesserant; junxêre enim se Imperatori Henricus Brabantiæ Dux Ottonis socer, Henricus Limburgi Dux, Ferdinandus Flandriæ, Henricus Lovaniensis, Wilhelmus Hollandiæ, Philippus Namurci Comites, multique Juliæ proceres cum Gerhardo de Randerode. Ex Westfalis accessêre Conradus Tremoniæ, & Otto Teclenburgi Comites, interque hos Bernardus de Horstmaria Dynasta, celebris ea tempestate miles; quemadmodum à Guillermo Britone ante ceteros ejus belli scriptores celebratur fulmen armorum,

Godefrid. Matth. Paris. Histo. Angl. Gvvillerm. Armor. l. 11. Anton. 3. p. Chron. Ursberg. Chron. mont. Seren. Alb. Stad.

Otto Imp. bellum Regi Galliæ infert, Saxonum Westfalorumque armis adjutus.

Et

Et quo Teutonicos inter præstantior alter
Non fuit, aut major membris, aut corde Gerardus,
Hostimalis contra Francos emissus ab oris,
Qui tantæ famæ, qui tanti nominis heros,
Ut vix Ottonem Saxonia præferat illi.

Quem Gallus hic Poëta Gerardum scripsit, Bernardum dicere debebat; haud secus quàm Tinqueburnitem, & Ottonem de Tinquenaburg corrupta voce appellat, cùm is Tecklenburgensis sit Comes.

Otto Imp. cum Rege Galliæ confligit, & prælio vincitur.

Ad famam adventumq; potentis hostis evocavit Philippus Rex Franciæ florem juventutis bellicæ, virosq; quàm maximè bellicosos; delectuq; habito processit obviam, haud parum fluctuans animo ob ingentem hostium multitudinem, pugnandum, an cedendum esset, ne summam rei in discrimen daret. Consilio proinde Ducum advocato cùm deliberaret, nunciatur Ottonem in propinquo stare accinctum; & jam misceri certamina, quæ revelli non possint: nec alia hic consilia esse, quam quæ necessitas imperaret. Illico igitur galeam & thoracem poscens vicinam D. Petri ædem supplex intrat, atque ibi Dei & Virginis Matris ope implorata, acies producit in hostem, tanto etiam confidentius, quòd adversus Imperatorem diris à Pontifice devotum sibi pugnandum. Inde canentibus utrimque signis 7. Calend. Augusti concursum ad Bovinas (pagus est inter Tornacum & Insulas.) Atrox prælium, quo vix aliàs majoribus odijs, & truculenta magis strage decertatum. Diu anceps pugna, in qua Francorum Rex suffosso equo prostratus, ac propè obtritus jacuit. Imperator verò diu inter hostilia signa jactatus demum pectore graviter saucius prælio excessit, ac desperata victoria suos secum in fugam traxit. Memorabile ex clade Imperatoris prælium, quo cæsis Germanis, xxx majorum ordinum ductores capti; quos inter Henricus Palatinus Rheni, Ferdinandus Flandriæ, Reginaldus Boloniæ, Conradus Tremoniensis, Otto Teclenburgicus Comites, Bernardus Horstmariensis, & Gerardus Roderodinus Dynastæ fortissimique militum. Ea clade res Ottonis vehementer fuerunt attritæ, multumque Germanorum nomen apud Francos cœpit in contemptum venire; quanquam victoria non tam humana, quàm cœlesti ope sit parta Francorum Regi. Otto Imperator primum ad socerum in Brabantia confugit, inde Coloniam se recepit, fidam sibi hactenus urbem.

Godefrid. Ægidius Reinerus Monach. Leod. apud Chap. t. 2. p. 238. Brovver. lib. 15. ann.

Fracto Ottoni incubuit Fridericus; traductoque Trajecti per Mosam exercitu, Brabantiæ fines ingreditur. Quo tam inopinato adventu perculsus Henricus Dux Brabantiæ, Friderico se supplicem sistit, & veniam impetrat, ea lege, ut filium obsidem relinquat, & fidem inposterum sanctius colat; qua etiam conditione Limburgicus in gratiam receptus. Inde reflexo ad Trajectum exercitu, Hugonis Leodiensis Episcopi copias sibi jungit, expugnatoque Falkenburgo,

go, Juliacum VIII Septembris obsidione cingit & latè circum provinciam vastat. Quibus malis adactus Wilhelmus Juliæ Comes, ejurato Ottone, Friderico se submittit. Supererat Colonia Ottonis præsidium & ad Rheni inferioris limites obstaculum, ne in Westfaliam irrumperet. Perstabat enim urbs in fide Ottonis constans, nihil mota Ottonis clade, & Friderici circum insultantis potentia. Sed & Cæsaris insula, quæ Ottoniano præsidio tenebatur, retardabat Fridericum. Ea munitissima loca cùm arduum esset expugnare, vastato circum agro Coloniensi exercitum ad hiberna deduxit. Imperator interim sese cum conjuge intra Coloniam per hyemem continebat, cui ceteris amissis una spes erat in Westfalorum & Saxonum fide.

Annus Christi 1215.

Innocentij III Pont. 18.
Ottonis IV Reg. 18. Imperat. 7.
Friderici II Reg. 3.
Bernardi III Ep. Pad. 12.

Exacta hyeme, Fridericus Rex Andernaci ad Rhenum Calendis Maji Conventum Principum indicit; ad quem cùm magna procerum è superiori Germania & Belgio multitudo confluxisset, actum de subigenda urbe Coloniensi, & Friderico Rege coronando. Colonienses ubi omnia Principum consilia, omnemque belli molem in se converti didicêre, haberentq; Archiepiscopum Theodoricum à Pontifice proscriptum, quòd Ottonianarum partium esset, sibi verò omnem sacrorum usum jam in alterum annum interdictum; quorum malorum causa cùm ab Ottone esset, Pontifici & Principibus inviso, rogavere Ottonem ut urbe excederet, nec se impendentibus calamitatibus involveret; id si faceret soluturos se omnia debita in urbe contracta, & 600. marcas in subsidium collaturos. Otto cùm nec è re sua futurum conspexit nutantibus civibus in urbe remanere, in Saxoniam post festa Paschalia discessit; quem haud multò post conjux sumpto viri habitu consecuta est. Tum verò libere cœptum tractari de reconciliatione & pace cum Friderico Rege. Et ille jam urbis securus cum Episcopis & splendido procerum nobilitatisque Belgicæ comitatu Aquisgranum ingressus, festo D. Jacobi à Sifrido Moguntino Archiepiscopo solemni ritu Rex inungitur. Quod etsi nonnulli anno priori, aut ante biennium factum velint, certior tamen est fides Godefridi, qui id cum auctore Chronici Montis Sereni alijsque ad hunc annum refert. Eo in congressu Principum Henricus Palatinus Rheni Ottonis frater à Friderico Rege Palatinatu exutus, dataque est dignitas hæc Ludowico Bavariæ Duci. Simul Otto Ludovici filius duxit filiam Henrici Palatini in matrimonium ijsdem artibus se firmaturus in Palatinatu, quo socer adierat. Altera Henrici filia denupta Limburgico Duci.

Godefrid. Colonienses ad partes Friderici R. transeunt.

Fridericus Rex Aquisgrani inungitur.

Avent. l. 7. Gretz. lib. 2. contra Goldastum. Brovver. l. 15. annal. Trev.

Duci. Stadensis hoc anno Palatinum obijsse perhibet; ejus tamen vita ad annum 122 prorogatur ab alijs.

Otto Ep. Monast. è captivitate liberatur.

Godefrid. Albertus Stad. Trithem. in chron. Girsa.

Sub id tempus, pridie videlicet quàm Fridericus coronaretur, Otto Monasteriensis Episcopus è captivitate liberatus. Hæserat ille jam per biennium Werdæ in Cæsaris insula captivus, conjectus in grandem, qui illic est turris, carcerem. Ac multum sollicitatus Otto Imperator, dum Coloniæ per hyemem versaretur, Episcopum è vinculis laxaret, quem non alio crimine obnoxium haberet, quàm quod ex Pontificis voluntate sese in partes Moguntini Archiepiscopi & Friderici Regis inclinasset, nullis tamen unquam armis contra Imperatorem sumptis; sed nihil ab Imperatore ad Rhenum præsente impetrari potuit. Eo demum in Saxoniam demigrante, multi Westfaliæ proceres miserati integerrimi præsulis, è tam clara Comitum Benthemensium & Hollandorum familia orti, armis liberandum suscepere; horum Dux Adolphus Montium Comes, vir bello contra Albigenses clarus, collectis è Westfalia bellicosorum nobiliũ virorumq; multorum copijs, Werdense Oppidum vi aggreditur. Et oppugnatum hoc acriter per multos dies; verùm cùm & loci munitio, & præsidiariorum fortitudo omnes insultus conatusque eluderet, nihil his fractus Adolph[us] Comes, oppugnationem ad militares artes convertit, cœpitq; suffossionibus agere; quemadmodum ingenij viribus plerumque potentitus quàm corporis pugnatur. Cuniculis igitur ad ima turris fundamenta perductis, quibus tota moles in ruinæ periculum venit, propugnatores exterriti, inopesque consilij, castrum unà cum Episcopo dedidere. Et Episcopus in hunc modum assertus in libertatem, recta se Aquisgranum ad Fridericum Regem contulit, magnoque Episcoporum omnium & Principum gaudio est exceptus.

Godefrid. Cesar. lib. 3. c. 6. Lib. 4. c. 10. Lib. 10. c. 22 Lib. 12. c. 23 Epistola ad Engel. apud Gelen. p. 338

Plures è Germania in Palæstinam abeunt, terram sanctam recuperaturi.

Sed nec minus memorabile, quod in hoc Aquensi Episcoporum & Principum congressu actum refert Godefridus. Invitarat anno superiori Innocentius Pontifex christianos Principes ad novam in Palæstinam expeditionem adversus Saracenos; id opus cùm per Legatos Apostolicæ Sedis, oratores sacros in provincijs, ac tubas hujus belli ubique strenuè susciperetur, innumerabilis multitudo, ut Godefridus retulit, crucis tessera insignita ad liberandam terram sanctam confluxit. Cœpta quidem hæc expeditio Andernaci in superioribus Principum comitijs agitari, ubi & inter primos Germaniæ Principes Ludovicus Bavariæ Dux nomen sacræ militiæ professus est: at postquam Oliverius Scholasticus Coloniensis idemque Paderbornensis noster Canonicus, & Joannes Sanctensis Ecclesiæ Scholasticus, auctoritate Innocentij Pontificis, Aquisgrani in celeberrimo hoc Principum conventu tubam sacram inflare, & ad crucis signum pro concione invitare cœperunt; illico Fridericus Rex, Siffridus Moguntinus Archiepiscopus, Leodiensis, Bambergensis, Pataviensis, Argentinensis Episcopi,

Episcopi, Dux Moraviæ, Dux Brabantiæ, Dux Limburgensis, Palatinus Comes Thuringiæ, Marchio Badensis, Wilhelmus Juliaci Comes, Henricus Comes Seinensis, Comes de Monte, & magna nobilium equestrium multitudo cruce signata nomen sacræ militiæ dederunt. Accessere post magno numero Episcopi & proceres ex Westfalia & Saxonia, sequentibus annis memorandi; quanquam his Livonia tum sacri belli campus erat, in quem magna nobilitatis pars traducebatur. Inde Joannes Sanctensis & Olivarus Principes hujus belli oratores, partiti provincias, adscitisque ex clero Sacerdotibus in auxilium, Coloniensem diœcesin, Juliam, Brabantiam, Flandriam, Westfaliam, Frisiam, vicinasque regiones palam docendo, vocandoque ad sacram militiam peragrârunt. Et Olivarus dum Westfaliam & Frisiam circuit, multa è cœlo prodigia data; visa enim in diœcesi Monasteriensi, in Frisia, & Ultrajectensi provincia varia ac mirifica in aëre crucis signa, quæ multis recensentur à Cæsario, Cantipratano, alijsque Scriptoribus, quibusq; mortalium mentes vehementer accensæ sunt; ne quid referam de miraculis per Olivarum patratis, quæ Cæsarius quoque æqualis eorum temporum scriptor retulit. Cæsar. lib. 10. c. 7. Cantipr. lib. 2. c. 3. Jacob. Bosi.

Ceterum Principes Aquisgrani congregati, ut, profugo in Saxoniam Ottone, omnia ad Fridericum Regem adigerent, misêre Coloniam Theodoricum Trevirensem Archiepiscopum, & Henricum Brabantiæ ducem, quorum auctoritate & industria urbs Agrippinensis ab Ottone abstracta in Friderici partes concessit. Quapropter Fridericus pridie Nonas Augusti regio comitatu Agrippinam ingressus, insigni cum honore à clero populoq; est exceptus. Inde ad Basilicam itum, ubi Trevirensis Archiepiscopus, post sacrum Missæ sacrificium solemni ritu decantatum, universum cum Clero populum à pœnis Ecclesiasticis absolvit, reddita sacrorum libertate, qua per annum & quinque menses prohibiti erant. Rex nonnisi per septem dies in urbe commoratus, in publicis istic Principum comitijs publicam Germaniæ pacem sanxit, vectigaliaque & telonia, quæ per bella contra fas invecta erant, sustulit. Salutaribus præterea legibus consultum Reipublicæ, in qua & Principes juravêre.

Excesserat ante triennium Theodoric9 Ultrajectensis Episcopus; in cujus locum, patrocinio Ottonis Monasteriensis Episcopi, Adolphi Coloniensis Archiepiscopi, & Gerhardi Osnabrugensis Episcopi, ac paulò pòst Bremensis Archiepiscopi, subrogatus erat Otto Gelriæ Comes ac Præpositus Sanctensis, præclaris naturæ dotibus exornatus; sed quod juvenis esset XVIII annorum, ætate prohibebatur ab Episcopi munere; eò Romam profectus, Northusij in itinere anno 1213 moritur. Quapropter in ejus locum Canonicorum suffragijs sublectus Otto Lippiensis Comes, Ultrajectensis Præpositus. Is Regem hoc anno Francofurtum comitatus, ea in urbe Episcopus consecratur, & regali- Theodorico in Episcopatu Ultrajectensi succedit Otto Comes Gelriæ, dein Otto Comes Lippiensis.

bus à Friderico Imperatore exornatur. Hic Otto celeberrimus inter Westfalos, Bernardi Lippiensis Comitis filius, qui per id tempus ex Monacho Campi Mariæ Livoniæ Abbas inter Apostolicos viros numerabatur, quem haud multò post Otto Aldensaliæ Lealensem Episcopum consecravit, filius patrem; tametsi Bernardus per id tempus alterum haberet filium Gerhardum ex Episcopo Osnabrugensi transvectum ad Bremensem Archiepiscopatum; cui tertius accedit filius Bernardus, ex Præposito Embricensi delectus Paderbornensis Episcopus: quartus filius Theodoricus Præpositus Daventriensis. Rara profectò familiæ felicitas, quæ patrem Episcopum, & tot filios simul Episcopos ac præsules Ecclesiæ conspexit.

Has inter concussæ Germaniæ Saxoniæque turbas Bernardus Episcopus noster, quod aliàs Saxoniæ Episcopi fecêre, partium se intactum securumque servavit, quòd hinc Friderici Regis minis, istinc Ottonis Imperatoris per Saxoniam adhuc dominantis potentia stringeretur. Quantumq; Bernardus Episcopus se à publicis continebat, tantùm se in dotandis Ecclesijs & Cœnobijs impendebat, quòd ex sequentibus liquebit. Sicuti & hoc anno insigni beneficentia merit' de Giselberto, Campi Mariæ Abbate, totoq; Cœnobio illo. Quam in rem publicæ tabulæ extant apud nos, multis è clero & nobilitate ac Monachis Campi Mariæ testibus consignatæ. *Acta* hæc memorantur *anno Dominicæ Incarnationis MCCXV. Indict. III. Pontificatus nostri anno XI.*

Godefrid. Abbas Ursberg. Albert. Stad. Auctor Chron. Mont. Seren. Richard. à S. German. Chron. fossæ novæ. Matth. Paris. Odoricus in hist. Eccles.

Concilium Lateranense sub Innocentio III.

Annum hunc clausit Innocentius Pontifex, omnium operum, quæ gessit pulcherrimo, convocando Lateranense concilium, quod mense Novembri Romæ celebratum est, ipso Pontifice præside & perorante: argumento sermonis ducto ab illo Christi dicto, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*; quod & ille de suo vitæ exitu vaticinatus videri poterat, quippe qui altero post anno excessit è vita. Invitati toti' orbis Christiani Episcopi, literis ad omnes Metropolitanos & Archiepiscopos missis; inter quas prima in concilio præmittitur Epistola ad Moguntinum Archiepiscopum ac Metropolitanum nostrum, in qua de expeditione recuperandæ Palæstinæ pertractat; hæc enim una ex urgentibus hujus concilij causis erat. Hoc deinde argumento scriptum ad Coloniensem, Trevirensem, Magdenburgensem, Salisburgensem, ceterosq; Episcopos, ac Reges. Convenêre Episcopi quadringenti & duodecim; quos inter Patriarcha Constantinopolitanus & Hierosolymitanus præsentes fuêre; Antiochenus verò & Alexandrinus Patriarchæ, quòd alter morbo, alter Saracenorum metu impeditus, misêre Legatos. Primates deinde infra hos ac Metropolitani septuaginta & unus. Ceterorum verò Antistitum, Abbatum, aliorumque præsulum ob multitudinem haud unitus est numerus. Universim bis mille ducenti & duodecim Patres convenêre, quod passim Scriptores cum Binio tradunt. Primores Cœnobiorum numerant

merant octingentos. His accessêre omnium fermè gentium exterarum, ac Regum, Principumque Legati. Magnificum sanè & œcumenicum, de quo nemo sapiens controvertet, concilium, in quo explicata catholica fides adversus Albigenses, cæterasque obortas hæreses: cum collapsa cleri populique disciplina formata; postremò actum pro recuperatione terræ sanctæ. Quam in rem septuaginta de hæreticis decreta Canonum à Patribus præscripta sunt, celeberrimo Ecclesiæ instituto bonoque. Et quam præclaro statim canone Patres? *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur; in qua idem ipse Sacerdos et Sacrificium JESUS Christus, cujus corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina. Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis et ipsorum Successoribus Jesus Christus.* Quod & à nostrorum temporum hæreticis, & hæreticorum magistris diligenter animadverti velim; qui cùm rite ab Episcopo ordinati non sint, necesse est horum aliorumq; Sacramentorum jactura defraudare populum. Statutum præterea de hæreticis damnandis puniendisque: de Sacramentis Eucharistiæ & Pœnitentiæ quotannis in Paschate frequentandis: de chrismate, & Eucharistia sub fideli custodia clavium servanda: de viatico infirmorum præbendo: de vitijs Clericorum emendandis & castigandis, & quæ ejusmodi sunt complura. Conjugia quoque, quæ ad sextum usque consanguinitatis & affinitatis gradum permissa erant, intra quartum restricta sunt. Canone etiam XI præscribuntur Collegijs Cathedralibus & Metropolitanis Magistri Scholarum, qui Clericos ejus Ecclesiæ & pauperes studiosos doceant Grammaticam & humaniores literas, eòque Sacerdotio lautiore donentur Magistri illi; præter quos in singulis hisce Collegiis sit Theologus, qui Clericis sacram scripturam & superiores scientias tradat. Quo nunc satis intelligimus discrimen inter Scholasticum, Theologum & Magistrum, quales toties etiam produximus ex tabulis Episcoporum nostrorum. Hi deinde Canones ex utraque lingua cum Ecclesia latina & Græca communicati sunt. Multæ præterea controversiæ judicio Patrum decisæ compositæq; sunt. Accessit ad hoc concilium S. Dominicus instituti approbationes sollicitando. Ac Pontifex licet à novis ordinibus recipiendis alienior esset, uti id paulò ante canone XIII sanxerat; postquam tamen in somno illi objecta Lateranensis Ecclesia, fabrica in ruinam inclinante, quam D. Dominicus humeris suis sustentaret, jussit Dominicum ad suos redire; communicatoque deinde cum ijs consilio, instituti sui vitæq; leges referre à se probandas. Divum quoq; Franciscum advenisse, rogatum sui ordinis approbationem, auctores multi à Wadingo & Cossartio producti asserunt.

Oder. in hist. Eccl.

In vita S. Domin.

Surius tom. 4.

S. Dominicus ordinis sui confirmationem petit.

Odoric. in hist. Eccl.

Et

Tom. Concil. Paris. recem. edit. Matthaus Paris. Abbas Ursberg. Marianus.

Et hunc cùm Innocentius Pontifex ad se accedentem rejecisset; post tamen, ubi in somnio illi oblatus est Franciscus labentem quoq; Basilicam Lateranensem humeris suis sustentare, conquisitum ad se revocavit, benigneq; excepto, omnem ejus institutionum rationem confirmavit. Verùm celebrem utrusque hujus ordinis confirmationem sibi vendicat Honorius Pontifex Innocentij Successor.

Annus Christi 1219.

Innocentii III Pont. 19.
Ottonis IV Reg. 19. Imper. 8.
Friderici II Reg. 4.
Bernardi III Ep. Pad. 13.

Godefrid. Ursberg. Richard. de S. Ger. Odor. Reginal. in hist. Eccles. Cossart. in not. ad concil. post edict.

Frederico regnum denuo in concilio Lateran. confirmatur.

Adulto jam vere, Fridericus Rex Calend. Maij Norimbergæ Principum comitia egit, præsente Petro Sasso Cardinale Apostolicæ Sedis Legato. Indixerat illa Rex ad vacillantem Germaniæ statum confirmandum, quò & jura per provincias dicerentur æquius, & liberius de pace tractaretur. Miserat quidem superiori anno tam Otto, quàm Fridericus suos Oratores ad Lateranense concilium; alter ut obtenta venia imperium, à quo dejectus erat, reciperet: alter ut sibi assereret. Sed à Patribus pro Friderico pronunciatum est; movitque Patres Marchio Montisferrati, Ottonis perfidiam adversus Apostolicam Sedem, violata Sacramenta, spolia Romanæ Ecclesiæ, multaq; præterea ejus crimina exaggerando. Quibus Fridericus Rex confirmatus, liberum sibi per Germaniam imperium sumpsit. Dejectusq; Otto intra Saxoniam se continuit, tanquam Saxonum tantum se Imperatorem ferret; è quibus tamen Magdenburgensem, & Bremensem Archiepiscopos, Marchionem Thuringiæ, aliosque proceres sibi adversantes habuit. Ceteri metu magis quàm animo Ottoniani.

S. Engelbertus eligitur in Archiep. Colon.

Accessit Friderico Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus hoc anno delectus. Nam postquam Clerus primarius miserat ad Innocentium Pontificem Legatos sciscitatum, quid de Adolpho & Theodorico Archiepiscopo, quorum uterq; à Pontifice exauctoratus erat, fieri vellet, ne Ecclesia certo hactenus rectore destituta fluctuaret amplius; Innocentius Pontifex utrumque aversatus, novi Archiepiscopi eligendi potestatem clero fecit, omniumque suffragijs delectus est Engelbertus majoris Ecclesiæ, & S. Georgij Præpositus, natus Engelberto patre Comite Montium & Altenæ, & à puero in clero enutritus. Vir præter generis nobilitatem & eximiam corporis pulchritudinem, præclaris naturæ dotibus, & Episcopi virtutibus exornatus, ob quæ decora jam ante juvenis octodecim annorum Monasteriensis, ut diximus, Episcopus expetitus erat; vel eo carus Innocentio Pontifici & Friderico Regi, quòd cum fratre Adolpho partes Friderici ad Pontificis voluntatem hactenus suscepisset, nihil

Colo-

Coloniensis Urbis, ceterorumque Ottonianorum factionem veritus. Sed & cives Agrippinenses non minus quàm Clerus ejus electione læti, pacem sibi & tranquillitatem reddendam pollicebantur; quòd ex conspectu virtutum ejusmodi Archiepiscopum sortiti essent, quocum in certam spem venirent concordiæ & tranquillitatis, post tot bellorum tempestates & mala recuperandæ. Ac postquam ad Legatum Apostolicum, qui Norimbergæ Friderico Regi aderat, relata est electio, Apostolica eam auctoritate probavit; cui & à Friderico Rege mox regalia donata. Missi exinde Oratores Romam, qui pallium Archiepiscopi insigne impetrarent, Innocentium XVI Calend. Augusti magno christiani orbis luctu mortuum invenêre. Pontifex hic clarissimæ memoriæ, magni inter adversa animi, insignis sapientiæ doctrinæque, quot tot monumenta librorum & volumina literarum testantur. Successorem habuit Honorium III in Apostolica Sede, virum, qui Innocentij vestigijs inhærens, bellum sacrum scriptis ad Christianos Principes literis, pari, qua Innocentius sollicitudine, & magnitudine animi promovendum suscepit.

Innocentius III obit, cui succedit Honorius III.

Non destitit interim Oliverius percursare Westfaliam & Frisiam, inflammando populorum animos ad sacram expeditionem. Juvêre è cœlo prodigia, quæ frequentia visa, & ab ipso Oliverio, ut Cæsarius refert, mirifice deprædicata. Quemadmodum postea teste Ursbergensi conspecta est stella ex Austro in Occidentem vergens, quæ in magnitudinem trabis augescere, & sensim prolapsu suo deficere observata.

Oliverius Westfalos & Frisones ad expeditionem sacram inflammat.

Magno post hæc Westfaliæ bono Engelbert⁹ Archiepiscopatum Coloniensem administrare cœpit, fida semper amicitia junctus cum Westfaliæ Episcopis; quos inter & Bernardum Episcopum nostrum complexus est, virum ea tempestate pacis amantem, magnæ auctoritatis & venerationis apud Westfaliæ proceres. quippe qui profanis, publicisq; negotijs abjectis, totus erat in religionis cultu exornando, fovendisq; religiosorum hominum cœtibus. Quemadmodum hanc in rem extant apud nos publicæ literæ, quibus Alberto Abbati & Cœnobio Monachorum Abdinghoviano decimas villæ in Upspringen de manu Bernardi de Osede, hominis, ut inquit, Laici redemptas donavit; tametsi is ex eadem familia Osedorum erat, ex qua ipsum Episcopum produximus. *Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCC sexto decimo, VIII Idus Augusti. Testes hujus rei sunt Lambertus Præpositus, Joannes Decanus, Wulfrannus Cellerarius, Volcquinus de Swalenberg, Gerhardus de Lippia, Widekindus majoris Ecclesiæ Canonicus, Conradus Plebanus. Ministeriales Amelungus Comes, Heinricus Dapifer, et Lippold⁹ frater ejus, Hermannus de Brakele, Conradus Camerarius, Andreas de Durslo, Swetherus de Elsen, Hermannus de Wettere, Joannes Stapel, Georgius, Macharius, Eilbertus, Albertus, Everhardus de Erwethe, Albero de Aspere,*

Bernardus Ep. varijs Cœnobijs & Ecclesijs benefacit.

Aspere, Hermannus de Oriente, et alii quamplures. Alias deinde decimas, quæ ex feudo ad ipsum reciderant, Cœnobio religiosarum Virginum Wilbacensi donavit, quæ eodem anno acta perhibent publicæ ejus Cœnobij literæ. *Testes* adduntur *Lambertus major Præpositus, et omnes Canonici majoris Ecclesiæ, Amelungus Comes, et Ministeriales.* Hoc ipso anno Bernardus Episcopus cum magno Canonicorum & Ministerialium comitatu Arensbergam profectus ad Godefridum Comitem; ac dum Ecclesiæ suæ negotium, ob quod venerat, cum Comite pertractat, simul Wilbacensi Cœnobio Virginum ampla prædij Bulcheim bona à Comite impetravit, quæ Comes fatetur se rogatu venerabilis Episcopi Paderbornensis donare, nec aliud reposcere, quàm ut piæ Virgines Deum pro suis & majorum delictis sibi propitium implorent; factaque est hæc donatio præsente & volente conjuge ejus Agnete, filijs Godefrido & Joanne, ac filia Aleithe. Publicas hac super re tabulas confecit Godefridus, quas à Bernardo Episcopo consignari voluit, *ac testes à latere Episcopi* memorantur, *Volcquinus de Swalenberg, Cratho, Gerhardus de Lippia, Widekindus Canonicus. Ministeriales verò Episcopi Everhardus de Ervethe, Henricus Dapifer, Hermannus Mareschallus, Bernardus de Vesperthe, Nobilis vir Adolphus de Dassele. Ex Comitis parte Rotgerus de Berbenne, Wilhelmus de Ole, Bermundus et Godeschalcus de Ervethe, Gerhardus de Ruthen, et Ministeriales. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXVI, Indictione IIII, Domino Innocentio tertio Pontifice universalem Ecclesiam gubernante.* Hos inter Testes uti & in superioribus Abdinghovianis sistitur Gerhardus de Lippia Comes, is qui post Bremensium Archiepiscopus in locum Gerhardi senioris delectus est. Quemadmodum per id tempus Collegium Paderbornensis Ecclesiæ Comitum filijs illustre erat; quo in numero etiam Volcquinus Comes Swalenbergensis supra relatus producitur Episcopus Mindensis.

Annus Christi 1217.

Honorij III Pont. 1.
Ottonis IV Reg. 20. Imper. 9.
Friderici II Regis 5.
Bernardi III Ep. Pad. 14.

Concil. Lateranens. Odoricus in hist. Eccles. ex Innocentii epist. Godefrid. Ursberg.

Expeditio nova in terram S. à Pon-

Quievêre anno ab hinc consequenti arma Ottonis exauctorati Imperatoris, & Friderici Regis, quantum ex silentio scriptorum colligere fas est; seu quòd Pontifex per quadriennium cessationem armorum in concilio Lateranensi indixisset, ne quid sacram expeditionem in terram sanctam impediret; seu Reges, quique sua parte contenti, Otto Saxonia, Fridericus ceteris Germaniæ provincijs, à judicio novi Pontificis suspensi hærerent. Eò nunc liberius bellum sacrum processit, sollicitante Reges & Principes Honorio Pontifice per literas & Ora-

& Oratores; quos cùm per omnia regna & Germaniæ provincias haberet, tum ad Rhenum & per Westfaliam præter Joannem Sanctensem & Oliverium accessêre Hermannus Decanus Bonnensis, Joannes Nivellensis Canonicus, Arnoldus Monasteriensis Presbyter, alijque per Westfaliam & Frisiam viri, quorum nomina vetustas abolevit. Horum munus à Pontifice præscriptum fuit non solùm concionibus populum excitare ad sacrum bellum, sed & ad largitiones invitare, & pecuniam à pijs hominibus oblatam colligere, quæ in sumptus expeditionis sacræ expenderetur. Quam in rem excavatus in singulis Ecclesijs truncus, ab Innocentio Pontifice præscriptus, tribus seris clauderetur, quarum una penes probatum presbyterum, altera penes Laicum fidum, tertia penes religiosum virum esset. Multa deinde privilegia ab utroque Pontifice impertita ijs, quotquot vel expeditionem suscêpere, vel opem contulêre, & multa ubique sacrificia ac publicæ preces indictæ, quæ cùm magno fervore procederent, præter eos Episcopos & proceres, quos ante biennium commemoravimus, sacræ se militiæ addixêre Engelbertus Coloniensis, Otto Monasteriensis, Otto Trajectensis. E Clero Monasteriensi Conradus Præpositus, ex Osnabrugensi Gualterus. Arnoldus Cliviæ, Wilhelmus Hollandiæ, Georgius Werdæ Comites, Benthemius præterea Comes, alijque, quorum nomina cum ceteris Westfaliæ & Frisiæ nobilibus vetustate consepulta sunt. Rebus omnibus ad expeditionem sacram comparatis, duplici hoc anno exercitu itum est ad terram sanctam recuperandam. Quorum alter terrestri itinere processit, auspicio Andreæ Ungariæ Regis & Leopoldi Austriæ Ducis; ad quem cum ceteris Episcopis etiam transijt Otto Monasteriensis, & Otto Trajectensis Episcopus, quorum ille ex Comitum Benthemensium, hic ex Lippiensium familia erat. Alter navalis erat, ad quem se collegêre ex Rheno, Amasi, & Visurgi Colonienses, Westfali, & Saxones; deinde Frisij, Brabantini, Flandri, ex suis quique portubus. Inter horum Duces clari Wilhelmus Hollandiæ, & Georgius Werdæ Comites, quibus à Gelenio conjungitur Adolphus Montium Comes D. Engelberti frater. Classi huic Oliverius se junxit totius hujus expeditionis auctor, ac tuba sacra hujus belli; cujus labores Pontifex Episcopatu Paderbornensi remuneravit. Ejus hoc elogium est apud Albertum Stadensem: *in horum comitatu erat Magister Oliverus, postea Paderbornensis electus, et tandem S. Sabinæ presbyter Cardinalis*; ut vel eo nobis hæc expeditio commemoranda sit. Naves igitur, quæ ferè trecentæ erant in ostio Mosæ ad Uterdingam convenêre. Inde promptis lætisque omnium animis 4 Calend. Junij solvit classis, ipsis Calend. Julij Dertmondiam in Anglia portum delata, ex quo per mare Britannicum in Lusitaniam provecta 7. Idus Julij Ulysipponam attigit. Ibi dum complures ex Belgio naves exspectantur, rogantur ab Episcopis ac

[Margin notes: tifice & alijs urgetur. — *Innocent. in epist. ad omnes fidel. in concilio Later. Cæsarius in vita Engelb. Fasti Monast. Chron. Ultra. Trithem.* — Duplici itinere in terram Sanctam movetur.]

ceteris Lusitani, velint per hanc moram sibi adversus Saracenos haud minus Lusitaniæ quàm Palæstinæ juratos hostes belli operam accommodare; quod cùm Frisij improbarent, dicerentque sibi Orientalem profectionem esse præpositam, cum octoginta navibus discessêre, navigatione in Palæstinam arrepta. Perstitit reliqua classis duce Wilhelmo Hollandiæ, & Georgio Werdano Comite, castrumque Alcazarium obsidione cingunt. Quo cognito, quatuor Saracenorum Reges, ex Hispania congregati, cum exercitu centum armatorum millium advolant; quorum adventu haud parum territi peregrini nostri; sed cùm Lusitani, & qui apud eos erant, Templarij & Hospitalarij milites subsidio venirent, ausi junctis viribus Christiani ad signum crucis, quod in acie fulgens se obtulit, prælium inire. Pugnatum 7 Calend. Octobris, cæsique in acie supra XIIII millia Saracenorum, uti Godefridus denarrat. Victoriam hanc, quæ cœlesti magis, quàm humana ope est parta, auget Marianus clade sexaginta millium Maurorum, captis duobus Saracenorum Regibus. Fassi postea Saraceni se cùm prælium ineundum esset, conspexisse alium longè formidabiliorem exercitum cruce insignitum. Post festum omnium Sanctorum redijt victor peregrinorum nostrorum exercitus, hyematumsque est in portu Ulysipponensi.

Insigni victoria adversus Saracenos Christiani potiuntur.

Memorabile, quòd ex hac navigatione Hermannus Decanus ad S. Gereonem retulit. Vetitum erat, ne in ulla navium Eucharistia servaretur. Ejus legis seu inscius, seu contemptor Sacerdos, in unam Frisonum navim secum Eucharistiam intulit; quæ cùm postea naufragium fecisset, arcula, qua corpus Dominicum custodiebatur, visa pelago innatare, ac veluti remis impulsa celeri præ reliquis cursu ad littus properare; & quod conspectius in miraculo erat, nulla gutta operculo etiam patulo influxerat. Sane tum una species Eucharistiæ apud Frisones in usu; quemadmodum in concilio Lateranensi Eucharistia mandatur servari, & diligenter recludi, quæ in firmis & morituris viaticum detur.

Cæsari. lib. 9. c. 13.

Alter Germanorum exercitus postquam incolumis in Palæstinam delatus, obviam habuit Patriarcham Hierosolymitanum cum mirifico crucis signo; ad cujus conspectum Rex Ungariæ & Dux Austriæ cum toto exercitu proni in terram procubuere. Inde tres Reges Hierosolymæ, Ungariæ, & Cypri in hostem progressi; ad quorum adventum Soldanus cum Coradino fratre in fugam se dedit, oppidis & castris circum in spolium Christianorum relictis. At postquam Rex Ungariæ, ac Cypri cum ingenti peregrinorum multitudine recessêre, frustra precante Patriarcha, Leopoldus Dux Austriæ rem fortissimè gessit. Is duos sibi constantes fidosque habebat Episcopos, Ottonem Monasteriensem, & Ottonem Trajectensem cum auxiliaribus ex Westfalia & Trajectensi diœcesi copijs; quorum ope & industria

Alter Germanorum exercitus fortiter & feliciter rem gerit in Palæstina.

dustria Cæsareense in Palæstina castrum instauratum est; id quod ingens postea momentum attulit ad Cæsareæ urbis expugnationem.

Annus Christi 1218.

Honorij III Pont. 2.
Ottonis IV Reg. & Imper. ultimus.
Friderici II Reg. 6.
Bernardi III Ep. Pad. 15.

Fatalis subinde annus adfuit Ottoni Imperatori, quem hoc anno consensu Scriptorum mors ventris profluvio sustulit. Juvabit id à Godefrido certo eorum temporum auctore accipere. *Otto Imperator jam per annos octo vinculo excommunicationis à duobus Apostolicis innodatus, cum septem honoratos viros pro impetranda venia Romam mitteret, sed tamen stare eorum mandato recusaret, post Pascha febri corripitur; deinde ingravescente morbo, ubi sibi diem mortis imminere cognovit, Episcopum Hildesiensem, Sifridum videlicet, et alios religiosos et sapientes viros, scilicet Abbates, et Sacerdotes convocat, et cum gemitu et lacrymis, quid sibi agendum foret, vel qualiter à nodo excommunicationis absolvi posset, consulit; ad quorum consilium cum mandato Apostolico stare jurasset, ab Episcopo absolvitur. Deinde ordinato testamento suo, factaque confessione cum perceptione sanctæ communionis et sacræ unctionis, cum magna contritione cordis in castro, quod dicitur Hartzburg, Idibus Maji moritur. Corpus Brunsvvicum translatum, et Imperialibus indumentis juxta patrem suum, et matrem in Ecclesia S. Blasii sepelitur.* Auctor est Albertus Stadensis tanto eum dolore exarsisse in expiationem peccatorum, ut famulis & domesticis è culina servis cervicem pedibus calcandam, dorsumque Sacerdotibus flagellis cædendum obtulerit, patris Henrici Leonis exemplo, qui per ejusmodi pœnitentiæ opera se ad placandum numen mortemque composuit. Visaque est non tam eripi vita, quam pia mors donari; nec tamen sine piacularibus flammis fuit, siquidem Cantipratanus vera narrat. Nam post obitum materteræ, quam in Monasterio castissimam habebat virginem, se ad valvas mane pulsando obtulit, petijtq; per religiosorum Cœnobia pro se sacrificia & preces fieri. Quibus rite persolutis, rursum se clarissima luce circumfusus materteræ stitit, gratias egit, ac sibi jam à pœnis omnibus libero cœli aditum patere asseruit. Ceterum ab excessu Ottonis diadema, lanceam, ceteraque Imperij ornamenta Henricus Palatinus frater ad se traxerat, quæ Honorius Pontifex demum minis & censuris Ecclesiasticis extorsit, Friderico Regi tradenda. Morte Ottonis æmuli omnia ad unum Fridericum Regem devolvuntur. Et ille, ut ex communi Principum, cumprimisque Saxonum, sententia se in solio firmaret, in Saxoniam hoc anno profectus, Hervordiam accessit, ad Westfalorum animos sibi demerendos, quemadmodum id Albert⁹ Stadensis scribit; ex qua vicinitate

Godefrid. in Ann. Ursberg. Albertus Stadens. Cantiprat. lib. 2. c. 53. Crantzius in Metrop. l. 7. c. 35. & in Saxon. lib. 7. c. 37. Ægidius Aureæ vallis Monach. Annal. Fland. Chron. Sclavic. incerti auct. Specul. histor.

Otto Imp. piè ad mortem dispositus obit.

tate urbis intra nostram diœcesin haud dubiè Bernardus noster Regem salutârit.

Felicibus adhuc armis Germanorum procedebant res in Palæstina. Nam quæ Ulyssipone relictæ classis pars hyemârat, post varios tempestatis casus Acconem tandem appulit; congregatisque omnibus peregrinorum navibus, consultum habuêre Patriarcha, & Joannes Hierosolymorum Rex, Episcopi, Duces, Hospitalarij & Templarij, ceterique cruce insigniti descendere in Ægyptum, & Saracenis ingressum in Syriam intercludere; ex quo enim Ægyptus Damasceno Regi paruit, ille Syriam regno suo conjungere cœpit, & cum innumera barbarorum multitudine quotannis in terram sanctam effundere, quo res Christiana semper in pejus prolabi visa: & si Damiata urbs, claustrum utriusque regni ad Nili ostium, interciperetur, frenum Saracenis injectum fore, portumque istic occupari, ex quo ingentes opes Ægyptiorum Regi, & belli nervus subtraheretur. Igitur festo Ascensionis, congregatis omnibus Christianorum navibus, classis solvit; ac prospero cursu intra triduum in Nili ostium delata, constitit ante Damiatam; factaque excensione à Coloniensibus primùm & Frisijs (quorum hic prima laus fortitudinis se exseruit) castra firmare cœperunt Christiani. Urbis oppugnationi obstabat vasta turris, Phari nimirum illius in medio Nilo moles, militis præsidio firmata, ex qua catena ad muros urbis ducta erat, ne quis navium transitus per fluvios, accessusque ad urbem esse posset. In hanc omnis vis primùm conversa; sed tanta cum clade iterato repulsa est, ut consilia expugnandæ turris inter Duces vacillarent. Tum verò Oliverius noster erigere nutantium animos, & suis pecuniarum impensis, quas ex sacra stipe collegerat, fabricare firmam & prægrandem machinam navibus impositam, è qua scalæ pontesque admoti, ascensusque in turrim magna alacritate militum factus; frustra Saracenis supernè lapides, tela, & ignes injicientibus. Expugnata primo insultu turris, & barbari vel trucidati, vel in flumen præcipites acti. Hoc successu Damiata urbs Ægypti munitissima, ac tribus per circuitum muris, amplis fossis, innumerisque turribus firmata, terra marique obsideri cœpta. Arduum opus, quod oppositis castris infestus assideret Soldanus; sed quia salus Palæstinæ, & totius expeditionis momentum in ea versabatur, obsidio incredibili Christianorum labore & fortitudine protracta est in sequentem annum.

Damiata obsideri à Christianis cœpta.

Animos ijs addente Oliverio.

Desideratus in hac ærumnosa obsidione Adolphus Montium & Altenæ Comes, D. Engelberti frater, Coloniensium, Westfalorum & Bremensium Dux. Otto præterea Monasteriensis Episcopus ad Cæsaream extinctus, uti Oliverus noster scribit libro nondum edito de Damiatæ expugnatione, quod & fasti Monasterienses hoc inscripto elogio testantur:

Qui in obsidione desiderati Adolphus Comes Mont. & Otto Ep. Monast.

Virtutum

Virtutum sidus Otto super omnia fidus
Morte peregrina levipendo pericla marina.

Gubernârat annos xv, multis Ottonianarum partium injurijs agitatus, præclara cum laude Ecclesiam suam, vir Apostolicæ Sedis studiosissimus, & zelo religionis flagrantissimus; quod satis etiam hac expeditione in terram sanctam professus est. Comes licet Benthemius, humilem tamen in literis se Ecclesiæ ministrum appellare solitus. Res ejus præclarè gestas virtutesque conscripsit Hermannus quidam Monachus Campi Mariæ, quem librum invida nobis ætas subtraxit. Ottoni subrogatus festo Mariæ Magdalenæ Theodoricus III Arnoldi Isenburgici filius, ædisque Metropolitanæ Coloniensis Præpositus; idque patrocinio Engelberti Coloniensis Archiepiscopi & consanguinei, cujus tum magna per Westfaliam auctoritas erat, impetratum. Quemadmodum ejus quoque studio post Engelbertus Theodorici frater ad Episcopatum Osnabrugensem provectus, qui malè à Crantzio Bruno appellatur; sed qua familiæ mercede id factum docebit ipsius Engelberti Archiepiscopi funesta cædes.

Bernardus Episcopus noster quo minus in numerum cruce signatorum veniret, impediebatur senio. Laboresque illos peregrinationis domestica vigilantia, & studio religionis procurandæ compensavit, arctam non modò religiosorum Cœnobiorum, sed & Cleri Cathedralis intra claustrum socialis vitæ disciplinam conservando, quam & Honorius Pontifex hoc anno suis literis decoravit. Nam cùm è nobilitate Conradus de Boffesem Huxtariæ Xenodochium ad institutum Xenodochij S. Spiritus, quod Romæ Saxonum est, condere meditaretur, Pontificem Romæ adijt; is pium hoc opus, quòd locum intra jurisdictionem Paderbornensis Episcopi notaret, scriptis ad Bernardum Episcopum literis in hunc modum commendat.

Honorius Pont. concedit Conrado de Boffesem facultatem condendi Xenodochij Huxariæ.

Honorius III PP. Paderburnensi Episcopo. Veniens ad præsentiam nostram dilectus filius Conradus de Boffesem nobis humiliter supplicavit, ut, cùm ad honorem Dei et solatium infirmorum et pauperum in loco, qui Huxaria dicitur, velit hospitale construere, ipsumque hospitali sancti Spiritus in Saxia facere censuale, illud ædificandi, et construendi capellam in eo, ac habendi cimiterium, et proprium Capellanum ad opus infirmorum et pauperum, licentiam concedere dignaremur. Nos ergo pium ejus propositum in Domino commendantes, ac fraternitati tuæ nihilominus deferentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus cum loci diœcesanus existas, eidem postulata concedas, sine juris præjudicio alieni. Datum Laterani Non. Aprilis Pontificatus nostri Anno secundo.

Nota ex multis Corbeiensium tabulis nobilium Boffesemiorum familia; servatque nomen pagus trans Visurgim Boffesemius ad radicem Solingani saltus. Superest quoque Xenodochium S. Spiritus cum æde sacra Hoxtariæ ac silva ejus nominis à fundatore donata;

quæ

quæ nunc omnia in manibus sunt hæreticorum. Sed longè illustrior memoria ex saxea ab Caroli M. ævo, celebri illo Saxonum seminario Romæ, quod in Xenodochium post transijt. Fortè illo Conradus conditor hospitio benignè exceptus, cùm rediret ex itinere Palæstinæ inter cruce insignitos.

Strages Frisonum aquis haustorum.

Memorabilis hic annus Frisonum clade. Pugnant illi peregrè omnium propè nationum fortissimi ad Damiatam, cùm domi affliguntur populares. Quippe mare supra limites longè lateque effusum plusquam decem millia hominum aquis immersos hausit. Iram Numinis creditus est provocasse ebrius Friso, qui Sacerdoti Eucharistiam ad ægrum deferenti pixidem è manibus excussit, sacra in terram Eucharistia effusa. Haud multò post ad placandum Numen Theodoricus Monasteriensis Episcopus, cujus jurisdictioni sacræ pars magna Frisiæ asserta erat, missis literis solemnem incolis pœnitentiam indixit.

Annus Christi 1219.

Honorij III Pont. 3.
Friderici II Reg. 7.
Bernardi III Ep. Pad. 16.

Godefrid. Oliver. in epist. Ursberg. Jordanus. Odoricus in hist. Ecclesi.

Christiani Soldanum premunt, & Damiatam occupant.

Trahebatur in alterum hunc annum, Christi videlicet Millesimum ducentesimum decimum nonum, Damiatæ obsidio, magna cum Soldani consternatione. Is enim tanquam de retinenda Palæstina desperaret, Hierosolymam caput regni per Coradinum fratrem munimentis omnibus denudari jussit, muris & turribus in acervum lapidum congestis, ceterisque sacrorum ædibus subversis; parcitum tantummodo templi Domini, turri Davidis, & sepulchro Christi, quæ ob loci reverentiam intacta mansêre. Conjectusq; post in eas angustias fuit Soldanus, ut si Damiatam sibi relinquerent Christiani, pacta offerret, quibus totum Hierosolymitanum regnum cedebat Christianis, sumptusq; etiam ad Hierosolymæ instaurationem promittebat. Respuere illa Legatus Apostolicus, Patriarcha, Episcopi, & Templarij. Inde alternis prælijs decertatum. Ac licet Calend. Septemb. Christiani ingentem cladem acceperint à Soldano, perstitêre tamen invictis animis; nec aliorum magis celebrata fortitudo ab Oliverio nostro, quàm Templariorum, Teutonicorum, & Frisonum, & Coloniensium: continuata in Autumni exitum obsidio, qua supra triginta millia Saracenorum ferro, fame, peste in urbe absumpti sunt; eaq; fuit debilitas hostium, ut raro pro stationibus excubarent. Quo comperto, muros conscendunt, & in urbem victores Nonis Novembris prorumpunt, cæsis, qui superstites erant, Saracenis. Ingens in eo emporio auri, argenti, & mercium præda cessit militi. Cum alij permulti, tum copiosius ac ceteris etiam accuratius hanc obsidionem descripsit

Olive-

Oliverius, epistola ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum, cujus autographum, ne quam fidem hic desideret quispiam, est apud Ferdinandum Episcopum nostrum; quæ epistola cùm à Gelenio sit edita, nobis hic brevitati studere visum est. *Gelen. in auct. ad S. Engelb.*

Multos hoc anno Principum conventus habuit Fridericus Rex: primum Magdeburgi per Quadragesimam; deinde Goslariæ in visceribus Saxoniæ. Ibi Henricus Dux Saxoniæ exauctoratus, jussusque auctoritate Pontificis insignia Imperij Friderico tradere; id ni faceret, imperatum erat Halberstadiensi & Hildesimensi Episcopis, Henricum Ducem urbemque Brunswicum pœnis Ecclesiæ subijcere: vicissim rogârunt, Pontifex Henricum Ducem in gratiam reciperet. Nihil officij intermisit Pontifex, ut Fridericum Regem quod jam dudum voverat, pertraheret ad expeditionem in Palæstinam: ejus etiam rei gratia Romam invitavit ad insignia capessenda; sed hæc omnia illusit Rex. Tertius Principum conventus Francofurti est habitus, in quo Henrici filium decennem puerum Regem Germaniæ ex Principum consensu instituit. Plura à Friderico Rege comitia celebrātur.

Ad hæc Imperij comitia evocatus Gerhardus Bremensis Archiepiscopus. Multa huic præsuli bella fuêre cum Woldemaro Episcopo Sleswicensi per factiones contra Pontificis auctoritatem; & quia Woldemari partes susceperant Rex Daniæ, Otto Imperator, Henricus Palatinus, alijque adversarij cum magnis illi æmulis luctandum fuit; donec à Bremensibus Ministerialibus ejecto Woldemaro introduceretur in urbem. Tam indignè id tulit Otto Imperator, ut ferro flammaq; totam diœcesin evastaret. Bellum id fumabat adhuc, alebaturq; ab Henrico Palatino Ottonis fratre, alijsq; Gerhardi hostibus. Quare à Friderico Rege Francofurtum evocatæ dissidentium partes. Eò dum Gerhardus accedit, Francofurti moritur. Vir egregiè de Ecclesia sua meritus. Ac tam grata hujus memoria erat, ut in ejus locum Canonici eligerent Gerhardum Paderbornensis Ecclesiæ Præpositum, Gerhardi hujus Senioris Archiepiscopi ex fratre nepotem; Quippe, qui Bernardo Comite Lippiensi Monacho, Abbate, & Episcopo in Livonia genitus erat, fratremque habebat Ottonem Ultrajectensem Episcopum, & Bernardum Præpositum Embricensem, eum, qui post Paderbornensis Episcopus est delectus; quibus accedit quartus è clero frater Theodoricus Præpositus Daventriensis. Quæ & auctor Chronici Montis Sereni eorum temporum scriptor ad hæc tempora refert; ita enim hic: *Bernardus Comes de Lippia post multa bella*, quæ gessit, *Deo inspirante, animo habituq; mutato, in quadam Ecclesia novella, quæ primitus Hasevvinckele dicebatur, primùm Cistertiensis ordinis Monachus factus, ac deinde cuidam provinciæ Livoniensi Episcopus electus, et à filio suo Episcopo de Utrecht consecratus est. Cum quo etiam sequenti anno*, Christi videlicet 1220, *alium filium suum Bremensem Archiepiscopum consecravit.* Atq; hic Gerardi Bremensis Archiep. obitus, stirps & commendatio.

hic

quæ nunc omnia in manibus sunt hæreticorum. Sed longè illustrior memoria ex saxea ab Caroli M. ævo, celebri illo Saxonum seminario Romæ, quod in Xenodochium post transijt. Fortè illo Conradus conditor hospitio benignè exceptus, cùm rediret ex itinere Palæstinæ inter cruce insignitos.

Strages Frisonum aquis haustorum.

Memorabilis hic annus Frisonum clade. Pugnant illi peregre omnium propè nationum fortissimi ad Damiatam, cùm domi affliguntur populares. Quippe mare supra limites longè lateque effusum plusquam decem millia hominum aquis immersos hausit. Iram Numinis creditus est provocasse ebrius Friso, qui Sacerdoti Eucharistiam ad ægrum deferenti pixidem è manibus excussit, sacra in terram Eucharistia effusa. Haud multò post ad placandum Numen, Theodoricus Monasteriensis Episcopus, cujus jurisdictioni sacræ pars magna Frisiæ asserta erat, missis literis solemnem incolis pœnitentiam indixit.

Annus Christi 1219.

Honorij III Pont. 3.
Friderici II Reg. 7.
Bernardi III Ep. Pad. 16.

Godefrid. Oliver. in epist. Ursberg. Jordanus. Odoricus in hist. Eccles.

Christiani Soldanum premunt, & Damiatam occupant.

Trahebatur in alterum hunc annum, Christi videlicet Millesimum ducentesimum decimum nonum, Damiatæ obsidio, magna cum Soldani consternatione. Is enim tanquam de retinenda Palæstina desperaret, Hierosolymam caput regni per Coradinum fratrem munimentis omnibus denudari jussit, muris & turribus in acervum lapidum congestis, ceterisque sacrorum ædibus subversis; parcitum tantummodo templi Domini, turri Davidis, & sepulchro Christi, quæ ob loci reverentiam intacta mansêre. Conjectusq; post in eas angustias fuit Soldanus, ut si Damiatam sibi relinquerent Christiani, pacta offerret, quibus totum Hierosolymitanum regnum cedebat Christianis, sumptusq; etiam ad Hierosolymæ instaurationem promittebat. Respuere illa Legatus Apostolicus, Patriarcha, Episcopi, & Templarij. Inde alternis prælijs decertatum. Ac licet Calend. Septemb. Christiani ingentem cladem acceperint à Soldano, perstitêre tamen invictis animis; nec aliorum magis celebrata fortitudo ab Oliverio nostro, quàm Templariorum, Teutonicorum, & Frisonum, & Coloniensium: continuata in Autumni exitum obsidio, qua supra triginta millia Saracenorum ferro, fame, peste in urbe absumpti sunt; eaq; fuit debilitas hostium, ut raro pro stationibus excubarent. Quo comperto, muros conscendunt, & in urbem victores Nonis Novembris prorumpunt, cæsis, qui superstites erant, Saracenis. Ingens in eo emporio auri, argenti, & mercium præda cessit militi. Cum alij permulti, tum copiosius ac ceteris etiam accuratius hanc obsidionem descripsit Olive-

Oliverius, epistola ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum, cujus autographum, ne quam fidem hic desideret quispiam, est apud Ferdinandum Episcopum nostrum; quæ epistola cùm à Gelenio sit edita, nobis hic brevitati studere visum est. *Gelen. in auct. ad S. Engelb.*

Multos hoc anno Principum conventus habuit Fridericus Rex: primum Magdenburgi per Quadragesimam; deinde Goslariæ in visceribus Saxoniæ. Ibi Henricus Dux Saxoniæ exauctoratus, jussusque auctoritate Pontificis insignia Imperij Friderico tradere; id ni faceret, imperatum erat Halberstadiensi & Hildesimensi Episcopis, Henricum Ducem urbemque Brunswicum pœnis Ecclesiæ subijcere: vicissim rogârunt, Pontifex Henricum Ducem in gratiam reciperet. Nihil officij intermisit Pontifex, ut Fridericum Regem quod jam dudum voverat, pertraheret ad expeditionem in Palæstinam: ejus etiam rei gratia Romam invitavit ad insignia capessenda; sed hæc omnia illusit Rex. Tertius Principum conventus Francofurti est habitus, in quo Henrici filium decennem puerum Regem Germaniæ ex Principum consensu instituit. *Plura à Friderico Rege comitia celebrâtur.*

Ad hæc Imperij comitia evocatus Gerhardus Bremensis Archiepiscopus. Multa huic præsuli bella fuêre cum Woldemaro Episcopo Sleswicensi per factiones contra Pontificis auctoritatem; & quia Woldemari partes susceperant Rex Daniæ, Otto Imperator, Henricus Palatinus, alijque adversarij cum magnis illi æmulis luctandum fuit; donec à Bremensibus Ministerialibus ejecto Woldemaro introduceretur in urbem. Tam indignè id tulit Otto Imperator, ut ferro flammaq; totam diœcesin evastaret. Bellum id fumabat adhuc, alebaturq; ab Henrico Palatino Ottonis fratre, alijsq; Gerhardi hostibus. Quare à Friderico Rege Francofurtum evocatæ dissidentium partes. Eò dum Gerhardus accedit, Francofurti moritur. Vir egregiè de Ecclesia sua meritus. Ac tam grata hujus memoria erat, ut in ejus locum Canonici eligerent Gerhardum Paderbornensis Ecclesiæ Præpositum, Gerhardi hujus Senioris Archiepiscopi ex fratre nepotem; Quippe, qui Bernardo Comite Lippiensi Monacho, Abbate, & Episcopo in Livonia genitus erat, fratremque habebat Ottonem Ultrajectensem Episcopum, & Bernardum Præpositum Embricensem, eum, qui post Paderbornensis Episcopus est delectus; quibus accedit quartus è clero frater Theodoricus Præpositus Daventriensis. Quæ & auctor Chronici Montis Sereni eorum temporum scriptor ad hæc tempora refert; ita enim hic: *Bernardus Comes de Lippia post multa bella*, quæ gessit, *Deo inspirante, animo habituq; mutato, in quadam Ecclesia novella, quæ primitus Hasevvinckele dicebatur, primùm Cistertiensis ordinis Monach⁹ factus, ac deinde cuidam provinciæ Livoniensi Episcopus electus, et à filio suo Episcopo de Utrecht consecratus est. Cum quo etiam sequenti anno,* Christi videlicet 1220, *alium filium suum Bremensem Archiepiscopum consecravit.* Atq; hic *Gerardi Bremensis Archiep. obitus, stirps & commendatio.*

hic ille Gerhardus eo nomine II Bremensium Archiepiscopus, quem Bernardus Pater, & Otto frater Ultrajectensis, Episcopi, raro antiquitatis & posteritatis exemplo, consecrârunt Episcopum. Et Gerhardus exinde Patris, avunculi, fratrisq; Ottonis gloriam æmulatus, præclara ex toga sagoq; gessit pro Ecclesia Bremensi, ob quæ cognomento victoriosus est dictus. Omnes hi Comites Lippienses & sacrorum præsules, origo & decus Paderbornensis diœcesis. Unicus ex his filijs familiæ stirps relictus Hermannus Comes, Lippiensium exinde Comitum propagator, qui pro fratris in Palæstina absentia Ultrajectensem provinciam sapienter administrabat.

Annus Christi 1220.

Honorij III Pont. 4.
Friderici II Regis 8. Imper. 1.
Bernardi III Ep. Pad. 17.

Godefrid. Histor. Ultra. Heida in Otton. Comitia Francofurtensia, in quibus primò decernitur profectio in Italiam. *Brovver. in annal. Trev.*

Alterum dehinc anno proximo Francofurti conventum indixit Fridericus Rex, habuitque accessum Principum frequentissimum. Quemadmodum id constat ex Diplomate Friderici, Ottoni Ecclesiæ Ultrajectensis Episcopo XIII Calend. Maji consignato. Testes quippe hujus diplomatis producuntur Sifridus Moguntinus, Engelbertus Coloniensis, Theodoricus Trevirensis, Albertus Magdenburgensis Archiepiscopi: Hugo Leodiensis, Otto Trajectensis, Engelbertus Bambergensis, Conradus Ratisbonensis, Hartwicus Eystedensis, Theodoricus Monasteriensis, Henricus Wormatiensis, Engelhardus Nuwenburgensis, Henricus Basileensis, Episcopi, & alij quam plures; ut verisimiliter inter eos censeam Bernardum Episcopum nostrum; nec enim in hujusmodi tabulis omnium in Comitijs præsentium nomina scribuntur. Comites adscribuntur Otto Teclenburgicus, Hermannus de Lippia, Wernerus de Boland, Imperialis aulæ Dapifer. Eo in conventu Principum actum de profectione in Italiam ad Imperij insignia capessenda à Romano Pontifice, quæ & Principum assensu comprobata sunt. Imperij interim cura penes Henricum filium relicta, cujus impuberem ætatem Wernero Bolandiæ Comiti ac Dapifero suo primùm regendam dedit; sed eo post in Palæstinam digresso, Engelberto Coloniensi Archiepiscopo filij & Imperij cura est commissa.

Gelen. in Engelb. vita Deinde varijs Germaniæ Episcopi privilegijs à Rege exornantur.

In his comitijs, ut se gratum beneficumque ostenderet Fridericus Rex, insigni privilegio Episcopos Germaniæ decoravit. Ejus hæc capita sunt: Bona Ecclesiastici Principis à morte relicta cedant Successori, si intestatus excesserit, aut ei quem hæredem scripserit; nihil ex his fiscus, nihil Laicus ex illis sibi vendicet. Nova telonia intra ejus jurisdictionem non introducantur: vetera maneant. Fugitivi Episcoporum servi intra civitates aliorum non recipiantur. Advocati nullum

nullum damnum Ecclesijs inferant; illatum restituant. Rex jura bonaque Episcoporum tuebitur. Excommunicatos ab Episcopis, postquam rite denunciati fuerint, non recipiet, nec locus eis dabitur consistendi in judicio, priusquam intra sex septimanas se absolvi curent. In fundis Episcoporum non ædificia, non castra, non civitates construantur; constructa diruantur. Nulli ex Cæsareis, ac Magistratibus Ministrisve liceat unquam in civitate Episcopali jus dicere, vectigalia teloniave imperare, nisi ipso solo octiduo post & ante conventum in ejusmodi urbe jussu Cæsaris indictum; quod si alio, quàm curiæ nomine, Cæsar ad Urbes illas veniat, nihil jurisdictionis attingat. Testes hi sunt, Sifridus Moguntinensis Archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, Albertus Magdenburgensis Archiepiscopus, Hugo Leodiensis Episcopus, Otto Trajectensis Episcopus, Engelbertus Bambergensis Episcopus, Conradus Ratisbonensis Episcopus, Hartwicus Eystediensis, Theodoricus Monasteriensis Episcopus, Henricus Wormensis Episcopus, Engelhardus Newenburgensis Episcopus, Henricus Basileensis Episcopus, & alij quam plures. Signum Domini Friderici secundi Romanorum Regis invictissimi, & Regis Siciliæ. Ego Conradus Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius vice Domini Sifridi Moguntinensis Sedis Archiepiscopi ac totius Germaniæ Archicancellarij recognovi. Acta fuerunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M C C X X, Indictione nona, regnante Domino Friderico secundo Romanorum Rege & Siciliæ gloriosissimo, anno Regni ejus in Germania VIII. Sicilia vero XXIV. Datum apud Francfort 6 Calend. Maji.

* Friderić Imperator Romæ coronatur. *Godefrid. Ursberg. Richard. de S. Germ. Albert. Stad. in Chron. Stero in annal. apud Canis. Chron. Mont. Ser. Trithem. qui male ad annum præcedentem hæc refert Chron. Colm. Australe. Evalgense.*

* Constituta Republica, in Autumno Frideric' Rex, florentissimo præsulum sacrorum ac Principum comitatu, iter Romanum ingressus, postquam transcensis Alpibus Veronam attigit, scriptis ad Honorium Pontificem literis adventum suum significat. Inde Romam invitatus solemni ritu in Basilica Principis Apostolorum festo D. Cæciliæ ab Honorio Pontifice augustalibus ornamentis indutus, Imperator coronatur: simul Constantia conjux ijsdem honoribus decorata. Pompâ peracta, admonitus Imperator voti exsolvendi, quo bellum sacrum professus fuerat, ab Ostiensi Episcopo crucem accipit, rursumque, ut Aquisgrani fecerat, ad sacram se militiam vovet. Roma in Apuliam digressus multa cum finitimis Saracenis, ut Trithemius scribit bella gessit; nihilque impensius habuit, quàm ut Apuliam & Calabriam sibi ex paterna hæreditate assereret subjectas.

Imperij interim administratio penes Engelbertum Colon. Archiep.

Imperij interim administratio Engelberto Coloniensi Archiepiscopo data. Is enim tanquam alter Anno aliquis, qua erat auctoritate & sapientia apud Principes, Germaniam sub auspicijs Henrici filij decennisq; pueri magna tranquillitate bonoq; gubernabat: interq; præclara ejus opera memorantur exacti prædones, compositæ lites, dotata institutaq; religiosorum Cœnobia, restituta pax & disciplina

Sub quo Franciscani & Dominicani introducti in Diœcesin. Colon.

cleri. Felix etiam Colonia & diœcesis Coloniensis duorum religiosorum Florentissimorumq; ordinum, Dominicanorum & Franciscanorum accessu, qui exinde latè per Westfaliam & Saxoniam propagati. Ac Dominicani primi Ductoresque aliorum fuerunt Henricus Theutonicus, & Jordanus Saxo, viri doctrina, religione, atque vitæ sanctimonia ea tempestate celebres; qui quo Parisijs in literarũ studia convenerant, eo simul Spiritu divino afflati, in Dominicanorum familiam à Reginaldo, quem S.P. Dominicus Parisios miserat, cooptati erant. Utrumq; miris laudibus exornat Cantipratanus, æqualis temporum scriptor, & Henrico Theutonico familiaris; ab eoq; uterq; Saxo appellatur, ùt & alij, qui originem utriusque viri accuratius investigant, gente Westfalos, & in diœcesi Paderbornensi natos tradunt. Sanè Henricus Theutonicus patruum habuit militem, ut Cantripratanus refert, in partibus Theutonicis atq; Oppido Montis Martis, à quo Parisios juvenis fit missis ad sublimiora studia capessenda. Is autem locus, qui nunc Stadberga vulgo dicitur, à Caroli M. ævo intra jurisdictionem Episcopi Paderbornensis censetur; quemadmodum & mons ille Corbejensibus nostris attributus est à Carolo M. De Jordano, qui post D. Dominicum supremus ordinis magister Rectorque delectus est, certior etiam fides. Nam Jordanum, quem Leander, Albertus Bonnensis, & Theodoricus Saxonem vocant, hunc Cantipratanus scribit natale Oppidum habuisse Botergam. Quæ autem illa Boterga sit inter Saxones Westfalosve, multum requirunt Scriptores. Fasti Osnabrugenses à Fransisco Wilhelmo eorum Episcopo editi, Badbergam ejus diœcesis pagum in Satrapia Furstenavensi ad Hasam fluvium interpretantur, suæque diœcesis indigenam statuunt Jordanum. At dum annales Dominicanorum Jordano natalem locum in Mognntina diœcesi fuisse scribunt, nec Badberga Osnabrugensis Oppidum hujus diœcesis sit, alibi natalis locus quærendus est. Quapropter Gelenius, Malinckrotius, atq; ex eorum sententia Bollandus & Henschenius Bortgentricâ, Oppido diœcesis Paderbornensis, oriundum volunt. Alij Padberga natum censent quæ arx per id tempus celebris erat in edito monte cum subjecto Oppido, ac sedes Dynastarum Padbergensium, haud procul à monte Martis; ut verisimile habeas Henricum Theutonicum & Jordanum ex vicinis Oppidis populares fuisse, qui simul post humaniora studia domi exculta Parisios profecti sunt. Sive jam Bortgentricam, sive Padbergam prope montem Martis natale Jordano solum statuas, utrumque locum Paderbornensis diœcesis sibi vendicat, quæ una est Moguntinæ metropolis: & Padbergam, quidem donatione S. Henrici cessisse Meinwerco Episcopo, supra docuimus; tametsi castrum Padbergense anno 1217 ab Engelberto Coloniensi Archiepiscopo Godeschalco Patibergensi feudi titulo donatum reperiam. Adeo per id tempus Patberga etiamnum

Dominicanorum Ductores Henricus & Jordanus, Saxones & Westfali è diœcesi Paderborn.

Leander. in vita Jord. apud Sur. tom. 7. 13. Feb. Theodor. in vita S. Dominici. Cantiprad. lib. 2. c. 57.

Bolland. In notis ad vitam Jordani.

etiamnum colebatur. Nec desunt, qui Jordanum ex Padbergensium Dynastarum familia ortum volunt. Tam illustribus denuo viris nobilitata Paderborna, quorum res pro Ecclesia gestas hic supervacaneum commemorare, quæ in annalibus copiosè narrantur. *Jordani vita à Leandro conscript.*

Ex Franciscanorum quoque ordine hoc anno advenisse Coloniam primùm Sacerdotes, docet vetus templi apud Fratres Minores Coloniæ inscriptio. Id quanto Engelberti Archiepiscopi studio factum est, tanta caritate amplexi sunt illos cives, à quibus mox primus Patribus locus construendi Cœnobij ac templi in meditullio urbis attributus est. Ex his duobus Coloniensibus Seminarijs Dominicanorum & Franciscanorum latè per Westfaliam & Saxoniam familia propagari cœpta, ac brevi Franciscani provinciam XLVI Cœnobijs florentem habuere.

Sed non eò veteris instituti Monasteria Virginum neglecta, quæ uti Bernardus Episcopus noster hactenus multis donationibus auxit, & religiosa disciplina excoluit; ita Honorius Pontifex ad Episcopi commendationem Wilbacensium Virginum Cœnobio omnia privilegia ac bonorum possessiones Apostolica auctoritate corroboravit.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei, dilectis in Christi filiabus Monialibus Ecclesiæ de Wilbodessen Paderburnen diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilectæ in Christo filiæ vestris justis precibus inclinati personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Dno poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones de Waturvelde, et de Clenenberga, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ipsi Ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, IIII Non Martii, Pontificatus nostri anno quarto. Literæ Honorij Pont. quibus privilegia Cœnobij Wilbacensis confirmat.

Et vero quia per id tempus magnæ auctoritatis erat apud Cæsarem & Principes Imperij Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, multisq; turbis Saxonia concuti cœperat, Abbas Helmwardehusanus mediam Oppidi sui Helmwardehusani partem Engelberto Archiepiscopo defensionis causa cessit; neq; ingratum id erat Archiepiscopis illis, quo limites ducatus Westfaliæ, potentiamque ad ipsas simul Visurgis ripas proferrent. Quanquam & Monasterium illud & Oppidum dono D. Henrici Imperatoris Meinwerco & Paderbornensi Ecclesiæ datum fuerit, exindeque etiam cùm Abbates & Op-

pidum se jurisdictioni Paderbornensis Episcopi subtraherent, multis Episcoporum nostrorum bellis, ut ex monumentis nostris compertum habemus, oppugnati expugnatique sint. Sed nunc ipsas tabulas hactenus nondum editas, quibus inter Abbatem & Archiepiscopum conventum est, proferamus.

Abbas Helmwardeshusanus dimidietatem oppidi tradit Archiep. Colon.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Engelbertus divina favente clementia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis in perpetuum. Quoniam ea, quæ aguntur in tempore, ne ex temporis diuturnitate ab humana labantur memoria, plerumque solent indicio scripturæ æternari; Eapropter testimonio præsentium notum facimus universis, quod Abbas in Helmvvarzhusen, consilio et voluntate sui conventus, pro spe pacis ipsorum et defensionis, Nobis et Ecclesiæ Coloniensi donavit et recognovit medietatem Oppidi memorati, prout in præsentiarum inhabitatur, et in futurum ampliabitur cum moneta, theloneo, jurisdictione, censibus, et omnibus proventibus perpetuo possidendam, sub ea forma, quod jurisdictionis prædicti Oppidi per manum suam, consilio tamen et ordinatione Marschalci nostri, seu alterius nuntii nostri, in homines, qui sunt de familia Monasterii locabuntur. Quia verò Monasterium prædictum Advocatum ante non habuit, jus sibi Advocatiæ reservavit. Emolumenti autem totius exinde derivantis dimidium, sicut præscriptum est, ad nos spectabit, præter quam gladii exempti. Judex autem jurabit, quod quæstum omnem sepefati Oppidi fideliter tam nobis quam Abbati partietur. Adjectum quoque est quod jus patronatus adhuc ibidem construendæ ad Præpositum pertinebit, et ipsius Ecclesiæ redditus utilitati fratrum provenient ad stipendiorum suorum supplementum. Ab hac autem donatione excipiuntur Allodium Monasterii memorati, duo molendina eidem ab antiquo pertinentia, duæ areæ piscatorum, et una area fabri, Abbati specialiter deservienti. Quæ omnia sicut et nunc integraliter ad Monasterium spectabunt prænotatum. Si processu vero temporis aliquis successorum nostrorum de bonis prælibati Monasterii plus sibi quam ordinatum et conscriptum est, usurpare attemptaverit, omnia quæ Ecclesiæ Coloniensi donata sunt, ad ipsum Monasterium redibunt. Ut autem hæc omnia rata et inconvulsa, futuris observentur temporibus, sigilli nostri ac majoris Ecclesiæ Coloniensis Karactere præsentem paginam fecimus insigniri. Hujus rei testes sunt Conradus majoris Ecclesiæ Coloniensis Præpositus et Archidiaconus, Gozvvinus major Decanus et Archidiaconus, Hermannus S. Gereonis Decanus, Gerhardus Decanus S. Severini, Vortlivus Decanus S. Georgii, Henricus Præpositus Carpensis, Pylegrinus et Godefridus Notarij, Joannes Præpositus Heldevvardensis, Geringus Decanus, Bertoldus Custos, Conradus Camerarius, Joannes Plebanus et Præpositus, Adolfus Comes de Marchia, Hermannus de Lippia, Hermannus Advocatus Coloniensis, Hermannus Marschalcus, Bruno Pincerna, Riquinus Marschalcus Westphaliæ, Hermannus Scultetus Susatiensis, et alii quamplures. Acta hæc sunt Anno Dominicæ Incarnationis Mducentesimo vigesimo, decimo septimo Calend. Augusti, Indictione octava.

Annus

Annus Christi 1221.

Honorij III Pont. 5.
Friderici II Reg. 9. Imp. 2.
Bernardi III Ep. Pad. 18.

Inter hæc Pontifex hoc anno nihil sollicitius egit scriptis ad Reges & Germaniæ Principes literis, quàm ut aliæ atq; aliæ suppetiæ in Palæstinam mitterentur. Hanc in rem in Germaniam miserat Conradum Moguntinum Scholasticum ac pœnitentiarium suum, qui populos ad sacrum bellum inflammaret. Fecit id ille constanter. Ac licet interea Hildesiensis Episcopus esset delectus, eamque electionem ratam habuisset Pontifex; non destitit tamen Pontifex cœpti muneris admonere rogareque, ut per ceteros Concionatores eadem opera sumeretur. Ob id scriptæ etiam ad Saxoniæ Ducem literæ, quibus idem efflagitat Pontifex. Et capta quidem magno triumpho Damiata tenebatur à Christianis; sed ea pericula imminebant à Saracenis, & recessu Christianorum ex militia & castris, ut nisi alia subsidia advenirent, omnis hactenus parta victoria cum probro Christiani nominis refluxura nunciaretur ex Syria. Quare ad Pontificis sollicitationes tantus ex Germania, Italia, Francia, Anglia, ceterisque regnis fluxit cruce signatorum exercitus, ut septuaginta armatorum millia (Godefridus ad ducenta millia auget) numerarentur, qui Damiata egressi secundum Nilum, pars terra, pars flumine, Cairum versus ingentibus animis iter instituêre; tanquam Cairo expugnato totam Ægyptum inter se divisuri. Jam ad quatuordecim milliaria processerant, cum Saraceni, ubi Nilus se in duo scindit divortia, se objecêre cum innumeris copijs, Castello etiam munitissimo excitato, in ulteriori ripa, ex quo transitus Christianis præclusus, ne qua annona subvehi posset. Ibi cùm inter fluctuantia consilia hærerent Christiani, decem millia ab exercitu recessêre; sed eo animosiores, qui in terrestri exercitu erant, Saracenos cum magna clade repellunt; quibus exacerbati barbari verso in Christianos furore septingentas & quinquaginta Christianorum naves injecto igne græco exurunt: interclusisque terra & flumine vijs, exercitum Christianorum retro paludes compellunt. Tum verò solutis Nili cataractis, infusisque, quas inter colles collegerant aquis, tanquam rete inclusum piscem tenuêre. His angustijs circumventi, ut vitam redimerent, coacti sunt sese Soldano in natali Virginis dedere; interque cetera pacta Damiatam restituere convenit. Triginta millia captivorum erant; quos tamen benignè & sine maleficio abire permisit. Mira rerum catastrophe ex abditis Dei judicijs ingemiscente orbe Christiano, ex tanto belli apparatu tantisque laboribus non nisi miserandam cladem nunciari, omniaque refluere ad Saracenos, dum summa felicitas non capitur.

Odoricus in hist. Eccles. Honor. Epist 351. Godefrid. Ursberg. Paris. ex literis Alberici. Petrus de Monte acuto.

Pontifex bellum sacrum promovet.

Infelix Christianorum cum Saracenis congressus.

Hoc

Hoc malorum conspectu Oliverus noster, quem ad id tempus adhuc in Palæstina substitisse dixerim, magnopere afflictus cum suis Coloniensibus in Germaniam redijt; salutatoque ex itinere Romæ Honorio Pontifice, omnem rei eventum exposuit: quem ille virum ob fervorem religionis, sapientiam, fidos sacri belli labores tanti fecit, ut biennio ab hinc Paderbornensi Episcopatu decorarit.

Binius p. 2. tom. 3. concil. Gelen. in vita Engelb. p. 85. 86. 87.

Engelbertus à Pontifice admonetur, ut Advocatorum insolentias coërceat.

Hærebat per hæc in Italia Fridericus Imperator, jus per Thusciam & Lombardiam dicendo: cum Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus jam plena potestate donatus Imperij res vicario munere præclarè administrabat, filiumque Imperatoris Henricum domi apud se egregijs Principum moribus & institutis formabat. Monitus is erat hoc anno ternis à Pontifice Honorio literis, Advocatorum insolentiam & injurias censuris ac pœnis Ecclesiasticis coërceret. Nam id genus hominum magno passim per id tempus Ecclesiarum & Cœnobiorum malo per Germaniam invalescebat; quòd sub velamine malitiæ, ut Pontifex scribit, libertatem in bonis Ecclesiasticis ex jure Advocationis obtenderent: nec solum prodigaliter debaccharentur, sed & prædonum in modum bona Ecclesiæ diriperent. E quorum numero tum compertus, accusatusq; apud Pontificem Fridericus Isenburgicus Comes ad Ruram, qui Essendiensis Collegij Virgines, quas Pater vexaverat, ipse spolijs ad inopiam prope exhauriebat; nihil verò intermittebat Engelbertus, quo consanguineum Comitem ad saniorem mentem reduceret. Quibus Comes magis efferatus cœpit spoliare Virgines, & Archiepiscopi monita contemnere, donec res in tragicum Engelberti exitum post quadriennium erumperet.

Idem Marienfeldenses tuetur adversus injurias Comitis Sualenbergensis.

Literæ Campi Mariæ.

Haud dissimili insolentia divexabat Marienfeldense Cœnobium Volcquinus Swalenbergensis Comes, nobile prædium Stapellagium cum æde sacra per vim rapiendo; quod cùm Winricus Abbas doceret à Widekindo Rhedensi Dynasta & Waldecensibus Comitibus olim rite Cœnobio donatum, Engelbertus cùm per Westfaliam jus diceret, in publico multorum præsulum ac procerorum conventu, cui Bernardum Paderbornensem Episcopum nostrum adesse voluit, Volcquinum Comitem ad restitutionem compulit: ac ne deinceps turbaret religiosos viros, tabulas comminatione anathematis intentatâ confecit. *Testes hujus rei sunt Dominus Bernardus Paderbornensis Episcopus, Conradus majoris Ecclesiæ in Colonia Præpositus. Henricus Abbas Helmwordishusanus, Albertus Abbas Paderbornensis, Godefridus Comes Arnsbergensis, Adolphus Comes de Dassele, Adolphus Comes de Marka, Otto Comes de Eversteine, Hermannus Comes de Lippia, et Bernardus filius ejus, Bernardus de Osedhem, Bertholdus de Buren, Godeschalcus de Patberg, Wernerus de Brakele, Hermannus de Rudenberg et Conradus filius ejus, Rotgerus de Burbunne, Schultetus Susatiensis, Henricus Mareschallus, Everhardus de Everthe, Widekindus de Nurenberg, Hollebertus de Manen, Bertholdus*

dus de Hildeshem, et alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXXI. Indict. IX, Pontificatus nostri anno IIII.

Rursum Bernardus Episcopus noster hoc anno, quem XVII Pontificatus sui inscribit, Wilbacensi Virginum Cœnobio decimas novalium Amelungi Comitis elargitur. Præsul, qui continuis donationibus, & pietatis officijs (qua super re tabulæ apud nos extant testibus consignatæ) se ad felicem vitæ exitum ex senio parasse visus est.

Annus Christi 1222.

Honorij III Pont. 6.
Friderici II Reg. 10. Imper. 3.
Bernardi III Ep. Pad. 19.

Pacatissima per id tempus Germania quam Friderics Imperator Henrico filio & D. Engelberto adolescentis moderatori, viro sapientissimo, regendam dederat. Atque is postquam ex Italia ab Imperatore literas accepit de inaugurando filio, legatique ejus rei gratia ab Imperatore accessêre in Germaniam, Engelbertus Aquisgrani conventum Principum indixit, in quo magna celebritate Henricum eo nomine VII, Germanorum Regem, ex Maria Aragonia susceptum, VIII Jdus Maji, Dominica quæ ascensionem Christi antecedit, coronavit. Id cùm ab Engelberto Coloniensi Archiepiscopo factum scribat Godefridus, Cæsarius, alijque, falli dixeris scriptorem, qui ab Ottone Herbipolensi Episcopo inunctum tradit. Interfuêre coronationi Episcopi ac Principes viri permulti, quorum magna pars ex diplomate, quod Miræus recitat, Aquisgrani consignato constare potest: Sifridus nimirum Moguntinus, & Theodoricus Trevirensis Archiepiscopi, Conradus Metensis & Spirensis Jmperialis aulæ Cancellarius, Hugo Leodiensis, Herbipolensis, & Augustanus Episcopi. Godefridus Comes de Dyst, Comes Palatinus Rheni, Comes Ludowicus de Wertenberg, Adolphus Comes de Marke, Fridericus Comes de Altena, Theodoricus de Hinsberg, Lotharius Comes de Hochsteden, Comes de Cassele, Henricus Dapifer de Wadburg, Pincerna Wernerus Bolandt, Gerhardus de Seneka aliique. Quibus tamen non excluduntur reliqui Episcopi, quos inter Bernardum Episcopum nostrum ex ea celebritate numeraveris.

Henricus VII Germanorum Rex ab Engelberto coronatur. *Godefrid. Cæsarius l. 1. c. 5. in vita Engel.* *Miræus in not. Belg. c. 196.*

Annus hic licet Imperio quietissimus, horribili tamen terræ motu 3. Jdus Januarij concussa Germania, quo multa ædificia in ruinam data. In Saxonia ingens nubes tempestate cœli rupta Oppidum Jssere cum Monasterio D. Benedicti Winendeburg intra duos montes situm obruit, hominibus pecoribusque extinctis. Alibi in Saxonia 20 homines in theatro fulmine simul perculsi interiêre. Multis ejusmodi prodigijs annus fatalis fuit. Fine anni, pridie videlicet Nonas Novembris, celeberrima in Westfalia Monasterii Cistertiensium quod

Cæsarius l. 10. & 50. c. 51. & 41.

Mariæ

Chron. Mariens. Justin. in Lippif. Heister. in suffrag.

Consecratio templi Marienfeldensis

Mariæ campus dicitur Basilica dedicata est. Magna celebritate hæc consecratio peracta est; ad quam Episcopi convenêre Theodoricus Monasteriensis, Adolphus Osnabrugensis, Contadus Mindensis, & Bernardus de Lippia Seloniensis, seu ut alij vocant, Lealensis in Livonia Episcopus; aramque principem consecravit Theodoricus Monasteriensis, Adolphus Osnabrugensis, Conradus Mindensis, & Bernardus de Lippia Selonensis, seu ut alij vocant, Lealensis in Livonia Episcopus; aramq; principem consecravit Theodoricus Mindensis Episcopus; ea quæ ad sinistram chori partem sunt altaria consecravit Mindensis, quæ ad dextram Osnabrugensis, cetera Bernardus Lealensis Episcopus. Magnifica in hunc diem Basilica, & solidi operis structura, in qua tot annis laboratum. Sed non minus inter Episcopos spectabilis Bernardus Lippiensis, ante complures annos ex Gomite ac belli Duce in eodem Cœnobio Monachus, vir senio venerabilis & Spiritu Apostolico plenus, à quo per id tempus Lipstadij in Oppido, quæ prima & hæreditaria Lippiensium Comitum Sedes fuit, tum Schawenburgi, alijsq; in locis complures ædes sacræ altariaq; consecrata sunt.

Turbatus Livoniæ status, cui causam dedêre Templarij.

Albert. Stadens. Honor. epist. 218. & 221. lib. 6.

At quæ causa virum hunc ex Livonia in Westfaliam evocârit, commonstrat afflictus Livoniæ status, quòd per id tempus Livones Estienses à Catholica religione ad Idolorum cultum relapsi, fœdus cum barbaris & Ruthenis inierint. Qua gentis rebellione ante biennium Theodoricus Estiensis Episcopus, quem à Bernardo Episcopo nostro Pontifici commendatum & in Saxonia consecratum Episcopum diximus, interemptus martyrij lauream cum Bertholdo antecessore suo Episcopo conjunxit; quemadmodum hæc Albertus Stadensis scribit. Magnam hujus rebellionis causam dedêre Templarij, recens ad Christi fidem deductos Livones iniquis modis vexando, & candentis etiam ferri judicio insolentius tractando; quo factum est, ut Ruthenis accedere maluerint Livones, & ab ijs Græcorum ritus suscipere. Ob quæ crimina Templarij ad Honorio Pontifice serio admoniti, & graviter perstricti sunt. Et Honorius Pontifex licet hoc anno totus esset in excitandis Christianis Principibus ad prioris cladis ignominiam quam à Saracenis acceperant vindicandam; non tamen omisit epistola ad omnes Saxoniæ Principes data inflammare simul Saxonum animos ad cœptum Livoniæ bellum adversus barbaros, rebellesq; ejus provinciæ populos. Ac Livoniam quidem & Lealensem provinciam hoc anno Daniæ Rex cum Alberto Comite ingressus, fugatisq; christiani nominis hostibus urbem in ea condidit; quæ tamen haud multò post à paganis eversa est. Hæc igitur Livoniæ & Ecclesiæ suæ necessitas excivit Bernardum Episcopum in Westfaliam ad nobilium ceterorumque quos in Livoniam secum traduceret, animos secundum Pontificis voluntatem, excitandos. Ac divino munere ad id opus obtigisse videri poterat Bernardus Episcopus, qui ex

ex familiæ inter Westfalos claritudine & consanguinitate novum rursum agmen tam militum quàm Sacerdotum secum duxit in Livoniam; totaque hæc expeditio Saxonici exercitus tam felix fuit, teste Stadensi, ut & vindicta sumpta à rebellibus, & Christi religio inter barbaros sit firmata. Cœpit post illa seminarium illud nobilitatis Westfaliæ in Livonia quotannis concursu inclarescere, familiis in hunc diem claris. Perstitit ab hoc successu Bernardus in Livonia, & Solonensi suo Episcopatu, magnus ad extremum vitæ Christianæ religionis inter barbaros propugnator. Illustrior ex sacra toga Christi miles, quàm ante ex sago militari conspectus. Quanquam ad quem exinde annum vita illius extracta sit, nondum ex certis monumentis compertum habeam. Nam qui ex scripto quodam Hermanni filij, quod anno 1244 obsignasse traditur, superstites annos vitæ æstimant, longius mihi procedere videntur, quàm ætas ferre possit. Mortuus est in Osilia Insula; Ac cùm Dunemundæ Abbas in continentem corpus transferret, coorta tempestas Abbatem & vectores in mare excussit demersitque: altera die Abbatis & Episcopi corpora ad littus delata uno simul tumulo integuntur; tanquam morte conjungi voluerit Deus, quos vita semper conjunctissimos habuerat.

Vidit & hoc anno Westfalia Jordanum suum in locum D. Dominici, quem superior annus 8. Idus Augusti cœlo intulerat, supremum ordinis magistrum subrogari. Vix ille triennium ordinem religiosæ vitæ expleverat, cùm Parisijs in comitijs Patrum supremæ illi præfecturæ communi suffragio admovetur. Tantæ in viro naturæ dotes & doctrinæ, tam matura prudentia vitæque sanctimonia conspecta. Surgentem florentissimum ordinem in XV annum præclara cum laude rexit, quem latissime per Saxoniam nostram & universam prope Europam incredibili Ecclesiæ fructu propagavit. Memorant supra mille religiosos suo consilio vitæque exemplo traxisse ad ordinem suum; quos inter Albertus M. & Joannes gente etiam Westfalus ac quartus ordinis supremus Rector. Supervacaneum referre cetera, cùm ea Leander Bononiensis in vita Jordani luculenter conscripserit. *Jordanus secundus ordinis prædicatorum Generalis.*

Sub id tempus, cùm Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus Attendoriam in Ducatu suo Westfaliæ præmuniret; & jure civitatis donaret, aliam quandam munitionem Oppidumque haud procul à Cœnobio Helmwardeshusano ad fines Hassiæ construxit, exornandi firmandique Ducatus sui causa; id quia juri Abbatis Helmwardeshusani derogabat, in controversiam venit; quæ tamen haud multò post inter duos hosce præsules amicè composita est, & ab Honorio Pontifice interpellato hisce literis composita. *Controversia inter Archiep. Colon. & Abbatem Helmwardeshus. opera Honorij PP. componitur.*

Honorius Episcopus, Servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati et conventui Monasterij de Helvvardeshusen salutem, et Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod justum et honestum est, tam vigor equi-

tatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino filij vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem, quæ inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum Coloniensem Archiepiscopum ex altera super munitione quadam et Oppido juxta Monasterium vestrum constructis, et rebus alijs amicabiliter intercessit, sicut sine pravitate providè facta est, et ab utraq; parte sponte recepta, et hactenus observata, et in ejusdem Archiepiscopi literis exinde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. VII Calend. Februarij Pontificatus nostri anno septimo.

Bernard9 Ep. Gerdensi Cœnobio donat prædium Burch dictum.

Haud minus laudibili opere Bernardus Episcopus noster liberalitatem suam expendit in dotandis Cœnobijs suæ diœcesis, demerendisque sibi religiosorum precibus apud Deum: ejus rei gratia hoc anno prædium Burch à Meinwerco Ministeriali suo, quod feudi dono tenebat, certa pecuniæ summa à se redemptum Virginibus Gerdensis Cœnobij pia liberalitate contulit, certa spe, ut in tabulis addit, confisus. *Ecclesiam Paderbornensem nullo Laicorum ministerio tantùm juvari posse, quantum indefessis Virginum Christi orationibus defendi*; tanquam incolumitates suæ diœcesis inter civilia bella magis adscriberet religiosorum suorum precibus, quàm castrorum munimentis. *Acta sunt hæc anno gratiæ MCCXXII. Testes Joannes Scholasticus Ecclesiæ majoris, Conradus Custos, Wernherus de Arnheim Mindensis Canonicus, Cappellarii nostri Magister Bernhardus et Godeschalcus, Laici Bernardus de Osede, et Ministeriales nostri alijque, quamplures.*

Annus Christi 1223.

Honorij III Pont. 7.
Friderici II Reg. II Imp. 4.
Bernardi II Ep. Pad. 20 & ultim.

Odor. in hist. Eccl. Honor. l. 7. epist. 141. & 176. ad Philip. Franc. Regem.

Pontifex pro expeditione in Palæstinam denuo suscipienda concilium militare celebrat.

Inde postremum vitæ annum ingressus Bernardus Episcopus noster, Christi videlicet vigesimum tertium supra millesimum ducentesimum, quo Honorius Pontifex militare concilium in Campania habuit: ad quod accessêre Fridericus Imperator, Joannes Hierosolymitanus Rex, ac tres supremi militarium ordinum magistri, Hospitalarium, Templariorum, & Teutonicorum, alijque rei militaris experientissimi duces ac proceres. Actum eo in concilio de subsidijs belli sacri adversus Saracenos ex priori victoria Palæstinæ incumbentes. Magnum hujus rei momentum attulit Fridericus Jmperator, expeditionem in Syriam professus; quam in rem ipsi filia Hierosolymitani Regis desponsata (nam priorem conjugem superiori anno amiserat) quæ tum Regina appellata, eoque consilio Jmperatori data, ut dotatus

dotatus regni sacri titulo bellum sacrum majori animo capesseret. Hinc Siciliæ Rex, qui tum Fridericus erat, Hierosolymitani regni titulum habuit. Pontifex cùm ad omnes Europæ Reges, tum scriptis etiam ad Thuringiæ Landgravium ac Saxones literis, ad sacrum illos bellum invitavit. Ad has Pontificis literas Concionatores, ut Godefridus scribit, populum incenderunt, personuitque tuba belli sacri per totam Germaniam & Saxoniam. Ac ne ex Dania belli hujus subsidia impedirentur, scripsit Pontifex ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum, ageret de Waldemaro Rege Daniæ liberando, quem unà cum filio Henricus Comes Suerinensis per astum militarem noctu interceptum captivumque arce Danneburgensi ad Albim incluserat. Idem negotium liberandi Regis Lubecensi, Verdensi, ceterisque Saxoniæ Episcopis à Pontifice commendatum. Quam in rem Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, Imperij Vicarius, Northusij conventum Principum indixit; quo tamen Regis liberatio nondum impetrata à Suerinensi Comite, uti Godefridus est auctor. Invisus enim erat Rex Waldemarus, qui non modò Archiepiscopi Bremensis, sed & alijs Comitibus urbes castraque intra Imperij fines eriperet; Regum nimirum actus ambitione & cupiditate, flammæ instar vicina corripiente.

Honor. epist. 178. l. 7

Honor. lib. 8 epist. 82. Godefrid. in annal. Albertus Stadens. in Chron. Histor. Bremens. Archiep. Crantz l. 7. Saxo. c. 38.

Aucta est Ecclesia Paderbornensis hoc anno civitate Brakelensi; & castro Hindenburgensi, quod in edito adsitoque urbis monte conspicitur, & nunc Hinneburg appellatur, sedes nobilium Assenburgicorum. Hæc enim duo loca donatione Abbatissæ Herisiensium Virginum Canonicarum ultro Bernardo Episcopo oblata, & tradita sunt: sive id liberali dono gratoque Virginum animo sit factum, sive insolentia civium & fiduciariorum nobilium, inermes Virgines divexantium, quod verisimilius reputes. Hinc illæ ad tutelam ceterorum bonorum Paderbornensi Episcopo ejusque Successoribus donare, quàm in profanorum manibus relinquere maluerint, quæ ipsæ Cæsarum ac Regum liberalitate largius acceperant, quàm posteriorum temporum iniquitas perferre sineret. Digna certè Bernardi Episcopi compensatio; qui cùm ipse suas opes in Cœnobia religiosorum erogarat, hoc postremo vitæ suæ anno tam nobili dono remuneraretur; quo constaret sæpe Episcopis in disciplinam Cleri intentis, pieque ac modestè viventibus ampliora bona obvenire à Deo, quàm armis aut politicis artibus quærantur. Poscit nunc res nostra ipsas donationis tabulas proferre.

Civitas Brakelensis cum castro Hindenburg dono Canonicarum virginum Herisiensium accedit Ecclesiæ Paderborn.

Sophia Dei gratia Abbatissa secularis Ecclesiæ Heresiensis salutem omnibus inperpetuum. Temporales actus mortalium delet oblivio, nisi fideli scripturarum testimonio posteris innotescat. Quapropter notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos cum conventu nostro plures tractatus publicos et solemnes habuimus, et observatis omnibus, quæ de juris

 vigore

vigore servari debuerunt, tandem de pleno consensu, et cum bona voluntate ipsius conventus nostri, et omnium illorum, quorum in hoc fuerat consensus merito requirendus, donavimus et donamus venerabili Domino nostro Bernhardo Episcopo, capitulo Ecclesiæ Paderbornensis, donatione vera, plena, et perfecta, atq; ex nunc in perpetuum valitura, proprietatem, ac verum et directum dominium castri Hyndeneborch, et civitatis Brakele, prout murorum, et fossarum ambitu includuntur, et proprietatem septem mansorum ante ipsum castrum sitorum, quos mansos Wernherus et Johannes fratres de Hyndeneborch una cum castro Paderbornensi Ecclesiæ vendere decreverunt; prout illi mansi in toto seu in parte à nobis et Ecclesia nostra descendebant. Tradimus etiam et assignamus eidem Domino Episcopo et Ecclesiæ suæ tenutam et corporalem possessionem proprietatis prædictæ, et statuimus, ut hi, qui prædictum castrum Hyndeneborch, et Civitatem Brakele, ac dictos septem mansos à nobis hactenus in pheudo tenuerunt, et de jure tenere et recipere debuerunt, infeudationem hujusmodi à Domino Episcopo, et Ecclesia Paderbornensi petere, requirere, et recipere, ac tenere modo teneantur; hac donatione in suo robore stabiliter in perpetuum duratura, omne jus antiquum in civitate Brakele, et quidquid utilitatis, honoris, et commodi nos et Ecclesia Herisiensis et Ecclesiæ personæ atque homines nobis et Ecclesiæ Herisiensi pertinentes olim habuimus, excepta sola proprietate feudi dictæ civitatis Brakele nobis reservamus, et specialiter nobis in perpetuum retinemus; et ut in donatione prædicta Ecclesiæ Paderbornensi plenius caveamus, ubicunque opportunum fuerit, faciemus Ecclesiæ eidem de proprietate prædicta per nos liberaliter donata plenam recognitionem, et veram Warandiam tum verbis quam scriptis Domini Episcopi Paderbornensis, qui pro tempore fuerit, et sui capituli, et Ecclesiæ in hoc articulo suffragio accedente. Ut autem hæc, quæ per nos liberaliter pro utilitate Paderbornensis Ecclesiæ acta sunt in perpetuum observentur, et in oblivionem non deducantur, præsentem literam desuper confectam sigillorum nostrorum scilicet Abbatissæ et conventus Herisiensis appensione duximus roborandam. Nos vero Præposita, Decana, et conventus Ecclesiæ Herisiensis supradicta omnia recognoscimus esse vera, et pro testimonio nostræ ratificationis, approbationis, voluntatis et consensus sigillum nostrum apposuimus huic scripto. Testes hujus rei sunt Ludolfus Decanus Ecclesiæ beatorum Petri et Andreæ Paderborn. Liborius Canonicus Ecclesiæ Bileveldensis, et Notarius Reverendi Domini Episcopi Paderbornensis, Bertholdus et Henricus presbyteri Ebdomedarii Ecclesiæ Herisiensis, Henricus Capellanus Dominæ Abbatissæ Ecclesiæ prædictæ, Rabeno de Driborch, Hermannus de Herse milites, Henricus Bulemast, Everhardus de Zeldinckdorp Officialis Domini Episcopi prædicti, famuli, et alii quam plures fide digni. Datum die Dominica, qua cantatur misericordia Domini, Anno Domini Millesimo ducentesimo vicesimo tertio.

Demum

Demum quod ex memoria hujus Episcopi superest ex transacti- one quadam cum Collegio Bustorfiano, Henricum ejus Collegij Præpositum, Successoresque ejus Esbicensis Parochiæ vicorumq; duorum adjacentium Archidiaconos fecit. Atq; hic ille Præpositus, qui mox post mortem Bernardi Episcopi cum Oliverio in electionem contentionemque de Episcopatu venit. Quæ cùm Acta referantur hoc anno MCCXXIII, tum multis testibus illa dignitatis collatio consignata est; quos inter reperias Bernardum Præpositum Embricensem, Comitem videlicet de Lippia, Canonicum hujus Ecclesiæ, quem post Oliverum & Willibrandum Paderbornensis Ecclesia sortita est Episcopum. Bernardus Ep. Pad. Præposito Bustorfiano confert Archidiaconatum Ecclesiæ Esbicensis.

Nec multum hinc superstes Bernardus Episcopus, v. Calend. Aprilis mortalium numerum implevit, ut immortalibus accenseretur apud superos. Hunc obitus diem consignant necrologia Bustorfianum, Wilbacense, ac Mariæ Monasterij; eundemque hunc mortis annum nobiscum tradit Gobelinus Persona; Decessit gesto per xx fere annos Episcopatu; falliturque Crantzius, Bruschius, & Kersenbrochius, qui anno 1221 obijsse scribunt, quos ipsa narratio rerum ab eo gestarum, tabulæque per singulos annos à nobis introductæ revincunt. Vir fuit ea tempestate inter Saxoniæ Episcopos conspicuus, & ob pietatem, modestiam, vitæque integritatem magnæ apud Principes auctoritatis. Publicis modicè se immiscuit, quòd omne vitæ studium converterit in dotanda religiosorum Cœnobia, & domesticam Cleri, sacrorumque ordinum disciplinam excolendam; eo & Canonicos majoris Ecclesiæ, Clerumque pro majorum instituto intra Claustrum in communi vitæ societate religiosorum instar hominum conservavit; habuitque Collegium non modò Comitum & nobilium filijs, sed & viris in omni genere literarum eruditis florentissimum; tametsi jam Bremæ, Hildesij, Trevirensis, Monasterij, ac passim in omnibus Cathedralibus Ecclesijs prisca illa disciplina vitæque socialis ratio laxata esset. Quo verò loco in tumulum compositus sit, vetustas ipsa simul, ut alia multa hujus Præsulis facta, sepelijt. Bernardi Episcopi obitus & laus. *Gobelin. in cosmod. ætate 6. c. 64. Crantzius Bruschius in Catal. Episcop. Paderb. Kersenbr. in catal. Episc. Paderb.*

OLIVE-

OLIVERUS XXI. EPISCOPUS PADERBORN.

Oliverus gente Saxo ex Canonico Paderborn. & Scholastico Colon. Episcopus Paderborn.

SUccessorem in Episcopatu Bernardus habuit Oliverum, virum immortalis memoriæ, ac sidus ea tempestate sacrorum præsulum; sive res ab eo præclarè gestas, relatasque à nobis ex sacro bello repetere: sive Scriptorum, à quibus celebratur testimonia consulere lubeat. Hunc alij Olivarum & Olivarium, alij communius Oliverum & Oliverium scribunt. Gente Saxonem fuisse scribit Ciacconius, alijque; & verisimile dixeris ex Ducatu aut Westfaliæ provncia ortum. Quippe à prima ætate in Clerum Paderbornensem adscitus, diu apud nos vixit inter Canonicos majoris Ecclesiæ; quemadmodum in varijs supra relatis tabulis testis inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ nostræ subscripsit. Inde ad Coloniensem Ecclesiam Metropolitanam translatus, & ob egregiam doctrinam eminentemque sacrarum literarum scientiam ejus Ecclesiæ Scholasticus est expetitus; quales tum in majoribus Ecclesijs erant viri, qui Theologiam & sacras literas publicè profitebantur docebantque Clerum; uti id supra monuimus ex concilio Lateranensi, atque ex recepta à majoribus consuetudine & commendatione. Hinc Oliverus modò Magister, modò Scholasticus à Pontifice & Scriptoribus appellatur. Ejus insignem doctrinam testantur literæ, quas ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum & clerum ejus Ecclesiæ ex obsidione Damiatæ, quasque deinde ad Frisones aliosque perscripsit. Eo in Scholastici Coloniensis munere etsi ad majorem Cathedram sit evocatus, semper tamen locum in Clero Paderbornensi tenuit. Hinc Scholasticus adhuc inter Collegas Paderbornensis Ecclesiæ testis subscripsit, & in publicis conventibus ut membrum Paderbornensis Ecclesiæ causas Paderbornensium simul egit uti tabulæ à nobis supra relatæ docent. Nec aliter postea Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus, quàm ex gremio suæ Ecclesiæ Oliverus est delectus; quemadmodum & ipse Honorius Pontifex ex Canonico Paderbornensi subrogatum scribit.

Ex qua Oliverus familia fuerit.

Familiam Oliveri si requiras, eam vetustas nos ignorare voluit. Pronum interim asserere, fuisse ex veteri nobilitate Westfaliæ; quando

do plerique Canonici majoris Ecclesiæ per id tempus ex ea censebantur; nec alij quàm ex nobilitate legebantur Episcopi; & supra à nobis familia Ole ex comitatu Arensbergensi est adducta, magna nominis affinitate. Ciacconius & Gelenius Oliveri gentilitium familiæ insigne producunt, duo equina crura decussata rursumque erecta, quorum ungulæ ferrea solea obarmatæ. Sed hæc levia sunt; nec illa familiæ decora ab ipsis tum priscis, ita ut nunc, æstimata in Clero. Hinc in donationum tabulis à nobis & ab alijs passim productis Canonicorum majoris Ecclesiæ nomina sine familiæ additamento, etsi inter hos Comitum & Dynastarum filij fuerint, scripta legimus. Summum tunc in Clero decus doctrina & virtus. Hæc duo præter nobilitatem in Olivero summa admirandaque fuere; quod cùm præclara ejus facta, tum Scriptorum elogia testantur. Passim enim à Cæsario, Crantzio, Bruschio facundissimus, & ferventissimus ejus sæculi orator laudatur. Deinde bello sacro adversus Saracenos pro terra sancta recuperanda in Westfaliam, Frisiam, Brabantiam, Flandriam, diœcesin Trajectensem peragrando, convocandoque homines ad signum crucis militiamque sacram inflammavit. Quare ab Alberto Stadensi Oliverus famosissimus Prædicator appellatur; quemadmodum & à Bosio, Bzovio, & Oderico celebratus est. Atque ex hoc Apostolico munere, quod ipsi Pontificis auctoritate commissum erat, simul innumeros mortales ad pœnitentiam, vitæque melioris rationem traduxit; quorum etiam liberalitate adjutus magnam vim pecuniæ collegit, quam in expeditionem sacram, & Damiatæ expugnationem, & ubi ægrorum etiam & inopum necessitas poscebat, expendit. Ipse deinde militiæ sacræ naves conscendit cum ijs, qui ex Rheni, Amasis & Mosæ ostijs provecti, primò Ulyssipponam, deinde Marsiliam appulere; multisque tempestatibus maris jactatus in Palæstinam pervenit. Duplici semper munere in ea expeditione ferventissimè perfunctus, bellici nimirum directoris & religiosissimi Sacerdotis; qui militi laboranti nunc pecuniæ stipendio, nunc hortamento ad belli opera, nunc sacrorum ministerio noctes diesque sedulo aderat. Summam exinde sacræ militiæ laudem consecutus ad Damiatam; quippe ejus machina & fortitudine Pharus munitissima turris in medio Nilo urbi objecta, ut supra diximus, expugnata est. Hæsitque post illa per annum in obsidionalibus castris Coloniensium, Frisonum, Saxonum & Westfalorum supremus sacrorum præses, & belli moderator; donec ipsa urbs, Ægypti claustrum, in potestatem Christianorum veniret. Quo exinde anno ex Palæstina regressus sit, an post amissam rursus Damiatam secundo ab hinc anno, an citius, exploratum non habeo. Certè Frisones non nisi post cladem in Ægypto acceptam redijsse apparet ex Epistola Hierosolymitani Patriarchæ, qua commendata eorum egregia fortitudine, remigrandi in Patriam facultatem permittit. Horum omnium operum

Gelen. in vita Engelbert. lib. 1. p. 74.

Cesar. lib. 3. c. 6.

Crantz. l. 9 c. 39.

Brusch. in catal. Ep.

Cesar. l. 10. c. 37.

lib. 3. c. 6.

lib. 4. c. 10.

lib. 10 c. 25.

Albert. Stadens. in chron.

Bosius lib. 8. histo. sacra milit. Hierosolym.

Bzovius l. 2. c. 3. n. 9.

Quî in expeditione in terram Sanctam se gesserit.

rum virtutumque in Olivero pulcherrimum ornamentum vitæ castissimæ integritas & modestia; tantæq; erga omnes fuit demisionis, ut non aliter se quàm peccatorem & servum fronti literarum inscribere solitus sit. Ita in epistolis ad Frisios, ita in epistolis ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum, & præsules ejus Ecclesiæ legas. Quo deinde Spiritu Dei, quo fervore religionis inflammatus fuerit, satis ea ad Clerum Coloniensem epistola commonstrat.

Dissensio in electione Episcopi.

Attamen talis tantusque vir non sine æmulo & multorum invidia ad Episcopatum Paderbornensem pervenit. Quippe superiori Episcopo mortuo, Paderbornenses in factiones abiêre; eo fœdiori malo, quòd hactenus nunquam ejusmodi schisma in electione Episcopi Paderbornensis intervenerat. Abbas Cœnobij Abdinghoviani cum suis Monachis, & Canonici Bustorfiani Collegij elegerunt Henricum, Bustorfiani Collegij Præpositum. Quibus præ ceteris accessêre Wernerus, Bernardus, & Hermannus fratres Præpositi, milites Brakelenses. Ceteri Cathedralis Ecclesiæ Præsules & Canonici è Clero primario, quorum longè major saniorque pars erat, suis suffragijs convenêre in Oliverum. Res in magnum dissidium & turbas vergebat, cùm & nobiles, & Ministeriales, & cives Paderbornenses traherentur in partes; ut genus illud passim pronum erat sacris se immiscere: & res ipsa non tam nova, quàm temeraria, fœdaque erat, audire Monachos & Clerum Secundarium, quod inauditum erat in Ecclesia Paderbornensi, sibi electionem Episcopi vendicare adversus majoris Ecclesiæ Canonicos: totamque diœcesin intestina seditione conturbare. Quapropter à Collegio Cathedrali per justas querelas appellatum ad Honorium Pontificem, supremum hujus controversiæ Judicem. Pontifex consultè primam causæ dissidijq; cognitionem, ut de electione ad se referrent, commisit Abbati Vallis S. Petri, Cœnobij videlicet Heisterbacensis, Præposito, & Decano Coloniensis Ecclesiæ. Quod hæ Pontificis literæ docebunt.

Pontifex causam electionis alijs cognoscendam committit

Hororius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati Vallis S. Petri Cistertien. Ordinis Coloniensis diœcesis, Decano et Præposito Colonien: salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram, dilectis filiis Præposito, et Decano, ac quibusdam Canonicis Paderburnen. Ecclesiæ significantibus, noveritis pervenisse, quod Abbas, et Decanus, et Canonici S. Petri Paderburnen. Wernerus. B. et H. fratres ejus milites de Bracle, et quidam alii Paderburnen. Civitatis et diœcesis in eorum Ecclesiam temere irruentes, ac molientes ipsius Episcopatum Henrico ejusdem Ecclesiæ Canonico sua conferre potentia, ipsum de facto in Episcopum eligere præsumserunt. Quarè petierunt humiliter, ut cum occasione hujusmodi gravia damna incurrerint, eos ad satisfaciendum de tantæ præsumptionis injuria, et damnis, quæ incurrerunt occasione prædicta cogere dignaremur. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis;

catis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod Canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Signie IIII Calend. Augusti Pontificatus nostri anno octavo.

Igitur priusquam Pontifex instrueretur, atq; ex consilio Cardinalium de controversa electione pronunciaret, pars anni transijt, mansitq; Paderbornensis Ecclesia sine certo pastore; ausus interim Henricus Præpositus obtrususque, studio popularium suorum, bona quædam Ecclesiæ invadere, ac sibi tanquam Episcopo vendicare, falsis ad Pontificem literis perscriptis, quibus electionem suam firmare voluit. Tanta simul hominem ambitio invaserat. Subinde Pontifex VII Idus Augusti Monasterio Schakensi, quod in comitatu Waldecensi, ut supra à nobis relatum est ad annum MCXCV, jurisdictione Episcopi Paderbornensis comprehenditur, patrocinij diploma, dedit. Idem Monasterium Schakense in suam protectionem suscipit.

Honorius Episcop9 Servus Servorum Dei Dilectis filiis Præposito et conventui Monasterii Scaken salutem et Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assueto pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovet. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostram protectionem suscipimus; specialiter autem de Imminchus, et de Godesleim Ecclesias cum omnibus pertinentibus suis, sicut eas juste, canonice, et pacifice possidetis, vobis et per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli vero omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus se noverit incursurum. Datum Sygniæ VII Idus Augusti Pontificatus nostri anno octavo.

Sed longe gravioribus curis hoc anno Pontifex distentus, iterum sacri belli classicum per Europam canebat; quò post amissam Damiatam laborantibus in Oriente Christianis subveniret. Iterumq; per omnes provincias destinati missique præcones sacri, qui ad vexillum crucis milites invitarent. Tandem etiam Fridericus Imperator se belli sacri ducem professus, quem Oliverus in epistola ad Colonienses unicè desideratum scribit. Ad hoc opus maturandum missus est in Galliam & Germaniam Conradus Portuensis Episcopus S. Rufinæ Cardinalis Furstenbergius, gente Germanus, Eginonis Comitis filius, Iterumq; bellum sacrum promovet.

sius, ex Monacho, Abbate, & supremo ordinis Cistertiensium moderatore à Pontifice in Cardinalium munerum cooptatus; qui tamen postremo demum anno in Germaniam venit, & Oliveri Episcopi nostri causam ex Pontificis mandato impensè suscepit.

Annus Christi 1224.

Honorij III Pont. 8.
Friderici II Reg. 12. Imper. 5.
Oliveri Ep. Pad. 1.

Godefrid. Albert. Stad. Crantz. l. 7. Sax. c. 38. & 39. Hist. Brem. Epist. in Gerhardo.

Agitur de Waldemaro Daniæ rege è carcere liberando.

Anno igitur consequente, qui Christi numeratur vigesimus quartus supra millesimum ducentesimum, Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, Imperij moderator, cum Henrico Rege Imperatoris filio, mense Majo, Francofurti Imperij ordines convocavit. Quo in conventu consultum de colligendis subsidijs, in Palæstinam ducendis. Nec multò post accessit Coloniam Conradus Portuensis Episcopus Pontificis Legatus, post Pentecostes dies magnificè ab Engelberto & Coloniensi Magistratu exceptus. Ac postquam multa sunt tractata de expeditione sacra, Henricus Rex cum Archiepiscopo Engelberto & Legato Apostolico in Saxoniam profectus, Barduvici conventum habuit, in quo de liberando Waldemaro Daniæ Rege tractatum, qui jam biennium in carcere hærebat. Præmissus ad Albim Hermannus Hospitalis Saxonici supremus magister, qui ex Italia à Friderico Imperatore in Germaniam missus componendæ hujus rei causa, Regem & Zwerinensem Comitem in Dannenburgensi castro convenit. Eo internuncio atque arbitro Rex Daniæ eo deductus, ut offerret in lytrum centum marcarum millia, promitteretque se omnia, quæ Imperio detraxerat restiturum, coronamq; non ab alio, quàm ab Imperatore recepturum. Quas conditiones cum Albertus Orlemundanus Comes Regis ex sorore nepos, ac ceteri, qui aderant, Daniæ proceres, genti suæ ac Regi probro ducerent, abrupta pace in liberandi Regis tractatione, indignabundi in Daniam revecti sunt; nec multò post Albertus Comes cum valido exercitu, Transalbianas regiones vastando, regressus est, ferro Regem extracturus è carcere. Ad hunc communem hostem depellendum conspiravêre Gerhardus Bremensis Archiepiscopus, Lippiensis ut diximus, Comes, Adolphus Showenburgensis, Henricus Zwerinensis, & Henricus Werlensis Comes, ceterique Holsatiæ populi. Hi collatis signis cæsos Danos in fugam egêre; captusq; Albertus Orlemundanus Comes, belli Dux, à Zwerinensi Comite, & in eundem cum avunculo Rege carcerem detrusus; Ultro tamen post mortem Engelberti Archiepiscopi à Zwerinensi Comite, accepta ingenti pecuniæ summa, ne alij in partitionem venirent, laxati sunt, ceteris per Saxoniam armis quiescentibus.

Pontifex

Inter hæc Honorius Pontifex, discussa diligenter Romæ in concilio

cilio Cardinalium electione Paderbornensis Episcopi, pro Olivero pronunciavit; quòd & pluribus eligentium suffragijs,& sanioribus delectum cognoverat; rejectoque Henrico Præposito,scribit primò ad Conradum Portuensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum, & Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum,ut à se confirmatum Oliverum in quieta possessione collocent, tueanturque. examinata diligenter electione pro Oliverio pronunciat.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei Portuensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato, et Archiepiscopo Coloniensi. Auditis et intellectis, quæ super electionibus de dilecto filio Magistro Olivero Canonico Paderbornensis Ecclesiæ, ac Henrico quondam Præposito Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri et Andreæ à Canonicis Paderbornensibus celebratis fuêre proposita coram nobis, de fratrum nostrorum consilio electionem de prædicto Henrico præsumptam, et quidquid ex ea secutum est vel ob ipsam irritum judicavimus, electionem de Magistro Olivero celebratam à majori parte Capituli confirmantes. Quocirca fraternitatibus vestris mandamus quatenus quod super hoc à nobis factum est,faciatis,sublato cujuscunque contradictionis et appellationis objectu,inviolabiliter observare,compellando præfatum Henricum ad integram restitutionem quorumcunque bonorum Paderbornensis Episcopatus, quæ prætextu electionis suæ hactenus tenuit occupata.

In hanc deinde formam, repetita prima literarum parte, Honorius Pontifex ad ipsum Oliverum electum Paderbornensem Episcopum scribit, additque: *Illud autem, quod super usu falsarum literarum fuit de ipso Henrico propositum coram nobis, nostræ providentiæ reservamus, de rigore vel misericordia circa ipsum,prout ejus exegerint merita, et expedire videbimus, processuri; ideoq; districte tibi per Apostolica scripta mandamus, quatenus curam, et regimen Paderbornensis Ecclesiæ assumens sic studeas secundum datam tibi à Domino prudentiam commissam tibi sollicitudinem exercere, quod et prædicta Ecclesia sub regimine tuo proficiat, et te in præsenti existendo cum Servo Evangelico fidelis in pauca in futuro super multa constitui à Domino merearis. Datum Laterani VII Idus Aprilis Anno Pontificatus nostri IX.* Cui Ecclesiam Paderbornensem commendat.

Tertias deinde literas Pontifex dedit ad Nobiles & Ministeriales Paderbornensis Ecclesiæ,servata priorum literarum forma. Postremò ad ipsos nobiles & Ministeriales converso stylo. *Quia verò*, inquit, *quo est carne Spiritus, et anima corpore dignior,eo debet Spiritualis Pater carnali amplius honorari, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eidem electo tanquam Patri et Pastori animarum vestrarum plene et humiliter intendatis, et sicut tenemini, exhibeatis juramenta fidelitatis et in Ecclesiæ suæ negotiis fideliter assistentes plene insuper eidem de juribus ipsi Ecclesiæ à vobis debitis respondere, alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit, subituri. Datum Laterani VII Idus Aprilis.*

Succedit ad has Pontificis literas hoc anno sententia Abbatis Vallis S. Petri, Conradi Præpositi majoris Ecclesiæ Coloniensis, & Goswini Eandem Oliveri electio-

nem comprobant cognitores & judices à Pontifice constituti.

Goswini ejusdem Coloniensis Ecclesiæ Decani, quos Pontifex anno superiori cognitores & Judices constituerat; ab his in hæc verba, pro commissa & communicata à Sede Apostolica potestate, pronunciatum decretumq; est contra Abbatem Abdinghovianum, & Canonicos Bustorfianos. *Comparentibus itaq; Procuratoribus partium coram nobis cum literis procurationis, pro ut moris est et juris, solempniter destinatis ex confessione Conradi Diaconi procuratoris Abbatis, et Capituli Beatorum Apostolorum Petri et Andreæ Paderbornensium, nobis constitit evidenter, prædictum Abbatem et Capitulum beatorum Apostolorum Petri et Andreæ Paderbornenses nunquam fuisse in possessione, vel quasi possessione juris eligendi Episcopum Paderbornensem, et eosdem nihil juris habere vel unquam habuisse in Episcopi Paderburn. electione. Idem etiam procurator asserebat Abbatem et Capitulum præfatos nunquam alicujus Episcopi electioni interfuisse, et quod circa Præpositum Henricum fecerunt, eligendo ipsum in Episcopum, operati sunt de facto potius quam de jure, malis persuasionibus quorundam circumventi. Recepimus etiam prædicti Abbatis literas Ecclesiæ suæ et suo sigillis signatas cum literis Capituli sui. Similiter et literas Capituli Ecclesiæ beatorum Petri et Andreæ cum sigillo ejusdem Ecclesiæ signatas omnium prædictorum expressam continentes confessionem. Nos igitur æquitate pensata, procuratoribus partium petentibus et consentientibus, de consilio etiam assessorum nostrorum Domini Conradi de Renninberg et Magistri Hermanni de Engero Canonicorum majoris Ecclesiæ in Col. promulgavimus in scriptis contra Capitulum beatorum Apostolorum Petri et Andreæ sententiam sub hac forma. Quia nobis Abbati Vallis S. Petri, Præposito et Decano Colon. Judicibus à sede Apostolica delegatis ex confessione Conradi Diaconi Procuratoris Capituli Beatorum Apostolorum Petri et Andreæ Paterburn. ut ex literis Capituli ejusdem Ecclesiæ suæ sigillo signatis constat evidenter, idem Capitulum nunquam fuisse in possessione vel quasi possessione juris eligendi Episcopum Paterburn. ipsumque Capitulum in electione Episcopi nihil juris habere vel unquam habuisse, prædicto capitulo jus possessionis vel quasi possessionis auctoritate nobis à summo Pontifice delegata penitus abjudicamus. Et quia Episcoporum electio ad Canonicos Cathedralis Ecclesiæ de jure communi noscitur duntaxat pertinere, super jure eligendi Episcopum Patherburn. sæpedicto Capitulo perpetuum silentium imponimus eadem auctoritate, sub hac etiam forma secuti confessionem prænotati Abbatis et Ecclesiæ suæ contra ipsum de dictorum assessorum consilio sententiam promulgavimus in scriptis. Quia nobis Abbati Vallis S. Petri, Præposito, et Decano Colon. judicibus à Sede Apostolica delegatis ex confessione Conradi Diaconi procuratoris Abbatis Paterburn. et ex literis confessionis ejusdem Abbatis Ecclesiæ suæ et suo proprio sigillis signatis constat evidenter, memoratum Abbatem nunquam fuisse in possessione vel quasi possessione juris eligendi Episcopum Paterburn. et eundem Abbatem in ea electione nihil juris habere, vel unquam habuisse, Abbati eidem jus possessionis vel quasi possessionis auctoritate nobis à summo Pontifice delegata penitus abjudicamus. Et quia Episcoporum*

electio

electio ad Canonicos Cathedralis Ecclesiæ de jure communi noscitur duntaxat pertinere, super jure eligendi Episcopum Patherburn. sæpedicto Abbati perpetuam silentium imponimus eadem auctoritate. Et quoniam occasione hujusmodi præsumptionum dampna irrecuperabilia solent multoties provenire Ecclesiis viduatis, tam Abbati quam Capitulo beatorum Apostolorum Petri et Andreæ prænotatis, auctoritate Apostolica, et sub pœna excommunicationis firmiter præcipiendo mandamus, quatinus electioni Paterburnen. Episcopi se ingerere nunquam præsumant, vel alii loco ipsorum. Ut autem præscripta inconvulsa permaneant, et ad notitiam universorum perpetuo perveniant, conscribi fecimus præsentem paginam nostri et prædictorum assessorum nostrorum C et A. qui nobiscum omnibus præmissis interfuerunt sigillis communitam. Acta sunt hæc Coloniæ in claustro majoris Ecclesiæ. Anno Incarnationis Dominicæ M C C X X I I I I, III Idus Maji. Indictione XII.

Quibus cùm accederet Conradi Sedis Apostolicæ Legati, & Engelberti Coloniensis Archiepiscopi auctoritas, ac Pontificis confirmatio, Oliverus in Paderbornensem Ecclesiam solemni ritu est introductus, & summa omnium gratulatione & plausu acceptus Episcopus. Atque is, ut erat facundissimus totius Germaniæ Orator, & celeberrimus ejus ætatis Theologus, non modò populum pro concione docuit, traxitque in sui amorem; sed & synodo Cleri congregata, superiorum Synodorum decreta, & laudabiles consuetudines sacrorum ac temporum in unum codicem collegit, ut in omnium manibus essent, & facilè memoria comprehenderentur. Quemadmodum hæc Eisengreinius & Gobelinus tradunt; quanquam hæc per temporum injurias nondum ad manus nostras pervenerint.

Eisengreinius in catal. testi. verit. Gobelin. ætat. 6. c. 64

Cœlitum numerum ex Saxonicis auxit hoc anno Adolphus Osnabrugensis Episcopus, 11 Februarij mortuus. Is nobili genere natus, & à primis annis in Clerum Coloniensem adscriptus, cùm Cœnobium Cisterciense veteris Campi aliquando inviseret, videretq; in eo florentissimam disciplinam, & cœlestem quandam Monachorum vitam, captus ejus instituti amore, Monachi habitum sumpsit; vixitq; inter religiosos viros per multos annos omnium virtutum specimen; dum harum celebritate famâque ad Episcopatum Osnabrugensem, in locum Gerhardi Episcopi ad Bremensem Archiepiscopatum translati, circa annum Christi MCCVIII evocaretur: quo in munere illustrior ex omni virtutum conspectu, Ecclesiam suam possessionibus & cultu religiosorum mirifice auxit; uti hæc in fastis eorum & à Cæsario narrantur. Vir pius, modestus, beneficus, qui mira caritate omnes complexus, egenos cumprimis & morbis afflictos, quorum servitio famuli instar se impendit. Quæ caritatis ejus officia Deus miraculo non semel comprobavit, interque cetera illud proditum. Jacebat in vili tuguriolo ad vicum Mersen, homo lepra infectus

Adolphi Episcopi Osnabrugens. felix obitus & vitæ Sanctitas.

Ertvvinus in chron. Osnabrug. Crantz. in Metrop. l. 7. c. 19. Cæsar lib. 1. Dialog. c. 22 Hist. Brem. Archiep.

fectus, totusque squalidus & abjectus; hunc ille quoties Osnabrugo Furstenaviam tenderet, invisere, stipe donare, & familiari pioq; colloquio pascere; id cùm longius semper traheret Episcopus, quàm comitantium ministrorum patientia ferret, leprosum subduxêre in alium locum, ne itineris moram ob vilem sordidumq; hominem facere necesse haberent: redit denuo Episcopus, subit pro more tugurium, & leprosum, qui interim è vita excesserat, reperit eo quo ante conspectu vilique lacerna contectum; & cùm solito colloquio miserum solaretur, ille repente miro fulgore circumfusus gratias agit Episcopo, & se jam immortali & longè feliciori vita donatum profitetur: quo dicto, ex oculis evanuit. Tum Comites, in quorum conspectu hæc fiebant, pudore suffusi supplicesque ad pedes Episcopi veniam sui delicti precantur. Multa hujusmodi observata in Adolpho, ob quæ & vivus sanctitatis fama inclaruit, & mortuus in tanta veneratione fuit, ut sepulchrum ejus, quod in transitu templi obvium erat, pedibus calcare religioni duxerint posteri. Ob hæc ossa ejus anno 1651 Franciscus Wilhelmus Episcopus in sacrario reponi jussit, interque Divos suæ Ecclesiæ coli permisit. Adeo nulla à Carolo M. ætas, ex qua Saxonia suos sanctissimos Episcopos non proferat: quo in numero non inmerito Oliverum nostrum reputes, Adolpho æqualem ac familiarem. Retuli ad hunc annum Adolphi obitum, quòd successor ejus Engelbertus Isenburgici Comitis filius in Episcopatu Osnabrugensi Engelberti Coloniensis Archiepiscopi ac consanguinei patrocinio à Cæsario subrogatus scribatur; id quod aut hoc anno aut sequenti fieri necesse fuit, quo ipse Engelbertus Archiepiscopus trucidatus vivere desijt. Quare falli dixeris, qui Adolpho subrogant Teclenburgensem Comitem; quanquam cùm Engelbertus hic à cæde Engelberti Coloniensis Archiepiscopi, confirmatione nondum obtenta, exauctoratus sit, nulla fortè ejus ratio in fastis Episcoporum est habita.

Annus Christi 1225.

Honorij III Pont. 9.
Friderici II Reg. 13. Imp. 6.
Oliveri Ep. Pad. 2

Oliverus cum S. Engelberto Romam profectus.

At nos ad Oliverum redeamus. Is postquam in suo Episcopatu Paderbornensi omnia divina profanaque sapienter ordinasset, altero anno, fortè in Comitatu Engelberti Coloniensis Archiepiscopi, Romam profectus est. Nam uterque hoc anno in Italia, mense Julio, Friderico Imperatori adfuit; ut constat ex diplomate Friderici Imperatoris, quo Engelberto Coloniensi Archiepiscopo prædium Ricktenchium donat, ac confirmat. *Testes* hujus donationis adscribuntur *Joannes Rex Hierosolymitanus*, *Ecbertus Babebergensis*, *Conradus*

Gelen. ad vitam Engelb. l. 3. not. ad c. 8. Stangef.

Ratisbo-

Ratisbonensis, Oliverus Paderbornensis, Eckehardus Mersburgensis Episcopi. Hermannus Magister Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum in Jerusalem, Ludolphus Dux Austriæ, Bernardus Dux Carinthiæ, Reinaldus Dux Spoleti, Henricus Marchio de Andisle, Henricus Marchio de Burgovve, Hermannus Comes de Vroberg, Otto Comes de Orlenburg, Bernardus de Horstmare, Henricus Comes de Everstein, et alii quamplures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo vigesimo quinto, mense Julio, Indictione XIII apud S. Germanum, quod Oppidum est ad radices montis Cassini. Ad quem Episcoporum & procerum cum Friderico Imperatore congressum misit Honorius Pontifex duos Cardinales Legatos, Petrum Albanensem Episcopum, & alium tituli S. Martini presbyterum; actumque per eos de expeditione in Palæstinam maturanda. Eòque adductus Imperator ut elata in cœlum manu juraret se intra biennium iter armatum ingressurum. Magnum in hanc rem momentum attulêre Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, & Oliverus Paderbornensis Episcopus. Recitat Ughellus Italicus Scriptor aliud Ecclesiæ Aretinæ diploma, sub idem tempus ex eodem loco à Friderico Imperatore datum, in quo testes producuntur Episcopi Coloniensis, Mersebutgensis, & Padaburgensis; qui postremus aut Bambergensis, aut Paderbornensis fuerit, cùm uterque tum Imperatori adfuerit. Engelbertus Archiepiscopus post illa in Germaniam ad suam diœcesin redijt, in qua, ut mox referemus, martyrio decoratus est. Oliverus verò ob famam virtutum, & claritatem nominis, qua in Germania & Palæstina inclaruerat, Romam evocatus; ubi ab ipso Honorio III. Pontifice Episcopus est consecratus; quod ex Honorij epistola ad Capitulum interius recitanda non obscurum est; idque hoc anno factum esse verisimilius censeo, ne quid confirmationi superiori deesset in munere, & honore Episcopali. Utrumne verò cum Engelberto Archiepiscopo ad suam diœcesin in Germaniam reversus; an verò, quod certius opinari libet, Romæ manserit à Pontifice detentus, ex nullis monumentis affirmare habeo; altero certè anno Romæ Cardinalem creatum proferemus.

Ughellus tom. 1.

Odoricus Raynal. in histor. Eccl.

Anni hujus exitus cæde D. Angelberti Coloniensis Archiepiscopi tam funestus, quàm atroci & immani facinore VII Idus Novembris à Friderico Isenburgico, Comite & consanguineo Archiepiscopi, trucidatus memoratur. Jam à multis annis Comes ab Engelberto monitus erat, desisteret à vexando Essendiensi Collegio Virginum (cujus Advocatus erat) & iniquè rapta redderet; verùm cùm nec monitis, nec intentatis Ecclesiæ censuris, nec minis quicquam ab offirmato homine impetraret, ineunte Novembri Susati conventum publicum indixit; quò & Fridericum Comitem evocavit, extremum per consanguineorum & procerum consilia tentatur. Accesſêre præter Conradum Mindensem Episcopum, Theodoric⁹ Monasteriensis & Engelbertus Osnabru-

Cæsar. in vita D. Engelb. Godefrid. in Annal. Gelen. in not. ad vitam Engelb. Albert. Stad. Levold. in Chron. Marcano.

D. Engelberri cædes, & causæ ejus.

Osnabrugensis Episcopi, Comitis fratres, alijq; cognati, amici, & Westfaliæ proceres. Hoc in congressu cùm Engelbertus constanter causam Essendiensium Virginum ex Pontificis mandato ageret, Comitemq; ad saniora consilia & restitutionem urgeret; ille queri de Archiepiscopi acerbitate in se, communicare consilia cum Comite Arnsbergensi, Teclenburgensi, ceterisque, quos Archiepiscopo offensos sciebat; quorum voluntate non aliena à suis machinationibus explorata, confisusque deinde Luxenburgi & Limburgi, ceterorumq; agnatorum patrocinio, conjurationis consilia in necem Engelberti agitare cœpit. Quam in rem Susati etiam nefarios homines in societatem meditati sceleris attraxit. Monitus per literas fidi amici Engelbertus hæc in caput ejus procudi; quas cùm Conrado Mindensi Episcopo legendas dedisset, pedibus proculcatas abjecit in ignem; quòd ex his, ut ajebat, novus inter ipsum, & Fridericum Comitem dissidij fomes esset. Accersitis subinde Theodorico & Engelberto Episcopis Comitis fratribus, quæ de conjuratione Friderici in suam necem ad se delata essent, aperuit. Jlli sine metu Engelbertum esse jubent; nec enim sibi se persuadere, tantum flagitium in mentem fratris venire posse: vanos hos confictosque esse à malevolis rumores, quibus nulli prudenti fides esse debeat. Interim monitus à Conrado Mindensi Episcopo, viro egregio pioq; è Comitum Diepholdiorum familia, alijsq; syncerioribus amicis, caveret sibi, vitæque consuleret. Quæ cùm illi ex certis conjurationis indicijs exponerent; Engelbertus in omnem partem anxius, vocato in sacrarium templi Mindensi Episcopo, confessionem illi omnium delictorum ab omni retroacta vita facit, tanto doloris sensu, ut identidem inter verba lacrymæ fluerent. Peracta confessione lætus, jam, inquit, quod supremo numini visum fuerit, de me fiat: alteroque die soluto Susati conventu, in quo nihil ob pertinaciam Friderici Comitis confici poterat, se in viam dedit, Swelmensem in Marchia suæ diœcesis Ecclesiam consecraturus. Abeuntem cum aulæ comitatu deducit Comes, & quò conceptum animo scelus fallacius tegeret, blandè aliquamdiu colloquio affatus comitatur; pollicitus etiam, se Archiepiscopum Nurenbergam ad Imperij comitia sequuturum, ut omnis istic controversia inter ipsum & Archiepiscopum Principum judicio finiretur. Inde discedendi facultate petita explorataque via, quam Swelmiam versus ingrediebatur, mox cum XXV Sicarijs, quos conjuratos habebat, redit, & nunc benigno, nunc feroci Vultu spectandum se offert, tanto metu incusso, ut pars aulici comitatus sensim diffugeret. Constantior Conradus Comes Tremoniensis monebat iter acceleraret per infesta montium loca; donec in angustias, locumq; insidiarum perventum: hîc signo Sicarijs dato, uno omnes impetu & stricto ferro, involant, perfossoq; mox latere alius super alium ictus ingeminat. Numeratæ supra 40 letales

tales plagæ inflictæ; quibus adeo corpus laceratum, vix ut locus vulneri amplius superesset.

In hunc modum D.Engelbert⁹ Coloniensis Ecclesiæ, haud secus, quàm Thomas Cantuariensis, Archiepiscopus pro libertate Ecclesiæ martyrio decoratus occubuit; quantumque hic Angliam, tantum ille Westfaliam illustravit; quippe clarissima Comitum Altenæ & Montium familia ortus, ex qua jam ante Engelbertum Coloniensis Ecclesia tres Archiepiscopos habuerat; Corpus cæsi Archiepiscopi primò ad Monasterium veteris montis, deinde Coloniam translatum, magno omnium piorum luctu; Multis exinde miraculis illustrior, Engelbertus Divorum cultu decoratus est.

Ad tantam sceleris immanitatem vindicandam accelerata Cleri comitia, moderante Theodorico Trevirensi Archiepiscopo; delectusq; xv. Novembris Henricus Mollenarckius Bonnensis Præpositus ex nobili Thombergorum & Mollenarckiorum Dynastarum familia, vir acri ingenio, & excelso Principis animo. Vix ille thronum Episcopi conscenderat, cùm ad voces Coloniensium vindictam poscentium se ultorem juravit. *Colonia igitur*, ut Cæsarius memorat, *Francofurtum ascendens ad colloquium Regis, corpus Martyris duobus Abbatibus ordinis Cistertiensis deferendum commisit, Godefrido videlicet Abbati Montensi, et Henrico Abbati Vallis S.Petri; cumque præsentatum esset corpus Regi et Principibus, et cum eo mortis insignia, interula, diplois, et pileus, ijs, qui corpus præcedebant districtis gladiis, ut habent legum jura, contra Fridericum latronem vociferantibus, turbatus est Rex puer, qui perinde, ut lugere solet filius patrem et puer tutorem suum, extinctum planxit Episcopum, proscriptionem verò Friderici in celebri conventu Nurenbergensi factam renovavit*: damnati Comitis bona hereditaria ad fiscum redacta, feuda Dominis sunt adjudicata. Ceteri qui facinoris participes incusabantur, Theodoricus Comes Cliviæ, Godefridus & Wilhelmus Friderici parricidæ fratres, Otto Comes Teclenburgicus, Hermannus Comes Lippiensis, Comes Swalenburgensis, alijque complures, ad tribunal Imperij postulati, Theodorici verò Monasteriensis, & Engelberti Osnabrugensis Episcopi causa, quòd ejusdem criminis rei incusabantur, ad Conradi Apostolici Legati, & Honorij Pontificis judicium est remissa.

D.Engelberto in Archiepiscopatu succedit Henricus Mollenarckius.

Pœna sumitur de reis necis S.Engelberti.

Ac postquam Mollenarcki⁹ Archiepiscopus Francofurti regalibus exornat⁹ fuit, cum corpore Martyris Moguntiam descendit; ubi Conradus Apostolicæ Sedis Legatus, Episcoporum & Abbatum synodo congregata, Engelbertum Martyrem pronunciavit; Fridericum verò Comitem, & quotquot in societatem parricidij venerant, anathemate perculit; quam sententiam per Moguntiam, Coloniensem, Trevirensem, Bremensem & Magdenburgensem Metropoles, earumq; diœceses promulgari jussit, cereis per omnes Ecclesias in detestationem sceleris singulis dominicis diebus extinctis; id quod Cæsarius Moguntiæ,

Godefridus Coloniæ, post Natalem Christi factum perhibet. Ea in synodo recitatæ tum palam literæ Theodorici Monasteriensis & Engelberti Osnabrugensis Episcopi, quibus se uterque innoxium excusat, queriturque cum infamia nominis sui iniquè se traduci; & si audiantur, paratos esse juxta canones sacros se purgare: Engelbertus etiam fiduciâ innocentiæ ausus consecrationem petere. Ad quæ Legatus benignè respondit, proniorem se ad clementiam, quàm severitatem. Quarè ad proximam synodum sub initium sequentis anni Leodij celebrandam adesse jussit; ibi si objecta accusationis capita diluant, innocentes abs se pronunciandos; ea verò in synodo cùm non satis diluerent, quæ à Coloniensibus crimini dabantur, à Legato ex consensu Episcoporum ad Pontificis tribunal remissi sunt. Igitur Romam profecti, cùm nec apud Pontificem se purgarent, uterq; anno proximo Episcopatu exutus est; & Theodoricus Monasteriensis Episcopus haud multò post in itinere Romano mœrore consumptus excessit è vita, & in peregrino solo, incertum quo loco, humatus est. Præsul extra hanc labem, seu veri seu ficti criminis, egregius, qui hoc ipso anno præter cetera præclara opera novæ Basilicæ Monasteriensis fabricam jacto primo lapide aggressus est. Quippe ab ea Basilica, quam D. Ludgerus Caroli M. ætate struxerat, Dodo X Monasteriensis Episcopus longè augustiorem erexerat. Stetit illa supra centum annos, cùm incendio deformata. Aliam reposuêre consequentes Episcopi, sed opere minus firmo & augusto. Tandem Theodoricus Isenburgicus augustam hanc fabricam, dejecta priori, ea qua nunc aspicitur amplitudine erigere cœpit; in qua magnifica structura per annos XXXVI laboratum, donec à Gerhardo Episcopo absolveretur, & festo Mariæ Magdalenæ dedicaretur; quo die Theodoricus opus cœperat, & ipse per hæc tempora è vita abijt. Tanquam hanc patronam sibi delegerit, cujus festum etiam diem in Ecclesia Monasteriensi celebrem sanxerat. In Episcopatu Successorem habuit Ludolphum ex nobili Holtiorum inter Westfalos familia; anno certè 1227. notatum in tabulis Episcoporum reperio. Quis verò in Episcopatu Osnabrugensi Successor fuerit, mirum quàm varient auctores; Ertwinus, Crantzius, Mersæus, & Cleinsorgius, Adolpho, nulla habita ratione Engelberti Isenburgici, substituunt Engelbertum Teclenburgensem Comitem: Gelenius Engelberto Isenburgico subrogat Conradum, ex inscriptione Ecclesiæ Heisterbacensis, cujus dedicationi anno 1227 interfuisse legitur Conadus Osnabrugensis Episcopus. Idem Gelenius haud incogruenter asserit Engelbertum Isenburgicum postliminio redditum esse Ecclesiæ Osnabrugensi; nam tabulas fœderis cum Conrado de Hochsteden Archiepiscopo Coloniensi initi producit anno MCCXLVIII ab Engelberto Osnabrugensi Episcopo apud Susatum consignatas, in quibus inter testes sistitur Bruno frater Engelberti Episcopi,

Episcopi Osnab. & Monast. se purgaturi Romam petunt. Quo in itinere Theodoricus Ep. Monast. moritur.

scopi, Præpositus Osnabrugensis; quem forte Scriptores illi pro Engelberto Osnabrugensem Episcopum nobis obtrusêre. Sed prætermissis hisce salebris, planiora de Olivero nostro prosequamur.

Annus Christi 1226.

Honorij III Pont. 10.
Friderici II Reg. 14. Imp. 7.
Oliveri Ep. Pad. 3. Cardinalis 1.

Annus vigesimus sextus supra ducentesimum & millesimum adfluxerat, quo Oliverus ab Honorio Pontifice Romæ in Cardinalium numerum adscitus; præclaro sanè ejus cum elogio & testificatione virtutum. Nam postquam ex prima admissione congressuque didicisset Pontifex, quæ Oliverus hactenus bello sacro tam præclarè egerat, inspexissetque coram, quæ tanta famæ ejus celebritate acceperat, ipse Oliverum Romæ Paderbornensem Episcopum consecravit; itaq; virum ex aspectu virtutum æstimavit, ut in urbe sibi inter intimæ admissionis Consiliarios retinuerit, dignumque censuerit, quem in eminenti purpuratorum Patrum theatro collocaret, opera exinde ejus per Germaniam & totius Ecclesiæ administratione usurus. Quemadmodum mox etiam cum Tusculano Episcopo & Cardinale Oliverum Legatum ad Fridericum Imperatorem misit. quarè scriptis hoc anno ad Cathedrale Paderbornensis Ecclesiæ Collegium literis potestatem Canonicis fecit eligendi alium in locum Oliveri Episcopum: eas hic recitare necesse habemus, ex quibus singula quæ diximus explicatius certiusque cognoscentur.

Oliverus ab Honorio in Cardinalium numerum cooptatur.

Cum Apostolica Sedes, Ecclesiarum omnium gerens sollicitudinem generalem, singularum utilitatibus pro loco ac tempore studiosè providere desideret, pro ut sibi Dominus administrat, ne si pro aliis adeo intenta sollicitudine versaretur, quod sui quasi negligenter oblita necessitati suæ consulere prætermitteret, merito posset de minus ordinata redargui caritate, viros claros, quos ad cooperandum sibi cognoscit idoneos, frequenter ad se advocat et assumit, sic illos honorans, ut nihil ominus utiliter provideat Ecclesiæ generali. Sanè cum M. Oliverius tunc electus vester ad nostram præsentiam accessisset, nos ipsum, quem fama laudabilis nobis multipliciter commendarat, recipientes hilariter ac benigne, munere sibi consecrationis gratan er impenso, ipsum post aliquamdiu apud Sedem Apostolicam commorantem, t merita virtutum ejus, quæ prius intellexeramus probabilibus argumentis, evidenter experti, in consortium nostrum admisimus, et transtulimus in Episcopum Sabinensem; qui ut speramus in Domino, ita serviet Ecclesiæ generali, ut vestræ tanquam priori sponsæ dilectionis servet gratiam specialem. Cæterum ne, quod absit, Ecclesia vestra pro defectu Pastoris, alicui subjaceat detrimento, universitatem

vestram monemus et hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, provideatis vobis de persona idonea per electionem Canonicam in pastore, qui tanto congruat oneri et honori. Verum ne obrependi dolosis vel violentis locus pateat irrumpendi, dil. f - - - de Hesethehusen, et de Bredelare abbatibus Paderb. diœcesis nostris dedimus literis in mandatis, ut vos ad electionem Canonicam celebrandam moneant propensius et inducant. Quare vobis iniungimus, ut in electione taliter procedatis, quod Ecclesia nullo dissidio laceretur, nec vos exinde præter damnum conscientiæ pœnam officii vel beneficii sentiatis, sed potius mereamini apud Dominum et homines de zelo, et scientia commendari. Datum Reatæ V. Calend. Octobris, anno X.

Igitur Oliverus, quem fata tantùm ad magnum emolumentum & felicitatem Paderbornensis Ecclesiæ ostendisse videri poterant, gesto per triennium Episcopatu, abripitur ad purpuram, futurus ex Paderbornensi Episcopo Sabinensis; magno quidem nominis sui decore. Sed non minori Paderbornensium dolore. Primus qui ex Episcopis Paderbornensibus cooptatus in Cardinalium numerum; tam raro ejus ætatis exemplo, quàm ingentia ipsius in Ecclesiam merita erant, & conspecta inter ceteros Germaniæ Episcopos, probataque à Pontifice virtus. Refert Gobelinus noster ab Honorio Pontifice omnibus Ecclesiam Paderbornensem die dedicationis piè frequentantibus XL dierum relaxationem à noxis indultam, anno Pontificatus ejus XI, idque à Bernardo ejus nominis IV Episcopo impetratum; quo multum fallitur Gobelinus, cum id Olivero adscribendum, ut temporum ratio docet; quando Honorius Pontifex, antequam Bernardus Episcopatum adijt, naturæ concesserit.

Gobel. ætat. 6. c. 67.

Oliveri obitus, & præclara ingenij monumenta.

Ciaccon. de Cardin. Ughell. Odoricus ad annum 1228.

At non multum Oliverus in suprema illa dignitate Ecclesiæ Cardinalis superstes vixisse apparet; alteroque etiam ab hinc anno cum Honorio Pontifice obijsse verisimilius dixeris, eò quòd inter XX Cardinales, qui Honorio Pontifice XV Calend. Aprilis extincto Gregorium IX subrogarunt, non reperiatur Sabinensis Episcopus & Cardinalis à Ciacconio recensitus. Quemadmodum & Ughellus etiam in literis anno 1227. datis Oliverum *bonæ memoriæ* virum compellat, & in literis ad annum 1228 ab Odorico productis Episcopus Sabinensis, qui per id tempus Oliverus erat, eodem mortuorum titulo notetur; sed erit, qui certiora nobis de his aliquando referat. Nec magnopere ex morte & sepulchri loco ejus memoria requirenda, qui Scriptorum testimonijs longè clariora posteritatis monumenta, ac rebus præclarè gestis famam nominis immortalitati consecratam possidet. Ac ne hæc ab alienis requiramus, ipse Oliverus etiam præclara ingenij doctrinæque suæ monumenta reliquit; Duos enim egregios in Palæstina conscripsit libros, quorum primus ab eo inscriptus, *Historia Regum terræ sanctæ,*

Eta, quam Magister Oliverus Coloniensis Scholasticus in obsidione Damiatæ apud Ægyptum contexuit, ducta narratione ab anno MLXXXXV, ac prima expeditione Godefridi Bullioniæ Ducis, Regisque Hierosolymitani, quam deinde ad Friderici Barbarossæ expeditionem ac sua tempora pertexuit. Alter Oliveri liber inscriptus, *Historia Damiatana*, quo Damiatæ expugnationem, cui & ipse, ut diximus, interfuit, accurata scriptione complexus est. Ex eo libro transumpta est Epistola ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum suum, & præsules Coloniensis Ecclesiæ, cujus supra meminimus. Pia & erudita Oliveri monumenta, quæ manuscripta servantur in Bibliotheca Ferdinandi Episcopi nostri, dignaque, quæ ex prælis in publicam lucem proferantur.

Hæc de Olivero clarissimo Germaniæ lumine, & sanctissimo Paderbornensi Episcopo; cui inter omnes mortalium casus acerbissimus fuit funesta D. Engelberti cædes; quem ille Archiepiscopum suum uti Coloniensis Scholasticus intimè semper dilexerat colueratque, ita postquam Paderbornensis Episcopus delectus fuit, optimum semper patronum fidumque in omnibus adjutorem nactus est. At hoc ipso anno, qui alter erat à cæde Engelberti, Deo vindice, auctores & Sicarios, uti D. Engelbertus prædixerat, pœna consecuta est.

Enim vero Henricus Mollenarckius Archiepiscopus, quod in throno collocatus juràrat Coloniensibus, acerrimum se vindicem tulit nefariorum hominum. Quam in rem maximum copiarum delectum instituit, evocatis ad arma quotquot aut fœdere, aut jure clientelari Agrippinensi Ecclesiæ obnoxij erant. Convenère in hæc ultricia arma Henricus Dux Brabantiæ, Gerhardus Geldriæ, Theodoricus Cliviæ, Gerhardus Juliæ, Adolphus Marchiæ Comites, ac totius fere Imperij proceres, tanquam ad sacrum quoddam bellum, adversus Ecclesiæ hostes & perduelles sumptum. Ac postquam instructus exercitus se ad Rhenum collegerat, itum primò ad Friderici parricidæ castra expugnanda; quorum alterum erat Jsenburgicum ad Ruram, in alto montis vertice infra Hattingam Oppidum, ac Sedes Jsenburgicorum Comitum, quod ob loci situm inexpugnabile habebatur; id tamen ubi obsideri, expugnarique cœpit, præsidiarij metu perculsi Archiepiscopo dedunt: uxor Friderici cum liberis abire permissa, arx funditus eversa, & solo æquata. Mox processum ad alterum castrum Luppiæ assitum, quod Nienburgum, seu pontem novum, dixère, idque primo accessu expugnatum, & è fundamentis disjectum; quanquam è vestigijs ejus Hammona post Oppidum ab Adolpho Marcano Comite istic repositum.

Cæsar. in vita Engelb. c. 17. Gelen. in not. Godefrid. in Annal. Chron. M. Belg.

Henricus Archiep. Colon. ad ulciscendam D. Engelberti necem se parat.

Inde

Crantz. lib. 7. Metrop. c. 43. Wittius Chron. Monast.

Oppugnantur Comites Teclenburgensis & Swalenberg.

Inde exercitus, quod præter Crantzium annales tradunt, traductus in Westfaliam adversus Ottonem Comitem Teclenburgensem, Comitem Swalenburgensem, & Hermannum Comitem Lippiensem; quem tamen alij omni culpa absolvunt. Cetera Oppida, pagi, Villæ, ferro flammaque evastata sunt: arces Teclenburgum & Swalenberga, perlato in diœcesin Paderbornensem bello, incinctæ, aliquamdiu obsidionem toleravêre. Dum Comes uterque ad extrema pressus Archiepiscopi clementiæ, & arbitrio se permitteret; petitoque colloquio descendêrunt in castra, fœdus quidem cum Friderico Jsenburgico confessi, sed nec se cædis fuisse conscios, nec consilio opeve adstitisse; adeoque confisi innocentia id dixêre, ut si convinci possent ultro se ad omnes parricidarum pœnas offerrent. Quare haud alia pœna mulctati, quàm feudorum, quæ à Coloniensi Ecclesia tenebant, jactura. Jussus interim uterque Comes Monasterium condere, in quo pœnitentiam agerent. Obsidionem Teclenburgensis arcis in alterum annum protractam fuisse, testes esse possunt literæ fœderis inter Henricum Archiepiscopum & Osnabrugensem Episcopum anno proximo consignatæ.

Diversis Sicarij supplicijs afficiuntur.

Sed longè atrocius processum in ipsos Sicarios: ex his duo capti; quorum alter in Insula Rheni in conspectu Coloniensium actus in rotam; alter pedibus equo alligatus, raptatusque per urbis plateas, simili supplicio execrutiatus. Ceteri aut profugi, aut ijsdem tormentis periêre. Accessit postremum Fridericus Comes, memorabile posteris spectaculum. Is postquam vagus proscriptusque, Romam se contulerat cum fratribus, purgaturus causam in Romano tribunali, nec quicquam illic patrocinij reperisset, Leodium venit; ubi à Balduino nobili quodam agnitus, invitatusque ad hospitium, intra Leodium & Hujum capitur; protractusque in navem secundo Mosa Visetum deducitur, venditurque Gelro Comiti marcis bis mille; quod pretium in caput ejus statutum erat à Mollenarckio Archiepiscopo; quo à Mollenarckio recepto, traditur in manus Archiepiscopi, ac festo D. Martini captivus Coloniam introducitur. Triduo in palatio dedentus, omnes sceleris socios, interque hos etiam Theodoricum fratrem meditatæ necis conscium, prodidisse fertur. Sed longè salubriori confessione delictorum aliquoties Sacerdoti facta, ultro se ad supplicium pro expiando scelere obtulit. Igitur 18 Calend. Decembris extra urbem vinctus educitur. Locus supplicij erat in colle ante portam D. Severini, in quo columna circumposito infami theatro erecta stabat; quò cùm perventum fuit, dejicitur à Carnificibus in terram Comes, quibus singula membra securi frangenda obtulit; brachiaque, crura, & dorsum sedecim ictibus contusa. Quæ tam

Cæsarius Levold. in Chron. Marcano. Godefrid. in annal. 2100 marcis scribit.

Fridericus Jsenburgicus captivus Coloniam deducitur.

Et confractis membris, rotæ im-

tam constanti patientique animo pertulit, ut nec gemitu, nec voce doloris signa edere auditus fuerit. Laceratum deinde corpus attractum funibus in feralem rotam; in eaque ad matutinas usque preces vivus hæsit, haud aliud à circumfusi populi multitudine rogando, quàm ut supremum Deum suis precibus sibi propitium redderet; quæ ingenti omnium commiseratione excepta sunt. Præclaro simul documento, neminem quamlibet magnorum scelerum reum, si pœniteat, repelli à misericordia Dei; & pro magnitudine delicti suscitari sæpe uberiorem gratiæ fontem. Quod D. Engelberti patrocinio, cùm moriens pro inimicis suis oraret Deum, adscribendum censuit. Ferunt & matrem sub rota stetisse, votaque pro filio concepisse eundi ad limina Apostolorum, construendique Monasterium; in quo vitam exegerit, placando Deum pro filij delicto. Uxor Comitis ex claro Limburgicorum Ducum sanguine haud multo post subita morte extincta. Repertumque cor ex continuo doloris pulsu ita attenuatum, ut fabæ vix magnitudinem excederet. Qui supplicij acerbitatem expendere, scribunt supra christianam pietatem & mititatem sævitum in Comitis supplicio. Auctor est Trithemius ab hoc supplicio Comitis miracula, quæ ad sepulchrum Engelberti frequentia patrabantur, cessasse. Sed rariora illa fuerint; quando inter hæc in pervigilio D. Matthæi Henricus Mollenarckius Coloniensis electus Archiepiscopus à Theodorico Trevirorum Archiepiscopo, præsentibus omnibus ejus Metropolis Episcopis solemni ritu consecratus; uti id à Godefrido relatum est; qui si provinciales illos Episcopos numerasset, certius nobis constaret, quis Engelberto exauctorato in Osnabrugensi Sede subrogatus esset. Sed eò nobis in Episcopatu Paderbornensi ex hoc anno ad Successorem expeditior certiorque transitus est.

positus, pie & pœnitens moritur.

Henricus Mollenarckius Archiep. Colon. consecratur.

WILLE-

WILLEBRAND9 XXII. EPISCOPUS PADERBORN.

IGitur Oliverus, ut diximus, innumerum Cardinalium, & Episcopum Sabinensem provectus, quando duos simul Episcopatus retinere fas non erat, renunciavit Paderbornensi. Quod ipsum cùm & ille perscriberet ad Canonicos majoris Ecclesiæ, & Honorius Pontifex literis supra relatis potestatem faceret alium in ejus locum subrogandi Episcopum, Canonici Cathedralis Ecclesiæ una suffragiorum consensione delegêre Willebrandum, virum ea tempestate ex illustrium Comitum Oldenburgicorum familia celebrem. Quippe qui à Parentibus, uti Henricus Pantaleon scribit de viris illustribus Germaniæ, à prima ætate ad studia literarum traductus, ob ingenij felicitatem in omni scientiarum genere & virtutum cultu mirifice inter æquales semper excelluit; eoque primùm inter Canonicos Paderbornensis Ecclesiæ cooptatus, præclarum pietatis, ac religionis specimen dedit. Deinde, ut Heida ex alijs quibusdam refert, Zutphaniensis, & à magna Capituli parte Trajectensis Præpositus delectus. Postremùm, quod extra controversiam, Hildesiensis Præpositus factus est; ad quos tamen dignitatum gradus non nisi ab anno MCCXI est provectus, quòd hoc anno adhuc Paderbornensis ut Panthaleon refert, seu Hildesiensis Canonicus fuerit (ut ex ipsius Willebrandi literis certum) profectionemque in terram sanctam, seu voti seu pietatis causa susceperit. Quam ille peregrinationem, cùm Canonicus adhuc in comitatu Ducis Austriæ & Hermanni de Salza Magistri Alemannorum suscepisset, totum illud iter perlustratæ Palæstinæ eleganti, ut tum ferebant tempora, narratione complexus est; uti hæc in Bibliotheca Brunensis Monasterij apud Suessionem reperta, & à Luca Holsteinio descripta, communicataque cum Leone Allatio; quod scriptum vir ille doctissimus tanti fecit, ut typis Coloniensium in publicam lucem protulerit, perpetuum Willebrandi Episcopi nostri monumentum. Seu nunc Willebrandi doctrinam ex erudita hac lucubratione, quam brevitatis studio hîc omittimus: seu magis religionem

Willebrandus ex familia Comitum Oldenburg. & Præposito Hildsiensi deligitur Episcopus Paderborn.

nem pietatemque æstimare libet; illustre sanè virtutis doctrinæque specimen ex privata Canonici vita dedit. Ob quæ decora haud immeritò postea ad Præpositi dignitatem in Ecclesia Hildesiensi expetitus est; itaque in illo munere se probavit, ut publicis etiam Imperij negotiis admotus inclarescere cœperit. Quapropter mortuo Olivero à Canonicis nostris ex aliena Ecclesia Episcopus delectus, ante exitum hujus anni Episcopatum adijt; quod hisce Willebrandi tabulis, quibus cum Collegio Cathedrali Hildesiensi liberaliter transegit, certum facimus. *Beka in Willeb.*

Willebrandus Dei gratia Paderbornensis Episcopus, universis, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem. Præsenti scripto protestamur, quod cum Conradus major Præpositus, et Capitulum Hildesimense dampnis, injuriis, actionibus, quæ sibi contra nos occasione administrationis nostræ in Præpositura Hildesemensi competere dicebant, sponte renuntiassent; Nos memores beneficiorum multiplicium, quibus Ecclesia Hildesemensis nos à primis temporibus nostris honoraverat, liberaliter eis in recompensationem dampnorum, si quæ ex parte nostra sustinuerant, quinquaginta libras contulimus, easdem in manus Dominorum C. Hildesemensis Episcopi, et F. quondam ejusdem loci Episcopi, promittentes XX libras in die Purificationis beatæ Virginis, X libras infra festum Pentecostes, et XX libras in die beati Michaëlis persolvendas; ut sic omnis rancor et actio conquiescat, et familiaritatis et amicitiæ consueta serenitas inter nos conservetur. Acta sunt hæc anno Domini MCCXXVI, III Calend. Novemb.

Multum, ut opinari fas est, commendavit Willebrandi electionem Oliverus, qui per id tempus Romæ agebat, sollicitusque erat de optimo Successore in Ecclesia Paderbornensi constituendo. Multum præterea egerit Conradus Hildesiensis Episcopus pro suo Præposito substituendo, vir, qui postquam Parisijs in omni scientiarum genere excultus fuerat, primùm præco crucis bellique adversus Albigenses in Gallia multa præclarè egerat; deinde orator belli sacri per Germaniam populares suos ad signa in Palæstinam evocarat, & Honorio Pontifice, ut supra monuimus, peragrando regiones, eademque, quo Oliverus, merito sacrorum laborum & virtutum ad Episcopatum Hildesiensem provectus erat; tum verò clarus in aula Pontificis & Friderici Imperatoris publicis pro christiana Repub. legationibus operam dabat; ultro citroque inter Pontificem & Imperatorem commeans magno inprimis apud Fridericum Imperatorem loco, uti testantur diversa Ecclesiæ Hildesiensis diplomata; quorum alio Imperator Parmæ confirmat emptum Dapiferi munus ejusdem Ecclesiæ: alio litem, quæ intercesserat inter Goslariensem Præpositum, atque ipsum Conradum Hildesiensem Episco-

Willebrandi electionem promovet Conradus Ep. Hildes. *Odoricus in hist. Ecclesiast.*

pum, decidit: alio exuvias defuncti Hildesiensis Episcopi relinquit Ecclesiæ Hildesiensi. Igitur hic Conradus, qui Præpositi sui virtutes optimè cognitas habebat, pro Willebrando Oliverio subrogando impensè laborârit.

Bruſchius. Kerſenbr. Beka in Chron. Traject. Heida in Chron. Buchel. Hiſtor. Brem. Archiep. Hammel. in Chron. Old. Gelenius.

Acceſſit ad cetera Willebrandi ornamenta claritudo generis; quippe qui ex veteri & illuſtri Comitum Oldenburgicorum familia ortus erat; quod cum noſtrorum faſtorum auctoribus tradunt Beka, Heida, Buchelius, ceterique Trajectenſis Eccleſiæ (ad quam poſtea translatus eſt Epiſcopus) Scriptores: habuitque ex ea familia Oldenburgicorum Bremenſis Eccleſia duos præſtantes Archiepiſcopos Hildeboldum & Ottonem; falluntúrque qui Ottonem Willebrandi patruum faciunt, cùm is anno MCCCXLIV demum Archiepiſcopus delectus ſit.

Ceterum Willebrandus Epiſcopus noſter poſt electionem, cui Paderbornæ præſens interfuiſſe refertur ab Heida, magna omnium gratulatione collocatus in ſolio, ſacramque præfecturam auſpicatus, ſedulus fuit in perluſtranda diœceſi & Cleri diſciplina, in demerendis Canonicorum & Miniſterialium animis, in componendis domeſticorum & vicinorum controverſijs.

Willebrandus Ep. diverſas lites & controverſias componit.

Quare cùm per id tempus graviter inter ſe diſſiderent de paternis bonis Ludovicus & Otto fratres, Ravensbergæ Comites; Willebrandus Epiſcopus noſter, & Hermannus Comes de Lippia, ac filius ejus Bernardus utrumque in certas pacis leges reconciliarunt: quibus Ludovico Ravensberga & Bilfeldiæ Oppidum, Ottoni verò Vlota & Vochta, & quæ ſingulis circumpoſita ſunt hereditaria bona cederent; quibus fratres acquievêre. Hunc in modum lis, quæ intra Volcquinum Swalenbergenſem Comitem, & Abbatem Cœnobiúmque Abdinghovianum ſuper prædio Eskerdorpiano intervenerat, auctoritate & judicio Willebrandi compoſita eſt. Extant hac ſuper re Willebrandi Epiſcopi tabulæ. *Actaque hæc referuntur anno verbi Incarnati* MCCXXVI, *Indictione* XIV. *Teſtes adſcribuntur Volradus Præpoſitus, Volcquinus de Suvalenberg, Amelungus, Hermannus majoris Eccleſiæ Paderbornenſis Canonici, tam Laici quàm Miniſteriales aliique quamplures.*

Et benefacit Abdinghovianis.

Extant & aliæ ex hoc anno Willebrandi Epiſcopi literæ, quibus præclarè meritus de Alberto Abbate, ejuſque Cœnobio Abdinghoviano, villam partim emptam, partim à ſe donatam tradit Cœnobitis. *Facta eſt hæc donatio, ut loquitur Epiſcopus, curia noſtra Anno Dominicæ Incarnationis* MCCXXVI. *Indictione* XIIII. *Pontificatus noſtri anno* I. *Hujus rei teſtes ſunt Volradus Præpoſitus, Amelungus Decanus; Volbertus Cellerarius, Hermannus Cuſtos, Hartmannus Sacerdos, Albertus Diaconus de Eccleſia BB. Petri et Pauli, Lippoldus Comes*

et fratres ejus, praeterea milites et Ministeriales nostri, et alii quam plures. Cetera quæ à Willebrando primo ejus anno gesta sunt vetustas subduxit.

Annus Christi 1227.

Gregorij IX Pont. 1.
Friderici II Reg. 15. Imper. 8.
Willebrandi Ep. Pad. 2.

Consequitur nunc annus Christi MCCXXVII, quo Honorius Pontifex 15 Aprilis excessit è vita, subrogato mox in ejus locum Gregorio IX. Nihil per extremos vitæ annos sollicitiùs egerat Honorius, quàm ut Christianos Principes ad expeditionem sacram permoveret. Et jam Ludovicus Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, D. Elisabethæ conjux, Princeps religiosissimus ingentem ex his regionibus contraxerat exercitum, quo in Italiam progressus, exspectabat Brundusij Fridericum Jmperatorem, supremum hujus expeditionis Ducem. Sed illo, ut jam multos annos fecerat, tergiversante, & per fallacias eludente omnium exspectationem, moritur interim in Apulia incredibili omnium luctu Landgravius; deinde florentissimus ille exercitus, ad quem ex Gallia, Anglia, ceterisque provincijs confluxerant supra quadraginta millia selectissimorum militum, aut dilapsus, aut caloribus Jtalicis extinctus est, multique ijs quibus venerant navibus recessêre. Et quia omnis mali auctor Fridericus Jmperator, à Gregorio Pontifice extra communionem sacrorum piorumque ejectus est. Non tamen defuêre è Germanis, qui cum Henrico Duce Limburgico in Palæstinam penetrârint. His licet Imperator invisus; eo tamen jubente, Henricus Rex filius, cui in locum D. Engelberti tutor erat datus Ludowicus Bavariæ Dux, Aquisgrani frequentissimum habuit Principum conventum; ad quem accessêre Coloniensis, Moguntinus, Trevirensis Archiepiscopi, multiq; cum his Episcopi, Duces Austriæ, Bavariæ, Carinthiæ, Lotharingiæ, Comes Flandriæ, atq; ingens procerum multitudo. Eo in congressu Agnes Leopoldi Ducis Austriæ filia, Henrici Regis conjux, ab Henrico Mollenarckio Coloniensi Archiepiscopo coronata est. Subinde Henricus Palatinus Ottonis IV Jmperatoris frater defunctus est, nullo masculo herede superstite, quippe quem mors ante XII annos rapuerat; filiæ tamen duæ illi fuêre, quarum natu major Friderico Jmperatori Brunswicum vendiderat: altera natu minor Agnes Ottoni Ludovici Bavariæ Ducis filio denupta erat, quacum Palatinatus Rheni in dotem venit à Saxonibus ad Bavaros cum Leonum insignibus translatus. Morte igitur Henrici Ducis vicinum nobis bellum exardere cœpit, Henrico Rege Brunswicum, quod pater emerat,

Godefrid. in Annal. Ursberg. Richard. Albert. Stad. Odericus in hist. Eccles.

Fridericus Imp. expeditionem in Palæstinam retardat.

Albert. Stad. Crantz. lib. 7. Saxo. c. 40. Hist. Brem. Archiep.

rat, poscente. Sed his prævertit Otto Wilhelmi Ducis Lunenburgici filius, unicus ex familia Henrici Leonis masculus heres: urbeque intercepta, Brunswici non minus quàm Luneburgi se possessorem asseruit; quanquam infelici Principatus auspicio. Quippe hoc anno grave bellum exortum inter Waldemarum Regem Daniæ, & Nortalbingiæ Dominos, Gerhardum Archiepiscopum Bremensem, Albertum Ducem Saxoniæ, Henricum Zwerinensem & Adolphum Schawenburgi Comites. Commissoque acri ac memorabili prælio ad Burnhovedam, Rex quidem fuga elapsus; sed Otto Dux Lunenburgicus, à Zwerinensi Comite captus in vincula abripitur; quibus exolutus, anno 1235 à Friderico Imperatore Moguntiæ Lunenburgi & Brunswici Dux solemni ritu pronunciatur, fundatissimæ hujus familiæ in suos etiam horum temporum nepotes propagator. Hac victoria postquam Otto Dux Lunenburgi captus, & Henricus Palatinus obierat, Gerhardus Bremensium Archiepiscopus, decus Comitum Lippiensium nostrorum, postliminio Stadam & Comitatum Stadensem ab Henrici Leonis familia repetitum Ecclesiæ suæ reddidit. Quippe post excessum Henrici Leonis ex partitione bonorum inter ejus filios facta, Ottoni Imperatori cessit Brunswicum, Wilhelmo Lunenburgum, Henrico Palatino ea bona, quæ trans Albim in Nortalbingia acquisierat Leo. Omnia hæc demum ad unum Ottonem Wilhelmi filium recidêre.

Bellum inter Regem Daniæ, pluresque Saxoniæ & Septentrionales Principes

*At propius nobis bellum trahebatur in obsidione arcis Teclenburgicæ, quæ hoc anno, ut diximus, à Coloniensi Archiepiscopo ultore necis D. Engelberti expugnata. Belli hujus, quod mirere, adjutorem habuit Engelbertum Osnabrugensem Episcopum, Ottonis Teclenburgensis Comitis fratrem, quem Otto invitum è Cœnobio Jburgensi Ordinis D. Benedicti Monachum provexerat ad Episcopatum, ratus, quæ Advocatus ejus Ecclesiæ per spolia egerat, multò sibi liberiora fore favore Episcopi fratris; sed vindicem ille nullum acerbiorem expertus; eòque Ottonem fratrem redegit partim censuris Ecclesiasticis, partim minis armisque, ut Advocatiæ renunciare, castra bonaque, quæ rapuerat, Ecclesiæ reddere coactus sit. Præstantior etiam Episcopus quàm Monachus, qui exuto sanguinis affectu patrimonium Christi ante familiæ habuit. Hunc virum ut sibi arctius devinciret Mollenarckius Archiepiscopus, possessiones, quas Otto Comes frater ante ex feudo Coloniensis Ecclesiæ tenebat, ipsi & Osnabrugensi Ecclesiæ dedit. Quod hisce tabulis, quibus res per Westfaliam hisce temporibus gestæ illustrantur, commonstrare haud incongruum erit.

*Archiepiscopo Coloniensi Comitem Teclenburgensem bello aggresso adsistit Episcop9 Osnabrug. Comitis frater. Cui propterea, ejusque Ecclesiæ Osnabr. Archiepiscopus Colon. donat bona à Teclenburg. Comite ex feudo possessa.

Henricus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cæterique Ecclesiæ Coloniensis Priores, omnibus præsens scriptum intuentibus

bus salutem in vero salutari. Licet Coloniensis Ecclesia Osnabrugensi ratione Metropolis ad necessitatum sublevationem quodam modo teneatur: tamen quia specialem servitiorum exhibitionem, et fidelitatem mater in filia adinvenit, specialiter se sibi secundum formam infra scriptam obligare decrevit. Quamobrem tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, consensu communi, utriusque Ecclesiæ prædictæ, tam Cleri quam Laicorum sic esse firmatum, ut qualibet illarum ad mutuam vicissitudinem consilii et auxilij alteri perpetuo sit astricta, unaquæque injurias alterius ad invicem propulsando, violentiis pro posse et viribus cum effectu resistendo.

Castrum vero Teclenburg cum quatuor curtibus, videlicet: Liden, Brutterbecke, Linge, Millinghusen, quæ Otto Comes Teclenburgensis propter conspirationem necis facinorosæ D. Engelberti piæ memoriæ Coloniensis Archiepiscopi demeruit, Coloniensis Ecclesia tanquam feoda sibi de jure vacantia, cum aliijs feodis suis resumit, sed quatuor mansiones ad quatuor Castellanos instituendos in eodem castro, Osnabrugensi Ecclesiæ titulo donationis relinquit: Proprietates hæreditarias et omnes ministeriales quondam Comiti Teclenburgensi attinentes, præfatæ Ecclesiæ æqualiter inter se divident, unaquæque alteri in sua portione obtinenda auxilium, et consilium ad invicem præstando. Si de Villa Linge civitas fuerit constructa, medietas omnium proventuum, sive in Thelonio, sive moneta, sive in judicio consistat, Osnabrugensi Ecclesiæ cedet. Si vero in statu, in quo est, persistiterit, nihilominus medietas cum omnibus proventibus, ut supra dictum est, cedet, exceptis his, quæ curiæ Linge pertinere noscuntur, quæ cum ipsa curia specialiter ad Coloniensem referuntur Ecclesiam, divisione autem Ministerialium facta, si quis ex his ab una parte ministerialem alterius partis traduxerit in uxorem, ad vinculum initi fœderis et amicitiæ inter præfatas Ecclesias fortius consolidandum, uxor sine aliqua commutatione libere virum sequatur; Ministeriales prædicti conditione, qua sub Ottone quondam Domino eorum gaudebant, si ipsam conditionibus Ecclesiarum prælegerint, gaudebunt, sin autem conditionibus Ecclesiarum gaudebunt. Ex parte utriusque Ecclesiæ sex Ministeriales præficientur, qui inter utriusque Ecclesiæ Ministeriales decidant, si quid inter ipsos emerserit quæstionis. Si autem per ipsos decidi non poterit, ad ipsorum superiores scilicet Archiepiscopum et Episcopum quæstio deferatur decidenda. Expugnatione castri Teckelenborg facta, infra spacium sex septimanarum prædicti Archiepiscopi et Episcopi ad divisionem hæreditariæ proprietatis et Ministerialium, de quibus supra dictum est, proportionandam consedebunt, et divisione distincta uter eorum prædigat, forte dirimetur. Osnaburgensis Ecclesia feoda quæ Comes Otto quondam ab ipso tenuit, tanquam de jure vacantia resumat, atque ut hæc suprascripta confœderatio perpetuo valitura, rata et inconvulsa permaneat, Sigillorum nostrorum appendiciis ipsam duximus roborandam. Præsenti confœderationi interfuerunt Conradus major Præpositus et Archidiaconus, Henricus Præpositus

tus S. Severini, Bruno Præpositus S. Cuniberti, Gerrardus Præpositus sanctorum Apostolorum, Henricus Præpositus S. Georgii, Arnoldus Decanus ibidem, Decanus Sanctorum Apostolorum, Lupertus S. Mariæ ad gradus, Albertus Subdecanus Majoris Ecclesiæ, Abbas S. Panthaleonis. Inter fuerunt etiam Laici Hermannus de Mullenarcke. Theodoricus de Roisovve, Hermannus de Alvetere Marschalcus, Theodoricus Dapifer de Moninckhusen, Franco Pincerna Gerbardus filius Advocati Coloniensis, Godefridns de Bachcim Camerarius, Wilhelmus Sildenck, Gosvvinus filius Marschalci, Richvvinus Marschalcus, et alii quam plures tam Clerici quam Laici. Acta sunt hæc anno 1227. mense Augusto.

Godefrid. in Annal. Beka in Chron. Ultraject. Heida in Chron. Ultraject. Albertus Stadens. M. Chron. Belgii Ubbo Emmius.

Otto Episcopus Ultraject. occumbit in bello, quod gessit contra Twentios.

Quàm felix hic annus Gerhardo Bremensium Archiepiscopo, tam infaustus fuit Ottoni Ultrajectensi Episcopo, Gerhardi Archiepiscopi fratri, bello quod contra Rudolphum Covordiæ Præfectum & Twentones gessit. Origo causaque hæc erat: dissidebant capitali odio inter se Egbertus Groningæ, & Rudolphus Covordiæ Præfectus, Ottonis Episcopi ministri. Rudolphus concitatis ad rebellionem Trentonibus, quos nunc Twentios dicimus ausus Groningam obsidere, & premere ad deditionem. Episcopus hanc sui clientis Egberti injuriam, & Rudolphi audaciam ulturus, imploratis vicinorum auxiliis, arma induit. Accessêre in belli societatem Gerhardus Gelriæ, Florentius Hollandiæ, Theodoricus Cliviæ, & Balduinus Benthemij Comites. Submissæ præterea ab Henrico Coloniensi Archiepiscopo, & Ludolpho Monasteriensi Episcopo copiæ, quarum Dux Bernardus de Horstmaria, veteranus miles, eaque tempestate facilè celeberrimus. Lustrato ad Arnhemium exercitu, processum in Tubantiam adversus Rudolphum. Is ad hostis adventum soluta Groningensi obsidione haud procul Covordiæ ad vastam paludem se objicit; in quam dum Episcopi exercitus ductore Domino de Gohre vexillifero præcipitantius quàm cautius movet, defertur in loca crebris paludibus impedita, & stagnis fœda, in quibus, nec pedem figere, nec agmina jungere, nec aciem explicare licuit; magisque obluctandum erat cum paludibus quàm hostibus. Trentones locorum gnari, postquam agmina hostium paludibus immersa, avulsaque à mutua ope conspexêre, aliud post aliud aggressi, miserandum in modum contrucidarunt. Ingens & deploranda illa strages fuit festo Pantaleonis die. Alij telis clavisque confixi, alij aquis hausti, alij ab ignavis & mulieribus etiam interempti: fugitivos Rudolphus edita ubique cæde in seram noctem est insecutus. Capti in potestatem hostium venêre Gerhardus Gelriæ Comes, Balduinus Benthemij Comes, Giselbertus Amsterlandiæ toporcha, Theodoricus Comes de Lippia, Episcopi frater, Præpositus Daventriensis; & quod omnium

calamitosissimum fuit, ipse Episcopus Otto interceptus & barbarum in modum tractatus memoratur. Nam verticis suprema cutis, quantum etiam Sacerdotali corona venerabilis, detracta & cum carne ad cranium cultris gladijsque derasa; multis inde probris illusum & vulneribus saucium, proculcatumque pedibus, ipsis Calendis Augusti abjecere in cœnum. Tantum furor etiam christianæ plebis in sacratissimos præsules ausus. Corpus demum integerrimi Episcopi cruore tabidum clam fidi homines extraxere, quod exinde Trajectum deportatum, & magno omnium luctu in Basilica honorificè conditum. Obijt administrato in XIII annum præclara cum laude Episcopatu, vir insigni religione, qui cum Friderico Imperatore, ut supra retulimus, in Palæstinam profectus, & Patrem, quem habuit Bernardum Comitem Lippensem, post Monachum & Abbatem, consecrârat Lealensem Episcopum.

Occubuit & inter ceteros bellicosos hujus cladis viros Bernardus Horstmariæ dynasta, heros ea tempestate longè celeberrimus; qualem ex Palæstinæ bello contra Saracenos, & ex prælio ad Bovinas, alijsque certaminibus produximus. Nec inultus postremùm concidit; nec quisquam illo gloriosior ad Covordiam decertavit; quippe qui ceteris circum se aut prolapsis, aut profugis, stabat immotus; & cùm lubricus paludis locus subsideret, quo minus firmum satis pedem figere posset, clypeum subjecit pedibus; cui ad extremum insistens, pugnabat acerrimè: stabatque tanquam ferox & Martius leo inter strata circum se cadavera hostium, quos confoderat; donec irruentium multitudine pressus, detruderetur in imam paludis voraginem, ubi telis & aquis obrutus occubuit. Corpus haud multò post è paludibus extractum, Horstmariamque delatum, paterno sepulchro conditum; ubi hodiedum in choro templi Horstmariensis vetus inscriptio hanc cæsi herois memoriam servat.

In quo & cæsus Bernardus Horstmariæ dynasta, celeberrimus hoc tempore dux.

Annis bis denis septem mille ducenis,
Ad vada vaccina patuit miseranda ruina
Bernard Tyronis in festo Pantaleonis.

Patrio quoque versu hæc adscripta:

Dit waß de beste in sinen Dagen/
Dat horet man von Heiden und Christen sagen/
Ick will em nennen up den Port
Vor Covort ward er ermord.

Aliud

Aliud vetus epitaphium viri sic habet:

Albricus multa jacet hic virtute sepulta,
Cujus erat natus Bernardus prole beatus,
Magnanimus turbis, præfectus nobilis urbis,
Horstmariæ Dominus cujus pars ultima limus.

Vir fuit procero corpore, robustis membris, vultu Martem spirante, animo militari, & ad omnes belli casus intrepido, qui per 40 annos omnibus fere belli interfuit, ea militis ac ducis laude, ut à Scriptoribus omnium Teutonicorum famosissimus, & Westfaliæ Achilles appelletur. Filium heredem reliquit Ottonem Horstmariæ Dynastam; fuêreque ex ea familia ad Valarense prælium superstites, quo postremi occubuisse creduntur, quos in Valarensi Præmonstratensium templo sepultos cippus exhibet. Horstmaria demum totaque Toparchia Episcopis Monasteriensibus cessit.

At Trajectenses non tam clade suorum (quam alij quadringentorum militum, alij quingentorum censuêre) perculsi, quàm crudeli & barbara Episcopi nece exacerbati, consilia habuêre de vindicta & Successore Episcopo, qui se ultorem ferret. Accensi omnium animi, postquam Florentius Hollandiæ Comes cum Ecclesiæ illius clientibus Trajectum advenit. Is qua erat auctoritate & gratia apud omnes, egit pro consanguineo suo Willebrando Paderbornensi Episcopo ad Ultrajectinam Sedem postulando; quòd Comite Oldenburgico natus, multos Comitum procerumque ad societatem belli attracturus esset. Accessêre per id tempus, quo hæc in deliberationem venerant, ex captivis Comes Gelriæ, & Amsterlandiæ Dynasta, ad certos dies relaxati pro curandis vulneribus. Hi postquam culcitris deportati in concilium Canonicorum, liberationem sui & vindictam oravêre, ingens omnium dolor, motusque animorum renovatus est, ad ulciscendam Episcopi sui necem. Itum deinde à Canonicis in concilium electionis, circumspectisque omnibus, convenêre suffragijs in Willebrandum Paderbornensem Episcopum: Hunc rati virum, ut Scriptores commendant, syncerum, constantem, strenuum, qui pro excelso animo illatam à rebellibus cladem ulturus esset.

Willebrandus Ep. noster postulatur ad regendam Ecclesiam Ultrajectensem.

Verùm cùm hæc agerentur, Willebrandus absens erat, versabaturque in Italia apud Fridericum Imperatorem publicis Imperij negotijs impeditus, uti Beca & Heda scribunt. Hinc missi sunt in Italiam viri probati ex Clero, qui & Willebrando denùnciarent electionem, & siquidem ipse ratam haberet, à Gregorio IX Pontifice peterent translationem à Paderbornensi Ecclesia ad Ultrajectensem.

Antè

Antè tamen quàm in Italiam proficisceretur Willebrandus, majorem partem hujus anni transegit Paderbornæ in Ecclesia sua. Nam publicas ejus tabulas possidemus ex tabulario Abdinghoviano in hunc modum inscriptas. *Willebrandus Dei gratia Paderbornensis Episcopus, Wolradus major Præpositus, Conradus Thesaurarius, et Hermannus Canonicus, judices à Sede Apostolica delegati, omnibus præsentem paginam inspecturis salutem.* Lis verò, quam à Gregorio IX Pontifice cognoscendam & judicandam accepit, erat inter Albertum Abbatem Cœnobij Abdinghoviani, & Theodoricum ac Ludgerum Comites de Insula, vexatores Cœnobij; quos Willebrandus Episcopus inter se composuit. Quæ acta referuntur Anno ab Incarnatione M CCXXVII. Alijs rursum tabulis liberalem decimarum donationem fecit Cœnobio Marienfeldensi. *Hujus rei testes Volquinus de Swalenberg, Hermannus Bolico, Joannes Scholasticus, Volbertus Cellerarius, Hugo, Ludolphus, Widekindus Camerarius, Conradus Thesaurarius, Ribodo, Gerungus, Everhardus, Joannes nostri Canonici, Jodocus de Wecen S. Petri Canonicus Moguntinus, Thetmarus, Lambertus, Godeschalcus, Bertholdus Vicarij, Lippoldus Comes, Conradus frater ejus, Henricus Camer. Joannes Stapel, Hermannus, et Henricus fratres de Oriente, Amelungus filius Henrici Dapiferi.* Aliæ præterea literæ adsunt ex Gerdensium Virginum tabulario, quibus Albertus Paderbornensis, & Gerdensis Abbas, ut se inscribit, donationem Gerhardi Sacerdotis ratam habet, quam anno gratiæ MCCXXVII, Indictione XV, Pontificatus verò Willebrandi secundo consignatam asserit. Quæ publicarum literarum testimonia proferre necesse habuimus adversus eos, qui scribunt Willebrandum toto illo biennio sui Episcopatus abfuisse ab Ecclesia sua. Quod verò Ultrajectenses Scriptores referant Willebrandum, cùm eorum Episcopus legeretur, fuisse in Italia, etsi non abnuerim id postremi hujus parte anni fieri potuisse; ijdem tamen cum scribant Willebrandum intra biennium, quo Paderbornensis Episcopus fuit, bis Legatum à Friderico Imperatore in Palæstinam fuisse missum, parum probabile habeo, opinorque multa hic confundi à Scriptoribus illis. Nam etsi de prima ejus profectione in Palæstinam, quam Hildesiensis Canonicus fecit, satis constet, ut supra relatum est; de secunda tamen certum annum proferre non licet, etsi conjecturæ valere possint. Multò verisimilius habeo, Willebrandum, cùm Hildesimensis Præpositus esset, à Conrado suo Episcopo, qui per id tempus Romæ in aula Pontificis & Imperatoris versabatur, in Italiam evocatum esse: cujus deinde opera Imperator, ob generis claritudinem, & Palæstinæ peritiam, virique prudentiam in legationibus usus sit. Sanè si ob famam rerum præclarè in Episcopatu Paderbornensi

nensi gestarum ab Ultrajectensibus sit expetitus Episcopus, ut ipsi Scriptores Ultrajectenses fatentur, necesse est Willebrandum maximam biennij partem exegisse in Paderbornensi Episcopatu; multaque desiderari ab eo laudabiliter gesta, quæ temporum injuria subtraxit. Dignum interim memoria, quod de Willebrando refert Panthaleon. Cùm omnes Canonici Paderbornenses majoris Ecclesiæ jam opibus & bonis abundantes peterent, dissoluta claustri & regularis vitæ disciplina, factaque bonorum partitione, in privatas ædes & separatas habitationes secedere (quemadmodum jam passim in alijs Cathedralibus Collegijs receptum erat) obstitit constanti animo Willebrandus, negavitque fas sibi esse communis vitæ institutum, quod à tot ante se sanctissimis Episcopis acceperat, primùm laxare. Quod tamen paulò post à Successore, ut dicemus, impetratum est.

Willebrandus obsistit dissolutioni claustri & communis vitæ, quàm Canonici Cathedrales postulabant.

Postquam igitur Willebrandus auctoritate Gregorij IX Pontificis ad Ultrajectensem Ecclesiam translatus est, pro Tribunali, in concessu omnium procerum suæ Ecclesiæ & Vasallorum, Comitem Gelriæ liberum pronunciavit à reditu ad captivitatem. Deinde Rudolphum Covordiensem Præfectum rebellionis necisque Ottonis Episcopi reum proscripsit; in quem mox collecto ex Trajectensi diœcesi & tota Frisia exercitu movit. Inde partito in sex agmina milite, ad prælium processit. Objecere se Trentones in sex cuneos divisi, quos Willebrandus ex omni parte circumventos ad prælium stitit, consertaque pugna obtrivit, fugientes in seram noctem prosequendo. Qua clade consternati Covordienses & Trentones datis obsidibus supplices ad arbitrium Episcopi se submisêre. Willebrandus, qua erat clementia, nullo in Rudolphum supplicio statutò, ijs tantùm conditionibus recepit in gratiam. Castella Covordiæ & Lare sibi traderet: jurisdictionem totius Twentiæ Ecclesiæ S. Martini redderet: tria marcarum millia pro illatis damnis persolveret: centum armigeros in Livoniam mitteret: Monasterium instituti D. Benedicti conderet, quo XXV Virgines alerentur. His transactis, Covordiam imposito milite recepit, ac Lare Castro funditus everso, victor magno omnium ordinum plausu Trajectum ingressus est.

Willebrandus decessoris sui Episcopi necem ulturus, feliciter in Twentios movet.

Haud multò post, altero nimirum Episcopatus anno, cùm ægre ferret Rudolphus Covordiæ ac totius Twentiæ præfectura se spoliatum, homo perfidus ad dolos conversus, unum ex Castrensibus corrupit; à quo dum ceteri in suburbium invitantur, ipse ex insidijs prorumpens, Covordiam denuo occupat, cæsisque custodibus, milite suo complet. Quo cognito, Willebrandus Episcopus Harden-

Rebellantem Rudolphum, Covordiæ præfectum,


Hardenbergam properat; contractoque istic milite, quod omnes circum paludes gelu induratæ consisterent, solerter composuerat, transitis per glaciem fossis Covordiam oppugnare; & consilium processisset, nisi ea nocte levi vento glacies dissoluta fuisset. Quare res ad apertum bellum redijt; exactaque hyeme Willebrandus cum instructo exercitu, quem ex Frisijs & Trajectensibus convocârat, circum Hardenbergam castra posuit. Rudolphus conscientia perfidiæ anxius, cùm extrema sibi metueret, per tres Frisiæ Abbates xv dierum inducias petit ab Episcopo; quibus de pace tractetur; interim ille uno comite stipatus Hardenbergam intrat, obstupente Episcopo, audere hominem in conspectum suum venire, nullis adhuc pacis conditionibus de capite securum. Quem ubi Castrenses conspexerunt, è cubiculo ad judicium trahunt, damnatumque in rotam agunt. Heida capite prius plexum referre visus; sed utrum consensu Episcopi id factum, an furore Castrensium, non satis liquet. Digna certe poena mulctatus; visique Trajectenses eodem, quo Colonienses, supplicio Episcopi sui necem vindicasse. Sed ea pœnæ acerbitas rursum Twentios ad rebellionem concitavit; ausique Groningam obsidere, & ultionem Rudolphi sui Egberto Groningensium præfecto intentare: à quo licet cum clade repulsi sint: non destitêre tamen arma reparare: adscitisque in societatem belli Monasteriensibus, Trentones Covordiam astu militari clam intrant, præsidioque adversus Willebrandum Episcopum præmuniunt. Hac insolentia Trentinorum rursum provocatus Willebrandus, classicum cani jussit, convolantibus ad arma Frisijs & Trajectensibus, quorum copijs in unum agmen contractis Covordiam procedit; ubi cùm reperit Trentones cum innumera multitudine inter paludum angustias consistere ad prælium paratos, veritus ne per superioris Episcopi vestigia militem novæ cladi exponeret, retro cum copijs abijt, relictaque in potestate Trentonum Covordia, bellum affectum Successori Episcopo Ottoni tertio Comiti Hollandiæ transmisit. Et Willebrandus cùm videret Rudolphi supplicio multorum etiam nobilium animos à se aversos, satisque judicaret urbes & castra sua præsidijs firmare, quod reliquum vitæ fuit, sacrorum procurationi & disciplinæ cleri formandæ insumpsit. Præclarum hujus Willebrandi elogium relictum in Oldenburgicorum Chronico. Quippe moriturus dexteram è fatali lecto tanta fiducia extulit, ut diceret. *Hæc manus est, quæ nullis unquam muneribus se corrumpi passa est, nec ulli injuriam intulit.* Digna tanto Episcopo vox, quæ monumentis inscribatur. Anno dehinc MCCXXXIII VI Calend. Augusti, gesto in VIII annum præclara cum laude Episcopatu, Zwollis excessit è vita, deportatusque Trajectum in templo S. Servatij, quod cum adjuncto Virginum

Uti & Twentios; sed irrito successu.

Moritur Willebrandus Zwollis anno 1233

num Ordinis Cistertiensis Cœnobio è fundamentis exstruxerat, magnifico etiam tumulo decoratus est. Incusantur nostra passim ætate à malevolis Scriptoribus Episcopi haud alio magis, ut præferunt, offensi, quàm quòd posita sacra toga, militare sagum, armaque induerint. At quid ex Episcoporum bonis & donationibus priorum Cæsarum retenturi fuissent? cùm non modò vicini circum Comites ac nobiles, sed eorum præfecti rebellare, castraque & jurisdictionem & possessiones per spolia rapere ab Ecclesia visi sunt. Inciderunt jam dudum illa tempora, quæ belli necessitatem imposuêre, & Comitum Ducumq; filios deligere Episcopos suadebant, quorum auctoritate, & potentia familiæ adjuti patrimonia Ecclesiarum conservarent, & rebellium populorum injurias continerent. Eò & Willebrandi Successor delectus Otto tertius Florentij III Hollandiæ Comitis filius, Florentij IV Comitis frater, Wilhelmi Imperatoris patruus ac tutor, gubernatorque tertius Hollandiæ. Hujus Episcopi fortitudine debellati Trentones subactaque Covordia, ad obsequium populi redacti, ac tota Twentia ex rebellium spolio Ecclesiæ Trajectensi reddita est. Hactenus Willebrandum Episcopum nostrum per Trajectensem Episcopatum prosecuti sumus, nunc ordo temporum ad res patrias revocat, quas subsequentibus deinde libris latius prosequemur.

Cui succedit in Episc. Traject. Otto III Hollandiæ Comes. *Beka in Ottone III Episcopo Heida in Ottone III.*



INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
HAC PRIMA
ANNALIUM PADERBORNENSIUM
PARTE CONTENTARUM.

A

S. Bruno

S. En-

Tertium

G.

B. Go-

è Sax-

Capti-

L.

M.

P.

pera-

ERRATA.

PAg. 2. illæ, lege, ille. Pag. 17. specimem l. specimen. pag. 48. possessionum l. possessionem, p. 64. Adalbertus l. Adelardus. p. 108. Liborio l. Liborij, p. 127. perfecta l. pervecta, p. 141. tam l. tum, p. 188. certiorem l. citeriorem, p. 242. Frechtum l. Freherum, p. 299. Bellarminus l. Bellarmini, pag. 306. 991. l. 961. pag. 348. flaminis l. flammis, pag. 352. suæ l. suo, p. 420. ibi l. id. p. 520. ac l. ad, p. 573. prælio l. pretio, ibid. dotaque lege dotatque, pag. 726. Bremensem, l. Rhemensem, p. 758. genere l. genero, pag. 898. recitare l. recitari, p. 990. Mindensis l. Monasteriensis, p. 998. Trevirensis lege Treviris, p. 1009. interius l. inferius, p. 1020. Covordiæ, l. Covordia, p. 1022. belli, l. bellis.

Cetera prudens Lector facile corriget.

FINIS.



